Digitized by Google

6
16-A
28 M

7
7 F
5

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

72
G
37

6.–16.A.28.

Digitized by Google

Digitized by Google

HADRIANI VALESII

HISTORIOGRAPHI REGII

NOTITIA GALLIARUM

ORDINE LITTERARUM DIGESTA.

In qua Situs, Gentes, Opida, Portus, Caſtella, Vici, Montes, Silvæ, Maria, Flumina, Fontes, Lacus, Paludes, Inſulæ Maritimæ & Amnicæ, Pæninſulæ, Pagi Provinciæque Galliæ illuſtrantur; locorum antiquitates, varia eorum nomina, vetera ac nova, Epiſcopatuum ac Monaſteriorum origines, aliaque ad Hiſtoriam Francicam pertinentia notantur; Geographi & Hiſtorici Græci, Romani ac Noſtri explicantur, & emendantur.

Bibliothecæ Sec. Coll. Rom. Soc. Jesu



PARISIIS,
Apud FREDERICUM LEONARD Typographum Regis, Sereniſſimi Delphini, & Cleri Gallicani, in vico Jacobeo.

M. DC. LXXV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



LUDOVICO
MAGNO
FRANCORUM
ET NAVARRORUM
REGI CHRISTIANISSIMO.

OFFERO Tibi, REX CHRISTIANISSIME, *Notitiam Galliarum, & in artum coactam Provinciarum tuarum magnitudinem: offero Regum maximo maximum Regnum, ſummâ fide diligentiaque deſcriptum. Quem enim libentiùs adeant Galliæ, quàm potentiſſimum Principem, cujus reguntur imperiis, florent legibus, conſiliis viribuſque ſervantur ac confirmantur. Hæc eſt nimirum regio, cujus incolæ olim ſuperfuderunt ſe Alpibus ac Pyrenæis, & in Italia Galliæ Togatæ, in Hiſpania Celtiberiæ ac Celticis, in Aſia Galatiæ nomen dederunt, atque Rhenum transgreſſi, circum Hercyniam ſilvam in*

Digitized by Google

fertiliſſimis Germaniæ locis conſederunt, trajectoque freto maritimam partem Britanniæ inſulæ coloniis impleverunt. Hæc eſt regio, quam Romani honorifica Imperii Gallicani appellatione dignati ſunt, & cui Hiſpanias ac Britannias attributas eſſe voluerunt, cùm ambas Præfecti Prætorio Galliarum ordinationi regiminique commiſerint. Hæc eſt regio, in qua nobiliſſima Gens Francorum abhinc annos MCC. *clariſſimum & omnium Chriſtiani orbis vetuſtiſſimum ac maximum felicibus auſpiciis condidit Regnum. Hæc regio, fruſtra indignantibus Græcis, Imperii Romani nomen ac inſignia poſt annos* CCCXXIV. *virtute Francorum, operâ Caroli Magni reddidit Occidenti, & totum ferè Occidentem redivivo potiùs quàm novo ſubjecit Imperio: Hiſpaniâ uſque ad Iberum flumen, parte maximâ Italiæ, totâ etiam Germaniâ quæ Romanis armis antea numquam ceſſerat, potita; in Norico ac utraque Pannonia, in Dacia, Iſtria, Liburnia, Dalmatiaque dominata. Hæc regio inclytam progeniem Roberti Principis, Hugonis Regis proavi tulit, quæ apud Francos jaminde ab Odone per annos ferè octingentos regnat, & Luſitaniæ, Neapolis, Siciliæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Bulgariæ, Poloniæ, Navarræ Regna, atque ipſius Græciæ Imperium eſt conſecuta: ut quemadmodum familia Pippini ſeptem Imperatores veteri Romæ dederat; Hugonis poſteri, unde genus ducis, Conſtantinopoli novæ Romæ tres ex ordine ſimiliter Imperatores darent.*

Huic tantæ ac tam nobili regioni, multo maximæ Europæ parti qui imperavère, jaminde à Chlodoveo inter Reges Chriſtianos primas tenuère: ſemper ab omnibus Regum antiquiſſimi maximique ſine dubitatione ſunt habiti. Eumdem titulum, à majoribus Tibi tranſmiſſum, REX MAXIME, *non magis Galliarum amplitudini, viribuſque ac opibus debes, non magis etiam atavorum (pæne dixerim) ſanguini, quàm Regiis dotibus tuis. Solent plerique Scriptores Regem qui unâ aliquâ virtùte commendetur, laudibus in cælum evehere, ac ceteris omnibus præferre Principibus. In Te cuncta ſic eminent, cuncta ſic prænitent, ut vel ſingula ſingulos Reges atq; Imperatores illuſtrare poſſint. Sed eximias animi tui corporiſque virtutes, res à Te domi foriſque geſtas, leges emendatas utiliter, ſalubriter latas, expugnationes urbium, multiplices feliciſſimaſque victorias juſtis voluminibus narrabunt me diſertiores Hiſtorici ac Oratores: & ipſe ante annos aliquot pauca de his ſtrictim ſum perſecutus in oratione quam de tuis laudibus edidi, quæ heic nunc repetere nequaquam convenit. Non poſſum tamen nec debeo ſilentio præterire, quæ anno ſuperiore geſſiſti. Imperatoris ac Regis Hiſpaniæ exercitus, initâ belli ſocietate ſeſe Batavis hoſtibus tuis adjunxerant, & Picardiæ ac Campaniæ Gallicæ minitabantur exitium: ex altera parte Principes Germaniæ arma ceperant ex conſtituto, & junctis copiis Rhenum tranſire, ac in Alſatiam erumpere conabantur. Tu,* REX INVICTE,

Digitized by Google

cum exercitu Principem Condatinum, clariſſimum ac celeberrimum Ducem Auſtriacis & Batavis opponis; cum lectiſſimo milite fortiſſimum ac prudentiſſimum Vicecomitem Torinnæ Germanis. Ipſe cum tertio exercitu fines Sequanorum ingrederis, ubi jam Gradicum occupaveras; Veſontionem caput Gentis, metropolim Provinciæ, opidum maximum, naturâ atque arte munitiſsimum, valido etiam præſidio firmatum obſides, capis; Dolam, Salinas, ac cetera loca brevi ad deditionem compellis: denique haud multo majus temporis ſpatium perdomandæ regioni Sequanorum impendis, quàm alius impenderet obeundæ. Quid prius in hac mirer expeditione? celeritatem, quòd tam citò facta provincia eſt? an felicitatem, quòd tam facile armis tuis omnia opida regionis, & caſtella montana atque inacceſſa ceſſerunt? an ſingularem tuam in rapienda occaſione prudentiam, fortitudinem in exſequendo? Cognitâ tantâ victoriâ Duces tui, tui confirmantur exercitus. In Belgica ad flumen Sabim ſuis pulſi ac dejecti munimentis Auſtriaci & Batavi, cæſi, capti, magnâ parte impedimentorum ſpoliati, & tantumnon caſtris exuti: cumque poſtea Aldenardam oppugnaviſſent, adventu copiarum tuarum territi terga verterunt, planè ad internecionem delendi, niſi fugientes ac trepidos nebulæ ſilvæque texiſſent. Nec meliùs ad ripam Rheni res Germanis ceſſit. Sæpe repreſſi virtute Francorum, ſæpe pulſi prœliis, plurimos ſuorum amiſere. En etiam dum hæc ſcri-

bo, initio hujus anni (quod felix, fauſtum, fortunatumque ſit) nuntius lætus affertur, magnam cladem illatam eſſe Germanis, magnum hominum numerum cæſum, millia aliquot capta: ceteros fuſos diſſipatoſque fugiſſe trans Rhenum, inſequentibus Francis, & longè à Monte Briſiaco cui pridem imminebant, atque à Rheni Regníque tui ſummotos eſſe limitibus. Nimirum quæ à Ducibus & exercitibus tuis aguntur, tuo ductu ac imperio, tuis geruntur auſpiciis, Te conſilium & tuos præbente Divos. *Militi tuo etiam abſens* vires animumque miniſtras. *Animus tuus ille ubique tuis vivit, ſpirat, viget in copiis: tuorum movet manus, ictus dirigit, hoſtes terret ac ſternit. Tua fortuna tuis præſidet caſtris ac turmis: hæc vel abſenti militat Tibi: hæc pro Te pugnat & vincit. Intelligo relationem iſtam victoriarum tuarum, quantumlibet brevem, hiſtoriæ convenire, non epiſtolæ. Sed inter feſtos ignes quibus vici Luteciæ collucent, inter fauſtas acclamationes voceſque gratulantium, inter concentus Clericorum vota reddentium, in publica exſultatione civitatis, an ego mihi temperare, continere me poſſim? Sponte erumpit animo lætitia; modi plerumque non capax, & ubicumque poteſt, ſaltem oratione ſe prodit.*

Raris Principibus contigit, inter arma curam agere litterarum. Quod in Alexandro Magno pauciſque aliis Regibus vetus laudavit hiſtoria, in Te nunc omnes agnoſcunt & admirantur. Occupatus bellis & tot ac tan-

tis negotiis, pacis artes non negligis : non deſeris, quod pridem ſuſcepiſti, doctorum hominum patrocinium : nec Francicis modò ingeniis munificentiam exhibes, ſed etiam externis. Evocantur inſuper nomine tuo ex Italia, è Batavia, aliiſque Europæ partibus clari Mathematici ac Philoſophi : ſollicitantur undique, ac in urbem Regiam invitantur viri omni doctrinæ genere & variarum linguarum notitiâ eminentes, plerique ſcriptis illuſtres : quibus liberaliter annua è fiſco, ſpe ipſorum ampliora conſtituis. Tanta, & tam longè latéque diffuſa beneficentia nullis vel eloquentiſſimi Oratoris verbis, nedum oratione meâ æquari poteſt : & quandoque forſitan apud poſteros vix fidem eſt meritura. Cujus ego cùm particeps hactenus fuerim, minimus licèt & indigniſſimus : pro actione gratiarum hanc ſaltem Notitiam Galliæ, diu multumque lucubratam, Tibi nuncupare conſtitui, ſummiſſiſsimæ ac devotiſſimæ Majeſtati tuæ venerationis meæ monumentum : quam ſi ſereno vultu acceperis, bene mecum actum exiſtimabo. Voto epiſtolam finio, Deumque Optimum Maximum precor, ut Te Regno tuo, Religioni Catholicæ, totíque orbi Chriſtiano diutiſsimè florentem ac incolumem ſervet.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO OPERIS
AD ERUDITOS LECTORES.

GALLIAM, maximam & validiſſimam Europæ partem, multi dixêre Scriptores, Græci atque Romani, veteres ac recentiores: nec Geographi modò ad quos ea res præcipuè pertinebat, ſed etiam clariſſimi Hiſtorici. Caïus Cæſar, qui Galliam armis ſubegit, & rerum ibi geſtarum Commentarios ſcripſit, opus ſuum à diviſione Galliæ, & trium ejus partium terminatione orditur, exceptâ Provinciâ Narbonenſi, quæ pridem Romanis parebat: & in relatione bellorum quæ cum Gallis geſſit, populos trium harumce partium circiter XXCVII. aut XXCVIII. majores ac minores, urbes non ampliùs XXVIII. nominat. Ex his populis trium & viginti ignoti ſunt ſitus, propterea quòd veteres ipſorum urbes nuſquam memorat Cæſar, quarum ope noſci potuiſſent. Julium Cæſarem in enarrando bello Gallico diligentiùs ceteris, breviter tamen (ſi Livium excipias) transſcripſere, è Græcis auctoribus Plutarchus in ejus Vita, & Dio Caſſius, qui ab Urbe condita ad Alexandrum Severum Aug. hiſtoriam perduxit; ex Latinis Titus Livius, Annæus Florus, & Oroſius. Julianæ Galliæ Gentes & loca recentiores Scriptores, Marlianus, Vigenerius, Joſephus Scaliger, Samſon, aliique, pro ſe quiſque, eruere è tenebris vetuſtatis ac illuſtrare conati ſunt. C. Octavius Cæſar Auguſtus in porticu, quam à ſorore Agrippæ inchoatam perfecit, ex commentariis M. Agrippæ orbem terrarum, cujus eſt portio non contemnenda Gallia, Romæ ſpectandum propoſuit. Et Agrippa quidem, maximæ vir diligentiæ & in hoc opere curæ, ac cum eo Auguſtus Cæſar in litorum tractu ordinem locorum populorumque ſervabant: interiore in parte, ſive in mediterraneis, Gentes, Colonias, ceteraſque urbes in litteras digerebant, longitudine & latitudine cujuſque Provinciæ exactè computatâ, ut in libri III. capite V. docet Plinius, qui non modò in Italiæ, ſed etiam in Narbonenſis Galliæ deſcriptione Agrippam haud dubiè ſecutus eſt: ſicuti ipſemet apertè indicat in libri ejuſdem capite IV. interiores Narbonenſis Provinciæ urbes ordine litterarum enumerans his verbis: *In mediterraneo Coloniæ, Arelate Sextanorum, Bliteræ Septumanorum, Arauſio Secundanorum in agro Cavarum, Valentia, Vienna Allobrogum: Opida Latina, Aquæ Sextiæ Salyorum, Avenio Cavarum, Apta Julia Vulgientium, Alebece Reiorum Apollinarium, Alba Helvorum, Auguſta Tricaſtinorum, Anatilia, Aërea, Bormanni, Comacina, Cabellio, Carcaſum Volcarum Tectoſagum, Ceſſero, Carpentoracte Meminorum, Cenicenſes, Cambolectri qui Atlantici cognominantur, Forum Voconi, Glanum Livii, Leutevani qui & Foroneronienſes, Nemauſum*

Arecomicorum, Piſcenæ, Ruteni, Sanagenſes, Toloſani Tectoſagi Aquitaniæ contermini, Taſcodunitani Cononienſes, Umbranici, Vocontiorum civitatis fœderatæ capita duo, Vaſio & Lucus Auguſti. Principatu Auguſti Cæſaris floruit Titus Livius, Hiſtoriæ & eloquentiæ Romanæ alter princeps, qui à primordio Urbis ad mortem Druſi, Tiberii Neronis fratris, CXL. libris res populi Romani perſcripſit. Hic bello Helvetico Caii Cæſaris ſubjunxerat deſcriptionem Galliarum, ac libro inſequente deſcriptionem Germaniæ addiderat, moreſque Germanorum: quemadmodum Florus tradit in epitome libri CIII. & CIV. hiſce verbis: *Cæſar Helvetios Gentem vagam domuit: præterea ſitum Galliarum continet. Prima pars libri* CIV. *ſitum Germaniæ, moreſque continet.* Sic Pomponius Mella opus ſuum *de ſitu orbis* inſcripſit: & Plinius Dionyſium Characenum *terrarum orbis ſitûs auctorem* appellat in libri VI. capite XXVII. & in prooemio libri III. aſſerit, *eos quemque ſitus diligentiſſimè dixiſſe, in quibus ipſe prodebat.* Ex quo intelligitur, apud Florum *ſitum Galliarum, ſitumque Germaniæ* nihil aliud eſſe quàm deſcriptionem, nec eo nomine menſuram tantùm ac terminos utriuſque regionis à Floro deſignari. Sed Liviana deſcriptio Galliæ cum plurimis T. Livii libris & cum tabulis Agrippæ pridem deſideratur: quæ ſi etiamnum exſtaret, magno nobis uſui ad illuſtrandas Galliæ antiquitates, magno ad noſcendas cujuſque Gentis origines ac urbes adjumento eſſet. Quamquam pæne mihi videtur T. Livius Galliæ partes IV, & ſingularum partium fines, clariſſimaſque gentes ac urbes breviter ac in tranſcurſu attigiſſe: ſicut idem poſt relatum bellum Macedonicum Regis Perſei, Macedoniam paucis percucurrit. Hoc mihi Plinius perſuadet, qui cùm inter auctores libri III, Narbonenſem Provinciam præ ceteris complexi, T. Livium nominet; ipſum auctoribus libri IV. Galliam Belgicam, Lugdunenſem & Aquitaniam continentis minimè adnumerat, magnum Hiſtoricum non omiſſurus, ſi per eum in deſcribenda Gallia profeciſſet. Sub Tiberio Auguſti privigno ac ſucceſſore nituit Strabo Philoſophus ac Geographus: quem terrarum orbis ſitûs doctiſſimum auctorem & peritiſſimum hiſtoriæ jure vocaveris. Et ille quidem in noſtra Gallia Julium Cæſarem non ſequi modò, verùm etiam transſcribere conſuevit: Gentes tantùm Galliæ validas & nobiles, claraſque urbes paucas attingit, XXIII. Galliæ Narbonenſi, V. aut VI. Aquitaniæ, VII. Celticæ, unam Belgicæ urbem attribuens: minores populos & opida obſcuriora quorum magnus erat numerus, pleraque prætermittit, nec eadem diligentiâ Celticam ac Belgicam, quâ Narbonenſem Provinciam & Aquitanicam enarrat, Celtas Belgis, Belgas Celtis permiſcens. Pomponius Mella Claudio imperante ſitum orbis eleganter dixit: ſed ſtrictim, ut quæque erant clariſſima, expedivit, plura aliàs & exactiùs ſe dicturum pollicitus: quod ab eo factum eſſe non puto. Ille igitur XXVIII. loca & urbes in Gallia Narbonenſi, populos IX; in Aquitanis unam urbem, in Celtis unam, duas in Belgis memorat: Belgis Treviros & Morinos; Celtis Æduos, Santones & Oſiſmios; Aquitanis Auſcos aſſignat, ſervatâ Julii Cæſaris diviſione trium harum partium Galliæ atque menſurâ. Lucanus Poëta, ſi tamen Poëta, in libro I. paucorum ali-

quot Galliæ populorum meminit, atque fluviorum. Plinius Secundus, qui ſub Veſpaſianis patre & filio floruit, in prooemio libri III. *locorum nuda & vidua famâ ſuâ nomina, qualia fuere primordio ante ullas res geſtas, poſiturum ſe nuncupaturumque* ait, *& futuram quamdam in his nomenclaturam quidem, ſed mundi rerumque naturæ, claritate cauſſiſque dilatis in ſuas partes.* Is quantum ad Galliam attinet, planè fidem præſtitit, & quod pollicitus erat fecit. Quippe cùm Italiam, Hiſpaniam, Græciam, aliaſque regiones exactè fuſeque deſcripſerit, univerſam Galliam LX. circiter verſibus negligenter exſequitur. Et in Narbonenſi quidem Provincia populos plus minùs undequadraginta, majores ac minores, urbes XXXVIII. fluvios X. ponit: Galliæ Belgicæ Colonias tres, nihil præterea urbium, populos XXXV; Lugdunenſi Galliæ Coloniam tantùm Lugdunum, populos XXVI; Aquitanicæ XLIII. populos, urbem nullam attribuit. Sed apud Plinium Narbonenſis Galliæ urbes octo, gentes XVI; Belgicæ populi octo, nimirum Exerni, Oromanſaci, Britanni, Baſſi, Catoſlogi vel Caſtologi, Succoni, Sinuci, Friſiabones; Lugdunenſis Galliæ aut Celticæ una & altera gens, Aquitaniæ denique XXII. populi, hoc eſt ex CXLIII. totius Galliæ gentibus à Plinio memoratis duodequinquaginta ignorantur. Nec ſanè mirum videri debet, XLVIII. circiter Galliæ populos humiles & obſcuros, pleroſque etiam non ab alio quàm à Plinio nominatos, hodie neſciri: cùm Plinius nulla opida, nullos montes, nulla flumina populis iſtis aſſignaverit, quorum indicio atque veſtigiis ad ipſorum ſedes ac veluti cubilia pervenire poſſemus. Ælii Hadriani & Antonini Pii principatu ſcribebat Claudius Ptolemæus Aſtronomus & Geographus, qui terrarum orbis ſitûs, quantum fieri poteſt, certus auctor ac diligens, Europæ, Aſiæ, atque Africæ locorum omnium, fluminum, ac montium exactiſſimam nomenclaturam nobis proponit, & populorum numerum inire, ac ſuas ſingulis urbes eaſque multas continuò ſubjungere conſuevit, non in notiſſimis modò Provinciis partibuſque terræ, quales ſunt Italia, Hiſpania, Græcia, Aſia propriè dicta, ſed etiam in inſulis parum notis atque compertis, quales tum Hibernia ac Britannia erant. Quo magis miror, gravem doctumque ſcriptorem non eamdem Galliis quam ceteris Imperii Romani Provinciis diligentiam præſtitiſſe, ac in deſcriptione regionum noſtrarum velut ſui diſſimilem factum eſſe. Certè (ne de Narbonenſi Provincia loquar) Belgicæ undeviginti, Galliæ Lugdunenſi vel Celticæ XXV, Aquitaniæ XVII. tantummodò, hoc eſt toti Galliæ Comatæ in univerſum LXI. majores populos attribuit, quot ferè populos, populorumque civitates priſcæ Notitiæ Galliarum commemorant: & cùm J. Cæſar doceat Bituriges Cubos XX. urbes, Sueſſiones & Helvetios opida numero XII. habuiſſe; cùm Plinius prodat, Vocontiorum duo capita Vaſionem & Lucum Auguſti, opida ignobilia XIX. fuiſſe, Volcarum Arecomicorum XXIV. quæ Romani Nemauſo Coloniæ attribuerint: ipſe & Biturigibus Cubis, & Sueſſionibus, & Vocontiis, & Arvernis, ſuam cuique urbem caput gentis, unam atque unicam ſingulis urbem aſſignat; Helvetiis, Arecomicis, Æduis, Carnutibus, Leucis, Nerviis, Morinis, Biturigibus Viviſcis & Santonibus, validiſſimis gentibus ur-

bes non ampliùs binas, Seguſianis & Pictonibus trinas, Sequanis & Cavaribus IV; Salyis V, Volcis Tectoſagibus octo; Narbonenſi Galliæ univerſæ urbes circiter XXX. tribuit. Miſſum facio Rufum Feſtum, qui in Breviario rerum geſtarum Populi Romani ad Valentem Auguſtum, Galliæ tantùm & Aquitaniæ XIV. Provincias enumerat. Rufi æqualis fuit Ammianus Marcellinus, qui res Romanas ab exortu Nervæ, ubi Tacitus deſierat, ad Valentis Aug. mortem XXXI. libris complexus eſt. Hic non Provincias modò Galliarum & Aquitaniæ, ſed clariſſimas quaſque ſingularum & univerſarum urbes numero XXXVII. commemorat: ſicuti multo pòſt Aimoinus & Hugo, Floriacenſes Monachi ac Hiſtorici, omiſsâ Provinciâ Narbonenſi, Celticæ, Belgicæ, & Aquitaniæ ſplendidarum urbium mentionem fecerunt. Idem ſcriptor de Gallicis Alpibus, de Garumna, de Sequana & Matrona, ſed præcipuè de Rheno & Rhodano Galliæ fluminibus aliqua non contemnenda memoriæ tradidit. Apud Auſonium & Apollinarem Sidonium complura Galliarum loca, claræ urbes & flumina occurrunt. Magnus Paullus Oroſius in libri I. capite II. quatuor Galliæ partibus, Belgicæ, Lugdunenſi, Aquitanicæ, & Narbonenſi Provinciæ ſuos cuique limites, nec quidquam ampliùs paucis aſſignat: ubi & Aſiæ, Europæ, ac Africæ ſitum & terminos breviter perſequitur. Eadem eiſdem verbis in Coſmographia Æthici reperias, cui deſcriptionem urbis Romæ ſe ſubjuncturum pollicetur: ſed uter ab altero ſua acceperit, incertum eſt. De qua Æthici Coſmographia, plurimis mendis ac erroribus ſcatente, Nicolaus Faber, V. Cl. doctiſſimuſque, Ludovici XIII. Chriſtianiſſimi Regis Præceptor, in ſuo libro qui nunc meus eſt, ſua manu ita ſcriptum reliquit. *Hæc ad verbum ferè Æthicus transſcripſit ex Julii Honorii libro, cujus meminit Caſſiodorus de Divinis Lectionibus capite* XXV. *quem habet Petrus Pithœus ſcriptum litteris capitalibus.* Idem Æthicus uti aiunt Sophiſta vel Philoſophus, natus in Iſtria regione Italiæ, Itinerarium Provinciarum Imperii Rom. poſt Conſtantini Maximi tempora compoſuit, quo plurimum uſi ſumus: quod multi *Itinerarium Antonini*; alii vetuſtos codices MSS. ſecuti, in his Simlerus, *Itinerarium Antonii Auguſti* vocant; Frodoardus Preſbyter, in libro I. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis, ante annos ſeptingentos *Æthici Coſmographiam* diſertè appellat; Everardus Comes in teſtamento, quod anno regni Ludovici Aug. XXIV. Chriſti DCCCXXXVII. fecit, *Coſmographiam Ethici Philoſophi* ſimiliter nuncupat. Ut appareat utriuſque operis, videlicet Coſmographiæ & Itinerarii, (ſi tamen duo opera fuerunt) unum eumdemque titulum, unum auctorem exſtitiſſe. Ad Itinerarium Æthici proximè accedit tabula, omnium Imperii Rom. Provinciarum loca, locorumque diſtantiam, necnon claras gentes fluvioſque complexa: quæ propterea quòd Theodoſii A. principatu compoſita eſſe creditur, *Tabula Theodoſiana* appellari conſuevit; plerumque quoniam à Peutingeris reperta & Auguſtæ Vindelicorum publicata eſt, *Tabula Peutingeriana* nuncupatur: Holſtenius à repertoribus nunc *Itinerarium Auguſtanum Peutingerorum*, nunc *Tabulam Itinerariam Peutingerorum* vocat. Plurimum confert ad notitiam civitatum, caſtellorum, manſionum,

ac mutationum montiumque Aquitaniæ, Narbonenſis Galliæ & Viennenſis, Itinerarium terreſtre à Burdigala Hieroſolymam uſque: quod quidam *Itinerarium Burdigalenſe*, alii *Itinerarium Hieroſolymitanum* appellitant. Liber inſcriptus *Notitia dignitatum Imperii Rom.* diviſionem Galliarum in XVII. Provincias, quæ pars à Conſularibus, pars à Præſidibus regebantur, tractum Segolaunorum, tractum Armoricanum & Nervicanum, tractum Argentoratenſem, & numeros, ac civiles militareſque magiſtratus qui Galliæ præerant, continet: præterea varias urbes & caſtella ac loca commemorat, quæ fabricas armorum, quæ theſauros, quæ monetam ſeu officinam monetæ, quæ gynæcia, quæ linifia, quæ baphia, quæ barbaricarios ſeu argentarios haberent; quæ quibus in urbibus ac portubus præſidia militum eſſent poſita; ubi claſſis fluminis Rhodani, claſſes Druentica, Ararica, Sequanica conſtitutæ eſſent. Notitiam Provinciarum ac civitatum Galliæ, circa Honorii Aug. principatum compoſitam, edidit Jacobus Sirmundus, ceteris omnibus vetuſtate præferendam, XVII. Galliæ Provinciis ſuas ſingulis cum Metropoli civitates, ſua caſtra tribuentem: quam pro omnibus ac præ omnibus unam huic Præfationi ſubjiciam. Ei Notitiæ quatuor alias adjunxit Andreas Cheſnius, ſed mendoſiſſimas ac corruptiſſimas, nec apud doctos multum auctoritatis habituras; quatuor item recentiſſimas, CCCC. ac CCC. circiter annorum. Mitto Notitiam Iſidori Mercatoris, quam Simlerus & Scaliger tanti tam immeritò fecere, quoniam nullam aliam meliorem ſincerioremque viderant. Sed hæ Notitiæ civitates tantummodò, quæ olim ferè omnes Epiſcopatûs ſedes fuere, aut etiamnum ſunt, commemorant: quarum exemplo Joſephus Scaliger *Notitiam Galliæ* appellavit libellum, in quo totum Francorum Regnum X. in Parlamenta diviſum, & Archiepiſcopatus ac Epiſcopatus ſingulis ſubjectos nobis proponit. Scaligerum imitatus Maſſonus *Notitiam Epiſcopatuum Franciæ* qualemcumque anno MDCV. publicavit: cujus eſt & *Deſcriptio Franciæ per flumina*, confuſa quidem & erroribus plena, Notitiâ tamen haud paullo tolerabilior. Hi ſunt veteres Hiſtorici ac Geographi, qui de antiqua Gallia, pars ex profeſſo, pars ex occaſione ſcripſerunt: hæc monumenta melioris notæ, ex quibus erui poteſt cognitio Galliæ, qualis fuit ſtante in Occiduis partibus Imperio Romano.

Honorii ac Placidi Valentiniani Principatu Alani, Burgundiones, Gothi, Franci, Britanni, & Alamanni, alii ex Germania, alii ex Italia, Britanni ex inſula Britannia profecti, intravêre Gallias, ac ibi ſedem cepere. Nec multo pòſt everſo Occidentis Imperio, mutata eſt Galliæ facies, & novis Regnis exorientibus, nova Provinciarum nomina primùm audiri cœpta, *Burgundiæ*, *Gothiæ*, ſeu Septimaniæ, *Franciæ* in *Auſtriam Neuſtriamque* diviſæ, *Britanniæ*, *Alamanniæ* Ciſrhenanæ: quæ vocabula etiam poſt ſubacta à Francis Gothorum, Burgundionum, ac Britannorum Regna in uſu eſſe perſeveraverunt. Dominantibus in Gallia Francis, Vaſcones Novempopulanam quam occupaverant, vocavere *Vaſconiam*: Auſtria à Lothario Rege Lotharii Aug. filio *Regnum Lotharii* vel *Lotharingia* appellata: Nortmanni Provinciam Lugdunenſem II, in qua collocati à Noſtris fuerant, *Nortmanniam* nuncu-

pavêre: Eccleſiâ Gallicanâ nihilominùs Romanam diviſionem Galliæ in Provincias XVII. veteremque ordinem Metropoleôn & civitatum ſemper in ſuis Archiepiſcopatibus Epiſcopatibuſque ſervante. Quod Galliæ Provinciis, idem nonnullis pagis opidiſque accidit, ut nova à Francis nomina acciperent. Plurimorum præterea Galliæ locorum vocabula, quæ antiquitas indicta reliquerat, niſi Hiſtoricorum noſtrorum diuturnâ meditatáque lectione reperiri, rectè intelligi, explicaríque non poſſunt. Ad Gregorium igitur, ad Fredegarium, ad Eginhardum, ad Theganum, ad Nithardum, ceteróſque hiſtoriæ Francicæ ſcriptores priſcos ac recentiores nobis decurrendum fuit, ut Galliam quantum in nobis erat illuſtraremus, nec ſolùm nuda nomina, ſed eorum cauſſas interpretationeſque varias aperiremus. Quis enim, niſi notiſſimam habeat noſtram hiſtoriam ſæcularem & Eccleſiaſticam, ſcire poſſit, quæ & quot fuerint prioris Regni Burgundiæ Provinciæ ac civitates, quæ poſterioris; quæ poſtea de utroque Regno factæ ſint Provinciæ, *Ducatus* inprimis *Comitatuſque Burgundiæ*? Quis aliter varias Galliæ diviſiones, varias *Franciæ* & *Neuſtriæ Auſtriæque* diverſis temporibus ſignificationes, nunc latiores, nunc ſtrictiores rectè animadvertat & enarret? *Armoricam* appellavêre Romani Celticæ Provincias Lugdunenſem II. & III, inter Sequanam & Ligerim flumina jacentes: Franci poſtea ſolam Britanniam quæ Lugdunenſis tertiæ pars ſtante adhuc Imperio Rom. erat, eo nomine deſignare maluerunt. Sapaudia Romanis fuit regio Druentiæ Iſaræque adſita: ſub Francis anguſtiores fines habuit. Regnum Lotharii quot ex Provinciis civitatibuſque conſtiterit, utque duos in Ducatus cognomines, inque varios Comitatus diviſum ſit, niſi apud Hiſtoricos noſtros Scriptoreſque Germanos nuſquam reperias. Jam à veteribus auctoribus, ac ſæpe ab uno eodemque ſcriptore una Provincia, locus unus aut fluvius pluribus nominibus; plures Provinciæ, plura loca & flumina uno nomine deſignantur: quæ quis hiſtoriæ auxilio deſtitutus obſervare queat? Tot & tantas mutationes ſtatuum Provinciarum ac locorum, tot & tam varias, aut potiùs tam diverſas diſcrepanteſque nominum ſignificationes & cauſas qui non exactè noverit, hunc planè in rebus noſtris cæcutire neceſſe eſt, & in graviſſimos errores incidere.

Et quoniam ad nomina venimus, operæpretium erit heíc obſervare, varia ac multiformia exſtitiſſe locorum Galliæ vocabula, pro linguarum cujuſque Gentis, quæ in Gallia conſedit regnavítve, varietate. Prima omnium ac veterrima, & in ipſo nata ſolo fuêre, nomina urbium Gallica vel Celtica: qualia ſunt præ ceteris, Lugdunum, Andomatunum, Bibracte, Aleſia, Matiſco, Cabillonum, Rotomagus, Mediolanum, Noviomagus, Condate, Agedincum, Autricum, Genabum, Lutecia, Nivernum, Divodurum, Tullum, Durocortorum, Noviodunum, Camaracum, Turnacum, Samarobriva, Tarvenna, Bononia, Mogontiacum, Argentoratum, Borbetomagus, Aduatuca vel Aduaca, Veſontio, Aventicum, Baſilia, Vindoniſſa, Darantaſia, Axima, Octodurum, Vienna, Geneva, Vaſio, Arauſio, Cabellio, Avenio, Arelatum, Avaricum, Gergovia, Sego-

dunum, Divona, Ratiaſtum, Anderitum, Reveſſio, Burdigala, Aginnum, Ecoliſma, Veſunna, Eluſa, Lactora, Bencarnum, Coſſio, Elloro vel Illuro, Narbo, Toloſa, Beterræ, Nemauſus, Leuteva, Uceecia, Carcaſſo, Elena, Magalona vel Magalo, Vapincus, Segeſtero, Ebrodunum, Dinia, Rigomagus, Sanitium, Glannateva, Cemenelum, Vintium: & ſi qua alia apud Julium Cæſarem de Bello Gallico, quotquot apud veteres Geographos, & in priſcis Itinerariis nomina populorum ac locorum occurrunt: ex quibus vocabulis quædam à fluviis ducta, ut Avaricum ab Avara, Autricum ab Autura, Nivernum à Nivere, Rotomagus à Rodobecco, Samarobriva à Samara vel Sumina, Tervanna à Terna amne. His ſucceſsêre Græca nomina, quæ coloniis ſuis, caſtellis ac inſulis fluviiſque proximis Maſſilienſes è Phocæa impoſuerunt: qualia ſunt Leucata, Agatha, Rhodanus fl., Maſſilia, & Lacydon ejus portus; Citharista promuntorium & locus, Taurentum, Telo, Heraclia Cacabaria, Antipolis, Nicæa, Athenopolis, Olbia, Aëria: tres Stoechades inſulæ à Maſſilienſibus dictæ propter ordinem, videlicèt Prote, Meſe quæ & Pomponiana, & Hypæa: Phœnice, Phila, Lero, & Lerinus. Poſt ſubactas Gallias Romani Colonias quas eò deduxerant, urbes quas ibi refecerant aut ornaverant, caſtelláque & loca quæ condiderant, Latinis nominibus donaverunt. In his ſunt Forum Julii, Octavanorum Colonia, Pacenſis & Claſſica cognominata, amnis Argenteus, Maritima Avaticorum, Campi Lapidei, Forum Domiti, Combuſta, Salſuſæ vel Salſulæ, Portus Veneris, Cervaria, Varus fluvius, Aquæ Sextiæ, Alba Helvorum, Auguſta Tricaſtinorum, Forum Voconi, Forum Neronis, quod Gallis Leuteva, Piſcenæ ſeu Piſcinæ, Lucus, vel Lucus Auguſti, Geminæ, Dea Vocontiorum, Auguſta, Valentia, Colonia Equeſtris, Colonia Agrippinenſis, Auguſta Trevirorum, Convenæ, Conſtantia vel Caſtra Conſtantia, Lugdunenſis II. urbs: ad Rhenum Tabernæ, Vicus Julius, Alta Ripa, & Confluentes: Fanum Martis Belgicæ II. Auguſtobona ſive Auguſtomana Tricaſſium, Aureliani, Celticè Genabum, Auguſta Sueſſionum, Auguſta Veromanduorum, Forum Claudii quod & Darantaſia Celticè dicitur, Auguſta Auſcorum, Auguſta Rauracûm, Auguſta villa in pago Vinemaco, ad Horrea, ad Turrem, Tegulata, Calcaria: ad Martis, Apta Julia, Fines, vel ad Fines, (quo nomine locum in confinio duarum Gentium poſitum Romani ſæpe deſignavêre) ad Publicanos: Stabula, Pontes, Fanum Minervæ, Trajectum, Colonia Trajana, Vetera, Juliacum, Tiberiacum, Caſtellum Menapiorum, Pons Scaldis, Geminiacum, Forum Ligneum, Opidum Novum, Aquæ Convenarum, Aquæ Calidæ, Aquæ Siccæ, Aquæ Tarbellicæ, Aqua Sparſa, Vernus Sol, Exciſum, Caſtra Herculis, Forum Hadriani, Decem Pagi, Pons Saravi, Tabernæ, Pompeiani, portus à Telone XVIII. millibus paſſuum diſtans, Juliobona Caletorum, Figlinæ, Prætorium Agrippinæ, Forum Seguſianorum, ad Silanum, Liviana. Una ex omnibus urbibus Galliæ urbs Cularo Allobrogum à Gratiano Aug. Latinogræcum nomen poſtea accepit, & dicta eſt Gratianopolis: quod Juliopoli, Claudiopoli, Traianopoli,

Hadrianopoli, Plotinopoli, Marcianopoli, Fauſtinopoli, Maximianopoli, & Conſtantinopoli priùs acciderat. Quædam opida & loca Galliarum nominibus Celticolatinis & Latinis appellata ſunt in gratiam Imperatorum Julii Cæſaris & Auguſti: in his Auguſtodunum Æduorum, Cæſarodunum Turonum, Auguſtomagus Silvanectum, Cæſaromagus Bellovacorum, Juliomagus Andicavorum, Juliobona Caletorum, Auguſtonemetum, Auguſtoritum, Auguſtodurum inter Crouciaconnum Venellorum & Arægenum Viducaſſium, & quas Auguſtas ſuprà memoravimus. Certè Divus Julius Cæſar *Italiæ, Galliarumque & Hiſpaniarum potentiſſimas urbes præcipuis operibus exornaviſſe* dicitur à Suetonio Tranquillo: & Auguſtus multas in Galliam & Hiſpaniam Colonias deducendas curavit, πόλεις ἔτι τῇ Γαλατίᾳ καὶ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ συχνὰς ἀπῴκισε: quemadmodum in libro LIV. Dio memoriæ tradidit. Hæc ſub Romanis, qui Gallias per annos ampliùs quingentos obtinuêre. Eorum in locum ſucceſsêre Franci, orti Germaniâ, à quibus non Provinciis modò Gallicanis, uti ſuprà jam diximus, ſed etiam Pagis ſeu Comitatibus, atque adeò variis locis Germanica nomina impoſita. Pagorum priſca vocabula Teutonica ſunt exempli causâ *Auſterbantum*, quod nunc Oſtrovandia dicitur, *Bracbantum*, quod nunc Brabantia; *Teſtrebantum*; *Hainoum* ſive *Hainau*, corruptè *nunc* Hannonia; *Maſau* vel *Maſeland*, aliàs *Comitatus Maſagobbi* aut *Maſagouvi*, id eſt Moſanus pagus; *Bedagouva*, Paguſve Bedenſis; *Sperohgouwi* ager Spirenſis; *Wormazfelda* territorium Vormacienſe; *Eliſchouve*; *Nitachouva* vel Nitenſis Pagus; *Sarachouva* Pagus Saravenſis; *Bleſitchovua* Bleſenſis Pagus; *Albechouva* Albenſiſve Pagus: (qui IV. Pagi à IV. fluviis cognomen acceperunt, videlicèt à Nita, à Saravo vel Sara, à Bleſa, & Alba) Comitatus *Hamarlant* vel *Hammolant*; Pagus *Waſtinenſis*. Ubi obſervo hoſce Pagos, qui Germanica nomina ante annos ampliùs octingentos ferunt, omnes, uno excepto Waſtinenſi, in Auſtria vel in Regno Lotharii fuiſſe. Cujus rei cauſſa hæc eſt, quòd Auſtraſii ſive Franci Ortivi, Lotharienſeſve propter vicinitatem magnæ Germaniæ ex quâ orti profectique erant, ſemper linguam patriam ſtudioſè ſervârunt, quâ etiamnum plerique utuntur: cùm Neuſtraſii Francive Occidentales, qui à finibus Germaniæ aberant longiùs, mediáque in Gallia ſedem habebant, linguæ Romanæ (ita linguam Gallicam vocabant) paullatim aſſueverint. Locorum aliquot in Gallia à Francis conditorum aut reparatorum priſca nomina Germanica ſunt hæc. *Laubacum* vel *Laubiæ*, *Orbacum*, *Orbeccus*, *Morbach*, *Raſbacis* aut *Reſbacis*; *Fara*, *Hammus*, quorum amborum nominum in Galliis multa ſunt loca: *Hariſtallium* vel *Heriſtelli* ad Moſam non longè ab urbe Leodico, cui alterum cognomine in Saxoniæ finibus ad ripam Viſurgis anno DCCXCVII. Carolus Magnus exſtruxit, appellavitque *Hariſtal*, id eſt, locum caſtrorum vel exercitûs: *Strateburgus*, *Strazeburg* aliàs aut *Strazburch*, quod opidum Argentoratum veteres Galli appellaverant: *Homburc*, *Erenſtein*; *Heribodesheim*, *Eboresheim*, *Ingelheim* vel *Ingelenhaim*, villa publica, *Piſcofesheim* Epiſcopi villa, nunc *Biſchofsheim* dicta ab *Hammo* ſeu *Ham* qui Germanis hodiéque vicus eſt: *Hoenchirche*, *Auguſtchirche*,

guſtchirche, item *Dunkerca*, *Duynkercke*, à *Kerca* vel *Kyrica*, id eſt *Chirche* vel *Kercke*, quæ vox Κυριακὸν, Dominicum, vel Eccleſiam Germanicè etiamnum ſignificat. Walafridus Strabo Abbas Augienſis, Imperatoris Ludovici Pii æqualis, homo Germanus, in capite VII. libri de rebus Eccleſiaſticis ſic ſcribit. *Ab ipſis Græcis Kyrch à* Κύριος, *& Papſt à Papa, quod Clericalis paternitatis nomen eſt, & multa alia accepimus.* (De ſe, & de popularibus ſuis Germanis quos *Teotiſcos* vocat, loquitur) *Sicut itaque domus Dei Baſilica, id eſt Regia à Rege; ſic etiam Kyrica, id eſt Dominica à Domino nuncupatur, quia Domino dominantium & Regi Regum in illa ſervitur.*

Quantum ad *Pagos* attinet, quos vulgò Noſtri *Pays* appellitant: omitti non debet, ut Thracia & Armenia major in Strategias, Judæa in Toparchias, Ægyptus in Præfecturas opidorum vel Nomos dividebatur; ita Germaniam & Galliam olim in *Pagos* fuiſſe diviſas. *Suevos* Germanam Gentem *centum Pagos habuiſſe*, Julius Cæſar in libro IV. Commentariorum memoriæ prodit, (quorum nobiliſſimos *Semnones centum Pagis habitantes* Tacitus vocat) & in libro VI. *Principes Regionum*, *Pagorumque* apud Germanos commemorat. Plinius ſcribit, portionem Scandinaviæ ab Hillevionum Gente *quingentis incoli Pagis*. Tacitus de moribus Germanorum aſſerit, *in Conciliis eligi & Principes, qui jura per pagos vicoſque reddant.* Sulpicius Alexander in libro hiſtoriæ IV. tradit, Arbogaſtem in Francia *Bructeros ripæ proximos, pagum etiam quem Chamavi incolunt, depopulatum eſſe.* Auctor eſt quoque Gregorius in libro II., *Francos juxta pagos vel civitates Reges Crinitos ſuper ſe creaviſſe de prima & nobiliori ſuorum familia.* Apud veteres Hiſtoricos noſtros qui res geſtas Pippini Regis, Caroli Magni & Ludovici Pii Imperatorum ſcripsēre, de variis Francorum, Alamannorum, Saxonum, Toringorum, Haſſorum ſive Chattorum, ceterarumque Germaniæ Gentium pagis crebra fit mentio. De Gallia res clarior eſt, quàm ut indicari egeat. Julius Cæſar *omnem civitatem Helvetiam in* IV. *pagos diviſam eſſe* prodit: Livius in libro V. *Inſubres Æduorum pagum*; Plinius in libro III. *Vertacomicoros Vocontiorum hodiéque pagum* commemorat; Tacitus *Sequanorum pagos Æduis contermınos ſocioſque in armis*, necnon *Gugernorum pagos*. Samſon Geographus Regius rectè quidem populos Galliarum in majores ac minores dividit, & apud Plutarchum populos Galliæ Comatæ CCC, apud Joſepum CCCXV. apud Appianum Alexandrinum CCCC. pro utriſque in unum conjunctis vult accipi: ac majorum Gentium populorumve *civitates*, minorum *pagos* à Cæſare & à veteribus ſcriptoribus Romanis dici conſueviſſe, ſingulaſque *civitates* in plures *pagos* diviſas fuiſſe credit. Sed quod addit, veluti Cæſarem ſequens, apud priſcos iſtos auctores, *pagum* à *civitate* differre atque diſtingui, tamquam primariam & majorem partem à toto: haud ſemper & uſquequaque verum eſt. Nam quis non videt *Gabalicum pagum* apud Plinium in libri XI. capite XLII. idem eſſe quod civitatem Gabalorum, agrum fineſve Gabalorum? *pagum* item *Geſoriacum* in libri IV. capite XVII. idem eſſe quod civitatem Bononienſium, hoc eſt dimidiam partem agri Morinorum? quæ Gens duo capita habebat, Taruennam, & Geſoriacum ſive Bononiam.

Ut ad noſtros Hiſtoricos veteres veniam, qui ſcriptores Romanos in *pagorum* deſignatione ſecuti ſunt: quis jure neget *pagum Sueſſionicum* apud Gregorium, & *pagum Remenſem*, eſſe Sueſſionum civitatem, civitatem Remorum? *pagum Petrocorecum*, *pagum Toloſanum*, *pagum Caturcinum*, *pagum Agennenſem*, *pagum Santonicum* apud Fredegarium, eſſe civitatem Petrocoriorum, civitatem Toloſatium, civitatem Cadurcorum, civitatem Nitiobrigum vel Aginnenſium, civitatem Santonum? Quis *pagum Pariſiacum* in Geſtis Francorum, jure neget eſſe civitatem Pariſiorum? *Pagum Bitorinum*, & *pagum Trecaſſinum*, *Tricaſſinum ſolum*, id eſt agrum, Eumenio in laudatione Conſtantii Cæſaris dictum, eſſe civitatem Biturigum, civitatem Tricaſſium? Nimirum alii erant *pagi* majores, à Gentibus ſeu populis cognominati, quales ſunt XII. quos ſuprà commemoravimus: alii minores majoribus ſubjecti atque contributi: quales ſunt ſub pago Pictavo pagi Lauſdunenſis, Toarcenſis, Ratiatenſis vel Ratenſis, Arbatilicus; ſub pago Bellovaco pagus Cameliacenſis vel Camliacenſis, & Braium; ſub pago Ambiano pagus Vitmau aut Vinemacus, Pagúſque Pontivus; ſub pago Sueſſionico pagi Roſſontenſis & Tardanenſis; ſub pago Remenſi pagi Dolomenſis aut Dulcomenſis, Vongenſis, Caſtricenſis, Stadinenſis, Portianus, & Moſomagenſis; ſub pago Laudunenſi pagus Teoracenſis; ſub aliis alii, quorum in Notitia noſtra meminimus. Majores igitur *pagi* à *civitatibus* nequaquam differunt; minores differunt. Majores pagi totas civitates, vel totos Gentium à quibus cognominantur fines, totum agrum deſignant; minores pagi partem aliquam ſuæ quiſque civitatis, portionemve agri ſingularum Gentium continent atque ſignificant. Inter majores tamen pagos excipiendi ſunt pagi earum Gentium, quæ plura habent capita: quales ſunt exempli cauſsâ Senones atque Carnutes. Nam ſcriptoribus Romanis *pagus Carnutinus* erat totus ager Carnutum, pagos Autricenſem, Aurelianenſem, Dunenſem, Durocaſſinum, Matricenſem, Pinciacenſem, Vindocinenſem, Bleſenſem, Belſam & Secalauniam continens: *pagus Senonicus* eiſdem erat totus ager, vel tota civitas Senonum, pagos Agedincenſem, Waſtinenſem, Melodunenſem, Pruvinenſem, Stampenſem, Briegenſem ex parte, & pagum diœceſinve Autiſſiodorenſem latè complectens. At contrà noſtri Hiſtorici appellatione *pagi Senonici* tantummodò agrum ſuburbanum Agedinco Senonum ſubjectum atque circumfuſum; nomine *pagi Carnoteni* ſimiliter agrum circa urbem Carnutas jacentem deſignare maluerunt. Gregorius Turonicus Epiſcopus non *pagum* modò, ſed etiam *terminum*, hoc eſt fines, *territorium*, *regionem*, *diœceſin*, *rus* quoque, id eſt agrum, pro una eademque re uſurpat; Eumenius *ſolum* eadem ratione vocat, *Ambianum & Bellovacum*, & *Tricaſſinum ſolum* ac *Lingonicum* memorans: quædam veteres tabulæ *parœciam* nuncupant, ut ſuprà Gregorius *diœceſin*. Plerique è Noſtris & *Comitatum* pro *pago* dixêre. Unde natum exiſtimo vulgare vocabulum *la Contrée* pro *la Comté*, de regione vel *pago*: quoniam apud Francos ſuus cuique *pago* plerumque *Comes* eſſe conſueverat; (ut in noſtra Notitia obſervavimus) nonnumquam & plures. Quippe *in Haſbanio Comi-*

tatus iv. ponit Diviſio Regni Lotharii, in *Bracbanto* totidem, in *Vabrenſi* vel *Vavrenſe Comitatus* ii. Poëta Saxo in libro i. Rerum Caroli Magni, idem de popularibus ſuis affirmat.

Sed variis diviſa modis plebs omnis habebat
Quot Pagos, tot pene Duces.

Annales Bertiniani anno dcccxxxix. diviſionem Galliæ ac Germaniæ ab Imperatore Ludovico Pio factam referunt, in qua *Comitatus* vocantur, qui ceteris *pagi*: inprimis *Comitatus Valliſiorum*, id eſt pagus Vallenſis, *Comitatus Vualdenſis, Comitatus Scudingius,* qui Fredegario *pagus Scutingorum*, *Comitatus Genavenſis*, *Comitatus Lugdunenſis*, *Comitatus Cavallonenſis*, id eſt Cabillonenſis, *Comitatus Lingonicus*, *Comitatus Tullenſium.* Venit in meas manus vetus Chartularium Bellilocenſis Monaſterii, in Lemovicibus ad Duranium poſiti, ubi ſæpe reperi hæc verba: *In Comitatu Lemovicino, in Vicaria Exaudonenſe*; item *in Comitatu Lemovicino, in villa Exaudonenſe*; qui *pagus Lemovicinus*, & *Paræcia* vel *Parochia Lemovicenſis* in aliis ejuſdem Chartularii tabulis nuncupatur: ſimiliter *in Comitatu Caturcino, in Vicaria Caſiliacenſe*; qui ibidem *pagus Caturcinus* vocatur. In eodem tabulario pagum Lemovicinum *orbem Lemovicinum*; pagum item Cadurcinum *orbem Caturcinum* magnifico nomine appellari animadverto. *Rodulfus Bituricenſis Eccleſiæ primæ Sedis Epiſcopus cedo ad Monaſterium quod Bellus Locus dicitur, in orbe Caturcino, in Vicaria Caſiliacenſe, in villa Aniciaco (Ainac) manſum &c.* In litteris vel teſtamento Ermenrici, *cum ipſo caſtro quod vocatur Caſtellucius, in orbe Lemovicino, in Vicaria Barrenſe.* In litteris Agamberti, *in orbe Lemovicino, in Vicaria Aſnacenſe, in loco Montemediano. (Miegemont.)* In litteris datis *anno* vi. *regnante Oddone Rege, in Vicaria Aſnacenſe, in villa quæ dicitur Floriacus, (Floyrac) in orbe Lemovicino.* In litteris Aicardi, *Cedo manſos meos qui ſunt in orbe Lemovicino, in Vicaria Urcenſe.* In litteris Frotharii, *in orbe Lemovicino, in Vicaria Uſercenſe, in villa S. Maxentii.* In litteris datis poſt mortem Carolomanni Regis anno i. *in orbe Lemovicino, in Vicaria Barrenſe, manſos duos cum caſtro Caſtelucio.* Gregorius noſter ſæpe omiſſis vel ſubauditis *pagi, & territorii, terminive* nominibus, *Bituricum, Pictavum, Andecauum, Aruernum, Lemovicinum, Cadurcinum, Turonicum, Sueſſionicum* appellat: ſicuti nos hodiéque abſolutè dicimus *le Berri, le Poitou, l'Aniou, l'Auvergne, le Limoſin, le Querci, la Touraine, le Soiſſonnois.* Ut Gregorius Severum Sulpicium, ſic Gregorium plerique è ſcriptoribus noſtris cùm veteribus, tum recentioribus, inprimis Carolus Calvus ſuis in Capitulis imitantur. Ceterùm *Provinciæ* quidem in *pagos*, *pagi* verò in *Vicarias* vel *Centenas* dividebantur: *Vicariæ* dividebantur in *villas*, ſive multis ex villis viciſve conſtabant. A *Vicaria Vicarius*, qui minor ac velut pedaneus Judex erat; à *Centena Centenarius* dicebatur. Id docent Chartularii Bellilocenſis tabulæ ſuprà laudatæ, in quibus *orbi* ſeu *pago* Lemovicino *Vicaria*, *Vicariæ villa* ſubjicitur: quemadmodum in Chartulario MS. Ecoliſmenſis Monaſterii S. Eparchii fieri video, ubi paſſim res eſſe dicuntur, *in pago Egoliſmenſi, in Vicaria N. in villa N.* item *in pago Petracorico, in Vicaria A. in villa A.* item *in pago Petricorico, in Centena Berciacinſe, in villa N.* Ex quibus intel-

ligitur, *Vicariam* & *Centenam*, unam eamdemque rem eſſe. Id indicant & quædam litteræ Chartularii Bellilocenſis, quæ ita deſinunt: *Hac omnia quæ ſunt in pago Lemovicino, & Caturcino, & Centenis Vertedenſe & Exidenſe*: quarum altera *Vicaria Vertedenſis* ibidem nuncupatur hiſce verbis. *Aicardus de Mercoria, miſſus Unaldi in pago Lemovicino, in Vicaria Vertedenſe, in villa Mercoria, (Mercqs) manibus tradidit ipſam villam vel Eccleſiam S. Martini Gairulfo Abbati vel ad ipſos Monachos per chordam ſigni & per oſtium domûs, in menſe Octobrio, anno* III. *Caroli Imper. Vicaria* hodiéque appellatio durat in Aquitania, in Septimania, ac in Provincia, quam *Viguerie* appellitant incolæ; *Vicarium* autem *Viguier*. Eccleſia veterem ordinem diviſionemve etiamnum ſervat in Gallia. Nam Diœceſes quidem civitatibus vel *majoribus pagis*, Archidiaconatus *minoribus pagis*, Decanatus rurales aut Archipreſbyteratus *Vicariis* Centeniſve reſpondent. Ex *pagis* alii à Gentibus populiſve Galliæ clarioribus ac majoribus cognominati, quales *Senonicus*, *Carnutinus*, *Turonicus*, *Cadurcinus*, *Lemovicinus*, *Lingonicus*, *Baiocaſſinus*, *Redonicus*, *Namneticus*, *Veneticus*, aliique circiter XL: alii à ſuo quiſque capite dicti; majores à claris urbibus, ut *Aurelianenſis pagus*, *Rotomagenſis*, vel *Rotmenſis*, *Lugdunenſis*, *Toloſanus*, *Auguſtodunenſis*, *Matiſconenſis*, *Nivernenſis*, *Viennenſis*, *Camaracenſis*, *Aginnenſis*, *Ecoliſmenſis*: minores à minoribus opidis, vel à caſtellis, ut *Portianus Pagus*, *Curtricenſis* ſeu *Cortoriacenſis*, *Bleſenſis*, *Vindocinenſis*, *Stampenſis*, *Durocaſſinus* ſeu *Durcaſinus*, *Dunenſis*, *Melidunenſis*, *Provinenſis*, *Divionenſis*. Minimi demum *Pagi* dicti ſunt ab exiguis & obſcuris locis, ſicuti *Vongenſis*, *Pertenſis*, *Virtudenſis*, *Oximenſis*, *Corbonenſis*, *Caſtrenſis* qui pago Pariſiaco contribuitur, *Camliacenſis* qui Bellovaco, *Duſmenſis*, *Avalenſis* ſeu *Aballonenſis*, *Alſenſis* ſive *Aleſienſis*: *Pagi Barrenſes* tres, I. à Barro ad Sequanam cognominatus; alter à Barro ad Albam, *Barrois* hodiéque dictus, in quo Arcus Barrenſis, *Arc en Barrois*; tertius & noviſſimus à Barro Ducis vocatus, *le Barrois*. *Waſtinenſem pagum* à ſilvis & locis ſcrupeis ac incultis Franci vocavêre. Quidam *pagi* à fluviis nomen habent, ut *Oſcarenſis pagus* à flumine Oſcara, *Bleſenſis* à Bleſa, *pagus Moſanus*; *pagus Moſellenſis* vel *Moſellanus*, *Moſellis* dictus in Diviſione Regni Imper. Ludovici Pii inter tres filios; *Haſbania* vel *pagus Haſbanienſis* ab amne Haſba, *pagus Nitenſis* à Nita, *Hainau* vel *Hainoum* ab Haina fluvio, *pagus Sambrenſis* aut *Sambrinus* à Sambra vel Sabi flumine, *la Sambree* Noſtris nuncupatus, *pagus Leticus* à Letia. (*la Lis*) Saltus ac ſilvæ multis pagis & cognomen dedére, ſicuti Arduenna *pago Arduennenſi*, quem Noſtri nunc *Comitatum Arduennenſium*, nunc *Arduennam* vocant, Algia, Teoracia *pago Teoracenſi*, Fania, ſaltus Briegius *pago Briegio* vel *Briegenſi*, ſaltus Brexius Brexiæ, Perticus, Voſagus, Carbonariaſilua pago quem Nithardus non ſemel *Carbonarias* appellat; nunc incolæ ex parte *Hagelandiam*, id eſt ſilveſtrem regionem nuncupant. Et de *pagis* hactenus: de alia *pagi* ſignificatione infrà agemus.

Veteribus Galliæ Gentibus populiſve non alii certiores termini ſtatui poſſunt, quàm ſua cuique diœceſis, aut ſi plures unâ ſunt, ſuæ ſingulis diœceſes. Nam Eccleſia Gallicana priſcum ordinem à Romanis acceptum

ſemper ſervavit, quem hodiéque maxima ex parte tenet. At Ducatus Comitatuſque juſſu Regum noſtrorum, quorum ex voluntate pendent, nunc prolatantur, nunc anguſtiores fiunt atque breviores. *Comitatus Atrebatenſis*, exempli cauſsâ, *diœceſi Atrebaticæ* non uſquequaque reſpondet. *Ducatus Biturigum* differt à *pago Biturico* diœceſive Bituricâ. *Aruernia* Ducatûs ac Comitatûs ſimul titulis gaudens, quamquam eſt magna, minor eſt tamen *Aruernâ diœceſi*, ſeu *civitate Aruernorum*, ut Julii Cæſaris verbis utar; propterea quòd pagus Ducatúſque Burbonenſis cum aliis tum Biturigibus & Aruernis multa detraxit: quæ licèt ambarum Gentium appellatione pridem depoſitâ, ſub nomine Ducatus Burbonenſis lateant, diœceſi tamen pars Bituricæ pars Arvernæ etiamnum attribuuntur: ut appareat ea partim Biturigum Cuborum, partim Aruernorum finibus contineri. Quare dedi operam, ut ſingula ſuæ diœceſi, quantum fieri potuit, aſſererem: quòd ex notitia diœceſeos ſingulorum locorum, cujuſque Gentis finium cognitio dependet, & cognitis multis locis alicujus diœceſeos, ac in unum collatis, ſtatim intelligitur quanta ſit ea diœceſis, ſive quàm latè pateant fines ejus Gentis, ad quam diœceſis pertinet, ſi modò una Genti eſt. Ædui quatuor diœceſes veteres habent, Auguſtodunenſem, Cabillonenſem, Matiſconenſem, & Nivernenſem. Qui ſingularum iſtarum diœceſeon clara opida, caſtellaque ac vicos celebriores noverit, locorumque ſitum; eàdem operâ notos habebit Æduorum fines. Cui ſimili ratione notæ erunt duæ parœciæ, Lemovicina vetus, & Tutelenſis nova: eâdem operâ notus erit & *Lemovicinus pagus*, ſive regio Lemovicum. Ita de ceteris judicandum. Hæc mihi qui tabulas facere non decrevi, hæc etiam legentibus & eruditis (ut ſpero) diligentia ſufficiet. Equidem ſæpe miratus ſum, Philippum Cluverium doctum gravemque Geographum priſcis Gentibus Germaniæ, vagis & ſedes mutare ſolitis, ſuum ſingulis agrum, ſua flumina, montes ſuos ac ſilvas confidenter attribuiſſe, ut pluſquàm Livius & Tacitus ſcire videretur: tamquam ipſe Principatu Auguſti Cæſaris natus eſſet eximius agrimenſor, qui totam quàm longa eſt Germaniam & ſingulorum ac univerſorum ejus populorum ſitus ſuâ decempedâ metaretur.

Ut à Provinciis Pagíſque Galliarum ad urbes veniam, *urbem* atque *opidum* unam rem eſſe conſtat: tametſi quidam *urbem* majus aliquid *opido* eſſe ârbitrantur. Julius Cæſar in libro VII. nunc *Avaricum opidum maximum in finibus Biturigum*, nunc *pulcherrimam propè totius Galliæ urbem* appellat: item *opidum Biturigum Noviodunum*, ac mox *urbem* cum ceteris vocat, quum XX. *urbes Biturigum incenſas* ait. Idem *Veſontionem opidum maximum Sequanorum* eſſe ſcribit, quæ modò *urbs*, modò *opidum* Jonæ præ ceteris dicitur: *Luteciam* quoque *opidum Pariſiorum* nuncupat, quæ, uti Veſontio, caput Gentis erat, & *urbs Pariſiaca* ac *Pariſienſis civitas* Gregorio appellatur. Ita & Cicero libro IV. in Verrem Syracuſas ſæpiſſime *urbem*, ſemel tamen *opidum* vocat: ita & Tacitus *Divodurum Mediomatricorum opidum* nuncupat, caput utique nobilis Gentis, quod *Mettenſem urbem* Gregorius noſter

& Fortunatus nominant. Mella & Plinius nomine *urbis* & *opidi* promiſcuè utuntur. *Civitatis* appellatione veteres ſcriptores Romani totum agrum vel totos fines alicujus Gentis, necnon urbem quæ caput Gentis erat, deſignavère. *Civitas Æduorum* apud Cæſarem ſunt omnes Ædui, *civitas Helvetia* ſunt omnes Helvetii, *civitas Biturigum* ſunt omnes Bituriges Cubi, *Armoricæ civitates* ſunt omnes Armorici. Apud Ciceronem *Fœderatæ civitates Mamertina* & *Taurominitana*, ſunt Meſſanenſes & Taurominitani; *civitates Liberæ*, *Centuripina*, *Segeſtana*, *Panormitana*, ſunt Centuripini, Segeſtani, Panormitani, cum ſuis quiſque finibus; *Gaditana civitas* ſunt Gaditani. Apud Plinium ſimiliter *Vocontiorum civitas Fœderata* ſunt Vocontii; *Vendiatiorum civitas* ſunt Vendiatii aut Veſdiantii; *Autrigonum* x. *civitates* ſunt Autrigonum x. populi; *Bracarum* XXIV. *civitates* ſunt Bracarum XXIV. populi; *Cottianæ civitates* XII. ſunt Alpium Cotiarum XII. populi. Sed & iidem ſcriptores nihilominùs non raro pro *urbe*, vel *opido civitatem* dixerunt. Cicero in Philippica IX. *Maſſiliam* modò *urbem*, modò *civitatem fideliſſimam* ſæpiùs vocavit: quam & Valerius Maximus in libri II. capite I. nùnc *civitatem Maſſilienſium*, nunc *opidum Maſſilienſium*, nunc *urbem*, & abſolutè *civitatem* nuncupat, & quam modò *urbem* & *opidum*, modò *civitatem* in libro I. & II. de bello Civili appellari reperio. Apud Plinium Secundum in Thracia *Topiris civitas* urbs Topiris eſt; *Abdera civitas* opidum Abdera. Idemque in libri XXXIV. capite VII. quum Zenodorum ſtatuarium *per annos* x. *Mercurium feciſſe pedum* CCCC. *in civitate Galliæ Arvernis, & poſtquàm ſatis ibi artem approbaverat, eum Romam accitum eſſe à Nerone* ſcribit; claram Galliæ urbem capútque claræ Gentis Auguſtonemetum deſignat, quæ urbs etiam nomine Gentis jamtum *Arverni* cœperat appellari. *L. Antonium ſororis nepotem ſepoſuit Auguſtus in Civitatem Maſſilienſem, ubi ſpecie ſtudiorum nomen exſilii tegeretur*: ut Tacitus in libro III. tradit. Quo *civitatis Maſſilienſis* nomine urbem Maſſiliam deſignari nemo non videt: quam Annæus Florus Trajani Principis æqualis, in libri IV. capite II. *Græculam civitatem* vocat; ſicuti in libri III. capite X. *Gergoviam Arvernorum maximam civitatem*, in libri I. capite XVIII. *Tarentum ſemigræcam civitatem*; Sextus Julius Frontinus Uxellodunum opidum Cadurcorum *Cadurcorum civitatem*. Ex quibus apparet graviter erraſſe Samſonem Geographum Regium, qui nonniſi inclinato jam Imperio Romano *civitatis* appellatione *urbem* deſignari cœpiſſe affirmarit. Hodiéque cum in pluribus Galliæ regionibus, tum maximè in Burgundia, urbem non quamlibet, ſed Epiſcopalem modò ſeu caput Gentis vulgò Civitatem Noſtri appellitant. (*Cité*) Et in quibuſcumque Galliarum urbibus plures partes ſunt ſive regiones, de quibus una propriè dicitur Civitas, (*la Cité*) qualis eſt Lutecia in Civitatem, Univerſitatem, Urbémque diviſa: ubicumque *Civitas* eſt, ſine dubitatione affirmare licet, ibi majorem Eccleſiam, ibi veram Epiſcopatûs ſedem, eam denique unam & ſolam veterem urbem eſſe, cui poſtea ceteræ partes accreverint. Apud Ptolemæum urbes in tres ordines dividuntur. Primum locum dignitatis obtinent claræ urbes vel

inſignes, ἐπίσημοι: quales nunc in Regno Francorum Lutecia, Rotomagus, Lugdunum, Burdigala, & Toloſa. Secundi ordinis ſunt ſecundæ urbes, δεύτεραι πόλεις: quales Ambiani, Bellovaci, Turoni, Pictavi, Tricaſſæ, aliæque ſimiles. Tertium locum tenent τρίται πόλεις, tertiæ urbes: quales cenſeri poſſunt ac debent Vindocinum, Stampæ, Durocaſſæ, Conſtantia, Abrincatæ.

Inter urbes Galliæ eminebant Coloniæ, de quibus pauca præfari convenit. Græci olim ac ceteri populi, ſi quando colonias conderent, Diis patriis templa moliri, opera publica ac præcipua ibi loca earum urbium ex quibus orti eſſent, quantum fieri poterat ſtructurâ exprimere, patriiſque nominibus unà cum fluviis & montibus appellare conſueverant; nonnumquam etiam novam urbem veteris urbis & matris ſuæ appellatione honorare, ne patriæ deſiderio tenerentur, cujus inſtar cotidie ſuis oculis ſubjectum videbant. Erant igitur pleræque coloniæ matrum ſuarum ſive metropoleon quædam imagines, magnâ arte, mirâ ſimilitudine expreſſæ, ac velut exemplaria in artum contracta. Hinc apud Virgilium Maronem Helenus Tros in Epiro *Pergama Iliacamque arcem ad undam falſi Simoëntis* dicitur condidiſſe: de qua nova Troja verba Æneæ ſunt hæc in libro III.

Parvam Troiam, ſimilataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnoſco, Scææque amplector limina portæ.

Item ad Helenum & Andromachen hæc.

Effigiem Xanthi, Troiaque videtis;
Quam veſtræ fecêre manus.

Idem Æneas qui in inſula Creta adverſantibus fatis muros urbis molitus antè erat, *Pergameámque vocaverat*, iterum in inſula Sicilia alteram, ſuis navigationem detrectantibus, Aceſtam videlicet

urbem deſignat aratro,
Sortitúrque domos: hoc Ilium & hæc loca Trojæ
Eſſe jubet: gaudet Regno Troianus Aceſtes.

Ejus moris tenaces fuêre, ne de ceteris loquar, Romani: & ſi quas in colonias deducti erant, ſuam apud ſe Romam, quantum licebat, habere concupiſcebant. Romæ erat Palatium, domicilium Imperatorum, dictum à Palatio ſeu monte Palatino in quo ſitum erat; erant Amphitheatra duo, Theatra III. vel IV.; erat Capitolium in rupe Tarpeia vel monte Capitolino, excelſiſſimum templum & magnificentiſſimum, Jovi, Junoni ac Minervæ dicatum, quò multis gradibus adſcendebatur. Ibi Pantheum Jovis Ultoris, ibi Campus Martius erat: ibi præter ceteros Circus Maximus, à Cæſare Dictatore exſtructus, longitudine ſtadiorum trium, latitudine unius, à quo regio Urbis XI. cognominata: ibi Thermæ publicæ complures & balnea, Moneta, atque horrea. Eâdem ratione Narbo Martius, colonia civium Romanorum, Theatrum, Capitolium, Thermas, Monetam, locum in quo moneta percutiebatur, horrea, arcus, porticúſque habuit. Eadem ratione Colonia Agrippina Ubiorum Capitolium; colonia Arelate Circum, Amphitheatrum, Palatium, officinam monetæ quæ Mo-

neta dicebatur; Colonia Auguſta Trevirorum Circum Maximum, *æmulum Romano* ab Eumenio nuncupatum, Amphitheatrum, Capitolium ad ripam Moſellæ ſitum, horrea publica, Baſilicas, Monetam, *Campum Martium*, Cellâ S. Hilarii, & Eccleſiâ S. Johannis Evangeliſtæ celebrem habuit. Fuêre Treviris & duo Palatia, unum *Palatium Vetus* in ſuburbio ſitum; alterum *Horreum*, vel *Palatium Dagoberti*, ſeu novum, utrumque Monaſterio Sacrarum Virginum clarum. Colonia Nemauſus Amphitheatro ſuo, & Baſilicâ Plotinæ, necnon aquæ ductu ſuo commendabatur; Colonia Lugdunum Amphitheatro, Theatro, Foro Vetere, quod alii *Forum Veneris* vocant, Monetâ, Palatio, aliiſque operibus & ornamentis, quæ ſingula ſingulas urbes illuſtrare potuiſſent. Colonia Vienna habuit præter cetera Amphitheatrum, Palatium intramuranum, montem *Quirinalem* Romano cognominem; Toloſa Colonia Amphitheatrum, Palatium, & *Capitolium* altiſſimum, Jovi, Junoni ac Minervæ ſacrum. Nec Coloniis modò, ſed etiam claris Galliarum urbibus ac capitibus Gentium, qualia Romæ, ſua opera fuerunt. Paucis enim Amphitheatrum defuit: raræ Palatio caruerunt, ut in Diſceptatione de Baſilicis, & in Notitia noſtra obſervavimus. Amphitheatrum habuêre Lemovicæ, Burdigala Palatium Gallieni dictum, Pictavi, Santoni unà cum Capitolio, Petrocori, Remi, Auguſta Sueſſionum, Meldi: quod opus alii *Arenas*, alii *Caveam* appellant. Habuit Veſontio Amphitheatrum, Pantheon, Campum Martium, Campum Minervæ, ſi Marliano creditur. Lutecia ipſa, quæ dominantibus in Gallia Romanis parva urbs erat, in exigua inſula fluminis Sequanæ poſita, *Palatium* habuit Thermis illuſtre: cujus venerandas reliquias *Palatium Thermarum*, & *domum Thermarum Cæſaris* Noſtri nuncupavêre. Habuit & *Amphitheatrum*: quod me docet Chartularium mS. Eccleſiæ Pariſiacæ in anno MCCCX. deſinens, ac ita incipiens: *Hæ ſunt rubricæ litterarum & privilegiorum Papalium & Regalium, pertinentium ad Epiſcopatum Pariſienſem.* Ibi in litteris duorum Officialium Curiarum Archidiaconorum Pariſienſium, datis anno MCCXXCIV. quæ inſcribuntur *Charta ſuper admortiſatione terræ feodalis de Roſeriis, quam tenent Scholares de Sorbona*: ibi inquam diſertè memorantur *tria quarteria vineæ, ſita in loco qui dicitur Les Areinnes ante S. Victorem.* Ex quo intelligitur, florente Imperio Romano Amphitheatrum Luteciæ procul ab Inſula, procul à muris Civitatis ex more fuiſſe, adverſum loco in quo multo pòſt condita eſt Baſilica S. Victoris Mart.: & cùm vineta in locum Amphitheatri pridem diruti ſucceſſiſſent, tamen nihilominùs *Arenarum* appellationem ibi ante annos quadringentos, certiſſimum rei argumentum adhuc duraviſſe. Fuit quoque Luteciæ Pariſiorum Circus, ſicuti Auguſtæ Sueſſionum: quos ambos Circos refeciſſe mihi videtur Rex Francorum Chilpericus, Chlodovei Magni nepos, non (ut ait Gregorius) ædificaſſe.

Et ut à Romanis ad Francica tempora deſcendam, fuit Pariſiis, eſtque etiamnum domus, vulgò dicta Furnus Epiſcopi, *le Four l'Eveſque*, in vico S. Germani Autiſſiodorenſis ad flumen Sequanam poſita. In ſupra laudato libro Privilegiorum ad Epiſcopatum Pariſienſem pertinentium,

pertinentium, legi litteras anno MCCLVI. datas, quarum inſcriptio talis eſt: *Littera ſuper X. ſolidis capitalibus, accipiendis ſuper quadam platea in vico S. Germani verſus Secanam.* Ibi memorari invenio *quamdam plateam, quam dominus Epiſcopus habebat abſque ædificio, in cenſiva atque in dominio ſuo ſitam Pariſius, contiguam domui domini Epiſcopi, quæ dicitur domus Furni Epiſcopi, ex una parte &c.* Ibidem aliæ litteræ datæ anno MCCXXXVIII. hujuſce *Furni Epiſcopi* mentionem faciunt his verbis. *V. ſolidos ſuper quamdam domum, ſitam verſus Furnum Epiſcopi.* Locus à re habebat nomen. In eo enim Furno homines Epiſcopi panes coquere, & pro coctione pecuniam dare jubebantur, compellebantur: quales *Furnos Bannarios* appellabant. Talis erat alter Furnus Epiſcopi in vico Arboris Siccæ, (*ruë de l'Arbre Sec*) quem tabulæ anni MCCXCIV. ita commemorant. *G. & H. confeſſi ſunt coram nobis, ſe à domino S. P. D. Pariſienſi Epiſcopo recepiſſe ad annuum cenſum furnum, quem habebat idem reverendus Pater in vico Arboris Siccæ, inter granchiam ipſius Rever. Patris & domum Roberti de Balliaco, necnon domum eidem furno adjacentem.* Talis fuit Luteciæ *Furnus S. Eligii* in vico de Aquila, ad Pariſienſe Monaſterium S. Eligii pertinens, in litteris Monaſterii Foſſatenſis datis anno MCCXLIV. memoratus: talis quoque *Furnus de Veteri Aure*, domus in Gravia ſic dicta in Chartario Foſſatenſi, non longè à *Quadruvio Veteris Auris*, vel *de Vetula Aure*: (*le Carrefour de Guillory*) cujuſmodi furnorum Bannariorum, nec non molarum, ac *preſſoriorum*, id eſt torcularium aut prelorum ſæpe Chartularium Foſſatenſe meminit. *Furnus Epiſcopi* in vico S. Germani, hodiéque appellatione vulgari apertiſſimè omnibus indicat quid olim fuerit. Quippe vetus nomen ſervat, & vocatur *le Four l'Eveſque.* Sed furno pridem diruto, domus nunc carcerem, nunc & auditorium habet, in quo Judex vel Ballivus nomine Archiepiſcopi Pariſienſis jus reddit. Quâ decepti re Carolus Molinæus J. C. & recentiores omnes ſcriptores, ignari antiquitatis, *Forum Epiſcopi* vocant, quem *Furnum Epiſcopi* convenit appellari. Ut à diverticulo ad Colonias revertar: Coloniæ in Gallia Narbonenſi erant numero circiter undeviginti, nimirum Colonia Aquæ Sextiæ leg. XXV. Col. Antipolis, Col. Arauſio Secundanorum, Col. Arelate Sextanorum, Colonia Auguſta Nemauſus, Col. Avenio, Colonia Apta Julia, Colonia Dea Auguſta Vocontiorum, Colonia Reiorum Apollinarium, Col. Acuſio Ptolemæo memorata, Cabellio Colonia, Col. Bæteræ Septumanorum, Colonia Julia Octavianorum, vel Forum Julii Octavianorum Colonia, aliàs Octavanorum, Colonia Julia Valentia, Colonia Julia P. C. Narbo M. Decumanorum, Col. Ruſcino, Col. Toloſa, Col. Vienna legionis VII. Claudiana Pia, & Vaſio Vocontiorum. In Gallia Belgica VII. erant Coloniæ, videlicet Colonia Agrippina Ubiorum, Colonia Auguſta Pat. Trevirorum, Colonia Auguſta Rauracorum, Colonia Trajana, Colonia Equeſtris, Colonia Julia Avanticorum, Colonia Julia Bonna, in nummo Auguſti memorata: in Gallia Celtica vel Lugdunenſi unica Colonia Lugdunum; in Aquitania nulla. Quæ omnes, exceptis Aquis Sextiis & Narbone Martio ex Senatuſconſulto deductis, Coloniæ militares fuêre,

juſſu Imperatorum deductæ. Certè Velleius in libro I. poſtquàm ſcripſit, Eporædiam Coloniam deductam eſſe Mario ſextùm & Valerio Flacco Coſſ. adjicit. *Neque facilè memoriæ mandaverim, quæ niſi militaris poſt hoc tempus deducta ſit. Militarium autem Coloniarum & cauſſæ, & auctores, & ipſa præfulgent nomina. Ipſa* quidem *nomina*, aut potiùs cognomina *Juliæ*, *Auguſtæ*, *Agrippinæ*, *Claudianæ*, *Trajanæ*, auctores deducendarum Coloniarum demonſtrant: ipſa cognomina *Secundanorum*, *Sextanorum*, *Septimanorum*, *Decumanorum* docent, Arauſionem, Arelatum, Bæteras, Veteranos legionum II. VI. & VII. deductos eſſe, & Narbonem Martium iterum à Julio Cæſare Dictatore Decimæ legionis veteranos aut emeritos miſſos eſſe: cauſſas tamen, & auctores aut deductores ultimarum iſtarum Coloniarum, excepto Narbone, non deſignant. Nam de Forojulienſibus Colonis ambigitur, *Octavani* dici debeant ab Octavæ legionis veteranis, an *Octaviani* ab Octavio Auguſto. De *urbibus* & *Coloniis* ſatis.

Urbibus *caſtra* & *caſtella* ſuccedunt. *Caſtra* autem vocavêre Romani loca naturâ atque arte, vallo, foſsâ & aggere munita: qualia fermè militum in campis tendentium erant: exiguum caſtrum *caſtellum* dicebatur; parvum caſtellum nuncupabatur *caſtellio*. In priſcis Notitiis Provinciarum & civitatum Galliæ *caſtrum Cabillonenſe*, *caſtrum Matiſconenſe*, item *caſtrum Vindoniſſenſe*, *caſtrum Ebredunenſe*, *caſtrum Rauracenſe*, *caſtrum Ucecienſe* memorari video: quæ loca, excepto Ebreduno, olim urbes & quidem Epiſcopales fuêre; Auguſta Rauracorum etiam Colonia. Veteres noſtri Hiſtorici ſola capita Gentium *urbes* aut *opida*, necnon *civitates*, interdum etiam *municipia* vocitant: ceteras urbes eis ſubjectas *caſtrorum* vel *caſtellorum*, nonnumquam & *vicorum* appellatione deſignare contenti. Sic Bleſum, Vindocinum, Durocaſas, loca Autrico quidem Carnutum civitati atque adeò capiti attributa, ſed ſingula opidi nomine digniſſima, Noſtri *caſtra* tantùm cognominant. Sic Concurcallum, Exoldunum, Virſio, Argantomagus, Mediolanum vel Magdunum ad Averam, *caſtra* dicuntur à Noſtris: quæ ætate C. Julii Cæſaris XX. *urbibus Biturigum* ab ipſo memoratis haud dubiè adnumerabantur. Eadem ratione in Senonibus Stampæ, Melodunum ſeu Miglidunum, Pruvinum aut Provinum, *caſtra* cognominantur à ſcriptoribus noſtris: cùm *opida* appellari mereantur, & ex his unum *Melodunum opidum Senonum* diſertè Cæſar in libro VII. nuncupet. Ita de ceteris. Contrà in Annalibus & Chronicis rerum Francicarum, atque in priſcis tabulis *caſtra caſtellaque* appellari animadverto loca non pauca, quæ *vicorum* nomine deberent eſſe contenta: ſive bellis everſa, ſive peſtilentiâ exhauſta, ſive lapſu temporis minora multo ac deſertiora facta ſunt, quàm olim fuerunt: qualia ſunt in Pariſiis Braia, Caproſia, Cauda, Caſtrum vel Foſſatum Bacaudarum, Gornacum, Livriacum, Luſarchiæ, Mons Gaius, Mons Maurentiacus, Torciacum, Turnomium. Nos in ejuſmodi nominibus, ut & ceteris in rebus omnibus, antiquitatem ſequi maluimus, ſatiúſque duximus, veteris quàm novi locorum ſtatûs habere rationem. Ad *caſtella* proximè accedunt, quas Galli noſtri *Firmitates*, *Sal-*

vitates, *Salvas Terras*, & *Fortia*, *Montes Fortes*, *Montes* item, & *Rupes* vel *Roccas* & *Petras* cum adjuncto aliquo vocaverunt: uti ſunt Firmitas Adelhaidis, Firmitas Balduini, Bellum Forte in Andicavis, & in Campania, Mons Fortis Amalarici, Mons Letherici, Rupes Poſeii, Rocca Cavardi, Domini Petra, *Dampierre*.

Proximum *Caſtellis* locum tenent *vici*, *pagi*, *villæ*, & *cohortes* vel *chortes*: quibus IV. nominibus res una eademque deſignatur. *Vicus* in agro à re nomen habet. Nam more modóque vicorum urbanorum, propriè conſtat ex uno eóque ſolo vico perpetuo, complures domos aut villas conjunctas, vel etiam diviſas continente. Nonnumquam tamen præter vicum latum & rectum viculos aliquot tranſverſos habet. Et *vici* quidem apud Romanos & Noſtros, ſive apud veteres recentioréſque ſcriptores duplex iſta ſignificatio cuivis notiſſima eſt: *pagum*, & *villam*, ac *chortem* vel *curtim* ab eiſdem auctoribus pro *vico* agreſti etiam accipi, non æquè omnes ſciunt. Olim Romani in urbanos & ruſticos, ſeu in tribus urbanas & ruſticas dividebantur. Ruſtici alio nomine *Pagani* appellabantur à pagis viciſve, quos incolebant. A *paganis Paganicæ feriæ* ſeu *Paganalia* dicebantur. Hinc Ovidius in libro 1. Faſtorum ſcribit

Pagus agat feſtum: pagum luſtrate coloni.

Juvenalis in ſatira XIV. *pagi* nomen ſimiliter uſurpat

Tunicam mihi malo Lupini,
Quàm ſi me toto laudet vicinia pago
Exigui ruris pauciſſima farra ſecantem.

Auſonius in epiſtola ad Theonem, *tædas lumina paganica* appellat, id eſt lumina paganorum ſive agreſtium, in pagis viciſve degentium; Theonem ipſum *paganum è Medulis*, hoc eſt in pago aliquo vel vico Medulorum habitantem: in Moſella idem *Faunos numina paganica* nuncupat, id eſt Deos paganorum vel vicanorum. Nimirum Idololatras Chriſtiani ſcriptores non *Gentiles* modò atque *Ethnicos*, ſed etiam *Paganos* vocant: propterea quòd poſt adductos ad Chriſtianam Religionem urbium Imperii Romani incolas, diu in agris, in pagis aut vicis veteris ſuperſtitionis reliquiæ remanſerunt, quemadmodum Vitæ Sanctorum docent. Unde Gregorius Turonicus Epiſcopus in libello de Vita Nicetii Trevirici Sacerdotis, ut & in Hiſtoria Francica, Idololatras, ubicumque habitarent, non ruris modò ſed etiam urbium incolas, nunc *Paganos*, nunc & *Ruſticos*, ac *crudam ruſticitatem* promiſcuè appellat. Nos hodiéque agreſtes quidem vel ruſticos in pagis aut vicis habitantes, *Payſans*; ſimulacrorum autem cultores, *Payens* vocitamus, utroque nomine deducto à *paganis*. Gregorius in libro IX. Hiſtoriæ Francicæ *Voſagenſem territorii Biturici pagum*, & in libello de Vita Senoch Abbatis *Pictavum pagum Teifaliam* quum nuncupat, utrubique nomine *pagi* majorem vicum haud dubiè deſignat. *Chors* quoque vel *Cortis* ſæpe pro villa cujus membrum erat, ac deinde etiam pro toto vico qui villæ alicui magnificæ acceſſerat accreveráṫque, à ſcriptoribus noſtris accipitur: ſicut indicant plurima apud nos vicorum nomina, qualia ſunt præ ceteris Bettonis Cor-

tis non una, *Betancourt*, Hunulfi Curtis *Houncourt*, Alamannorum Curtis *Aumencour*, Harecortis *Harcour*, Sathulcurtis *Saulcourt*, Gremaca Cortis, Dodonis Curtis *Doncourt*, Curtis Nova *la Cour Neuve*, Curtis Dominica in Cenomanorum finibus *Courdemanche*, Rocconis Curtis *Roquencourt*, Curticulæ vel Curticellæ *Courcelles*. Pro *Curte* & *Curiam* nonnumquam Noſtri impropriè dixêre.

Villam pro vico pagóve etiam veteres uſurparunt. Auſonius, Valentiniani majoris & Gratiani ac Theodoſii Imperatorum æqualis, *villam Lucaniacum* à Lucano auctore cognominat.

Villâ Lucani tum potieris aco.

Ammianus Marcellinus qui & Theodoſii principatu floruit, *Melanthiada villam Cæſarianam* commemorat, ab urbe Regia Conſtantinopoli CXL. ſtadiis ſive XVIII. paſſuum millibus diſtantem, ut Æthicus & Agathias affirmant. Antoninus Pius Auguſtus *apud Lorjum villam ſuam*, miliario ab Urbe XII. obiiſſe dicitur Eutropio: locum in quo Conſtantinus Maximus deceſſit, *Acyronem villam publicam* prope Nicomediam Aurelius Victor, Eutropius, & Caſſiodorus Senator appellant. Melanthias autem, Lorium, Acyro, Lucaniacum vici fuêre. Nimirum villa una aliqua, magna, amœna atque magnifica, ſæpiſſime auctoris conditoriſve ſui, aut domini nomen ferens, vel à loco in quo exædificata erat, vel ab eventu aliquo cognominata, paullatim ipſi adjunctis aliis ædificiis & minoribus villis, nomen ſuum toti vico velut ſuis appendicibus olim dare conſueverat. Ita factum eſt, utì plurimi vici *villarum* appellatione deſignarentur. Ei rei ſunt indicio agri Pariſiaci villæ hæce, ne de ceteris loquar, Villa Abbatis, Gunſanæ Villa, Sartoris Villa, Villa Epiſcopi, Villa Nova Regis, Villa Regis, Villa Picta. Idem de *Manſis*, idem de *Manſionibus* vel *Manſionilibus* dicendum, quæ eadem ratione totis vicis nomen dederunt: qualia ſunt Manſionile Grentonis in Nortmannia, *Gratemeſnil*; Manſionile Dominæ Rentiæ, *Meſnil Madame Rance*, Manſionile Alberici *le Meſnil Aubry*, Manſionile S. Dionyſii *Maiſnil S. Denis*, in Pariſiorum finibus. Idem & de *villaribus* ſentiendum eſt. *Villaris* autem vel *villare* villulam ſignificat. Certè Alberti Villare, Villare Adæ, & Villare Bellum in pago Pariſiaco, ſuo quodque vico nomen ſuum reliquêre, uti & Domini Villare *Damvilliers*, Altum Villare *Auvilliers*, Brunonis Villare. Inter *villas* publicas Regum noſtrorum Compendium, Brennacum, Marilegium, Pontico, Noviomagus Batavorum, Theodonis Villa, Aquæ Grani fuerunt: loca ſi non olim, certè nunc ſaltem, immo verò potiùs & olim & nunc pars opidorum pars caſtrorum appellatione digna. Idem affirmare licet de Curva Villa in Carnutibus ad fl. Auturam, *Courville*, de Longa Villa capite Ducatûs in Caletis, de Villa Nova Regis in Senonibus ad amnem Icaunam, aliiſque. Ubi notanda in tranſcurſu eſt linguæ noſtræ paupertas, adeò vocabulorum egentis, ut urbes etiam clariſſimas & maximas, & vicos obſcuriſſimos ac minimos promiſcuè ac velut ex æquo *villas* appellemus, (*villes*) nomine conveniente vicis, urbibus non conveniente. Nam & Nobis urbs Pariſiorum dicitur *la ville de Paris*, urbs Aureliani *la ville d'Orleans*,

urbs Toloſa *la ville de Toulouſe*, urbs Rotomagus *la ville de Roüen*. Nec minùs viculos villaſve paſſim cernere eſt, *villarum* nomine aut cognomine hodiéque gaudentes. Tales ſunt in Pariſiis, exempli cauſâ, Pulchra Villa *Belleville*, Villa Picta *Villepinte*, Villa Regis *Villeroy*, Villa Juſta *Villejuſt*, Villa Epiſcopi *la Ville l'Eveſque*, Villa Crana *Ville Crene*, Villa Gomedus *Gomets la Ville*, proxima Gomedo caſtello, *Gomets le Chaſtel*. Plena eſt Nortmannia noſtra vicis, quorum nomina compoſita in *villam* deſinunt. Ex quo intelligitur *villas*, quas nunc *villages* patriâ linguâ vocamus, olim à majoribus noſtris *villes* incorrupto Latino vocabulo nuncupatas eſſe. Non meliùs *vicorum* quàm *villarum* appellatione uſi ſunt veteres. Quippe *Vicum Juli* vel *Vicum Julienſem* vocant Notitiæ Galliarum, & Gregorius: quam civitatem eſſe & quidem Epiſcopalem conſtat, alio nomine Aturas dictam. Jam Alingavia, Ambacia, Condate, Caino, Iciodorum, Luccæ, aliáque Turonum loca, à Severo Sulpicio de Vita S. Martini, & à Gregorio *vici* appellantur: ex quibus Ambaciam opidi cognomine dignari jure poſſumus, Cainonem & Luccas appellatione caſtrorum. Multi in Gallia vici ab his arboribus quibus maximè abundabant, nomen accepére: inprimis Nucetum, quod & Nucaretum à nucibus, quas nucarios vocavit in Eligio Audoënus; Meſpiletum, *la Meſleraye*, à meſpilis, quas Picardi, Pictavenſes aliique Galliæ populi *Meſliers*, Pariſiaci *Neffliers* vocitant; Salictum aut Salicetum *la Sauſſaye*, *le Sauſſay*, *le Sauſſoy*; Ceraſetum *Cериſy* & *Ceriſaye*; Fraxinetum *le Freſnoy* & *la Freſnaye*; Betuletum *le Boulay* & *la Boulaye*; Filicetum *Fougeraye*; ab hoſſo vel aquifolia Hoſſetum *la Houſſoye* & *le Houſſoy*.

His præmiſſis, quæ & ad Notitiam Galliarum plurimum pertinent, & legentibus nec injucunda nec inutilia futura ſunt, operis mei nunc paucis reddenda ratio eſt. Quum primùm Notitiam Galliarum ſcribere aggreſſus ſum, conſilium meum fuit dare operam, ut ſtudioſi (quantum fieri poterat) per me notam haberent Galliam, & quæ de ea tota ejuſque partibus ſcripta ſunt, intelligerent, alienóſque errores agnoſcerent ac vitarent. Quod ut conſequerer, cuncta ſingularum Galliæ Provinciarum nomina, vetera, mediæ ætatis, ac recentiora unà cum vulgaribus in lucem protuli. Vetera appello nomina, quæ à Julio Cæſare uſque ad occaſum Imperii Romani in Occiduis partibus, & ad exortum Regum Francorum, in uſu fuerunt: mediæ ætatis, quæ ſæculo VIII. aut IX. à Noſtris uſurpari cœperunt; recentiora, quæ abhinc CCC. vel ducentos annos nata ſunt. Varias pro mutatione temporum Regnorúmque ac finium apud varios ſcriptores, ſæpe etiam apud unum eumdémque auctorem unius ejuſdémque nominis ſignificationes, nunc latiores, nunc anguſtiores, diligenter & laborioſè propoſui, ac velut oculis animiſque omnium inſerui. Qui exactè legerit noſtras de *Armorica*, de *Auſtria* & *Neuſtria*, de *Francia* præcipuè ac de *Burgundia*, aliiſque Provinciis lucubrationes, facilè ac citò intelliget, quot & quantis mihi vigiliis, quanto ſtudio, quot auctorum meditatâ lectione conſtiterint. Quot modis vocabulum *Galliæ* acceperint ſcriptores, varias ejus diviſiones, quæ quibus temporibus ibi

factæ ſint, & quot ſingulæ urbibus donatæ Provinciæ, in Lugdunenſi Gallia accuratè ſum perſecutus: pagos Galliarum majore ex parte nunc incognitos, quoſcumque apud Hiſtoricos noſtros in priſcis Chronicis & Annalibus, in Vitis Sanctorum, in veteribus tabulis cùm vulgatis tum ſcriptis reperire licuit, quamplurimos erui è tenebris, ac illuſtrare conatus ſum: quî enim omnes poſſim, cùm ferè numero ſint infiniti, nec municipiola modò, ſed etiam vici multis pagis cognomen dederint? Jam requirendæ etiam nobis nominum ut Provinciarum ſic & pagorum origines & cauſæ fuerunt: quod ſinguli pagi caput, quem ſitum habuerint; qui minores exſtiterint, majoribus contributi; qui de veteribus exoleverint, eorum in locum novis ſubſtitutis; qui uſque ad noſtram ætatem priſcam appellationem ſervaverint. De Gentibus Galliæ, déque capitibus Gentium, ſeu de claris urbibus Galliarum modò conjunctim egi, quoties pauca de utriſque dicenda occurrebant; modò ſeparatim, quotieſcumque ſuum Genti, ſuum urbi Gentis primariæ ſeorſum titulum aſſignari utriuſque claritas poſtulabat. Vetera nomina populorum atque urbium nonnulla interpretari conatus ſum, & volui magis quàm valui. Nam & ſcriptores Romani & Galli, cùm vetuſti tum novi, in paucis & parum omnino nos adjuvant: & Britanni inferiores in Armorica, quos Brittones Brittonantes vocitamus, qui veteri linguâ Gallicâ, ipſis cum Wallenſibus ſeu Britannis inſularibus communi hactenus uſi ſunt, ſermoni noſtro ita nunc paullatim aſſueſcunt, ut linguam patriam dedignentur, ac vix intelligant, ac jam pæne habeant pro externa: quemadmodum ex Nobilibus Gentis ejus accepi. Mihi igitur in interpretatione priſcorum nominum Gallicorum quidquam citra certam auctoritatem affirmare non licuit; in quoquam divinare non libuit: de nominibus Celticis loquor. Nam Græcorum, & Latinorum, Francicorum ſeu Germanicorum, atque etiam vulgarium nominum origines & cauſſæ maxima ex parte non ignorantur. In nominibus urbium hæc à me lex religioſè ſervata, ut vetera à novis, ſincera & incorrupta à recentioribus corruptíſque ſecernerem: propterea quòd ex poſterioribus corruptíſque vocabulis vulgaria ſunt orta: & timendum aliunde erat, ne apud varios auctores tanta varietas ac diſſimilitudo nominum in deſignatione unius alicujus loci, lectores in errorem induceret. Danda inſuper fuit opera, ut qui in poſterum vellent Latinè res Francicas ſcribere, loca Galliarum ſinceris & propriis quæque nominibus appellarent. Idem de municipiis, caſtellis & vicis, idem de montibus & ſilvis, idem de maribus & de fluminibus, de inſulis & lacubus feci: quorum omnium veterrimas appellationes à mediæ ætatis vocabulis, & à noviſſimis corruptiſſimíſque diſtinxi. Ex ætate auctorum, qui cujuſque loci primi meminerunt, ſingulorum locorum facilè intelligetur antiquitas.

Et quoniam hæc deſcriptio Galliarum, prorſus ſterilis, nec ingenii, nec facundiæ capax, & utilis, ac cognoſci digna magis quàm benigna aut jucunda materia eſt; viſum eſt obſervationes materiæ convenientes inſerere, partim ex Hiſtoria Romana, partim ex Francica

petitas, & per annos ferè xl. lucubratas, ut eſſent lectori tantum iter facienti ſtationum loco, in quibus animus, crebrâ ac pæne continuâ tot locorum ac tot ſcriptorum nomenclaturâ fatigatus, paullulum requieſceret, reficeretur, recrearetur. Priſca igitur ornamenta urbium Galliæ, & ſi qua Romani de Gentibus ejus, regionibúſque & opidis memoranda retulerunt, attigi paucis: qui eſſent *Seniores Franci* per urbes Galliarum ſparſi, quotque nominibus appellarentur; quando primùm *Gentilium Hominum* apud nos facta ſit mentio; quando Nobilitas ſuum ſibi corpus habere cœperit, à Cleri & populi ordinibus ſeparatum: qui fuerit Francorum exercitus; Francos à Gallis tributariis diutiſſimè ſecretos, ac omnes immunes fuiſſe, omnéſque militaſſe: quæ & quot olim Regna Francorum exſtiterint; quàm variæ Regum Francorum ſedes; quæ eorumdem villæ publicæ ſive fiſcales: circa quæ tempora inter Epiſcopos & Clericos majorum Eccleſiarum diviſio prædiorum Eccleſiaſticorum facta fuerit: Epiſcopatuum etiam initia & tranſlationes, ac Monaſteriorum origines non neglectæ: & quæ alia paſſim ſtudioſi ac eruditi in Notitia mea reperient, à nemine hactenus obſervata. Ad eas res præter Hiſtoricos Romanos & Noſtros magno mihi uſui, magno adjumento fuêre vetuſta Monaſteriorum ac majorum etiam Eccleſiarum Chartularia, priſcæ tabulæ Regum ac Principum, antiquæ Vitæ Sanctorum, aliaque vetera monumenta, cùm à Genealogis, tum ab aliis, præſertim à viris piiſſimis atque doctiſſimis Lucâ Acherio & Johanne Mabilione publicata. In deſcriptione fluminum Caletici pagi totiúſque ferè Normanniæ à V. C. doctiſſimóque Haimerico Bigotio Rotomagenſi plurimùm ſum adjutus. Ex aliis alia didici: quos ſuo quemque loco laudavi, nec indictos ac ſine grata mentione tranſmiſi. Sed unum ac præ omnibus unum Antonium Vionem Herovallium nominari convenit atque celebrari, hominem bono Reipublicæ litterariæ natum, & demerendis antiquariis ac ſcriptoribus genitum: qui ſcripta in membranis Chronica, Chartularia, Vitas Virtutéſque Sanctorum, epiſtolas ac litteras Principum, chirographa denique exemplaria undique corrogata atque contracta mihi ſæpe ne petenti quidem, nedum ſperanti aut exſpectanti per annos ampliùs xx. tam largè ſubminiſtravit commodavítque, ſæpe ut miratus ſim tot & tantos veterum librorum faſces ſalvis oculis à me perlegi excerpíque potuiſſe, tot & tanta volumina à nemine umquam vel in tranſcurſu ac ſtrictim evoluta eſſe, à nemine umquam lectum iri, facilè mihi perſuadeam. Ex priſcis epiſtolis ac litteris ea tantùm ſelegi adſcripſíque verba, quibus ad quamque rem probandam opus habebam: ne ſi tota à capite ad calcem inſtrumenta transſcriberem, (quod ſupervacaneum & admodum inutile eſt, multis tamen præplacet) opus meum in immenſum excreſceret. Quòd ſi quis quærat à me, ut quidam ex amicis meis jam quæſivit, unde priſcas tabulas mSS. deſumſerim, quibus in Notitia Galliæ uſus ſum: reſpondebo quod jam dixi, ferè omnes me ab Herouallio accepiſſe, & nihil me protuliſſe atque laudaviſſe, quod non antè perlegerim; fidem autem ſcriptoribus pluſquam juratis teſtibus ha-

beri oportere, nec de promptuario ſingularum tabularum, ſed de rebus quas continent eſſe laborandum. Non epiſtolæ tantùm Regum ac Principum, non ſingulæ tantùm membranæ aliæ ab aliis ſecretæ, quas Chartas vocitant, ſed ipſa etiam tota & integra Chartularia & Martyrologia majorum Eccleſiarum ac Monaſteriorum, partim furto & cuſtodum negligentiâ, partim donatione & emtione cotidie dominos mutant; cotidie de manu in manum tranſeunt. Futile itaque ſit, ſcire velle, quo ex loco quidque deſumſerim, cùm poſt annos ferè XL. quædam jam perierint, pleraque aliò tranſlata ſint, nec jam ampliùs eis in locis, ubi à me reperta, aut unde petita ſunt, aſſerventur.

Affirmat Plinius, *commune fermè omnibus fuiſſe, ut eos quiſque diligentiſſimè ſitus diceret, in quibus ipſe prodebat.* Quominùs mirandum eſt, Strabonem, Claudium Ptolemæum, Ammianum Marcellinum, Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum, alióſque, qui Galliam pars numquam pars negligenter viderant, non raró in deſcriptione ejus erraviſſe. Recentioribus plurimum obfuit, & multorum cauſa errorum fuit, parva Hiſtoriæ Francicæ, parva veterum ſcriptorum noſtrorum, exigua rerum antiquitatúmque noſtrarum notitia: quo in numero fuêre Marlianus, Simlerus, Joſephus Scaliger, Cluverius, Holſtenius, Samſon, aliique, viri quidem Græcè Latinéque doctiſſimi, ſed ad Galliam exactè cognoſcendam neceſſariis præſidiis deſtituti. Ne de Moneto, & Furnerio, aliiſque ſimilibus Geographis loquar, qui ex vulgaribus locorum nominibus Latina, vel potiùs barbara componunt, veterum vocabulorum ignari. Supradictos igitur auctores, modò hunc, modò illum ex occaſione argui, non ſponte, ſed invitus; nec reprehendendi culpandive prurigine, ſed amore veri, quod omnibus præferri debet, impulſus: ne ulla in re rectæ ſententiæ doctorum hominum prævaleret auctoritas. Majorum enim errores, quorumcumque ſint, diligenter at citra inſectationem ullam notandi ſunt, ut vitentur à poſteris: qui neglecti & non indicati, facillimè adoleſcunt invaleſcúntque, ac plurimos inveniunt ſectatores; obſervati cautis lectoribus ac ſcriptoribus magis quàm ſcopuli in mari navigantibus nocere non poſſunt. Deſcriptio terræ partium *non temerè ſine aliqua reprehenſione tractata.* (Utor Plinii verbis) Nuſquam pronior lapſus. *Haud ullo in genere venia juſtior eſt; ſi modò minimè mirum eſt, hominem genitum non omnia humana noviſſe.*

Nec memet itaque ipſum præſto errorum immunem. In deſignando ſitu & vulgaribus nominibus locorum, vitio tabularum Geographicarum decipi facile eſt. Quæ enim tabula erroribus vacat ex toto? Præterea in Notitia noſtra plurima aut etiam pleraque quidem ſunt certiſſima, quæ ratione & auctoritate fulciuntur, & de quibus eruditi jure dubitare non poſſunt: at in dubiis & incertis, quum mihi quod certò affirmarem defuit, neceſſariò coactus ſum (ut fit) ad conjecturas decurrere, & nonnumquam ambigenti hærentíque modò una, modò etiam duæ de uno loco occurrerunt conjecturæ: quæ etſi ſingulæ diu multúmque perpenſæ & examinatæ, ac aliquo nixæ funda-

mento, forſitan tamen non ex æquo probabuntur ab omnibus, nec ex æquo omnibus ſunt placituræ. Sed & interdum, quamquam perrarò, in tanta multitudine nominum accidit, quod accidere fuit neceſſe, mihi ut antedictorum oblito duæ exciderint de eodem loco ſub duobus diverſis titulis obſervationes. Hæc & his ſimilia legentes rogo ut excuſent, & ad Errata, atque ad Indices etiam noſtros decurrant, priuſquàm aliquid damnent. Tres autem Indices exactiſſimos confecimus, unum Indicem nominum Latinogallicum, in quo Latina nomina Gallicis ſeu Francicis præponuntur; alterum Indicem nominum Gallicolatinum, in quo locorum quorum ex profeſſo aut ex occaſione meminimus, Gallicis aut vulgaribus vocabulis Latina poſtponuntur; tertium ac noviſſimum Indicem rerum & obſervationum. Duo priores Indices ideò confecti, ut exteri qui Latinum ſolummodò loci alicujus nomen norunt, in primo Indice per Latinum vocabulum diſcant & Gallicum ei ſubjunctum; & Francogalli noſtri qui Gallica tantùm vocabula locorum ſciunt, in ſecundo Indice cum Gallicis reperiant & Latina. Tertius ac poſtremus Index, quod pollicetur, vel nudâ inſcriptione titulóque ſuo ſatis ſupérque præfert. Meas enim multorum annorum obſervationes partim Geographicas, partim etiam Hiſtoricas continet: quas utraſque Notitiæ paſſim inſertas, Indicis hujus auxilio lector ſuo quamque loco ſine labore eſt inventurus. Horumce trium Indicum confectio me ter aut etiam quater Notitiam meam per menſes ampliùs ſex relegere coëgit: nemo ut mirari debeat editionem operis laborioſi magis quàm diffuſi, duorum Typographorum mortibus, & duobus morbis meis jam antea diu multúmque interruptam, plus quadriennio duraviſſe.

Quamquam autem operam dedi, ne qua loca præterirem, quæ alicujus eſſent in Gallia nominis & claritatis, cùm & multa obſcura partim ex profeſſo, partim ex occaſione ac velut in tranſcurſu memoraverim & illuſtrare conatus ſim: tamen ut hæc longiſſima ac propè interminata materia eſt, nec quiſquam cuncta Galliarum caſtella, vicos univerſos, ſingulos fluvios, amniculos ac rivos, ſilvas omnes & ſaltus valet attingere ac perſequi; non infitior haud pauca noſtris adjici poſſe: quod & forſitan Deo juvante quandóque ſum facturus. Si qui igitur poſt demeſſum à me agrum ſpicas legere, & de Gallia ſcribere voluerint, ſeparatim ſcribant, neu ſua meis immiſceant; ſeparatim opera ſua publicent: meam mihi Notitiam qualiſcumque eſt, meas mihi obſervationes, mea mihi verba, meos mihi etiam nævos relinquant, quibus noſcar & diſtinguar à ceteris: ne aut mei aliis, aut alieni mihi errores tribuantur. Suus cuique labor conſtet; ſua quemque ſeorſum maneat gloria. Violatorum Manium ac ſacrilegii reus eſt, qui ſepulcrum effregerit ſpoliaverítque. Non multo minus crimen admittit, qui mortui ſcriptoris operi temerarias injicit, immo infert manus: & eâ ratione non ſine magnâ indignatione vidimus quoſdam audacter, ne dicam impudenter, ſuppreſſis verorum auctorum nominibus, aliena opera, interpolata & depravata magis quàm aucta, ſibi vindicaviſſe.

Statueram diviſiones & deſcriptiones Galliæ ex Geographis atque

etiam ex Hiſtoricis petitas, ab exortu Imperii Romani uſque ad occaſum, operi meo præfigere, veteres etiam Notitias Provinciarum ac civitatum Galliæ, quotquot editas & ſcriptas nanciſci poſſem, necnon recentes, inprimis Scaligerianam ac Maſſonianam, unà cum priſcis viis itineribuſque per Gallias ſubjungere: ut quidquid ad Galliæ cognitionem confert, cum Notitia noſtra conjunctum eruditi reperirent. Sed urgentibus inſtantibúſque Typographis, & de nimia mora querentibus, neceſſariò mutandum conſilium, & contractis velis portus repetendus fuit, voluménque finiendum. Contentus erit igitur lector unicâ, ſed omnium fortè veterrimâ, certè emendatiſſimâ Notitiâ Galliæ: quæ à Jacobo Sirmundo primùm Conciliis Gallicanis, deinde ab Andrea Cheſnio Hiſtoriæ Francicæ ſcriptoribus, & poſtremò à nobis rerum Francicarum tomo primo præfixa eſt, ac nunc iterum Præfationi iſti ſubjungitur, & talis eſt.

Notitia Provinciarum & Civitatum Galliæ.

In Provinciis Gallicanis quæ civitates ſint.

Provincia Lugdunenſis prima, numero tres.

Metropolis Civitas Lugdunenſium.
Civitas Æduorum.
Civitas Lingonum.
Caſtrum Cabilonenſe.
Caſtrum Matiſconenſe.

Provincia Lugdunenſis ſecunda, numero VII.

Metropolis Civitas Rotomagenſium.
Civitas Baiocaſſium.
Civitas Abrincatum.
Civitas Ebroicorum.
Civitas Sagiorum.
Civitas Lexoviorum.
Civitas Conſtantia.

Provincia Lugdunenſis tertia, numero novem.

Metropolis Civitas Turonorum.
Civitas Cenomannorum.
Civitas Redonum.
Civitas Andicavorum.
Civitas Namnetum.
Civitas Corioſopitum.
Civitas Venetúm.
Civitas Oſſiſmorum.
Civitas Diablintum.

Provincia Lugdunenſis Senonia, numero VII.

Metropolis Civitas Senonum.
Civitas Carnotum.
Civitas Autiſiodorum.
Civitas Tricaſſium.
Civitas Aurelianorum.
Civitas Pariſiorum.
Civitas Meldorum.

Provincia Belgica prima, numero IV.

Metropolis Civitas Treverorum.
Civitas Mediomatricorum Mettis.
Civitas Leucorum Tullo.
Civitas Verodunenſium.

Provincia Belgica ſecunda, numero XII.

Metropolis Civitas Remorum.
Civitas Sueſſionum.
Civitas Catellaunorum.
Civitas Veromanduorum.
Civitas Atrabatum.
Civitas Camaracenſium.
Civitas Turnacenſium.
Civitas Silvanectum.
Civitas Bellovacorum.
Civitas Ambianenſium.
Civitas Morinúm.
Civitas Bononienſium.

Provincia Germania prima, numero IV.

Metropolis Civitas Moguntiacenſium.
Civitas Argentoratenſium.

Civitas Nemetum.
Civitas Vangionum.

Provincia Germania ſecunda, numero II.

Metropolis Civitas Agrippinenſium.
Civitas Tungrorum.

Provincia Maxima Sequanorum, numero IV.

Metropolis Civitas Veſontienſium.
Civitas Equeſtrium Noiodunus.
Civitas Elvitiorum Aventicus.
Civitas Baſilienſium.
Caſtrum Vindoniſſenſe.
Caſtrum Ebredunenſe.
Caſtrum Rauracenſe.
Portus Abucini.

Provincia Alpium Graiarum & Penninarum, numero II.

Civitas Centronum Darantaſia.
Civitas Vallenſium Octoduro.

Item in Provinciis Septem.

Provincia Viennenſis, numero XIII.

Metropolis Civitas Viennenſium.
Civitas Genavenſium.
Civitas Gratianopolitana.
Civitas Albenſium.
Civitas Deenſium.
Civitas Valentinorum.
Civitas Tricaſtinorum.
Civitas Vaſienſium.
Civitas Arauſicorum.
Civitas Cabellicorum.
Civitas Avennicorum.
Civitas Arelatenſium.
Civitas Maſſilienſium.

Provincia Aquitanica prima, numero VIII.

Metropolis Civitas Biturigum.
Civitas Arvernorum.
Civitas Rutenorum.
Civitas Albienſium.
Civitas Cadurcorum.
Civitas Lemovicum.
Civitas Gabalum.
Civitas Vellavorum.

Provincia Aquitanica ſecunda, numero VI.

Metropolis Civitas Burdigalenſium.
Civitas Agennenſium.
Civitas Ecoliſmenſium.
Civitas Santonum.
Civitas Pictavorum.
Civitas Petrocoriorum.

Provincia Novempopulana, numero XII.

Metropolis Civitas Eluſatium.
Civitas Aquenſium.
Civitas Lactoratium.
Civitas Convenarum.
Civitas Conſorannorum.
Civitas Boatium.
Civitas Benarnenſium.
Civitas Aturenſium.
Civitas Vaſatica.
Civitas Turba, ubi caſtrum Bigorra.
Civitas Elloronenſium.
Civitas Auſciorum.

Provincia Narbonenſis prima, numero ſex.

Metropolis Civitas Narbonenſium.
Civitas Toloſatium.
Civitas Beterrenſium.
Civitas Nemauſenſium.
Civitas Lutevenſium.
Caſtrum Ucecienſe, aliàs civitas Ucecienſis.

Provincia Narbonenſis ſecunda; numero VII.

Metropolis civitas Aquenſium.
Civitas Aptenſium.
Civitas Reienſium.
Civitas Forojulienſium.
Civitas Vappincenſium.
Civitas Segeſteriorum.
Civitas Antipolitana.

Provincia Alpium Maritimarum, numero octo.

Metropolis Civitas Ebrodunenſium.
Civitas Dinienſium.
Civitas Rigomagenſium.
Civitas Sollinenſium.
Civitas Sanitienſium.
Civitas Glannativa.
Civitas Cemelenenſium.
Civitas Vintienſium.

In Provinciis XVII. *Civitates* CXV. *aliàs* CXIII.

Præfationis paginâ V. *verſu* X. Linifia *ſcribe* Linyphia.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra: Salut. noſtre bien amé FREDERIC LEONARD noſtre Imprimeur, Marchand Libraire en noſtre bonne Ville de Paris, Nous a fait remonſtrer qu'il luy a eſté mis entre les mains un Livre intitulé, HADRIANI VALESII *Hiſtoriographi Regij, Notitia Galliarum, ordine Litterarum digeſta*, lequel il voudroit donner au public, s'il avoit nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires, leſquelles il Nous a tres-humblement ſupplié de luy vouloir accorder, afin de prevenir le dommage qu'il recevroit, ſi apres les grands frais neceſſaires pour l'impreſſion dudit Livre, d'autres entreprenoient de le contrefaire. A CES CAUSES, deſirant traiter favorablement ledit LEONARD, & empeſcher qu'il ne ſoit fruſtré de ſon labeur, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit Livre dans tous les lieux de noſtre obeïſſance, en telles marges, volumes & caracteres qu'il voudra pendant le temps & eſpace de *Vingt Années*, à compter du jour que ledit Livre ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois; Faiſant tres-expreſſes inhibitions & defenſes à tous Marchands Libraires & Imprimeurs, & à tous autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, de l'imprimer ou faire imprimer, contrefaire, vendre, ny diſtribuer par toutes les Terres & Seigneuries de noſtre obeïſſance d'autre impreſſion que de celle dudit Expoſant, à peine de Trois mil livres d'amende, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſpital General, & l'autre tiers audit Expoſant, de confiſcation des exemplaires contrefaits, & de tous deſpens, dommages & intereſts: à la charge de mettre deux exemplaires dudit Livre en noſtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres de noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur d'Aligre Chevalier Chancellier de France, avant que de l'expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes. SI VOUS mandons que du contenu en icelles vous faſſiez & ſouffriez joüir & uſer pleinement & paiſiblement ledit LEONARD, & ceux qui auront droit de luy, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit donné aucun empeſchement. VOULONS qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre copie des Preſentes, ou un extrait d'icelles, elles ſeront tenuës pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit ajouſtée, & aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers Secretaires, comme à l'original. Mandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous Exploits, Saiſies, & autres actes requis & neceſſaires, ſans demander aucune autre permiſſion, nonobſtant toutes oppoſitions ou appellations quelconques, clameur de Haro, Chartre Normande, priſe à partie, & Lettres à ce contraires, dont Nous nous reſervons la connoiſſance & à noſtre Conſeil. CAR TEL eſt noſtre plaiſir. Donné à Saint Germain en Laye le vingt-quatrième jour de Mars, l'an de grace mil ſix cens ſoixante-quinze, & de noſtre regne le trente-deuxiéme. Par le Roy en ſon Conſeil, DESVIEUX. Et Scellé de cire jaune.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 30. Mars 1675. ſuivant l'Arreſt du Parlement des 8. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé du Roy du 27. Fevrier 1665.

Signé THIERRY Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le vingt-deuxiéme Avril mil ſix cens ſoixante & quinze.

HADRIANI VALESII

HISTORIOGRAPHI REGII NOTITIA GALLIARUM ORDINE LITTERARVM DIGESTA.

ABALLO.

ABallo in Itinerario Æthici memoratur, & ponitur inter Sidoloucum & Autesſiodorum ſic. *Sidoloucum* M. P. XXVII. *leugas* XVIII. *Aballone* M. P. XXIV. *leugas* XVI. *Auteſiodorum* M. P. XXIII. *leugas* XXII. *Aballo* inter *Sidolocum* & *Auteſiodorum* in tabula Peutingeriana. Fortunatus de Vita Germani P. E. *Avallonem caſtrum* in capite II. *caſtellum Avallonem* in capite XXXI. item *Avallonem* Ionas de Vita Columbani vocat; *Avalonem caſtrum* Frodoardus in Chronico, nos *Avalon*: quod nomen veteri linguâ Gallicâ & Britannicâ pomū ſignificavit. Ab eo pagus Aballonenſis nomen habet, qui *pagus Avalenſis* in diviſione Regni à Carolo Magno facta; (ſi tamen falſa non eſt) *pagus Avaliſus* in Capitulis Caroli Calvi, hoc eſt Avalēſis nuncupatur. Hugo Pictavinus hiſtoriam Vicelіacenſis Monaſterii ſcripſit ante annos D, in qua epiſtolam Gerardi Comitis ejus fundatoris refert, *locum vel agrum Vicelіacum in pago Avalenſe & regno Burgundiæ* memorantis, l'*Avallonnois*.

ABBATIS-VILLA.

Abbatiſvilla a re nomen habuit. Ita enim vocabatur hæc villa, quòd ad Abbatē Monaſterii Centulenſis vel S. Richarii pertineret: ſicuti docet Ariulfus Centulenſis Monachus in Chronico Monaſterii ſui, quod anno MLXXXVIII. abſolvit Vulgò *Abbeville* dicitur. Sed ex villa factum eſt opidum non contemnendæ magnitudinis ad ripam fluminis Suminæ in finibus Ambianorum, & à Comitibus Pontivi occupatum. Ordericus in libro XI. Hiſtoriæ *Guidonem Comitem Abbatiſvillæ* memorat, quem *VVidonem Pontivorum Comitem* Ariulfus.

Hariulfus in libri IV. capite XII. ſcribit, *Hugonem primò Ducem, poſtea Regem Francorum ob Barbarorum cavendos incurſus Abbatiſvillam* Centulenſibus *Monachis abſtuliſſe, caſtrúmque feciſſe*, id eſt muniviſſe, *eique Hugonem Militem*, generum ſuum *præpoſuiſſe*, cui & Foreſtiſcellam Centulenſium ditioni ſubtractam tradiderit. *Hugonem* iſtum *Advocatum dictum eſſe, quod Eccleſiæ S. Richarii defenſor fuiſſet à Rege Hugone conſtitutus: quo inſigni nomine etiam Angelrammum ejus filium fuiſſe contentum*, donec Bononienſi Comite victo acie ac cæſo, & Adeluia nobiliſſima Comitiſſa, quam in matrimonio Comes habuerat uxore ductâ, Comitis nomen accepit, atque ad ſucceſſores ſuos tranſmiſit. Hæc origo Comitum Pontivorum fuit. Certè Ingelardus Abbas Centulenſis jam antea *Abbatiſvillam*, *Incram*, (*Encre*) *& domnum-Medardum*, ſeu *S. Medardum* (*Domart*) villas S Richarii donaſſe, vendidiſſe, & oppigneraſſe dicitur.

ABRINCATUI, & INGENA ABRINCATUORUM.

Abrincatuos Plinius memorat Gentem in Lugdunenſi Gallia: Ptolemæus quoque, cujus hæc ſunt verba. Μέχρι τῷ Σηκοάνα ποταμοῦ Ἀβριγκατοῦοι: ὧν πόλις Ἴγγενα: cùm à flumine Sequana Abrincatuorum fines plurimum diſtent, Cenomanis, Saiis, Aulercis Eburovicibus, & Carnutibus ex parte interjacentibus. Simili errore Ammianus Marcellinus ſcripſit Sequanam *prope caſtra Conſtantia fundi in mare*: cùm inter Conſtantiam ab Ingena Abrincatuorum non multum diſtantem & flumen Sequanam interſint longè latéque medii Bajocaſſes & Lexovii. Forſitan apud Ptolemæum pro Σηκοάνα legendum eſt Σηνοάνα, vel Σηνόνα. Ad Senunam enim & Sevam flumina Abrincatui ſedes habent. In Notitia Imperii Romani, *Abrincateni* paſſim inter legiones Pſeudocomitatenſes XVIII. ſemel *Abricateni* mendoſè gens ipſa appellatur; vrbs autem eorum *Abrincata*: *Præfectus militum Dalmatarum Abrincatis* in tractu Armoricano: *Abrincata* etiam apud Gregorium in libri IX. capite XX. In Notitiis pleriſque Provinciarum & civitatum Gal-

læ in Provincia Lugdunenſi II. *civitas Abrincatum* tertium locum tenet, *civitas Abrincatarum* in quadam Notitia: *Abrinca* Orderico in libro v. vulgò *Avranches*. Ex quo intelligitur Gentem hanc pro Abrincatuis *Abrincates*, atque etiam mendosè *Abrincatas* nonnumquam dictam eſſe. Recentiores urbem *Abrincas*; oppidanos, atque adeo Gentem ipſam *Abrincenſes* vocant. Urbis ſitum ſic deſcribit Britto in libro VIII. Philippidos:

— Obſedit Abrincas
Colle ſitas inter Sevam Senunamque ſupino,
Piſciferos amnes, multo ſalmone feraces.

Hodieque Abrincatæ urbs montana marique proxima, inter Sevam & Senunam poſita eſt. Seva autem *Saa Cenali*, *Sée* vulgò dictus; aut *la Riviere de Sée*, in tabula amnica Samſonis *Ses* corruptè nuncupatur, *Seuf* in tabula Normãniæ à Temploſo confecta mendosè etiã appellatur. Alluit Carentiam *Cherence*, Cupam, *Cuve*, Briccium, *Brecé*, Pontem S. Filiberti, qui eſt ad pedem montis Abrincatarum: unde & à plerìſque dicitur urbem Abrincatas præterlabi & attingere. Senuna, *la Selune*, litterâ n in l commutatâ dicitur. Oritur in ſilva Senuna *le bois de Selune*, IV. leugis ab Ingena diſtante, à qua & nomen accepit, quam ſilvam Landas putridas quidam nuncupant, *la Foreſt des Landes pourries*. Attingit præ ceteris Montem Maurellum Monaſterio clarum, *Mommorel*, Duceium, *Ducé*, Pontem Abaudi in litteris Henrici Regis Anglorum, Ducis Normannorum & Aquitanorum datis anno MCLVII. memoratum, *Pont-Auban*; demum III. aut IV. infra Abrincatas milliario in Sevam labitur. Ita ambo conjuncti, inter montem S. Michaëlis atque Tumbellanam in mare effluunt, ſicut quidam tradunt. Furnarius Arduum, & Senunam, quem mendosè *Seminam* vocat corrupta Brittonis exemplaria ſecutus, ad Pontem-Hubaldi decurrere in Oceanum tradidit: quod verum eſſe poteſt. Conſtat enim duos amniculos Senunâ recipi. Ab Abrincatuis gente, & ab urbe Abrincatis nomen accepit pagus *Abrincatinus*; *Aprincatus* corruptè dictus in Capitulis Silvacenſibus Caroli Calvi, v. *l'Avranchin*, nonnumquam ſed malè *l'Avranchinois*.

Notandum eſt, quod recentiores quidam ſcribunt, apud Abrincatuos in colle Brimbalio (*la Bute de Brimbal*) quatuor amnes oriri, ſuo quemque alveo in diverſa decurrentes, Sevam, Saam à recentioribus dictum, de quo ſuprà retulimus, Viriam, Egranniam, & Nigram aquam. Ex quibus Viria, *Vire* vulgò nuncupatur, & caſtrum Viriam alluit, (*Vire*) & caſtrum vel opidum S. Lautonis aut Laudi, *S. Lo*: efficitque marius Vadum S. Clementis, *le Grand Vé*, quo Conſtantienſis Comitatus & pagus à Baiocaſſino dividitur. Egrannia, aliàs Egrennia, recentioribus Egrenius, vulgò *Egrene*, quibuſdã trunco nomine *Grene* appellatus, attingit Longiledum Abbatiali Monaſterio clarum, *Lonlé*, vicum S. Marci ad Egranniam, *S. Marc de Grene*, aut potiùs *d'Egrane*, ubi Varennâ excipitur (*la Varenne*) mox Meduanam auctuto. At Nigra-aqua *Noireau* à colore aquarum, vel *Nereau* cognominatus, à recentioribus *Nigellus* & *Noreus* mendosè dicitur: alluit Tenerchebraiũ vel Tenerchebrachium *Tinchebray*, & Condate Baiocaſſium, *Condé ſur Nolreau*; atque ſupra Pontem Dolliacum, *Pont Douilly*, Olinâ accipitur. Eſt & Nigella, *la Neſle*, fluvius unus è primis in Garumnam defluentibus; & Nigra *la Nerre*, in Biturigibus Cubis, cui Albiniacum adſidet, & quem Salera major (*Grande Saudre*) in Carum defert: quibus ambobus fluvius aquæ ſuæ color ac nigredo nomen impoſuit, ſicuti contrà albedo Albæ amni cauſſa nominis fuit. Quamquam Nigella iſte Garumnicus à quibuſdam Latinè *Neſtus* dicitur, itaut *Neſte*, non *la Neſle* (niſi nos decipiunt) debeat nuncupari.

AD S. ABUNDUM.

Vulgò *Saint Aon*, vel *Saint Haon*, locus eſt in pago Belloiocenſi, ut Maſſonus refert, non procul ab Ulſeo caſtello, *Viſ*, inter Rodumnam Seguſianorum ad Ligerim & Montẽ Maurilionis, *Montmorillon*. Legi litteras Stephani Anicienſis Epiſcopi datas *apud Sanctum Habundium*, *anno Dom.* MCCXXIII. in quibus Stephanus ſe *Dei gratiâ Anicienſem Epiſcopum*, *Domini Papæ ſuffraganeum ſpecialem* appellat. Nimirum in quodam veterrimo Provinciali reperio, inter Epiſcopos Aquitaniæ *Anicienſem*, ſive Podienſem *exemtum eſſe*: qui in Notitia Epiſcopatuum Galliæ, in morte Regis Francorum Philippi III. B. Ludovici filii deſinente, dicitur *eſſe Domini Papæ*: quia tum Archiepiſcopi Bituricenſis Metropolitani ſui ditioni exemtus erat, & conceſſa ſibi ab Epiſcopo Romano perpetua libertate gaudebat, ei uni peculiari quodam privilegio ſubjectus: quales vulgò independentes ac per ſe ſubſiſtentes nuncupantur.

ACAUNUM.

Monaſteriũ in loco vallis Penninæ vel Sedunenſis Acauno, quẽ multi Agaunum appellant, exſtructũ pridem, maximè illuſtre effecerunt ſepulcra B. Martyrũ legionis Felicis Thebæorũ, nimirum Mauricii commilitonũmque ejus ibidẽ occiſorũ, Exſuperii, Candidi, aliorũque, quos Gregorius *Sanctos Agaunenſes* vocat. Unde Monaſterium ipſum Fredegarius Gregoriũ & Marium ſecutus, *Monaſterium Sanctorum Agaunenſium*; Uſuardus *Monaſterium Agaunenſe*; Anaſtaſius *Monaſterium S. Mauricii* appellat. Ex quibus Uſuardus, atque etiam Aimoinus precibus votiſque Severini *Monaſterii Acaunenſis Abbatis* Chlodoveum Francorum Regem diuturna valetudine liberatum eſſe produnt: cùm Marius Aventicenſis Epiſcopus in Chronico Florentio & Anthemio Coſſ. hoc eſt anno ante Gundobadi deceſſum, quadriennio poſt Chlodovei mortem Monaſterium illud à Sigiſmundo exſtructum dicat: quod apud Gregorium Sigiſmundus Burgundionum Rex poſt Gundobadi patris obitum; apud Fredegarium & Aimoinum etiam poſt occiſum jam filium dicitur ædificaviſſe, domibuſque & Baſilicis magnificè ornaviſſe, ac prædiis locupletaviſſe. Quare non video, quomodo Severinus vivo Chlodoveo Abbas eſſe potuerit Monaſterii Acaunenſis, quod nonniſi poſt ipſius mortem exſtructum eſt: ut in libro VII. Rerum Francic. ſcripſi. Hic locus & Monaſterium, vulgò nunc *Saint Maurice* appellatur à noſtris, ab incolis *S. Mauritzen in Vuallis*, aliàs *S. Mauris*, & *S. Morits*. Duæ olim exſtiterunt in Monaſterio Agauno Baſilicæ, altera S. Johannis A-

poſtoli & Evangeliſtæ, altera B. Mauricii ceterorúmque Commartyrum.

Agaunum autem veteres Galli ſaxum aut petram linguâ ſuâ vocavere, & hoc loco nomen à rupe aliqua Alpina indidere. *Agaunum accolis interpretatione Gallici ſermonis ſaxum dicitur*: ut in paſſione S. Mauricii legimus. Vitam S. Romani Abbatis Jurenſis Monachus Condatiſconenſis ejus diſcipulus, ut & Lupicini ac Augendi ſcripſit: cujus in præfatione hæc reperio. *Quamvis Agaunus veſter Gallico priſcoque ſermone tam primitus per naturam quàm nunc quoque per eccleſiam veridica præfiguratione Petri petra eſſe dignoſcitur.* In Vita S. Amati legimus, *cum in devexa excelſiſſimi montis rupe prope limina S. Mauricii* duram vitam egiſſe ferè per triennium.

Tabula Peutingeriana inter Pennolucos & Octodurum *Tarnaias* ponit ſic: *Viviſco, Pennelucos, Tarnaias, Octoduro.* Tarnaias iſtas *Tarnadas* vocat Æthicus in Itinerario, & inter *Octudorum*, ſeu Octodurum & *Pennelocum* collocat. *Auguſta Prætoria M. P.* xxv. *ſummo Pennino* xxv. *Octudoro* xxv. *Tarnadas* xii. *Pennelocus* xx. *Bibiſco M. P.* ix. Ex quibus *Tarnaias* vel *Tarnadas* pro Agauno, Monaſterio ac nomine S. Mauricii illuſtri, habent Cluverius & Simlerus; *Pennolucos* vel *Pennelocum* pro *Nuwenſtatt* ad lacum Lemanum, quem locum *Noville* Noſtri appellant, aut certè *Villeneufve* vel *Villenuef*, id eſt Villam novam Novillæ proximam ad Lemanum.

ADUATICI.

Aduaticos Cæſar ex Cimbris Teutoniſque procreatos eſſe ſcribit, & præter cetera opida atque caſtella unum opidum egregiè naturâ munitum habuiſſe, & inter Eburones Regnum Ambiorigis ac Cativulci, ac Nervios poſitos fuiſſe. Eoſdem contra populum Romanum conjuraviſſe, & in communi Belgarum Concilio ad id bellum pollicitos eſſe xxix. millia armata, in libro ii. prodit. Ibi enim pro *Catuacos* legendum eſſe *Atuaticos* vel *Aduaticos* non dubito. Dion *Atuaticos* eos vocat, finitimóſque Nerviis fuiſſe ait, & Cimbris à quibus orti erant animo ac virtute ſimiles. Νερούιοι, Ατουατικοί ἀστυγείτονές τε αὐτοῖς ὄντες, καὶ τὸ γένος τοῦτο φρόνημα τὸ τῶν Κίμβρων ἔχοντες. Auctor Hiſtoriæ Miſcellæ, qualis in veteribus membranis legitur, qui Oroſiũ ad verbũ tranſſcribere conſuevit, nunc *Atuaticos*, nunc, ſed mendosè *Atuatucos* & *Aduatucos* appellat.

Aduaticos Marlianus in Brabantia circa Nivialam & Boſcum Ducis, & in parte Hainoi circa Cannetum, Montes & Bintium opida Camaracenſis Diœceſeos poſitos fuiſſe putat: & eorum *opidum ex omnibus in circuitu partibus altiſſimas rupes deſpectúſque habens, una ex parte aditu* facile *in latitudinem ducentorum pedum* ab aliis *Bellum montem* vicinum Thuduino in finibus Hainoi; à compluribus aliis ſimilitudine aliqua vocabuli perperam ductis *Duacum* Atrebatenſis diœceſeos opidum haberi affirmat. Bekkeſelenus *Aduaticos* Atuaticóſve Cæſaris pro Andoverpenſibus ſive *Antuerpienſibus* accipit; Joſephus Scaliger non minùs malè pro Tungris; *Eburones* Cæſaris qui poſtea Tungri dicti ſunt, & *Aduatucam* urbem caput Eburonum ſive Tungrorum cum *Aduaticos* ineptè confundens propter ſolam ſimilitudinem nominum. Conſtat tamen vel ex uno Cæſare, Aduaticos ab Eburonibus Tungriſve ut nomine ſic & ſedibus differre, nec eoſdem, ſed alteros alteris finitimos tantùm fuiſſe. Samſon Cluverium ut ſolet ſecutus, Aduaticos Diœceſin Namucenſem interpretatur, & *Aduaticorum opidum egregiè naturâ munitum, ex omnibus partibus altiſſimas rupes habens, caputque Gentis* pro Namuco habet, quod eſt inter Aduatucam Tungrorum & Bagacum Nerviorũ ferè mediũ.

Cluverius apud Cæſarem in libro iv. pro *Ambivaritos trans Moſam*, vel *Ambivaretos*, *Aduaticos* legi oportere affirmat in libri iii. de Antiqua Germania capite xvi. & Aduaticos poſtea *Betaſios* dictos eſſe, atque ita Plinio, Tacitóque appellari. Certè *Betaſios* in libro iv. Hiſt. memorat Tacitus, quos Plinius *Betaſos* nuncupat, & in Belgica collocat prope Leucos & Treviros: Notitia Imperii Romani *Vetaſios* vocat b litterâ in u ex more converſâ. De Betaſiis in Beda dicemus.

ÆDUI.

Strabo in libro iv. Æduos inter Dubim & Ararim fluvios ponit: Μεταξὺ τοῦ Δουβιος καὶ τοῦ Ἄραρος οἰκεῖ τὸ τῶν Ἐδούων ἔθνος. In quo haud dubiè fallitur. Quippe Ædui Ligerim, vel potiùs Elaver & Ararim terminos habuere; cùm multa eſſent Æduorum oppida ad Ararim, ad Ligerim autem Noviodunum opidum Æduorum, ſicuti Julius Cæſar ſcribit, qui Æduos *fratres conſanguineóſque ſæpenumero ab Senatu appellatos* ait, *ſocioſque & amicos Populi Rom.* vocat, & multa *Senatuſconſulta honorifica in eos facta eſſe* aſſerit, ac *omni tempore totius Galliæ principatum Æduos tenuiſſe, priùs etiam quàm populi Romani amicitiam appetiſſent.*

Edui dicuntur Cæſari, Straboni, & Plutarcho in Cæſare Ἐδοῦοι, *Edui* quoque Mellæ ac Plinio, nonnũquam & cum adſpiratione *Hedui*. Ceteri quos ſequi malumus, *Æduos* ſcribunt, Cicero, Tacitus, Ptolemæus, Dion in libro xxxviii. Stephanus, Eumenius Æduus Auguſtodunenſis, aliique plurimi. Auſonius, ſed unus *Æduos* vocavit, & ex eo nomine patronymicum formavit *Æduicus*.

Petrus Pithœus veterem inſcriptionem profert, in qua memoratur *Proconſul. Civitatis. Senonum. Tricaſſinorum. Meldorum. Pariſiorum. & civitatis Æduorum.* Ubi nomine *civitatis* non urbs caput populi, ſed totus ager, tota ditio ac fines cujuſque Gentis deſignantur, ſicut apud Julium Cæſarem fieri conſuevit.

Ædui primi omnium inter Galliæ Gentes plurimis Senatuſconſultis fratres populi Romani appellati ſunt: ut tradit Eumenius in gratiarum actione Conſtantino Aug. Flavienſium nomine, I. Cæſarem ſecutus: quod & alibi non ſemel repetit, & Cicero in libri primi ad Atticum epiſtola xix. indicat; Plutarchus etiam in Julio Cæſare: τὸ τῶν Ἐδύων ἔθνος, οἱ τὸν ἄλλον χρόνον ἀδελφοὺς ἀναγορεύοντες ἑαυτοὺς Ῥωμαίων. Apud Tacitum in Annalium libro xi. invenio, Æduos non primos tantùm, ſed etiam *ſolos Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano uſurpaviſſe*, ingenuâ & ſimplici caritate, & vetere ac perpetuâ erga Romanos fide quæſitum.

Primi Ædui (inquit Tacitus.) *Senatorum in Urbe jus adepti ſunt. Datum id fœderi antiquo*:

& quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano uſurpant. Ab eo fœdere antiquo quod cum Romanis junxerant, dicti ſunt etiam fœderati. Certè apud Plinium *Ædui Fœderati* in Celtica vel Lugdunenſi Gallia memorantur cognominantúrque.

Annæus Florus in Epitomes Rerum Romanarum libri III. capite II. de Æduis ita ſcribit. *Primi trans Alpes arma noſtra ſenſere Salyi, cùm de incurſionibus eorum fidiſſima atque amiciſſima civitas Maſſilia quereretur: Allobroges deinde & Arverni, cùm adverſus eos ſimiles Æduorum querela opem & auxilium noſtrum flagitarent.* Nimirum Matiſco Æduorum opidum à Vienna Allobrogum aberat millia paſſuum non ampliùs octoginta, ſicut Æthicus in Itinerario docet: Seguſiani autem Æduorum clientes, quorum in agro Lugdunum poſtea conditum eſt, hinc Allobrogibus ac præcipuè Viennenſibus, inde Arvernis proximi erant, atque ab illis Rhodano flumine, ab his montibus Cebennis dividebantur. Sub imperio Arvernorum erant, eiſque contribuebantur Vellavi, qui ad Rhodanum fineſque Viennenſium Allobrogum ferè pertinebant. Ex Flori verbis apparet, Maſſilienſes primùm, deinde Æduos occaſionem dediſſe Romanis intrandæ Galliæ Narbonenſis ac occupandæ. Nam arceſſiti ab utriſque Romani Oxubios, Deciates, Salyos Ligures Alpes inter & Rhodanum poſitos, de quibus Maſſilienſes queſti erant; Allobroges quoque à quibus Ædui Æduorúmque clientes vexabantur, facilè domuere, ac unà ceteros Galliæ Narbonenſis populos in ditionem ſuam brevi redegere. Nec Galliam Narbonenſem modò, ſed etiam Celtas, Belgas & Aquitanos Ædui, omnemque adeò Galliam Imperio Rom. tradiderunt. Quippe cùm Galliæ totius factiones eſſent duæ, atque alterius principatum tenerent Ædui, alterius Arverni, ac Sequani, ortóque inter ambos bello, à Sequanis qui Germanorum auxilia evocaverant, Ædui bis victi acie gravi jugo premerentur: *Princeps Æduus* Divitiacus *Romam ad Senatum venit*, & recuſato conſeſſu qui offerebatur, *ſcuto innixus peroravit, impetrataque ope, Romanum exercitum, Cæſaremque cis Rhodanum primus induxit. Sed enim Ædui totum iſtud quod Rheno, Oceano, Pyrenæis montibus, cunctis Alpibus continetur, Romano Imperio tradiderunt; hibernis hoſpitaliter præbitis, ſuppeditatis largiter commeatibus, armis fabricandis, pedeſtribus equitúmque copiis auxiliaribus. Ita in unam pacem ſociatis omnibus Celtarum Belgarumque populis, eripuere Barbaris quidquid junxere Romanis:* ut ait Eumenius in gratiarum actione Conſtantino Aug. nomine Flavienſium. Idem docet Julius Cæſar in ſuis belli Gallici Commentariis, & *Æduis eorumque clientibus Seguſianis* ceteriſque *millia* hominum armatorum XXXV. ad Aleſiam obſidione liberandam à Gallis eſſe imperata. Arma autem Æduos fabricaviſſe quis miretur, cùm etiam poſtea ſub Imperatoribus Rom. Auguſtodunum caput Æduorum fabricam loricariam habuerit? quemadmodum docet Notitia Imperii Rom.

Ædui & ſuâ virtute, & Populi Rom. hoſpitio atque amicitiâ plurimum in Gallia poterant: ſumma auctoritas antiquitus erat in eiſdem, magnaque eorum erant clientelæ: uti Cæſar in libro I. atque VI. docet. Ob id *clariſſimi Celtarum* Pomponio Mellæ dicuntur.

Æduorum antiquitùs erat in fide civitas Senonum, ſi Cæſari in libro VI. Comment. creditur, *qui eos præcipuo ſemper honore habuit pro vetere ac perpetua erga populum Romanum fide.*

Seguſiani, Ambibareti vel Ambivareti, Aulerci Brannovices, & Brannovii clientes Æduorum fuere: quemadmodum Julius Cæſar in libro VII. prodit, à quo uno Ambibareti iſti, & Brannovices Brannoviique memorantur: itaut conſtet quidem Æduis proximos ac confines fuiſſe; qui autem fuerint, aut quænam opida habuerint, certò ſciri affirmarique non poſſit. Quo magis miror ſolâ fultam conjecturâ opinionem N. Samſonis Abbavillani Geographi, Nivernenſem Diœceſin in Ambibaretis ponentis; Aulercis Brannovicibus & Brannoviis, alteris Briennenſem pagum (*le Briennois*) ad Auguſtodunenſem Parœciam pertinentem, alteris Matiſconenſem Diœceſin Briennenſi pago finitimam, aut certè Brexiam aſſignantis.

Erant & in Æduorum finibus Mandubii, quorum urbs Aleſia, à Julio Cæſare & ab ejus rerum ſcriptoribus tantopere memorata, hodiéque Diœceſeos Auguſtodunenſis terminis continetur. Eos confines Arvernis facit Strabo, Μανδούβιοι, ἔθνος ὅμορον τοῖς Ἀρουέρνοις: cùm Lingones potiùs attingant, ab Arvernis longiſſimè abſint.

Præterea fuiſſe Ambarros neceſſarios & conſanguineos Æduorum ſcribit Cæſar in libro I. Commentariorum: quos in libro V. commemorat Livius, & inter Æduos ac Allobroges ponit, ac cum Æduis Alpes tranſgreſſos, in Italia ſedem cepiſſe ait.

Boios Gallos demum, qui in agrum Noricum tranſierant, Noreiámque oppugnaverant, reverſos in Galliam, & unà cum Helvetiis victos eſſe à Julio Cæſare, eorúmque reliquias permiſſu victoris in Æduorum finibus collocatas legimus, quorum Plinius aliique meminerunt. Boii ergo iſti exinde ſub Æduorum imperio fuere: quibus Samſon ſine ulla cauſsâ Cabillonenſem Diœceſin ad Ararim attribuit, Ambarris verò agrum Burbonenſem.

Inſubres quoque pagus Æduorum exſtitere. Nam *agrum Inſubrium in Italia cognominem Inſubribus pago Æduorum* Livius in libro V. vocat. Sed heic forſitan pagi nomine locum aut vicum aliquem, non agrum aut regiunculam deſignat. Pæne omiſeram quod Cæſar ſcribit, Bellovacos qui *plurimùm inter Belgas & virtute & hominum numero valebant, & armata millia centum conficere poterant, omni tempore in fide atque amicitia civitatis Æduæ fuiſſe*, ob idque Divitiaco Æduo deprecatore apud ipſum uſos eſſe.

Dicet aliquis. Cur igitur Ædui cùm tantùm apud Romanos gratiâ, tantum viribus apud ſuos poſſent, Seguſianis; cur clientibus patroni ſunt poſtpoſiti? aut cur Lugdunum, quod in Seguſianis ſitum fuiſſe conſtat, Metropolis capútque totius Galliæ Lugdunenſis vel Celticæ factum eſt à Romanis, prælatúmque Auguſtoduno Æduorum, nonniſi ſecun-

dum locum tenenti? Equidem non ob aliud quàm ob dignitatem coloniæ factum id eſſe exiſtimo. Lugdunum enim colonia Romana erat & vocabatur. Coloniam autem Romanam à Romanis Galliarum dominis cunctis Galliæ Celticæ urbibus præponi oportuit. Dici etiam non falſo poteſt, fuiſſe quidem Lugdunum conditum in agro Seguſianorum, non ideo tamen eam urbem Seguſianorum fuiſſe, ſed Romanorum, cùm colonia Romana fuerit: itaut Ædui queri merito non potuerunt, Seguſianis clientibus ſuis poſthabitos ſe eſſe.

Heic notare convenit, unam eamdémque Gentem aliquando duas in Provincias diviſam fuiſſe atque diſtractam. Quippe caput Æduorum Auguſtodunum, præterea Cabillonum & Matiſco opida Æduorum, Provinciæ Lugdunenſi primæ ab Romanis ſunt attributa; at Noviodunum Æduorum, ſeu Nivernum Lugdunenſi IV. vel Senoniæ. Sic Arelatum urbs in agro Salyorum condita, quemadmodum Ptolemæus docet, Provinciæ Viennenſi à Romanis adſcribebatur; Aquæ Sextiæ Salyorum Provinciæ Narbonenſi ſecundæ.

Tacitus in libro III. Annalium non Turonibus modò & Andecavis, ſed etiam Treviris ac Sequanis, validiſſimis ac maximis Belgarum Gentibus pecunioſiores multo ac opulentiores Æduos facit, de Floro ac Sacroviro loquens, qui *Belgas & propiores Gallos*, id eſt Celtas concitaverant Tiberii principatu. *Erupere* (inquit) *primi Andecavi ac Turonii. Trevericum tumultum facilè Florus compoſuit. Apud Æduos major moles exorta, quanto civitas opulentior.* (Treviris nimirum, ſeu civitate Trevirorum.) Et apud eumdem Silius ita milites ſuos alloquitur. *Una nuper cohors rebellem Turonium, una ala Treverum, pauca hujus ipſius exercitûs turma profligavere Sequanos. Quanto pecuniâ dites & voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Æduos evincite.* Quare iidem Ædui *pecuniam, arma, gratuitos inſuper commeatus* detulere Valenti Vitellianarum partium Duci: & Sacrovir cùm Auguſtodunum caput Gentis occupaviſſet, *arma juventuti diſpertiit: XL. millia fuere.* Nec omittendum eſt, quod ad arma attinet, imperantibus Theodoſii majoris filiis ac nepotibus Auguſtoduni Æduorum fabricam loricariam adhuc exſtitiſſe. Idem Tacitus in libro IV. Hiſt. *Batavo equite protritos Æduos Arvernóſque* ait.

AGATHA MASSILIENSIUM.

Strabo atque Marcianus Agathã Maſſilienſiũ coloniam faciunt. Certè à Strabone Ἀγάθη κτίσμα Μασσαλιωτῶν dicitur. Stephanus *ab Liguribus* Tranſalpinis *aut Gallis*, id eſt à Salyis conditam eſſe *Agatham urbem* ait; Scymnus autem *à Phocenſibus*, hoc eſt à Maſſilienſibus: quam Timoſthenes Ἀγαθὴν-τύχην, *Agathen-Tychen* ſive Bonam-Fortunam appellat. Sic autem dicta videtur à Maſſilienſibus, cùm in agro Volcarum Tectoſagum capto conderetur, ob alicujus prœlii felicem eventum: ſicut iidem Nicæam vocavere, ut vel nomine ſuo victoriam ab ipſis ex Liguribus relatam teſtaretur. Memoratur ut à Mella ſic & à Plinio *opidum prætacente ſtagno Agatha quondam Maſſilienſium* in Narbonenſi provincia. Quibus ex Plinii verbis intelligitur Agatham Maſſilienſibus auctoribus ſuis quondam paruiſſe; ætate Plinii non ampliùs paruiſſe. Nimirum Maſſilienſibus dedentibus ſeſe Caius Cæſar abſtulerat omnia præter libertatem, & ſuis eos opidis agriſque ſpoliaverat. A Claudio Ptolemæo in Gallia Narbonenſi *ad mare Gallicum* ponitur *Agathe urbs*, Ἀγάθη πόλις: quibus ex duobus nominibus in unum conjunctis *Agathopolin* quidam recentiores ineptè fecerunt. In veteribus Notitiis Provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Agathenſium* inter Provinciæ Narbonenſis primæ civitates octo nunc V. loco, nunc & ſæpius IV. ponitur poſt Narbonem Metropolim, Toloſam & Beterras. Notitia Iſidoriana à Simlero & Scaligero prolata, & multum ſine cauſa laudata, in *Provincia Viennenſi II.* (ſic Prov. Narbonenſem primam appellat) *civitatem Agathenſium* collocat à Narbone tertiam. Notitia tamen Galliæ omnium veterrima, quæ Honorii Aug. principatu compoſita eſſe creditur, nullam civitatis Agathenſium, ut nec civitatis Magalonenſium mentionem fecit, propereà quód forſitan neutra tunc civitas aut ſedes Epiſcopatûs erat. Certè non ante Meſſallæ V. C. Conſulatum, ſeu annum DVI. quo anno *in civitate Agathenſi* Concilium eſt habitum *in S. Andreæ baſilica*, quæ hodiéque major urbis Eccleſia eſt, Epiſcopatûs Agathenſis meminiſſe quemquam reperio. Huic autem Synodo interfuit, atque ſubſcripſit *Sophronius Epiſcopus civitatis Agathenſis anno XXII. regni Alarici Regis.*

Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VI. Hiſtoriæ Francicæ capite II. Græcam urbem terminatione Græca *Agathen urbem in Gothorum Regno* (id eſt in Septimania vel Gothia) *ſitam* appellat, *Agathenſes* que ejus incolas commemorat. *Agathem* appellat & Appendix Chronici Fredegarii inter *regionis Gothicæ urbes famoſiſſimas*: quam cum Nemauſo & Biterris Carolus Dux & Princeps Francorum Saracenis ademit. *Agathe civitas* vocatur quoque à Juliano Toletanæ ſedis Archiepiſcopo, De expeditione VVambæ in Septimanos rebelles. Vulgò *Agde* Noſtri nuncupant, T in D mutato: uti de catenato *cadenas*, de intybo *endive* faciunt.

Errat Joſ. Scaliger, quum Agatham, atque etiam Bæterras Volcis Arecomicis attribuit, quæ ambæ urbes Volcarum Tectoſagum fuerunt: ut de Bæterris docet Ptolemæus diſertis verbis; de Agatha (ne plura heic dicam) ſitus ipſe.

Vibius Sequeſter in libello de fluminibus, quorum nomina in litteras digeſſit, meminit fluvii Agatham alluentis hiſce verbis. *Cyrta Maſſilienſium, ſecundum Agatham urbem decurrit. Cyrtam Maſſilienſium*, id eſt regionis Maſſiliæ fluvium appellat, qui juxta Agatham in mare Gallicum effluat. Quod ſi verum eſt, aut ſi *Maſſilienſes* heic, ut ſæpe aliàs, pro *Maſſylis* Africæ vel Maſſylienſibus non ſunt poſiti; credendum erit Maſſilienſes cùm Agatham conderent, Agathenſi flumini Græcum nomen dediſſe, & *Cyrtam* à flexuoſis recurſibus quaſi κυρτὸν vel incurvum dixiſſe, quem Galli linguâ patriâ *Araurim* vocabant, & Noſtri nunc *Erau* appellitant.

Ptolemæus Agathen inſulam Agathæ urbi ſuæ cognominem ſic & adverſam atque proximam facit, ceteris omnibus Geographis ignotam. *Inſulæ* (inquit) *objacent Galliæ Narbonenſi, Agatha quidem contra urbem ejuſdem nominis: poſt eam Blaſco, tum Stœchades ſub Citharista promuntorio numero* v. Νῆσοι ὑπόκεινται τῇ Ναρβωνησίᾳ, Ἀγαθὴ μὲν κατὰ τὴν ὁμώνυμον πόλιν; μεθ' ἣν Βλάσκων, &c. At nulla nunc eſt inſula Agathæ adjacens, quam equidem norim, præter *Blaſconem*, quæ vulgò dicitur *Briſcou*, litterà L in R mutata, ut in luſciniola, & in ulmo, quarum alteram *roſſignol*, alteram *orme* nuncupamus. Exiſtimo igitur Ptolemæum de una inſula duas feciſſe, duobus ejuſdem inſulæ nominibus Gallico ac Græco deceptum, & Maſſilienſes inſulam *Agatham* linguâ ſuâ vocaviſſe, quam Galli Blaſconem patrio ſermone vocare conſueviſſent. Blaſconis ſitum malè aſſignat Plinius, quam inſulam inter oſtium Rhodani & Stœchadas tres Maſſiliæ adverſas ponit, cùm ſit citra os Rhodani. Plinii verba ſunt. *In Rhodani quidem oſtio Metina, móxque Blaſcon, tres Stœchades à vicinis Maſſilienſibus dictæ propter ordinem.* At ex Gallia in Italiam tendenti, quem Plinius ordinem ſervat, primò occurrit Blaſcon ad urbem Agatham, mox oſtium Rhodani & in eo Metina inſula, tum Stœchades numero tres contra Maſſiliam. Marcianus Capella in cap. xiv. lib. vi. Plinium malè tranſcripſit. *In Galliæ ora, in Rhodani oſtio Metina, quæ Blaſco nunc vocatur.* Eſt autem in oſtio Rhodani inter tres fluvii alveos amnica inſula Camaria, *la Camargue*, & ad oſtia Rhodani Anguillaria vel Anguillata, *l'Anguillare*, aliàs *Anguillade*: quarum alteram, ſed Anguillariam tamen inſulam maritimam potiùs quam Camariam inſulam amnicam *Metina* nomine ab Plinio deſignari reor.

Nunc inſula Blaſco continenti adjuncta eſt, injectâ mari mole; & Agathæ pro portu eſt.

Diœceſi Agathenſi continentur præter cetera Agatha, Piſcenæ *Pezenas*, Meſua *Meze*, Marcellianum *Marcilhan*, Araura ſive Ceſero ad Arauram fluvium, à Monaſterio S. Tiberii dicta *Saint Tiberi*, & corruptè *Saint Tuberi*; Lupianum *Loupian*, Pinetum *Pinet*; Villa magna, *Ville-magne*, Monaſterio veteri illuſtris; Montaniacum *Montignac*, Florentiacum *Florenſac*.

Uſuardus in Martyrologio pagi Agathenſis meminit, & apertè indicat Arauram ſive Ceſeronem qui à Monaſterio S. Tiberii Mart. nomen accepit, *S. Tuberi*, ei pago adſcribi. Verba ejus ſunt. iv. *Idus Nov. in territorio Agathenſi SS. Martyrum Tiberii, Modeſti, & Florentiæ, qui temporè Diocletiani variis tormentis cruciati, martyrium complevere.* Pagus Agathenſis incolis vocatur *Agadez*, ut Biterrenſis ager *le Bezarez*, Carcaſſonenſis *le Carcaſſez*.

AGEDINCUM SENONUM.

Sex legiones C. Iulius Cæſar in Senonum finibus Agedinci in hibernis collocavit, anno belli Gallici vi. & inſequenti anno *duas Agedinci legiones, atque impedimenta totius exercitûs reliquit*: Labienus quoque *ſupplementum quod ex Italia venerat, reliquit Agedinci, ut eſſet impedimentis præſidio*; ac victo Camulogeno *revertit Agedincum, ubi impedimenta totius exercitûs relicta erant*; quemadmodum Cæſar ipſe ſcribit. Ex quo intelligitur Agedincum non modo propter magnitudinem munitionéſque urbis, ſed etiam propter opportunitatem loci ad Icaunam inter duo maxima flumina Ligerim & Sequanam poſiti valde placuiſſe Romanis, ac pro armamentario proque caſtris nonnumquam habitum eſſe. Claudius Ptolemæus *Agedicum* vocat pro Agedincum, & in Gallia Lugdunenſi ponit Senones, quorum urbs ſit Agedicum: Σένονες, ὧν πόλις Ἀγηδικόν. In tabula Peutingeriana *Agetincum* pro *Agetincum* inter Cenabum & Auteſſiodurum collocatur, conſentiente ſitu. Æthicus in Itinerario provinciarũ Imperii Romani, in itinere a Carocotino Auguſtobonam vocat *Agredicum*, ponitque inter Luticiam Pariſiorum & Auguſtobonam Tricaſſium: vocat, inquam, *Agredicum*, pro *Agedincum*, ut obſervat Surita in ſuis in Æthicum Notis, qui & addit in libris quidem Julii Cæſaris impreſſis excuſum reperiri *Agendicum* & *Agendici*; at in veteribus exemplaribus ſcriptis *Agedinci*, item *Agentinci*, pro *Agetinci*, & *Agednicum* tranſpoſitis duabus litteris pro *Agedincum* ſe inveniſſe. *Agedincum* igitur vel *Agetincum* caput Senonum ac Senoniæ vocabatur proprio nomine ac incorrupto. D. enim in T. & invicem T. in D. ſæpiſſime mutari nemo neſcit. *Eſt D. littera cum T. quædam cognatio*, & cùm T. non valuit, in D. mollitur: & ambæ litteræ *quæ ſunt inter ſe affines, invicem* ſæpe *ſuccedunt*; uti aiunt Quintilianus & Velius Longus. In Annalibus Bertinianis quorum auctor urbes Galliarum veteribus ac propriis nominibus appellare conſuevit, appellari non ſemel obſervo *Agedincum* & *Ajedincum Senonum* his verbis. *Anno* DCCCLVIII. *Qui* (Ludovicus Germanorum Rex) *Kal. Septemb. Pontteonem Regiam villam adveniens, per Catalaunos & Cupedenſes Ajedincum Senonum pervenit.* Item *anno* DCCCLIX. *Karlus Rex libellum accuſationis adverſus Guanilonem Agedinci Senonum Metropolitanum Epiſcopum Synodo Epiſcoporum porrigit.* Quin & in Notis Magnonis, qui fuit Regis Karoli æqualis, & ſuum cuique Genti caput ſubjicere conſuevit, *Agedineum* vocatur pro *Agedincum*, C in E, ut in tabula Peutingeriana mutato. *Turonus*, *Cæſaredunum*; *Senonus*, *Agedineum*. Nimirum ut *Lingonus* Martiali pro *Lingon*; ut Lucano *Santonus* pro *Santon* dicitur: ſic *Turonus* & *Senonus* pro *Turon* & *Senon*; *Turoni* & *Senoni* pro *Turones* & *Senones* nonnumquam etiam apud veteres ſcriptores nuncupantur.

Agedincum poſtea depoſito nomine proprio, Gentis cujus erat caput appellationem ſuſcepit more multarum Galliæ urbium. Ab Ammiano Marcellino in libro xv. vocatur *Senones*, ac in Lugdunenſi prima ponitur. Tum nimirum duæ tantùm Lugdunenſes erant. Idem in libro xvi. *Senonas* vocat *oppidum opportunum*: Eutropius in Breviario, Hieronymus in Chronico, ac Fredegarius *civitatem Senonas* quoque. In veteribus omnibus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ, in provincia Lugdunenſi Senonia ſeu in provincia Lugdu-

nenſi quarta collocatur ea urbs, diciturque *Metropolis civitas Senonum*; Metropolis nimirum Lugdunenſis Senonicæ, vulgò *Sens* contracto & truncato Senonum nomine. Decentius Cæſar Magnentii Aug. frater, cognita ejus clade Senonis è faſcia laqueum ſibi ad fauces elidendas fecit, ibique periit. In triente aureo *Gunthachramni R.* vel Guntchramni *Senonis civita.* legitur: quæ *civitas in Burgundia confiniis ſita nomine Senonas una de nobilibus illius provinciæ nobilis*, vocatur Richerio in Chronico Senonienſi. Senonis Amphitheatrum fuiſſe paſſio Columbæ Virginis Aureliani principatu docet.

Ramundus Marlianus in ſuis in Cæſarem Notis, ſeu in indice eorum quæ in Commentariis Cæſaris habentur, Joſephus I. Scaliger in Notitia Galliæ, quædam in eiſdem Commentariis loca diſcutiens, Papirius Maſſonus in Deſcriptione Galliæ, & Nicolaus Samſon in ſuis Obſervationibus in veterem Cæſaris Galliam, corruptè omnes *Agendicum* appellant pro Agedincum: ex quibus Marlianus Pruvinum ſeu *Provins* interpretatur. Quo nomine irridetur ab Scaligero, ac ſtultitiæ arguitur cum ſectatoribus ſuis his verbis. *Agendicum* (inquit Scaliger) *la ville de Sens; non autem Provins, ut ſtulti putant.* Sequitur Scaligerum more modóque ſuo Maſſonus, & *Agendicum Senonum caput* nuncupat, poſitúmque ait ad Venetæ & Icaunæ confluentem. Quibus verbis ſatis indicat Agedincum ſe pro civitate Senonum Metropoli agnoſcere. Quare Samſoni tantopere laborandum non fuit, ut probaret de quo docti Geographi numquam dubitavere, Agedincum pro Senonis haberi oportere. Agedincum igitur (quod Agendicum mendosè vocitat) ait Samſon fuiſſe olim caput Senonum: ac ſimiliter Senonas (*Sens*) nunc caput eſſe Diœceſeos Senonicæ. Ut ergo Diœceſis Senonica Senonibus veteri Galliæ Celticæ ſeu Lugdunenſis Genti reſpondet: ita Senonas (*Sen*) caput ejuſce Diœceſeos Agedinco reſpondere debere. Mallem ego dicere, à Claudio Ptolemæo nonniſi capita gentium ac primarias cujuſq; populi vrbes memorari conſueviſſe: cùm igitur is Agedicum ſeu potiùs Agedincum unam ac ſolam Senonibus vrbem tribuat, haud dubiè Agedincum Senonum pro vrbe Senonis, ſeu pro capite Gentis cujus hodiéque nomen refert ac ſervat, duci oportere. Quod adjicit Samſon, in Itinerariis Romanis Agedincum inter Luteciam & Auguſtodunum, nec non inter Genabum & Auguſtobonam poſitum inveniri, qui ſitus Agedinci non alii vrbi quam Senonis conveniat: neutrum in Itinerariis reperire memini. Contrà in Itinerario Æthici, ut ſuprà notavi, ponitur *Agredicum* inter Luticiam & Auguſtobonam: in tabula Theodoſiana, ſeu Peutingeriana inter Cenabum & Autеſſiodurum: ſicuti hodiéque Metropolis civitas Senonum, vulgò *Sens* à Gente cujus caput eſt dicta, inter Luticiam Pariſiorum & Auguſtobonam Tricaſſium, item inter Cenabum Carnutum ſeu Aurelianos & Auteſſiodurum Sen. medium invenitur. Quod poſtremo loco ſcribit Samſon, vergente ad occaſum Imperio Romano pleraſque Galliæ Comatæ vrbes quæ capita populorum erant, nomen vetus ac proprium ſuæ quamque Gentis nomine mutaviſſe, & Agedinco idem quod aliis multis accidiſſe: quantum ad mutationem nominum attinet, verum ac nemini incognitum eſt; quantum ad tempus mutationis, falſum. Alibi enim oſtendam, ſi Deus cœpta ſecundaverit, florente maximè Imperio Romano hoc jam fieri cœpiſſe, & Belgicæ, Galliæque Celticæ ſive Lugdunenſis, ac Aquitaniæ vrbes plurimas ac clariſſimas numquam appellationem propriam ita depoſuiſſe, ut in uſu poſtea eſſe deſierit.

AGMANTUM.

Agmantum villam Aimoinus Sanctigermanenſis Monachus vocat in libro de tranſlatione SS. Martt. Georgii & Aurelii in Gallias anno DCCCLVIII. vbi ſcribit Uſuardum & Odilardum Monachos juſſu Hilduini Abbatis corpora Georgii Diaconi & Aurelii Martyrum non multo antè ſub Habdaraghmane Rege cæſorum domum detuliſſe, & in munitiſſima Cœnobii ſui villa Agmanto, ubi tum pars major fratrum Monaſterii S. Germani metu Nortmannorum reſidebat, loculis incluſa collocaſſe. Idem in eodem anno refert auctor Annalium Bertinianorum, qui *villam Acmantum* nuncupat. Vulgò *Eſmans* nunc dicitur. Carolus cognomine Calvus Rex Francorum in Privilegio Monachis Sanctigermanenſibus dato villas Monaſterii enumerans, *in Senonico Agmantum* memorat.

AGNIO FLUV.

Apud Aubertum Miræum in codice donationum piarum & diplomatum, Adroaldus donat *in pago Tarvanenſe villam Sithiu ſuper fluvium Agmonem* S. Presbytero Bertino VIII. *Idus Septemb. anno* XI. *regni Domini noſtri Chlodovei Regis*, Chriſti DCXLIX. ut legimus in litteris ipſius Adroaldi. Eſt ergo Sithiu locus Monaſterio S. Bertini nobilis in pago Tervannenſi ad fluvium Agnionem, qui vulgò dicitur nunc *Aa*, & opidum S. Audomari, novam ſedem Epiſcopatûs in Morinis, (*S. Omer*) olim Sithiu dictum alluit.

ALABONS.

Æthicus in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Arelate, Vapincum inter & Secuſteronem *Alabontem* ponit, qui à Vapinco XVII. à Secuſterone XVI. millia paſſuum abſit, his verbis: *Vapincum* M.P XII. *Alabunte* M.P. XVII. *Secuſterone* M.P. XVI. Idem alibi inter eaſdem civitates eum locum collocat, *Vapinquo* M.P. XII. *Alamonte* M.P. XVII. *Seguſterone* M.P. XVI. *Alabons* igitur vel *Alamons* apud Æthicum unius ejuſdemq; loci nomen eſt: qui *Alarans* vocatur in tabula Theodoſiana ſemel atque iterum, *Alaunio, Seguſterone, Alarante, Vapincum* Vulgó nunc *Talart* dici pridem obſervaveram, antequam hanc obſervationem apud Simlerum reperirem. Hieronymus Surita apud Æthicum *Alabonte, Alabunte*, & *Alamonte* in priſcis codicibus ſcriptum ait reperiri.

ALAMANNI GALLICANI.

Ex Alamannis natione Germana non pauci intra fines Galliæ conſedere. Gregorius Turonicus Epiſcopus tradit, *Iura deſerta inter Burgundiam & Alamanniam ſita, Aventico adjacere*: qua in Alamannia eremoque Lupicinus ac Romanus fratres tria Monaſteria ſtatuerunt. Hi

ſunt *Alamanni*, quos bello civili inter Theodebertum ac Theodoricum germanos orto, cum Tranſiurenſibus pugnaviſſe ait Fredegarius in Chronici libro v. ac ultimo, & à quibus Aimoinus in Hiſtoriæ libro I. ac Hugo Monachus *pagos Helvetiorum incoli* produnt: ſicuti in Rerum Francic. libro v. obſervavimus. Alamanni igitur circa Imperii Romani in Occidente caſum, Tigurinum pagum in Gallia inter Rhenum & Urſam flumina jacentem, aliaque nonnulla Helvetiorum loca obtinuere, atq; regioni ſuæ adjunxere. Ob id VValafridus Strabo lacum Tigurinum in Alamannia ponit: & in Præfatione librorum de Vita S. Galli diſertis verbis tradit, miſtos Alamannis Suevos non modò partem Germaniæ & Rætiæ, ſed etiam partem Galliæ circa Ararim (ita tum Arolam vocabant in Rhenum influentem) obtinuiſſe. De hiſdem Iſidorus in libro IX. *populi* (inquit) *habitantes juxta Lemanum fluvium Alemani vocantur, de quibus Lucanus*: quæ verba & apud Servium leguntur. Sed Lucanus *Lemanum* lacum, non fluvium ullum memorat; *Alamannos* non memorat, quià Lemano dicti non ſunt. Eſt quidem Limagus fluvius in Helvetia, *Lim u* vulgò dictus, in Arolam effluens, quem fortitan Iſidorus cum *Lemano* confundit.

ALANI GALLICANI.

Alani Scythica Gens, Tanais antè, tum Danubii accolæ, exciti à Stilicone unà cum Vandalis in Galliam ſeſe effudere. Præerant Alanis Goar & Reſpendial Reges: è quibus Goar ad Romanos cum ſuis tranſiit, ac in Gallia remanſit, ubi Iovinum Mogontiaci Imperatorem conſalutandum curavit. Reliqui adjunctis Vandalis & Suevis, ductu Reſpendialis Hiſpaniam intrarunt, anno C. CCCCIX. Alani qui in Gallia remanſerant, Valentiniani principatu in duas partes videntur eſſe diviſi, & alteri ad Ligerim, alteri ad Rhodanum in agro Valentino ſedem cepiſſe, hi Sangibano, illi Eocarico Regibus parentes. Certè Conſtantius in libro II. de Vita B. Germani Eocharicum ferociſſimum Alanorum bellicoſæ Gentis Regem ac idolorum cultorem vocat, & cum equitibus ſuis ferratis ad coercendos Armoricos rebelles ab Aëtio miſſum eſſe dicit: quem idem (ſicut exiſtimo) cum popularibus circa ripam Ligeris collocavit, ut metu finitimorum Barbarorum Armorici in fide continerentur. Igitur Attila ſi umquam in Alanos expeditionem ſuſcepit, eam *partem Alanorum trans flumen Ligerim conſidentem* à Iordane dictam aggreſſus eſt: qui ſe poſtea ita Britannis in tractum Armoricum tranſgreſſis immiſcuere, ut multi Britannorum Reges ac Duces præter ceteros Alani vocati ſint, nec ullum hodieque in ea provincia notius ſit nomen Nec alios ut puto Alanos deſignare voluit Sidonius, quum in libri IV. epiſtola I. *paludicolas Sicambros*, hoc eſt Francos; *Caucaſigenas Alanos, & equimulgos Gelonos*, videlicet Taifalos memorat: quorum ferociam timeri à Gallis ait, ſtoliditatem belluinam ineptientium ac ſubito ſine cauſſa iraſcentium rideri atque contemni. Alteri Alanorum parti præfuit Sangibanus, vel Samgiba, quem Proſper ſcribit tractum Valentinum deſertum ab Aëtio locum domicilio accepiſſe, & anno CCCCXLII. reſiſtentes poſſeſſores agris expuliſſe: & quem Aurelianos, ubi cum Alanico præſidio erat poſitus ab Aëtio, Attilæ Hunnorum Regi tradere voluiſſe, ac inſtructa acie adverſus Attilam, tamquam virum ſuſpectum in medium agmen unà cum ſuis collatum eſſe tradit Iordanes. Iidem Alani Gallicani finitimam partem Galliæ poſtea incurſionibus vaſtavere. Quippe Majorianum Aug. cùm expeditionem in Alanos Galliam infeſtantes faceret, à ſuis interfectum idem eſt auctor. Hæc ſunt, quæ de Alanis Gallicanis obſervavimus in libro IV. Rerum Francicarum.

ALBA FLUVIUS.

Alba, *Aube*, in Vita B. Bernardi Claravallenſis Abbatis, & à Guillelmo Armorico in Philippide memoratus fluvius, à colore aquarum ſuarum nomen videtur inveniſſe, ut Tiberis, qui & Albula, Albiſque Germaniæ flumen. Oritur in Lingonibus, & vicum Albæ ripam vel Albam ripam dictum, *Auberive*, Alnetumque, Claramvallem, Barrum, Arciacam, Planceium, Angleduram, & Marcelliacum præterlapſus, accedit Sequanæ.

Eſt & alius in Briegio Alba fluviolus, quem Ionas Monachus Bobienſis in Vita Euſtaſii Luxovienſis Abbatis commemorat hiſce verbis. *Monaſterium Virginum Chriſti ſupra paternum ſolum* (Evoriacas) *inter fluvios Mugram & Albam ædificat Euſtaſius*, id eſt, non *ſupra ſolum* patris ſui, ſed *ſupra ſolum* Chagnerici Burgundofaræ genitoris. Idem in Vita S. Faronis legitur. In Teſtamento Faræ ſuppoſiticio, ſed veteri *farinarium ſitum in Briegio ſuper fluviolum Alba* reperio. Hic Alba ab anguſto alveo dictus eſt & *Albeta* ὑποκοριστικῶς, quaſi parvus Alba, vel Albula, & nunc ut audio vocatur *Aubete*, aliàs *Aubetin*. In litteris Gaufridi Abbatis S. Iacobi Pruvinenſis datis anno MCCXIII. *In Viaria ſua, quæ protenditur à loco ubi Albeta cadit in Mucram uſque ad Foſſata Merodi*. Alba vel Albeta alluit Baſilicam *Baſoche*, Ameliacum alias Amiliacum dictum, vulgo *Amilly*; & infra Columbarienſe caſtrum in majorem Mucram devolvitur. In Chartulario Eccleſiæ Meldenſis, in litteris datis anno MCCXXXI. *Eccleſia Farenſis & Sacerdos Pomeræ habent decimam de riparia de Aubetain magnam & minutam. Eccleſia Farenſis habet partem decimæ in cultura ſua ſuper Albetam propriam. Albeta*, vel *Aubetain*, unus idemque eſt. Eſt & Albeta fluviolus in Biturigib. Cubis, vulgò dictus *l'Aubois* vel *Aubois*, qui Ligeri recipitur, Ionæ de Vita Euſtaſii non omiſſus, quum ait Theodulfum cognomine Bobolenum IV. ex Regula Columbani Monaſteria extruxiſſe in Biturigibus, in his *Gaudiacum haud procul à fluviolo Albeta*: quod pridem eſt dirutum.

Eſt quoque Alba fluviolus, *Albe* vel *Alue*, nuncupatus Arduennenſibus, qui in Vrtam effluit. Alba item, *Alue* amniculus, qui in Moſellam labitur poſt Leſuram Auſonio memoratum.

In Chartulario Eccleſiæ Cadurcenſis fit & mentio *rivi qui dicitur Candida* à candore aquæ: qui amniculus ultimus eſt omnium Avarionem augentium, & aliis *Conde*, aliis, in primis Samſoni *Caude* nuncupatur.

ALBAMARLA.

Albamarla opidum eſt in Diœceſi Rotomagenſi, olim Comitivæ, nunc Ducatus titulo illuſtre, poſitum ad flumen Auciam vel Aucum, vulgò Breſlam dictum, in confinio Pagorum Rotomagenſis & Bellovacæ, veteri Cœnobio Benedictinorum Monachorũ & pannis ſuis inſigne. Vulgo *Aumalle* vocatur. Apud Ordericum Vitalem in libro xi. Hiſtoriæ *Comes Albamarla* memoratur. Hæc à colore ſoli ſui nomen mihi videtur inveniſſe. *Albamarla* enim, nonnumquam & *Albamarna* dicta eſt: ſic eam Guillelmus Armoricus vocat: *caſtrum munitiſſimum quod Albamarna dicitur.* Conſtat autem quam Plinius aliique veteres *margam* appellarunt, à noſtris pridem marnam vel marlam nuncupari cœpiſſe, & eſſe genus albæ terræ quo agricultores frigidum ſolum fovere conſueverint. Velocaſſes & Bellovaci margâ hodieque utuntur, & *marlam* appellitant, (*merle*) quam agricolæ quum in ſumma tellure inuenerunt, mox ibidem puteorum ſcrobibus effodiunt. In litteris Radulfi Abbatis Fiſcannenſis hæc legimus. *Tradidimus hominibus noſtris n & n. quaſdam culturas ad iii. garbam tenendas uſque ad xv. annos, & infra eum terminum marlandas & fimandas.* *Albamarla* igitur dicta eſt à colore ſoli, ſicut *Albaterra* caſtrum (*Aubeterre*) non longè ab Ella flumine *l'Ille*, Aimoino in Vita Abbonis Floriacenſis Abbatis memoratum.

Eadem marna nomen etiam haud dubie dedit caſtro Marnæ, vel Marlæ in pago Laudunenſi, *Marle*: à quo Thomas cognomen accepit, quem Sugerius in Vita Ludovici Craſſi *Thomam de Marna*; alii *Thomam de Marla* appellant.

Marnam autem, & Albammarnam noſtri primò dixere, deinde Marlam, & Albammarlam; ut caſtrum Nantonis poſtea *caſtrum Landonis* vocavere; Unicornem *Licornem*; Nanpredam vel Nanpradam *Lampredam*; Bononiam cum Gallicam tum Italicam, *Boloniam*. Ex Albamarna vel Albamarla factum eſt *Aubemarle*, deinde truncatâ ſecundâ ſyllabâ *Aumarle*, ac demum euphoniæ cauſsâ *Aumalle*, r in l tranſeunte. *Aumarle* vocat Monſtreletius.

ALBECHOUVA.

In diviſione Regni Lotharii inter Reges Ludovicum & Carolum anno DCCCLXX. facta, Albechouvæ fit mentio his verbis. *Hæc eſt portio quam ſibi Hludowicus accepit. Bleſitchouva, Selme, Albechouva, Suentiſium.* De Bleſenſi pago ſeu Bleſitchouva alibi dicemus. *Selme* vulgò nuncupatur *Salme chaſteau*, Selme caſtellum, eoque cognomine diſtinguitur à proximo Selme vico, *Salme-ville*. Uterque locus à flumine Urta non longè abeſt. Albechouva autem ſeu pagus Albenſis haud dubiè à fl. Alba nomen accepit. Alba fluvius, vulgò *Albe* vel *Alue* nuncupatur, oriturque apud vicum Albam *Alue*, à Selme villa atque caſtello non multum diſtantem, & in Urtam effunditur.

ALBICI ET ALEBECE REIORUM APOLLINARIUM.

Julius Cæſar in libris i. & ii. de bello civili *Albicos* vocat *barbaros homines, qui in Maſſilienſium fide antiquitus erant, monteſque ſupra Maſſiliam incolebant*: ac ibidem ait *Albicos non multum Romanis virtute ceſſiſſe, homines aſperos & montanos, exercitatos in armis*; & *crebras per Albicos eruptiones factas eſſe ex opido* Maſſilia: *Maſſilienſeſque cùm propiùs erat neceſſariò ventum, ab ſcientia gubernatorum atque artificiis ad virtutem Montanorum confugiſſe*; hoc eſt Albicorum. *Montes autem hi ſupra Maſſiliam* quos Albici incolebant, ſunt montes Salyorum, à vicinitate Maſſiliæ ad Cebennas trans Rhodanum ferè pertinentes: quos & Polybius in libro ii. & Strabo *Alpes* appellavere; propterea quòd omnes ferè minores montes qui non longè ab Alpibus exſurgunt, communi nomine Gallico Alpes à veteribus dicebantur. *Albici* porrò, à Strabone nuncupantur *Albiæci*, Ἀλβιοικοί· *Poſt Salyas* (inquit Strabo) *Albiæci & Vocontii montes incolunt ad Septemtrionem verſos.*

Albici *Reii* quoque dicti ſunt, & à cultu Apollinis *Apollinares* cognominati: quos & à Trogo atque Juſtino *Segoreios*, nec non *Ligures* appellatos eſſe obſervo. Certè Juſtinus in libro xliii. ſcribit *Phocenſes in ſinum Gallicum navibus deveniſſe, & urbem Maſſiliam in finibus Reorum Segoreiorum condidiſſe prope oſtia Rhodani amnis, in remoto ſinu velut in angulo maris.* In editis exemplaribus reperitur *Segoregiorum*, item *Segobrigiorum* pro Segoreiorum; litterâ g inter duas vocales ut ſæpe accidit insertâ. Sic *Sagii* pro Saii; *Novigentum* pro Novientum; *Vigenna* in tabula Theodoſiana pro Vienna; *Aquilegia* pro Aquileia; *Toliſtobogii* pro Toliſtoboii; *Bogiorum* in Adonis Chronico pro Boiorum; *Vernogilus Nantogilus* & ſimilia pro Vernoilus, & Nantoilus. Certè inter Reios & Maſſiliam nulla tum urbs erat, cùm Aquæ Sextiæ multo pòſt ſint conditæ. Reii igitur ſive Segoreii inter Ligures Tranſalpinos vel Gallos erant, cùm à Juſtino nomine communi *Ligures* appellentur: atque ut puto Ligurum celeberrimis ultra Alpes Salyis quos attingebant contribuebantur. Nimirum Salyi, Deciates, Oxubii, Segoreii vel Reii, aut Albici, & Ligures Capillati, puta Veſdiantii vel Vendiatii, & Neruſii, Ligures Tranſalpini appellabantur. Juſtinus poſtquam deſcripſit inſidias à Commano Segoreiorum Rege, Senani vel Nanni Regis filio & ſucceſſore Maſſilienſibus ſtructas, addit. *Ita patefactis inſidiis, Ligures comprehenduntur.*

Caput Albicorum vel Reiorum *Albece* vel *Alebece Reiorum Apollinarium*, haud dubiè ab Albicis deducto vocabulo: quod opidis Latinis Plinius adnumerat. In Narbonenſi provincia *Opida Latina Aquæ Sextiæ Salyorum, Avenio Cavarum, Apta Iulia Vulgientium, Alebece Riorum Apollinarium, Alba Helvorum.* Sic edita Plinii exemplaria. At in veteribus membranis Vaticanis ſcriptum reperitur *Alebece Reiorum Apollinarium.* In veteri inſcriptione quam profert Sirmundus, vocatur colonia: & *Pont. col. Reior. Apollinar.* id eſt Pontifex Coloniæ Reiorum Apollinarium memoratur. In tabula Peutingeriana *Reis Apollinaris* invenitur, id eſt, Reiis Apollinaribus, ab Aquis Sextiis xxxii. millibus paſſuum. Veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ provinciæ Narbonen-

ſis II. civitatibus tertiam, quota nunc eſt, adnumerant *civitatem Reienſium*, vel *civitatem Reienſem* quæ nunc ibidem i litterâ in g. mutatâ *civitas Regenſium*, nunc g inter duas vocales inſerto *civitas Regienſium* & *Regius* nuncupatur, nonnumquam *Reius*. Recentiores Notitiæ cum Gervaſio Tiſleberienſi *civitatem Regenſem* vocant, ſecundamque nominant inter ſedes Aquenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffragantes. Sidonius in Euchariſtico *Reios* urbem ipſam appellat; *Regium Galliæ* Gennadius pro *Reium*; *Reienſes* urbis agrique incolas idem Sidonius in epiſtola XII. libri VI. Reperias in aliquot libris *Regenſes*, vulgari pronuntiationis errore i in g facilè commutantis, & apud Gregorium de Gloria Confeſſorum capite XCIII. Vulgò *Riez* dicitur.

Ager paguſve Reienſis *territorium Regienſe* vocatur ab Gregorio Turonico Epiſcopo in capite XXXVII. libri IV. Hiſtoriæ Francicæ; *territorium Regenſe* à Paullo Langobardo Gregorii tranſcriptore.

ALBIGENSES ET UBRS EORUM ALBIGA.

Equites cataphractarii Albigenſes in Notitia Imperii Rom. memorantur, *cataphractarii Albigenſes* in veteri inſcriptione apud Goltzium. *Albienſes* alii nuncupant, quod nomen rectius videtur & antiquius quàm *Albigenſes*: ſicut de *Noviento Novigentum*, de *Aquileia* etiam *Aquilegiam*, de *Saiis Sagios*, de *Toliſtoboiis Toliſtobogios*, de *Segoreiis Segoregios* g litterâ inter duas vocales inſertâ recentiores fecerunt. Quod vetus ejus Gentis nomen fuerit, tam incertum eſt, quam conſtat nec Strabonem, nec Ptolemæum, nec Plinium Albienſium ſive Albigenſium mentionem ullam facere: Albienſes quidem licet inter Rutenos & Cadurcos in Aquitania ad Tarnem fluvium poſiti ſint, tamen nihilominùs neutram ad gentem videntur pertinuiſſe. Samſon *Helenteros* Cæſaris vel Eleutheros, qui cum Cadurcis, Gabalis & Vellavis ſub imperio Arvernorum erant, Albigenſes interpretatur; & Plinii *Cambolectros* in Aquitania pro diœceſi Albigenſi qualis nunc eſt, *Cambolectros Atlanticos* in Gallia Narbonenſi pro diœceſi Caſtrenſi, parte quondam Albigenſis habet. Quæ conjecturæ nullo nixæ fundamento refelli non merentur. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, *civitas Albienſium* reperitur, & inter octo provinciæ Aquitanicæ primæ civitates quarto loco ponitur, in quibuſdam *civitas Albigenſium* nuncupata: quam recentiores Notitiæ, Gervaſius aliique in ſeptimum ac pænultimum locum rejiciunt. Concilio Agathæ in Baſilica S. Andreæ Meſſalla V. C. Conſ. anno DVI. habito *Sabinus Epiſcopus Albigenſis civitatis* ſubſcripſit, & Concilio Aurelianenſi V. *Viventius* miſſus ab *Ambroſio Epiſcopo Eccleſiæ Albigenſis*. Paulinus Presbyter apud Gregorium Turonicum Epiſcopum *Diogenianum Albigæ Sacerdotem* id eſt Epiſcopum appellat: ipſe Gregorius nunc *Albigenſem Galliarum urbem*, vel *Albigenſem urbem*; nunc *Albigenſium civitatem*; ac idem interdum *Albienſem civitatem*, & *Salvium Albienſem Epiſcopum* non ſemel in priſcis codicibus nuncupat. Ex quo intelligitur modò *Albienſes*, modò *Albigenſes*, & eorum urbem primariam *Albigam*, & *Albiam* promiſcue dici conſueviſſe: quæ & *Albiegis* nonnumquam eſt nuncupata. Certè in pactione Guntchramni & Childeberti Regum hæc legimus; *Vico-Iuli, Conſeranis, Lapurdo & Albige*: in litteris Conſtantii Epiſcopi Albigenſis ad Deſiderium Cadurcorum Antiſtitem hæc invenimus; *in territorio Alugenſe*, ubi emendandum eſt *Albigenſe* vel *Albigenſe*: & paullo pòſt; *in civitatula veſtra Albige*. Ea urbs ad ripam Tarnis poſita, hodieque nomen vetus ſervat, & vocatur a Noſtris *Alby*; incolæ urbis, adeoque tota Gens *Albigenſes*, *les Albigeois*. *Albigenſes tributo quo in dando vino & annona gravabantur, ſua liberalitate relevaviſſe* dicitur Ludovicus Pius, tum Rex Aquitaniæ anno DCCXCVI. *Territorium Albigenſe* vocatur in epiſtola Conſtantii ſupra memorata: *Albienſis pagus* in veteribus Annalibus Francicis Eginhardi aliorumque, in anno DCCLXVII. vulgo *l'Albigeois*.

Amarandus (ſic Amaranthum vocat) *apud Albigenſem urbem Martyr ſepultus eſt*, inquit Gregorius in libro de Gloria Martyrum. *Amarandi crypta ſociatur & ille Honoriciana perſecutionis Martyr Eugenius* Carthaginenſis Epiſcopus.

Albigenſi diœceſi continentur præ ceteris Albiga, Regalis mons *Realmont*, Confluentes *Coffolens*, Rapiſtagnum *Rabaſtens*, Inſula, Galliacum *Gaillac*, Valentia, Villa nova, Blavia *Bloye*, Vaurum *Vaur* Caſtrum novum Livienſe *Chaſteau-neuf de Levi*. Ex diœceſi Albigenſi detracta Caſtrenſis, pagi Albigenſis vetus portio, in qua eminent Caſtrum aut Caſtra ſedes Epiſcopatûs nova, *Caſtres en Albigeois* Rupes curva *Roque courbe*, Ferrariæ, Monſrigidulus aut Monſreductus *Montredon*.

ALBINIANÆ.

Æthicus in itinere à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum *Albimanas* vocat, & inter Lugdunum Batavorum ac Trajectum ponit, à Lugduno m. p. X. a Trajecto XVII. ſic: *Albimanis* M. P. X. *Trajecto* M. P. XVII. Pro *Albimanis* legitur & *Albinianas* & *Albanianis* in veteribus membranis Æthici: at in tabula Peutingeriana *Albamanis* eodem itinere, ſed aliis plerumque manſionibus. *Fluvius Rhenus, Lugduno* XI. *Pretorium Agrippinæ* II. *Matilone* V. *Albamanis* XII. *Nigropullo* V. &c. Hic locus, ſive *Albaniana* fide codicum, ſive *Albiniana ab Albino* vocandus eſt, vulgò nunc appellatur *Alfen* vel *Alpen*, vicus ignobilis, ut Simlerus & Cluverius aſſerunt: è quibus Cluverius *Albamanos* vel *Albinianos* nuncupat, & *Pretorium Agrippinæ Roomburg* vicum propinquum Lugduno, *Nigrumpullum Woerden* exponit.

ALBUCIO.

Albucio, *Aubuçon*, vel ad lemendum ſonum *Aubuſſon*, ab Albucio poſſeſſore ſuo aut etiam conditore Latinum nomen invenit. Locus eſt in Lemovicum finibus, qui familiæ nobili nomen dedit, itaut de Albucione vel Albucionenſis vocetur, *d'Aubuſſon*. In Concilio Lemovicis habito anno C. MXXXIV. *Abbas Monaſterii Uſercenſis excommunicatum Vicecomitem Albucienſem, interfectum in præda, ipſe apud ſuum Monaſterium ſepeliſſe* dicitur. Geraldi

Cadurcenſis Epiſcopi in epiſtola ad Fredericum Imper. verba ſunt hæc. *Majeſtatem veſtram ſuppliciter exoramus, quatenus dignationis veſtræ miſeratio me, & quemdam conſanguineum meum Vicecomitem de Albucione, ſicut terra Marchionem, & omnes alios cum integra reſtitutione ablatorum faciat liberari.*

ALBUS MONS.

Albus Mons in Chronico Senonienſi, quod Lucas Acherius vulgavit, nuncupatur opidum Lotharingiæ, Comitatûs titulo illuſtre, vulgò *Blammont*, quaſi *Blancmont*.

ALEA FL.

Alea amnis Frodoardo in Chronico memoratus, apud Faram in Iſaram Belgicum flumen decurrit: vulgò *Ale en Laonnois*. Laudunenſem enim agrum irrigat. Frodoardi in rebus anni DCCCCXXII. verba ſunt hæc. *Karolus abnegato ſibi introitu Lauduni, reſedit ſuper fluvium Saram; & Rotbertus caſtrametatus eſt ſuper Aleam.*

ALENTIO.

Alentio, vulgò *Alençon*, opidum eſt poſitum ad flumen Sartam, Ducatus titulo inſigne, quod Ordericus Vitalis paſſim pro Alentione *Alencionem* vocat, Johannes Pariſienſis *Alanconem*, ſcriptores noſtri corruptè *Alenconium*. Alentionenſi pago nomen dedit, vel (ut veteres litteræ appellant) *Alenconienſi*, *l'Alençonnois*. Majoris Monaſterii Monachus qui ante annos circiter D. de Geſtis Conſulum Andicavorum ſcripſit, incorrupto nomine *Alentionem* appellat. *Rex Henricus ſubitò ejectis cuſtodibus Conſulis* Andegavenſis Fulconis *ex arce Alentionis caſtri, ſuos poſuit.*

ALESATIA.

Quam nunc Alſatiam appellare conſuevimus, veteres noſtri Hiſtorici, in primis Fredegarius Scholaſticus in libro V. ac ultimo Chronici ſui *Aleſatiam* & *pagum Aleſatium* nuncupant, & incolas ejus *Aleſatios* ac *Aleſationes*, qui cum Sugintenſibus, *le Suntgau*, Turenſibus *le Turgau*, ac Campanenſibus Auſtriæ attribuebantur. Hæc Germanis *Elſaten*, noſtris olim *Auſſois* vel *l'Auſſois*, item *Auſſay*, nunc *l'Alſace* vocatur. Vita Pippini Francorum Regis *Alexatis* nuncupat; *Aliſatiam* & *Eliſaciam* Annales Fuldenſes; Nithardus nunc *Eliſatam*, nunc *Eliſazam*; Vita S. VVandregiſili *Eliſgangium territorium* corruptè pro *Eliſgangium*; Frodoardus in Chronico *pagum Eliſatium*. Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Eliſatium* Baſilienſi pago pagum proximum facit, & in eo duos Comitatus ponit. *Baſalchouva: in Eliſatio Comitatus duo.*

Ducatus fuit ea regio jam inde à principatu Ludovici Pii Aug. ante annos DCCCXXX. Nam in Annalibus Bertinianis, in rebus anni DCCCXXXIX. *Ducatus Heliſatiæ* memoratur, poniturque inter *Ducatum Ribuariorum*, id eſt Ripariorum, & *Ducatum Alamanniæ*. Errat Aubertus Miræus, qui *Eliſchouve* vel *Eliſgouve* in diviſione Regni Lotharii *Eliſatiæ agrum*, ſive pagum aut regionem Aleſatiæ exponit: cùm in eadem diviſione V. verſu ſubſequente mentio fiat *Eliſatii, in quo Comitatus duo ſint*. Apparet ergo, ſi Eliſchouva eadem fuiſſet atque Eliſatia, unam eamdemque regionem in diverſis verſibus duobus diverſis nominibus ibi appellari non debuiſſe; neque verò etiam appellatam fuiſſe. Fatendum tamen eſt Eliſchouvam aut Eliſgouvam ad *Eliſgangium* proximè accedere. *Gouv* enim vel *Gauv* Germanicâ linguâ pagum ſignificat.

Aleſatia ut ad ripas Rheni poſita eſt, in ſuperiorem inferioremque dividitur, à decurſu fluminis cognominibus acceptis.

Apud VVillelmum Brittonem in libro X. Philippidos vocatur *Alamannia* hoc verſu

Lingones, & Vogeſos tāgens Alemannia fines.

Nimirum Alamanniam & montem Vogeſum attingit.

ALESIA MANDUBIORUM.

Aleſiam eſſe opidum Mandubiorum in colle ſummo, admodum edito loco ſcribit in libro VII. Cæſar, *cujus collis radices duo duabus ex partibus flumina ſubluerent*. Sic in veterrimis codicibus ſcriptum reperiri ait Caſaubonus qui Strabonem notis illuſtravit, cùm in vulgatis Cæſaris exemplaribus legatur *Alexia*. Apud Tacitum à Gallis *Divus Iulius apud Aleſiam obſeſſus* eſſe dicitur. Ab Hercule ex Iberia vel Hiſpania per Celticam revertente conditam eſſe ait Diodorus Siculus in libro IV. urbem magnam, & *ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν στρατείαν ἄλης*, id eſt ab ejus expeditionum errore appellatam *Ἀλησίαν*: & Galatam ejuſdem ex Regia puella furto cognita filium, Celticæ Galliæve nomen ſuum impoſuiſſe, quam Galatiam *Γαλατίαν* vocaverit. Addit hanc urbem liberam perſtitiſſe, donec à Caio Cæſare qui ob magnitudinem rerum geſtarum cognominatus eſt Divus, vi capta, & unà cum ceteris Celtis Gallíſve Imperio Romano ſubjecta eſt, aut ſi Floro credere malumus, flammis ſolo æquata. *Ἀλησίαν πόλιν Μανδουβίων, ἔθνους ὁμόρου τοῖς Ἀρουέρνοις*, *Aleſiam urbem Mandubiorum Gentis finitimæ Arvernis* nuncupat Strabo; meliùs facturus, ſi Mandubios *confinem Æduis Gentem* appellaviſſet. Nam Aleſienſis pagus hodieque Epiſcopo Auguſtoduni Æduorum paret: & Aleſiam in extremis Æduorum finibus ac limine ipſo ponit Erricus. Dion & *Aleſiam* vocat, apud quem pro *εἰς Σαλεσίαν* legēdum eſt *εἰς Ἀλησίαν*. *τὴν πόλιν Ἀλησίαν* appellat etiam Plutarchus. *Alexiam* pro *Aleſiam* multis in libris editis mendoſè legi, jam docti obſervaverunt: in primis Fabricius ad Oroſiū Aleſiam ſcribi oportere. variorū Hiſtoricorum auctoritate cōfirmat. Certè Erricus Monachus non indoctus in libro IV. de Vita S. Germani Autiſſiodurenſis Epiſcopi ante annos circiter DCCC. *Aleſiam* quoque non *Alexiam* nuncupat, ſed ab *alendo* dictam ait, ut gaudet nominibus Gallicis Latinam originem aſſerere.

Te quoque Cæſareis fatalis Aleſia caſtris
Haud jure abnuerim calamis committere noſtris.
Quæ quòd *alat* proprios præpingui pane colonos,
Nominis adjectu quondam ſignata putaris.
Te fines Eduos & limina ſumma tuentem
Aggreſſus quondam ſævo certamine Cæſar,

Nunc reſtant veteris tantùm veſtigia caſtri.

In itinere ab Auguſtoduno Luticiam Pariſiorum ponitur ab Æthico *Aliſincum* inter Auguſtodunum & Deceтiam, ab Auguſtoduno xxii a Decetiâ xxiv. millibus paſſuum diſtans: quod Simlerus in duobus codicibus *Aliſincum*, in totidem aliis *Aſilincum*, in una membrana corruptè tranſpoſitis litteris *Alſinicum* ſcriptum ait reperiri, & *videndum* eſſe *an ſit Aleſia.* At Aleſia nil habet præter aliquam nominis ſimilitudinem cum Aliſinco commune. Quippe Aliſincum vel Aſilincum eſt inter Auguſtodunum & Decetiam, & ni fallor, nunc *Aniſi* vocatur: Aleſiæ vero ſitus iſte non convenit, quæ à Flaviniaco & Sinemuro caſtro parum abeſt, à Dececia & Auguſtoduno multùm, licèt Auguſtodunenſis Diœceſeos finibus contineatur.

Aleſia proxima vico Flaviniaco in Ducatu Burgundiæ & regione *Alſeto*, ac in diœceſi Auguſtodunenſi; nunc in vici formam redacta, nomen priſcum retinet: *Aliſe* enim vulgò dicitur, uti Marlianus ſcribit: eſtque colli declivi impoſita. Aleſiam Mandubiorum, ad cujus collis radices amniculi Lutoſa (*Loze*) & Oſera (*Oſerin*) decurrunt in Brionam, (*Brenne*) eſſe in pago Duſmenſi, & appellationem pagi Duſmenſis Mandubiis reſpondere falsò ait Samſon, & Duſmenſes aliqua ex parte vetus nomen Mandubiorum ſervare: cùm ejus iv. tantùm litteras habeant, nec in pago Duſmenſi, ſed in Aleſienſi pago veterrimo, cujus caput fuit, & cui nomen ſuum dedit, Aleſia ſive Aliſa ſit conſtituta.

Ab Aleſia *pagus Aleſienſis* nomen accepit, *Auxois* vulgo, vel cum articulo *l'Auxois* aut *l'Auſſois*, & nonnullis in tabulis *l'Oſoy: pagus Aliſienſis* dictus Fortunato in Vita Germani Pariſiorum Epiſcopi, pagus *Alſenſis* Carolo Magno, recentioribus corrupto vocabulo *Alſetum*: qui pagus caſtellis & vicis quibuſdam cognomen dedit, in primis Pulliaco vel Paulliaco, *Poüilli en l'Auxois*; Malliaco caſtello, *Mailli en Auxois*; Sinemuro, *Semur en l'Auſſois*; Teio vel Tiaco, *Ty en l'Oſoy*, non procul à caſtro Sinemuro, quem vicum *Titum* quidam vocant, *Tit.*

Hunc pagum aut ignoraviſſe videtur Samſon, aut certè pro parte pagi Duſinenſis habuiſſe, cùm Aleſiam, quæ in Aleſienſi pago poſita eſt, Duſmenſi attribuat.

In Annalibus Bertinianis anno DCCCXLII. *Carolus Rex Trecas adiens per Alſenſem pagum & Tullum civitatem Voſego ſaltu tranſpoſito, penes Argentoratum urbem fratri Hludowico conjungitur.* Hic *pagus Alſenſis* pro Aleſienſi in Æduis accipi non poſſe mihi videtur haud convenienti ſitu. Itaque *Albenſem pagum* à fluvio Alba, aut *Arcenſem* vel *Arceienſem*, id eſt Arciacenſem forſitan legi convenit, ab Arciaca ad Albam.

ALETUM.

In provincia Lugdunenſi tertia quæ Turonica à Metropoli dicitur, eſt vel potiùs fuit Aletum civitas non ignobilis, cujus meminit Notitia Imperii Romani his verbis. *Sub diſpoſitione ſpectabilis Ducis tractus Armoricani & Nervicani Præfectus militum Martenſium Aleto.* Sed Notitiæ veteres provinciarum Galliæ nullam ejus urbis maritimæ mentionem faciunt, quæ in tractu Armoricano poſita, præſidium militum cognomine Martenſium habuit præfecto ſuo parentium, & diſpoſitioni Ducis tractus Armoricani & Nervicani ſubjectorum, ut à latrociniis ac prædationibus Francorum & Saxonum, ea tum maria cotidianis incurſionibus infeſtantium defenderetur. Inter Britannos Epiſcopos qui à Nomenoio Regulo virgas & anulos abjicere coacti ſunt, *Salaconem Aletenſem* memorant circa annum DCCCL. Robertus de Monte in Chronico MCXXCI. anno *Albertum Aletenſem Epiſcopum* appellat, *vulgò de Sancto Maclovio, cujus Epiſcopatus olim civitas Alita vocabatur*, hoc eſt Aletum. Ibidem *Epiſcopum Maclovienſem* nuncupat nomine Maclovii vel Machavi Britanni, qui & Machutes dictus eſt, & in urbe Aleto Antiſtes ſanctitate virtutibuſque claruit. Ab Aleto *pagus Aletenſis* cognominatur in eodem Chronico. Maſſonus affirmat Britannicâ linguâ Aletum *Quid-Aleth* olim dictum eſſe: ſed Albertus de Monte-relaxo Britto Armoricus qui de Sanctis & de Epiſcopatibus Britanniæ minoris ſcripſit, *Guich-Aleth* nuncupatum eſſe, atque ita ſcribendum ait, quibus nominibus *burgus Aletenſis* ſignificetur. Ego *Guich* Britannicum à Latino *vicus* deductum exiſtimo, ut *Guin* vel *Gouin* eorumdem Britannorum à Latino vinum. Viſuntur hodieque ruinæ & rudera murorum, & portus eo in loco, caſtrumque *Solidorum*, vulgò *Solidor* aut *Solidors* dictum.

Aleto diruto, ſedes Epiſcopatûs tranſlata eſt in peninſulam S. Maclovii, mille plus minùs paſſibus inde diſtantem, & Oceano ferè circumfuſam: quæ urbs S. Maclovii vocitatur, *Saint Malo*, *S. Maclovius de inſula* in Hiſtoria Majoris Monaſterii, vulgò *S. Malo de l'Iſle.* Ejus incolas Latini ſcriptores *Maclovienſes*, Britanni *Malouins* nuncupant quaſi *Maclovinos.*

Machutes autem qui & Maclovius, Aletenſium Epiſcopus quidem fuit, ſed ut puto non primus. Neque enim id dicit auctor ejus Vitæ apud Johannem Boſcium: ſed tantùm ſcribit Machutem cum Aarone manſiſſe, donec *Epiſcopatui civitatis Britannicæ quæ vocatur Aleta, ei extitit deſtinatus. Non erat ea civitas longè ab inſula Aaronis, ſuper litus maris ſita: habens ex uno latere fluvium nomine Kinctus, ab altera verò parte mari alluebatur*, ut Vita B. Machutis docet. Ubi pro *Kinctus* legendum videtur *Renctus.* Vulgò enim *Rance* dicitur. In Vita B. Maclovii à Johanne Mabilione edita, *antiquiſſima civitas Aletis, à meridiana parte Rinctio fluvio illic mari influente lavitur; ab aquilone freto interrumpente ab inſula ſeparatur, populis & navalibus commerciis frequentata.*

An alicujus Gentis caput fuerit Aletum, & cujus fuerit, ignoratur. Samſoni enim minimè accedo, qui Aletum vel opidum S. Maclovii, necnon Dolum Redonibus gratis attribuit; non ob aliud (credo) quàm quia uterque locus à Condate Redonum haud multum abeſt.

ALGIA.

Algiæ primus omnium quos equidem norim mentionem facit Adelelmus Saienſis Epiſcopus

in Vita S. Opportunæ Virginis. *Tunc ſtipata multitudine parentum pervenit ad quoddam Cœnobium Sagienſi urbi vicinum, quod eſt in ſaltu Algia ſitum, & vulgò uſitato nomine nuncupatum Monaſteriolum. In eo itaque loco puella Opportuna accepto S. converſationis habitu, cœtui ſanctarum conjuncta eſt feminarum Domino ſibi famulantium.* Monaſteriolum hoc, vulgò *Montreul*, proximum eſt Eſcalfoio, *Eſchaufou*. Ergo ſaltus Algia nomen pago circumjacenti ſuum dedit: ut ſaltui Pertico, ſaltui Brexio, & Briegio, ſilvæ Teoraciæ, aliiſque videmus accidiſſe. Pagum hunc in Normannia Algiam hodieque vocant, *Auge*, peregrinis Baſilicam S. Barbaræ, nobile Monaſterium Canonicorum Regularium petentibus notiſſimum: quem Guillelmus Britto in libro VI. Philippidos memorat his verſibus.

Non tot in autumni rubet Algia tempore pomis,
Unde liquare ſolet ſiceram ſibi Neuſtria gratam.

Idem in libro V.

Siceræque tumentis
Algia potatrix.

Eſt hodieque in Lexoviis ſaltus hic Algia, inter duos amniculos, ſeu inter Sanctum Petrum & S. Barbaram loca ita dicta ex una parte, ex altera Condate ac Macerias: (*Meſſieres*) cujus ad ſaltus caput vicus eſt, *Saltus Algia* vulgò nuncupatus *Saut-d'Auge*, & corruptè *Sotdauge*. Pagus Algia, qui à ſaltu nomen accepit, ferè à Cadomo ad civitatem Lexoviorum pertinet. Proximus enim eſt huic urbi vicus Pons Algiæ dictus, *Pont d'Auge*. In litteris Henrici II. Anglorum Regis, *totum alodium Anſfridi de Polceio, quod eſt in Algia, tam ad B. Petrum ad Divam quàm in aliis locis.*

Marlianus, quem Maſſonus ſecutus eſt, *Algiam* vel *Augiam* ab *Aulercis* deducit, & in Aulercis ponit: cùm Algia in Lexoviorum diœceſi poſita ſit, & urbs Lexoviorum inter Algiam ac Mediolanum Aulercorum Eburovicum intercedat, itaut Algia Aulercorum Eburovicum eſſe non poſſit. Sed ambo parva aliqua nominum ſimilitudine decepti ſunt, & ab Aulercis Aulerciam, ex Aulercia ſublatâ mediâ ſyllabâ Auciam vel Augiam fieri poſſe crediderunt. Ambo etiam magno errore Aulercos nomen eſſe populi putaverunt, ab Eburovicibus differentis, cùm ſit pronomen Eburovicum Lexoviis finitimorum; & Cenomanorum, Diablintum & Brannovicum: ex quibus priores duo longè abſunt à Lexoviis & Aulercis Eburovicibus; Brannovices autem longiſſimè: itaut Aulerci quibus Marlianus & Maſſonus Algienſes attribuunt, ad alios quàm ad Aulercos Eburovices pertinere nequeant.

ALINGAVIA.

Alingavia in Turonibus vicus vetertimus eſt, quem nunc, *Langey* nuncupari & ad flumen Ligerim ſitum eſſe obſervo: ſic Alingonem, Langonem vocamus vulgò, *Langon*. Gregorius in capite ultimo libri X. Hiſtoriæ Francicæ vicum *Alingavienſem* appellat, & in eo loco poſt dirutum Fanum ablutoſque vicanos à Martino Epiſcopo Eccleſiam conditam eſſe tradit. *In vicis quoque, id eſt Alingavienſi, Solonacenſi, Ambacienſi, Ciſomagenſi, Condatenſi, Tornomagenſi, deſtructis delubris baptizatiſque Gentilibus, Eccleſias ædificavit. Lengiacum* vocavere recentiores, in his Monachus Majoris Monaſterii, qui ante annos D. Geſta Conſulum Andicavenſium ſcripſit.

ALINGO.

Alingonenſes Paullinus in epiſtola II. ad Amandum Burdigalenſem Epiſcopum commemorat, & in epiſtola II. ad Delphidium *dedicationem Alingonenſis Eccleſiæ*. Sidonius in epiſtola ad Trygetium *Alingonem portum* Garumnicum inter Coſſionem Vaſatium & Burdigalam Biturigum Viviſcorum poſitum eſſe, & vix XII. millia paſſuum Burdigalâ abeſſe docet hiſce verbis. *Tantumne te Vaſatum civitas ſibi poſſidet, ut te attrahere Burdegalam non amicitiæ, non opimata vivariis oſtrea queant? Portum Alingonis tam piger calcas: & cùm nec XII. milium obiectu ſic retarderis, &c.* Nunc eſt opidum in Vaſatibus ad flumen Garumnam, unde Burdigalam ſecundo amne defluunt. Alingonem Noſtri modò *Alengonem* vocant, *Alengon*; modò truncato capite *Langonem*, *Lengon* vel *Langon*.

ALISONTIA FLUVIUS.

Ejus fluvii meminit Auſonius in Moſella, & Surâ in quem devolvitur non minorem facit hoc diſticho.

Nec minor hoc, tacitùm qui per ſola pinguia labens,
Stringit frugiferas felix Aliſontia ripas.

Hunc veteres tabulæ nunc *Aliſontiam* exemplo Auſonii, nunc *Alſontiam* & *Alſuntiam*, interdum & *Alſantiam* vocant. Litteræ Audradi anni DCCXCVI. *Villa Eptiaco in pago VVabarinſe ſuper fluvio Alſuntia.* (Itzich) Aliæ tabulæ, *In pago VVabarinſe ſuper fluvio Alſontia, in loco qui dicitur Scuffelingen.* (Schifflingen v.) Litteræ anno DCCCIII. datæ. *Hilde in pago VVaberinſe ſuper fluvio Alſantia.* Litteræ VValonis Mettenſis Epiſcopi datæ anno DCCCLXXVI. *Brancelingam ſuper fluvium Aliſontiam in pago Vabrinſe* commemorant. Ex quibus apparet, flumen Aliſontiam ferè totum eſſe pagi Vabrenſis, quem *VVabarenſem* & *VVaberenſem* vocant. Aliſontia vulgò nuncupatur *Alſitz*, aliis *Alſat*, nomine ad *Alſantiam* proximè accedente. Alluit Montem S. Johannis, Luciliburgum *Luxembourg*; villam Crupſtam *Crouchten* infra *Mariſch*. Villare *Uiller*: inde Atarto (*Atart*) auctus, apud Etleburgum in Suram effunditur. Joſephus Scaliger Aliſontiam Auſonii malè *Alſ* aut *Alb* interpretatur, qui fluvius Noſtris *Alue* dictus, ad vicum cognominem effluit in Moſellam, paullo ſupra Eltz fluvioli & Moſellæ confluentem, & Latinè non Aliſontia, ſed Alba nuncupatus eſt haud dubiè; Aliſontiæ appellatione Eltz fluviolo magis conveniente. Ab Aliſontia vel Alſontia *vallis* Aliſontienſis aut *Alſontienſis* nomen habet, ita ſub Ottonibus dicta, quæ Alſontiâ Luciliburgi tenui fluvio, Alſitiâ v. nuncupato irrigatur.

Aliſontiam Auſonii ſunt qui non Alſitiam Luciliburgenſem rivum, ſed Alciam vel Eltiam interpretantur, *Eltz* aut *Elz*, qui fluvius Montē Regalem, Baromundam, (*Pirmond*) ac Alciam (*Eltz*) prælapſus, in Moſellam effluit. Ita

præter ceteros ſentit Vinetus Santon. Sed huic ſententiæ accedere nequeo.

Aliſontia fluvius, ni fallor, nomen dedit pago Germanice dicto *Eliſchouve*, cujus fit mentio in diviſione Regni Lotharii inter Baſiniacum & Varaſch: quod *territorium Eliſgaugium* vocatur in Vita S. VVandregiſili Verodunenſis, Abbatis Fontanellæ, ubi ille Monaſterium in poſſeſſione ſua exſtruxiſſe dicitur. Eliſchouva autem vel Eliſgouva, & Eliſgaugium unum idemque eſt. *Chouve* enim aut *Gouve*, ſicut & *Gau* Germanicâ linguâ pagum ſignificat, *Eliſ* autem ad Aliſontiam proximè accedit. *Eliſchouva* igitur vel *Eliſgaugium* idem eſt ac *pagus Aliſontienſis* vel ad fluv. Aliſontiam.

ALMANISCÆ.

Almaniſcas non ſemel Ordericus cùm in libro XII. Hiſtoriæ tum alibi appellat, locum ad Olinam flumen, vulgò etiamnum *Almeneſches* dictum, Saios inter & Argentonium poſitum.

ALTEIA FLUVIUS.

Alteia fluvius, *Autie* vulgo dictus Picardis noſtris, alluit vicum nominis ſui, nimirum Alteiam *Autie*, Teuceram *Tieure*, Donencum *Doulens*, Ruminiacum *Rumigni*, Alciacum *Auxi*, vicum ad Alteiam *Vy ſur Autie*, Adiulliam *Argoulle*, vicum in tabula Peutingeriana unà cum *Teucera* memoratum; Pontes *Pont à Selane*, aliàs *Pont Aſſelane*, locum Æthico notum inter Ambianos & Geſoriacum, ab Ambianis XXXV. millibus paſſuum diſtantem, à Geſoriaco XXXIX. à ſuis pontibus quos plures habuit fluvio impoſitos, ita cognominatum. Ad hoc opidum Alteia in Oceanum effluit.

Alteiæ fluminis meminere plurimi è ſcriptoribus noſtris veteribus, in primis Florentius Abbas in Vita S. Judoci; Liber MS. miraculorum S. VVandregiſili, in quo locus dictus *Mitiſconi ſuper fluvium Alteia* memoratur; Harulfus Monachus in Chronico Centulenſi, qui & *Alteia*, & *Quantia* proximi ei fluminis, *la Canche* vulgo dicti mentionem fecit.

ALTUM VILLARE.

Nivardus Remorum Antiſtes circa annum Domini DCLXX. in loco Alto-villari ad flumen Matronam inter Sparnacum & Caſtellionem Monaſterium exſtruxit, Berchario que Abbati illud cum Baſilica B. Petri multiſque prædiis ſuis donavit, ubi ipſe Monachique ejus ex præſcripto Columbani viverent: ſicut Frodoardus memoriæ prodidit. Auctor eſt Adſo Bercharium, Childerico Francorum Rege ac Nivardo Epiſcopo adjuvantibus, in Alto-villari Cœnobium in latere montis duaſque Baſilicas condidiſſe: quæ à Nivardo præſentibus provinciæ Antiſtitibus ac Optimatibus Francorum ſint dedicatæ: ut in libro XXI. Rerum Francic. ſcripſimus. Altum-villare, vel Altuſvillaris, locus & Monaſterium vocantur vulgò *Haut-villiers*, vel *Auvilliers*.

ALTUS-MONS.

Altus-mons, Monaſterium in pago Hainoenſi ad ripas Sabis fluminis poſitum erat: quò Anſbertum Rotomagenſem Epiſcopum Pippinus Dux & Princeps Francorum relegavit. Madelgarius cognomine Vincentius Ex-Comite, Autberti Camaracenſium & Atrebatium Epiſcopi manu tonſus, ſicuti Sigebertus ſcribit in Chronico, in Alto-monte ubi Cœnobium ſtatuerat veſtem mutaviſſe, ac Sonegienſe etiam monaſterium condidiſſe fertur, Sigiberto & Chlodoveo Dagoberti filiis apud Francos regnantibus ante annos mille. Angradus monachus in Vita S. Anſberti vocat *Altum-montem Monaſterium, ſitum in territorio Hainovienſi ſuper Sambra fluvio*; Diviſio Regni Lotharii ante annos octingentos facta *Altum-montem*. Vulgò *Haut-mont* dicitur, locus monaſterio monachorum Benedicti regulæ ſubjectorum ad Sabim inſignis, Melbodio Hainoi opido proximus.

AMBACIA.

Ambacia, vulgò *Amboiſe*, veterrimum eſt caſtrum in Turonibus: quod Ludovicus Nublæus Ambacienſis, vir doctiſſimus, ab *ambientibus aquis* dictum eſſe exiſtimabat. Eſt enim poſita ad confluentes *Amariſſa* (*l'Amaſſe*) & Ligeris. Ego amniculum hunc olim *Ambaciam* nuncupatum eſſe puto, qui loco nomen ſuum dederit, ut Avarico Biturigum fluviolus Avara, *Eure*; ut Niverno Niver, *Nieure*. Primus omnium quos quidem noverim aut legerim, meminit Ambaciæ Sulpicius Severus de Vita S. Martini ante annos mille ducentos & ſexaginta.

Meminit ejus loci & Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro II. Miraculorum S. Martini, à me emendatus, *vicumque Ambacienſem* vocat, ubi editi libri mendosè *vicum Ambianenſem* præferunt. Verba Gregorii ſunt. *Dum Guntchramnus Boſo Dux contra vicum Ambacienſem Ligerim fluvium tranſmearet noctu, ſubitò adverſante vento nautæ turbantur in pelago, ſeparatiſque navibus quæ pontem illum ſuſtinebant, & aquâ uſque ad ſummum repletis, deſcendunt cum iis uſque ad cingulum cum ipſis navibus in profundum, nequaquam tamen navibus ſubductis à pedibus.* Ex quibus intelligitur Ambaciæ tum ad flumen Ligerim, quod *pelagus* & *profundum* Gregorius appellat, pontem fuiſſe navalem Romani operis, quales Arelati & pleriſque aliis in Galliarum urbibus ac locis pontes exſtitiſſe obſervo. Certè Gregorius in libro de Gloria Confeſſorum *pontis* meminit, *qui ſuper navem locatus erat*, in Lemane Arvernorum regione. In libri IV. Miraculorum S. Martini idem nomen corruptum eſt *vici Ambacienſis*, ubi editum reperitur *Ambiacenſis*. *Puer quidam de urbe Temallo in pago Turonica urbis vici Ambiacenſis, adveniens ad Baſilicam S. Martini.*

Geſta Conſulum Andegavenſium docent tres uno tempore optimates in Ambacienſi caſtro fuiſſe, Sulpicium dominum *turris lapideæ*; Fulcoium de Torinneio, dominum domus validæ quæ ab ipſo *Mota Fulcoii* dicebatur; & Arnulfum filium Leonii de Magduno, *cuſtodem domus Conſulis* Andegavenſis Fulconis Rechin, quæ *Domicilium* vocabatur. Ibidem Ambacia quidem *opidum*, *Ambaciacum*, turris autem lapidea Sulpicii Calvomontenſis apud Ambaciam, nunc *turris*, ſæpius *arx* nuncupatur, &

ibi etiam *locus qui Vetus Roma dicitur*, intra Ambaciam memoratur. Geſta Dominorum Ambacienſium nunc *Ambaſiam*, nunc *Ambaquis* vocant, velut ab *ambientibus aquis*, aut ab *ambabus aquis*, id eſt à duobus fluviis: & *Amatiſſa* qui in Ligerim ibidem effluit, mentionem faciunt.

AMBIANI ET SAMAROBRIVA AMBIANORUM.

Cæſar Ambianos inter Belgas qui contra populum Rom. conjuraverant numerat, & decem millia armata ad bellum pollicitos eſſe ait, eoſque inter Bellovacos & Nervios ponit, ac utriſque finitimos facit; ſicut ſunt hodieque Bellovacos inter & Camaracenſes ſive Nervios ſiti. Eiſdem ad Aleſiam obſidione Romana liberandam à principibus Galliæ quinque hominum millia imperata eſſe tradit. *Ambiani*, Ἀμβιανοὶ inter *Belloacos* ſive Bellovacos & Sueſſones à Strabone collocantur; à Plinio in Belgica *Ambiani*, inter *Britannos* vel (ut quidam legere malunt) *Brianos* atque *Bellovacos*; à Claudio Ptolemæo eadem in Gallia Belgica Ἀμβιανοί: vulgò *les Amenois* dicti. In Notitia Imperii *equites cataphractarii Ambianenſes* in vexillationibus Comitatenſibus numerantur, & in vetere inſcriptione apud Goltzium. Plinius in libri v. capite ultimo ſcribit, *qui agros Galatia in Phrygia inſedere Gallorum, Toliſtoboios, & Voturos, & Ambianos vocari; qui Mæoniæ & Paphlagoniæ regionem, Trocmos*. Ex quibus *Toliſtobogi*, à Stephano *Toliſtobii*, & *Toliſtobogii* Τολιστοβώγιοι ab Eratoſthene dicti, Gens Gallorum occiduorum; & *Trocmi*, aliàs *Trocmeni*, Τροκμηνοί, Gens Gallica, Stephano quoque memorati; & *Voturi*, ac *Teutobodiaci* aut pridem nomina mutaverunt, aut certè nulla veterum nominum ſuorum, nulla ſedium in Gallia reliquerunt veſtigia.

Caput Ambianorum Samarobriva vocabatur ab incolis. *L. Domitio, Appio Claudio Coſſ.* & inſequētis anni initio *Cæſar cum III. legionibus circū Samarobrivam trinis hibernis hiemare cōſtituit, & totam hiemem ad exercitum manere decrevit*, uti in libro v. ipſemet ſcribit. Erat tum unà cum Cæſare Samarobrivæ Trebatius I.C. quem Cæſar ſæpe conſuluit; ad quem Cicero ſcribens & jocans ait. *Una mehercule collocutio noſtra pluris erit quàm omnes Samarobriva*. item, *O caſtra præclara! Quid tu feciſſes, ſi te Tarentum, & non Samarobrivam miſiſſem!* & in libri VII. epiſtola XVI. *Eſt quòd gaudeas. Conſtat enim inter omnes, neminem te uno Samarobrivæ juris peritiorem eſſe*. Ea urbs Ambianorum *Samarobriva* & Claudio Ptolemæo, Σαμαρόβριυα; in tabula Peutingeriana *Samarobriva*, prope *Teucteram*, (*Tieure*) qui vicus eſt ad flumen Alteiam: Æthico in Itinerario provinciarum *Samarabriva* in ſcriptis codicibus, interdum & *Ambiani* inter *Noviomagum* & *Pontes*. *A Nemetaco per compendium Samarabrivas* M.P. XVI. *A Samarabrivas Sueſſonas uſque* M. P. LXXXIX. In ejuſdem Æthici Coſmographia edita *inter Oceani Occidentalis opida famoſa Amambria* corruptè mendoſéque numeratur, in MS. *Samarabriva*, & ibidem *Ambiani*. Nomen autem eſt Gallicum Samarobriva, vel Samarabrivæ, quod veteri Belgarum linguâ Samari aut Samaræ pontem ponteſve ſignificat, ut *Brivaiſaræ* apud Æthicum, Pontem-Iſaræ. Quippe apud eam urbem plures olim fuere, ut & nunc ſunt pontes ad Samarum: quod flumen *Samarum* vel *Sameram* Gallos ætate Ciceronis ac Cæſaris vocaviſſe, nomen tum uſitatum *Samarobriva* aut *Samarabrivarum* indicat: Gregorius ceteriq; recentiores *Suminam* ac *Somenam*, noviſſimi *Somonam* corruptè appellavere; Ptolemæus Frudim, Sanſone fruſtra contradicente. Apud Magnonem legimus, *Ambianus, Samarobria*, id eſt Ambianus, cujus caput Samarobriva: quæ in paſſione S. Quintini Mart. verſibus ſcripta Somonobria dicitur. Hæc urbs, *civitas Ambianenſium* vocatur Sulpicio Severo in libro I. de Vita S. Martini, ac in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, & inter XII. provinciæ Belgicæ ſecundæ civitates vix x. obtinet locum, etiam civitati Silvanectum quod mireris poſtpoſita; at in recentioribus octavam occupat ſedem, Noviomago, Silvanectis, Bellovacis, Laudunoque prælata: Roriconi *Ambianorum civitas*, Chlodionis, Meroveique Regia.

Samarobriva depoſitâ propriâ appellatione, nomen Gentis cujus caput erat demum ſuſcepit more multarum Galliæ civitatum, ac dicta eſt Ambiani. *Ambiani urbs inter alias eminens* ab Ammiano Marcellino libro XV. in Belgica ſecunda ponitur cum *Catelaunis* & *Remis*. In Codicis Theodoſiani libro VIII. Valentinianus, Valens & Gratianus Auguſti reſcribunt *Ambianis*, qua in urbe Gratianus à patre ſuo Valentiniano Auguſtus conſentiente exercitu fuerat appellatus. Hieronymus in epiſtola ad Ageruchiam, & Notitia dignitatum Imperii Romani, Eginhardus, Frodoardus, ceterique ſcriptores *Ambianos* etiam nuncupavere. In II. priſcis nummis legitur *Ambeanis*. *Præfectus Sarmatarum Gentilium inter Remos & Ambianos provinciæ Belgicæ ſecundæ* fuit: & *ſub diſpoſitione* V. I. *Magiſtri Officiorum fabricæ in Galliis* VIII. ultima *fabrica Ambianenſis ſpatharia & ſcutaria*. Ibi hodieque celebre eſt armamentarium, in quo arma & tormenta bellica fabricantur ac ſervantur. Recentiores pro Ambianis *Ambianum* corruptè vocant, perperam mutato nominis urbis genere ac numero. Noſtri vulgò *Amiens* appellitant.

Ambianorum ad flumen Suminam & ad Oceanum lati ſunt fines inter Caletos & Morinos. Nam & pagus Pontivus Suminam inter & Alteiam flumina, Comitivæ titulo inſignis, & aliqua portio Comitatus Atrebatici, Ambianorum finibus ac diœceſi hodieque continentur, necnon pagus Vinemacus vel Vitmau, *le Vimeu*, inter Auciam & Suminam fluvios jacens, & ager inter Alteiam & Quantiam. Nam Monaſteriolum ad Quantiam ad Ambianos pertinet, & cuncta ab Aucia flumine uſque ad Quantiam. Ambianorum igitur ſunt Duroicoregum, *Rüe Saint Eſprit*, Cadocum *Cayeu*, Corocotinum *Crotoy*, Pontes *Pont Aſſelant*, Corbeia, Pinquiniacum, Pons Remigii, Abbatiſvilla, Leuconaus ſeu opidum S. VValarici, Monaſteriolum.

Nomē dedere Ambiani agro Ambianenſi, quē *pagum Ambianenſem* Capitula Silvacenſia Caroli Calvi, & Frodoardus in Chronico; No-

ſtri *l'Amienois* appellant, *Ambianum ſolum* Eumenius in Panegyrico Conſtantio Cæſari dicto: ut ibidem *Bellovacum ſolum*, *Tricaſſinum ſolum* ac *Lingonicum* nuncupat pagos Bellovacenſem, Tricaſſinum & Lingonicum.

AMBILIATES.

Ambiliates Cæſar unus memorat in libro III. hiſce verbis. *Socios ſibi ad id bellum Oſiſmos, Lexobios, Namnetes, Ambiliates, Diablintes adſciſcunt.* De Venetis, Unellis & Curioſolitibus loquitur. Hos in libro VII. *Ambibarios* mendosè vocari à Cæſare, & in Armoricis civitatibus inter Curioſolites, Oſiſmos ac Unellos numerari conſtat. Cluverius in libro II. de antiqua Germania *Ambialites* vel *Ambiliates* in libri III. Commentariorum Cæſaris priſcis exemplaribus legi ait, non *Ambibarios*. Ambiliates iſti vel Ambialites à Marliano quidem accipiuntur pro Abrincatuis: à nobis pro incolis opidi *Lamballe*, in Britannia Armorica inter Briocenſes Maclovienſeſque poſiti. Samſon *Ambiliates*, ſi nomen incorruptum habeant, *Lambalenſes* quoque videri poſſe propter ſimilitudinem nominis ait: ſin corruptum nomen ſit, & *Ambibarii* legendum pro *Ambiliates*; Ambibarios potiùs pro Abrincatuis accipiendos ſibi videri: cui conjecturæ accedere non poſſum.

AMBLAVA FLUVIUS ET LOCUS.

Locus eſt in Tungrorum finibus, non procul à Monaſterio Stabulenſi, à flumine Amblava nomen habens: quæ villa publica olim fuit, in ſilva Arduenna ac ſubjectâ colli planitie poſita, Caroli Auſtraſiorum Ducis de Neuſtraſiis victoriâ, ac Regis Chilperici Ragenfredique Præfecti Palatii fugâ nobilis. *Fluvii Amblava* meminit Notgerus in Vita B. Remacli Tungrorum Epiſcopi; *loci Amblava* Geſta Francorum & Annales Mettenſes. Et fluvius quidem vulgò *Amblef* vocatur; vicus autem an eodem appelletur nomine neſcio. In litteris Sigiberti junioris Auſtraſiorum Regis, utriuſque, nimirum & fluminis & villæ fit mentio. *Verſus curtes noſtras, id eſt Amblavam, Lethernacho.* (Liernu) item *Alſena, Glane, Albafontana* (*Albfontaine*) *Amblava.* Amblavam *curtes* inter *ſuas* numerat Sigibertus, id eſt inter villas Regales ſeu Dominicas aut fiſcales. Ibidem *VVarcinna, Stagnebachus, Amblava* fluvii memorantur prope *Stabelau & Malmundarium* Monaſteria; & *Dulnoſus in ipſam Amblavam ingredi* dicitur. Notgerus de Vita S. Remacli ad *Vvarchinnam rivulum* qui ſuprà *Vvarcinna* nuncupatur, in Arduenna *Malmundarium* ponit *in parœcia Agrippinenſi*: *Stabulaus* autem Monaſterium trans *Callam rivulum*, Ubiorum & Tungrorum terminum, ad *Amblavam fluvium* in Diœceſi Trajectenſi ſive Tungricana. Alterum *Stavelo*, alterum *Malmedy* appellant.

AMBLIDUM.

Apud Frodoardum in rebus anni DCCCCXLIII. *Hugo Præſul* Remenſis *Amblidum cepiſſe caſtrum ac combuſſiſſe* dicitur: *quod Rotbertus & Rodulfus fratres Remis expulſi detinebant.* Vulgò nuncupatur *Ambly*, adjacetque flumini Baro, (*Bar*) apud Doncherium in Moſam effluenti, & Vindeniſſæ villæ, *Vendereſſe*.

AMBRONIACUM.

Ambroniacum vel Ambroniacus, vulgò *Ambournay*, Monaſterium eſt non ignobile apud Bugeſios in Diœceſi Lugdunenſi, ad radicem collis ſitum in planitie qua itur Lugduno Genevam: quod opido muris cincto originem dedit. *Conſiderata loci aptitudine cui vocabulum erat Ambroniacus, Barnardus eum acquiſivit ab Abbate Luxovienſi permutatione hereditatis paternæ. Ubi renovata Eccleſiâ, in honore Dei genitricis olim conſtructâ, ſed à paganis poſtmodum everſâ, in ipſo loco Abbatiam conſtruxit, Abbate & Monachis collocatis ibidem, quam bonis ampliſſimis ſublimavit*: uti legimus in actis B. Barnardi, ex Abbate Ambroniacenſi Archiepiſcopi Viennenſis, quæ in Ambroniaco Monaſterio ſervantur. Locus ab Ambronibus nomen videtur accepiſſe.

AMFLEAT VEL AMFLEOT.

Beda in capite XXXIII. libri I. Hiſtoriæ Anglorum, de Petri Abbatis in Cantio provincia Britanniæ inſ. morte ſic refert. *Petrus legatus in Galliam miſſus, demerſus eſt in ſinu maris, qui vocatur Amfleat, & ab incolis loci ignobili traditus ſepulturæ. Vicini abſtulerunt corpus, & in Bononia civitate in Eccleſia poſuerunt.* Qui Hiſtoriam Bedæ in Saxonicam linguam tranſtulit, *Amfleot* aut legit, aut poſuit pro *Amfleat*. *Amfleat* ergo vel *Amfleot* vocabatur & *ſinus maris*, & *locus* ad eum ſinum poſitus ignobilis, à Bononia civitate ſive Geſoriaco Morinorum non multum remotus, cùm corpus Petri Abbatis ex vico Amfleato Bononiam tranſlatum poſtmodum fuerit à vicinis: quem ego locum exiſtimo eſſe Ambletolium, *Ambleteul* vulgò dictum, in Morinis ſitum ad ſinum Oceani exiguum, tribus aut IV. leugis ab urbe Bononia diſtantem. F autem in B converti à Noſtris, docet fiber, quem *bievre* appellant.

Heic obſervo *Fleat* vel *Fleot* ſinum maris & locum ad ſinum poſitum deſignare. Certè Cluverius ſcribit æſtuaria alternis maris æſtibus nunc vacua, nunc aquis plena, quandoque paullatim in lacus redacta, à Belgis maritimis *Vlie* atque *Vliet* vel *Fliet*, à Germanis *Fleet* nuncupari, & hoc nomen cùm marinis undis, tum maritimis opidis & vicis paſſim impoſitũ reperiri, nec uſquam in Flandria, Selandia, Brabantia, Hollandia nomen ullum loci in *Vliet* deſinens inveniri, niſi quò æſtus pelagi accedere potuerũt. Quam ob cauſam *Honnefleot* & *Harfleot* primùm, poſt *Honneflot* & *Harflot* contractis nominibus dicta eſſe mihi videntur duo caſtella, ad oſtium Sequanæ & Oceani acceſſus poſita, quæ Noſtri *Honfleu* & *Harfleu* nuncupant: item *Barbefleot* appellatum ob eamdem rem puto, portum pagi Conſtantini non procul à Cæſarisburgo, Cambdeno *Beerfleet*, vulgò *Barfleu*: quæ omnia nomina Noſtri à fluctu aut à fluvio ineptè deducunt. *Fleat* enim aut *Fleot* apud Bedam idẽ eſſe, quod apud Belgas *Flevum* olim, nunc *Vliet* vel *Fliet*, & *Vlie*, apud Germanos *Fleet*, dubitare non debemus.

* Eſt & fluvius in Caletis *Guiteſleda* vel *Viteſleda* Orderico Vitali in libro XII. dictus, vulgò *Viteſleu* aut *Viteſleur*, in nonnullis tabulis & *Videſleur*, qui Canciam (*Cany*) Guiteſledam *Viteſleu*. Paludellum *Paluel*, Vellas *Veules* præterlabitur, & ad Clicadentes in Oceanum effluit. Hic fluvius, & locus cognominis ei appoſitus nomen habent à *fleda*, ſeu ab æſtu acceſſuque maris. Fleda enim idem eſt quod *fleat* aut *flead* Bedæ, & *fleet* nunc Germanis.

Plic Britanni videntur ſinum maris & æſtus quoque maritimos linguâ ſuâ vocaviſſe. Nam Gullelmus Armoricus in Geſtis Philippi Aug. Francorum Regis ſcribit anno MCCIX. munitum eſſe *caſtrum in rupe excelſa cui nomen erat Britannicum Guarplic, id eſt mollis plica, eo quod ſit ſuper ſinum maris in Septemtrionali latere Britanniæ minoris, vel quia ibi molliter plicatur refluxus maris.* Apud eoſdem Britannos Armoricos invenio loca omnia, quorum nomina compoſita à *plen, plou, plo, pleur, plour*, aut *pleuve* incipiunt, ad ſinum aliquem Oceani, aut ad amnes quos mare acceſſu ſuo inundat impletque, poſita eſſe.

AMMANIUM.

Oda vidua in vico Tungrorum Ammanio ad Moſam non procul ab Hoio & Leodico Eccleſiam exſtruxiſſe Georgio Mart. ibique ſepulta eſſe dicitur, ac X. Kal. Novembres natalis ejus à Leodicenſibus celebratur. Quam ſanctitatis eximiæ feminam, B. Arnulfi primùm Regis Domeſtici, deinde Mettenſis Epiſcopi ex Arnoaldo ſeu Boggiſo viro ſuo matrem fuiſſe aiunt. Hic locus inter Leodicum & Hoium poſitus, ſed Hoio propior, vulgò vocatur *Haent*.

ANAGNUTES.

Anagnutes proximi Pictonibus in Aquitania memorantur à Plinio: qui mihi videntur eſſe Ἀγνῶτες ἔθνος Κελτικῆς, *Agnotes* vel *Agnutes* Gens Galliæ à Stephano περὶ πόλεων appellati.

ANAGRATÆ.

Jonas de Vita Columbani Abbatis meminit ejus caſtri in eremo ſaltuque Voſago hiſce verbis. Columbanus *eremum petiit quæ Voſagus dicebatur, vaſtam ſanè: in qua caſtrum erat olim dirutum, quod antiquitùs Anagratas nuncupabant. Ad quod cùm vir ſanctus per aſpera vaſtæ ſolitudinis ſcopuloſaque perveniſſet loca, ibi cum ſuis reſedit.* Ibidem & *Fontanas* memorat. Ex quibus Anagratæ *Anegray* vocantur, Fontanæ *Fontaines*, & ſunt duæ cellæ Monachorum proximæ Luxovio, in diœceſi Veſontienſi, quales nunc à Monachis Prioratus appellantur.

ANDANA.

Andana vulgò *Anden*, aliàs *Andenne*, vicus eſt ad ripam fluminis Moſæ Namucum inter & Hoium poſitus: ubi Begga Pippini ſenioris Præfecti Palatii per Auſtriam filia, Gertrudis Nivialenſis Abbatiſſæ religioſiſſima ſoror, poſt Antigiſili viri ſui mortem clarum Monaſterium exſtruxit: quod eſt hodieque illuſtre, & religione, vetuſtate, opibuſque percelebre Nobilium Canonicarum vulgo Sæcularium dictarum collegium; qualia in Hainoo Cœnobium Melbodienſe Adelgundis, in Brachanto Nivialenſe B. Gertrudis. Ibi Begga VII. baſilicas condidit, virum ſuum ibi ſepelivit interemtum, & ſacras Virgines Reliquiaſque ibidem collocavit: ut in libro XXII. Rerum Francicarum ſcripſimus. Litteræ Henrici III. Imper. datæ anno MCI. *villam Andanam quæ ad Septem Eccleſias dicitur*, vocant.

In diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Andana* nuncupatur, ponitur que inter *Echam* & *Vvaſlos*. Ex quibus Echa *Eyck* vel *Eike* dicitur, eſtque vicus ad Moſam, proximus opido Maſeicæ; (*Maeſeike*) *Vvaſlos* à *Vvaſlero* rivo præterfluente nomen habet, & *Vvaſler* nuncupatur in ſilva Fania, ubi olim Dodo Monaſterium condidiſſe ejuſdem nominis ac rexiſſe fertur: quo diruto, Dodonis Reliquiæ tranſlatæ ſunt in Cellam Laubienſem, Monaſterium in Fania vulgò cognominatam, *Monſtier en Faigne*. *Andana* autem, à quibuſdam *Andenna* appellatur. Sigebertus in primis *Monaſterium Andennenſe* nuncupando, non aliud loco nomen quàm *Andennam* ſua ætate dari conſueviſſe, ſatis oſtendit.

ANDELAUM.

Andelaum vetus nomen retinet, *Andelot*, opidum in pago Lingonico inter urbem Lingonas & Naſium caſtrum Leucorum, quò Guntchramnum & Childebertum Reges anno DXXCVII. conveniſſe una cum Brunichilde ac Faileuba ſcribit Gregorius, pacemque inter ſe ac pactiones quaſdam feciſſe. Ejuſdem meminit Fredegarius in libro V. & ultimo Chronici. *Anno XVII regni Theoderici Lingonas menſe Maio exercitus adunatur: dirigenſque per Andelaum, Naſio caſtro capto Tullum civitatem pervenit.*

AMELIANUM.

Amelianum ab Amelio nomen accepit, quod & corruptè *Amilianum* vocant, incolæ *Milhau*. Opidum eſt in Volcis Arecomicis, diœceſique Nemauſenſi.

ANDELIACUM.

Quod *Andeliacum* Robertus de Monte vocat in appendice Chronici Sigeberti, Britto in Philippide *Andelium*, & *inſulam Andelii caſtrum*: vulgò *Andeli ſur Seine*, aut *l'Iſle d'Andeli ſur Seine* nuncupamus: cùm nec in inſula poſitum appareat, nec flumen Sequanam cui tamen eſt proximum attingat, ſed impoſitum ſit rivo in Sequanam effluenti, niſi nos tabulæ decipiunt. Hic locus eſt venerandæ antiquitatis. Quippe legi codicem Bibliothecæ Regiæ, poſt annum Chriſti DCCCCIII. de Natali S. Chrothildis Reginæ Francorum III. Nonas Junii celebrari ſolito compoſitum: in quo de Chrothilde hæc reperiuntur. *Fecit & aliud Monaſterium ſuper fluvium Sequanæ in loco qui dicitur Andeleius, non longè à muris civitatis Rotomagenſis, in nomine Dei Genitricis.* Diſtat autem Andeliacum ab urbe Rotomago leugis circiter VII. Hoc eſt omnino Monaſterium Virginum, quod vulgò Prioratus B. Mariæ vo-

cabatur, *le Prieuré de Noſtre-Dame d'Andely*, & ante aliquot annos ex cella ſeu Prioratu veteri Benedictinarum Abbatia evaſit: cujus meminit Beda in libri III. Hiſtoriæ Anglicæ capite VIII. & quod *Andilegum* vel *Andelegum Monaſterium* vocat his verbis. *Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum Monaſteriis conſtructis, multi Reges & divites de Britannia Monaſticæ converſationis gratiâ Francorum vel Galliarum Monaſteria adire ſolebant: ſed & filias ſuas eiſdem erudiendas & ſponſo cæleſti copulandas mittebant, maximè in Brige, & in Cale, & in Andilegum Monaſteria.* In Chronico Fontanellenſi vetere, quod V. C. Lucas Acherius edidit, *Andelagum Monaſterium* appellatur haud dubiè. Ibi enim Anſigiſus Abbas Fontanellæ paralyticus anno XVIII. miniſterii ſui *ad Gemeticum Cœnobium libras V. direxit, ad Inſulam Monaſterium ſolidos X. ad Andelagum Monaſterium ſolidos XII.* Habet & Andeleium collegium vetus Canonicorum, Noſtræ Dominæ titulo inſigne.

In litteris Maurilii Rotomagenſis Archiepiſcopi *Andeleium* nuncupatur; ut apud Ordericum in libro XII. ſæpe; *Andeliacum* in tabulis Malgerii ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitis. Hic locus in Veliocaſſibus poſitus, Hadrianum Turnebum tulit, *Andelegum* vel *Andelagum* primò dictus, deinde *Andeleium*, poſtremò *Andeliacum* & *Andeleium*, *Rupes Andeli* in litteris Richardi Angliæ Regis, Ducis Normanniæ & Aquitaniæ, & Comitis Andegaviæ.

ANDENESIUM.

Rigordus in Vita Philippi Aug. *municipia Uldonem, Andeneſium, & civitatem Andegavorum* in rebus anni MCCXIII. junctim commemorat *in Andecavis*, *Andeneſii* nomine deſignans ut puto *Ancenis* vel *Entenix*: qui eſt locus in confinio Andecavorum atque Namnetum poſitus ad ripam fluminis Ligeris, proximuſque Uldoni, *Oudon*, vico eidem ripæ adſito: quæ utraque loca olim Andecaviæ attribuebantur, nunc Britanniæ Armoricæ adſcribuntur.

ANDES VEL ANDICAVI: ET JULIOMAGUS ANDICAVORUM.

Julius Cæſar in libro II. Commentariorum *Andes* cum Turonibus & Carnutibus memorat, & in libro III. proximos eos Oceano facit his verbis. *P. Craſſus adoleſcens cum legione VII. proximus Oceano in Andibus hiemabat.* Sunt tamen Namnetes Oceano propiores Andibus, & inter Andes ac Oceanum medii interiacent. Idem in libro VII. *Andos* eos vocat, ut Turones Turonoſque promiſcuè. *Celeriter* (inquit) *Senones, Pariſios, Pictones, Cadurcos, Turones, Aulercos, Lemovices, Andos, reliquoſque omnes qui Oceanum attingunt, ſibi adiungit* Vercingetorix. At Senones & Pariſii plurimum abſunt ab Oceano; Cadurci quoque & Turones, & Aulerci cum Cenomani tum Eburovices Oceanum non attingunt, nec Lemovices, ac ne Andes quidem Namnetibus interpoſitis. *Dumnacum Ducem Andium* Hirtius in libro VIII. memorat. Lucano quidam falsò tribuunt hoc diſtichon,

In ripis Meduana tuis marcere peroſus
Andus, jam placida Ligeris recreatur ab unda.

Qui *Andes* vel *Andi* Cæſari, hidem ſunt *Andegavi* Plinio in Lugdunenſi Gallia vel Celtica; *Andecavi* Tacito meliùs in libro III. Annalium; Ptolemæo mendosè Ὀνδικαυαι pro Ανδικαυαι *Andicavi*; aut etiam pro Ανδικαουαι, *Andicave*: ut eidem *Meldæ* atque *Carnutæ* dicuntur, qui ceteris Meldi atque Carnutes vel Carnuti: In veteribus Notitiis *Andicavi* & *Andegavi*; in priſcis nummis Regum noſtrorum *Andecavi* & nonnumquam *Andegavi*, in libro VI. Hiſtoriæ Miſcellæ M S. *Andicavi*; Vulgò *Angevins* quaſi Andegavini: gens Comitibus ſuis primùm, deinde & Ducibus illuſtris.

Forum ager vocatur *pagus Andegavenſis* in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum latis, *L'Anjou*, recentioribus *Andegavia*; maxima ex parte cis Ligerim in Lugdunenſi Gallia jacens, nonnulla & trans Ligerim opida & caſtella ac loca obtinens, quæ tamen Aquitaniæ non attribuuntur: *terminus Andegavus* Gregorio libri V. Hiſtoriæ Franc. capite XIII. *regio Andegavenſis* Adrevaldo de Miraculis S. Benedicti. Pars pagi Andicavenſis aliqua, ſed minor trans Ligerim jacet. Unde & Epiſcopus Andicavorum unum e ſuis Archidiaconis habet ei parti præfectum, qui dicitur *Archidiaconus Transligerenſis*: alium quoque trans flumen Meduanam; qui dicitur *Archidiaconus Transmeduanenſis*. Amborum meminit Guillelmus Major, Andecavenſis Epiſcopus in Vita ſua.

Urbs Andicavorum apud Claudium Ptolemæum in Gallia Lugdunenſi Ἰουλιόμαγος, quaſi Julii urbs nomine Latinogallico; in tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana *Iuliomagus* quoque: ſive à Caio Julio Cæſare, ſive ab Auguſto, qui & ipſe patris ſui adoptivi Julii nomen tulit, ita dicta eſt. Apud Magnonem *Andecavus, Iuliomagum*: id eſt Andicavus, cujus caput Juliomagus. In veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ quatuor *civitas Andegavorum* nuncupatur; in una omnium vetuſtiſſima *civitas Andicavorum*: in antiquis Regum Francorum nummis ſæpe legimus monetam percuſſam eſſe *Andecavis*, interdum, ſed rariùs *Andegavis*. Verum & incorruptum Gentis & urbis nomen *Andicavi* vel *Andecavi*, qui poſtea levi mutatione c in g, *Andegavi* ſunt dicti, vulgò *Angers*. Gregorius Turonicus Epiſcopus Gentem ſimul ac urbem caput Gentis vocat *Andegavos*; Gentem quidem in capite XXVII. libri V. Hiſtoriæ Francicæ, & in capite XXV. libri X. caput Gentis in libri VIII. capite XLII. *Andegavos civitatem* etiam Eginhardus ac plerique noſtrorum. Idem Gregorius eamdem urbem *Andegavum* nuncupat non ſemel in capite XVIII. libri II Hiſtoriæ Franc. quem Fredegarius in libri IV. Chronici capite XII. eſt imitatus, ubi *opidum* ſubauditur; nonnumquam & *Andegavis*; *Andegavam urbem* in libri VI. capite XXI. & in X. cap. IX. Regino in libro II. Chronicorum *Andegavis civitatem munitiſſimam & ex ſitu loci inexpugnabilem* appellat, atque *Medanam fluvium in partibus Britanniæ urbis murum alluere*. Aimoino in libello de ſitu Germaniæ & Galliæ capite IV. Hugoni Floriacenſi Monacho in libro III. Hiſtoriæ Ec-

cleſiaſticæ, & Roberto Autiſſiodorenſi in Lugdunenſi Gallia præter ceteras urbes, *Andus*; *quæ & Andegavis*. At Julius Cæſar Gentem quidem ipſam *Andes* bis, *Andos* ſemel vocavit, quos alii omnes *Andecavos* vel *Andegavos* nuncupavere: verùm neminem è veteribus ſcriptoribus reperias, à quo Gentis Andecavorum caput *Andus* vel *Andi* appelletur. Quod autem apud Reginonem & in Annalibus Metenſibus legitur, *Meduanam ex parte Britannia murum* Andegavorum *alluere*, & Carolo Rege Francorum urbem à Normannis occupatam obſidente ac ſæpe valida circumdante, Salomonem Ducem Brittonum ab eo arceſſitum, ultra Meduanam fluvium cum copiis conſediſſe: ſatis indicat urbem Andecavos tum citra Meduanam vel ad ſiniſtram Meduanæ ripam totam poſitam fuiſſe, quæ poſtea à Comitibus Conſulibuſve ſuis, & uti aiunt à Johanne Rege Anglorum circa annum MCCXIII. aucta eſt, pomœrio trans fluviū Meduanam prolato, itaut qui olim alluebat amnis, pridem ferè mediam ac geminatam interfluat, qualis à VVillelmo Brittone Armorico in Philippidos libro X. deſcribitur his verſibus abhinc annos CCCCXL.

Protinus Andegavim nullo munimine cinctam
Ingreſſus, lapide incepit murare quadrato.
Quam Liger argento perlucens ambit ab Auſtro;
A Borea rubeus mediam Meduana pererrat:
Qui ſuus inde fluens quaſi per duo millia, lapſus
In Ligerim nomen perdit, mutatque colorem.

Recentiſſimi *Andegavum* urbem appellant pro *Andegavos*: ut *Turonum* pro Turonos, *Catalaunum* pro Catalaunos, *Cenomanum* pro Cenomanos, *Bellovacum* pro Bellovacos. Quod ne ſæpiùs repetere & in ſingulis veterum urbium nominibus lectores monere oporteat: ne quis ampliùs eum in errorem ſcriptor incidat, obſervo quarumcumque urbium nomina plurali numero Noſtri vulgo nunc efferunt, addito ſ aut x in fine, eodem multitudinis numero Latinè olim efferri conſueviſſe. Sic *Langres* Lingonæ aut Lingoni Latinè; *Baieus* aut *Baieux* Baiocaſſæ vel Baiocæ Latinè; *Avranches* Abrincatæ; *Evreus* aut *Evreux* Ebroicæ; *Sées* Saii; *Liſieus* vel *Liziеux* Lexovii; *Tours* Turoni; *le Mans* Cenomani; *Renes* Redonæ; *Angers* Andicavi; *Nantes* Namnetæ; *Vannes* Veneti; *Sens* Senones aut Senonæ; *Troyes* Tricaſſæ; *Orleans* Aureliani; *Paris* Pariſii; *Meaus* ſive *Meaux* Meldi; *Treves* Treviri; *Mets* aut *Metz* Mettæ vel Metti; *Reims* Remi; *Soiſſons* Sueſſionæ; *Chaalons* Catalauni; *Arras* Atrebatæ; *Senlis* Silvanectæ; *Beauvais* Bellovaci; *Amiens* Ambiani; *Tongres* Tungri; *Arles* Arelatæ Straboni & quibuſdam aliis; *Dreux* aut *Dreus* Durocaſſæ; *Bourges* Biturigæ, aliis Bituricæ; *Rodés* aut *Rodez* Ruteni; *Cahors* Cadurci; *Limoges* Lemovicæ; *Saintes* Santoni; *Poitiers* Pictavi; *Perigueus* vel *Perigueux* Petrocorii; *Aqs* vel *Dax* Aquæ; *Conſerans* vel *Couzerans* Conſoranni; *Aires* Atures vel Aturæ; *Bazas* Vaſatæ; *Beſiers* Bæteræ Ptolemæo, in tabula Theodoſiana Beteræ, in aliis veteribus Itinerariis Biterræ & Beterræ; *Aix* aut *Ais* Aquæ Sextiæ Salyum; *Riez* aut *Riés* Reii Apollinares; *Chartres* Carnutæ; *Nevers* Nivernii: ita enim Aimoinus & alii recentiores pro Niverno vocavere. Has igitur urbes aliaſque qui numero ſingulari & neutro genere appellant, errant haud dubiè, & à priſcis ſcriptoribus recedunt. Cauſa erroris fuit, quòd in priſcis Notitiis civitates ſic deſignantur, *civitas Lingonum*, *civitas Abrincatum*, *civ. Turonum*, *civ. Redonum*, *civ. Namnetum*, *civ. Venetúm*, *civ. Senonum*, *civ. Carnutum*, *civ. Sueſſionum*, *civ. Atrebatum vel Atrabatum*, *civ. Silvanectum*; *civ. Biturigum*, *civ.* Lemovicum, *civ. Santonum*. Interdum quoque à Latinis ſcriptoribus rerum Francicarum ita appellantur, ut opidum pro ſubſtantivo ſit, nomen urbis ei ſubjunctum pro adjectivo. Verbi gratiâ *opidum Saium* vel *Sagium*, *opidum* Lexovium, *opidum Cenomanum*, *opidum Andicavum*, *opidum Venetum*, *opidum Carnutum* vel *Carnotum*, à Carnutis quos pro Carnutibus dixere; *opidum Aurelianum*, *opidum Catalaunum*, *opidum Bellovacum*, *opidum Ambianum*, *opidum Pictavum*, &c. Quæ cùm non intelligerent & animadverterent noſtri recentiores ſcriptores, legendo *civitas Lingonum*, *civ. Abrincatum*, *civ. Turonum*, ſecundum caſum pluralis numeri pro nominativo ſingulari neutri generis accepere, & detracto nomine *civitatis* urbes iſtas *Lingonum*, *Abrincatum*, *Turonum* appellare ſibi licere exiſtimàrunt. Simili errore decepti *Andicavum* ſimpliciter & abſolutè dixere, *Carnutum*, *Aurelianum*, *Bellovacum*, ſublato nomine *opidi*, *municipii*, vel *caſtri*, quod à vetuſtioribus ſemper fuerat adjectum, aut ſaltem, ſed raro ſubauditum. Nonnumquam etiam Noſtri cùm legerent *Andicavis* aut *Andecavis*, *Treviris*, *Mettis*, & ſimilia in III. aut VI. caſu multitudinis; per ignorantiam veteris moris eum eſſe nominativum ſingularem ſibi perſuaſere, & *Andegavis*, *Treviris*, *Mettis*, ac ſimilia feminino generi adſcripſere, ac declinavere ut navis, ſecuris, puppis, turris, febris, ſementis. Docet id præter ceteros Britto in verſibus ſuprà laudatis, qui *Andegavim* urbem ipſam vocat, quæ Theodulfo, Aimoino, Hugoni & Roberto *Andegavis* dicta priùs fuerat. Sic Fortunatus *Mettim* aut *Mettin* nuncupat, quam urbem *Mettis* Notitia Imperii Rom. & veteres Notitiæ civitatum Galliæ antea appellaverant, id eſt Mettas vel Mettos.

Andicavorum urbem Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus, Baſilicaſque ejus deſcripſit ante VVillelmum Armoricum annis quadringentis.

Quam Meduana morans fovet, & Liger aureus ornat,
Quam rate cum levi Sarta decora juvat.
Fruge, ope, nundinis, pulcris & rebus abundans,
Obſita ſeu ſanctis eſt bene tota locis.

Loca autem ſancta ſic enumerat, Baſilicam S. Albini, Baſilicam Johannis Baptiſtæ, Baſilicam B. Martini, Baſilicam S. Saturnini, Cellam S. Petri, Baſilicam Sergii Mart. Baſilicam S. Maurilii vel Maurilionis, Baſilicam B. Anniani, Baſilicam S. Mariæ tranſmeduanenſem vel tranſpontinam, Baſilicam S. Germani Epiſcopi Andicavenſis, Baſilicam S. Michaëlis, & *atria S. Mauricii* Mart. ubi *Pontifici ſua*

plebs cum clero *jungitur*, id eſt majorem urbis Eccleſiam.

Andium celebriora loca ſunt, opida & caſtella, Luſdium *le Lude*, Flecchia ad Lidericum *la Fleche*, Caſtellum Guntherii *Chaſteau Gontier*, ad Meduanam flumen, Credo vel Credonium ad Oldam *Craon*, Brieſerta ad Sartam *Brieſerte*, Duroſtadium ad Lidericum, *Duroſtal*, Bellum Vadum *Beauvau*, Balgeium, aliàs Balgiacum & Baugeium *Baugé* ad Cornonem *Couëſnon*; vetus Balgeium *le Vieil Baugé*, Calidus Mons *Chaumont* Prioratu nobilis, Bellumforte in Valle, *Beaufort en Vallée*; Camilliacum *Chemillé*, Secretum aut Segreium *Segré*, Poënceium *Pouancé*, caſtrum Argento, aliàs Argentonium *Argenton*; Tulliacum *Tuillé*, Burgulium *Bourgueil*, Celſi *Ceaux*, Condate *Cande* ad Erdræ & alterius amniculi confluentem; Mons Sorelli ad Ligerim, ut & Salmurus vel Salmurium *Saumur*; Trivia vel Treva *Treves*, & Conaldum *Cunaut*; Braccum ſaccum *Briſſac*, ad Albantiam *Aubance*, Briſiacum aliàs; Rupes fortis *Rochefort* ad Ligerim, Calonna *Chalonne* locus illuſtris ad ejuſdem fluminis ripam ſiniſtram, & Mons Johannis *Monte Ian*; opidum S. Florentii, Mons Renelli *Montreveau*, Coceium *Coſſé*, quod nomen nobili familiæ dedit; Bellum Pratellum *Beaupreau*, Teotuadum caſtrum, vel Doadum & Doeum *Doué*, Monaſteriolum Berlaii *Monſtreuil Bellay*, Pons Saeii, aliàs Pons Seii, & caſtrum de Ponte Seii, *les Pons de Sé*, Pons à vico Saeio vel Seio nomen nanctus, quem vicum *villam Saiacum ſuper ripam Ligeris* in Rotberti Regis litteris vocari quidam arbitrantur. His omnibus mater & caput præeſt Juliomagus Andium.

ANDESAGINA.

Villa quæ dicitur Andeſagina ſuper fluvium Aucia in pago Neuſtriæ Vinemaco, eſt ut puto *Anſeme* vel *Anceſne*, locus Auciæ adiacens. Eum in locum Lupus Senonicus Epiſcopus eſt relegatus à Chlothario juniore Francorum Rege, ut in ejus Vita reperio.

ANDERNA.

Locum Andernenſem vocat Manaſſes Comes Giſnenſis, & Gilbertum primum loci Abbatem in litteris datis anno MXCVII. *Villam Andernes* Girardus Morinorum Epiſcopus in litteris anni MXXCIV. *Andrenenſem villam* alii: alii *Andriam*, & *Andram*, vulgò *Andre*. Hic locus Monaſterio nomen ſuum dedit: quod nunc *Andernenſe*, nunc idque ſæpiùs *Andrenſe* nuncupant, & à Balduino Comite Giſnenſi anno MXXCIV. conditum eſſe aſſerunt: ſituſque eſt in finibus Morinorum & in Comitatu Giſnenſi Ardam inter & Giſnas.

ANDETHANNALE.

Andethannale vicus, aliàs *Andetannale*, in Itinerario Æthici memoratur, poniturque inter *Orolaunum vicum* & *Treviros civitatem* in itinere à Durocortoro Treviros uſque, ab Orolauno leugis XX. à Treviris XV. P. M. diſtans. Hic locus poſtea Epternacum dictus, vulgò *Echternack*. Sulpicius Severus in libro III. de Vita S. Martini pro Andethannale ſive Andetannale vocat *vicum, cui nomen eſt Andethanna: ubi vaſtam ſolitudinem ſilvarum ſecreta patiuntur*: à Paulino Presbytero qui Sulpicium de Martino tranſſcripſit, vocatur *Andethanna*; à Fortunato qui ambos ſecutus eſt, in libro IV. de Vitâ S. Martini *Andethanna*. Lupus qui librum de Vita S. Maximini Trevirorum Epiſcopi anno DCCCXXX. compoſuit, *Andaciacinam villam* nuncupat.

Andethannale nomen eſt Gallicum, ex II. vocabulis ignotæ ſignificationis compoſitum, *ande* & *thannale* vel *tannale*. Prius nomen ferunt *Andes* vel *Andecavi*, Gens Galliæ Lugdunenſis; *Andeneſium*, *Ancenis* vulgò dictum; *Anderitum* Gabalorum, *Andematunnum* vel *Andomatunum* Lingonum, *Andana*, *Andelaum*, *Andilegum* vel *Andeleium*, quod vulgò *Andeliacum* vocant; *Andeſagina* villa in pago Vinemaco.

VVillibrordus Trajectenſis Epiſcopus, eximius vir ſanctitate & plurimorum Friſiorum ad Chriſtianam religionem converſione inſignis, Epternacum Monaſterium condidit, atque in baſilica ejus ſepultus eſt: quam cellam haud procul ab urbe Auguſta Trevirorum ad flumen Suram (*Saur*) in villa quondam Regia pagi Bedenſis Epternaco exſtruxerat, & eccleſiis ac villis, quas à Pippino & ejus conjuge Plectrude filioque Carolo Martello, atque ab ingenuis Francis acceperat, largè donârat. *Epternacum* memorat diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, quod eſt opidum & Monaſterium in Ducatu Luciliburgenſi, Diœceſique Trevirenſi.

In Epternacenſem Abbatiam Regalem, quæ per CIX. annos Monachos habuerat, anno Dñi DCCCLIX. inducti ſunt ſæculares Clerici ſeu Canonici: donec anno DCCCCLXXIV. Imperator Otto I. in Canonicorum deficientium locum Monachos ſubſtituit: uti in Defenſione Diſceptationis meæ de Baſilicis Regiis obſervavi.

ANDOMATUNUM LINGONUM.

Claudius Ptolemæus Lingonum quos Longones vocat, caput atque urbem *Andomatunum* appellat: *ἐν πόλει Ἀνδομάτουνον*. In tabula Theodoſiana quæ & Peutingeriana dicitur, *Andemantunnum*; in Itinerario Æthici edito *Antematunnum*; in codicibus ſcriptis, ut Hieronymus Surita ait, *Andematunnum* meliùs ac Ptolemæo convenientiùs, interdum & *Antematunnum*: ſicuti eſſe D. litteræ cum T. quamdam cognationem Quintilianus obſervavit: apud Magnonem *Lingonas*, *Andematernum*; id eſt Lingonus, cujus caput Andematunum. Dunum autem Gallicâ linguâ collem, locumve eminentem ſignificabat, quemadmodum omnes ſciunt: quod fortitan Galli quidam, in primis Lingones duriore pronuntiatione *tunum* dixere, & urbem ſuam primariam, quoniam in monte poſita erat, pro Andomaduno *Andomatunum* vel *Andematunum* nuncupavêre. Recentiores nomine Gentis ex more *Lingonas* vocitarunt, Notitia Imperii Romani, Eutropius, & Hieronymus, Fredegarius, Aimoinus, aliique plurimi, veteri appellatione abolita. In Notitia veteri Imperii invenitur, *in Gallia Præfectus Sarmatarum Gentilium Lingonas*. Noſtri quoque vocant *Langres*, *i* litterâ in *e* mutatâ, ut

ex bonnis hoc eſt terminis *bornas*, ex Diacono *Diacrum*, ex pampino *pamprum*, ex tympano *timbrum*, ex cophino *cofrum* fecere. In Notitiis vetuſtiſſimis provinciarum & civitatum Galliæ omnibus *Civitas Lingonum* dicitur, & tertia ponitur inter civitates provinciæ Lugdunenſis primæ: quas Notitias ſcriptores non pauci ſequuntur. *Lingonica civitas* nuncupatur à Gregorio in libri II. Hiſtoriæ capite XXIII. à Nithardo in libro III. *Lingonica urbs*. In civitate Lingonis legitur inſcriptio D.M. *Moderato Liberto coloniæ Lingonum* quæ apud Gruterum inſcriptio ſi vera eſt, (nam de ea re admodum dubito) deducta fuerit hæc colonia poſt Marci Antonini principatum, ſeu poſt Claudii Ptolemæi ætatem, qui ejus coloniæ non meminit.

Ceterùm dormitat Maſſonus, quum in deſcriptione Franciæ aſſerit, in ſilva Paſſavantia regionis inferioris ſeu Baſſiniæ veteres Lingonas ſteтiſſe, ubi plurima rudera, veſtigia turborum, monumenta marmorea, ac urbis reliquiæ hodieque exiſtent, & unde ad urbem Lingonum novam uno die perveniatur. Nam civitatem Lingonum à Vandalis quidem expugnatam eſſe legimus; dirutam ab ipſis aut ab aliis Gentibus eſſe non legimus, aut in loco à veteri urbe Lingonum remotiſſimo novam urbem ejuſdem nominis conſtitutam.

Geilo Eccleſiæ Lingonicæ Antiſtes civitatem Lingonas *abſque alicujus Comitis vel Iudicis adjutorio* refecit reparavitque circa annum DCCCLXXXVII. *ob perſecutionem & infeſtationem paganorum*, videlicet Nortmannorum; ac perſuaſit Carolo Aug. cognomine Craſſo, tum Franciæ Occiduæ regnum obtinenti, ut *propter nimias Comitum ſeu Iudicum inquietationes, civitatis murum, & XV. pedes intus, LX. extra, ac omnia fiſcalia intra eamdem civitatem ad jus Comitis pertinentia, Lingonenſi Eccleſiæ ejuſque rectorum ordinationi donaret* atque committeret; & ut jus feriundæ monetæ, à patruo ipſius Imperatore Carolo Caluo Iſaac Epiſcopo Lingonenſi & Eccleſiæ Lingonicæ, ac Divionenſi Eccleſiæ S. Stephani conceſſum, ſuis litteris confirmare dignaretur, nec jam ad alicujus Judicis ſeu Comitis, ſed ad Lingonicæ Eccleſiæ rectorum diſpoſitionem ambæ monetæ perpetuò pertinerent. Datæ ſunt litteræ XVIII. *Kal. Febr. anno Incar. Dom. N. I. C.* DCCCLXXXVII. *Indictione* V. *anno imperii Karoli Imperatoris in Italia* VI *in Orientali Francia* V. *in Gallia* II. Quæ nobis indicant initia magnitudinis Epiſcoporum Lingonenſium, qui Comitatum urbis ſuæ ac jus percutiendæ ibi monetæ cùm primùm obtinuiſſent à Regibus Imperatoribuſque noſtris, poſtea de Comitibus Duces Pareſque ſunt facti.

ANDOUERPUM.

Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus in libri II. de Vita B. Eligii Noviomagenſis ac Turnacenſis Epiſcopi capite VIII. primus uti Flandrenſium ita & Andouerpenſium meminit his verbis. *Præterea Paſtoris curâ ſollicitus luſtrabat urbes vel municipia circumquaque ſibi commiſſa. Sed Flandrenſes atque Andouerpenſes, Friſiones & Suevi, & Barbari quique circa maris litora degentes; quos velut in extremis remotos nullus adhuc prædicationis vomer impreſſerat, primò eum hoſtili animo & averſa mente ſuſceperunt: poſtmodùm verò, cùm paullatim per gratiam Chriſti his verbum Dei inſinuare cœpiſſet, pars maxima truci & barbari populi relictis idolis converſa eſt ad verum Deum, Chriſtoque ſubjecta.* Ubi notandum eſt Viromanduos quidem cum Auguſta Viromanduorum, & Noviomagenſes Eligio paruiſſe tamquam Viromanduenſi vel Noviomagenſi Epiſcopo; Turnacenſes verò, Flandrenſes, Gandenſes & Cortoriacenſes eidem ceu Turnacenſi ſimul Antiſtiti obediſſe: Friſiones autem vel Friſios, Andouerpenſes, & Suevos ceteróſque maritimos Barbaros nihil ad ipſum pertinuiſſe: qui *non contentus* (ut ait Audoënus) *circum eſtas Gallias*, id eſt ambas Diœceſes ſuas *illuſtrare, externas etiam provincias famâ ſui implebat, meritorum gratiâ præcurrente.* Et Friſii quidem, quos Audoënus *Friſiones* appellat, Germanica ac Tranſrhenana Gens, excuſſo jugo Francicæ dominationis, partem Bataviæ in Gallia jam occuparant, Citeriorem Friſiam dictam, in primis Doreſtate, & Trajectum Batavorum: at *Suevi* iſti in Gallia qui fuerint, ſcire difficile eſt. Eos tamen, ut & Andouerpenſes iterum memorat Audoënus in ejuſdem libri capite VIII. *Multùm præterea in Flandris laboravit: jugi inſtantiâ Andouerpis pugnavit: multoſque erroneos Suevos convertit.* Andouerpæ vel Andouerpum, vulgò nunc incolis *Antwerpen* vocatur; Germanis Tranſrhenanis *Antorf*, ſi benè memini; Noſtris *Anvers*, Hiſpanis *Amberes*; & antequàm ſedes Epiſcopatûs fieret, Camaracenſi Diœceſi attribuebatur.

Ex ſupradictis intelligitur graviter errare Joſephum Scaligerum, qui *Antuerpiæ vetuſtiorem mentionem* uſquam alibi *invenire* ſe negat, *quàm in Annalibus Francicis à Pithœo editis*, quos Fuldenſes cognominamus: in quibus legimus, *Anno* DCCCXXXVI. *Nordmannos Andwerpam civitatem incendiſſe.* At Dado in Vita Eligii, annis ferè ducentis ante ſcriptorem Annalium Fuldenſium, mentionem *Andouerpenſium* fecit. Idem Scaliger Bekkeſelenum non immeritò arguit, quòd *Aduaticos* Cæſaris Antuerpienſes eſſe exiſtimet.

Lambertus Schafnaburgenſis de Geſtis Germanorum uſque ad annum MXXCI. *civitatis Antwerfe*, & *Marchiæ Antwerfe* meminit: quæ hodieque pro Marchia vel Marcha Imperii habetur, & *Marca Antuerpienſis* vocatur. Sigebertus in Chronico *Andouerpum opidum* appellat, Audoënum ſecutus; Robertus de Monte *caſtrum Antuerpienſe*: quæ nunc ſedes Epiſcopatûs eſt, cùm antè Camaracenſi Epiſcopo pareret. Poſita eſt urbs ad flumen Scaldim, & XLII. millibus paſſuum à mari diſtat, & eó uſque maritimi æſtus accedere conſueverunt. Sita inquam eſt in *pago Renenſium* vel *pago Renenſi*, *Het landt Van Rien* vulgò dicto, cujus caput habetur; per quem fluvius exiguus *Nutta*, vel *Nuta*, *Nete* nunc appellatus decurrit, & Liram opidum præterlapſus, *Lier*, Rupelâ accipitur. Hic *pagus Rien*, & *Comitatus Rien* in litteris ante annos DCLX. datis vocatur, *pagus Renenſis* in vetuſtioribus.

Ibi olim aurei percutiebantur. Nam in litteris *Hildolfi Præpoſiti S. Michaëlis in Antuerpia*, datis anno MCXXIV. *aureum nummum Antuerpienſis monetæ & ponderis* video memorari.

S. ANEMUNDI CASTRUM.

Haud procul ab urbe Lugduno in pago Forenſi eminet caſtrum, S. Anemundi Lugdunenſis Epiſcopi nomine illuſtre, quem vulgò Chanemundum appellant; *S. Chamond*, & corrupto nomine *S. Chaumont*.

ANGER FLUVIUS.

Anger, Gregorio Turonico Antiſtiti notus eſt fluvius. In Vitæ S. Genulfi libri II. capite IX. *Stradenſis Cœnobii & fluminis Angeris* fit mentio. *Angera* Theodulfo Epiſcopo Aurelianenſi in epiſtola ad Moduinum Epiſcopum Æduorum nuncupatur: Aimoino in libri I. de miraculis S. Benedicti capite XVIII. *Andria deſpicabilis viſu fluviolus, ſed crebra in multiplices diſcurſus alvei ſectione, ac paludum aliquantis in locis interpoſitione ad tranſmeandum difficilis.* Vulgò *Indre*: *Endria* & Guillelmo Brittoni in libro VIII. Philippidos: Nobile caſtellum Lochia,

Endria cui magnum decus addit & utilitatem.

Oritur in Biturigibus, & Caſtra *la Chaſtre*, Caſtrum Radulfi *Chaſteau-Rou*; Dolos *Bourg de Deols*; Magdunum ad Andriam *Mehun ſur Indre*, Buſentiacum vel Boſentiacas *Buzancais*, Stratam *Eſtrée*, Monaſterium S. Genulfi *S. Genoul*, Paluellum *Paluau*, Caſtellionem, Luccas *Loches*, Cormaricum, Montem Baſonis alluit, ac demum in Ligerim effluit.

Geſta Ambacienſium Dominorum cum fluvium nunc *Angerem*, nunc *Andriam* & *Endriam* recentiore nomine appellant: in quibus hæc legimus, *fluvius iſte ab antiquis Anger, à modernis Endria dicitur. Fluvium Agnerem* tranſpoſitis II. litteris pro Angerem, & *fluvium Andram* litteræ fundationis Monaſterii Dolenſis anno DCCCCXVII. datæ, & liber de Miraculis B. Mariæ Dolenſis, aliique ſcriptores & codices appellant.

Eſt & Andriſius vel Andriſia, *l'Indrois*, quaſi minor Andria, qui Villam Lupæ *Ville-loin*, & Montemtheſauri præterlapſus, Andriâ recipitur. Sicut minor Salera, *Petite Saudre* majorem Saleram auget, minor Croſa, *Petite Creuſe* majorem Croſam. In Geſtis Dominorum Ambacienſium reperio *Lupam* matronam nobilem *in proprio luco juxta Andreſii rivum villam quæ Villa Lupæ dicitur feciſſe, viroſque Religioſos* ibi *poſuiſſe*. *Andriſium* fluvium & *Androſiam* alibi dictum invenio.

ANGIA.

Angiam veteres rerum Belgicarum ſcriptores appellitant opidum Hainoi, quod Flandrenſes & Hainoarii *Edinghem*: Jacobus de Aveſnis, & Noſtri *Enghien* olim, nunc *Anguien* vel *Enguien* vocant. Hæc urbs ex Dominio Baronia, ex Baronia Ducatus evaſit.

Errant igitur recentes ſcriptores Latini, qui pro Duce Angienſi *Ducem Enguiennenſium* & *Ducem Anguianum* nobis obtrudunt, veri ac antiqui loci nominis ignorantiâ decepti. Sic iidem *Condæum* Principem mendosè appellitant, quem *Condatinum* vocari oportet. A Condate enim fit *Condatinus*, non autem *Condæus*, vel uno Auſonio auctore, cujus hic eſt verſus,

In Condatino diceris degere vico.

Sic ſcribere ſolent ignari antiquitatis Franciciæ, qui cùm priſcos auctores noſtros minimè umquam attigerint, non veteribus locorum nominibus utuntur quæ ignota habent, ſed confidenter ac temere ex vulgaribus patriiſve ac corruptis nominibus nova & corruptiora vocabula invitâ Minervâ conficiunt, quæ barbara magis quam Latina dici haberique conveniat.

ANGLEDURA.

Angledura, *Anglure*, Baronis unius è quatuor Paribus Epiſcopatûs Tricaſſini ſedes ad flumen Albam, eſt in agro Diœceſique Tricaſſium: uti Artiaca, Planciacum vel Planceium, & Marcelliacum, *Marcilli*. Eſt & Angledura proximus Leodico locus, *Angleure* vulgò ſimiliter dictus.

ANNINSULA.

Anninſula in Cenomanis locus veterrimo Monaſterio inſignis, à flumine vel potiùs amniculo præfluente nomen habere dicitur. Vulgo S. Carileffi Monaſterium appellatur, *Saint Calés*. In Gregorii Turonici Epiſcopi duobus vetuſtiſſimis codicibus *Monaſterium, quod vocatur Anninſula*: quod Monaſterium Cenomanicum Carileffus Arvernus, Presbyter & Monachus, Maximini Miciacenſis Abbatis diſcipulus, regnante Childeberto majore Chlodovei filio, conſenſu Innocentii Cenomanorum Epiſcopi exſtruxit, & quò Chilpericus Francorum Rex Meroveum filium ſuum Presbyterum ordinatum miſit, ut Sacerdotali regula erudiretur: quemadmodum in Rerum Francicarum libro X. ſcripſimus. Quibuſdam Monaſterium & locus Monaſterii *Aniſola* vocatur à fluvio, & olim Caſa Caiani locus dictus eſſe fertur; vulgò nunc *Anille* à nomine loci, nunc *Saint Calais* à nomine Patroni.

ANTIPOLIS MASSILIENSIUM IN DECIATIBUS: ET DE LIGURIBUS GALLIS.

Inter Ligures Gallos ſeu Tranſalpinos fuere Deceates, Deciates aliis dicti. *Ligurum celeberrimi ultra Alpes Salyi, Deceates, Oxubii; citra Veneni, Vageni, Statielli, Eburiates*, ut ait Plinius in capite V. libri III. *Tranſalpinos Ligures* vocabant Romani Ligures Gallos, qui Nobis cis Alpes ſunt; ut cõtrà *Ciſalpinos Ligures*, qui nobis ſunt Tranſalpini. Illorum Florus meminit in epitome libri XLVII. Livii his verbis. *Quintus Opimius Conſul Tranſalpinos Ligures, qui Maſſilienſium Fœderatorum opida Antipolim & Nicæam vaſtabant, ſubegit.* Hoc bellum deſcribit Polybius legatione CXXXI. & CXXXIV. qui Tranſalpinos iſtos Ligures *Oxubios* & *Deciates* appellat, Ὀξυβίους καὶ Δεκιήτας, Antipolim & Nicæam circumcolentes: & Oxubiorum regionis urbem *Ægitnam*, Αἴγιτναν, quæ nomine Gentis *Oxubium*, Ὀξύβιον Stephano dicitur, ac fluvium *Apronem*, Ἄπρωνα memorat. *Fulvius Flaccus primus omnium Tranſalpinos Ligures bello domuit, miſſus in auxilium Maſſilienſibus adverſus Saluvios Gallos, qui populabantur fines Maſſilienſium*: inquit Florus in epitome libri LX. Livii. Heic *Tranſalpini Ligures* ſunt Salyi vel Salyes, Saluvii quibuſdam dicti, quorum de incurſionibus fidiſſima atque amiciſſima civitas Maſſilia querebatur, & qui Arelatum ac Taraſco-

nem ad Rhodanum, Aquiſque Sextias non procul ab urbe Maſſilia incolebant. Ligurum igitur celeberrimi ultra Alpes Salyi, Deceates, Oxubii haud falsò Plinio nuncupati, ſed non ſoli. His enim adjungendi ſunt Segoreii vel Reii Apollinares, Suelteri, Neruſii ſive Vintienſes, Veſdiantii vel Vendiatii, hoc eſt Gemenelenſes & Sanitienſes, Suetri quoque ſive Salinenſes, aliique Ligures Capillati vel Montani in Alpibus Maritimis: qui Ligures Galli vel Tranſalpini à Varo fluvio ad Rhodanum flumen pertinebant, & à Græcis Λίγυες ac Κελτολίγυες, hoc eſt *Ligures* ac *Galloligures* dicti ſunt, ac eorum regio *Liguria* vel Liguſtica, Λιγυστική. Strabo Liguſticam uſque ad confluentem Luerionis & Rhodani fluminum promovet. Marcianus Heracleotes in Periplo Galliæ Strabonem ſequitur, & regionem in qua Maſſilia ac Maſſilienſium ditio majore ex parte ſitæ erant, *Liguſtinam* vel *Liguſticam*, τὴν Λιγυστινὴν ἢ Λιγυστικὴν appellat. Quare Juſtinus in libro XLIII. tradit, à Phocenſium juventute *Maſsiliam inter Ligures & feras Gentes Gallorum conditam eſſe*: & Julius Solinus in capite VIII. campos Lapideos diſertè in *Liguria* ponit, quos conſtat inter urbes Salyorum Arelatum & Aquas Sextias non longè ab Maſſilia jacere. Verba Solini ſunt. *Quis ignorat in Liguria Lapidarios Campos, quòd à Jove Hercule dimicante creduntur ſaxa pluiſſe?* *Liguriam* igitur Solinus vocat, quam Strabo & Marcianus *Liguſticam* ac *Liguſtinam*, regionem inter flumen Rhodanum & Alpes Maritimas jacentem. Ariſtoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων *circa Liguriam in Maſsilienſi agro* ſtagnum quoddam eſſe ait, quod ebulliat aquaſque ſuperfundat, & incredibilem piſcium copiam ejiciat; flantibus autem eteſiis denſo pulvere obducatur, adeò ut ſummus lacus ſolum eſſe videatur: accolas tridentibus cruſtam hanc frãgere, & piſces quot libuerit extrahere. Quæ relatio partim lacui Maſtramelæ in Avaticis prope Maſſiliam, partim ſtagno Leucatam inter & Salſuſas poſito convenit. Quamquam Rufus Feſtus Avienus in Oræ maritimæ libro I. Ligurum Gallorum fines trans Rhodanum etiam profert, eoſque in ora Septimaniæ inter Setium promuntorium ac Rhodani oſtia collocat.

Ligures ad internum mare
Setiena ab arce & rupe ſaxoſi jugi
Se ſe extulere.

Tum v. oſtia Rhodani deſcribit.
Ab Liguribus cùm Gallis tum etiam Italis Alpes Maritimas, quæ inter utroſque eminent, & alteros ab alteris dividunt, Livius in libro XXXIV. *Liguſtinos Montes*; *Ligurinas Alpes* Gratius; alii *Alpes Liguſticas* appellavere: quæ Dioni dicuntur *Alpes Maritimæ*, *à Liguribus qui Comati cognominantur libere habitata*.

Ceterùm Stephanus auctores ſuprà laudatos ſecutus, non Olbiam modò & Pergantium ac Medmam urbes, ſed Maſſiliam etiam ipſam, ac tres Stoechadas inſulas Maſſiliæ adverſas, quæ & ob id *Liguſtides* cognominentur, in Liguria Gallica ponit, & Oxubios partem Ligurum vocat hiſce verbis. Μασσαλία πόλις τῆς Λιβυστικῆς (lege Λιγυστικῆς) κατὰ τὴν Κελτικήν, ἄποικος Φωκαέων. Μέδμα πόλις Ἰταλίας. Ἔστι καὶ ἑτέρα πόλις τῆς Λιγυστικῆς. Ὀλβία πόλις Λιγυστική. Ὀξύβιοι μοῖρα Λιβύων (lege Λιγύων) Περγάντιον πόλις Λιγύων· τὸ ἐθνικὸν Περγαντιος, ὡς Βυζάντιος. Στοιχάδες νῆσοι τρεῖς πρὸς τῇ Μασσαλίᾳ· καλοῦνται δὲ καὶ Λιγυστίδες. *Olbia* à Maſſilienſibus in agro Ligurum Gallorum condita eſt, quam *Areas* recentiores, ac vulgò *Hieres* aut *Eres* vocitant. *Pergantium* Olbiæ proximum, opidum vel caſtellum eſt in parva inſula poſitum, incinctum mari undique, aliis *Bargançon* dictum, aliis *Bregançon* & *Brigançon*: quod *Pergantio* rectiùs forſitan appellaretur, & apud Stephanum Περγάντιον; ſicuti Brigantio *Briançon*, Brictio *Briçon*, mactio *maçon*, Alentio *Alençon*, Viſontio *Beſançon*, redemtio *rançon*, cantio *chancon*, gartio *garcon*, potio lactis menſura, *un poçon de laict*. Medma ignoratur.

Heic notandus eſt error Flori, qui in capite III. libri II. Rerum Romanarum de Liguribus ſic ſcribit. *Ligures imis Alpium jugis adhærentes inter Varum & Macram flumina, impliciteſque dumis ſilveſtribus, major aliquanto labor erat invenire quàm vincere. Itaque cùm diu multumque eluderent Salvii, Deciates, Oxubii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius latebras eorum ignibus ſepſit, Bæbius in plana deduxit.* Florus igitur Ligures Italos initio deſignat, quum inter fluvios Varum & Macram ſub Maritimis vel Liguſticis Alpibus ſedes eis (uti facere debuit) attribuit: ſed paullo pòſt velut oblitus aſſignatorum Liguribus Italis finium, magno errore omnes in unum Ligures Tranſalpinos & Ciſalpinos, Gallos Italoſque conjungit, quum Liguribus Italis, nimirum *Eburiatibus* vel Euburiatibus & *Ingaunis* Albingauni incolis, Ligures Gallos, videlicet *Salyos*, *Deciates*, *Oxubios* admiſcet atque etiam præponit: quos inter Rhodanum & Alpes Maritimas ſedes habuiſſe conſtat. Præterea ut Gentes ſic & bella confudit. Nam Fulvius Flaccus cum Tranſalpinis Liguribus vel Gallis, nimirum cum Salyis bellum geſſit: cum ceteris Liguribus Gallis Italiſve nullum quod ſciam geſſit.

Deceates pro capite Gentis habuere *Deceatum opidum*, de quo Mella his verbis. *Nicæa tangit Alpes, tangit opidum Deceatum, tangit Antipolis.* *Opidum* igitur illud *Deceatum*, Gentis cujus caput erat nomen ferebat, uti apud Stephanum *Oxubium* Oxubiorum; atque Nicæam inter & Antipolim poſitum erat: Stephano *Deciatum urbs Galliæ* dictum, Δεκίατον πόλις Γαλλίας· τὸ ἐθνικὸν Δεκιάται. Opidum *Deceatum* fortè eſt *Biot*, aut certè Villa nova ad fluvii exitum: *Oxubium* verò opidum S. Laurentii, *S. Laurens* vel *San Lorenzo*, ad dextram Gallicamve Vari fluminis ripam. *Regionem Oxybiorum* vel Oxubiorum *Ligaunorumque*, & *regionem Deciatium* in Narbonenſi provincia memorat Plinius in capite IV. libri III. Juſtinus in libro XLIII. ſcribit, Maſſilienſes qui *ab Liguribus* Gallis *aſsiduis bellis fatigabantur, pericula propulſando in tantum enituiſſe, ut victis hoſtibus in captivis agris multas colonias conſtituerent*: & Ammianus in libro XV. ait Phocæos iſtos Maſſiliæ conditores *opida auctis viribus ſtatuiſſe non pauca*. Certè ut erant navigationi ac mercaturæ maximè dediti, mare & portus in poteſtate habere ſummopere affectaverunt, & victis variis hoſtibus agrique ſui parte multatis, oram Galliæ Narbonenſis atque etiam Hiſpaniæ

Tarraconenſis coloniis impleverunt. Igitur à Maſſilienſibus condita Nicæa, relatæ ex Liguribus victoriæ monumentum; condita Antipolis in agro Deceatium quem armis occupaverant; Heraclea item Caccabaria, Telo Martius, Taurentum, Cithariſta: quibus v. portubus (Nam *Nicæam plagiam* ſive plagam Æthicus appellat) nomina Græca Græci impoſuerunt. Trans Rhodanum Agatha in Volcarum Tectoſagum agro capto, atque etiam (ut nomen loci indicat) Leucata; trans Pyrenæum in Hiſpania Tarraconenſi Rhoda ac Emporia vel Emporiæ ab eiſdem Maſſilienſibus conditæ ſunt.

Dicta eſt autem à Maſſilienſibus Antipolis, quod Vintio capiti Neruſiorum & Deciatinus ceteriſque Liguribus Capillatis eſſet urbs oppoſita. Auctor enim eſt Strabo a Phocenſibus Agatham barbaris Rhodani accolis, id eſt Volcis; Taurentum, Olbiam, Antipolim & Nicæam Salyis & Liguribus montanis velut propugnacula oppoſita eſſe & objecta. Quidam Epiſcopatu & doctrina ac pietate inſignis vocatam Antipolim exiſtimat, quod ſit oppoſita Nicææ. Quam interpretationem nominis probare non poſſum, cùm ambæ urbes Maſſilienſium fuerint coloniæ, & ad eos ex æquo pertinuerint. Veriſimilius ergo eſt, Maſſilienſes in condendis urbibus morem ceterorum populorum ſecutos eſſe, nec colonias ſuas inter ſe commiſiſſe; nec Antipolim ſibi ipſis, ſed Liguribus Gallis hoſtibus ſuis; non Nicææ ditionis utique ſuæ opido, ſed hoſtilibus civitatibus oppoſuiſſe.

Mella de Antipoli ſic ſcribit in Narbonenſi Gallia. *Nicæa tangit Alpes, tangit opidum Deceatum, tangit Antipolis.* Nimirum Nicæa & Antipolis maritimas ſive Liguſtinas Alpes attingunt, & ab Alpe ſumma abeſt Cemenelum millia paſſuum IX. Varum flumen XV. Antipolis XXV. à Nicæa autem Antipolis portus millibus XVI. diſtat; ut Itinerarium Æthici docet. A Plinio in Narbonenſis provinciæ ora *opidum Latinum Antipolis, regio Deciatium, & amnis Varus* memorantur: quibus verbis videtur docere Plinius in regione Deciatium Antipolim fuiſſe: quod apertiùs Ptolemæus aſſerit, cui *Antipolis Deciatium* dicitur, Δεκιατίων Ἀντίπολις. Itaque putandum eſt; id quod ſuprà diximus, Maſſilienſes Antipolim in parte agri Deceatium armis quæſita condidiſſe. Et forſitan verba Mellæ, paullo ante relata, ſic emendari convenit. *Nicæa tangit Alpes, tangit opidum Deceatum Antipolis.* *Opidum* autem *Latinum* Plinius Antipolim appellat, Græcam quidem origine urbem ſed à Senatu populoque Romano Latii jure donatam: quæ tamen *colonia Antipolis* in nummo Titi apud Goltzium, ſed falſo forſitan ac ſuppoſiticio; à Tacito in libro II. Hiſtoriarum *Antipolis Narbonenſis Galliæ municipium* nuncupatur. Atqui Antipolis ſi *opidum Latinorum* fuit ætate Plinii, principatu Veſpaſiani ac Titi, *Colonia* utique eodem Tito Principe eſſe appellarique non potuit: aut ſi *Colonia* Titi Aug. juſſu evaſerat, paullo pòſt ætate Taciti, imperante Domitiano Titi fratre aut Trajano, de *Colonia municipium* civium Romanorum fieri, ac municipium vocari nec potuit nec debuit. Quod ut intelligatur, ſcire convenit, in provinciis Imperii Romani etiam ſtante Republica varios extitiſſe ordines opidorum, & alias quidem fuiſſe *Colonias*; alia *municipia*, quæ *opida civium Romanorum*, necnon *municipia civium Romanorum* vocabantur, propterea quod eſſent jure civitatis Romanæ honorata. Alia item erant tertio loco *opida Latinorum veterum*, alias *Latinorum* ſimpliciter, quæ *opida Latii veteris* vel *Latii antiqui*, atq; etiam modò *opida Latina*, modo *Latio antiquitus donata* Plinius paſſim appellat: quibus ſcilicet populus Romanus aut Princeps jus Latii tribuerat, qualis erat Antipolis. Quartum tenebant locū opida libertate donata à Romanis, quæ Plinius nunc *opida libera*, nunc *liberæ conditionis* vocat; incolas eorum populoſve *liberos*. Quinta erant *opida fœderatorum*, quæ fœdere donata erant à Romanis, aut quibuſcum populus Rom. fœdus inierat: quæ opida *fœderata*; eorum incolæ populique *fœderati* nuncupabantur. Sic Plinius *Maſſiliam Græcorum Phocenſium fœderatam* appellat, Florus *fœderatam Siciliæ civitatem Meſſanam*. Poſtrema erant *opida ſtipendiaria*, vel *ſtipendiariorum*, quibus certum Imperii jugum ac tributa vel ſtipendia Romani impoſuerant.

Tabula Theodoſiana poſt Alpem Maritimam & Cemenelum inter *fluvium Varum*, & locum *Ad Horrea Antipolim* ponit, à Varo X. ab Horreis XII. millibus diſtantem. Idem facit Æthicus: & in Itinerario etiam portuum ac poſitionum navium ab Urbe Arelatum uſque, *Antipolim portum* Nicææ plagæ (*Nicæam plagiam* vocat) ac Leroni & Lerino inſulis mediam interponit, & à Nicæa XVI. ab inſulis XI. millibus paſſuum abeſſe ait verè: cùm Antipolis ſit inter Nicæam & Leronem ac Lerinum inſulas. Ammianus Marcellinus in provincia Viennenſi cum *Saluviis* quorum ſunt Aquæ Sextiæ, & cum *Nicæa Antipolim inſulaſque Stœchadas* ponit: quæ loca poſtea provinciæ Narbonenſi ſecundæ ex Viennenſi detractæ ſunt attributa. Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ veteres inter provinciæ Narbonenſis ſecundæ civitates VII. ultimam numerāt *civitatem Antipolitanam*. Synodo Agathæ Meſſalla V. C. Conſule habitæ *Agræcius Epiſcopus de Antipoli* ſubſcripſit, ad quem eſt Synhodi Carpentoratenſis epiſtola; Concilio Aurelianenſi IV. Baſilio V.C. Conſule *Eutherius civitatis Antipolis Epiſcopus*, aliàs *Eucherius*; Concilio Aurelianenſi V. *September miſſus à Domino meo Euſebio, Epiſcopo Eccleſiæ Antipolitanæ*, Concilio Pariſienſi IV. *Optatus Epiſcopus Eccleſiæ Antipolitanæ*, in Concilio Matiſconenſi II *Optatus Epiſcopus ab Antipoli* dictus; Concilio Cabillonenſi juſſu Chlodouei junioris habito *Deocarius Epiſcopus Eccleſiæ Antipolitanæ* interfuit.

Poſtea Antipolis detracta provinciæ Narbonenſi II. & provinciæ Alpium Maritimarum eſt attributa. Certe Robertus in Chronico quod circa MCCX. annum compoſuit, *civitatem Antipolim* Alpibus Maritimis ſive Ebrodunenſi provinciæ adſcribit pænultimo loco. Gervaſius quoque Roberti æqualis, & Notitia circa annum MCCXXCV. ſcripta Ebrodunenſi Metropoli poſt Dinienſem ac Nicenſem Epiſcopatum *Antipolitanum* ſubjiciunt. Notitia Epiſcopatuum Galliæ ſcripta paullo poſt annum MCCCCXXII. Robertum & Gerva-

ſium

ſium Notitiamque ſuprà laudatam ſequitur; ſed pro *Antipolitano Gracenſem* Epiſcopatum appellat. Nimirum circa id tempus ſedes Epiſcopatûs Antipoli Graſſam tranſlata eſt, uti aiunt ob incurſiones piratarum, & cædem Epiſcopi Antipolitani: quod opidum proximum Antipoli & arce munitum erat Antipolim Noſtri *Antibe* vocitant p in b mutato. In quibuſdam tabulis *Antibolis*, in aliis *Antibol* & *Antiboul*, in aliis *Antibo* nuncupatur.

Laudabatur olim muriâ Antipolis, ut Plinius in capite VIII. libri XXXI. & Martialis in libro IV. ac XIII. docent. Erat autem muria rubra, fiebatque ex primo ſanguine thynni adhuc exſpirantis, ſicuti garum Sociorum de ſanguine ſcombrorum. *Thynnum Antipolitanum* commendat Martialis: & nunc quoque Antipolis thynnorum capturâ nobilitatur.

Theatrum olim Antipoli fuiſſe indicat vetus inſcriptio à Petro Victorio relata.

ANTRUM.

Theodorici Francorum Regis filiorumque ejus Principatu floruit Hermenlandus Noviomagenſis, nobilitate ac pietate illuſtris, ex præpoſito Pocillatorum Regis Monachus Fontanellenſis: quem Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus Presbyterum ordinavit; Lantbertus Abbas ſuus ad Paſcharium Namneticum Antiſtitem, in parœciæ ſuæ finibus Cœnobium condere cupientem, cum duodecim Monachis miſit. Cœnobium in Antro inſula fluminis Ligeris pagoque Namnetico exſtructum Epiſcopus Paſcharius Regi Childeberto Theodorici filio tuendum commendavit. Hermenlandus Antrenſibus Abbas præpoſitus, Angradus in Vita S. Ansberti Rotomagenſis Epiſcopi hoc nomen inſulæ vetus fuiſſe teſtatur his verbis. *Ermelandus in quadam inſula alvei Ligeris qua vocabatur Antrum, juxta nominis ejuſdem proprietatem Monachorum venerabile ædificavit Cœnobium.* Igitur *Antrum vocabatur* hæc inſula, quum Ærmenlandus ibi Monaſterium condidit, & multis ante conditum ibi Monaſterium ſæculis ita vocabatur. Et tamen priſcus auctor libri de Vita Ærmenlandi eam inſulam propter denſas opacaſque ſilvas, & propter nonnulla abdita in ea loca, ab ipſo Ærmenlando *Antrum* vocatam ait, quaſi aut nomine priùs careret, aut aliter appellaretur: quod nequaquam veriſimile eſt. Idem auctor Antrum vel *Antrenſem inſulam* inſularum Ligeris III. ab urbe Namnetis millibus diſtantium maximam, longam XXIV. ſtadiis tradit eſſe, in medio ſui montoſam, cui proximam atque conſimilem, ſpatio licèt minorem, Ærmenlandus *Antricinum* vel *Antriginum* nuncupaverit: paſtores armentorum in Antro inſula plurimos ac piſcatores fuiſſe, ubi Ærmenlandus duas Eccleſias una cum Cœnobio ædificaverit.

Vulgo nunc dicitur *Aindre*, aut *l'iſle d'Aindre*, & eſt inſula flum. Ligeris, non procul ab urbe Namnetis & ab ore Ligeris: cujus Cœnobium Ligeri undique cinctum, à Nortmannis anno DCCCXLIII. poſt urbem Namnetum direptam, vaſtatum & incenſum eſſe docent tabulæ Monaſterii S. Sergii, in quibus Monaſterium *Antrum* nomine inſulæ appellatur, nec non *Cœnobium inſularum*, quoniam in inſulis Namneticis nullum aliud Monaſterium reperiebatur.

Pomponius Mella de Garumnæ oſtio ſic refert. *In eo eſt inſula Antros nomine, quam pendere & attolli aquis increſcentibus incolæ exiſtimant, &c.* At hæc inſula in Garumna nunc non invenitur, ſive eam ſubmerſit Oceanus accedens, aut Garumna refluens, ſive arena obruit: ut Vinetus teſtatur. Mihi quidem *Antros* videtur eſſe *Antrum* inſula, quam Mella Garumnæ attribuerit, cùm Ligeri attribuenda eſſet. Mirum itaque non eſt, inſulam iſtam in Garumna nunc nuſquam apparere, cùm ibi numquam exſtiterit, ſed in Ligeri ſemper jacuerit, ubi & priſcum nomen hodieque ſervat.

ANTUNNACUM.

Antunnacum tabula Theodoſiana ponit inter *Rigomagum & Confluentes*, æquali ab utriſque ſpatio, nimirum VIII. millibus paſſuum diſtans; *Antunnacum* quoque Æthicus & *Antunacum* inter Bonnam & Confluentes in Germania ſecũda. Ammianus Marcellinus in libro XVIII. *Antunnacum* inter Bonnam & Bingium: ubi MS. codex Regius habet pro Antunnaco *Antennacũ*, pro Bingio *Iungo* vel potiùs *Vingo*, id eſt *Bingo*. *Antonacum* appellat Notitia Imperii Romani, & præter ceteros *Præfectum militum Acincenſium* ſub Duce Mogontiacenſi ibi fuiſſe docet. *Antonnaci* nomen retinet & Fredegarius in libri V. Chronici capite XL. quod Annales Fuldenſes *caſtellum Anternacum* ad Rhenum flumen in anno DCCCLXXVI. in rebus anni DCCCXXCII. *Antrinachã* appellãt; Annales Mettenſes in anno DCCCLXXVI. *Andrenacum*; Annales Bertiniani in geſtis ejuſdem anni *Andrnacum caſtrum* ter nuncupant, atque ibidem ab *Antennaco* apertè diſtingunt, itaut plane *Antennaci* nomine Aptennacum ſive *Enternacum*, Andetannale olim dictum deſignare mihi videantur. Vulgò *Andernach* nunc vocatur, t in d & n in r ex more commutatis. Verum ac ſincerum caſtri nomen eſt Antunnacum vel Antonnacum, quod pago Megenenſi attributum reperio. Annales Mettenſes *Confluentem*. *Andrenacum*, *Sincicha*, id eſt Sintiacum, *fiſcos obſequiis Imperialibus deditos* nuncupat, in anno DCCCXCV. hoc eſt villas fiſcales ſive Dominicas, quas *villas publicas*, *villas Regias*, & *Palatia* noſtri ſcriptores appellitant.

APAMIÆ ET CETERÆ SEDES TOLOSÆ SUFFRAGANTES.

Notitia Epiſcopatuum Galliæ ſcripta paullo poſt annum MCCCXXII. Toloſæ in Archiepiſcopatum evectæ, & novarum ſedium ei à Johanne Papa attributarum meminit hiſce verbis. *Archiepiſcopus Toloſanus hos habet Suffraganeos, Apamiarum, Mirapicenſem, S. Papuli, Montis Albani, Rivenſem, Lomberienſem, creatos noviter per Papam Iohannem.* Quæ omnia loca ex priſcis Monaſteriis Johannes Papa XXII. alias XXI. dictus Epiſcopatus fecit, exceptis Apamiis ubi Bonifacius PP. VIII. circa annum MCCXCVI. in Monaſterio S. Antonini ad Aregiam Epiſcopalem cathedram collocaverat: quod *Monaſterium S. Antonii* in Aquitania corruptè vocat pro *S. Antonini* Ludovicus Pius Aug. in decreto ſuo de Monaſteriis.

Omiſit Notitia Vaurenſem Epiſcopatum novum, qui cum VI. ſupradictis Toloſæ novæ metropoli ſeptimus eſt attributus.

Memini legere typis excuſum, & circa Mauricii Aug. ætatem compoſitum *Itinerarium S. Antonini*, qui ex Gallia per Italiam Terram Sanctam petiiſſe ſe ſcribit: quem ego Apamienſium Patronum eſſe, & *caſtro S. Antonini* nomen dediſſe non dubito. Petrus in Hiſtoria Albigentium *nobiliſſimum caſtrum Apamiarum in territorio Toloſano* appellat; & *Abbatem* ac *Eccleſiam S. Antonini Mart. apud Apamias* memorat. Guillelmus de Podio Laurentii in capite XXXVI. Chronici *Apamiam* vocat; ut *Apamiam* Æthicus aliique pro *Apamea* Syriæ dixere. In Chronico Symonis Comitis Montiſfortis *Anno D.* MCCXCVI. *Boniſacius* VIII. *feciſſe & erexiſſe villam Apamienſem in novam civitatem* dicitur. Sed his omnibus multo vetuſtiorem paſſionem S. Antonini mart. qui IV. *Nonas Sept. paſſus eſt in Apamia civitate*, legi in MS. Martyrologio Monaſterii Muſciacenſis in Cadurcis, ubi & hæc verba reperio. *Per fluvium qui Areia dicitur, ad Garonnam uſque pervenient fluvium navicula*, (in qua corpus Antonini mart. à Gentilibus necati) *inde alium qui Tarnis dicitur invenient fluvium, inde retrogrado curſu per Tarnem intravit in Avarionis alveum.* *Areia*, qui & in veteribus tabulis *Aregia*, ut *Novientum* & *Novigentum*, *Albis* & *Albiga*, fluvius eſt vulgò dictus *Ariege*, quibuſdam corruptè *l'Auriege*; à Maſſono priſci ejus fluvii nominis ignaro *Aurigera* novo ac ridiculo nomine nuncupatus, qui Apamiam alluit, & Garumnâ recipitur, ut & Tarnis: quem auget Avario, *Avayron*, aliàs *Aveiron* & *Averon* dictus, qui Calliacum, Segodunum Rutenorum, Villam Francam Rutenorum, *caſtrum S. Antonini*, Nigrum Palatium, *Negrepeliſſe*, præterlabitur, ac jungitur Tarni. Fortunatus in Vita S. Amantii Rutenenſis civis & Epiſcopi *Avarionis fluminis* meminit. Apamias vel Apamiâ, *Pamiés* vel *Pamiez* nuncupant Noſtri, quædam tabulæ corruptè *Pamiers*. *Caſtrum Apamiæ erat de dominio Abbatis & Canonicorum Regularium S. Antonini: ſed Comes Fuxenſis totum ſibi volebat vindicare*: uti Petrus aſſerit.

Mirapicenſis loci meminit Guillelmus de Podio Laurentii in Chronici capite XXXIV. qui *caſtrum Mirapici* & *de Mirapice* vocat; *caſtrum Mirapeis* Petrus monachus in Hiſtoriæ Albigenſium capite XXIV. quod *fuiſſe de dominio Comitis Fuxenſis* ſcribit; *caſtrum Mirapicis* Chronicon Symonis Comitis Montisfortis. Hoc caſtrum Lertius fluvius alluit, *le Lers* vulgò dictus, quem Areia vel Aregia amnis in Garumnam defert. Ipſa ex caſtro civitas facta, *Mirepoix* vel *Mirepois* Noſtris dicitur. Diœceſi Mirapicenſi in Volcis Tectoſagibus continentur præ ceteris Mirapicum; Vivaria; Rivus altus *Rieucros*; Exarta *les Iſſars*; Villa nova; Monsferrarius *Montferrier*; Aquæ vivæ *Aiguesvives*; Fanum Jovis caſtrum olim nobile *Faniaux*; Monaſteriolum *Moneſtrol*; Lauracum majus *Laurac le Grand*.

Mons Albanus ad Tarnim flumen, *Montauban*, eſt in Cadurcorum finibus. Sicuti ergo Toloſa Narbonis ditioni exemta & metropolis ex Epiſcopatu facta eſt; ſic Mons Albanus Cadurcinæ Eccleſiæ detractus, ut Epiſcopatus fieret ac Toloſæ contribueretur. Apamienſes verò, Mirapicenſes, Vaurenſes, Rivenſes, Lumbarienſes ac Sanctipappulenſes ex Diœceſi Toloſana cujus magna portio erant detracti ſunt, ut ſedes quiſque Epiſcopales acciperent, ac Toloſam pro metropoli atque capite provinciæ ſuæ haberent. In Monte Albano erat illuſtre monaſterium S. Theodardi Epiſcopi quondam Narbonenſis, in quo ſedes Epiſcopatus eſt conſtituta. Petrus Monachus in capite LXIII. caſtrum Montem-Albanum memorat his verbis. *Omnia in circuitu caſtra ſe reddiderunt, excepto uno quod dicitur Mons Albanus*: & in capite LXVI. idem *caſtrum Montis Albani* nuncupatur; *Mons Albanus* in capite XXIII. Chronici Guillelmi de Podio Laurentii.

Vaurum *la Vaur* Noſtris dicitur. *Caſtrum Vaurum* memorat Petrus in Hiſtoriæ Albigenſium capite XLVIII. & XLIX. *Erat autem* (inquit) *caſtrum illud nobiliſſimum & ampliſſimum, ſitum ſuper Agotum fluvium, diſtans V. leucis à Toloſa.* Idem in capite LXVI. meminit Concilii Epiſcoporum *apud Vaurum* anno MCCXII. habiti: quam *munitionem caſtri Vauri* vocat Guillelmus de Podio Laurentii in Chronici capite XXXIII. Hoc caſtrum alluit Agotus amnis, *l'Agout*, à Maſſono priſci ejus nominis ignaro *Acutus* appellatus parum acutè, aut potiùs ineptè. Nullum enim vocabulum minùs convenit flumini. Et Agotus quidem multos amnes defert in Tarnem, qui in Garumnam cadit. At Vaurum in pago Lauracenſi (*Lauraguez*) poſitum eſſe dicitur, & ibi in monaſterio S. Alani, quod Canonicorum erat Regulam B. Auguſtini ſequentium, ſedes Epiſcopalis eſſe conſtituta. Diœceſi Vaurenſi in Volcis Tectoſagibus continentur Vaurum, Podium Laurentii *Puy Laurens*, Suricinium vel Soricinum monaſterio veteri nobile, *Soreſe*: caſtra, Altuſpullus *Hautpoul*, Monſlongus *Montlong*, Prata *Prades*, Viterbium *Viterve*.

S. Papulus, quem à Pappo *Pappulum* & *Pappolum* veteres dixere, Noſtri vulgò *S. Papoul* vocant, nomen ſuum dedit illuſtri Cœnobio veterique, quod *Monaſterium S. Papuli in Toloſano* pago nuncupavit Ludovicus Pius Aug. in conſtitutione de Monaſteriis Regni ac Imperii ſui anno DCCCXVII. Hoc Monaſterium ſitum ut aiunt in pago Lauracenſi, diſtat à Caſtro Novo Arrii III. circiter millibus paſſuum, & ex eo ſedes Epiſcopatûs eſt facta: quæ ſedes hodieque pro Patrono S. Papulum Martyrem agnoſcit. In Martyrologiis Nonis Octob. *Toloſa inventio corporis S. Pappoli Epiſcopi & Mart.* notatur. Diœceſis Sanctipapulenſis in Volcis Tectoſagibus continet civitatem S. Papuli, *S. Papoul*, Caſtrum Novum Arrii *Caſtelnau d'Arri*; Avinionem caſtrum *Vignonet*; Manſum S. Puellarum *le Mas Saintes Puelles*; Montem Maurum *Montmaur*; Villam Novam; Verdunum.

Rivi à re nomen habent, nimirum à Riſa rivo vel amniculo, *la Rize*, qui opidum pæne undique incingit, & in Garumnam ſupra Toloſam cadit non longè à Rivis: quem locum Noſtri *Rieux* vocitant nomine à *Rivulis* aut *Rivolis* deducto, & his in regionibus frequen-

ri. Ex Rivenſi Monaſterio ſedes Epiſcopalis facta: qua diœceſi præter cetera loca continentur in Volcis Tectoſagibus Rivi, Carbo *Carbonne*; Galliacum caſtrum *Gaillac*; Mons acutus *Montagut*, Monſaltus *Montaut*; Turris *la Tour*; Serræ *Serres*; Arbuſtum *l'Arbouſt*; Marinacum *Marinhac*. Eam civitatem novam *caſtrum de Rivis*, necnon *villam de Rivis* in priſcis tabulis nuncupatam reperio.

Ultima ſedium Toloſæ attributarum *Lombaria* a recentioribus appellatur, à Petrarcha *Lombers* vel *Lomberium*; a Petro in Hiſtoriæ Albigenſium capite XXII, *caſtrum nobiliſſimum prope Albiam* Lumbers, & in capite XXV. *caſtrum Lombers*; à Guillelmo de Podio Laurentii in Chronici capite IV. *Lumberium*; *Lomberium* in Chronico Symonis Comitis Montisfortis; aliis *Lumbertium*. Sincerum & incorruptum loci nomen eſt *Lumberium* vel *Lumbarium*, quē Noſtri vocare debent *Lombers*, non ut ſæpiſſime faciunt *Lombés*, tabulas & libros mendoſos ſecuti. Ex Monaſterio Lumberienſi Epiſcopatus factus, ut accidit ceteris, quæ ſupra memoravimus, & quæ Toloſæ Metropoli ſubjecta eſſe diximus, locis. In Navarra eſt opidū ejuſdem nominis, *Lumbier* vulgo dictum, Vaſconicè *Irumberri*, Latinè olim *Ilumbers*: cujus incolæ a Plinio in libri III. capite III. *Ilumberitani* vocantur. Opidum Lumberium poſitum eſt ad flumen Savam, quo Garumna augetur, ut & Inſula Jordanis ſeu caſtellum Ictium, & attribuitur Sammathani Caſtellaniæ, jampridem Convenico Comitatui adnexæ: ubi vetus Cœnobium Monachorum Auguſtini Regulam ſequentium Johannes Papa ejus nominis XXII. anno MCCCXVII. in Epiſcopale faſtigium evexit.

APTA JVLIA VVLGIENTIUM.

In Narbonenſi provincia à Plinio collocatur *Apta Iulia Vulgientium*. Scaliger *Vulgienſium* legit apud Plinium, alii *Vulgentium*, alii *Vulgenſium*. Vulgientes igitur, ſive Vulgienſes, ſive Vulgentes aut Vulgenſes potiùs appellandi ſunt, Aptam Juliam pro capite habuere: quæ videtur à Plinio opidis Latinis adnumerari hiſce verbis. *Opida Latina, Aquæ Sextiæ Salyorum, Avenio Cavarum, Apta Iulia Vulgientium.* Poſtea ex opido jure Latii antiquitus donato Colonia facta eſt, ſi non falſa ac ſuppoſiticia eſt lapidis Arelatenſis inſcriptio a Jac. Sirmundo prolata, in qua *Col. Apta* id eſt Colonia Apta nuncupatur. Æthicus in itinere a Mediolano Arelate per Alpes Cottias ejus meminit, & inter Secuſteronem ac Cabellionem ponit. *Secuſterone* M. P. XVI. *Alaunio* XXIV. *Catoluca* XVI. *Avia Iulia* XV. *Fines* XVI. *Cabellione* XV. Item. *Seguſterone* M. P. XVI. *Alaunio* XXIV. *Abie Iulia* XXVIII. *Cabellione* XXII. In tabula Theodoſiana *Seguſterone*, *Alaunio*, *Carniacia* XVI. (ſuprà *Catoluca*) *Apta Iulia* XII. *Ad Fines* XII. *Caballione* XII. Surita qui Itinerarium Æthici notis illuſtravit, obſervat in uno codice *Aptam Iuliam*, in reliquis *Aviam Iuliam* ſcriptum reperiri. Sed *Avia*, ut & *Abie*, corruptum mihi nomen videtur eſſe, & utrumque pro *Apta* poſitum. Omnes enim ſciunt litteram p in b atque etiam in u crebrò mutari conſueviſſe, & i litteram librariorum negligentià aut inſcitià ob ſimilitudinem in t ſæpe tranſire. Sidonius in libri IX. epiſtola IX. *Aptam* memorat.

In veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ vocatur *Civitas Aptenſium*; in una *civitas Abtenſis* mendosè pro *Aptenſis*, ut ſuprà *Abie* pro Apta; & inter provinciæ Narbonenſis ſecundæ civitates ſeptem ſecundo loco ponitur. Robertus in Chronico *civitatem Abtenſem* nuncupat, & Arelatenſi provinciæ ante ſuam ætatem attributam fuiſſe ait. Quod ſi verum eſt, (de eo enim valde dubito) veteri ſuæ provinciæ, nimirū Narbonenſi ſecundæ, veterique ſuæ Metropoli, videlicet civitati Aquenſium non multo poſt haud dubiè reddita eſt. Quippe Gervaſius Tiſleberienſis Roberti æqualis, & duæ Notitiæ ipſo recentiores Epiſcopum *Aptenſem* primum numerant inter V. Epiſcopos, qui Aquenſi Archiepiſcopo vel Metropolitano ſuffragantur. Nomen vetus ſervat: nam hodieque *Apt* nuncupatur. Apta autem dicta videtur à Romanis, ob aptum & commodum ſitum. Eſt enim ad ripam Calvonis qui in Druentiam effluit, opportuno loco poſita Seguſteronem inter & Caballionem. Julia porrò cognominata eſt aut à C. Julio Cæſare, qui Galliarum potentiſſimas urbes præcipuis operibus exornavit, ut Suetonius ſcribit; aut certè ab Auguſto, qui Julii Cæſaris à quo adoptatus fuerat appellationem ſuſcepit, & in multas Galliæ Narbonenſis Hiſpaniæque urbes colonias miſit, ſicuti Dion memoriæ tradidit: *πόλεις ἔν τε τῇ Γαλατίᾳ κ' ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ ἀποικίας ἀπῴκισε*. Certè Maſſonus affirmat Aptam Juliam Romani operis muris hodieque gaudere.

Concilio Arelatenſi Conſtantini Maximi principatu interfuere *Romanus Presbyter & Victor Exorciſta de civitate Aptenſium*. Epaonenſi Concilio *ſubſcripſit Prætextatus Epiſcopus civitatis Aptenſis*, & Concilio Aurelianenſi IV. *Clementinus Epiſcopus Eccleſiæ Aptenſis* Synodis Aurelianenſi V. Arelatenſi V. Pariſienſi II. & quartæ: Cōcilio Matiſconenſi I. *Pappus Epiſcopus ab Apta*, & ab eo miſſus Synodo Matiſconenſi II.

AQUA SPARSA.

Aqua Sparſa caſtellum eſt inferioris Arverniæ, Montipencerio proximum, à re nomen habens. Fontem enim aut rivum habet, cujus aqua ſpargitur & deficit. In Chronico Dolenſis Monaſterii ab anno DCCCCXVII. ad annum MCCCXXV. deducto hæc reperio. *Anno* MCCXXVI. *obiit Ludovicus Rex Francorum apud Aquam-Sparſam & Monpancerium, rediens ab Albigenſibus.* Hæc Aquaſparſa uti obſervo, ea eſt quæ *Aigueperſe* vulgò dicitur, cùm *Aigue-eperſe* dici debeat ac ſcribi, id eſt *Aigue-eparſe*. Quippe *Aigue-perſe* Aquam Praſinam ſignificat; *Aigue-perce* uti quidam ſcribere malunt, Aquam pertundentem.

AQUÆGRANI.

Aquægrani ab aquis calidis ſeu thermis & ab Apolline Granno, quaſi Aquæ Apollinis; vel certè à nomine loci ſunt dictæ: vulgò *Aix la Chapelle*, Germanis *Aken*. Baſilicam maximam Aquiſgrani Carolus Magnus Chriſto Servatori & S. Virgini ejus matri ædificavit: ut Eginhardus in Vita Karoli & Poeta Saxo in libro V. Annalium docent. Unde in Annalibus Mettenſibus & à Reginone ac Mariano S.

Salvatoris & S. Dei genitricis Mariæ vocatur. Vulgo tamen omiſſo Chriſti nomine, *Baſilica S. Dei genitricis*, ſeu *B. Mariæ* dicta eſt: atque ita ab Eginhardo ipſo & a Monacho Monaſterii Ecoliſmenſis B. Eparchii in libro de Vita Caroli Magni nuncupatur: ut in Defenſione Diſceptationis meæ de Baſilicis Regum noſtrorum obſervavi. Sunt autem Aquægrani in Tungris ſeu in Leodicenſi Diœceſi: cùm Inda ſeu Monaſterium S. Cornelii Aquis proximum, ſit in Ubiis Colonienſive parœcia.

Pippinus Francorum Rex anno DCCLXV. *hiberna Aquiſgrani habuit, ubi & Natalem Domini & Paſcha celebravit*. Rex Carolus ejus filius, cognomine & re Magnus, *in Aquiſgrani Palatio ſuo ubi hiemaverat, diem Domini Natalicium ſanctumque Paſcha more ſollemni celebravit*, anno DCCXCVIII. & ab anno DCCXCIV. uſque ad mortem per annos XX. ibi ſemper hiemavit ac ſedit, ſolo excepto triennio: quem Ludovicus Pius, ejus regnorum Imperiique ſucceſſor eſt imitatus, & Aquas ceteris villis Regiis prætulit. *Delectabatur autem Karolus vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens. Ob hoc Aquiſgrani Regiam exſtruxit, ibique extremis vitæ annis uſque ad obitum perpetim habitavit*; ut ſcribit Eginhardus. Nimirum ibi *calidos ſaluberrimoſque fontes ebullire* auctor eſt monachus Sancti Galli. Poëta Saxo Eginhardum ſequitur hiſce verſibus,

Et naturali fontes fervore calentes
  Illi præſtabant grata lavacra nimis.
Unde locum ſedis ſibimet delegit Aquenſis,
  Plurima quò manat copia talis aquæ:
Balnea quâ multo condens jucunda decore,
  Annis extremis manſit ibi jugiter.
Ejuſdem nam commoditas ſpecioſa lavacri
  Centenos homines, pluſque valet capere.

Alcuinus ſeu quis alius à Caniſio editus, Caroli Magni certè æqualis, Aquaſgrani non ſemel pro vico aut villa *magnam & latam & excelſam urbem* appellat, necnon *ſecundam Romam, venturam Romam*, id eſt naſcentem Romam, & *altam Romam*: ſcribitque à Rege Carolo locum altis mœnibus cinctum; *foro, Senatu, arce*, id eſt Regia, *theatro, atriis*, & *Æterni Regis templo* ſeu Baſilica, *balneis* inſuper vel thermis, ubi *marmoreis gradibus ſpecioſa* eſſent *ſedilia* ornatum eſſe, & *fontis bullientis rivos in omnes urbis partes eſſe deductos*. Ex quibus colligo, Aquis *Romæ* tum nomen impoſitum, & Carolum de hacce villa Regia *urbem* facere, atque ita vocari voluiſſe. Quod nemo mirari debet, cùm ædes quas ibi condidit, Patriarchii Lateranenſis in urbe Roma exemplo, *Lateranas* nuncupaverit. Verba Chronici Muſciacenſis quod in anno DCCCXVIII. deſinit, ſunt hæc in rebus anni DCCXCVI. *Redierunt ad Regem Karolum ad Aquis Palatium. Nam ibi firmaverat ſedem ſuam: atque ibi fabricavit Eccleſiam miræ magnitudinis, cujus portas cancella fecit ærea, & cum magna diligentia & honore (ut potuit & decebat) in ceteris ornamentis ipſam Baſilicam compoſuit: fecit autem ibi & Palatium, quod nominavit Lateranis, & collectis theſauris ſuis de Regnis ſingulis, in Aquis adduci præcepit: fecit item & opera multa & magna in eodem.* De *manſionibus omnium cujuſque dignitatis hominum circa* Aquiſgranenſe *Palatium Caroli conſtructis*, & de *Procerum habitaculis à terra mira arte in ſublime ſuſpenſis*, & de *Baſilica* ibidem, *antiquis Romanorum operibus præſtantiore, brevi ab eo fabricata, ex omnibus ciſmarinis regionibus magiſtris & opificibus advocatis*, legendus Monachus Sanctgallenſis in libri I. capitibus XXX. & XXXII. *Plurimæ pulchritudinis Baſilicam Aquiſgrani opere mirabili exſtruxit*, (inquit Eginhardus) *auroque & argento, & luminaribus, atque ex ære ſolido cancellis & januis adornavit: ad cujus ſtructuram cùm columnas & marmora aliunde habere non poſſet, à Roma & Ravenna devehenda curavit.* Eam *Baſilicam ob honorem ſanctæ Virginis* Carolus *proprio ſumtu in eo vico conſtruxit*; licèt Monachus S. Galli aliter ſentiat: & iſtam *S. Dei genitricis Baſilicam, quam Capellam vocant, tegulis plumbeis texit*; ut in anno DCCCXXIX. & ultimo ſcribit Eginhardus in Annalibus: *porticum etiam inter Baſilicam & Regiam operoſa mole condidit, malo aureo tecti* Baſilicæ *culmen ornavit: corona inter ſuperiores & inferiores arcus interiorem ædis* ſeu Baſilicæ *partem ambiebat*. Ab ea Baſilica S. Virginis quam *Capellam* vulgò vocitatam ait ipſe Eginhardus, Aquaſgrani *Aix la Chapelle*, id eſt *Aquas Capella* dictitant & cognominant Noſtri. In ea baſilica ſepultus eſt Carolus Magnus, quam *Abbatiam de Aquis* vocat Diviſio Regni Lotharii, & agrum ejus *dictum Aquenſe*.

Aquægrani nunc appellantur *Aquenſe Palatium* à noſtris ſcriptoribus priſcis, nunc *Aquenſis ſedes*, & *vicus Aquenſis* & *aula Aquenſis*: interdum *villa Aqua*, *Palatium Aqua*, & abſolutè *Aqua*. Theganus *Aquaſgrani Palatium* nuncupat. Villæ autem Regiæ vel publicæ, qualis erat villa Aquenſis, *Palatia* ſeu *ſedes*, aut *aulæ* vulgò vocabantur: quia ibi Reges noſtri palatia ampliſſ. habere, ibi hiemare ac ſedere conſueverant. Nithardus ſcribit *Aquas Palatium tunc primam ſedem Franciæ fuiſſe*: quia nimirum Carolus Magnus & Ludovicus Pius Aquaſgrani, poſthabitis ceteris omnibus Franciæ villis publicis, coluerant ac pro ſede habuerant. Poëta Saxo Regiæ Aquenſis meminit

Ipſe regreſſus Aquaſgrani, (ſic Regia ſedes
  Inclyta nomen habet, nec non vocitatur Aquenſis)

Item, Et rediens in Aquiſgrani quam condidit ipſe
  Aulam magnificam.

In Annalibus Fuldenſibus & in Mettenſibus ac Bertinianis reperitur, Nordmannos *Aquenſe Palatium, ubi in Capella Regis equis ſuis ſtabulum fecerunt, anno DCCCLXXXI. incendiſſe*.

Recentiores auctores de Aquiſgrani multa commenti ſunt fabuloſa. Reges quidem Germaniæ, & Imperatores Romanorum Aquas adeò venerati ſunt, quòd diu ſedes Caroli Magni qui primus ad Francos Imperium a Romanis tranſtulit, ea fuiſſet, & mortui corpus ſervaret; ut ibi Regni Lotharienſis atque Germanici coronam non aliam ob cauſſam recipere plerique voluerint: ubi nimirum & à Carolo Magno Ludovicum, & à Ludovico Lotharium

coronatos ac Imperatorii nominis conſortes conſtitutos, & ab eodem Ludovico Pippinum ac Ludovicum, minores filios, Reges appellatos, atque alterum Aquitaniæ, alterum Baioariæ præfectos eſſe cognoverant. Gaufridus in libri IV. de Vita S. Bernardi Abbatis, Magiſtri ſui, capite VI. ſua ætate ſedem Regiam adhuc fuiſſe docet, & celeberrimâ Caroli Magni Baſilica illuſtrem exſtitiſſe. *Aquiſgrani ſede Regia, dum in illa famoſiſſima toto Romanorum orbe Capella vir beatus Miſſarum ſollemnia celebraret.* In libro de Miraculis S. Bernardi vocatur *Aquiſgranum Regum ſedes; celeberrimus & amœniſſimus locus, voluptati corporum accommodatior quàm animarum ſaluti.*

AQUÆ MORTUÆ.

Aquæ mortuæ à re nomen acceperunt. Erat enim hic locus poſitus inter ſtagnum Laternam vel paludem Taurum, & os Hiſpanienſe Rhodani ad mare, & ob id aquis ſtagnantibus abundabat ac reſidibus & velut mortuis. Vulgò *Aigues mortes* incolæ appellitant. Eo portu olim plurimum uſi ſunt Franci. *Anno* MCCXLVIII. *Rex Franciæ Ludovicus ad portum Aquarum mortuarum perveniens, menſe Auguſto navem cum ſuis intravit*: & anno MCCLXIX. idem *Lugdunum, Viennam, & Belliquadrum pertranſiens, ad optatum portum Aquarum mortuarum pervenit, & intravit mare*, Tuneta petens, ut Guillelmus Nangiacenſis ſcribit. Hunc portum Johannes Olivarius *Foſſam Marianam* à veteribus Geographis vocatum eſſe ait magno errore, cùm Foſſam Marianam Mela, Plinius, Æthicus, aliique trans Rhodanum in provincia Viennenſi fuiſſe doceant; Aquæ mortuæ ſint citra oſtia Rhodani in provincia Narbonenſi prima vel Septimania. Nunc Aquæ mortuæ alluuntur quidem ſtagno, uſque ad muros accedente, cui nomen ſuum debent; ſed à mari millia paſſuum circiter duo ſeu ſemileugam abſunt. Portu itaque carent, qui arenis à Rhodano invectis obſtructus eſſe dicitur.

AQUÆ NERI.

Aquæ Neri in tabula Peutingeriana memorantur his verbis, *Aquis Neri, Cantilum, Argentomago.* Hoc municipium olim aquis nobile, nomen ſuum retinet in pago Burbonenſi finibuſque Biturigum Cuborum. Vocatur enim *Neris*. Patroclus Biturix, Presbyter magnæ abſtinentiæ magnarumque virtutum, *in vico Nerenſi* quondam aquis inſigni Monaſterium puellarum, deinde & cœnobium Columbarienſe in Biturigibus ædificavit, Monachiſque loci Abbatem præfecit: ſicuti Gregorius Turonicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſcripſit in capite IX. libri de Vita Patrum.

AQUÆ SEXTIÆ SALYORUM: ET DE SALYIS.

Aquæ Sextiæ dictæ ſunt à Caio Sextio Calvino Proconſule, qui ibi hiberna Conſul habuerat, ibique Salues acie vicerat: quam coloniam condidit, locúmque ab aquis calidis & frigidis quibus erat delectatus, & à nomine ſuo Aquas Sextias appellavit, ac muro cinxit, ut Velleius, Florus in epitome libri LXI. & Solinus tradunt. Unde Plinius in libri XXXI. capite II. ait: *Augent numerum Deorum* (aquæ) *nominibus variis, urbeſque condunt, ſicuti Puteolos in Campania, Statiellas in Liguria, Sextias in Narbonenſi provincia.* Addit Solinus, *Aquas Sextias quondam hiberna Conſulis, poſtea excultas mœnibus* fuiſſe, & earum calorem diuturnitate temporis defeciſſe, *nec iam parem eſſe famæ priori.* Velleius ſcribit, à C. Mario IV. Conſule *trans Alpes circa Aquas Sextias amplius* CL. *millibus hoſtium trucidatis*. *Gentem exciſam Teutonorum: quos ſub ipſis Alpium radicibus, in loco quem Aquas Sextias vocant, prœlio oppreſſos* ait Florus in libri III. capite III. tamquam Alpes attingant Aquæ Sextiæ, quas ab Alpibus Maritimis per Forum Voconi Forumque Juli & Antipolim ac Cemenelum millia paſſuum CXXIV. abeſſe Æthicus docet. Sed nimirum Florus Polybium & Strabonem imitatus, Salyorum montes prope Maſſiliam *Alpes* impropriè vocavit. Si Straboni credimus, *Aquæ calidæ Sextiæ* cognominatæ, τὰ θερμὰ ὕδατα τὰ Σέξτια καλούμενα, à Taraſcone diſtant millibus LIII.

Plinius quam ceteri coloniam vocant, opidis Latinis accenſet, ut ſæpe alias, hiſce verbis. *Opida Latina, Aquæ Sextiæ Salyorum, Avenio Cavarum, Apta Iulia* &c. At in nummo Veſpaſiani A. nuncupatur *Colonia Aquæ Sextiæ leg.* XXV. id eſt legionis viceſimæ quintæ: à Ptolemæo quoque *Aquæ Sextiæ Colonia* in Salyis, ὕδατα Σέξτια κολωνία. Joſ. Scaliger & Sirmundus duos lapides proferunt, Arelatenſem & Romanum, quorum alteri inſcripta ſunt iſta: *In provincia Narbonenſi coloniá Aquis Sextis*: in altero hæc legimus. *Col. Iulia Aug. Aquis Sextis*, id eſt Coloniâ Juliâ Auguſtâ Aquis Sextiis. In Itinerario Æthici *Aquis Sextis* ſimiliter in VI. aut in III. caſu reperimus inter *Tecolatam & Maſſiliam*: in tabula Peutingeriana quoque *Aquis Seſtis* inter *Tegulatam* vel *Tecolatam & Maſſiliam Græcorum*. quæ æquali ab utroque loco diſtant intervallo, videlicet XV. millibus paſſuum. *Seſtis* autem ſcriptum pro Sextis, qui error eſt ortus ex more Italorum, litteram x in ſ, & invicem ſ in x vitio pronuntiationis convertentium, atque e. c. de *Xyſto Sixtum* facientium, de *Alexandro Aleſſandrum*. *Aquæ Seſtiæ* Floro in epitome libri LXVIII. T. Livii nuncupantur; *Sextia Baia* Sidonio, id eſt Sextiæ Aquæ ab aquis ſinus Baiani celeberrimis: circa quas II. prœliis C. Marius Teutonos & Ambrones deleviſſe dicitur, cæſis hoſtium CC. millibus, captis XC.

In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, provinciæ Narbonenſis ſecundæ *Metropolis civitas Aquenſium* appellatur, nonnumquam & *civitas Aquenſis*, & *Aquæ*, ſubjectas ſibi habens VI. civitates, Aptenſium, Reienſium, Foroiulienſium, Vapincenſium, Segeſteriorum, & Antipolitanam. Sed poſtea ut ex Gervaſio duabuſque Notitiis recentioribus diſcimus, detractâ Antipoli & Maritimis Alpibus attributâ, ceteræ ſupradictæ civitates numero quinque Aquenſi Burgundiæ vel Provinciæ Metropolitano Archiepiſcopo ſubjectæ permanſerunt, quales eodem civitatum ordine ſervato ſunt hodie. Aquæ Sextiæ, vel Aquæ abſolutè, nunc vocantur *Aix*, montana urbs ad fluviolum Arcum, *Arc* vel *l'Arc*, orien-

tem, qui ſtagnum Maſtromelam ſeu Berrenſe ingreditur, & flexu aquarum ſuarum arcum refert. Incolas urbis Gregorius in libri IV. capite XXXIX. & in libro de Gloria Confeſſorum *Aquenſes* & *Aquinſes* nuncupat; Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus *Aquinos*, & *Aquinam urbem* pro Aquenſem.

Maſſilia Argolica nos cepit condita Gente,
Arvum & Aquinæ urbis, ſive Cavelle tuum.

Aquenſes Noſtri nunc *Aquiſextienſes* ab Aquis Sextiis dicunt, uti Plinius *Aquicaldenſes* in Hiſpania Tarraconenſi ab *Aquis Calidis*, & vetus inſcriptio in eadem provincia *Aquiflavienſes* Aquarum Flaviarum incolas.

Salyes autem vel Salyi, quorum in agro Colonia Aquæ Sextiæ condita eſt, *Salluvies* in Romanis tropæis dicuntur apud Goltzium, id eſt Salluvii; Ammiano Marcellino in libro XV. *Salluvii*, in Regio exemplari *Saluvii*: Floro in epitome libri LX. nunc *Tranſalpini Ligures*, nunc *Falanii* vel *Salanii* pro *Saluvii*. Apud Strabonem vocātur *Salyes*, Σάλυες, & à mari Gallico ſive ab urbe Maſſilia uſq; ad flumen Druentiam ſedes habent. Idem ait Salyes incolere oræ maritimæ imminentes *Alpes*, id eſt montes, ac partem litoris *Græcis miſtos*, nimirum Maſſilienſibus; quos priſci Græci Λίγυας ſive *Ligures*, & eorū regionem *Liguſticam*, poſteriores Κελτολίγυας, hoc eſt *Galloligures* vocaverint: item oram maritimam tenere Maſſilienſes & Salyes uſque ad fines Italiæ. Quod de Maſſilienſibus quidem verè dictum eſt, Antipolim & Nicæam ad Alpes occupantibus: at Salyes Alpem non tangebant, verùm Deciates & Oxubii. Si Plinio creditur, *Ligurum celeberrimi ultra Alpes Salyi* fuerunt, tum Deceates, & Oxubii: & Vercellæ Libicorum ex Salyis ortæ ſunt. Florus in libri III. capite II. *prima trans Alpes arma Romana ſenſiſſe Salyos, cùm de incurſionibus eorum amiciſſima civitas Maſſilia quereretur*, memoriæ tradidit falsò. Quippe Q. Opimius Conſul Oxubios & Deciates, *Maſſilienſium fœderatorum oppida Antipolim Nicæámque* vaſtantes ante ſubegerat, ut epitome libri XLVII. T. Livii docet. Teutomalium Salviorū Regē à Romanis victum Allobroges receperunt: ideò bellum eis illatum. Ab Appiano *Salyes* quoque; à Ptolemæo Σάλικαι mendosè pro Σάλυες nuncupantur, qui & Arelatum & Taraſconem ad Rhodanum, ac Aquas Sextias præ ceteris huic Genti urbes attribuit. Salyes *Gens occidua* Stephano ἔθνος δυτικὸν falso dicuntur, cùm ſint Gallorum maximè meridiani.

Olim ſub Metropoli Aquis Sextis erant VI. civitates Epiſcopaleſve ſedes, nimirum Apta Julia, Colonia Reiorum Apollinarium, Forum Julii, Vapincum, Seguſtero, & Antipolis: quæ eodem ordine ſervato nunc etiam Aquiſextienſi Archiepiſcopo, prov. Narbonenſis II. Metropolitano parent atque ſuffragantur, exceptâ Antipoli, quæ detracta Aquis, & Alpibus Maritimis adjecta, poſtea Graſſam in locum ſuum ſubſtitutam vidit. Falsò Robertus in Chronico unam civitatem Maſſiliam Aquenſi provinciæ attribuit, ceteras ei ſuffragantes partim Arelatenſi provinciæ, nimirum Aptam, Reios, Seguſteronem; partim Alpibus Maritimis, videlicet Vapincum adſcribens.

AQUÆ TARBELLICÆ ET TARBELLI.

Tarbelli Τάρβελλοι, uti ait Strabo, ſinum Aquitanicum cum Santonibus incolunt, qui iſthmum facit ad ſinum Gallicum in ora Narbonenſi pertinentem: & metallis auri excellentis nobilitantur. Cæſar in libro III. inter populos Aquitaniæ ſuæ, Garumna flumine, Pyrenæis montibus & Oceano clauſæ, primos omnium numerat *Tarbellos*. Plinius in Aquitanica *Tarbellos Quatuorſignanos* inter *Begerros* ſive Bigerrones & *Cocoſſates Sexſignanos* ponit. Videntur porrò Tarbelli Quatuorſignani à Romanis cognominati, & Cocoſſates Sexſignani, quòd hi ſex ſigna militum apud ſe haberent in præſidio, illi quatuor. Apud Ptolemæum ſub Biturigibus Viviſcis uſque ad ſaltum Pyrenæum habitant Tarbelli. Ab his Tibullus *Pyrenen Tarbellicam* cognominavit in carmine ad Meſſallam.

Tarbella Pyrene
Teſtis, & Oceani litora Santonici.

Tarbellos inter & Santones ſoli ſunt alicujus nominis Bituriges Viviſci. Sinum quem Tarbelli incolunt, deſignat Lucanus his verbis.

Tum quæ Nemetis
Qui tenet, & ripas Aturi, quà litore curvo
Molliter admiſſum claudit Tarbellius æquor.

Ita haud dubiè reſtituendus eſt hic ultimus verſus ſublatâ unâ litterulâ, & *Tarbellius* à Poëta poſitum eſt pro *Tarbellus*, cùm vulgò *Tarbellicus* legatur. Sic *Oſiſmii* ſunt Græcis Geographis & Mellæ, qui Cæſari & Plinio Oſiſmi; *Suetrii* & *Neruſii* Ptolemæo, qui apud Plinium Suetri & Neruſi: *Auſcii* Ptolemæo & Notitiis, qui Cæſari, Mellæ, Plinio ceteriſque Auſci. Sic *Turonii* Tacito & Ptolemæo dicūtur, qui ceteris Turoni & Turones. Nam Joſepho Scaligero accedere non poſſum, qui *Tarbellicus* retinet, & *æquor* in *ancon* audacter mutat infelici conjecturâ, verſumque Lucani depravat magis quàm emendat eum in modum.

quem litore curvo
Molliter admiſſum claudit Tarbellicus ancon.

Itaque ſi Scaligerum ſequi volumus, qui *curvo litore molliter admiſſus clauditur*, non jam erit Oceanus Tarbellicus, ſive *æquor*, ut eſſe debet, ſed Atur fluvius: quorum verborum nullus eſt tolerabilis ſenſus. Nam ſinus mare quidem ore ſuo admittere ac claudere conſuevit: fluvios verò ſi quos excipit, *claudere* dici non poteſt. Auſonius à Tarbellis fluvium *Aturrum Tarbellicum* cognominat, quod in mare Tarbellicum effluat; agrum Tarbellorum *arva Tarbellica*; mare quod attingunt, *Oceanum Tarbellicum*.

Tarbellique furor perſtrepit Oceani.

Tarbellorum finibus continentur Aquæ Tarbellicæ, & pagus Aquenſis in arenis quas Landas vocitant, atque Lapurdum ſeu Baiona cum pago Lapurdenſi, ut Joſephus Scaliger ſentit, quem multi alii viri doctiſſimi ſequuntur, & cui ego libentiſſimè accedo. Samſonis, ſed ſolius alia eſt opinio, qui Tarbellis unam modò diœceſin Baionenſem aſſignat, & Baionam veteri nomine Aquas Auguſtas & Aquas

Tarbellicas appellatam eſſe putat.

Errat graviter Maſſonus, qui nominum ſimilitudine deceptus; & Iucundum Veronenſem ſecutus, Tarbellos atque Tarbienſes puerili errore confundit, & ex duobus populis provinciæ Novempopulanæ, Tarbellis videlicet, atque Bigerronibus quorum caput eſt Tarbia, Gentem unam facit. Itaque ut ex uno errore plures oriri conſueverunt, negat propinquos Oceano Tarbellos verè dici à Lucano potuiſſe, cùm ſatis à mari abſint; & vicum Aquas à quo *Vicani Aquenſes* nomen acceperunt, *in Bigerronibus ſive Tarbellis eſſe*, & olim *Aquas Tarbellicas* dictum eſſe, nunc à balneis *Balnearias* vocari. (*Bagneres.*) At Aquæ illæ cùm in Bigerronibus ſint, & III. circiter leugis à Tarbia Bigerronum diſtent, Tarbellorum eſſe, & Aquæ Tarbellicæ nuncupari non poſſunt, ſed potiùs Aquæ Bigerricæ: quas quia in vico erant, *Aquas Vicanas*, & vici incolas *Vicanos Aquenſes* Romani vocaverunt: Noſtri *Balnearias* ſeu *Bagnerias* vocitant; *Aquas villam* in Vaſconia forſitan ſcriptor vitæ Ludovici Aug. in anno DCCCIX.

Tarbellorum urbs præcipua ab Aquis nomen, à Gente cognomen, interdum & ab Auguſto accepit, & dicta eſt nunc *Aqua Auguſta*, nunc *Aqua Tarbellica.* Plinius in capite II. libri XXXI. Aquas Tarbellicas deſignavit his verbis. *Emicant* aquæ *benignè paſſimque in plurimis terris, alibi frigida; alibi calida; alibi inuncta: ſicut in Tarbellis Aquitanica Gente & in Pyrenæis montibus, tenui intervallo diſcernente. Aquæ* illæ *in Tarbellis Gente Aquitania*, haud dubie ſunt Aquæ Tarbellicæ. Sed ſuprà legi malim *alibi juncta*, ut indicet Plinius aquas calidas & frigidas junctim ſeu alteras alteris proximas alicubi reperiri, taleſque in Tarbellis & in Pyrenæo monte inveniri, parvo alteras ab alteris intervallo diſcretas. Aquarum Tarbellicarum incolas Plinius in capite XIX. libri IV. *Aquitanos* vocat, putatque vel potiùs affirmat Aquitaniam nomen eis ſuum debere. *Aquitanica ſunt Bituriges liberi cognomine Vibiſci, Aquitani, unde nomen provinciæ. Urbs Tarbellorum Aquæ Auguſtæ* à Claudio Ptolemæo nuncupatur: eadem *Aqua Tarbella* ab Auſonio; *Aqua Terebelica* non ſemel ab Æthico in Itinerario vocatur pro Aquæ Tarbellicæ; qui Æthicus ab Aquis Tarbellicis Burdigalam M.P. LXIV. Beneharnum XIX. Lugdunum Convenarum LXI. Toloſam CXXX. abeſſe ait. Nimirum Tarbelli in ſcriptorum Latinorum exemplaribus priſcis *Terbelli* etiam appellantur. Vibius Sequeſter de fluminibus ſic refert. *Atur Tarbella civitatis Aquitaniæ in Oceanum influit.* Duæ ſunt Tarbellorum civitates, Aquæ Tarbellicæ, & Lapurdum vel Baiona. Utram ambarum Vibius *Tarbellam civitatem Aquitaniæ* vocet, incertum eſt. Ego Aquas Tarbellicas ab eo potiuſquàm Lapurdum deſignari arbitror. Hæc inter XII. civitates provinciæ Novempopulanæ ſecunda collocatur, vocaturque *civitas Aquenſium* in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ. Robertus in Chronico *civitatem Aquas* appellat, & Novempopulanæ provinciæ nonam facit. Gervaſius Tilleberienſis & recentiores Notitiæ ſuum ei locum gradumque reſtituunt, & Epiſcopum *Aquenſem* primum numerant inter decem Antiſtites, Auſcitano Vaſconiæ Archiepiſcopo ſuffragantes. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VII. Hiſtoriæ capite XXXI. *Aquenſem urbem*, in libri VIII. capite II. *Aquas* nuncupat.

Quoniam autem duæ ſunt in Gallia civitates eo nomine, altera Metropolis prov. Narbonenſis II. altera ſedes Epiſcopatus in Novempopulis, ambæ *civitas Aquenſis* dictæ: minimè mirandum eſt duos diverſarum civitatum Antiſtites ſæpe uno nomine uno tempore deſignari, tamquam unam eamdemque ambo civitatem rexerint ac Eccleſiam. Certè Concilio Aurelianenſi IV. Baſilio V. C. Conſule interfuere *Maximus Aquenſis civitatis Epiſcopus*, & *Carterius Epiſcopus civitatis Aquenſis*; Concilio Aurelianenſi V. *Avolus Epiſcopus Eccleſiæ Aquenſis*, & *Liberius Epiſcopus Eccleſiæ Aquenſis.*

In media urbe ſunt aquæ admodum calidæ ac propè ferventes, & circa fontem largum atque exundantem ſolia marmorea hodieque ſpectantur, quibus aquis nunc Pyrenaicæ præferuntur. Ab his aquis olim celeberrimis Romani, vel potiùs Galli Romanæ ditioni ſubjecti, qui lingua Latina utebantur, locum *Aquas* vocavere, & à Gente cujus in finibus erant *Tarbellicas* cognominavere, Epiſcopatûs & Vicecomitatûs antiquam ſedem. Vetus nomen retinet urbs hodieque; vocatur enim *Aqs*, alias *Daqs*: ut ſolent Vaſcones nominibus à vocali incipientibus d litteram præfigere. *Dax* plerique ſcribunt pro *Daqs*, propterea quòd littera x vocalem a ſequens eumdem ſonum efficit quem *qs*, & *Daqs* itaut *Dax* ſonat. Nomen autem vulgare *Aqs* aut *Daqs* ex Latina veterique loci appellatione *Aquis* ortum eſſe vel cæci vident.

Quo magis miranda eſt Samſonis pervicacia, qui cùm Tarbellorum urbem Aquas Auguſtas vel Aquas Tarbellicas pro Baiona confidenter accipiat; noſtram urbem *Aqs* vel *Dax* quærit apud neſcio quos *Datios*, quærit ac inveniſſe ſe putat in Datiorum iſtorum urbe *Taſta*: quaſi Datii aut *Taſta* Datiorũ magis quàm *Aquæ* ad *Aqs* aut *Dax* accedant. Quod ut intelligatur, ſcire cõvenit à Claudio Ptolemæo in Aquitania *Datios* ſub Gabalis, & eorũ urbem *Taſtam* poni. Ptolemæi verba ſunt. Τῶν Γαβάλων Δάτιοι, ϗ πόλις Τάστα. *Datios* inter Aquitaniæ populos apud Strabonem & Plinium reliquoſque veteres Geographos nuſquam reperio, multo minùs apud Hiſtoricos Cæſarem alioſque: itaut Samſon Datiis ſuis tantopere confidere non debeat, Genti cunctis incognitæ. Equidem Ptolemæi verba mendoſa eſſe, & repetitione unius ſyllabæ ſic reſtitui oportere non dubito. Τῶν Γαβάλων Οὐεδάτιοι, aut Οὐσιδάτιοι. *Oſdatii* vel *Oſidatii* dicuntur à Ptolemæo, qui Latinè *Oſſidates*; ut Οὐασάτιοι, Οὐελιοκάσιοι, Τρικάσιοι, Ἀτρεβάτιοι, Οὐαδικάσιοι, qui ab ſcriptoribus Latinis *Vaſates*, *Veliocaſſes*, *Tricaſſes*, *Atrebates*, *Vadicaſſes.* Certè à Plinio inter Aquitaniæ Gentes numerantur *Oſſidates Montani*, & *Oſſidates Campeſtres*, aliàs *Oſquidates*, ambo à diverſo ſitu ſic cognominati. *Oſſidates* autem mihi videntur nomen accepiſſe ab Oſſida vel Oſſido fluvio, *l'Oſſe*: qui

Geliſam vel Gelidam (*Geliſe*) Eluſatium amnem, & Baliſam Condomienſem Neracenſemque fluvium, *Baiſe* vulgo dictum, infra Aginnum in Garumnam defert, & vico quem Foramen Oſſidæ vocant (*Hour d'Oſſe*) nomen dedit: quamquam alii contrà Oſſidam ad vicum iſtum in Geliſam effluere, Geliſam ipſum à Baliſa excipi atque in Garumnam devolvi aſſerunt. Ad Oſſidam eſt Monteſquiuum *Monteſquion* opidum, forſitan *Taſta* Oſſidatium apud Ptolemæum.

Idem Samſon ex Cocoſatibus & Datiis unam Gentem, ex Segoſa & Taſta Datiorum unam urbem facit. Quippe ait *Coequoſam* in Itinerario Æthici, ab Aquis Tarbellicis XVIII aut potiùs XVI. millibus paſſuum diſtantem, quam ipſe *Cacoſam* vocat nomine ad Cocoſates paullo propiùs accedente, urbi *Dax* neceſſariò reſpondere; *Cacoſates* vel Cocoſates ejus urbis agro ſive Diœceſi: quippe agrum ſuburbanum, inter urbem & mare poſitum, hodieque *Coſſe* vocitari. *Cocoſates* autem à Cæſare in III. Commentario numerantur inter populos Aquitaniæ, necnon à Plinio in libro IV. cui *Cocoſates Sexſignani* cognominantur. A Cocoſatium nomine multum recedere *Coëquoſam* Æthici, & commenticios Samſonis *Cacoſates* nemo non videt. Sed tales Samſonis opiniones, duo nomina diverſa uni Genti unique urbi ſine cauſſa tribuentis, refellere neceſſe non eſt.

AQUILA.

Ordericus Vitalis in libro IV. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Normannorum memorat *caſtrum Aquilam*, dictum à nido aquilæ in quercu reperto, cùm conderetur: & eodem in libro vocat illud *opidum Richerii, quod pro nido aquila ibidem in quercu reperto, dum caſtrum à Fulberto fieret, Aquila dicitur. Caſtrum Aquilenſe* etiam appellat, & incolas ejus *Aquilinos*. Vulgò *l'Aigle* nuncupatur, opidulum ad flumen Riſelam poſitum.

AQUITANIA PROVINCIA.

Quam Strabo & Ptolemæus Ἀκουιτανίαν, Appianus in libro V. & Dion in libro XXXIX. Ἀκυιτανίαν, quidam Ἀκυιτανίαν, Marcianus Heracleotes aliique Græci Ἀκυτανίαν vocant; ea Latinis ſcriptoribus nunc *Aquitania*, nunc adjectivè *provincia Aquitanica*, aut abſolute *Aquitanica* ſubaudito nomine provincia nuncupatur. Certè Plinius modò *Aquitaniam*, modò *Aquitanicam* appellat; *Aquitanicam* necnon *Aquitanicas* Salvianus in libro VII. de Gubernatione Dei; veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ *provinciam Aquitanicam*.

Et Plinius quidem in capite XVII. libri IV. *Aquitaniam Aremoricam antè dictam* ſcribit; & in capite XIX. Aquitaniam deſcribens, Aquenſes ſeu Aquarum Tarbellicarum incolas vocat *Aquitanos, unde nomen provinciæ*. Quem ſi ſequimur, credemus regionem hanc primùm à Gallis Gallico nomine dictam eſſe *Aremoricam* vel *Armoricam*, quòd maritima majore ex parte eſſet; poſtea à Romanis Latino nomine nuncupatam *Aquitaniam*, ab Aquis Tarbellicis, quarum incolæ vocantur Aquitani. Ego non à ſolis Aquis Tarbellicis; ſed ab aquis ſalubribus calidis & frigidis quibus ſcatet, dictam Aquitaniam magis exiſtimaverim. Ibi enim ſunt & Aquæ Convenarum, Aquæ ſiccæ, & in Bigerris, in Benearnenſi agro Levitaniæque montibus aliæ.

Aimoinus & Hugo Floriacenſes Monachi Aquitaniam dictam eſſe aiunt, *quod præ ceteris Galliæ provinciis fontibus, fluminibuſque torrentibus exuberet*; Iſidorus & Robertus *ab aquis obliquis fluvii Ligeris* quo ex maxima parte terminatur; Gervaſius *ab aquis Rhodani & Ligeris*; alii *quia Ligere & Garumna ac mari ferè circumdatur*. Plinius igitur ab Aquis Tarbellicis, at hi ab aquis fontium & fluminum ac maris Aquitaniæ appellationem deduxerunt. Sed à Ligeris & Rhodani aquis cognominari Aquitania non potuit, cùm nota fuerit Julio Cæſari & Hirtio Aquitania, & nonniſi principatu Auguſti ad Ligerim promota ſit; ad Rhodanum verò numquam pertinuerit. Gervaſius *ab equis quibus incolæ abundant ac potentius invehuntur*, Aquitaniam etiam dictam videri poſſe ait *quaſi Equitaniam*. Equos quidem Vaſconia, quæ eſt Aquitania Julii Cæſ. ac præcipue ibi Levitania, *le Lavedan*, olim plurimos tulit, *potentes, feroces & in orbem agi doctos*: quales à Guillelmo Pictavenſi deſcribuntur, & Levitani vocabantur, *Lavedani*. Sed ab equis Aquitania dici non potuit. Nam Equitaniæ nomen quod in noſtris Annalibus nonnumquam occurrit, corruptum eſt A in E mutato.

Cæſar in libro I. Commentariorum belli Gallici *Aquitaniam a Garumna flumine ad Pyrenæos montes & eam partē Oceani quæ eſt ad Hiſpaniam, pertinere* memoriæ tradidit, deceptus ut exiſtimo falſis relationibus P. Craſſi, omnia in majus augentis, cui maxima pars Aquitaniæ ſeſe dediderat obſideſque bis victa miſerat: & in libro III. *Aquitaniam & regionum latitudine & multitudine hominum ex tertia parte Galliæ æſtimandam eſſe* aſſeruit: quæ poſtea provincia Novempopulana, ac demum Vaſconia eſt appellata: cùm tamen ab imo Pyrenæo ad Garumnam flumen ſive Burdigalam iter ſit millium paſſuum vix centum. Quem errorem cùm agnoviſſet Julii Cæſaris ſucceſſor Auguſtus, Aquitaniam a Pyrenæo ad Ligerim protulit, ut Strabo docet, XIV. Gentibus quæ inter Garumnam & Ligerim habitant ei attributis & adjunctis, nimirum Biturigibus Cubis, Arvernis, Rutenis, Albienſibus vel Albigenſibus, Cadurcis, Lemovicibus, Gabalis, Vellavis, Biturigibus Viviſcis ſive Burdigalenſibus, Aginnenſibus ſeu Nitiobrigibus, Ecoliſmenſibus, Santonibus, Pictonibus, Petrocoriis: quot ſunt populi provinciæ Aquitanicæ I. & Aquitanicæ ſecundæ, in veteribus Notitiis Galliæ & ab ipſo Strabone memorati: niſi quod Strabo Albienſes & Ecoliſmenſes prætermiſit, & pro Albienſibus *Helvios*, Gentem prouinciæ Viennenſis in Gallia Narbonenſi ſitam, videtur malè poſuiſſe. Populos Aquitaniæ Julianæ ab Auguſto aggregatos non ampliùs duodecim exemplo Strabonis numerat Ptolemæus, Ecoliſmenſibus & Albienſibus ſimiliter omiſſis: XI. Plinius, cum utriſque Vellavos omittendo. Tibullus Aquitanicæ victoriæ Meſſallæ teſtes non *Garumnam* modò, ſed etiam *Ligerim* facit, propterea quod tum ab Auguſto ad Ligerim

gerim Aquitaniæ promotus eſt terminus, & Pictones ac Bituriges Cubi qui ad Ligerim pertinent, à Meſſalla ſunt perdomiti.

Nihilominùs tamen Mella Julium Cæſarem ſequitur, & *à Pyrenæo ad Garumnam Aquitanos pertinere* ait, quorum clariſſimi Auſci urbem opulentiſſimam habeant *Eluſaberrim* vel *Climberrum*, ut veteres Codices præferunt. Et Mella quidem ſibi conſtat: At non ſimiliter Plinius, qui Julium Cæſarem ſequitur, & mox ab eo recedit. Quippe cùm in capite XVII. libri IV. *à Scalde ad Sequanam Belgicam, ab eo ad Garumnam Celticam eamdemque Lugdunenſem, inde ad Pyrenæi montis excurſum* vel promuntorium *Aquitaniam* pertinere ſcribat: in capite XIX. Gentes undecim aut ampliùs Garumnam inter & Ligerim ſedem habentes, in primis Bituriges liberos & Pictones qui Ligerim attingunt, velut immemor ſui, certè ſibi ipſi admodum repugnans, Aquitaniæ populis adnumerat: itaut cui provinciæ cum Julio Cæſare Garumnam priùs limitem præfixerat, mox cum Auguſto terminum ejus Ligerim ſtatuat. In eumdem errorem multi inopinantes inciderunt præſertim recentiores, Julium Cæſarem & Auguſtum ſimul ſecuti. In primis Hugo Floriacenſis Monachus & Robertus in Chronico *Aquitaniam a Garumna flumine ad Pyrenæos montes extendi, & oblique curſu* Ligeris *qui eam ex parte terminat, pene in orbem cingi* ſcripſerunt. At Garumna quidem à capite ſuo uſque ad Toloſam & aliquanto etiam inferiùs Aquitaniam dividit à Gallia Narbonenſi: ſed inde ad oſtium ſuum terminus Aquitaniæ haberi dicique non poteſt, cùm heic jam medius fluat inter Pyrenæos montes & Ligerim Aquitaniæ terminum.

Et primò quidem una & ſimplex fuit Aquitania inter Pyrenæum & Garumnam ac Oceanum, qualis à Julio Cæſare deſcribitur: deinde etiam diu poſt prolatos ab Auguſto ejus terminos uſq; ad Ligerim, una eſſe perſeveravit provincia Aquitania. Unde Aur. Victor & Eutropius Tetricum *Præſidem Aquitaniæ* principatu Gallieni fuiſſe quum dicunt, totius Aquitaniæ rectorem fuiſſe indicant. Poſtea Conſtantini Maximi ordinatione utputo, ex una provincia duæ factæ, *Aquitania* altera, altera à Novempopulis *Novempopulana* dicta. Certè Ammianus Marcellinus *Aquitaniam* & *Novempopulos* tantùm agnoſcit, & in Aquitania Burdigalam ac Biturigas ponit. Demum remanentibus Novempopulis, Aquitania bifariam diviſa eſt in Aquitanicam primam, & Aquitanicam ſecundam: provinciæ Aquitanicæ primæ Metropolis facta Biturigæ, ſecundæ Burdigala. Unde Rufus Feſtus in Breviario rerum Geſtarum populi Rom. & veteres Notitiæ provinciarum Galliæ tres provincias Aquitanis attribuunt, *Aquitaniam primam, Aquitaniam ſecundam*, & *Novempopulanam*: quas tres provincias ab Auguſto conſtitutas eſſe falsò Joſ. Scaliger affirmat.

Aquitaniæ tertiam partem provinciamve Novempopulanam Pyrenaica Gens citerioris Hiſpaniæ Vaſcones ſub Merovingis Regibus paullatim occupaverunt, & eam nomine ſuo Vaſconiam appellaverunt. Sed non raró accidit, ut tota Aquitania impropriè à Noſtris ſcriptoribus *Vaſconia* nuncuparetur, & ejus incolæ pro Aquitanis *Vaſcones* dicerentur. In Appendice Chronici Fredegarii, *Grippo qui dudum in Vaſconiam ad Vuaifarium Principem confugium fecerat, interfectus eſt.* Item. *Pippinus Vaſcones quos ibidem invenit, ſecum abduxit*, & de Toarcis caſtro: *Vaſcones quos ibi invenit, unà cum Comite ſecum duxit in Franciam.* In Annalibus Nazarianis *Anno* DCCXXXV. *Karlus invaſit Vaſconiam* Item, *Anno* DCCLXI. *Pippinus Rex fuit in Vaſconia cum exercitu uſque ad Limodiam civitatem. Anno* DCCLXVI. *Rex Pippinus erat in Vaſconia cum Francis, & conquiſivit Limodiam civitatem & alias.* In aliis Annalibus qui in anno DCCCVIII deſinunt, *Anno* DCCXXXI. *Karolus pugnavit in Vaſconia contra Eodonem.*

Aquitaniæ à Francis nomen ſuum relictum. Hæc à Noſtris *Aquitaine*, ac demum truncato & corrupto Latino nomine *Guienna* dicta eſt, *Guienne*, quaſi *Quitania* vel *Quitania*: quo nomine primùm tota Aquitania, deinde pars tantùm ejus deſignata. Hæc ſub Veſigothorum Regibus uſque ad Chlodovei victoriam Regnum, tum deficientibus Merovingorum Regibus Ducatus, & iterum ſub Caroli Magni poſteris Regnum aliquamdiu fuit. Regibus ſucceſſere Duces, qui Ducatum Vaſconiæ latè patentem ſuo Aquitaniæ Ducatui tandem adjunxere, Regum Francorum milites & clientes.

Aquitaniam ſæpe à Gallia diſertis verbis diſtinctam reperias apud priſcos auctores. Vitruvius in capite I. libri II. *Nationibus* (inquit) *exteris ex his rebus ædificia conſtituuntur, ut in Gallia, Hiſpania, Luſitania, Aquitania.* Ubi notandum *Hiſpaniam* propriè & abſolutè dici citeriorem Hiſpaniam, eamdemque Tarraconenſem, & ab ipſa diſtingui Luſitaniam. Rufus Feſtus in Breviario rerum Romanarum ad Valentem Aug. *Sunt Galliæ cum Aquitania & Britanniis provinciæ* XVIII. Idem Ammianus Marcellinus in libris XV. & XXI. facit; idem Sulpicius Severus in Sacræ Hiſtoriæ libro II. & in Vita S. Martini: idem Victor Maximus Auguſtus facit in epiſtola ad Valentinianum Aug. à Baronio laudata. *Hac Fide gloriantur Galliæ, Aquitania, & omnis Hiſpania.* De Fide Catholica & orthodoxa loquitur. Notus eſt Auſonii verſus de Arelate.

Populoſque alios & mœnia ditas,
Gallia queis fruitur gremioque Aquitania lato.

Apud Æthicum in Itinerario provinciarum primò *de Hiſpania in Aquitaniam* deinde *de Aquitania in Gallias* iter deſcribitur. Hæc jam Salmaſius ac quidam alii obſervavere, & tot auctorum teſtimoniis adducti, Gallias jam inde à Valentiniano & Valente A A. in Galliam & Aquitaniam diviſas eſſe putavere. Qui veriùs dixiſſent, jam inde ab Auguſto: cùm Vitruvius Auguſti æqualis Aquitaniam à Gallia diſtinxerit.

Cohors prima Aquitanorum equitum; item, *Præfectus cohortis ſecundæ Aquitanorum* in veteribus inſcriptionibus reperiuntur.

Cæſar multis locis apud Aquitanos ærarias eſſe ſecturas tradit, & auctor eſt Scaliger adverſus Cardanum, æris Cyprii in Pyrenæis & Cebennis fodinas eſſe hodieque, ac in aliquot Aquitaniæ locis chalybem effodi, v. fer-

rum forte dictum, vel acierum.

ARAR FLUVIUS.

Arar nobiliſſimum Galliæ flumen, à Caio Julio Cæſare omnium primo in libro I. Commentariorum belli Gallici memoratur. *Flumen eſt Arar, quod per fines Æduorum & Sequanorum fertur incredibili lenitate, itaut oculis in utram partem fluat judicari vix poſſit*: aut ſicuti ait Seneca, *dubitare* videatur *quò ſuos curſus agat. Segnis & cunctabundus amnis*, *tarduſque* ob id dictus Eumenio; *Lentus Arar* Claudiano. Idem Vibius Sequeſter refert: idem Aimoinus ſe perſpexiſſe & admiratum eſſe teſtatur. Strabo & Ptolemæus ὁ Ἄραρ τοῦ Ἄραρος, id eſt *Arar Araris* declinavere, Polybius ὁ Ἄραρις τοῦ Ἀράριος: Tibullo in Elegia ad Meſſallam etiam *Arar* vocatur, quod ſincerum eſt fluminis nomen. Poſtea ut pro *Liger Ligeris*, pro *Elaver Elaveris* vel *Elauris*, ſic pro *Arar* in recto caſu *Araris* dixere. Dion qui Elagabali principatu anno CCXXII. floruit, inter primos ita locutus eſt. Πλώϊμος Ῥοδανὸς, καὶ Ἄραρις, καὶ Μόσας, καὶ Λίγηρ, καὶ Ῥῆνος: Navigatur Rhodanus, & *Araris*, & Moſa, & *Liger*, ac Rhenus. Claudiano cui *Arar* placuerat, nec *Araris* diſplicuit; in libro I. in Eutropium,

> Cinyphiiſque ferax Araris ſucceſſit ariſtis.

& libro II. in Rufinum,

> Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit.

Dionem plerique recentiorum imitati, exceptis his, qui veterum auctoritatem ſequi maluerunt. Nam & in tabula Peutingeriana *fluvius Arar* vocatur, & à Vibio, & à Sidonio, à Theodulfo in Paræneſi ad Judices, aliiſque.

Ararim poſtea Galli (incertum quam ob cauſſam) *Sauconnam* vocavere non multo ante ætatem Ammiani Marcellini, quemadmodum arbitror. Certè hic Hiſtoricus primus omnium quos equidem legerim, circa annum CCCXC. in deſcriptione Rhodani Ararim eo nomine appellari in libro XV. Hiſtoriæ docet his verbis. *Viennenſem latere ſiniſtro perſtringit, dextro Lugdunenſem; & emenſus ſpatia flexuoſa, Ararim quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem ſuum in nomen adſciſcit: qui locus exordium eſt Galliarum* (ſcilicet Lugdunum) *exindeque non millenis paſſibus, ſed leugis itinera metiuntur.* Ubi miror, quòd *inter Germaniam primam fluere* Ararim dicat Ammianus: quem conſtat procul à finibus Germaniæ primæ oriri è monte Vogeſo vel Voſago, & inter Lugdunenſem primam ac Maximam Sequanorum fluere, Sequanoſque a Lingonibus & Æduis provinciæ Lugdunenſis primæ populis dividere. Sed fortè deceptus eſt verſu Virgilii, paſtorem de induſtria ignarum ſitûs fluviorum, & Ararim in Germania ponentem inducentis.

> Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Deceptus eſt & Vibius Sequeſter, à quo *Arar Germaniæ fluvius è Vogeſo monte* propterea dicitur, quaſi Vogeſus ſit in Germania. Quia & Apollinaris Sidonius provinciam Lugdunenſem primam in libri V. epiſtola VII. *Lugdunenſem Germaniam* ſimiliter appellavit, *Germaniam* inquam, ſed *Lugdunenſem*, non *primam*. Ut redeam ad nomen Araris recentius, Fredegarius homo natione Burgundio in libri V. ac ultimi Chronici ſui capite XLII. *Saogonnam* vel (ut in codice vetuſtiſſimo reperio) *Saucunnam* nuncupat. *Uſque Ararem, id eſt Saogonnam fluvium pervenit*: & in capite XC. *Sauconnam. Per Ararem fluvio cognomento Sauconna Latona properans*: ſicut in antiquiſſimo codice Jacobi Sirmundi legere memini. Nithardus in libro IV. *Saugonnam* bis vocat. *Sauconnam* autem & *Saogonnam*, & *Saucunnam* ac *Sauconnam* atque *Saugonnam* unum idemque nomen eſſe non dubitabit, qui ſciet u in o, & invicem o in u, c quoque in G ſæpiſſime mutari conſueviſſe. In Paſſione MS. S. Marcelli Mart. nunc *Arar*, nunc *Segonna* dicitur. Glaber Rodulfus Cluniacenſis Monachus *Araris vel Sagunne* mentionem facit: quem fluvium Aimoinus Rodulfi æqualis initio libri IV. Hiſtoriæ Francicæ *Sagonnam* ſimiliter appellat. *Chlotharius Ararim uſque fluvium qui nunc Sagonna dicitur, pervenit.* Credas ætate Aimoini Floriacenſis Monachi Ararim Sagonnam dici cœpiſſe, qui ante annos ſexcentos quàm Aimoinus ſcriberet, eo nomine deſignabatur. Hugo Monachus Floriacenſis in libro III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, circa annum Domini MCIX. ſcriptæ, *Fluunt* (inquit) *per Lugdunenſem provinciam Rhodanus, & Araris qui & Sagonna vocatur. Sagunnam* Robertus in Chronico, quod in anno MCCX. deſinit; Bernardus Guido Leutevenſis Epiſcopus, & Johannes Pariſienſis *Sagonam* nuncupavere. Ex Sauconna igitur *Sagonnam* vel *Sagunnam* & *Segonnam* recentiores; noviſſimi *Sagonam* fecerunt; ex quo Noſtri *Saonam*, *la Saône*.

Oritur Arar in monte ſaltuque Voſago apud Lotharienſes Meridianos, (*la Voyge*) alluitque Bonamvillam *Bonville*, Attiniacum *Attigny*, Monaſteriolum *Monſtereul*, Ad Tria Balnea *Trois Bains*, Caſtellionem *Chaſtelion*, Pontem ad Ararim *Pont ſur Saone*, Gradicum caſtrum *Grey*, Pontem Arliciorum vel Arleium *Pont-Arly*, paullo infra Vincennæ vel Vingennæ (*la Vigene*) & Araris confluentes. Tum fluviolus Vernela, *la Venelle*, in Chronico Beſuenſi memoratus, Selongiam caſtellum, Miribellum, & S. Leodegarii vicum præterlapſus, accedit Arari; qui poſtquàm Auxonam alluit, Tilâ augetur. Tila *Tille* vulgò dictus, attingit Marciacum *Marci ſur Tille*, Tilæ caſtrum vel Tilenſe caſtrum *Tille-chaſteau*, corruptè *Tri-chaſteau* dictum, & in Ararim labitur: labitur mox Beſua, deinde & Oſcara, quibuſdam *Uſcara*, amnis Gregorio & veteribus monumentis notiſſimus, *Ouſche*, qui pago Oſcarenſi nomen ſuũ dedit, & per Colcas *Conches*, per Divionem caſtrum Lingonum, caſtellum Robur *Rouvre*, & per Longam Curtem *Longe-Court* in Ararim influit contra Latonam. *S. Jean de Laone.* Arar deinde Surregium attingit *Seure*, Pauliacum *Pouly*, & apud Virdunum Dubim amnem celebrem ac illuſtrem recipit, *le Doux*; è monte Jura Sequaniſque venientem: mox irrigat Cabillonum Æduorum, & Graunæ vel Graonæ fluviolo nomen aquaſque aufert, qui *la Grone* vulgò dictus, Cluniacum *Cluny*, Brancidunum *Brancian*, ac Firmitatem *la Ferté* præterfluit,

Sequuntur ad Ararim Tinurtium, recentioribus Trenorcium dictum *Tournus*, Balgiacum *Bexgey*, Salix *la Saule*, Matiſco Æduorum, Cavinio *Chavignon*, Monſmerulæ *Montmerle*, Trebula vel Triviolum *Trevol*. Vimiacum *Vimy*, Rupeſciſſa *Roche-taillée*, inſula Barbara *l'Iſle-Barbe*, veteri Cœnobio nobilis, Lugdunum Seguſianorum *Lyon*, infra quam urbem apud Atanacum (*Ainey*) Rhodano miſcetur, multis ex utraque ripa amnibus acceptis vix ipſo minor.

ARAURIS FLUVIUS.

Arauris, *Erhau*, alias *Airau*, notiſſimus eſt Galliæ Narbonenſis fluvius, qui Ptolemæo Ἀράυριος, hoc eſt Araurius vel Arauris; Straboni & Mellæ *Arauraris* mendosè pro *Arauris* dicitur: *ex Cebennis* (inquiunt) *demiſſus Arauraris, juxta Agatham fluit.* *Flumen Araris* & corruptè Plinio pro Arauris. Hic Ceſeroni inter Forum-Domitii & Beterras poſito, à ſe nomen *Araura* dedit, ut ex Itinerario Æthici diſcimus. Eumdem fluvium & Maſſilienſes qui Agatham condidere, *Cyrtam* Græco nomine à flexuoſis recurſibus quaſi incurvum dixere. Quare Vibius Sequeſter, ſcriptor Chriſtianus, in libello de Fluminibus ad Virgilianum filium ſic ait: *Cyrta Maſſilienſium ſecundum Agatham urbem.* Oritur autem in finibus Gabalorum, uti aiunt, & alluit Montanacum, *Montignac*, Caſtellum novum, Arauram ſive Ceſeronem, quem locum Noſtri Latinè *S. Tiberii*, vulgò *S. Iberi*, corruptè pro *S. Tiberi* aut *S. Tiberi* appellant: inde per Florentiacum *Florenſac* & Agatham decurrit in mare, recepto præ ceteris fluvio Larga, *Lerge* vel *Lergue*, qui Lutevam alluit, & ad Cannetum Araurim auget.

Araurim recentiores *Fraunum* dixere, ut diſcimus ex litteris Petri Regis Aragoniæ datis anno MCCV. & ex litteris Titburgæ filiæ Raimundi Atonis datis anno MCXCIX. in quibus *flumen Eravi*, & *riparia Eravi* nuncupatur.

ARAUSIO CAVARUM, SECUNDANORUM COLONIA: ET DE CAVARIBUS.

Notior eſt quàm ut indicari egeat Arauſio, *Secundanorum Arauſio* Mellæ cognominatus à militibus veteranis ſecundæ legionis, & urbium Galliæ Narbonenſis opulentiſſimis adnumeratus. Plinius quoque Arauſionem eodem donat cognomine, & in Cavaribus ponit coloniiſque Narbonenſis provinciæ accenſet his verbis. *In mediterraneo Coloniæ Arelate Sextanorum, Blitera Septimanorum, Arauſio Secundanorum in agro Cavarum, Valentia, Vienna Allobrogum. Opida Latina, Aquæ Sextiæ Salyorum, Avenio Cavarum*, &c. Ubi emendavi *Coloniæ*, cùm vulgò legatur *Colonia*. Numerum init Plinius Coloniarum primò, deinde opidorum Latinorum, id eſt jure Latii veteris donatorum. Viennam autem, & Valentiam atque Arelatum Colonias fuiſſe conſtat: quod & de Bliteris & Arauſione ſimili ratione dici convenit. Nam ut *Arelatum Sextanorum* cognominatum eſt, quòd eſſet colonia militum ſextæ legionis: ita Bliteras Septimanorum & Arauſionem Secundanorum cognominatas eſſe nemo non videt, hanc à militibus ſecundæ legionis, illam à militibus legionis VII. quorum erant coloniæ. Adeò verum eſt quod ait Velleius, *non facilè memoriæ ſe mandaturum, quæ niſi militaris poſt Marium ſexies Valeriumque Flaccum Conſules deducta Colonia ſit.* Certè in nummo Neronis vocatur COL. ARAUSIO SECUNDANOR. COH. XXXIII. VOLUNT. hoc eſt, Colonia Arauſio Secundanorum cohortis XXXIII. Voluntariorum: Ptolemæo *Arauſio* (Ἀραυσίων) *in Cavaris* gente Galliæ Narbonenſis; in tabula Peutingeriana *Aruſio* pro Arauſio inter Avenionem & Senomagum; in Itinerario Burdigalenſi *civitas Arauſio*; *Arauſionenſis urbs* Sidonio in epiſtola XII. libri VI. In veteribus Notitiis provinciarũ & civitatũ Galliæ, inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. nona numeratur *civitas Arauſicorum*; in una *civitas Auraſicorum*; in Notitia Simleriana *civitas Auraſiorum* dicta. Nimirum ex Arauſione *Auraſionem* tranſpoſitis litteris fecere recentiores. Robertus in Chronico *civitatem Auraſicam* pro *Arauſica civitate* vocat, & in Arelatenſi provincia III. loco ponit. Gervaſius quoque Tilleberienſis & quædam Notitia CCCC. fere annorum *Auraſicenſem* tertium numerant inter Epiſcopos Arelatenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffragantes; alia recentior ſeptimum. Noſtris *Orange*, indigenis *Aurange*, Belgis *Oranien* ſive Hollandienſibus appellatur, nomine deducto ab *Auraſica*, & c in g mutato. Unâ leugâ abeſt à Rhodano.

Concilio Arelatenſi I. *Fauſtinus Presbyter de civitate Arauſicorum provincia Viennenſi*; Concilio Aquileienſi Gratiani principatu interfuit *Conſtantius Epiſcopus Arauſicus*: Epaonenſi *Florentius Epiſcopus civitatis Arauſicæ*; aliis alii.

Et Arauſio quidem Cavarum fuit, ut Plinius & Ptolemæus docent. Fuere & ejuſdem Gentis urbes Cabellio, & Avenio, quemadmodum iidem cum Strabone tradidere. In omnibus autem priſcis Notitiis civitatum Galliæ *civitas Arauſicorum civitati Cabellicorum*, & *civitati Avennicorum* conſtanter præponitur. Ex quibus colligo non Cabellionem, nec etiam ut vulgò creditur Avenionem, ſed Arauſionem caput Cavarum exſtitiſſe: aut ſi plura Gentis fuere capita, ſaltem Arauſionem caput primarium fuiſſe.

Scribit Strabo tranſito Druentiâ flumine ad Cabellionem, occurrere regionem Cavarum, χώραν Καουάρων, uſque ad Iſaræ & Rhodani confluentes. Quod falſum eſt. Neque enim totum agrũ inter Druentiam & Iſaræ ac Rhodani confluentem occupant Cavares: cùm Segalauni quorum eſt Valentia, & Tricaſtini ad lævam ripam Rhodani maximam agri ejus partem obtineant. Diligentior fuit Strabone Ptolemæus, à quo *Cavari* Καουαροι *ſub Segalaunis* ponuntur. Verùs tamen ſub Segalaunis ſunt Tricaſtini, ſub Tricaſtinis Cavares. In tabula Peutingeriana ab urbe Avenione uſque ad Seguſteronem notantur *Cavares* litteris capitalibus ſcripti: quaſi ab Avenione ad Seguſteronem, ſeu à Rhodano ad Druentiam cuncta Cavares occupaverint: inter quæ loca & flumina Meminos Carpentoratenſium, & Vulgentes

Aptenſium ſedes habere certum eſt. Rhodanum *inter Volcas & Cavaras emitti* ait Mella, quod alibi refellimus.

Feſtivus eſt Dalecampius Medicus, quum *Cavares* pagi vulgò dicti *le Gavot* incolas eſſe aſſerit, atque ita interpretatur, duarum aut III. litterularum ſimilitudine adductus. Atqui Cavares quidem accolunt ſiniſtram ripam Rhodani & Druentiam circa Arauſionem & Avenionem, ac Cabellionem, urbes provinciæ Viennenſis: at pagus Gavotus, *le pays de Gavot*, longiſſimè abeſt ab Arauſione ceteriſque urbibus Cavarum. Jacet enim in provincia Alpium Graiarum & Penninarum, ad caput ſeu initium lacus Lemani, à quo & nomen videtur accepiſſe *Caput lacûs*: ex *Caput* Noſtri fecerunt *Gavot*, c in G, p in u, & u in o ex more converſis. Sic Noſtris macer eſt *maigre*, acer *aigre*, alacer *alegre*; cupa *cuve*, ſapor *saveur*, Aprilis *Avril*; necnon fluctus *flot*, ructus *rot*, Mucra fluvius, *le Morin*.

Pagus Arauſicanus vel Arauſicus, *territorium Aranſicum* vocatur in Conciliis Galliæ. Certè *S. Synodus habita* dicitur *in territorio Arauſico, in Eccleſia Iuſtinianenſi* VI. *Idus Nov. anno* CCCCXLI. iterum *ſequenti anno* XV. *Kal. Novembres Luciano in Arauſico territorio conventus habitus.*

ARCÆ REMORUM.

Arca, vel potiùs *Arcus* vicus eſt in agro Maceriensi ad flumen Moſam in Neuſtriæ Regnique Lotharii ſeu Auſtriæ confinio olim poſitus, vulgò *Arches*, liber & ſui juris: a quo vico Gonzagæ *Principes Archenſes* inſcribuntur in nummis, qui in Arcenſi ſolo Carolopolim condidere. Ejus loci mentionem facit auctor Annalium Bertinianorum his verbis. Anno DCCCLIX. *Lotharius Rex ad Karlum patruum ſuum feſtinat, & die Dominico initii Quadrageſimæ in Arcas Palatio publicè ſacramentis viciſſim per ſeipſos datis ſeſe iterum confirmant.* Quod Palatii nomen apertè indicat, *Arcas* villam Regiam fuiſſe. Villæ enim Regiæ vel publicæ magnifica habebant palatia, in quibus Reges noſtri commorabantur: & ab his Palatiis tamquam à nobiliore ſui parte Palatia appellari conſueverant, ſicut in libro XI. Rerum Francicarum obſervavimus.

ARCÆ CALETORUM.

Arcas vocat Frodoardus in Chronico ante annos ſeptingentos. *Anno* DCCCCXLIV. *Arnulfus quoſdam Nordmannorum qui cuſtodias obſervabant apud Arcas, fudit.* Vocat item *caſtrum Arcarum* Robertus de Monte municipium Deppæ proximum, *Arques* hodieque dictum: quod ſilvæ ad mare poſitæ nomen ſuum dedit: vocatur enim ſilva Arcenſis, *la foreſt d'Arques*. Hic eſt locus primâ Henrici Magni ex conjuratis victoriâ nobilis. In Geſtis Guillelmi Ducis Normannorũ & Regis Anglorũ cognomine Cõquiſitoris vocatur *Arcerſe caſtrum in prealti montis Arcarum cacumine*: Willelmo Gemeticenſi Monacho in libri II. capite X. *Statio navium apud Haſdans, quæ Archas dicitur.* Haſdans ergo & Archæ duo ſunt ejuſdem loci nomina. Litteræ Roberti Ducis Normannorum datæ anno MXXX. *Archas* etiam vocant, ponuntque cum Deppa in pago Talou, id eſt Tellau. Ordericus Vitalis in libro XII. de Balduino Comite Morinorum ſeu Flandrenſium ſcribens, *in Normanniam* (inquit) *uſque ad Archas venit, & villas in Tallogio combuſſit.* *Archas* idem alibi appellat, & in libro VI. *Archenſium provinciam in Talogienſi pago* memorat. Ita enim emendandum eſt, cùm legatur *Calogienſi*. Arcenſis quippe ager erat in pago Tallogio vel Talogienſi, qui & Talou dicebatur, ac Tellau. Hunc locum *Arcus* primùm dictum eſſe puto, ſive ab aliquo arcu triumphali ibi erecto, ſive ab arcubus pontis Deppæ fluminis impoſiti. *Arcas* poſtea barbaro nomine, ac demum corrupto per adſpirationem Germanicam vocabulo *Archas* vocavere Noſtri, propterea quòd arcam pro arcu, arcas pro arcubus dicere ſolebant. Sic *Pons arca* vocatus eſt, qui antè *Ponſarcus*: Sic Monacho Sanctigallenſi in libri I. capite XXXII. *arcæ pontis Magontiacenſis* pro arcubus pontis.

Arcella ſunt viculus, Arcis proximus ac eis detractus, vulgò dictus *Archelles*, ita nuncupatus quaſi *Arcula* aut *parva arca*. Nam ex arca deminutivum fit arcula & arcella. Arcellæ ab Arcis rivo interfluente ac ponte dividuntur.

ARCISISI PAGI.

Tres Arciſiſos pagos vel potiùs *Arciciſos* memorant Capitula Caroli Calvi, hoc eſt Arcicenſes pagos vel Arciacenſes: quorum uni nomen dedit Arciaca ad Albam, *Arci ſur Aube*: alteri Arcica vel Arciſa, ad Albionem in Albam effluentem, *Arcq ſur Aujon*: poſtremo Arcica ad Tilam, *Arc ſur Tille*, ut equidem puto.

ARDA VEL ARDEA MORINORUM.

In litteris datis anno MCXLIV. *Ardea* nominatur, & *Balduinus dominus Ardeæ, Eccleſiaque S. Audomari Ardenſis Prepoſitus*: item, *Eccleſia S. Audomari Ardenſis opidi*, & *Vualo de Ardea*, & *Arnulfus Gobel Caſtellanus Ardeæ* ibi memorantur. Aliàs & ſæpiùs *Arda* dicta eſt; quod nomen à paſcuis invenit, ut docet Lambertus, Ardenſis eccleſiæ Presbyter, in Hiſtoria Comitũ Giſnenſium, quam principatu Philippi Aug. ſcripſit. *Ille locus eo quòd paſcuus erat, à paſtura (ut aiunt incolæ) dicebatur Arda. Dicebant enim paſtores ad invicem. Eamus, & conveniamus in paſturam, hoc eſt in Ardam. Creſcentibus autem ibi populis indigenis ſimul & advenis, crevit villæ ſitus & amplitudo: crevit & Ardenſis nominis bonitas & fama. Arnoldus conſenſu Balduini Giſnenſis Comitis de villa ſua Ardea liberum fecit caſtellionis opidulum, XII. Pares vel Barones caſtro Ardeæ appendicios inſtituit, Scabinos ibidem ordinavit. Hæc origo Ardæ, quæ de villa ſeu vico caſtrum vel opidulum liberũ facta eſt.* Quidam aiunt Arnulfum Selneſſenſem ex ruinis caſtelli Selneſſæ anno MLXVII. Ardam condidiſſe. Arda igitur vel Ardea (utroque enim nomine appellatur à Lamberto & ab aliis) ab ubertate pabuli cognominata eſt. Paſcua enim incolæ ardam vocavere. Unde & locus paſcuus, amplus admodum & latus inter flumina Vonnam & Reveriam, hæc inquam *terra, à latitudine paſtura vulgò Breden-arda dicta eſt*; ut

idem Lambertus ſcribit. *Breden* enim latum ſignificat : unde forſitan urbs Breda in Brabantia nomen accepit. Auctor eſt Lambertus Robertum Comitem Flandrenſem Arnoldo Ardenſi Domino conceſſiſſe, ut hereditario jure cum XII. Flandrenſis Curiæ Paribus & Baronibus ſederet ac judicaret, honoris eorum & dignitatis particeps & compar. Ex quo intelligitur Ardam tum Flandriæ adſcribi conſuevisse. Vulgò *Ardres* nunc dicitur ; Bredenarda autem *terre de Brenarde*. *Aldenarda* quoque in Flandria, quæ *Audenardenum caſtrum* a Vvillelmo Brittone in libro IX. Philippidos nuncupatur, ab incolis *Oudenaerde*, à Noſtris *Audenarde* & *Oudenarde*; inde compoſitam appellationem recepit. Aldenardæ enim nomen, compoſitum ex alden & arda, vetera paſcua ſignificat. *Eald* ſiquidem vel *alden* Germanis vetus eſt. Hinc qui Gregorio PP. II. *Altſaxones*, aliis *veteres Saxones*, vel *antiqui Saxones* in Germania; in Hiſtoria Anglica *Eald-Seaxan*, & *Ealdſaxones* nuncupantur, ut à Saxonibus novis ſeu Tranſmarinis, qui in inſula Britannia ſedes ceperunt, diſtinguantur. *Alden* autem idem eſt Germanis, quod *ea'd*. Hinc *Vetusburgus* in diœceſi Brugienſi, vulgò *Oudenbourg* vel *Oudenborch*, in litteris anni MCXXX. *opidum Aldenborg* appellatur, id eſt Aldenburgus. Monaſterium eſt apud Friſios Groningenſes, *Vetus Clauſtrum* dictum, V. *Oldencloоſter*.

ARDUENNA SILVA.

Silva Arduenna, ingenti magnitudine, per medios fines Trevirorum à flumine Rheno ad initium Remorum pertinet : ut ait Cæſar in libro V. *Eſt totius Galliæ maxima, atque ab ripis Rheni finibuſque Trevirorum ad Nervios pertinet, millibuſque ampliùs* D. *in longitudinem patet* : inquit idem in libro VI. de bello Gallico. Ubi legendum eſſe *ampliùs quinquaginta* docet Oroſius & Hiſtoria Miſcella in libro VI. Nimirum attingit Rhenum inter ac Moſam Iuliacenſes, Colonienſes ſeu Agrippinenſes, Tolbiacenſes, Aquenſes, Condruſos, Eſliam, Lemburgenſes, Confluentinos, ac Mogontiacenſes, Luciliburgenſes & Bublionenſes in finibus Trevirorum, Mediomatricos ſive Mettenſes, cis Moſam Leodicenſes, Tungros olim dictos, Namucenſes, Nervios vel Hainoarios, apud quos Carbonaria vocatur, Teoraciam, Catalaunenſes, ac Barrenſes Ducales ; ſi Marliano creditur.

Brouverus paucis ait Arduennam *à Treviris* hoc eſt a Moſella *ad Moſam pertinere*, inde Condruſorum, Leodicenſium, ac Namucenſium agros, Nerviorúmque, Atrebatium ac Veromanduorum fines ad Scaldim attingere. Sed Atrebates trans Scaldim ſedes habent, nec quidquam ad eos Arduenna pertinet. Meliùs igitur Brouverus ac veriùs dixiſſet, Arduennam Nerviorum, Veromanduorum, Remorum ac Catalaunorum fines attingere. Nam hodieque ad Duodeciacum, Sedanum & Doncherium Remorum opida ſilva ingens eſt, Arduennæ nomen ſervans, *bois des Ardennes* : & ab opido S. Manechildis, quod diœceſi Catalaunica continetur, Verodunum petentibus tranſeunda eſt ejuſdem ſilvæ portio, hodieque *la foreſt d'Ardenne* nuncupata. Denique ad utramque Moſæ ripam nobiles ſuperſunt Arduennæ reliquiæ, quæ hodieque veteri nomine cenſentur, dicunturque *les Ardennes*, hinc Mariæburgo, Cimacoque in Hainoo, Malaberti fonte & Rupe Regia in Remis, atque Monte Cornuto, inde Fumaco ac Orcimonte clauſæ : nec procul à dextra fluminis ripa pars alia ejuſdem ſilvæ cernitur, capite flum. Urtæ, & Andaino ſive S. Hucberti Monaſterio, ac priſca appellatione nobilis. *Saltus, quibus nomen Arduenna*, Tacitus vocat.

Sigibertus junior Auſtraſiorum Rex in litteris apud Notgerum de Vita Remacli Arduennam *foreſtem ſuam* vocat. Arduenna inter ſilvas foreſteſve Dominicas numeratur à Carolo Calvo in Capitulis; uti *Voſagus ſilva* apud Gregorium noſtrum in libri Hiſtoriæ Francicæ X. capite X. *Regalis ſilva* nuncupatur ab ipſomet Rege Guntchramno. Verba Gregorii talia ſunt. *Dum Guntchramnus Rex per Voſagum ſilvam venationem exerceret, veſtigia occiſi bubali deprehendit : cúmque Cuſtodem ſilvæ artiùs diſtringeret, quis hæc in Regali ſilva gerere præſumſiſſet, Chundonem Cubicularium Regis prodidit.* Non licebat ergo privatis in ſilva regia venari, ac feras majores occidere. Et tamen Fortunatus qui tum florebat, in libri VII. Carmine IV. ad Gogonem quærit, an Gogo in *Arduenna* aut in *Voſago* ſilvis Regiis cervos, capras, helices ſeu alces, urſos, *bubalos* cornutos, onagros, apros cædat.

Ardennæ, an Voſagi cervi, capræ, helicis, urſi
Cæde ſagittifera ſilva fragore tonat?
Seu validi bufali ferit inter cornua tempus,
Nec mortem differt urſus, onager, aper?

Quid ergo? An ſub Rege Guntchramno in Burgundia Chundoni Cubiculario ejus & cuiquam alii non licuit, quod in Auſtria ſub Sigiberto Gogoni ceteriſque Proceribus licebat? Certè Guntchramnus ipſe qui pro bubalo trium hominum ſanguinem fuderat, poſtea pænitentiâ ductus leve crimen hoc, & (ut verbis Gregorii utar) *parvulæ cauſæ noxam* appellavit. At contrà Carolus Calvus cognominatus filio ſuo Ludovico in quinque ſilvis dominicis venationem omnem interdixit.

Obſervo in veteribus Rerum Francic. Annalibus, Imperatores noſtros Carolum Magnum & Ludovicum Pium in Arduenna, aut in Voſago, nec umquam ferè alibi quotannis ex more autumnalem venationem peragere conſueviſſe.

Falsò ait Cæſar ſuprà, Arduennam ſilvam à Rheno fluvio ad Remos *millibus ampliùs D.* (aliàs *quinquaginta*) *in longitudinem patere*: cùm pateat millia centum & ſexaginta, hoc eſt leugas noſtras L. Nam à Colonia Agrippina abeſt Bagacum Nerviorum millia paſſuum CX. à Bagaco Nerviorum, Durocortorum Remorum LIII. milliaria.

Ardoennenſem ſilvam Gregorius in libro VIII. appellat, *Belſonancum villam in medio Ardoennenſis ſilvæ ſitam* memorans ; ceteri auctores noſtri modò veteri nomine ſuo *Arduennam*, modò *Ardennam*. Notgerus de Vita Remacli *Arduennam in arduis ſitam montibus* nuncupan-

do, luſiſſe in eo vocabulo cenſendus eſt magis, quam Gallico nomini Latinam originem aſſeruiſſe. Ibidem ait, *loca omnia Arduennæ adjacentia ſub Regia ditione fuiſſe*, id eſt fiſci ſeu patrimonii Dominici exſtitiſſe, quód ſilva ipſa regalis erat, ut ſupra obſervavimus. Adjicit Sigibertum Auſtraſiorum regem duo condidiſſe Monachorum Monaſteria *intra fines Arduennæ ſilvæ paludibus & montibus impedita, Malmundarium in Agrippinenſi parœcia, Stabulaus in diœceſi Trajectenſi*. At nunc Malmundarium (*Malmedi*) & Stabulaus (*Stavelo*) Monaſteria extra ſilvæ Arduennæ fines ſunt, cultorum ac præ ceteris Monachorum operá paſſim exciſæ.

Geſta regum Francorum in rebus Chilperici Danihelis *Ardennam ſilvam* ponunt recte inter fluvios *Moſam & Rhenum* ac *Coloniam civitatem Ripariorum*: rectè item Fredegarius ex duobus fratribus regibus Theodeberto ac Theoderico qui in Tullenſibus campis confligerant, alterum *per territorium Metenſe fugientem, tranſito Voſago Coloniam*; alterum *Ardenná tranſitá Tolbiacum* Coloniæ proximum *perveniſſe* ait. Sed in capite LXXIV. videtur errare, quum ſcribit *Dagobertum de Mettis urbe promoventem, tranſitá Ardenná Magantiam veniſſe*: cùm Voſagus potiùs fuerit ei tranſeundus.

In Geſtis MS. Epiſcoporum Autiſſiodorenſium dicitur *Baſtonis villa eſſe ſita in ſaltu Arduenna*, quæ V. nunc appellatur *Baſtoinone*, non procul ab Urta fluvio & Arduenna ſilva poſita. Eginhardus *in Novo caſtello quod juxta Arduennam ſitum eſt, Gripponem* juſſu Karolomanni fratris *cuſtoditum* eſſe tradit. Annales Mettenſes locum hunc *Novacaſtella* nuncupant, Noſtri *Neufchaſtel*: idem in anno DCCCXXI. inter *Aquaſgrani & Treueros Arduennam* rectè collocavit.

Ab Arduenna pagus nomen ſive Comitatus accepit, *Ardenna* dictus. In Diviſione regni Ludovici Pii inter filios *Ardenna* memoratur, & ponitur inter *Albaniam & Friſiam* Ciſrhenanam, quæ ad Moſam aut etiam ad Scaldim uſque pertinebat. Annales Bertiniani *Comitatum Arduennenſium* nuncupant in anno DCCCXXXIX. collocantque inter *Ducatum Moſellicorum & Comitatum Condruſto*. Diviſio regni Lotharii anno DCCCLXX. facta ponit *Arduennam* ad fluv. Urtam decurrentem in Moſam, ac in pago Bedenſi atque in Condruſto, id eſt in Condruſis *trans Urtam*; & *Abbatias Prumiam ac Stabolau* in ea collocat. Ab ea Comites *Arduennæ & Bublionis* nomen habent. *Comitem Arduennenſem*, & *Comitem Lemburgenſem* unum eumdemque eſſe credit Miræus.

ARDUUS FLUVIUS.

Glaber Rodulfus in capite III. libri III. *Eccleſiam B. Michaëlis Archangeli conſtitutam in promuntorio Oceani maris* poſtquam deſcripſit, addit. *Eſt etiam non longe à prædicto promuntorio fluviolus cognomento Arduus, qui excreſcens & per aliquod temporis ſpatium intranſmeabilis effectus, atque ad prædictam Eccleſiam ire volentibus viam plurimum impediens, aliquantiſper ejuſdem itineris obſtaculum fuit: poſtmodum verò in ſeſe rediens, profundiſſimè litus ſuo curſu ſulcatum reliquit.* An ab ea re *Ardus* cognomen accepit, quód aliquamdiu tranſitu difficillimus fuit, ac ſe ipſe non cepit? vel quod ſit arduis & altiſſimis ripis. Vulgo *Ardre* nuncupatur.

ARELATUM.

Ea Urbs in libro 2. de Bello Ciuili à Julio Cæſare vel ab Hirtio vocatur *Arelate*: à Strabone quoque πόλις καὶ ἐμπόριον οὐ μικρὸν Ἀρελᾶται: cujus emporii atque commercii Auſonius in libro de Claris Urbibus, Honorius Aug. in edicto ſeu conſtitutione ſua, & Hilarius Arelatenſis Epiſcopus meminere. Nugatur Erricus, qui Arelatum ex nomine auctoris ac fundatoris ſui (Arelæ aut Areli alicujus) appellationem traxiſſe ait. Nugatur & Gervaſius Tilleberienſis, quum *Arelatum quaſi aram latam Deorum dictum* putat, nomini Celtico Latinam aſſerens originem. Mellæ inter urbes Galliæ Narbonenſis opulentiſſimas numeratur *Sextanorum Arelata*; Plinio *colonia Arelate Sextanorum* in Narbonenſi provincia; Suetonio in Tiberio *Arelate colonia*; in veteri inſcriptione *colonia Arelate*; *Col. Arelate Sextan.* in nummo Caii Cæſar. Ammiano Marcellino in Viennenſi *Arelate*; ſimiliter in Itinerario Hieroſolymitano *civitas Arelate* appellatur. Alii Arelatum nuncupant. Ptolemæo in agro Salyum Gentis Galliæ Narbonenſis ponitur Ἀρελᾶτον κολωνία: in tabula Peutingeriana, in Itinerario Æthici, in libro II. Hiſtoriæ Sacræ Sulpicii, in Codicis Theodoſiani libro VIII. & XI. in Notitia imperii R. Zoſimo in libro II. *Arelatum*. Ab Auſonio *Arelatus* vocatur, & inter claras urbes decima collocatur; ab Avieno etiam *Arelatus civitas*. Eidem Auſonio truncato nomine appellatur *Arelas, Gallica Roma*, necnon Eumenio, Prudentio, & Oroſio in capite II. libri I. plurimiſque aliis *Arelas*; in veteribus Notitiis provinciarum Galliæ *civitas Arelatenſium*: vulgo *Arles*.

Et Arelatum quidem primò ſimplex fuit, ac totum in ſiniſtra Rhodani ripa poſitum: ſed poſtea Conſtantinus Maximus Aug. in dextra fluminis ripa novam è regione veteris urbem ſtatuit, atque ambas ponte navali conjunxit. Unde ab Auſonio in carmine XII. de claris urbibus *duplex Arelatus*; in Moſella *duplex urbs*; *duplex Arelas* in epiſtola XXIII. dicitur. Auctor Homiliæ de S. Geneſio Martyre, urbis Arelatenſis indigena & patrono, (ſive is Paulinus Nolanus Epiſcopus, ſive Paulinus Biterrenſis, ſive Patiens Lugdunenſis Antiſtes, ſive ut potiùs reor, Hilarius Arelatenſis fuit) docet urbem hanc geminam ſeu duplicem fuiſſe ætate ſua; nondum talem fuiſſe principatu Diocletiani & Maximiani, quum Geneſio caput ablatum eſt. *Providerunt enim fideles illius temporis Dei ſervi, utramque fluminis ripam geminatis urbibus ambiendam unius Martyris tutelá munire. Nam in ipſo B. paſſionis loco conſecrati cruoris veſtigia relinquentes, in alterum fluvii litus honorandas Reliquias tranſtulerunt: ut utrubiq; præſens Geneſius Martyr illic ſanguine haberetur, hic corpore.* Ambas *confœderatas ſibi urbes, viâ navali & malè pendulâ ſtratâ* conjunctas Hilarius Arelatenſis Epiſcopus in homilia de virtute B. Geneſii memorat hiſce verbis. *Interim via illa navalis, quâ inter confœ-*

deratas ſibi urbes illius terribilis Rhodani terga calcantur, ſubitò aut ſub injuſto faſce, aut nimio materiarum pondere, aut per obliquum amnis illapſum prona diffuſa eſt. Fidelium turmas in mediis fluctibus malè pendula ſtrata deſtituit.

Arelatenſis pontis navalis Rhodano flumini impoſiti meminit Auſonius de claris urbibus

Præcipitis Rhodani ſic interciſa fluentis,
Ut mediam faciat navali ponte plateam.

Ejuſdem pontis mentionem facit Paulinus Presbyter in libro VI. de Vita & virtutibus S. Martini his verſibus

Haud alio penituſque ipſo rerum ordine venit
Nuntius, illam urbem tanta obſidione ſolutam,
Præcipitem Rhodanum molli quæ ponte ſubegit,
Et junxit geminas connexo tramite ripas:
Ut ſiccum præberet iter, quod puppibus inſtat
Deſuper, & preſſo nutans via pendet in amne.

Pontem Arelatenſem commemorant & Caſſiodorus Senator in libro VIII. Variarum, & Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro de Gloria Martyrum. *Pons quondam* (inquit) *ſuper Rhodanum fluvium, ubi B. Martyr Geneſius Arelatenſis nataſſe fertur, in die ſollemnitatis ejus diſruptis catenis, quia ſuper naves locatus fuerat, nutare cœpit: ac præ nimio pondere populorum ipſæ naves dehiſcentes, in alveo fluminis populum ſubmergebant.* Cùm igitur Arelatum nec duplex interfluente Rhodano, nec ponte navali decoratum fuerit ſub Diocletiano & Maximiano Augg. quum Geneſius occubuit; fuerit duplex, pontemque navalem habuerit ſub Valentiniano majore ſive ætate Auſonii, hoc eſt annis poſt depoſitam à Diocletiano & Maximiano purpuram circiter ſexaginta: cùm *utraque fluminis* Rhodani *ripa geminatis urbibus ambienda* fuerit ætate Geneſii, ambita fuerit ætate Auſonii: medium inter Maximianum & Valentinianum Principes Imperatorem neminem alium reperio quàm Conſtantinum Maximum Aug. cui pons iſte navalis, & nova iſta urbs Arelatenſis jure tribui poſſint. Quippe Conſtantinus opportunitate loci, non procul à mari in capite Galliarum ad maximum flumen poſiti, & inter Italiam Hiſpaniamque medii, plurimùm eſt delectatus: ibi filium Conſtantinum juniorem, vivo ipſo Cæſarem, deinde Imperatorem futurum, ex Fauſta uxore ſuſcepit, ut Victoris epitome docet: eò convenire Epiſcopos adverſus Donatiſtas juſſit: & cùm Præfectos Prætorii per provincias varios inſtitueret, Arelatum ſedem Præfecti Prætorio Galliarum eſſe voluit, eique urbi magnis à ſe operibus exornatæ, ut Cirtæ oppido Numidiæ nomen ſuum impoſuit, Conſtantinamque appellandam curavit. Certè in conſtitutione Honorii Aug. *Conſtantina urbs* vocatur: eamque *Rhodanus præterfluere*, & *Turonus* (ignotus mihi amniculus) *circuire* ibidem dicitur: ibi VII. *provinciæ ut in Metropolitana annis ſingulis habere concilium* jubentur. Nunc quale primùm fuerat, iterum ſimplex eſt Arelatum, totum ad ſiniſtram Rhodani ripam poſitum, nova urbe ciſrhodanica à Gothis aut ab aliis barbaris exciſà.

Ex Notitia provinciarum Imperii Rom. diſcimus, Honorii principatu fuiſſe *Præpoſitũ Theſaurorum Arelatenſium; Procuratorem Monetæ Arelatenſis; Procuratorem Cynegii Arelatenſis Viennenſis provinciæ; Præpoſitum Barbaricariorum ſeu Argentariorum Arelatenſium: & in provincia Gallia Riparienſi*, id eſt in parte Viennenſis ripæ Rhodani appoſita, *Præfectum Claſſis fluminis Rhodani Viennæ, ſive Arelati.*

Inter Claras Urbes Imperii Rom. ab Auſonio ſeptimo loco poſitum Arelatum, officinâ monetæ, & Amphitheatro ac Circo, crebriſque ludorum theatralium ac circenſium ſpectaculis illuſtre olim fuiſſe, docuimus in libro VIII. Rerum Francicarum. Amphitheatrum ſuum hodieque habent Arelatenſes, conſtans fornicibus LVI. quod à cavea vel arena, ludis gladiatoriis & ferarum venationibus deſtinata, vulgò Arenas vocant. De *Theatri* Arelatenſis è marmore *proſceniis celſis depoſiti* Vita Hilarii Arelat. Epiſcopi refert. Epiſcopi Provinciæ in libello Leoni PP. oblato de Arelato ita ſcribunt. *Hæc in tantum à glorioſiſſ. memoriæ Conſtantino peculiariter honorata eſt, ut ab ejus vocabulo, præter proprium nomen quo Arelas vocatur, Conſtantina nomen acceperit. Hanc clementiſſimæ recordationis Valentinianus & Honorius fideliſſimi Principes ſpecialibus privilegiis, & ut verbo ipſorum utamur, matris omnium Galliarum appellatione decorarunt. In hac urbe, quicumque intra Gallias ex tempore prædictorum oſtentare voluit inſignia dignitatis, Conſulatum ſuſcepit, & dedit. Hanc Sublimiſſima Præfectura; hanc reliquæ Poteſtates velut communem omnibus patriam ſemper inhabitant. Ad hanc ex omnibus civitatibus multarum utilitatum cauſſâ, opportunitatis gratiâ concurritur.* Certè *Arelate hiemem agens Conſtantius* Aug. *Theatrales ludos atque Circenſes ambitioſo edidit apparatu die* VI. *Idus Octob. qui Imperii ejus annum* XXX. *terminabat*, uti ait Ammianus in libro XIV. ex quo apparet Circum ibi & Theatrum extitiſſe. Heic habitaſſe Præfectos Prætorii Galliarum indicant Honorii A. conſtitutio ad V. I. PP. G. Agricolam miſſa; Præfectorum Prætorio Gall. Exſuperantii cædes Arelati; Auxiliaris cum Hilario Arelatenſi Epiſcopo amicitia, & ejuſdem Arelati ægrotantis per Germanum Autiſſiodurenſem Epiſcopum curatio: & Hilarii de Honorato Epiſcopo Arelatenſi in Sermone quodam verba, *confluxiſſe* ad eum morientem *Præfectum & Præfectorios viros.* Denique Hilario ipſo in Baſilica Conſtantia Arelati fideles hortante, *ſubitò ingreſſa* dicitur *cum ſuo Officio Præfectura.* Aëtium Patricium & Magiſtrum utriuſque militiæ ibi plerumque habitaſſe docet Vita S. Anniani.

Palatii Arelatenſis à Romanis ibi quondam exſtructi mẽtio fit in Eumenii Panegyrico Conſtantino A. dicto, ubi Maximianus Herculius tertio uſurpavit Imperium: & in Vita Cæſarii Arelat. Epiſcopi libro I. *Extrahatur à domo Eccleſiæ Antiſtes, atque in Palatio artiſſima cuſtodia mancipetur.* Item, *Revocantes ſub nocte in Palatium S. Virum, perſonam ipſius texere ſilentio.*

Arelatenſem portum, qui eſt Rhodanus ipſe,

ut Garumna Burdigalæ, Sequana Rotomagi, Namnetis Liger, memorant Præfecti Prætorio ad Domitium Celſum Vicarium Africæ ſcribentes.

Inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. nunc pænultima ponitur, nunc antepænultima *civitas Arelatenſium*, in veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ: cùm tamen jampridem eſſet metropolis. Certè Zoſimus qui Romæ ſedit Honorii principatu, anno CCCCXVII. *Metropolitanum Epiſcopum Arelatenſium civitatis* Patroclum vocat, & *metropolitana Arelatenſium urbi vetus privilegium minimè derogandum* eſſe dicit, in Epiſcopis per provinciam Viennenſem & Narbonenſem utramque ordinandis. Eadem ratione loquuntur Zoſimi ſucceſſores. Et tamen nonniſi recentiores Notitiæ, cum Roberto in Chronico & Gervaſio Tiſleberienſi, provinciam Arelatenſem à provincia Viennenſi ſeparaverunt, in qua VIII. Epiſcopos numerant, Arelatenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffragantes, qui poſtea ad IV. redacti ſunt, Maſſilienſem, Arauſicum, Tricaſtinenſem, & Telonenſem, Avenione Metropoli facta, & Vaſione, Cabellione, ac Carpentoracte ſedibus ei ſubjectis, Arelatoque ademtis.

Rogerius Houedenus qui in anno MCC. deſinit, Arelatum album cognominat. *Adſcendendo per Rhodanum* (inquit) *itur ad bonam civitatem Archiepiſcopalem, quæ dicitur Arle le Blanc.* Contrà Agatham *civitatem nigram* appellatam eſſe quidam ſcribunt: utriuſque cognominis cauſa haud facilis dictu eſt.

Arelatenſes plurimi Græcè loquebantur. Favorinum Philoſophum, Gallum natione & Arelatenſem fuiſſe conſtat, quem Græcè ſcripſiſſe Hadriani principatu Aulus Gellius & multi alii docent. Hilarius in ſermone de S. Honorato Arelatenſi Epiſcopo: *Perſultavit* (inquit) *in gloria ſua* (id eſt in gloria Honorati mortui) *Dei gloria, & in diſſonis diverſarum linguarum choris amor conſonus.* Scilicet Syri & Judæi multi erant Arelati, Gothi aliquot, Burgundiones, & Franci: multi etiam cives Arelatenſes propter viciniam Maſſiliæ Græcorum Græcâ linguâ utebantur. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus *voluit laicos & populares homines pſalmos & hymnos promere, altaque & modulata voce inſtar Clericorum alios Græcè, alios Latinè proſas & antiphonas decantare, ne illis ſpatium ſuppeteret ad fabulas in Eccleſia effutiendas;* ut Cyprianus in Vita Cæſarii ſcribit.

Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis de Arelato verba notanda ſunt in Parænesi ad Judices.

Quis bene compoſitis, nos tandem opulenta recepit
Urbs Arelas, cives quam ſtatuere ſui:
Urbs Arelas, aliis quæ pluribus urbibus exſtat
Prima, gradu tamen eſt Narbo ſecunda tibi.

Quibus verbis Arelatum ab indigenis ſeu aboriginibus conditum fuiſſe, non ab exteris aut advenis, & commercio floruiſſe ætate ſua indicat ante annos DCCCXI. ac ſoli Narboni, veteri capiti totius provinciæ Narbonenſis ceſſiſſe; Viennam, olim metropolim ſuam, pridem æquare aut etiam ſuperare, nimirum jam inde ab Honorii Aug. Principatu octo urbium caput factam, & in Metropolitanum faſtigium evectam.

ARELAUNUS SILVA ET VICUS.

Auctor Geſtorum Francorum ſcribit Chlotharium *in ſilvam confugiſſe Arelaunum, & feciſſe combros*, hoc eſt concædes. Idem Chlotharium ejus nepotem in pago Senonico victum acie a Theodorico Rege Burgundiæ, per caſtrum Melodunum atque Pariſios *Arelaunum ſilvam* fugâ petiiſſe dicit: ut appareat locum naturâ munitiſſimum fuiſſe, quo duo Reges Francorum perfugio ſunt uſi. Hæc ſilva pæne tota Sequanâ circumdata, appellationem trahebat ex nomine proximæ villæ Regiæ, quam auctor libelli de Vita Condedi Monachi *fiſcum Arelaunum*, id eſt villam fiſcalem vocat, & prope *ſaltum Arelaunenſem* ponit, nec longè abeſſe ait à Belſinnaca inſula fluminis Sequanæ: quæ inſula (ut in Vita B. Audoeni invenio) Diœceſeos Rotomagenſis finibus continebatur. Arelaunenſem ſaltum ab Orderico *ſilvam Brotonam* prope *turrim Guatevilla* id eſt Vatevillæ, nũc *la foreſt de Bretonne* appellari aiunt: inſulam autem Belſinnacam vel Belcinnacam quæ parum à Fontanella aberat, maritimis æſtibus hauſtam eſſe. *Arlaunum ſilvam*, & *Arlaunum foreſtem* vocat Chronicon Fontanellenſe ab Acherio editum in capite VI. cujus ſilvæ quartam partem Rex Dagobertus junior, ſuggerente Theodoaldo Majore domus Regiæ, Monaſterio Fontanellæ dicitur donaviſſe: ex quo intelligitur non Arelaunum modò villam, ſed & ſilvam Arelaunenſem ad Reges noſtros ſeu ad fiſcum pertinuiſſe.

ARENACUM.

Arenácum in libro IV. Hiſtoriarum Tacitus memorat, quod *Arenatium* vocat tabula Peutingeriana, & inter Noviomagum ac Burginatium locat, à Noviomago VI. à Burginatio V. millibus paſſuum diſtans. Æthici libri editi *Harenacium* & *Harenatium*, codices *Arenacium* & *Aranatium* appellant: qui auctor legionis X. alâ ibi in præſidio fuiſſe ſcribit, & eum locum inter Carvonem & Burginatium ponit, ac à Carvone, id eſt *Grave*, aliis *Reynecom* XXII. à Burginatio VI. millia paſſuum abeſſe notat. Vulgò nunc cognominatur Arenacum ad Rhenum, *Arnheym am Rheyn*, aut ſimpliciter *Arnhem*, & eſt vicus in Gelria Gallica, ut & nomen ipſum ſonat. *Ham* enim vel *Hem* Germanis vicum ſignificat.

ARGANTOMAGUS.

Apud Æthicum iter eſt à *Burdigala Argantomagum* millium paſſuum CXCVII. per Sirionem, Aginnum Nitiobrigum, Veſunnam Petrocoriorum, & Auguſtoritum Pictonum: & Argantomagus ab Auguſtorito XXI. millia paſſuum abeſt. Apud eumdem in itinere à Burdigala Auguſtodunum millium p. CCLXXIV. occurrit *Argantomagus*, corruptè *Agrantomagus* dictus, inter Lomonnum Pictonum & Avaricum Biturigum, à Lomonno quod Lomonum & Limonum aliàs vocatur, XLII. millibus

paſſuum

paſſuum diſtans, ab Avarico XI. De *Argântomago* mentionem facit & tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana. Vulgo *Argenton* hodieque dicitur, & eſt Croſæ minori appoſitus locus in Biturigibus Cubis.

Eginhardus in rebus anni DCCLXVI. *Argentomagum caſtrum* appellat, & à VVaifario Duce Aquitaniæ deſtructum, à Pippino Rege Francorum reparatum eſſe tradit, & præſidium Francicum ibi collocatum. *Caſtrum cui nomen eſt Argentonus in pago Biturino*, nuncupat Appendix vetus Chronici Fredegarii, libro ejus V. ſubtexta; *Argentomum caſtrum* veteres rerum Francicarum Annales, atque Bertiniani. *Argentomagenſes agros* & *caſtrenſes portas* caſtri hujus memorat Aimoinus in libro I. de miraculis S. Benedicti, prope *caſtrum & Monaſterium Salenſe*, (*S. Benoiſt du Sau*) atque caſtrum Bruciam, *Broſſe* vulgò dictum. III. *Kal. Jul. S. Marcelli Martyris, qui apud caſtrum Argentomacum pro Fide Chriſti unà cum An ſta io m·litasi viro capite plexus eſt*; ut ſcribit Uſuardus in Martyrologio.

Eſt & ejuſdem nominis caſtrum ad Argentonem fluvium, quem Toëdus (*Toué*) in Ligerim defert, V. *A~ enton l'Egliſe* cognominatum in confinio Andicavorum & Pictonum: quod *Argentonem*, & *Argentonenſe caſtrum*, & *caſt·um A gentum* & *Argentonis caſtrum* appellari in tabulis video; flumen autem ipſum *aquam Argentum*, & *fluvium Argentarium*.

ARGANTOUARIA.

Argantouaria, Ἀργαντουαρία in Sequanis à Ptolemæo ponitur, locus clade Alamannica & Gratiani victoria nobilis, quem Imperatorem *apud Argentariam opidum Galliæ XXX. Alamannorum millia bello exſtinxiſſe* Ammianus Marcellinus & Aurelii Victoris Epitome docent. Ubi Andreas Schottus *Argentariam, opidum in agro Lemovicum Argenton* eſſe exiſtimat, abſurdè omnino: cùm Argantouaria vel Argentuaria haud dubiè Sequanorum ſit; *Argenton* verò in Aquitania, & in Biturigibus Cubis, non (ut ait Schottus) in Lemovicibus conſiſtat, *Argantomagus* olim dictus, ab Avarico capite Biturigum Gentis XL. millibus diſtans, ut Æthicus docet.

Tabula Theodoſiana *Argentuariam* ponit inter Helellum & Cambete, ab Helello XII. à Cambete VII. millibus p. diſtantem; ab Argentorato XXIV. Æthicus veteri ac incorrupto nomine *Argantouariam* nuncupat, & à Cambete XVIII. à Saletione VII. millia paſſuum abeſſe indicat. *Argantouaria* & *Argentouaria* in priſcis Æthici codicibus ſcriptum reperitur. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nunc *civitas Argentarienſis*, nūc & ſæpiùs *caſtrum Argentarienſe* in provincia Maxima Sequanorum appellatur: pro quo mendosè in quibuſdam Notitiis *caſtrum Argentorate* & *caſtrum Argenturenſe* reperitur. In quadam Notitia hæc legimus. In prov. maxima Sequanorū *civitas Belicenſium, quæ antea caſtrum Argentarienſe vocabatur.* Quæ planè falſa ſunt, ſive auctor velit civitatem Belicam, antea Argentariam ſeu caſtrum Argentarienſe nuncupatam fuiſſe, cui ſententiæ repugnat maxima amborum locorum diſtantia: ſive idem potiùs putet ſedem Epiſcopatus ex Argentaria in civitatem Belicam translatam exſtitiſſe. Belicam enim jaminde à Chlodovei Magni filio Childeberto ſedem Epiſcopalem ante annos MC. fuiſſe legimus; Argentuariam cathedram Antiſtitis antea aut etiam pòſt fuiſſe nuſquam reperimus, ſed ad Eccleſiam Rauracenſem vel Baſilienſem pertinuiſſe exiſtimamus, nec cum Belica quidquam habere potuiſſe commune.

Non minori errore Nithardus, ſimilitudine aliqua nominum deceptus, Argentoratum ſeu *Straeburgum* civitatem (*Strazburg*) *Argentariamque* in libro III. confundit, & unam eamdemque eſſe putat: quem ſatis refellit vel ſola tabula Peutingeriana hiſce verbis. *Brocomagus* VII. *Argentorato* XII. *Helellum* XII. *Argentuaria* XII. *Cambete* VII. *Arialbinnum* VI. *Auguſta Rauracûm* XXII. Theganus *Argentariam Baſileæ* proximam facit.

Argantouaria igitur vel Argentouaria, pòſt vocari cœpit *Argentuaria*, litterâ o ſublatâ; ac demum ſublatâ alterâ litterâ *Argentaria* dicta eſt corrupto nomine quidem, ſed Latini vocabuli ſpeciem præferente. Poſita autem erat inter Argentoratum & Auguſtam Rauracûm Baſiliæ proximam: quam ob cauſam Simlerus & Cluverius Argantouariam pro *Colmaria* habent. Eſt autem Colmaria (*Colmar*) opidum ſuperioris Aleſatiæ non procul à fluv. Rheno, inter Auguſtam Rauracorum vel potiùs Baſiliam & Argentoratum, contra Montem Briſiacum: quod opidum jampridem *Columbarium* dictum eſſe obſervo, & ſublatis II. litterulis V & B. tandem *Colmariæ* appellationem ſuſcepiſſe. Aubertus Miræus Argantouariam *Horburg* interpretatur.

ARGENTOMUM.

Argentomum caſtrum an *Argentonium* olim vocatum ſit, & utro modo ſcribi debeat, incertum eſt. Orderico quidem in libris XII. & XIII. *Argentomus* vocatur; at in libro ejus Hiſtoriæ XI. *Argentonium caſtrum* ſcriptum reperio, quemadmodum & in veteribus tabulis, quas vulgò chartas & litteras appellamus. Caſtrum eſt ad Olinam flumen in Saiorum Diœceſi nobile, vulgò *Argentan* dictum: quod ſi *Argentomum* ſcribi, non *Argentonium* debet, haud dubiè *Argentomagus* primùm, deinde *Argentomus* vocatum eſt: uti *Rotomago Rotomus*, *Noviomago Noviomus* ſucceſſit.

ARGENTORATUM.

Argentoratum, Ἀργεντόρατον Ptolemæus in Germania ſuperiore ponit, ac Vangionibus adſcribit. Julianus & quædam Notitia *Argentora* truncato nomine appellant, Ἀργέντορα. Tabula Theodoſiana atque Æthicus in Itinerario provinciarum *Argentoratum* inter Brocomagum & Helellum vel Heluetum locant; Æthicus etiam inter Montem Briſiacum & Tabernas. Idem *iter à Mediolano per Alpes Graias Argentoratū millium paſſuum* DIX. facit; *à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum millium paſſuum* CCCXXV. *à Triveris Argentoratum* M. P. CXXVIII. Apud eam urbem Julianus Cæſar Conſtantii Aug. ductu ac auſpiciis ingentes Alamannorum copias acie vicit ac fudit, & Chnodomarium nobilem eorum Regem cepit. Unde

Ammiano Marcellino dicitur *Argentoratus barbaricis cladibus nota, in Germania prima.*

Ibi præter duas alias vias publicas ſive militares, tres erant celeberrimæ, una per Alpes Graias Mediolanum ducens, altera Lugdunum Batavorum, tertia Auguſtam Trevirorum. Ab his quinque viis Argentoratum nonnulli ſcriptores dixere *Strateburgum* vel *Strateburgum*, ut equidem exiſtimo; hoc eſt *burgum* ſive opidum ripenſe, poſitum in via militari, quam præter ceteros Eutropius in Aureliano *ſtratam* à re appellat, Noſtri *l'eſtrade* & *l'eſtrée*. Certè in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nunc *civitas Argentoratenſium Strateburgo*; nunc *civitas Argentoratenſium, id eſt Strazeburg*, aliàs *Strasburg*; modò *civitas Argentora, id eſt Strateburgo*; modo *civitas Argentina, id eſt Strazburgis* nuncupatur, & inter provinciæ Germaniæ primæ civitates quatuor ſecundum locum obtinet. In una Notitia omnium vetertima, à Jacobo Sirmundo edita, ſimpliciter & abſolutè *civitas Argentoratenſium* vocatur; *Stratsburch* in diviſione Regni Lotharii. Gregorius Turonicus Epiſcopus, omnium quos quidem legerim primus, ante annos circiter mille & octoginta *Argentoratum* novo nomine *Strateburgum* vel potiùs *Strateburgum*, id eſt viæ militaris opidum appellavit in libri IX. Hiſtoriæ Franciçæ capite XXXVI. hiſce verbis. *Childebertus Rex morabatur infra terminum urbis quam Strateburgum vocant*: in libri X. capite XIX. de Ægidio Remenſi Epiſcopo. *Qui ſtatim ad Argentoratenſem urbem quam nunc Strateburgum vocant deductus, exſilio condemnatus eſt*. Quibus ex Gregorii verbis (*quam nunc Strateburgum vocant*) facilè intelligitur, circa ætatem ejus, aut ſaltem non multo antè Argentoratum vocari cœpiſſe *Strateburgum*. Ex *Strateburgo Strasburgoue* recentiores fecerunt *Strazeburg*, & *Strazburg*, Germani *Strasburg*, Noſtri *Strasbourg*.

Pro Argentorato nonnulli (ut ſuprà notavimus) *Argentora*, alii mendosè *Argentinam*, aliqui & *Argentariam* magno errore appellaverunt. Concilio Agrippinenſi ſubſcripſit *Amandus Argentinenſium* Epiſcopus pro Argentoratenſium. In quadam Notitia modò laudata reperitur *civitas Argentina, id eſt Strazburgis* vel *Strazburgus*. Eodem nomine utitur auctor incertus, quem Vrſtitius Alberti Argentinenſis Chronico præfixit, Arbogaſtum & Florentium *Argentinæ Epiſcopos* vocans. In Chronico Roberti Autiſſiodurenſis, quod in anno MCCX. deſinit, memoratur *civitas Argentinum, id eſt Straburch*, & inter Moguntinæ provinciæ civitates quatuor ultima numeratur, cùm ſecunda numerari debeat, & *Argentina* ac *Strasburch* vocari. Marlianus & plerique recentiſſimi ſcriptores vitioſa affectatione novitatis ab antiquitate recedere, & *Argentinam* quàm Argentoratum appellare maluerunt, Tribociſque quam cum Ptolemæo Vangionibus aſſignare.

Nithardus in libro III. *Argentariam* pro Argentorato dixit, cujus verba hæc ſunt. *Lodhuvvicus & Carolus in civitate quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgò dicitur convenerunt*. Sed Nithardus & quotquot eum ſequuntur, errant haud dubiè, ac de duobus locis unum faciunt. Quippe *Argentaria* vel *Argentuaria* ab *Argentorato* XXIV. millia paſſuum abeſt, ut docet tabula Theodoſiana, *Argantonaria* veteribus dicta; & alii quàm Argentoratum provinciæ adſcribitur. Argentoratum enim civitas eſt provinciæ Germaniæ primæ; at *Argentuaria* vel *Argentaria* caſtrum provinciæ Maximæ Sequanorum. Certè veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ in provincia Maxima Sequanorum *caſtrum Argentarenſe* complures ponunt, in provincia Germaniâ primâ nulla.

Sub diſpoſitione viri Spectabilis Comitis Argentoratenſis, tractus Argentoratenſis fuit ſtante nomine Imperioque Romano. Fuere & *ſub diſpoſitione V. Illuſtris Magiſtri Officiorum fabricæ in Galliis octo*, & inter eas prima *fabrica Argentoratenſis armorum omnium*, hoc eſt ſpatharum, ſcutorum, loricarum, ſagittarum, balliſtarum, & clibanorum vel cataphractarum.

Ceterùm Argentoratum inter & Borbetomagum poſita eſt urbs Nemetum Noviomagus. Quare quidã fortè non credent Ptolemæo, Argentoratum unà cum Borbetomago Vangionibus adſcribi oportere: cùm inter Borbetomagum Vangionum & Argentoratum Nemetes medii intercedant; nec veriſimile ſit agrum Vangionum agro Nemetum ſic interruptum fuiſſe. Argentoratum itaque potiùs *Caracatibus*, quos Tacitus in libro IV. Hiſtor. Tribocis Vangionibuſque ultimos adjungit, aſſignandum videri.

ARIA.

Aria in veteribus litteris, & in Latinis Hiſtoriis nuncupatur, *Arien* incolis, Noſtris *Aire*, opidum ad ripam fluminis Letiæ poſitum; duabus obſidionibus ætate noſtra illuſtre. Fortè olim ab area vel planitie in qua ſita erat, nomen accepit, & nuncupata eſt *Area*, ac poſtea corrupto vocabulo Aria, e in i mutato.

ARIALBINNUM.

Arialbinnum vocat tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana, & inter Cambete ac Auguſtam Rauracûm ponit. *Arialbinnum* nuncupat & Æthicus in Itinerario provinciarum Imperii Rom. & inter Vindones ſeu Vindoniſſam ac Montem Briſiacum collocat. Quidam *Mulhuſen* vel *Mulhauſen* opidum Sequanorum eſſe arbitrantur. In itinere à Tauruno in Gallias *Artalbinum* dicitur Æthico pro *Arialbinum*, & inter *Rauracos* ac *Uruncos* ſtatuitur. Cluverius *Arialbinnum* vel *Arialbinum* exiſtimat vetus eſſe nomen loci, quem poſtea Baſiliam Romani vocaverint: cui ſententiæ nequaquam poſſumus accedere, ut in Baſilia docebimus.

ARISITUM.

Ariſitenſem vicum memorat Gregorius in libri V. Hiſtoriæ Franciçæ capite V. his verbis. *Mundericus ad Sigiberti Regnum tranſiit, & apud Ariſitenſem vicum Epiſcopus inſtituitur, habens ſub ſe plus minus diœceſes XV. quas primùm Gothi quidam tenuerant, tum verò Dalmatius Rutenenſis Epiſcopus vindicabat.* Auctor incertus Carminis de ſtemmate Caroli Calvi, quod & Carolo ipſi dicatum eſt, aliique nonnulli *Hariſidum* & *Ariſidum* vocant t litterâ in

è ex more mutatâ; quidam & *Ariſidium vicum*; pleriq; ſincero & incorrupto nomine *Ariſitum*. Legimus Deotharium vel Teutharium primum Ariſitenſium Epiſcopum exſtitiſſe, eique Mundericum fratris ejus filium, de quo Gregorius retulit, eſſe ſubſtitutum. Emmo quoque Ariſitenſis Antiſtes fuit, quem Frodoardus *Emmonem Areſetenſem* Epiſcopum vocat, & Concilio Remenſi interfuiſſe cum XXXIX. aliis Sacerdotibus ſcribit. Poſtea hic Epiſcopatus abolitus, nec ulla uſquam præterquàm in libris Ariſitenſis Epiſcopatûs veſtigia apparent: itaut XV. illæ Diœceſes ſive parœciæ vicanæ ac caſtellanæ, quas Gregorius commemoravit ſuprà, Rutenicæ Eccleſiæ redditæ eſſe videantur. Ariſitum vicum puto eſſe vicum *Arias* vulgò dictum, poſitum in finibus Rutenorum ad Biaurum fluvium qui in Avarionem cadit; aut certè *Asre* vicum montanum.

Aiunt in Rutenis inter Amilianum & Vcetiam territorium pagú nve eſſe, longum VI. circiter leugas, hodieque nuncupatum *l'Arſac*, nomine ad *Ariſitum* accedente: quem fuiſſe olim pagum Epiſcopatúmque Ariſitenſem arbitrantur.

ARMASANICÆ.

Armaſanicas truncato nomine & tranſpoſitâ litterâ a *Aymargues* incolæ vocitant, quaſi *Amarcas*, opidum Volcarum Arecomicorum in Diœceſi Nemauſenſi, cujus veteres tabulæ mentionem faciunt.

ARMORICA SIVE AREMORICA: ET DE ARMORICIS.

Plinius in libri IV. capite XVII. & XIX. regionem inter Garumnam & Pyrenæum montem ac Oceanum jacentem, *Aremoricam* dictam eſſe à Gallis ſcribit, quam deinde Romani ab *Aquis* Tarbellicis urbe provinciæ *Aquitaniam* vocaverint. *Armor* autem Gallorum linguâ ſignificabat ad mare; *Armorici*, ut & *Morini*, maritimi vocabantur. *Inde* (inquit Plinius) *ad Pyrenæi montis excurſum Aquitania, Aremorica antè dicta*: & in capite XIX. *Aquitanica ſunt Aquitani, unde nomen provinciæ*. Quod nuſquam alibi legere memini, *Armoricam* vel *Aremoricam*, veterem fuiſſe ejus regionis quæ poſtea Aquitania dicta ſit, appellationem.

At Julius Cæſar Armoricam ſuam in maritima regione Celtarum Gallorúmve ponit, quam in libro III. *totam oram maritimam*, & *omnem oram maritimam regionum earum*, item *omnem oram maritimam* vocat; Hirtius in libro VIII. *omnem regionem conjunctam Oceano*, necnon *civitates poſitas in ultimis Galliæ finibus Oceanoque conjunctas, quæ Armoricæ appellantur*, nuncupat, Turonibuſque & Carnutibus proximas facit. Cæſar in libro VII. *Univerſis civitatibus quæ Oceanum attingunt, quæque Gallorum conſuetudine Armoricæ appellantur, quo ſunt in numero Curioſolites, Redones, Ambibarii, Cadetes, Oſiſmi, Lemovices, Vnelli*, ſena millia imperata eſſe ait ad Aleſiam obſidione Romana liberandam: ex quibus Armoricis nationibus *Ambibarii*, *Cadetes*, ac etiam *Lemovices* ferè ignorantur. Ibidem Cæſar Nervios, Morinos, Ambianos, Bellocaſſos ſeu Veliocaſſes, Aul. Eburovices, & Lexovios, (quod miror) Carnutes, Turones, Aul. Cenomanos, Pictones, Santones à civitatibus Armoricis diſtinguit: *Andes* non memorat heic Cæſar, quos alibi vocat *vicinos & proximos Oceano*, itaut licèt Oceanum non attingant, Armoricis eos accenſere videatur. Idem in libro II. *Venetos, Vnellos, Oſiſmos, Curioſolitas, Lexovios, Aulercos, Redones* ait *eſſe maritimas civitates, Oceanumque attingere*; in libro III. *Vnellos, Curioſolitas, Venetos*; item *Oſiſmos, Lexobios, Namnetes, Ambiliates*, (fortè *Ambibarios* ſuprà dictos) *Diablintes*: licèt ſuprà *Lexovios & Aulercos Eburovices* atque *Cenomanos* ab Armoricis civitatibus diſtinxerit. Certè Lexovii quidem Oceanum attingunt; Cenomani & Eburovices non attingunt. Apparet ergo Armoricarum civitatum nomine a Jul. Cæſare deſignari maritimas civitates inter Ligerim & Sequanam poſitas. Nam Curioſolites, Redones, Oſiſmi, Unelli, Veneti, Lexovii, Namnetes, Ambiliates, quos inter Armoricos numerat, his duobus fluviis terminantur.

Idem facit Notitia Imperii, *in tractu Armoricano Blabiam*, vel potius Blabitam aut Blavittam, (*Blavet*) *Venetos, Oſiſmios, Mannatias*, (ubi Namnetas lego) *Aletum, Conſtantiam, Rotomagum, Abrincatas* ponens, quæ urbes & caſtella Ligere & Sequana clauduntur. *Extendi tamen tractum Armoricani limitis per provincias* V. ait, ſed nimirum impropriè. Quare Auſonius Baiocaſſas urbem in Armorica ponit, & *Baiocaſſinos Genti Armoricæ* adnumerat: quum Attium Pateram Rhetorem ait

> Baiocaſſis ſtirpe Druidarum ſatum,
> Beleni ſacrarum ducere è templo genus.

Et in Carmine X. de Profeſſoribus Burdigal. patrem ejus Grammaticum appellat *ſenem nomine Phœbicium, qui Beleni æditimus, ſtirpe ſatus Druidum, Gentis Aremoricæ, Burdigalæ cathedram nati operâ obtinuit*. Jonas quoque de Vita Columbani tradit, Potentinum Monachum, unum ex ejus diſcipulis & popularibus, *in Armoricanis locis, in Conſtantiæ urbis ſuburbanis Monachorum cœtum collegiſſe*. Fortunatus ſimiliter Namnetas Armoricæ adſcribit in libri III. Carmine VIII. ad Felicem Namneticum Epiſcopum.

> Ultima quamvis ſit regio Armoricus in orbe:
> Felicis meritis cernitur eſſe prior.

Quare Erricus Monachus in libro V. de Vita S. Germani *inter duos amnes*, hoc eſt inter Sequanam & Ligerim Armoricanam Gentem collocavit hiſce verſibus.

> Gens inter geminos notiſſima clauditur amnes,
> Armoricana priùs veteri cognomine dicta:
> Torva, ferox, ventoſa, procax, incauta, rebellis,
> Inconſtans, diſpárque ſibi novitatis amore:
> Prodiga verborum, ſed non & prodiga facti.

Quod Erricus de Armoricis dixit, *prodigos* fuiſſe *verborum, parcoſque factorum; ventoſos ac inconſtantes*; idem de *Tranſſequanis* dicit Guibertus Belga, Abbas Novigenti in Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ libro IV. Armoricos autẽ ſeu Ligeris ac Sequanæ accolas Belgæ *Tranſſequanos* vocare conſueverant. Ibi igitur Guillel-

mum Carpentarium, hominem Tranſſequanum, ſacræ militiæ deſertorem ſic increpat Boemundus. *Cum ubique Gentium Francia nomen inter omnia Regna maieſtate promineat, cùm virtutis atque conſtantiæ poſt Deum genitrix, integerrimos hucuſque viros emittat: te garrule nequam, & omnium impuriſſime, te ſuo dedecori ac infamia tulerat. Vbi eſt illa faſtoſa rigiditas, & circa Ligerim ac Sequanam innutrita loquacitas: ubi conſtare dignoſcitur parcimonia actûs, & crepitat indefinens loquacitatis tonitrus?* Homines itaque erant faſtoſi & jactantes, garruli admodum ac loquaces, plurimorum deinque verborum, pauciſſimorumque factorum Armorici ſive Tranſſequani; quales vulgo dicimus *grands parleurs & petits faiſeurs.* Certè Luteciam ob id Johannes Saribſerienſis in epiſtola CLXXIII. *urbem garrulam & ventoſam* appellat.

Rutilius Numatianus in Itinerarii libro I. *Aremoricas* orat; *tractum Armoricanum* Notitia Imperii Romani, & Conſtantius Presbyter de Vita S. Germani; Eutropius in libro IX. *tractum Armorici*, aliàs *Armorica* vocat his verbis. *Carauſius cùm apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant.* Sidonius *tractum Aremoricum* nuncupat.

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat.

Ab Armoricis Armoricus Oceanus nomen accepit, quem *Aremoricum pontum* Auſonius in epiſtola XIII. vocat, & ab Oceano Pictonico Santonicoque diſtinguit.

Sunt & Aremorici qui laudent oſtrea ponti:
Santonico quæ tecta ſalo, quæ nota Genonis,
Et quæ Pictonici legit accola litoris.

Cùm igitur Auſonius *Armoricos* a *Santonibus* & *Pictonibus* Aquitaniæ ſecundæ populis diſertè diſtinguat, ſive Oceanum Armoricum a Pictonico & Santonico: ex eo intelligitur in Notitia Imperii impropriè dici, *tractum Armoricani limitis per Aquitaniam I. & ſecundam, Senoniam, ſecundam Lugdunenſem & tertiam extendi.*

Idatius in Chronico *Fretiricum, fratrem Theoderici Regis* Gothorum, *in Armoricana provincia* cum ſuis *ſuperatum & occiſum* eſſe tradit: quod prœlium commiſſum *inter Ligerim & Ligericinum juxta Aurelianos*, ſi verè ait Marius, Aureliani Carnutum in Senonia etiam ad Armoricos pertinuerint: quod ut credam non facilè adducor; quidquid Notitia Imperii ſuprà dixerit.

Armoricanæ provinciæ incolæ *Armorici* vel *Aremorici* vocantur ab Hiſtoricis Latinis & Poëtis; *Armorichi*, Ἀρμόριχοι à Zoſimo; à Procopio corruptè *Arborychi* Ἀρβόρυχοι, ut in Rebus Francicis docuimus; à Jordane *Armoriciani.*

Et Armoricanus quidem tractus, ut diximus, per annos ampliùs octingentos Ligere & Sequana terminabatur, hoc eſt totam oram Britanniæ minoris & Nortmanniæ, ſeu provincias Lugdunenſem II. & tertiam continebat; ſed poſtea pro ſola Britannia Ciſmarina ſumi cœpit; uti pro ſola Nortmannia Neuſtria, quæ priùs Moſa & Ligere, dein Sequana & Ligere claudebatur; Auſtria à Moſa ad Rhenum olim pertinens, pro ſola demum Lotharingia, qualis fere nunc eſt. Certè Gervaſius Tiſleberienſis in libro de Otiis Imperialibus ad Ottonem IV. Rom. Imperatorem ſcripto anno MCCX. vocat *Britanniam Armoricam*: & Guillelmus qui Britto erat, & in Britannia minore natus, *natione Armoricum* ipſe ſe appellat, ac *Vuillelmum Brittonem Armoricum*: Bernardus Guido Epiſcopus Luteuenſis, qui anno MCCCXX. floruit, *provinciam Turonicam, Armoricam eſſe* ait. Epiſtola Synodi Venetis habitæ à Perpetuo Turonum Epiſcopo circa annum CCCCLXV. ad Epiſcopos provinciæ abſentes, in codicibus quibuſdam inſcribitur rectè *Epiſtola Epiſcoporum Armoricanæ provinciæ*: ſed tamen non totius tum quidem, cùm unà Rotomagenſem provinciam etiam Armorica contineret. Male itaque *Armoricas civitates* apud Cæſarem Marlianus pro ſola *Britannia Citeriore* accepit, quòd Britanniam à recentioribus ſcriptoribus Armoricæ nomine deſignari animadverterat.

AROANNA FLUVIUS.

Aroanna vicum *Doromellum* attingit, & per fines Senonum in Lupam ſupra Murittum opidum influit; fluvius etiam inter accolentes ignobilis, ſed magnitudine cladis emerſit. Nam ad eum fluvium non procul à Doromello Chlotharius junior à Theodeberto ac Theodorico Regibus victus eſt acie anno DXCIX. ut Fredegarius & Geſta Francorum tradunt. Doromellum vulgò *Dormeille* vocatur: Aroanna autem ab Aimoino aliiſque dicitur *fluvius Aruenna*, vulgò *Ouaine.*

ARREMARI MONASTERIUM.

Monaſterium Arremari vel *Arremarenſe*, vulgò dicitur *Monſtier Ramey*, eſtq; in Tricaſſium finibus. Bernardus abbas Claravallenſis epiſtolam CCXCVII. ſcripſit ad *Abbatẽ Arremarenſem* Guidonem, & fratres Arremarenſes, apud quos corpus S. Victoris Confeſſ. quieſcere epiſtolâ CCCXII. docet. Huic loco nomen ſuum dedit Adremarus vel Arremarus, quem Monaſterii auctorem fuiſſe epiſtola Leonis PP. IV. ad Prudentium Tricaſſinum Epiſcopum docet. Petrus Abbas Cellenſis in libri II. epiſtola II. Abbatis Arremarenſis meminit.

ARTIACA.

Artiaca vel Arciaca, *Arcis ſur Aube*, opidulum eſt ad Albam in agro Tricaſſino, in Itinerario Æthici memoratum his verbis. *Tricaſis* M.P. XXXIII. *leugas* XXII. *Artiaca* M.P. XVIII. *leugas* XII. *Durocatalaunos* M.P. XXXIII. *leugas* XXII. Ubi monet Hieronymus Surita, in duobus codicibus *Artiacam*, duobus in aliis *Arciacam* ſcriptam reperiri. Certè & *Arciaca* vocatur Fredegario in capite LXXI. libri IV. Chronici, *Archiacum* Aimoino: à quo loco *Arciacenſis campania*, id eſt planities campuſve Arciacenſis, apud Fredegarium in Chronici libro V. & apud Aimoinum nomen invenit. In Vita Balſemii qui ibi à Vandalis occiſus eſt, *civitas Arceia, nunc villa* dicitur. In Vita S. Fidoli Abbatis Tricaſſini *Arceia* quoque nuncupatur. *Latro Arceias caſtrum, ſic nominatum antiquitus ob mœnium celſa faſtigia ibidem conſtructa olim,*

rune diruta, *vagabundus applicuit*. Nimirum auctor libri de Vita Fidoli ab *arce Arceias* deducit, cùm nomen ſit Gallicum *Arcena*, ſed corruptum factumque ex *Artiaca* vel *Arciaca*. Bernardus in Officio S. Victoris *Arciacenſe territorium ad Album flumen* commemorat, *vicumque* in eo *Saturniacum* ponit, V. *Tomi* dictum, hiſce verbis. *Exſtitit Victor Tricaſſinæ diœceſis, claris natalibus ortus. Factus Presbyter, tranſtulit ſe in Arciacenſe territorium, in vicum ſcilicet qui Saturniacus vocatur.*

Alia eſt apud Odorannum in Chronico *Villa Arcia*, quam Leothericus Senonum Archiepiſcopus S. Petri Vivi Monaſterio dediſſe dicitur cum *terra de Tillido* vel *Tillo*. *Arcia* enim hæc, vulgò *Arcey* nuncupatur, proximaque eſt Villænovæ Regis ad flumen Icaunam, & *Tillido* ſeu *Tillo*, *Til* aut *Teil* nunc dicto, ad flumen Vennam poſito non procul ab Agedinco Senonum.

A R T O N A.

Artona ſeu *Artonenſis vicus* in Arvernis vetuſtiſſimus eſt, ante annos mille & ſexaginta noſtris Hiſtoricis notus, veteris hodieque nominis retinens. Nuncupatur enim *Artonne*. Gregorius in libro de Gloria Confeſſorum *Artonam Aruernenſem vicum*, & *Artonenſem vicum* appellat.

ARVA FLUVIUS.

Arua fluvius eſt, qui Normanniam à Francia dividit. Legimus *Karolum* Francorũ Regem *deſpondiſſe Rolloni filiam ſuam Giſlam, ac conceſſiſſe ei ſimul terram quæ nunc Normannia vocitatur, à fluvio Andella uſque ad Oceanum mare, & metas ei Aruam fluviolum poſuiſſe.* In litteris Gaufridi Epiſcopi Carnutenſis datis anno MCXX. fit mentio *Eccleſiarum Villemedis*, *S. Remigii ſuper Aruam*, *& S. Lubini Craventi*. *Villemedis*, aliàs *Villemeudis*, in litteris Henrici Franc. Regis anni MLIX. *Villa mollis*; *Vilemeldis* in Vita S. Betharii Carnut. Epiſcopi *portus ſuper fluv. Auduram*; Vulgo *Villemeus* dicitur. *Arua* autem fluvius à Noſtris nuncupatur *Aure*, & Vernoilum Perticenſium, Tegularias *Tilliers*, Nonancurtim *Nonancourt*, villam S. Remigii, *Eccleſiam S. Remigii ſuper Aruam* in litteris Gaufridi dictam, & Stratam Abbatiali Monaſterio illuſtrem attingit, ac paullo ſupra Anetum Auturâ recipitur. Legi titulum tabulæ *de pravis conſuetudinibus in loca S. Georgii, quæ ſita ſunt non longè à flumine quod Arua dicitur, dimiſſis ab Hainrico & Marino fratribus, filiis Ramberti militis, Drocis caſtro anno Domini* MXXCVI. *Indictione* IX. In aliis litteris Gaufridi ejuſdem Carnut. Epiſcopi, *in loco, qui dicitur Strata, diſtante per unam leucam à nobili & famoſo caſtello Drocis, juxta Muſeium ſuper fluvium qui dicitur Arua, Raherus de Donion vir Nobilis dedit Monachis in eo loco* (Strata) *habitaturis locum congruum piſcationi, quam homines in vulgari ſuo Gort appellant.* Muſeium *Muſſy* ad dextram ripam Aruæ poſitum eſt, Strata Abbatia (*l'Eſtrée*) ad ſiniſtram: quæ duo loca ſolo amne diviſa, parum diſtant à Durocaſſis vel *Drocis*. In MS. enumeratione amnium Galliæ, quæ eſt annorum ampliùs CCCC. *Arua* fit mentio. *Arua in partibus Vernolii & Drocarum currit.*

ARUERNI ET AUGUSTONEMETUM ARUERNORUM, AC LEMANE.

Arvernos ab Helviis mons Cebenna diſcludere dicitur à Jul. Cæſare in libro VII. hoc eſt à Gabalis & Vellavis Aruernorum clientibus. Nam certè Aruernos ipſos propriè dictos Helvii ſeu Vivarienſes minimè attingunt. Idem auctor eſt imperata eſſe Arvernis à Vercingetorige millia hominum XXXV. *adjunctis Heleuteris, Cadurcis, Gabalis, Vellavis, qui ſub imperio Aruernorum eſſe conſueverunt.* Ex quibus Cadurci, Gabali & Vellavi omnibus noti ſunt: *Heleuteri* autem à quibuſdam pro Albigenſibus habentur: omnibus præterquàm Cæſari incogniti, ac ne Cæſari quidem ipſi forſitan noti, ſed ſolo Commentarii ejus VII. mendo nobis invecti.

Gabalos proximoſque pagos Aruernorum miſſos à Vercingetorige in Helvios Cæſar tradit: quòd nimirum Gabali & Vellavi clientes erant atque etiam pagi Aruernorum. Hodieque ſub rectoris Aruernorum diſpoſitione utrique populi ſunt & continentur. Strabo ait Vellavos ac (ſi qua fides) Helvios, qui antea Aruernis adſcribebantur, ſua ætate per ſe civitatem conſtituere, ſeu Aruernis ademtos eſſe. Aruernorum gentes memorat Plinius in libri VII. capite I. de quibus & de Allobrogibus querentes Æduos, fratres ſuos Romani juverunt ac ulti ſunt. *Captus Rex ipſe Aruernorum Bituitus diſcoloribus in armis argenteoque carpento, qualis pugnaverat.*

Straboni & Ptolemæo dicuntur Ἀρουερνοί; quorum de viribus fusè refert Strabo; Plinio *Arverni Liberi* in Aquitanica; Ἀρβέρνοι Plutarcho in Julio Cæſare, & Ἀρβενοὶ mendosè; Stephano *Arverni*, Ἀρουερνοι, *Gens Galliæ Celticæ maximè bellicoſa.* Olim enim Celtica provinciā Narbonenſem atq; etiam flumen Garumnam Aquitaniæ terminum attingebat. Lucanus *fratres Latii*, id eſt populi Romani Aruernos vocavit, quod Æduis tribuendum erat, Aruernis adſcribens. Vulgò nunc Aruernates dicuntur, *Auvergnats*. Unde multi è recentioribus *Alvernos* vocant, propterea quòd litteram L. in u mutare conſuevimus; r in u mutare non ſolemus. Quidam corruptiore nomine *Auernos* nuncupant.

Gutturis tumore, quem *Gos* appellitant, laborant Aruerni Cebennarum incolæ ob nivales aquas: quod Alpinis Gentibus & Pyrenaicis frequenter accidit.

Straboni *metropolis Aruernorum* in Aquitania, ſeu mater urbium ejus Gentis dicitur *Nemoſſus* Νεμωσσὸς; Ptolemæo in eadem provincia Aruernorum *urbs Auguſtonemetum*: in tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana *Auguſtonemetum* quoque, quod compendio litterarum ita ſcribitur *Aũgnemeto*, ut *Auguſtoritum* Pictonum ibidem *Aũgrito*. *Auguſtonemetum* autem ponit tabula Peutingeriana inter Cantiliam *Chantelle*, & Aquas calidas *Chaudes Aygues*. Magno Notas Tironis & Senecæ collegit, & Notas etiam juris Regi Carolo nuncupavit: apud quem in Commentarii III. capite v. hæc

legimus ; *Aruernus*, *Aguſtanemetum*. Utplurimum autem Magno exemplo Ptolemæi cuique Genti caput ſuum urbemve primariam ſubjicere conſuevit. *Aguſtanemetum* autem more ætatis ſuæ ſcriptorum dicit pro Auguſtonemetum, ut *Aguſtodunum* pro Auguſtodunum.

Ab Æthico in Coſmographia inter Occidentis amoſa opida nominatur *Auguſtanemetum*, id eſt Auguſtonemetum. Sic enim legendum eſt, non ut editi libri nomen unum in duo dividunt, *Auguſta Nemetum*. Cùm igitur conſtet caput Aruernorum eſſe Auguſtonemetum ; non ſine cauſſa Caſaubonus Strabonem ſcripſiſſe *Nemetum* putat, non *Nemoſſum* ; & pro Νεμωσσὸς legi oportere Νέμετον. Eſt autẽ *Auguſtonemetum* nomen compoſitum ex duobus vocabulis, Latino altero, altero Gallico : qualia ſunt nomina aliquot urbium Galliæ, in primis *Auguſtodunum* Æduorum, *Auguſtoritum* Pictonum, *Juliomagus* Andicavorum, *Cæſaromagus* Bellovacorum, *Cæſarodunum* Turonum, *Auguſtomagus*. Atque ut *Auguſtodunum*, & *Auguſtoritum*, ac *Auguſtomagus* Silvanectum, *Auguſtonemetum* noſtrum ab Auguſto Cæſare haud dubiè nomen accepit, cùm ut indicat Strabo, antea *Nemetum* à Gallis vocaretur : quod vocabulum in Nemetibus Gente prov. Germaniæ ſuperioris, in Nemetocerna urbe Belgii apud Hirtium Nemetacoque agnoſcimus.

Auguſtonemetum poſtea depoſita priore appellatione, Gentis cujus erat caput nomine deſignari cœpit, exemplo multarum Galliæ urbium, & pro Auguſtonemeto *Aruerni* nuncupari. Quod ætate Plinii in uſu jam fuiſſe, docent verba ejus in libri XXXIV. capite VII. de coloſſis, quæ talia ſunt. *Verùm omnem amplitudinem ejus generis ſtatuarum vicit ætate noſtra Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliæ Aruernis per annos X. pedum* CCCC. *in magno pretio. Is poſtquam ſatis ibi artem approbaverat, Romam accitus eſt à Nerone, ubi deſtinatum illius Principis ſimulacrum coloſſeum fecit* CX. *pedum longitudine.* Ibidem ait Zenodorum *ſcientiâ fingendi cælandique nulli veterum poſtpoſitum, ſtatuam Aruernorum feciſſe, provinciæ Vibio Avito præſidente. Statuam* igitur *Aruernorum fecit* Zenodorus, Vibio Avito Præſide provinciæ Aquitaniæ, cui provinciæ Aruerni attributi erant. Fecit inquam ſtatuam Aruernorum, urbis videlicet Auguſtonemeti, ubi tum commorabatur, quæ caput Aruernorum erat, & eodem quo Gens ipſa nomine nuncupabatur. In eadem urbe, quam Plinius *civitatem Galliæ Aruernos* appellat, hoc eſt civitatem Aquitaniæ, quæ quarta pars Galliæ erat, *Mercurium pedum quadringentorum* fecit, haud dubiè in foro collocandum. Ammianus Marcellinus in libro XV. *Aruernos* etiam vocat, quum *in Aquitania provincia, amplitudine civitatum admodum culta, Burdigalam & Aruernos excellere* tradit ; & Notitia Imperii Romani, *Præfectum Laetorum Gentilium Suevorum Aruernis Aquitaniæ primæ* commemorans. Paulinus Presbyter apud Gregorium Auguſtonemetum quoque appellat *Aruernos* : & Gregorius ipſe nunc *Aruernos*, nunc *urbem* aut *civitatem Aruernam*, *Aruernum opidum*, *Aruernum municipium* exemplo Sidonii nuncupat, & *delubrum linguâ Gallicâ Vaſſo* dictum ibi fuiſſe ait, marmore ac muſivo variatum, marmore etiam ſtratum, plumbo tectum, cujus paries duplex craſſitudine pedum XXXI. eſſet. In Gregorii codicibus *Aruernus* pro Aruernos ſcriptum reperitur, ut *Pectavus* pro Pictavos, *Pariſius* pro Pariſios. Veteres Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ inter provinciæ Aquitanicæ primæ VIII. civitates ſecundo loco memorant *civitatem Aruernorum* ; quem hodieque locum ſervat, Biturigis metropoli ſuæ proxima.

Heic Samſonem Geographum Regium ſatis mirari non poſſum, qui apud Plinium *civitatem Galliæ Aruernos* non urbem Aruernos, ſed regionem Aruernorum eſſe ait, & tria opida in unum miſcet atq; confundit. Quippe *Gergobiam Boiorum opidum* & *Gergouiam Aruernorum* apud Cæſarem, unam eſſe urbem, primo & vetuſtiſſimo nomine Gallico ita dictam aſſerit, quæ pòſt Auguſtonemetum, ac demum Aruerni nuncupata ſit. At Boios Helvetico prœlio victos, ob egregiam virtutem Ædui conceſſu Cæſaris *in finibus ſuis collocaverant, eiſque agros dederant.* Quare *Gergobiam* vocat *Boiorum opidum* Cæſar ipſe, *quos ibi collocaviſſe, Æduiſque attribuiſſe* ſe ſcribit. Alii autem Æduorum unaque Boiorum erãt fines, alii Aruernorum : aliæ urbes Æduorum, & Boiorum in Æduici agri parte habitantium ; aliæ Aruernorum : alia *Gergobia* vel Gergouia *Boiorum* ; alia *Gergouia* Aruernorum : Gergouia Aruernorum urbs, *poſita in altiſſimo monte, omnes aditus difficiles habebat*, ut Cæſar tradit ; de Gergobia Boiorum opido nec Cæſar, nec quiſquam alius idem refert. Ædui, atque adeò Boii eorum clientes, fidi tum erant Romanis ; infideles ac rebelles Aruerni : Gergobiam Boiorum opidum Vercingetorix Aruernus, Dux rebellium Gallorum tum oppugnavit, & cognito Cæſaris adventu oppugnatione deſtitit ; Gergouiam Aruernorum contrà Cæſar, Genabo Carnutum & Avarico Biturigum potitus, obſedit defendente Vercingetorige. Ex quibus intelligitur Gergobiam Boiorum opidum, & Gergouiam urbem Aruernorum, quam & *opidum Gergobiam* Cæſar ſemel appellat, duas duarum Gentium urbes fuiſſe diverſas, nec quidquam præter nomen habuiſſe commune. Gergouiam quoque Aruernorum ab Auguſtonemeto differre Joſ. Scaliger, & Maſſonus, & Savaro, aliique aſſerunt, & aliquot ſtadiis ab urbe Aruernis diſtare, ac veterem appellationem hodieque ſervare, & in eo monte ſupereſſe antiquitatis quædam veſtigia, & ruinas ædificiorum. Certè mons altiſſimus prope urbem Aruernos, in quo fuit ſita Gergouia, vocatur etiamnum *Gergoye*, u vocali eliſa. Ac ne quis dubitationi locus relinquatur, Strabo ambas Aruernorum urbes diſertè aperteque diſtinguit, alteram *Metropolim Aruernorum Nemoſſum*, ſive potiùs *Nemetum* ; alteram *Gergouiam Aruernorum urbem in celſo monte poſitam* vocans, Γεργοουίαν πόλιν τῶν Ἀρουέρνων, ἐφ' ὑψηλοῦ ὄρους κειμένην. Ex quo apparet Marlianum, & Samſonem qui eum ſequitur, falsò crediſſe Gergouiam & Auguſtonemetum eamdem urbem eſſe. In litteris Monaſterii S. Andreæ hæc legimus : *in Iuſſiaco, in Gergouia, in Fontantigia.* Item, *ratione arcis quam damus in Gergouia.* Hæ litteræ ſunt Guillelmi Comitis Claromontis & Delfini Aruer-

niæ, anno MCLXIX. datæ, & Gergouiam arcem ac locum a Claromonte apertè diſtinguunt.

Demum urbem Aruernos ſcriptores noſtri, quòd arte naturaque munita, & in celſo ideoque claro monte poſita eſſet, *caſtrum Clarummontem* appellavere: quod nomen ante annos ferè mille in uſu eſſe occœpit. Auctor æqualis qui res Geſtas Regis Pippini juſſu Illuſtris viri Nibelungi Comitis ſcripſit, primus omnium (ni fallor) *Claro montis caſtro* meminit his verbis. *Anno* X. *regni Rex Pippinus uſque urbem Aruernam cum exercitu veniens, Claremontem caſtrum captum atque ſuccenſum bellando cepit: Blandinum Comitem ipſius urbis Aruernica captum & ligatum ad præſentiam Regis adduxerunt. Poſtquàm Pippinus Rex urbem Aruernam cepit, regionem illam totam vaſtavit.* Et infrà: *Videns VVaifarius Princeps Aquitanicus, quòd caſtrum Claremontis Rex bellando ceperat.* Hic auctor nunc *urbem Aruernam* veteri, nunc *caſtrum Claremontem* novo nomine appellat. Niſi quis malit *caſtrum*, id eſt arcem urbis Aruernæ fuiſſe *Clarummontem*, à ſitu ita dictum, quod poſtea urbi toti nomen ſuum dederit: ſicuti Forum Cornelii, urbs Æmiliæ, ab arce ſua vel ut tum loquebantur *caſtro*, Imolæ nomen accepit. Paullus Langobardus X. (inquit) *provincia Italiæ Æmilia, ubi locupletes urbes Placentia, Parma, Regium, Bononia, Corneliique Forum, cujus caſtrum Imolas vocatur.*

In veteribus Rerum Francicarum Annalibus nunc *Clarusmons caſtrum in pago Aluernico*, ut & apud Nithardum & Lupum Ferrarienſem Abbatem; nunc *caſtellum Clarmont*; nonnumquam *caſtellum Clarmontis*, ſicuti Eginhardus in anno DCCLXI. appellat, & *Clarmons* nuncupatur: Aimoino & Hugoni Floriacenſi inter Aquitaniæ urbes egregias *Aruernus, quæ Clarusmons dicitur*. Roberto *in Bituricenſi provincia* II. *civitas Aruernis, quæ & Clarusmons.* Unde Gervaſius Tiſleberienſis, & quædam eo recentiores Notitiæ inter Epiſcopos Bituricenſi Metropolitano ſuffragantes *Claremontenſem* primo loco conſtituunt. Hodieque *Clermont* vocatur Auguſtonemetum ſeu Aruerni: & quia caſtrum Monsferrandi ei proximum eſt, uterque locus conjunctis nominibus ita deſignatur, *Clermont-Ferrand.* Quidam propterea quod multa ſunt ejuſdem nominis loca & caſtella in Gallia, Clarummontem Aruernorum cognominant, *Clermont en Auvergne*, ut diſtinguant à ceteris. Ibi hodieque eſt Moneta, *la tour de la Monoye*, in qua olim moneta percutiebatur: ibi & Capitolium, qualia Treuiris quidam, Toloſæ & Narbone Sidonius, Remis acta S. Macræ fuiſſe docent. Libri cenſuales urbis Aruernorum *Capitolium* memorant, quam domum publicam alii vocant, ubi pondera & menſuræ ponebantur.

Aruerniam Dio in libro XL. Hiſtoriæ Aruernidem vocat, τὴν Ἀρουερνίδα. Gregorius Aruernus, Turonicus Epiſcopus nunc *regionem Aruernorum* & *Aruernam regionem*; nunc *territorium Aruernum* appellat: nec rarò & regionem, & urbem ejus caput communi nomine *Aruernum* nuncupat, id eſt pagum Aruernum, opidum Aruernum. Scriptores rerum geſtarum Pippini veteres *pagum Aruernicum, pagum Aluernicum*, atque etiam abſolutè *Aruernicum* & *Aluernum* vocavere, ut Gregorius *Aruernum*. Noſtri *Auvergne* nominant, & in ſuperiorem ac inferiorem dividunt. Aruernia ſuperior ſeu montana, in Cebennis montibus poſita, dicitur pagus ſuperior, *le haut pays*; & ibi eſt opidum S. Flori, Epiſcopatus ſedes recentior: Aruernia inferior ſive plana nuncupatur regio inferior, *le bas pays*: ubi eſt Auguſtonemetum ſive Aruerni, caput Gentis, & vetus Epiſcopatus olim totius regionis ſedes.

Cebennas Fortunatus *Alpes Aruernas* vocat, id eſt montes Aruernicos; quum de Gregorio Aruerno, in Epiſcopatum Turonicum evecto ſic ſcribit.

Fortè decus generis Turonicenſis apex,
Alpibus Aruernis veniens, mons altior ipſis.

Sic nos Cebennas quà Aruerniam penetrant, montes Aruerniæ appellamus, *les montagnes d'Auvergne*.

Inferioris Aruerniæ urbes, opida atque caſtella ſunt Rupes fortis, Pons Giuoldi *Pont Gibaud*, Caſtellum novum, Manatenſe Monaſterium *Menat*, ad Cicaulam fluv. *Sioule*, Eborolacum vel *Eurogilum Palatium*, *Ebreule*, Clarus mons caput Gentis, Ricomagus *Riom*, Caſtrum VVidonis *Chaſteau Guion*, Volouicus *Volvic*, Artona *Artonne*, Cambidobrenſe Monaſterium & opidum *Combronde*, Aquaſparſa *Aigueperſe*, Scoralia *Eſcurolle*, Voluta *la Voûte*, Brivas *Brioude*, Iciodorum *Iſſoire*, Vicus Comitis *Vic le Comte*, Monſpetroſus, id eſt Monſſaxeus *Montpeirous* vulgò dictus à ſitu; Pons Caſtelli *Pont du Chaſteau*, Alſona *Auzon*, Celſinaniæ *Saucilanges* corruptè pro *Ceauſilanges*; Magnus locus Abbatiâ illuſter, *Manlieu*, Biliomagus *Billom*, Caſa-Dei *la Chaiſe-Dieu*, caſtrum S. Amantii, Lovolautrum *Volore*, Curua Petra *Corpiere*, Tigernum caſtrum *Tiern*, Ucio *Uſſon*, Talamita *Talande*. In ſuperiore Aruernia eminent Rupes Berulfi vel Rocca Berulfi *la Roque-Brou* ad Ceram fluvium, Mauriacum *Mauriac*, Aurelhacum *Aurillac*, Monſſalvius *Montſalvi*, caſtrum celſo monti impoſitum; Cartilatum non longè à Cera fluvio, *Carlat*; Vicus ad Ceram flumen *Vic*, Ricomagus alter vicus *Riom*, Interaquas ſeu Interamna *Antraigues* vel *Entragues*; Severiacum *Severac*, Petrafortis *Pierre-fort*, Oratorium *Ouradour*, Muratum ad Alanionem fluvium, *Murat ſur Alagnon*, Alantia *Alanche*; Aquæcalidæ in tabula Peutingeriana memoratæ, Sidonio *Calentes Baiæ, montana ſedes* dictæ, *Chaudes-Aigues*; S. Flori opidum Epiſcopale, monti duos inter rivos impoſitum, *S. Flour*. Hæc aliaque Aruerniæ qualis nunc eſt finibus continentur. Olim enim multo major exſtitit, antequàm Burbonenſi pago aliiſque finitimis pagis non contemnenda portio Aruerniæ attribueretur. Hæc regio Ducatum ſuum, ac etiam ſeparatim Comitatum habet. Eſt & prope Clarum Montem Cantobenna vicus *Chantoin*, à quo *crypta Cantobennenſis* & *arx Cantobennici Montis* Monaſterio clara à Gregorio dicuntur.

Pars inferioris Aruerniæ ad ſiniſtram ripam fluminis Elaveris, in qua Clarus mons, Ricomagus, Artona, Aquaſparſa, & Scoralia, *Limane*

dicta eſt ante annos mille, ut & nunc dicitur *la Limagne*. Certè ita Gregorius Turonicus Epiſcopus appellat, & nunc *Lemanem* feminini generis facit, nunc *Lemmane* & *Limane* neutri. In libri III. Hiſtoriæ Franciciæ capite IV. *Dicere erat ſolitus Rex* (Childebertus) *Velim unquam Arvernam Lemanem, quæ tanta jocunditatis gratiâ refulgere dicitur, oculis cernere.* & in libri V. capite XXXIV. *Anno V. Childeberti Regis Arvernorum regionem diluvia magna preſſerunt, itaut per dies XII. non ceſſaret a pluvia: Tantaque inundatione Limane eſt infuſum, ut multos ſementem jacere prohiberet.* Idem in libro de Gloria Martyrum, *ſicuti Lemmane veſtitum ſegetibus, nudum habetur à ſilvis*: & in libro de Gloria Confeſſorum incolas ejus regiunculæ *Limanicos* vocat. *Quidam* (inquit) *Presbyter ad hoſpitiolum cujuſdam pauperis Limanici manſionem expetiit.* Ex his apparet Joſ. Scaligerum falsò ſcripſiſſe, *planam Arverniam Aliman am* dici, & jam inde ab ætate Gregorii Turonici ita dictam eſſe. Quippe pars tantùm planæ Arverniæ vocata eſt olim Lemane, & nunc dicitur *Limania*, non *Alimania*.

Senatores Arvernos, id eſt nobiles & generis Senatorii, paſſim Gregorius, Arvernus & ipſe commemorat, in primis *Avitum unum ex Senatoribus, & civem Arvernum*; apud Arvernos *Epiſcopum Vrbicum ex Senatoribus converſum*; *Injurioſum quemdam de Senatoribus Arvernis*; *Venerandum è Senatoribus Epiſcopum ordinatum*; *Eucherium Senatorem Arvernum*; *Arcadium unum ex Senatoribus Arvernis*; *filias Senatorum* Arvernorum, à Chramno malè habitas; *primos ex Senatoribus* Arvernis, in prœlio Vogladenſi interfectos. Item in libro de Gloria Confeſſorum ſcribit, *audientes Senatores urbis* Arvernæ, *qui tunc in loco illo Nobilitatis Romanæ ſtemmate refulgebant appropinquare urbi Martinum, egreſſos eſſe in occurſum ejus cum equitibus* (id eſt equis) *& carrucis, cum curribus acredis*: quos infrà *Senatores Arvernos* appellat. Georgium quoque & Leucadiam parentes Galli, Arverni civis & Epiſcopi, *de primoribus Senatoribus fuiſſe* ait. Vita Præjecti Arvernorũ Epiſcopi *Geneſium virum inclytum, & Senatoria dignitate prælatum*, necnon *quoſdam ex Senatoribus Bodonem & Placidum* nominat, quos *Proceres Arvernorum* etiam nuncupat.

ASA PAULINI.

Aſa Paulini, aliàs *Aſa Pauli* inter Lugdunum & Tinurtium ponitur ab Æthico ſic. *Lugduno* M. P. XXIII. *aut per compendium* XVI. *Aſa Pauli* M. P. XV. *leugas* X. *Lunna* M. P. XV. *leugas* X. *Tinurtium* M. P. XVIIII. *leugas* XIV. *Matiſcone* M. P. XV. *legas* X. legendum corrigendumque eſt. *Lunna* M. P. XV *l.* X. *Matiſcone* M. P. XV. *l* X. *Tinurtium* M. P. XIX. *l.* XIV. Hoc & ſitus locorum exigit, & tabula Theodoſiana docet, hunc ordinem ſervans. *Lugduno caput Galliarum: uſque heic legas*: *Ludnam*, *Matiſcone, Tenurcio. Aſa Paullini* poſtea dicta eſt *Anſa* nomine quidem Latino, ſed tamen corrupto inſertione litteræ n ac depravato, Hodieque *Anſe* dicitur, & ſita eſt non procul ab Arari atque Lugduno, à quo IV. leugas abeſſe fertur, Synodo ibi quondam habitâ illuſtris. *Lunnam* autem vel *Ludnam* Simlerus falso Cluniacum eſſe exiſtimat, repugnante ſitu. Ego Bellumiocum (*Beaujeu*) caput pagi Belloiocenſis, (*Beaujolois*) aut potiùs *Bellamvillam* (*Belleville*) eſſe arbitror. Nam uterque locus eſt ad Arderiam amnem poſitus inter Aſam Anſamve & Matiſconem, æquali ab utroque diſtans intervallo: ex quibus Bellavilla parum abeſt à confluente Arderiæ (*Ardiere*) & Araris, & à vico Loz.

ASCIBURGIUM.

Locum ſemel atque iterum à Cornelio Tacito memoratum *Aſciburgium* inter Vetera & Noveſium collocat tabula Theodoſiana, & à Veteribus XIV. à Noveſio XVI. millia paſſuum abeſſe docet. Quem nunc vicum eſſe, inter Noveſium & Vetera vel *Santen* poſitum, atque *Aſchelburg* vocari, aliàs *Asburg* aſſerit Cluverius; & alterum eſſe ad flumen Mœnum Aſciburgium in Germania, *Aſcheburg* vulgò dictum.

ASILUM.

In ſtatuto Ludovici Aug. de Monaſteriis Regni Francorum ac Imperii, inter cetera *in Toloſano* pago memoratur *Monaſterium Aſilo*, alias *Manſi Aſili*. Vulgò dicitur hic locus veteri Monaſterio inſignis *le Mas d'Aſil*.

Aſilianum caſtrum memorat & Guillelmus de Podio Laurentii in Chronici capite XLIII. inter caſtra ad Narbonenſem & Carcaſſonenſem diœceſes pertinentia: itaut præter nomen habere nihil poſſit cum Monaſterio pagi Toloſani Aſilo commune. Et Aſilianum illud, fortè eſt *Caſillas* ad Atacem fluvium vicus Carcaſſoni proximus, *Aſillanum* etiam dictus in veteribus tabulis.

ASTENIDUM.

Aſtenidum in Capitulis Caroli Calvi memoratur inter villas Regias ob ſilvarum propinquitatem venantibus gratas & commodas, vulgò *Stenai* quaſi Stanacum, aliàs & *Aſtenay*: quam *Satanacum* poſteriores Carolo ſcriptores vocavere, in primis Gerbertus in epiſtola CIII. *Nam quia Dux Theodericus Satanacam villam pervaſit*: in epiſtola CXX. *villam Satanicum* eam appellat.

In ejuſdem Caroli Regis Capitulis *pagus Stadiniſus*, id eſt Stadinenſis ab *Stadino* ſeu *Aſtenido* dicitur: (Nam unum idemque eſſe puto) & inter pagum *Vonziſum* & *Pertiſum*, hoc eſt Vongenſem & Pertenſem collocatur: ſimiliter Frodoardo in Hiſtoriæ Remenſis libri II. capite XVIII. *pagus Stadonenſis* inter *Caſtricenſem* & *Catalaunenſem*. Villa fiſcalis fuit ad ripam fluminis Moſæ Moſomagum inter & Villam Francam. Theodericus Epternacenſis Monachus & Albericus Dagobertum quem falsò Regem appellant, Satanaci ſepultum eſſe ſcribunt. *Eccleſiam S. Dagoberti Martyris apud Satanacum villam* in litteris anno MLXIX. datis vocat Godefridus Dux & Marchio, à quo ea Gorziæ Monaſterio donata eſt.

ATANACUM.

Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri de Gloria Martyrum capite XLIX. de XLVIII. Mar-

tyribus Lugdunenſibus ac Viennenſibus ita ſcribit. *Locus ille in quo paſſi ſunt, Atanaco vocatur, ideoque & ipſi Martyres à quibuſdam Atanacēſes vocantur.* Idem eiſdem verbis Ado Viennenſis Epiſcopus in Martyrologio IV. Nonas Junii de XLVIII. Martyribus tradit. Atanacum, quod vulgò nunc corrupto nomine Ainacum dicitur, *Ainay*, extra urbem Lugdunum olim fuiſſe inter Ararim & Rhodanum propinquantes ac jamjam confluxuros, docui in Diſceptationis de Baſilicis Regiis Defenſione. Hodieque cùm Atanacenſe Monaſterium mœnibus Lugduni ante non multum tempus incluſum ſit, tamen horti Monaſterii a muris urbis viâ anguſtâ dividuntur. In eo ante urbem loco, qui nomine Gallico *Atanacum* vocabatur, anno V. C. DCCXLIV. ara Auguſto Cæſari cum templo ad confluentem Araris & Rhodani dedicata eſt à LX. civitatibus Galliæ, quarum etiam ſingularum ibi ſtatuæ viſebantur. Ibidem & ludos miſcellos, & certamen Græcæ Latinæque facundiæ edidit Caius Cæſar Caligula. Ibidem Amphitheatrum erat, quod & Ado *Arenam* vocat. Sæpe enim Amphitheatra extra urbes erant. Locus ad confluentem Araris & Rhodani hodieque nuncupatur vulgò platea Atanacenſis, *la Place d'Ainay*, eodem quo Monaſterium ibi ſitum nomine. Tradit Gregorius, *Chriſtianos ædificaſſe Baſilicam miræ magnitudinis in honorem* XLVIII. *Martyrum Lugduni paſſorum, & ſepeliſſe ſacros eorum cineres ſub ſancto altari*. quam Ado *Apoſtolorum Eccleſiam* vocatam aſſerit. Brunichildis Regina Reliquias B. Apoſtolorum Petri & Pauli quas à Gregorio Romano Epiſcopo impetraverat, videtur in Baſilica Atanacenſi collocaviſſe anno DXCVI. quam baſilicam extra muros Lugduni exſtruxiſſe, aut potiùs (ut aliis placet) reſtituiſſe, opibus auxiſſe, & Deo ſub Petri Apoſtoli nomine conſecraviſſe dicitur.

ATANUS.

Locus in quo Aredius Monaſterium condidit, villa ejus erat in pago Lemovicino, & *Atanus* vocabatur: nunc ab auctore *S. Irier de la Perche*. Poſtea cùm Atanenſe monaſterium deſolatum & ad paupertatem redactum eſſet, monachorum in locū XXXII. Canonici ſunt ſubſtituti, Abbaſque & Decanus eis præpoſiti. Nunc Cœnobium Atanenſe in Lemovicibus, ab auctore monaſterium S. Aredii dicitur, Decanumque habet, ac ſubjicitur Baſilicæ S. Martini, & circumpoſito opido nomen idem ac originem dedit: ut notavimus in libro XV. Rerum Francic.

ATAX.

Atax amnis, vulgò *Aude*, ex Pyrenæo monte demiſſus, per Electam & caſtrum agri Redenſis Limoſum, perque Carcaſſonem, Caput ſtagni *Capeſtain*, & Narbonem Martium in mare Gallicum decurrit, niſi ubi Narbonem attingit, nuſquam navigabilis. Lacus accipit eum Rubreſus nomine, ſpatioſus admodum, ſed quà mare admittit tenuis aditu, *l'Eſtang de la Rubine*. Mella, & Plinius Atacis fluminis & Rubreſi vel Rubrenſis lacûs meminere, Lucanus quoque hoc verſu.

Mitis Atax Latias gaudet non ferre cohortes.

Notus eſt Atax Straboni etiam & Ptolemæo, qui τῷ ποταμῷ Ἄτακος mentionem faciunt. Notus eſt & Fortunato in libro VI. Carminum hoc diſticho,

Excipit hinc Narbo: quà litora plana remordens
Mitis Atax Rhodani molliter intrat aquas.

Id eſt eaſdem aquas intrat quas Rhodanus: nimirum in mare Gallicum effluit, in quod & Rhodanus, quod *mare Rhodani* ab ejus amnis exitu oſtiove fortè eſt nuncupatum. At Brouverus cùm Fortunatum de confluentibus Araris & Rhodani loqui exiſtimaret, & leniter fluere Ararim ſciret, *Atax* mutavit in *Arar*, ac puerili errore Narbonem ad Ararim poſuit. Atacem autem lacus Rubreſus aut Rubrenſis, vulgo Spinianenſis dictus acceptum olim emittebat in mare. Nunc Atax poſtquàm Narbonem alluit, lacum non permeat, ſed foſſæ per Narbonem ductæ quam *Robinam* vocant immiſſus, in mare Gallicum effunditur ad VII. ab urbe lapidem. Cùm tamen ab urbe Arelato Rhodano appoſita, & ab ejus oſtio millibus paſſuum XXX. diſtante, ad Narbonem Martium ſint millia paſſuum CII. aut etiam CX. ut Itinerarium Æthici docet: impropriè admodum locutus eſſet Fortunatus, ſi *Atacem* fluvium Narbonis *aquas Rhodani* ſive mare Rhodani *intrare* dixiſſet. Quare exiſtimo verſum Fortunati eſſe depravatum, & unius litteræ mutatione corrigi oportere.

Mitis Atax Robani molliter intrat aquas.

Ita ut Robanus ſit *l'eſtang de la Rubine*, *lacus Rubreſus* Mellæ, Plinio *Rubrenſis lacus* dictus, poſterioribus *Robanus & Robina*: quem lacum olim Atax petebat ingrediebaturque, aut potiùs permeabat, etiam ætate Fortunati; *Adix fluvius* dictus in Appendice Chronici Fredegarii, nomine ad *Aude* accedente.

Ceterùm fallitur Strabo, quum ait *Atacem*, ut *Obrim* & *Araurarim* amnes *è Cemmeno* in mare delabi. Quippe Obrim quidem & Araurim è Cebennis, quos Græci montes Cemmenos vocant, delabi conſtat, ut & Mella aſſerit, & tabulæ indicant; aſt Atacem à Pyrenæo monte decidere & Mella & Plinius & loca ipſa docent.

Hic fluvius *Atacus* vocatur à Stephano Ἀταξός. Νάρβων ἐμπόριον καὶ πόλις Κελτική· ἔστι καὶ λίμνη Ναρβωνῖτις, καὶ ποταμὸς Ἀταξός: à Rufo Feſto Avieno *Atagus* & ſyllabæ cauſſâ *Attagus*.

Heic ſalſum in æquor amnis Attagus ruit.

ATEIÆ.

Villa Regia vel Fiſcalis fuit Regni Sueſſionici in pago Viromanduenſi ad flumen Suminam, nomine *Ateiæ*, vulgò *Aties*, ubi Radegundis puella, Toringorum Regum filia ac neptis educata eſt, antequàm Regi Chlothario nuberet: ut Vitæ ejus auctores docent. Multa alia ſunt ejus nominis loca in Gallia: quæ omnia *Atteias* ab Atteio aliquo conditore aut domino magis quàm *Ateias* nuncupari oportere exiſtimo. Niſi ſi Galli Noſtri, qui Romanis ſubjecti erant & linguâ Romanâ Latinave utebantur, *Atteias* dixere pro *Attegias*: quo nomine uſus eſt Juvenalis

Dirue Maurorum attegias, caſtella Brigantum.

Sunt autem attegiæ caſæ ruſticæ Opilionum, Caprariorum, ceterorumque agreſtium, quas Iſidorus capannas vocat, noſtri *cabannes*: à quibus caſulis vici multi facilè cognominari potuerunt.

ATTINIACUM.

Attiniacum, *Atigni*, villa fuit publica, Pippino, Carolo Magno & Ludovico Pio ac Carolo Calvo dominantibus notiſſima, & conventibus Gentis, ac legibus ibi latis (Capitula vocant) celeberrima ad ripam fluminis Axonæ. In antiquiſſimis Annalibus *Dambel*, hoc eſt Chilpericus Rex Franc. *anno* DCCXXVII. *in* villa Regia *Attiniaco mortuus* eſſe dicitur: cùm anno DCCXX. aut inſequenti obierit. In tribus vetuſtiſſimis Annalibus Francorum hæc legimus. *Pippinus Natalem Domini in villa quæ dicitur Attiniacus celebravit; & Paſcha in Heri ſtallio.* *Attiniacus* memoratur & Carolo Calvo in Capitulis, Lupo Ferrarienſi Abbati in epiſtolis, & cui non, aut ubi non? Ludovicus Pius anno DCCCXXII. in loco Palatiove Attiniaco publicam pænitentiam ex Sacerdotum conſilio de publicis malefactis ſponte ſuſcepit atque egit Anno quoque DCCCLXX. *apud Attiniacum Palatium* Synodus eſt habita. Villas Regias vel publicas, à potiore ſui parte *Palatia* vel *Palatia publica* appellitare mos erat.

ATTIPIACUM.

Attipiacum villa ad Axonam fluv. memoratur in Vita S. Medardi: ubi qui corpus B. Medardi ex urbe Noviomago aut certè Auguſta Veromanduorum deferebant, *apud Attipiacum villam ſuper ipſum Axonam tranſgreſſi* eſſe dicuntur, & adverſo flumine navigantes, ad urbem Sueſſionas perveniſſe. Attipiacum exiſtimo eſſe *Attichi*. P. enim Latinum in ch ſæpe mutamus, quum apium *ache* dicimus, Gamapium *Gamache*, ſpinam *eſchine*, appropiare *approcher*, ſepiam *ſeche*, Clippiacum *Clichi*. Atticiacum quidam mendosè pro Attipiaco vocant, quaſi ab Attico aliquo poſſeſſore ita cognominatũ ſit.

ATREBATES: ET ORIGIACUM AC NEMETACUM ATREBATIUM.

Atrebates XV. millia armata ad bellum Romanum pollicitos eſſe, & trans Sabin flumen unà cum Nerviis omnibus & Veromanduis finitimis ſuis adventum Romanorum exſpectâſſe, ſcribit C. J. Cæſar in ſecundo Commentario: qui Atrebatibus ſuperatis, Commium Regem ibi conſtituit, propter virtutem viri & conſilium ac fidem. *Hujus operâ fideli ac utili uſus eſt in Britannia Cæſar. Pro quibus meritis civitatem ejus immunem eſſe juſſit, jura legeſque reddidit, atque ipſi Morinos attribuit.* Poſtea ad Aleſiam obſidione liberandam Atrebatibus nominatim IV. hominum millia ſunt imperata. *Coactis equitum* VIII. *& peditum circiter* CCXL. *millibus; Commio Atrebati* præter ceteros *ſumma imperii tradita*, qui cum reliquis Gallis de libertate vindicanda conſenſerat, & contra populum Romanum Cæſaremque conjuraverat, neque beneficiis neque amicitiæ memoriâ motus. Is omnia fruſtra expertus, *parente Romanis civitate*, legatos demum ad M. Antonium miſit, & ſe imperata facturum obſidibus datis firmavit. Atrebates ergo, quibus unà cum Nerviis & Veromanduis victis Cæſar libertatem & leges abſtulerat, pro meritis Commii Atrebatis idem *immunes eſſe*, hoc eſt liberos juſſit, & jura eis legeſque patrias quas ademerat reddidit. Sed non diu ea libertate videntur gaviſi eſſe. Quippe nec à Plinio, nec à quoquam alio ex veteribus ſcriptoribus liberi cognominantur.

Ab Strabone dicuntur Ἀτρέβατοι, ſeu Atrebati; à Plinio in Belgica *Atrebates*, & à Floro in Epitome libri CXIV. T. Livii; à Ptolemæo Ἀτρεβάτιοι, hoc eſt Atrebates: ut eidem Οὐασάτοι ſunt Vaſates, Τρικάσσιοι Tricaſſes, Τουρούπιοι Turones, Οὐελιοκάσιοι Veliocaſſes, Οὐιδουκάσιοι Viducaſſes, Οὐαδικάσσιοι Vadicaſſes. Ἀτρεβάτιοι inquam à Ptolemæo vocantur, & ponuntur ad Sequanam, κατὰ τὸν Σηκοάναν: cùm à flumine Sequana longiſſimè abſint Atrebates, multis amnibus, præſertim Suminâ vel Somenâ interfluentibus, Veliocaſſibus, Caletis & Ambianis intercedentibus. Simili idem errore ſcripſit, Abrincatuos uſque ad flumen Sequanam pertinere: Μέχρι τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ Ἀβρινκατοῦοι: cùm medii ſint inter Sequanam & Ligerim Abrincatui, & hinc quidem Redonum atque Namnetum fines interjaceant, illinc Baiocaſſium & Lexoviorum. Ab Sidonio nuncupantur & Atrebates his verbis de Aetio & Majoriano,

> Pugnaſtis pariter, Francus quà Cloio patentes
> Atrebatum terras pervaſerat.

In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ appellantur modò *Atrebates* & *Atrevates*; modò *Atrabates* aut *Atravates*: *Atrepates* Oroſio, & in Hiſtoriæ Miſcellæ MS. libro VI. Hi in Britannia inſula condidere coloniam, *Calleuam Atrebatum*, à Venta Belgarum XXII. à Londinio XLIV. millibus diſtantem. Nũc à Latinis ſcriptoribus dicuntur *Arteſii*, nomine corrupto, & per tranſpoſitionem II. litterarum ex *Atrbates* facto: vulgò *Arteſiens*; *Artiſiens* in Chronico Rerum Flandricarum; *Artiſians* apud Bellaium in Vita Franciſci I. Francorum Regis.

Urbem Atrebatum Ὀριγιακὸν, *Origiacum* vocat Claudius Ptolemæus, cujus nullam alibi à quoquam mentionem factam reperio. Neque enim *Origiacum* illud, poteſt eſſe *Vogodorgiacum* vel *Vodogoriacum*, quod tabula Theodoſiana atque Æthicus in Itinerario provinciarum inter Bagacum Nerviorum & Geminiacum vicum, hoc eſt inter Bavacum & Gemblacum medium ferè ſtatuunt; repugnante locorum ſitu. Ubi notare convenit, Ptolemæum in deſcriptione Galliæ quum ſuam cuique Genti urbem attribuit, non aliam quàm primariam urbem ſeu caput Gentis aſſignare conſueviſſe: exempli causâ *Bellovaci, quorum urbs Cæſaromagus; Sueſſones, & eorum urbs Auguſta Sueſſionum, Remi, & urbs eorum Durocottorum; Ambiani, & eorum urbs Samarobriva*, &c. Cæſaromagus autem Bellovacorum caput eſt, Auguſta Sueſſionum, Durocortorum Remorum, Samarobriva Ambianorum. Itaque quum *urbem Atrebatum Origiacum* Ptolemæus appellavit, haud dubiè caput Atrebatum, quæ urbs poſtea nomine Gentis Atrebatæ vocari cœpta eſt, deſignare voluit. Cluverius tamen

ſimilitudine nominum adductus *Origiacum* Ptolemæi credit eſſe Orchiacum, *Orchies*, locum in Atrebatibus humilem & ignobilem, proximum Duagio. Quod ſi ita eſt, aut Ptolemæus in deſignando Atrebatium capite erravit; aut certè duo olim capita Gentis fuerunt, quorum alterum præcipuum ac primum Ptolemæus omiſit, alterum, videlicet Origiacum notavit.

Cluverius Atrebatium caput *Nemetacum* dictum eſſe ait: quem Samſon Geographus Regius ſequitur, adjiciens cum Joſia Simlero, *Nemetocennam* vel *Nemetocernam in Belgio* hiberna J. Cæſaris, Hirtio appellari, quam tamen Cluverius in Bellovacis collocare maluit. *Nemetocenna* vel *Nemetacum* nomen urbis Celticum; ut *Nemetes* Gallica Gentis ad Rhenum fluv. appellatio, & Auguſto-*Nemetum* Aruernorũ. *Nemetacum* autẽ inter *Minariacum* (*Merville*) & *Camaracũ*; item inter *Taruennam* Morinorũ & *Turnacum*; necnon inter *Taruennã* & *Camaracum* ponit Æthicus in Itinerario provinciarũ: & à *Nemetaco per cõpendium Samarabrivas* millia paſſuum XVI. numerat. Tabula Theodoſiana *Nemetacum* quoq; *Ternannam* inter & *Turnacum* collocat: qui ſitus Nemetaci alii urbi quam Atrebatis capiti Atrebatium convenire poſſe non videtur. In Notitia Imperii Romani reperitur *Præfectus Lætorum Batavorum Nemetacenſium, Atrabatis Belgicæ ſecundæ.* Quæ verba non favent Cluverio aliiſque, Nemetacum pro Atrebatis urbe accipientibus. Nam ſi Nemetacum eſſet Atrebatæ, ita ſcribi oportebat. *Præfectus Læt. Batavorum Nemetacenſium*, Nemetaci *Belgica* II. ut ibidem invenitur *Præfectus militum Maurorum Venetorum Venetis: Præfectus militum Maurorum Oſiſmiacorum Oſiſmiis: Præfectus militum Grannonenſium Grannona: Præfectus militum Bingenſium Bingio.* Alioquin ex ſuperioribus verbis de Nemetacenſium præſidio Atrebatis, non meliùs ac certiùs conficietur, Nemetacum & Atrebatas unam urbem eſſe: quàm affirmabitur Anderitum Gabalorum in Aquitania, Vicum-Julium eſſe ad ripam Rheni, aut Luteciam Pariſiorum ad Sequanam; vel Contraginnum & Noviomagum eamdem urbem eſſe, propterea quòd Notitia Imperii Rom. *Præfectum militum Anderitianorum Vico-Julio* in præſidio collocat, *Præfectum claſſis Anderitianorum Pariſiis*, & *Præfectum Lætorum Batavorum Contraginenſium Noviomago Belgicæ ſecundæ.* Hieronymus Surita qui Æthici Itinerarium notis illuſtravit, à Cluverio diſſentit, & Nemetacum quod nonnumquam Menetacum ſcribitur tranſpoſitis II. prioribus ſyllabis, *Maym* vel *Menim* in agro Inſulano interpretatur, parum feliciter ut equidem puto.

Sed ſive priſcum urbis Atrebatum nomen primò Origiacum, deinde Nemetacum fuit, ſive neutrum amborum, ſive alterum tantùm: de eo non ampliùs laborandum. Scire ſolummodò convenit, in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nunc *civitatem Atrabatum* vel *Atravatum*, uti *urbem Atrabatum* ab Alcuino in Vita Vedaſti; nunc *civitatem Atrebatum* & *Atrevatum* appellari: & ibi ac in Chronico Roberti inter XII. provinciæ Belgicæ ſecundæ civitates eam quinto loco ſtatui poſt Remos, Sueſſionas, Catalaunos & Veromãduos. At recentiores Notitiæ poſt annũ Domini MCC. factæ Atrebatas in VII. gradũ rejiciunt, nec Remis modò & Sueſſionis ac Catalaunis, ſed etiã Camaraco, Turnaco, Moriniſque ſeu Teruannæ poſtponunt; & Noviomagum quæ Auguſtæ Veromanduorum ſucceſſit, propter novitatem in nonum ordinem poſt Ambianos detrudunt. Ea urbs ad fluvium Scarpam qui in Scaldim influit, more multarum Galliæ urbium proprio nomine quodcumque illud fuit depoſito, appellationem Gentis cujus caput erat ſuſcepit. Certè ut jam ſuprà notavi, in Notitia Imperii vocatur *Atrabata*; *Atrabata* item vel *Atrabatis* à Frodoardo in Chronico; *Atrabatum* malè ab Aimoino inter Belgicæ urbes inclytas; ab Hieronymo in epiſtola ad Ageruchiam *Atrebata*: Germanicâ linguâ *Atrecht*, noſtrâ *Arras*. *Atrabates* autem Gentem pro Atrebatibus, & *Atrabatas* urbem pro Atrebatis Noſtri dixere: ſicuti *Catalaunos* pro Catelaunis, *Genavam* pro Geneva, & ſimilia.

Civitas Atrebatium nomen dedit *birris Atrebaticis*, quos Vopiſcus in Carino *birros ab Atrebatis petitos* vocat; & veſtibus xerampelinis, quas apud Suidam *Atrabaticas* dici reperio.

Pagus Atrebatenſis vel Atrebaticus, in Ludovici Pii A. diviſione Regni inter filios corrupto & mutilo nomine appellatur *Adertenſis* pro Atretenſis; t in d mutato, litteris r & e trãſpoſitis, ac tertiâ ſyllabâ videlicet *ba* ſublatâ; atque inter *Auſterban* & *Teruvanenſem* pagum ponitur. In Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum anno DCCCLIII. editis *Adertiſus* ſimiliter nuncupatur, aliàs *Aterdiſus*, id eſt *Adertenſis*: & inter *Vermendiſum* & *Curtriciſum* ſeu Veromandenſem & Cortoriacenſem pagos medius collocatur. Uſuardus *territorium Adartenſe* appellat. Nunc Latini ſcriptores parum Latinè *Arteſiam* vocant; Noſtri patriâ linguâ *l'Artois*: Teſtamentum Ludovici VIII. Franc. Regis anno MCCXXV. *Atrebateſium*.

Notat Samſon, diœceſin Atrebatenſem Comitatui Atrebatenſi non uſquequaq; reſpondere: cùm diœceſis Audomaropolitana, quæ majore ex parte Comitatu Atrebatenſi continetur, portio ſit veterum Morinorum ſeu Teruannenſis parœciæ. Duagium quoque & Orchiacum cùm ſint in finibus Atrebatium ſive in diœceſi Atrebatica, non ſunt tamen in Comitatu Atrebatenſi, ſed in Flandria Gallicana: Betunia quæ eſt in Comitatu & (ni fallor) etiam in Epiſcopatu Atrebatenſi, olim fuiſſe dicitur parœciæ Turnacenſis. Blanziacum in pago Taruennenſi, aliàs Blanciacum, *Blangy en Ternois* vulgò dictum, illuſtre Monaſterio S. Bertæ, quæ nunc Abbatia eſt Benedictinorum; & Rentica (*Renty*) loca ſunt quidem in Comitatu Atrebatenſi, ſed in finibus Morinorum, non autem Atrebatium: cùm ambo Epiſcopum Bononiæ urbis Morinorum agnoſcant.

ATTUARII ET ATTUARIÆ IN GALLIA.

Attuarii, Franciæ Gens Rheno conjuncta; ab Strabone proximi Chattis *Chattuarii*, Χαττουάριοι; *Attuari* à Velleio, inter Caninefates & Bructeros; ab Ammiano Marcellino in libro XX. *Attuarii*; à Tacito *Chaſuari* prope Chamavos; à Ptolemæo *Caſuari*, Κασουάροι; in veteribus rerum Francicarum Annalibus *Hat-*

tuarii atque *Hazzoarii* vocantur.

Eorum regio trans Rhenum in Germania, nota adhuc erat principatu Ludovici Pii, *Attuaria* nomine Gentis dicta, aut corruptè *Atoarua*: quam Ludovicus Aug. commemorat in Diviſione Regni ſui inter filios, & inter Toringiam ac Saxoniam regiones utique Transrhenanas ponit, apertè indicans & Attuarias ſuas trans Rhenum in Germania exſtitiſſe. *Ad Bajuvariam totam Toringiam, Ribuarias, Atoarias, Saxonia, Friſia.* Attuariorum nomen retinet hodieque opidum Transrhenanum ad flumen Lupiam, *Hatterch*, aliàs *Halteren* vulgò dictum. Hæc regio, vetus patria fuit Attuariorum eorum, qui in Galliam tranſlati ſunt, aut ſponte commigraverunt.

Animadverto igitur Attuarios partim in provincia Germania ſecunda vel inferiore circa Bataviam & pagum Moſanum inferiorem, partim in provincia Lugdunenſi prima inque finibus Lingonum ſedes habuiſſe, & utrique regioni nomen ſuum dediſſe. Ambæ enim *Attuaria* vel *Hattuaria* ſunt dictæ.

Attuarias in Germania II. inter Bataviam & Moſanum pagum memorat Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta his verbis. *Comitatum Teſtrebant, Batua, Hattuarias, Maſau ſubterior de iſta parte*, &c. Ejuſdem pagi meminit Chronicon Monaſterii Laureshamenſis ſeu S. Nazarii, de Lothario Aug. Ludovici Pii filio ſic referens. *Lotharius Anſfrido tunc Palatino Comiti, illuſtri & ſpectabili viro, ob egregia merita prædium ſuum in Geizefurt in pago Hattuarienſi ſuper fluvium Nerſe, & in pago Laumenſi in villa Sodeia ſuper fluvium Geldione jure proprietatis contradidit: quod poſtea idem Anſfridus Laureshamenſi Monaſterio ſub Abbate Dietricho contulit.* Litteræ Lotharii Imper. de eadem re ita referunt. *In pago Hattuarienſi, & in villa quæ vocatur Geizefurt ſuper fluvium Nerſe:* litteræ Ansfridi Comitis ita: *in pago Hattuaria, in villa quæ dicitur Geizefurt, quæ ſita eſt ſuper fluviũ Nerſa. Pagus* igitur ille *Hattuarienſis*, vel *pagus Hattuaria* aut *Hattuarie*, in Gelria jacebat ad fluvium *Nerſam*, *Neriſium* Cluverio dictum, vulgò *Neers*, qui inter Rhenum & Moſam medius defluit, & VVachtenduncam, Gelram caput Ducatus cognominis, Goch, aliaque Clivenſium opida præterlapſus, decurrit in Moſam apud Gennapiam. Nerſa autem ille proximus erat Bataviæ & pago Moſano. Itaque cum in Geſtorum Francorum capite XIX. *Dani per altum mare Gallias appetiiſſe, & Theudericus pagum Attoarios, vel alios devaſtâſſe* dicuntur: & cùm in veteribus Annalibus noſtris invenimus, anno DCCXV. *Saxones devaſtaviſſe terram Hattuariorum*, vel *Hatuariorum*, vel *Hazzgariorum*, vel *Chatuariorum* aut *Hattariorum*: utri Attuarii utrubique deſignentur, Ciſrhenani ad Nerſam prope Bataviam, an Transrhenani, incertum eſt.

Aliæ ſunt in finibus Lingonum Attuariæ vel Hattuariæ, quas Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXIX. *Comitatum Hatoariorum* vocant, & in Burgundia inter Comitatus Cabillonenſem ac Lingonicum ponunt hiſce verbis. *Comitatum Cavallonenſem, Comitatum Amaus, Comitatum* Hatoariorum, *Comitatum Lingonicum.* Hattuarias nuncupant Capitula Caroli Regis apud Silvacum anno DCCCLIII. edita, & inter pagos Cabillonenſem ac Tornodorenſem collocant. *In Auguſtuduno, Matiſconenſi, Divionenſi, Cabillono*, Hatuariis, *& in Tornedriſo, & in Belniſo*, &c. In Chronico Sancti Benigni ante annos DC. compoſito *Hugo Attoariorum Comes* ab eo pago cognominatus memoratur. In Chronico Beſuenſi nunc *pagus Atoariorum*, nunc *pagus Atoarienſis* & *Comitatus Atoarienſis* nuncupatur: quod idem eſt ac *Comitatus Atoariorum* ſupra. Quippe ſingulis pagis ſuus & unus modò plerumque præerat Comes: itaut pro pago Comitatus, pro Comitatu pagus ſæpe acciperetur. In Chronico Monaſterii Beſuenſis Atlardus *res juris ſui ſitas in pago Atoarienſe, in loco qui dicitur Buſtellus*, vendit Domino Alberico Ling. Epiſcopo. Item *in pago Atoarienſe, in villa quæ dicitur Maaſcus.* Ibidem hæc in litteris donationum reperio. *Campum qui eſt ſitus in pago Atoariorum, in villa Auxiliaco, & habet terminationes, de una fronte Vincennam fluvium percurrentem.* Ib. *Iſaac dedit Monaſterio Beſuenſi manſum unum, qui eſt in pago* Atoarienſi, *in villa quæ dicitur Lucuſmedianus, & habet terminationes, de una fronte Tilam fluvium procurrentē, de alia ſtratam publicam.* Item, *in pago Atoariorum, in villa Novo vico:* Item, *in pago Atoariorum, in villa quæ dicitur Pontus: in pago Atoariorum, in loco qui dicitur Vivarius: in Comitatu Atoarienſe, loco dicto Nova villa.* In litteris Joceranni Epiſcopi Lingonenſis datis anno MCXIX. *deſerta cujuſdam, ſolitudinis in territorio Attoarenſium juxta flumen Ararim poſita* memorantur, & ab eo dantur Beſuæ circa villam Mentiſcam. Ex quibus intelligitur pagum illum Hattuariorum vel Comitatum Attuariorum jacuiſſe ad Vincennam & Tilam ac Ararim flumina. *Vincenna* autem *fluvius*, Fredegario etiam memoratus, vulgò *Vingenne* dicitur, & in Ararim effluit, ut & Vernela, & Tila vel Tilla, *Tille* à noſtris nuncupatus. Hic pagus proximus erat pago Oſcarenſi, & Tornodorenſi ac Lingonico, & Monaſterium Beſuenſe in finibus ſuis habebat.

Attuarii, Francica Gens, capti & tranſlati à Conſtantio Chloro Cæſare in partem pagi Lingonici, nomen ei pagi Attuariorum videtur dediſſe. Certè Eumenii in Panegyrico Conſtantio Cæſari dicto verba ſunt hæc: *Nunc per victorias tuas, Conſtanti Cæſar invicte, quidquid infrequens Ambiano & Bellovaco, & Tricaſſino ſolo Lingonicoq; reſtabat, Barbaro cultore revireſcit.* De Frãcis loquitur, qui Carauſium & Allectũ juverant.

ATUR FLUVIUS.

Atur, Aturi veteres declinavere, ut ſatur, ſaturi: uti indicat Lucanus in libro I.

Tum rura Nemetis
Qui tenet & ripas Aturi, quà litore curuo
Molliter admiſſum claudit Tarbellius æquor.

Ab Tibullo in elegia ad Meſſallam *Atur* quoque memoratur his verbis.

Hunc fore, Aquitanas poſſet qui fundere Gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.

Sed heic *Atur* omnino (ni fallor) non eſt nomen fluvii, ſed populi ad Aturum amnem ſedem habentis: quod nomen populi declinandum eſt *Atur, Aturis*, ſicut Aſtur Aſturis.

Atures autem iidem qui Aturenſes. Vibius Sequeſter ejuſdem fluvii meminit. *Atur Tarbellæ civitatis Aquitaniæ, in Oceanum fluit.* Ubi mendosè quidam legunt *Atyr*, quemadmodum apud Lucanum *Atyri* pro Aturi. Atur porrò per Aquas Tarbellicas & Lapurdum Tarbellorum in Oceanum effluit. Ab Ptolemæo vocatur ὁ Ἄτουρις, declinatúrque Ἄτουρις, τοῦ Ἀτούριος. Atur inquam à Ptolemæo vocatur *Aturis*, ut Arar à Dione & Claudiano aliiſque non paucis *Araris*, ὁ Ἄραρις; Liger à quibuſdam, ſed recentioribus *Ligeris*. Poſteriores ſcriptores, Auſonius, atque alii *Aturrum* dixere. Verba Auſonii ſunt.

Per ſaxa rotantia latè
Inmare purpureum Tarbellicus ibit Aturrus.

Tarbellicum Aturrum Auſonius non ſine cauſſa cognominat. Nam hic fluvius majore ex parte Tarbellorum eſt, cùm per Aquas Tarbellicas & Lapurdum Tarbellorum ſive Baionam decurrat. Atur nomen vetus ſervat. Vocatur enim *l'Adur*, ac ſæpiùs *l'Adour*, litterâ t in d mutatâ, & u in ou converſo: ſicuti Noſtri ex catena faciunt *cadene*, ex intybis *endives*, ex Gabalitano *Gevaudan*, ex Gratianopolitano *Greſivodan*; necnon ex putrido *pourri*, ex pullo & pulla *poullet* & *poulle*, ex pulſare *pouſſer*, ex bullire *boüillir*, ex currere *courir*, ex turri *tour*, ex curia *Cour*, ex curte *Court*.

Hic fluvius nomen dedit pago ad ripam ſuam jacenti, quem ab Aturi ripa *Aturi-ripenſem* vocitant, *pays d'Auribas*, inter opidum S. Severi & Aquas Tarbellicas.

Tibulli in ſuprà laudato Carmine ad Meſſallam verſus ſunt hi.

Non ſine me eſt tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Teſtis, & Oceani litora Santonici.
Teſtis Arar, Rhodanuſque celer, magnuſque Garumna,
Carnuti & flavi cærula lympha Liger.

Ubi *Tarbellorum* quidem, & *Pyrenæi* montis, & *Oceani Santonici*, ac *Garumnæ Ligeriſque* fluviorum rectè fit à Tibullo mentio, Meſſallæ ex Aquitanis victoriam deſcribente; *Araris* & *Rhodani* non item. Quid enim hæc II. flumina ad Aquitanos pertinent, cùm tantopere ab eis abſint? Quare duarum litterarum mutatione ita III. verſum emendandum puto.

Teſtis Atur, Doranuſque celer, magnuſque Garumna,

Doranus vel *Duranus*, qui ſuprà tranſpoſitis III. prioribus litteris *Rodanus* mendosè appellatur, eſt Duranius qui in Garumnam effluit, *Durani amnis* Auſonio dictus: *Atur* eſt fluvius, qui Aquas Tarbellicas & Lapurdum attingit.

ATURENSES ET VICUS JULI.

Aturenſes à flumine Aturo cui ſunt appoſiti, nomen accepere, Gens provinciæ Novempopulanæ priſcis Geographis incognita, ac forſitan quondam pars Tarbellorum. Veteres Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ, omnium primæ Aturenſium mentionem faciunt, & provinciæ Novempopulanæ civitatibus XII. *civitatem Aturenſium* octavam adnumerant; quædam nonam, in qua *civitas Aturenſium Vico Juli* nuncupatur. Nimirum urbs Aturenſium *Vicus Iuli* & *Vicus Iulienſis* dicta eſt. *Vicum Iulienſem urbem* Gregorius in capite VII. libri IX. appellat, & in libri VII. capite XXXI. Pactio Guntchramni & Childeberti Regum *civitatem Vicum Iuli*; Vita Filiberti Abbatis Gemeticenſis *urbem Vicum Iuli*. Concilio Agathēſi Petrus Presbyter miſſus à *Marcello Epiſcopo de civitate Vico Iuli* ſubſcripſit; Concilio Matiſconenſi II. *Ruſticus Vicojulienſis Epiſcopus*, Ruſticus *Vici Iulienſis Epiſcopus* à Gregorio dictus in libro Hiſtoriæ VII. Fallitur Oihenartus, qui à Juliaco, (*Iuliac*) loco vicino civitati Aturenſium, Epiſcopos Aturenſes dictos nonnumquã eſſe *Epiſcopos Vicojulienſes* putat, ut Epiſcopi Carnuteni vocati ſunt nonnumquam Epiſcopi Dunenſes. Idem Vicum Juli à Nortmannis everſum ait, quod alibi legere non memini. *Sub termino Vici Iulienſis*, id eſt in agro pagove Aturenſi *eſſe tres Presbyteros conſepultos apud vicum Atroam* ſcribit Gregorius.

Urbs Vicus Juli, Gentis nomine appellata eſt & *Atura*, atque etiam *Adura*, vulgò *Aire*, aut potiùs *Aires*. Ait Anianus ſe Codicem Theodoſianum edidiſſe *Aduris* ac ſubſcripſiſſe. Sidonii in epiſtola I. libri II. verba ſunt hæc. *Redit ipſe Catilina ſeculi noſtri nuper Aturribus, ut ſanguinem fortunaſque miſerorum, quas ille ibi ex parte propinaverat, heic ex aſſe miſceret.* Pro *ille ibi*, *illic* legi malim; pro *Aturribus*, *Aturibus*. Hæc Anthemii principatu geſta eſſe ipſa epiſtola docet, in qua ſcribit Sidonius *Catilinam ſeculi ſui*, id eſt (ni fallor) Seronatum Præfectum Prætorio Galliarum, hominem crudelem & avarum, paullo antè Aturribus in urbem Arvernos revertiſſe, ubi multo quàm in ſuperiore civitate ſit peiora & atrociora facturus. At conſtat Valiæ Veſigothorum Regi unà cum Aquitania II. datam fuiſſe ab Honorio Aug. Novempopulanam, cujus provinciæ urbem Aturas præ ceteris Alarico juniori, Veſigothorum Regi à Valia ſexto paruiſſe ſuprà indicavimus. Nihil igitur in Gothicæ ditionis urbem Aturas Seronato licere judici Romano potuit: atque omnino additione duarum litterularum ita reſtituendum in integrum Sidonium arbitror. *Redit ipſe Catilina ſeculi noſtri nuper à Turonibus:* quæ urbs erat tum adhuc Romanæ ditionis unà cum Biturigibus & Arvernis. Mendum ortum eſt ex compendio ſcripturæ *à Tūribus* pro *à Turonibus*: quod quia legentes non intelligebant, pro *Aturribus* vel *Aturibus* acceperunt. At *Aturenſes* quidem dici conſtat; *Aturres* nuſquam invenio. *Turones* urbem ipſam vocavit Sidonius pro *Turonos*, ut Auſonius, & ipſe *Vaſates* urbem pro *Vaſatas*, Ammianus *Senones* urbem pro *Senonas*.

Aturenſem Epiſcopum nonnumquam dictum eſſe *Epiſcopum Vaſconenſem* à vico *Vaſcone* diœceſeos Aturenſis; Epiſcopum etiam Martianenſem à Martiano, *Mont de Marſan*, Oihenartus ſcribit. Fides ſit penes auctorem.

In Aturenſi diœceſi clariſſimum eſt opidum, S. Severi Monaſterio & nomine illuſtre, quod idem auctor *caput Vaſconiæ* olim dictum ait, quoniam totius regionis eſſet caput: *S. Sever Cap de Gaſcogne*. Ego malim *caput Vaſconiæ* pro initio Vaſconiæ accipere: ut Lugdunum

Batavorum *caput Germaniarum* dictum reperio. Certè hoc Monaſterium vel opidum non longè abeſt à flumine Garumna Vaſconiæ termino, & à diœceſi Burdigalenſi, quæ eſt Aquitaniæ ſecundæ.

AVALLOCIUM.

Avallocium memoratur à Gregorio Turonico Epiſcopo in libri Hiſtoriæ Francicæ IV. capite XLIV. his verbis. *Denique ſentiens Chilpericus, quòd ſcilicet Guntchramnus relicto eo ad Sigibertum tranſiſſet, caſtra movit, & uſque ad Avallocium Carnotinenſem vicum abiit.* Ejuſdem fit mentio in Vitæ S. Leobini Carnutenſis Epiſcopi a Fortunato ſcriptæ cap. XVII. *Cum Leobinus ex more Pontificum parœcias circumeundo viſitaret, & Avallocium perveniſſet.* Et in capite XVIII. *Dum Glorioſiſſimus Rex Childebertus B. Leobinum Epiſcopum Rotoialo ſperaret ad ſe venturum, & in ipſo itinere accederet Avallovico: oblatus eſt ei quidam hydropicus.* Ubi legendum eſt omnino *Avallocio*. Nimirum Leobinus non Autrico Carnutum, ſed Caſtroduni aut quo alio propinquo ei ſuæ diœceſeos loco profectus, per Avallocium petebat Rotoialum villam Regiam, in qua Childebertus commorabatur.

Avallocium eſſe *Allui*e, vicum in Carnutibus ad flumen Lidericum, quem poſtea truncato nomine *Allocium* vel *Allogium* vocavere, primus omnium obſervo. Villam *Alogiam* Fulbertus Carnutinæ Eccleſiæ Epiſcopus in epiſtola XXIII. nuncupat.

AVEDONACUM VEL AUNEDONACUM.

Tabula Peutingeriana inter Mediolanum Santonum & Rarаunam opidum Santonum *Avedonacum* ſtatuit ſic. *Sinus Aquitanicus, Burdegala, Blavia, Tamnum, Mediolano Satonum, Avedonaco, Brigioſum, Rarauna.* Idem facit Æthicus in itinere à Burdigala Auguſtodunum. *Blavuto* M. P. XIX. *Tamnum* XVI. *Novioregum* XII. *Mediolanum Santonum* XV. *Aunedonacum* XVI. *Rauranum* XX. Hoc iter fit ſecundo flumine Garumna per caſtella & loca ei appoſita. Blavia enim eſt *Blaye*, *Blavutum* & *Blautum* in Æthici codicibus mendoſè ſcripta: Tamnum eſt *Talmon*, *Talemont* in tabulis corruptè appellatum: Novioregum interpretor *Royan*. Mediolanum Santonum *Saintes* eſſe nemo neſcit. Avedonacum vel Aunedonacum eſt *Aunay*; in Æthici codicibus priſcis nunc *Aunedonnacum*, nunc *Aunedunnaca* & *Avedonacum* dictum: à quo *pagus Aunedonacenſis* nomen accepit, *le pays d'Aunis*. Plerique ignorantiâ antiquitatis caput pagi *Alnetum* quaſi ab alnis, ipſum *pagum Alnetenſem* nuncupant. Brigioſum videtur eſſe vicus *Brion*; Rarauna vel Rauranum *Ron* vel *Rom*. In litteris datis anno MCXLV. *pagus Alniſienſis* corruptè dicitur, *Caſtrum Iulii ſupra mare poſitum in pago Alniſienſi.*

AVENIO CAVARUM.

Inter *urbium quas habet Gallia Narbonenſis opulentiſſimas*, tertio loco memoratur à Mella *Avenio Cavarum*: quâ & Coloniam fuiſſe ſatis apertè indicat, cùm ceteras urbes quas opulentiſſimis Galliæ Narbonenſis adnumerat, ſi Vaſionem excipias, Colonias Romanas fuiſſe conſtet. Certe in nummo Galbæ *Col. Avenion.* id eſt Colonia Avenion vel Avenionenſis vocatur; Ptolemæo quoque in Cavaribus quos Cavaros nuncupat, *Avenion Colonia*, Αὐενίων Κολώνια. At Plinius tamen Avenionem opidum Latinum facit. *Opida* (inquit) *Latina Aqua Sextia Salyorum, Avenio Cavarum, Apta Iulia Vulgientium, Alebece Reiorum Apollinarium, Cabellio, Nemauſum, Toloſani Tectoſagi*: quæ ſex urbes ſicut Avenio Coloniæ fuerunt, & nihilominùs à Plinio unà cum Avenione inter opida Latina ſeu jure Latii donata numerantur: quod ſemel monuiſſe ſufficiat. Stephano dicitur *Avenion urbs Maſſiliæ*, Αὐενίων πόλις Μασσαλίας. Maſſiliam autem Græci ſeu Maſſilienſem regionem vocavere totam ferè oram provinciæ Narbonenſis II. cum parte Narbonenſis I. & Viennenſis. Quòd ſi Avenio Maſſilienſium fuit, uti ait Stephanus: neceſſe eſt Arelatum & Taraſconem Salyorum urbes, atque etiam Cabellionem Cavarum, Maſſilienſis regionis ac ditionis exſtitiſſe. Sunt enim inter Maſſiliam & Avenionem poſitæ. Certè *Cabellionem urbem Maſſiliæ* ſeu Græciæ fuiſſe idem Stephanus docet. Tabula Theodoſiana *Avennionem* nuncupat; *Avennionem urbem* & Gregorius in libri II. capite XXXII. *civitatem Avennicam* in libro VI. *Avennicam urbem* in libro X. Veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ *civitatem Avennicorum* appellant, & inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. ponunt nunc XI. loco, nunc XII. Fredegarius, quem noſtri Auctores ſequuntur, *Avennionem caſtrum*; Geſta Francorum *Avennionem civitatem ſuper Rhodanum* vocant; recentiores corruptè e in i verſo *Avinionem*; Robertus *civitatem Avinionum*, item *Avennum*. Poſita eſt urbs ad ripam ſiniſtram Rhodani, inter Sulgam, (*la Sorgue*) & Druentiam (*la Durance*) in Rhodanum effluentes. Feſtivus eſt auctor Geſtorum Ludovici VIII. Franc. Regis Poëta quidam, Nicolaus de Braia, quum *Avinionem*, quem fusè deſcribit; ut & Gregorius noſter in libri VI. capite XXVI. *à vino* nomen accepiſſe putat.

Lyæi
Palmite: ſortitur hinc nomen Avinio dicta.

Ager quidem circa Avenionem vineis & olivetis abundavit, ut Gregorius in libri IV. capite XXXII. tradit: ſed à vineis aut *à vinis* ſuis nomen minimè accepit, cùm nomen Gallicum urbis Gallicæ ſit *Avenio*, ex quo mutatione litteræ e in i Avinionem poſteriores fecerunt. Noſtri *Avignon* vocitant. Primus Marius in Chronico *Marcam Childeberti Regis Avinionem* appellavit. Concilio Epaonenſi in Burgundia regnante Sigiſmundo interfuit Pelagius Presbyter *juſſu D. Salutaris Epiſcopi civitatis Avennica*: ubi emendandum eſſe *Aventica* docui in libro VII. Rerum Francicarum, propterea quòd Aventicum Burgundionum Regibus parebat; Avenio autem tum ſub ditione Theoderici Regis Oſtrogothorum erat. Concilio Aurelianenſi V. adfuit *Marinus Presbyter, miſſus ab Antonino Epiſcopo Eccleſiæ Avennicæ*, qui Antoninus Concilii Arelatenſis V. decretis ſubſcripſit; Synodi Matiſconenſis II. ſtatutis *Iohannes Epiſcopus ab Avenione.*

Urbs hæc à Pontificibus Romanis in Metropolim evecta eſt, cùm antea Arelato ſuffragaretur, & Vaſio, Cabellio, Carpentoracte, ſedes olim provinciæ Arelatenſis, ei ſubjectæ; quæ IV. urbes ad Eccleſiam Romanam pertinent. Caput autem eſt Avenio Comitatûs Avenionenſis vel Avennici, *Comtat d'Avignon*, à Comitatu Vindauſcenſi diviſi.

Comitatus vel pagus Avennicus vocatur à Gregorio in libro IV. & à Fredegario *Avennicum territorium*. Et pagi & urbis incolæ Latinis ſcriptoribus *Avennici* & *Avenionenſes*; Noſtris *Avignonois* dicuntur.

Eſt ejuſdem nominis caſtrum in Septimania, Avenio nimirum aut *Avinio*, à Petro in capite LXII. Hiſtoriæ Albigenſium memoratum. *Nomina caſtrorum quæ intra III. ſeptimanas recuperavit Comes, ſunt iſta: Caſtrum Cuc, Mons Maurus, S. Felix, Caſſer, Monſferrandus, Avinio.* Avinio vulgo, truncato capite nominis, dicitur *Vignonet* pro *Avignonet*, id eſt parvus Avinio, & eſt caſtrum in diœceſi S. Papuli poſitum, non procul à caſtro S. Felicis (*S. Felix*) remotum, proximum autem Montiferrando caſtro, *Montferrand*. *Avinionetum Toloſanæ Diœceſis* vocat Chronicon Simonis Comitis Montisfortis; *caſtrum Avinionetum* Ludovicus IX. Francorum Rex in Pactione cum Raimundo Comite Toloſano.

AVENTICUM.

Aventicum gentis Helvetiorum *caput* Tacito in libro I. Hiſtoriarum dicitur; Ptolemæo malè Avanticum, Αὐάντικον Sequanorum in Gallia Belgica; in tabula Peutingeriana *Aventicum Helvetiorum*; in Itinerario Æthici *Aventiculum Helvetiorum* inter Minodunum vel Minnidunum & Petenifcam vel Petineſcam. Eam urbem Ammianus Marcellinus imperitè in Alpibus Penninis ponit, quum in libro XV. ita ſcribit. *Alpes Graiæ & Penninæ exceptis obſcurioribus, habent & Aventicum, deſertam quidem civitatem, ſed non ignobilem quondam.* In veteribus Notitiis *civitas Elvitiorum Aventicus* in provincia Maxima Sequanorum; item *civitas Elvitiorum Aventicum*: nobis *Avenche*, vulgo *Vviflisburg* nuncupatur.

Ex ea urbe diruta & fere in vicum redacta Epiſcopatûs ſedes Lauſannam tranſlata eſt. Unde in quadam Notitia ponitur in Sequanis poſt Veſontionem *civitas Lauſanna, quæ priùs Aventicus civitas Elvitiorum*, id eſt cujus Epiſcopatus antea fuit Aventici. Hæc urbs quondam Tranſiurenſibus Burgundiæque attribuebatur cum *pago Aventicenſi*, à Fredegario Aimoinoque memorato.

Si Fredegario credimus, eam Flavius Veſpaſianus Aug. poſt ſuperatos rebelles Germanos *ædificari*, hoc eſt reparari juſſit, & inchoatam ac filio ſuo Tito perficiendam reliquit, à quo glorioſè ornata, & nobiliſſima in Gallia facta eſt: ſed ab Alamannis principatu Gallieni vaſtata. Unde ætate Ammiani Marcellini, poſt Gallienum centum ac viginti annis *non ignobilis quondam civitas*, deſerta erat atque ſemiruta.

Vviflisburg nunc dicitur; aut ſi Guillimanno credimus, *Vivelsburg*, hoc eſt *Vivilonisburgus*, à Vivilone Comite, qui eam reparavit reſtauravitque. *Vviſliſpurg* quædam tabulæ appellant, aliæ *Vviſlisburg*, quæ tria nomina ad *Vivilonis* vocabulum magis accedunt quàm *Vvüflisburg*, u in f ex more converſo: ut in multis nominibus Latinis Noſtri fecerunt. Navim enim *nef* appellitant, clavem *clef*, ovum *œuf*, novum *neuf*, breve *bref*, Amblavam *Amblef* fluvium ac locum ei adſitum, nervum *nerf*, cervum *cerf*, ſervum *ſerf*, grave *grief*, bovem *beuf*, novem *neuf*, vivum *vif*, captivum *captif*, laſcivum *laſcif*. Ut uno verbo cuncta complectar, quotquot Latina nomina in *vus* deſinunt, cùm ſubſtantiva tum adjectiva, apud Noſtros in *if* deſinunt.

Adjacet Aventicum lacui Murtenenſi qui Novoburgenſi proximus eſt, pro vico magis quàm pro municipio nunc habendum. Magno qui Notas Tironis & Senecæ aliorumque collegit, ac more Ptolemæi ſuum cuique Genti caput ſubjicere conſuevit, ſic habet. *Helvitinus, Aventicum*: id eſt Helvetius, cujus caput eſt Aventicum.

Pagum Aventicenſem vulgò *Vchtland* vocari aſſerit Guillimannus, & eſſe hodieque in Helvetia. *Vviſliſpurgergou* alii appellant, id eſt pagum Vviſlisburgenſem.

Ceterùm cùm apud Fredegarium reperio Aventicum à Veſpaſiano ac Tito Auguſtis reparatum ac *ornatum, nobiliſſimumque in Gallia factum eſſe*: pæne adducor ut credam, Aventicum à Tito factum eſſe coloniam, aut à Domitiano Titi fratre ac ſucceſſore, & *Coloniam Iuliam Avanticorum* vel *Aventicorum* dictum fuiſſe à Julia Titi Aug. filia, quam Domitianus pluſquam fratris filiam patruus amavit. Certè in nummo Domitiani legitur *Colonia Iulia Avanticorum*, id eſt Aventicenſium: quorum urbem Ptolemæus *Avanticum* vocat, & quæ præ ceteris nobilitari intra Gallias aliter quam coloniæ titulo vix potuit. Sic *civitatem Aventicam* & *Eccleſiam Aventicam* pro Aventicenſi in priſcis Conciliis invenio.

AVESNÆ.

Aveſnæ in Latinis Hiſtoriis & in priſcis monumentis ac litteris nuncupantur, vulgò *Avennes*. Opidum eſt ſitum inter fluvios Sabim & Moſam in Hainoo: quod Vvillelmus Britto in libro IV. Philippidos *Avennas* appellare maluit. Eſt & Avennenſe monaſterium Virginum in Atrebatibus circa Bapalmam, *Aveſne les Dames* Noſtris dictum.

AUGA.

Quæ à Frodoardo in Chronico *Auga*, *Aucum* ab Orderico, *Alga caſtrum* à quibuſdam vocatur; *Aucia* priùs à fluvio videtur dicta eſſe. Sed poſtea cùm opidum tum etiam flumen *Aucum* eſt nuncupatum: à quo & *Aucenſes* in libro XI. Hiſtoriæ Ordericus Vitalis Auci incolas vocat. Vulgò nunc appellatur *Eu*. Frodoardi de Auga verba ſūt hæc. Anno DCCCCXXV. *Heribertus expeditione ſuſcepta contra Nordmannos cum militibus Remenſis Eccleſiæ, Arnulfus quoque Comes, & ceteri maritimi Franci, præſidium quoddam Nordmannorum aggrediuntur: quò etiam Rollo Princeps eorum mille Nordmannos præter ipſius inhabitatores opidi ex Rodomo*

tranſmiſerat. Idem verò caſtrum ſecus mare ſitum vocabatur Auga. Quod circumdantes Franci, *vallum quo pro antemurali cingebatur, irrumpunt, murumque infringentes conſcendunt; & opido pugnando potiti, mares cunctos interimũt, munitionem ſuccendunt.* Ex his apparet *Augam* quam Frodoardus nunc *caſtrum*, nunc *opidum*, modò *munitionem*, modò & *præſidium* vocat; Rolloni Nortmannorum Principi ac Duci paruiſſe, Nortmanniæque jaminde ab initio fuiſſe attributam, ob idque *præſidium Nordmannorum* a Frodoardo nuncupari; fruſtraq; Augenſes nec Nortmannis nec Picardis, quorum utrorumque in confinio poſiti ſunt, adſcribi velle; cùm Rotomagenſi diœceſi, Caletiſque, Archiepiſcopo Rotomagi Nortmanniæ capitis ſubjectis attribuantur.

Aucum caſtrum in Annalibus rerum Anglicarum *Ou* & *Ouve* ſæpiſſimè nuncupari reperio: itaut Aucum primò *Ou*, vel *Ouve* deinde *Eu* vulgari linguâ appellatum eſſe videatur: quemadmodum anſerem recentiores *aucam*, Noſtri *une oye* & *une oue* vocitant.

Pagus & Comitatus Aucenſis vocatur *l'Euſiois* aut *le Comté d'Eu*; incolæ opidi Auci, ac totius etiam pagi Aucenſis, Latinè *Aucenſes*, patriâ linguâ *Euſiois* nuncupantur.

AUGUSTA VILLA AMBIANORUM.

Auctor libri de Vita S. Salvii Ambianorum Epiſcopi *villam Auguſtam* in *pago Vinmaco* poſitam memorat: quam Salvio piiſſimo Antiſtiti Theodoricus Francorum Rex præter cetera dedit. Hæc villa hodieque truncato nomine appellatur *Auſt*, ſita in pago Vinemaco ad Oceanum inter Augam & Leuconaum ſive portum Summenſem S. VValarici: Unde & *Aut ſur la mer* vocatur, aliis *le bourg d'Auſt*. In Vitæ S. VValarici Abb. capite XXII. *locus qui dicitur Auguſta juxta Auvæ fluvium. Auva autem fluvius*, id eſt *Auva* fluvius is eſt omnino, qui in Vita S. Lupi Epiſcopi Senonici MS. nuncupatur *Aucia* hiſce verbis. *Rex Chlotharius Lupum Epiſcopum retruſit exſilio in pago quodam Neuſtria nuncupante Vinemaco, traditum Duci pagano n. Boſoni Landegiſilo: quem ille direxit in villa qua dicitur Andeſagina ſuper fluvium Aucia. Aucia* vel *Auva* fluvius in pago Vinemaco, ab Orderico Vitale in libro XII. *Aucum* nuncupatur, & vulgò *Eu* vocitari dicitur, *Aucum flumen quod vulgò dicitur Ou. Ou* autem ad Auvam proximè accedit. Hic igitur amnis & Andeſaginam & Augam ſeu Aucum opidum cui nomen ſuum dedit, attingit, nec à pagi Vinemaci villa Auguſta plus II. leugis abeſt.

AUGUSTA PRÆTORIA SALASSORUM.

Juxta geminas Alpium fauces Graiarum atque Peninarum *Auguſta Pretoria Salaſſorum* Colonia Romana, vulgò *Oſta* Italis, Noſtris *Aouſte* nuncupata, quondam Italiæ Tranſpadanæ, poſt Liguriæ dictæ opidum fuit. Poſtea unà cum Seguſione & cum vallibus Auguſtana & Seguſina Guntchramno Burgundiæ Regi à Langobardis ex pacto data, ac Italiæ adempta, Burgundiæque parti Galliæ adjuncta eſt, ut Fredegarius in libri V. Chronici capite XLV. tradit, ac Aimoinus. Unde in quibuſdam veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, & a Roberto in Chronico provinciæ Alpium Graiarum & Penninarum, Burgũdiæ olim Regibus parenti, *civitas Auguſta Pretoria* alias *civitas Auguſtana* attribuitur. Gervaſius Tilebertienſis & quidam alii ante CCCC. & CCCL. annos *Tarentaſia metropoli Burgundia* duos Epiſcopatus adſcribunt, *Sedunenſem & Auguſtenſem*: atque etiamnum Alpium Graiarum Penninarumque metropoli, nimirum civitati Centronum Darantaſiæ ea ſubjecta eſt: ut in libro XVIII. Rerum Francic. obſervavimus. Seguſionem autem vel Seguſium Liguriæ ſimiliter opidum, totumque pagum Seguſinum ubi Novalicium Monaſterium eſt, (*la Novaleze*) à Langobardis receptum Guntchramnus Maurienenſi Eccleſiæ ſubjecit recens conditæ, & Taurinorum Epiſcoporum poteſtati exemit: ſicuti in codice Anicienſi notatum obſervavit Jacobus Sirmundus. Quare Carolus Magnus in Diviſione Regni ſui inter filios, cùm Ludovico nihil niſi in Galliis daret, & Karolo cuncta intra Galliam & Germaniam ac Baioariam concederet, neutri quidquam in Italia largiretur; tamen *Vallem Seguſianam* (ſic enim appellat) Regni Ludovici futuram ait, *Vallem Auguſtanam* Karoli. *Vallem Auguſtanam in Burgundia* quoque ponunt Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXIX. Certè *Vallem Seguſinam uſque ad cluſas* ſeu clauſtra cum Novalicio & Seguſione paruiſſe Carolo Magno ante occupatam Langobardiam, & Galliæ etiam tum, non autem Italiæ accenſeri conſueviſſe, docet Chronicon Cœnobii Novalicienſis. Vallem Seguſinam Itali *Val di Suſa*; Vallem Auguſtanam *Val di Oſta* appellant: Noſtri alteram *le Val de Suſe*, alteram *le Val d'Aouſte*. Dux Sapaudiæ *Caballiaci* (*Chablais*) & *Auguſta Prat. Ducem* ſe nuncupat.

AUGUSTA SUESSIONUM.

Urbs Sueſſionum primaria primò dicta eſt à Gallis Gallico nomine *Noviodunum*, uti Samſon Geographus Regius variis rationibus probat: quarum hæ ſunt præcipuæ. Quòd Cajus Cæſar poſt opidum Remorum Bibrax obſidione liberatum, poſt Belgas à tranſitu fluminis Axonæ repulſos, atque in diſceſſu fuſos fugatoſque, Bellovacos petens, *per fines Sueſſionum qui proximi Remis erant, exercitum duxit, & ad opidum Noviodunum contendit.* Ex pago autem Remenſi per Sueſſiones in Bellovacos tendenti occurrit Auguſta Sueſſionum: non occurrit Noviomagus Veromanduorum ſive Noiomus, quem *Noviodunum opidum Sueſſionum* à Cæſare vocari Marlianus, Maſſonus, ac plerique alii falsò exiſtimant. Deinde quòd *omnis ex fuga Sueſſionum multitudo in opidum proxima nocte convenit*, tanquam ad caput Gentis defendendum: quòd à Cæſare *petierunt Remi, ut* Noviodunenſes *conſervarentur*: quòd denique *Cæſar obſidibus acceptis primis civitatis atque ipſius Galbæ Regis duobus filiis, armiſque omnibus ex opido traditis, in deditionem Sueſſiones accepit.* Quæ omnia Noviomago ſeu Noiomo nullo modo conveniunt;

niunt; Auguſtæ Sueſſionum omni ratione conveniunt: quæ ſemper fuit, & eſt hodie caput diœceſeos Sueſſionum, ferè in mediis Gentis finibus opportuniſſimo loco poſita, & quam Galbæ Regiam ac ſedem, Primorumque civitatis domicilium fuiſſe veriſimillimum eſt. Hiſce rationibus, aliiſque quas in Noviomago Veromanduorum referam, facilè adducor ut credam *Noviodunum opidum Sueſſionum* apud Cæſarem, caput eſſe Sueſſionum.

Eadem urbs poſtea depoſitâ Gallicâ veterique Novioduni appellatione, ab Octavio Auguſto nomen Latinum accepit, & dici cœpta eſt *Auguſta Sueſſionum*, ſicut colonia Auguſta Trevirorum, colonia Auguſta Rauracorum, colonia Auguſta Nemauſus, colonia Dea Auguſta Vocontiorum. Ex quo judicari poteſt, cùm hæ quatuor urbes Auguſto nomine illuſtres, coloniæ Romanæ fuerint, Auguſti auſpiciis ac juſſu deductæ; Auguſtam Sueſſionum quoque coloniam Romanam exſtitiſſe: id quod & de Auguſta Veromanduorum, de Auguſta Tricaſtinorum & Auguſtâ Auſcorum dici credique forſitan convenit. Ab Claudio Ptolemæo omnium primo nuncupatur Αὐγούστα οὐεσσόνων, non (ut corruptè editum reperitur) οὐεσσόνων: in tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana ſimiliter *Auguſta Sueſſonum*, ab Æthico etiam in Itinerario *Auguſta Sueſſonum* inter Contraginnum & Fines. (*Chauny* & *Fimes*) Idem Æthicus & *Sueſſonas* vocat, atque inter *Durocortorum* Remorum & *Noviomagum* ponit, itaut Sueſſionæ diſtent ab urbe Durocortoro millibus paſſuum XXXVI. ab opido Veromanduorum Noviomago XXVII. In itinere quoque à *Samarabrivis Sueſſonas uſque*, per *Cæſaromagum* & *Auguſtomagum*, hoc eſt per Bellovacos & Silvanectas *Sueſſonas* ducit, urbem ab ſupradicto Auguſtomago millibus paſſuum XII. diſtantem.

Quidam *Auguſtam Sueſſorum*; alii, in primis Hincmarus atque Frodoardus *civitatem Sueſſorum*, & *Sueſſorum urbem* corrupto nomine appellaverunt, quaſi Gens ipſa *Sueſſi* pro *Sueſſiones* truncato vocabulo dici poſſet. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Sueſſionum* memoratur, atque in provincia Belgica ſecunda inter XII. civitates ſecundum locum atque à metropoli proximum obtinet; in una aut altera Notitia *civitas Seſſionum* nuncupata. Apud Robertum Autiſſiodorenſem in Chronico, *in Remenſi provincia* poſt *metropolim civitatem Remis civitas Sueſſionis* ponitur: & apud Gervaſium Tiſleberienſem atq; in duabus Notitiis Galliæ Epiſcopatuum, Remenſis Metropolita ſeu Archiepiſcopus inter XI. comprovinciales quos *Suffraganeos* vocant, primum habet Sueſſionenſem Epiſcopum.

Ut ex Novioduno Auguſtam Sueſſionum, ſic ex Auguſta Sueſſionum *Sueſſionas* vel *Sueſſonas* fecere ſcriptores, atque uti plurimas alias Galliæ urbes, eam communi Gentis cujus caput erat nomine deſignavere: quod & Noſtri faciunt, qui *Soiſſons* vulgò appellitant. Sic certè Æthicus ſuprà *Sueſſonas*; ſic Gregorius Turonicus Epiſcopus *Sueſſionas urbem* aut *civitatem* paſſim, atque nonnumquam *urbem Sueſſionicam* vocat. Codices Gregorii veterrimi ſæpe nunc *Sexonas* aut *Seſſonas*, nunc *Seſſionas*, raro *Sueſſionas* ſcriptum habent. Fredegarius modò *Sueſſionas*; modò ceu nomine indeclinabili *Sueſſionis*, ut Geſta Francorum, Hincmarus, ac plerique alii; interdum & corruptè *Sueſſiones* appellat, & in libro IV. Chronici bis *Sexionas civitatem*, *civitatem Sexonas* ſemel. In vetuſtiſſimo atque optimo codice Fredegarii qui Jacobi Sirmundi fuit, *Soiſſionas* bis ſcriptum reperio, ſemel *Sexſionas*: ſicuti apud Botarotium in triente aureo *Soeſſionis* in alio *Sueſſionis*, in alio *Sueſſionis fit*. *Soiſſiona* autem & *Soeſſionis* ad *Soiſſons* noſtrum proximè accedunt, u in o & e in i ex more mutatis atque converſis. Eginhardus *civitatem Sueſſionam* nuncupavit; quidam mendosè *Sueſſiones* nonnumquam, atque *Sueſſionem* pro *Sueſſionas*.

Urbis incolæ *Sueſſionici* olim dicti. Certè Gregorius in libri X. Hiſtoriæ Francicæ capite II. unum è legatis Childeberti Auſtraſiorum Regis ad Mauricium Aug. *Bodegiſilum filium Mummoleni Sueſſionici* appellat.

Sub diſpoſitione V. I. Magiſtri Officiorum, fuerunt Fabricæ in Galliis octo, & inter eas quarta *Fabrica Sueſſionenſis ſcutaria, balliſtaria, & clibanaria*: quemadmodum Notitia Imperii Rom. docet.

Ea urbs Ægidii primùm ac Syagrii Gallorum Regulorum, deinde & Chlodovei Francorum Regis ſedes, antequàm interfecto Alarico Veſigothiſque Aquitaniâ expulſis Luteciam Regiam elegiſſet: poſtea Chlotharii majoris, ac Chilperici ejus filii per annos circiter LXXIV. cathedra ac ſolium fuit. Quare & Pippinus pòſt, & Carolomannus ejus filius ibi Regni inſignia receperunt; Rodulfus quoque, Richardi Burgundiæ Marchionis filius, apud urbem Sueſſionas in Monaſterio S. Medardi, ubi antea Pippinus, Rex eſt pro Carolo conſtitutus.

Auguſta Sueſſionum puellari Monaſterio B. Mariæ, ab Ebroino Majore Domus Regiæ ante annos mille condito illuſtris, ac veteri Comitivâ inſignis eſt, ante annos circiter DCLXX. ſicuti Lugdunum, civitas Lingonum, Cabillonum, Matiſco, Baiocæ, Ebroicæ, Lexovii, Turoni, Cenomanni, Andicavi, Namnetæ, Veneti, Agedincum Senonum, Carnutæ, Autiſſiodurum, Tricaſſæ, Pariſii, Meldi, Tullum, Verodunum, Remi, plurimæque aliæ urbes Galliarum, capita veterum Comitatuum fuerunt.

Ceterùm Gregorius in capite III libri V. & in cap. XXX. & XXXVI. auctor Geſtorum Francorum Sueſſionas urbem cum pago Sueſſionico extra Campaniam fuiſſe indicant. Gregorii verba talia ſunt. *Collecti aliqui de Campania, Sueſſionas urbem aggrediuntur.* Apertiùs in Geſtis Francorum. *Chilpericus Remos pervaſit, & Campaniam ſuccenſam ac prædatam devaſtavit. Sigibertus autem à Chunis rediens victor, contra Chilpericum exercitum commovit, Sueſſionis civitatem occupat*, &c. item: *Igitur Burgundiones & Auſtraſii per Campanias digreſſi, pagum Sueſſionicum cum Gundobaldo & Wintrione Patriciis ſuis vaſtantes ingrediuntur.* & infrà. *Fredegundis uſque Remos acceſſit, Campaniam ſuccendit atque vaſtavit; cum multa præda reverſa eſt Sueſſionis civitatem cum exercitu ſuo.*

Erat Sueſſionis Palatium, ut in pleriſque clarioribus urbibus Galliarum, ſtante Imperio Romano: ut omittam aliquot Regum noſtrorum ſedem eam poſtea fuiſſe, quos ibi Palatium ſuum & Regiam habere oportuit. Certè Imperatore Ludovico Pio adhuc Palatium erat Auguſtæ Sueſſionum, prope Monaſterium S. Medardi, de quo Monachus Sanctimedardenſis in Tranſlatione & Miraculis Sebaſtiani Mart. ſic refert. *Cùm quadam die ad Sanctæ Sophiæ capellam quæ Palatio inhærebat, oraturus procederet*, (Imp. Ludovicus) *ad limen ſubſtitit*, &c.

Tres olim fuere, & ſunt etiamnum, Eccleſiæ S. Criſpini Mart. Sueſſionis, una *S. Criſpini Majoris*, aliàs *S. Criſpini Magni*, cui ſuus eſt Abbas, ſuumque Capitulum; altera *S. Criſpini Minoris* vel *Parvi*; tertia *Sanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani in Cavea*, collegium Canonicorum Regulam Auguſtini ſequentium, & ſuo Abbate gaudentium. Duæ priores intra muros, poſtrema extra urbem. Ex quibus Eccleſiis ultimam *Monaſterium S. M. Criſpini & Criſpiniani in Cavea Sueſſionenſe*; item, *Eccleſiam S. Criſpini in Cavea Sueſſionenſem*; *S. Criſpinum in Cavea*; & *Eccleſiam S. Criſpini Mart. de Cavea* à loco in quo ſtatuta erat, tabulæ Latinæ ipſius Cœnobii vocant, quarum nulla annum MCXLII. præcedit; litteræ patriâ linguâ ſcriptæ *li Convent de S. Creſpin en Chaie de Soiſſons*, aut *delez Soiſſons* nominant. Hodieque hæc Abbatia *S. Creſpin en Chaye* nuncupatur. Cavea igitur Latinis ſcriptoribus, Noſtris *Chaie* dicitur locus, in quo conditum apud Sueſſionas, & à quo cognominatum eſt Monaſterium S. Criſpini in Cavea. Innocentius PP. II. in litteris datis anno MCXLII. inter bona & reditus hujus Monaſterii præter cetera numerat *cenſum in eadem Cavea, & torcularia III.* decernitque ut *Ordo Canonicus ſecundum B. Auguſtini Regulam & inſtitutionem Fratrum Aridegamantiæ* (vel Aroaſiæ *Aroüaiſe*) *perpetuò ibi ſervetur*. Alexander PP. III. in litteris anno MCLXXVII. ſcriptis, & Lucius ſimiliter PP. III. in litteris anno MCXXCI. miſſis, inter poſſeſſiones & fundos Monaſterii ponunt primò *locum ipſum, in quo Eccleſia conſtituta eſt*, videlicet Caveam. Goiſlenus *Epiſcopus Sueſſorum* (ita tum loquebantur) rebus Monaſterii in Cavea adnumerat *torcularia quatuor, tria ultra Axonam in Cavea unum ſuper ripam ejuſdem Axonæ*: idemque *cenſum in Cavea ſedecim ſolidorum & IV. denariorum* commemorat; Nivelo in litteris anni MCXC. *tres ſolidos Catalaunenſes cenſuales in Cavea*; tabulæ anni MCC. *terram in Cavea*, & *terram ſitam intra culturam S. Criſpini de Cavea*; Radulfus Præpoſitus & Archidiaconus Sueſſionenſis matris Eccleſiæ in litteris anno MCCIII. datis *terram arabilem in Cavea*. Cavea iſta locus erat ad ripam Axonæ extra muros urbis Sueſſionum, in quo Monaſterium S. Criſpini conditum, & à quo cognominatum fuit *in Cavea*, vel *de Cavea*: atque omnino à re vetus nomen habuit, quòd ibi florente Imperio Romano Auguſta Sueſſionum ſuum Amphitheatrum habuerit. Nam extra urbes pleraque olim Amphitheatra erant. Conſtat autem Romanos ſæpe Amphitheatrum ut *Arenam* ſic & *Caveam* vocaviſſe ab interiore parte cava & profunda, ac capaci. Hinc Tertulliano *Cavea ſæviens*; apud Apuleium *ad conſeptum Caveæ die muneri deſtinato deduci*; apud Firmicum *in Caveis cum feris pugna*; Ammiano Marcellino *Amphitheatralis Cavea*; Prudentio *pulvis Caveæ ſemper funebris*, & *conſeſſus Caveæ*.

Tabularium Monaſterii S. Criſpini Mart. in Cavea duarum portarum urbis Sueſſionum mentionem facit, quarum alteram *portam Berardi* vocat, alteram *portam Criſiæ*. Litteræ datæ anno MCCLXIII. *Portam Berardi* memorant, à Berardo aliquo conditore ejus cognominatam; *Portam Criſiæ* litteræ anno MCCLIV. ſcriptæ hiſce verbis. *Prope verſus portam Criſiæ Sueſſionenſem Porta Criſiæ* nuncupata eſt, quæ ducebat ad Criſiam. Criſia autem fluviolus, quem inter & Axonam ſtat Auguſta Sueſſionum, *aqua Criſiæ* in quibuſdā litteris dicitur, & vicos aliquot prætterlapſus, paullo infra Auguſtam Sueſſionum in Axonam devolvitur.

AUGUSTA TREVIRORUM.

Urbs primaria caputque Trevirorum ad Moſellam in nummo Veſpaſiani Aug. COL. AUG. PAT. TREVIRORUM, hoc eſt *Colonia Auguſta paterna Trevirorum* dicitur ab Auguſto patre, qui Tiberium Neronem adoptavit; eadem Tacito in libro IV. Hiſtoriarum *colonia Treverorum, ſtans in confinio Germaniæ*. Colonia igitur Auguſti fuit, & quidem militaris, quales tum omnes coloniæ Romanæ erant, ab Auguſto aut Auguſti juſſu deductis eò veteranis. Certe Gallias non ſemel adiit Auguſtus, cùm Suetonius neget *eſſe provinciam* exceptâ tantùm Africâ & Sardiniâ, quam non adierit: idemque ut ait Dio in libro LIV. multas Galliæ Hiſpaniæque urbes coloniæ jure donavit; *πόλεις ἔν τε τῇ Γαλατίᾳ καὶ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ συχνὰς ἀπῴκισε*. *Colonia Treverorum* Tacito quidem dicitur in Hiſtoriæ libro IV. At ceteris omiſſo nomine coloniæ, *Auguſta* appellatur ab auctore Auguſto ac forſitan etiam coloniæ deductore: Mellæ *urbs opulentiſſima in Treveris, Belgarum clariſſimis, Auguſta*; Ptolemæo in Gallia Belgica *Αὐγούστα Τρεβήρων*; in tabula Peutingeriana quoque *Auguſta Trevirorum*: in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, *provinciæ Belgica prima Metropolis civitas Treverorum*. Recentiores plerique urbem nomine Gentis *Treviros* aut *Treveros* vocitant, ut Hilarius ad Conſtantium Aug. Ammianus Marcellinus, Sulpicius Severus, Sulpicius Alexander, Gregorius Turonicus Epiſcopus. In Codicis Theodoſiani libro IV. & libro XII. leges reperiuntur datæ *Treviris*, datæ *Treveris*, D. *Triveris*: quam urbem ſimiliter Æthicus MS. in Itinerario provinciarum nunc *Treveros*, nunc & *Triveros civitatem* nuncupat. Eadem multis recentiſſimis ſcriptoribus *Treveris* in numero ut videtur ſingulari, aut certè nomine indeclinabili; Salviano in libris de Providentia *urbs Gallorum Trever opulentiſſima*, *Treverorum urbs excellentiſſima*, *ſumma urbs Gallorum* dicitur; *Triver* aut *Triber* etiam Sozomeno. Quippe qui Theodorito in libro II. Hiſtoriæ *Paulinus Metropolis Galliarum Epiſcopus*, idem Hermiæ Sozomeno in libro IV. *Paulinus Triberis*, *Παυλῖνος ὁ Τριβέρεως* appellatur. Noſtri *Treves* vo-

cant, Germani *Trier*, ad *Triver* aut *Triber* proximè accedente vocabulo.

Inter Fabricas in Galliis VIII quæ ſub diſpoſitione V. I. Magiſtri Officiorum exſtiterunt, erat Fabrica *Triberorum ſcutaria*, & Fabrica *Triberorum balliſtaria*: & ex quatuor Præpoſitis Theſaurorum in Galliis ſub diſpoſitione V. I. Comitis Sacrarum Largitionum, unus fuit *Præpoſitus Theſaurorum Triberorum*: unus quoque de tribus Procuratoribus Monetæ intra Gallias, *Procurator Monetæ Triberorum*: unus è ſex Procuratoribus Gynæceorum per Gallias, *Procurator Gynæcei Triberorum Belgicæ primæ*: & de tribus in Gallia Præpoſitis Argentariorum, unus *Præpoſitus Barbaricariorum ſive Argentariorum Triberorum*: ſicuti docet Notitia Imperii Romani. *Barbaricariorum* in codicibus ſcriptum reperitur; cùm in libris editis legatur *Brambaricariorum* corrupto nomine.

Ad Monetam quod attinet, accidit poſtea id quod Cicero optaverat, ut Triumviri Monetales, vel Treviri auro, argento, æri flando feriundo, apud Treviros ac in eorum urbe primaria eſſent atque invenirentur. Quippe in veteri inſcriptione IIIvir, id eſt *Triumvir Monetæ Triverica* legitur, fortè idem qui ſuprà dicitur *Procurator monetæ Triverorum*. Nimirum ærei, argentei, ac aurei nummi Auguſtæ Trevirorum percuti conſueverant ſub Imperatoribus Romanis: qualium Victoriæ nummorum formas ſua ætate ibidem exſtitiſſe tradidit Pollio.

Ejus urbis Auſonius inter claras urbes meminit his verſibus.

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit,
Trevericæque urbis ſolium, quæ proxima Rheno,
Pacis ut in mediæ gremio ſecura quieſcit:
Imperii vires quòd alit, quòd veſtit & armat.

Treviros ſeu *Trevericam urbem*, *ſolium* appellat Auſonius, hoc eſt ſedem Imperatorum: quam in Moſella eamdem ob cauſam *urbem Auguſtam*, *muros Auguſtos*, *dignata Imperio mœnia* vocat, Ammianus Marcellinus *domicilium Principum clarum*. Nimirum Imperatores Flavius Valerius Conſtantius, Conſtantinus Maximus, ejuſque filii Conſtans & Conſtantius, Valentinianus, ac filii ejus Gratianus & Valentinianus junior, & Imperatoribus abſentibus Cæſares; tyranni quoque Magnentius A. cum fratre Decentio Cæſ. Maximus Aug. cum filio Victore, & Eugenius A. ſæpe in Galliis manſere, in repellendis Francorum & Alamannorum bellis occupati, atque Auguſtam Trevirorum annos ampliùs centum pro Regia Palatioque habuere. Quare Gelaſius Papa in epiſtola ad Dardanos Treviros laudat, *quòd ipſorum Epiſcopi modeſtia cauſâ ſui faſtigii gloriam cum urbis etiam Imperii ſede florentis gloria ac magnitudine haud cupiiſſent exæquari*. Inde etiam Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro de Virtutibus S. Juliani M. & in libri I. Hiſtoriæ Francicæ capite XL. Maximum Aug. quòd in urbe Treviris ſedem ſtatuiſſet, abſolutè *Imperatorem Trevericum* appellat, ibi plerumque more priorum Principum commorantem. Verba Gregorii ſunt. *Vinctus quidam ab Hiſpaniis & carceri deditus, apud Imperatorem Trevericum capitali dijudicatus ſententia tenebatur.* Item, *S. Hillidius Epiſcopus Arvernorum ab Imperatoris Treverici filia expetitus, eam à ſpiritu immundo curavit*: vel (ut idem Gregorius in libro de Vita hujus Epiſcopi ait) *B. Hillidius evocatus à Treverico Imperatore, nequam ſpiritum à corpore filiæ ejus obſeſſæ abegit.* Hinc multæ leges in Codice Theodoſiano latæ *datæque Treviris*, *Treveris*, *Triveris*, ab Imperatoribus videlicet Romanis ibi utplurimum conſidentibus quum in Gallia morabantur: quarum legum ſuprà meminimus. Quod autem ait Auſonius ſuprà, urbem Treviros *Imperii vires*, hoc eſt Milites Romanos *alere* frumento horreorum ſuorum, *monetâ* ſuâ *theſaurisque veſtire*, *ſcutis* apud ſe fabricatis *armare*: idem de Sicilia Cicero dixerat in Verrem, *copiis*, *tunicis*, *frumentoque ſuppeditato maximos exercitus noſtros veſtivit, aluit, armavit*.

Quod ad Senatum Trevericum attinet, notandum eſt Gallorum civitates ſuum quamque Senatum vel Curiam ſuam habuiſſe, cujus conſiliis & auctoritate regerentur. Docet id Julius Cæſar, qui unus eſt inſtar omnium: qui in libro I. *Æduorum Senatum* commemorat; in libro II. *Senatum Remorum*, *ſexcentos Senatores Nerviorum*; in libro III. Venetorum, Aulercorum Eburovicum, & Lexoviorum *Senatum*; *Senatum* Senonum in libro V. Docet id Hirtius, qui in libro VIII. *Senatum Bellovacorum* memorat. Vetus igitur ac libera Gallia, ſuiſque legibus utens, ante Julii Cæſaris adventum in unaquaque civitate ſuum Senatum habuit: quem morem ſervavit, poſtquam ditioni Romanæ ſubjecta eſt. Nam apud Vopiſcum in Floriano *Curia Trevirorum*; & apud Auſonium Epicedio in patrem *Senatûs Burdigalenſis*, & *Senatûs Vaſatium* qui & *Curia* ibidem dicitur, fit mentio. Et forſitan apud Gregorium noſtrum *Senatores Bituricos*; *Senatores Arvernos*, vel *nobiliſſimos Arvernorum*, vel *Senatores urbis Arvernæ*; *primos Galliarum Senatores*; *Senatores Turonicos*; quique ibidem *ex genere Senatorio*, & *de Senatoribus fuiſſe* dicuntur, non aliter accipi conveniat. Quanto autem civitas major ac potentior, tanto & Senatus erat illuſtrior: itaue clariſſimarum urbium Senatores ad ſplendorem dignitatemque Senatus Romani proximè accedere viderentur; qui è Curia quidem *Curiales & Decuriones*, ſæpe etiam *Senatores & Nobiles* appellabantur: ſicuti Senatus Romanus ſæpiſſime Nobilitatis nomine cenſebatur. Talis erat in Gallia Senatus vel Curia Trevirorum, cui Senatus ampliſſimus, (Romanum dico) cùm exercitu conſentiente Tacitum Imperatorem elegiſſet, præ gaudio ſe ipſe non capiens, anno Chriſti CCLXXV. ſcribere dignatus eſt, in antiquum ſtatum Rempublicam rediiſſe. Senatûs Treverici meminit Auſonius in Moſella circa annum Domini CCCLXX. Valentiniani Principatu.

Quos Curia ſummos
Municipum vidit Proceres, propriumque Senatum.

Meminit & Salvianus, qui circa annum CCCCXXV. Placido Valentiniano Imperatore floruit, in libro VII. de Providentia Dei: quum ait poſt civitatem Trevirorum *quadruplici everſione pro-*

ſtratam, paucos Nobiles, (id eſt Senatores Treviros) *qui excidio ſuperfuerant, quaſi pro deleta urbis remedio Circenſes ab Imperatoribus poſtulaſſe*. Fredegarius in libri Chronici IV. capite VII. *Treverorum civitatem factione unius ex Senatoribus cui nomen Lucius, à Francis captam & incenſam eſſe* ſcribit Aviti Principatu anno CCCCLVI. & Senatorum Trevirorum uxores *Senatrices* ibidem appellat. Fortunatus in libro X. Carminum circa annum DXC. memorat veterem ac magnificum *Senatum* Trevirorum, hoc eſt Curiam ſeu locum in quo Senatus olim haberi conſueverat: & ipſam *nobilem urbem Nobilium*, videlicet Senatorum, atque *caput* ſeu metropolim Belgarum appellat his verſibus.

Perducor, Trevirûm quà mœnia celſa pateſcunt,
Urbs quoque Nobilium nobilis atque caput.
Ducimur hinc fluvio per culmina priſca Senatus:
Quò patet indiciis ipſa ruina potens.

Fit & in Martyrologiis mentio Senatorum Trevirorum, qui pro Chriſto excruciati ac necati ſunt.

Cùm ergo regia & præcipua ſedes Imperatorum fuerit in Galliis commorantium, & cùm nobiliſſimis Senatoribus floruerit: haud dubiè maximum Palatium, maximum & Senatum ſeu Curiam habuit Auguſta Trevirorum: & cùm Circenſes ab Imperatoribus poſtulaverit, Circo non caruit. Nec tantæ urbi Amphitheatrum defuit, cùm ibidem Conſtantinus Maximus edito ob victoriam magnificentiſſimo munere, Aſcaricum & Regaiſum Reges in media Amphitheatri arena laniandos beſtiis objecerit, & *Treviricі in Arenis civitati, præſidio locato, conatibus Chroci* Alamannorum Regis *reſtiterint*, Principatu Valeriani & Gallieni, ut Aimoinus ſcribit. Fuere ea in urbe & Horrea Regia vel publica, quibus frumentum militare condebatur: ubi B. Mariæ Monaſterium Virginum poſtea exſtructum eſt, quod a loco Horrenſi, vel *ad Horrea*, *Horreum* ue dixerunt. Capitolium ibidem fuiſſe, uti Narbone, Coloniæ Agrippinæ, aliiſque in urbibus Galliarum claris, docent acta Mart. Thyrſi & ſociorum ejus, quæ Treviris de Capitolio factam eſſe Eccleſiam referunt. Eumenius in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto, muros Trevirorum qui corruerant, ab eo Principe refectos eſſe ait, & *Circum maximum, æmulum Romano, Baſilicaſque & Forum in tantam altitudinem ſuſcitata, ut ſe ſideribus & Cælo digna & vicina promitterent*.

AUGUSTA TRICASTINORUM.

T. Livius in libro XXI. tradit, Hannibalem *cùm jam Alpes peteret, non recta regione iter inſtituiſſe, ſed ad lævam in Tricaſtinos flexiſſe, inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendiſſe in Tricorios, & ad Druentiam flumen Alpinum perveniſſe*. Idem Plutarchus ſcribit in Hannibale, eum per Allobrogas perque *Tricaſtinos* & *Vocontios* ad Druentiam contendiſſe. Silius Italicus quoque in libro III. Hannibalis iter ita deſcribit.

Jamque Tricaſtinis incedit finibus agmen;
Jam faciles campos, jam rura Vocontia carpit.

A Ptolemæo *Tricaſteni* Τρικαστηνοὶ vocantur, ponunturque in provincia Narbonenſi, & pluſquam Segalauni ad orientem Solem ſpectare dicuntur. Eorumdem meminit Ammianus Marcellinus de itinere Hannibalis referens in libro XV. qui & *Tricaſtrini*, & *Trecaſtini*, *Trecaſtani* etiam & *Vegaſini* corruptè pro Trecaſtini in quibuſdam Notitiis nuncupantur. Sunt autem ad lævam Rhodani ripam inter Segalaunos & Cavares.

Caput Gentis à Plinio nuncupatur *Auguſta Tricaſtinorum*, & in Narbonenſi provincia inter opida Latina numeratur: at Ptolemæo Tricaſtinorum *urbs Noviomagus* in Gallia Narbonenſi, Νοιόμαγος. Auguſtam & Noviomagum vel Nœomagum, duas diverſas eſſe Tricaſtinorum urbes Sirmundus Joſ. Scaligerum ſecutus exiſtimat, quarum altera ſedes Epiſcopalis ſit, altera nimirum Nœomagus, hodieque eo in tractu *Niomus* trunco nomine veteri appelletur, *Nion*, opidum paullo ſupra Vaſionem: & ita etiam ſentit Holſtenius. Ego unam eamdemque eſſe urbem puto, à Plinio Latino, à Ptolemæo Gallico nomine deſignatam. Nam Plinius non aliam Tricaſtinis urbem quam *Auguſtam* adſcribit, itaut non aliud Gentis caput agnoſcere planè dici poſſit ac debeat. Ptolemæus autem ſuam cuique Genti præcipuam urbem ſuumque caput aſſignare & ſubjicere conſuevit. Cùm igitur unam urbem Noviomagum aut Nœomagum Tricaſtinis attribuat, non aliud utique Tricaſtinorum caput quàm Noviomagum agnoſcit. Nam Tricaſtinorum gentis exiguæ & humilis duo fuiſſe capita, veriſimile non eſt.

Hæc in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Tricaſtinorum* vocatur, nonnumquam, ſed mendosè, *civitas Tricaſtrinorum*, *Trecaſtinorum*, *Trecaſſianorumque* ac *Vegaſinorum*: & inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. ſeptimum occupat locum; *Tricaſtina urbs* Sidonio dicta in epiſtola XII. libri VI. Robertus in Chronico *civitatem Tricaſtinum* Viennenſi provinciæ attribuit, & iterum Arelatenſi provinciæ *Tricaſtrum*; itaut ex una duas urbes Tricaſtinam & Tricaſtrum facere videatur. Gervaſius Tilleberienſis Arelatenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſextum inter Suffragantes aſſignat Epiſcopum Tricaſtinenſem, quem *Tricaſtrinenſem* mendosè appellat. Idem recentiores Gervaſio Notitiæ faciunt, quæ *Triſcatinenſem* tranſpoſitis litteris pro Tricaſtinenſem nuncupant. Eſt hodieque Tricaſtinus Epiſcopatus unus è quatuor Arelatenſis provinciæ.

Savaro qui Sidonium Notis illuſtravit, & quidam alii Auguſtam Tricaſtinorum in Itinerariis *Auguſtam* vocari crediderunt, magno errore. Nam tabula Theodoſiana, Æthicus in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam, & Itinerarium Burdigalenſe inter *Deam Bocontiorum* vel Vocontiorum & *Valentiam Auguſtam* mediam ſtatuunt, à Dea XXII. millibus paſſuum, à Valentia æquali intervallo diſtantem. Qui *Auguſtæ* iſtius ſitus Auguſtæ Tricaſtinorum nullo modo convenire poteſt: cùm inter Arauſionem Cavarum & Montilium Ademari poſita ſit Auguſta Tricaſtinorum ſub Va-

lentia Segalaunorum & Dea Vocontiorum, quæ nunc S. Pauli nomen fert, & Gentis cujús caput eſt, cognomen. Dicitur enim *S. Paul de Tricaſtin*, & à fluvio Rhodano II. leugas abeſt, inter montes poſita. Quidam urbem S. Pauli abſolutè vocant, *S. Paul*; Holſtenius *S. Paul en Trecaſteaux*; alii *S. Paul des Trois Chaſteaux*; nonnulli *S. Paul des Trois Iumeaux*: quæ duæ appellationes ortæ ſunt ex corrupto nomine Tricaſtinorum, quos (ut ſuprà notavimus) alii *Tricaſtrinos* & *Tricaſtrinenſes* velut à *tribus caſtris* dixere; alii etiam *Trigaſtrinos* tamquam à *tergeminis*, vel tribus eodem utero editis. Joſ. Scaliger *Saint Antoni de Tricaſtin* malè appellat caput Tricaſtinorum: cùm non S. Antonium, sed S. Paulum, primum Epiſcopum ſuum, Patronum habeat, & major urbis Eccleſia S. Pauli nomine cenſeatur, quæ urbs qualis nunc eſt, in Dalfinatu, vicus magis quam civitas meretur vocari.

Concilio Epaonenſi interfuit *Florentius Epiſcopus civitatis Tricaſtinæ*; Concilio Aurelianenſi IV. *Heraclius Epiſcopus civitatis Tricaſtinenſis*. Ad Concilium Lugdunenſe II. miſit Euſebium Presbyterum *Victor Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſtinorum* qui *Victor Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſtinæ* decretis Concilii Matiſconenſis I. ſubſcripſit, *Victor Tricaſtinorum Epiſcopus* à Gregorio in libro V. dictus. Concilio Matiſconenſi II. adfuit miſſus ſeu Vicem gerens *Euſebii Epiſcopi Eccleſiæ Tricaſtinorum*; Concilio Cabillonenſi *Betto Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſtirenſis*.

Apud Uſuardum hæc legimus: *Kal. Febru. in opido Trecaſſino S. Pauli Epiſcopi, cujus & vita virtutibus claruit, & mors miraculis commendatur.* Sed heic pro opido *Trecaſſino*, *Trecaſtino* vel *Tricaſtino* ſcribendum puto, & de Paulo Tricaſtinorum Epiſcopo ac Patrono ſermonem ab Uſuardo haberi: à quo Auguſta Tricaſtinorum vocatur opidum S. Pauli, *S. Paul de Tricaſtin*.

AUGUSTODUNUM ÆDUORUM.

Primus omnium Pomponius Mella *Auguſtodum* mentionem fecit in libri III. de ſitu orbis capite II. his verbis. *Aquitanorum clariſſimi ſunt Auſci, Celtarum Ædui, Belgarum Treviri: urbeſque opulentiſſimæ, in Treviris Auguſta, in Æduis Auguſtodunum, in Auſcis Eluſa.* Tacitus ſimiliter in libro III. Annalium *Auguſtodunum caput Gentis Æduorum* commemorat, & *nobiliſſimam Galliarum ſobolem liberalibus ſtudiis ibi operatam*. Ptolemæo in Gallia Lugdunenſi Αἰδύων πόλις Αὐγουστόδουνον; in Itinerario Æthici quoque ac in tabula Peutingeriana *Auguſtodunum*: Ammiano Marcellino in libro XV. & XVI. ac ubique *Auguſtudunus* in Lugdunenſi prima; (Tum duæ tantùm Lugdunenſes erant) quibuſdam & noſtrorum ſcriptorum *Auguſtudunum*, nonnumquam *Auguſtudune*; nonnullis recentioribus & *Auguſtidunum*, ac *Auguſtidunus*, hoc eſt mons Auguſti. Ab Auguſto igitur, à quo forſitan beneficiis auctum aut operibus exornatum erat, & à *monte vicino* cujus meminit Eumenius, Auguſtodunum nomen Latinogallicum accepit: vulgò *Autun*, aut ut alii meliùs ſcribunt, *Auſtun*. Sic Auguſta Prætoria Salaſſorum *Oſta* Italis, Noſtris *Aouſte* dicitur; Auguſtus menſis *Aouſt*; Auguſta Rauracorum, *Augſt* incolis; *Auguſta Vindelicorum*, *Augſburg* Germanis, Noſtris *Auſbourg*. Quidam recentes ſcriptores Latini ex corrupto nomine Auguſtoduni, quod *Oſtun* & *Oſtum* ab incolis vocabatur, *Oſtionem* fecere. In his Bertoldus in rebus Geſtis Urbani Papæ II. his verbis. *Anno MXCIV. Galliarum civitas, quam vulgariter Oſtionem dicunt.* In Chronico Fredegarii vetuſtiſſimo quod Jacobi Sirmundi fuit, *Aguſtedunum* vel *Ageſtedunum* ſemper ſcriptum reperitur, ut pro *Auguſta Salaſſorum* in Chronici libri V. capite XLV. *Aguſta*, & pro Auguſto *Aguſtus*: in duobus aureis Regum noſtrorum vetuſtiſſimis *Auguſteduno*.

In Notitia Imperii Romani *Fabrica Auguſtodunenſis loricaria*, & *Præfectus Sarmatarum Gentilium Auguſtoduni*, & *Procurator Gynæcii Auguſtoduni tranſlati Mettis*, & in veteri inſcriptione *cohors* XIIX. *Auguſtodunenſium* apud Gruterum memorantur. Alluitur urbs flumine Arotio, *Arron* vel *Aron*, rapido quidem, ſed propter ſaxa minimè navigabili.

Quod vetus capiti Æduorum nomen exſtiterit, antequam Auguſtodunum vocaretur, (Auguſtodunum autem Principatu Auguſti vocari cœpit) incertum eſt. Samſon Geographus Regius *Bibracte*, vel uti Strabo vocat, *Bibracta* à Celtis ſeu Gallis veteri nomine patrio dictum eſſe exiſtimat: ſed nullam conjecturæ ſuæ, aut ſi mavis opinionis rationem reddit in ſuis in Cæſaris Galliam veterem Notis & obſervationibus, Petrum Sancto-Julianum ſequi contentus, & Thomam Auguſtodunenſem ac Holſteniùm. Julius Cæſar quidem in libro I. Commentariorum Bibracte *opidum Æduorum longè maximum ac copioſiſſimum* nuncupat, & in libro VII. ait, *Bibracte eſſe opidum apud Æduos maximæ auctoritatis:* ſed caput Gentis illud eſſe non dicit. Certè Eumenius in Gratiarum actione Conſtantino Aug. Flavienſium nomine, *Bibracte* ab Auguſtoduno diſtinguit apertiſſimè his poſtremis orationis ſuæ verbis, à nemine hactenus intellectis, & ob id ſuppoſiticiis à pleriſque habitis. *Omnium ſis licèt dominus urbium, omnium nationum: nos tamen etiam nomen accepimus tuum jam, non antiquum. Bibracte quidem huc uſque dicta eſt Iulia, Pola, Florentia: ſed Flavia eſt civitas Æduorum.* Hoc eſt, *Bibracte* quidem in Æduis, ut & *Pola* Iſtriæ, & *Florentia* Tuſcorum à Julio Cæſare cognomen accepere, & Juliæ ſunt cognominatæ: at civitas Æduorum primaria, nimirum *Auguſtodunum*, à Flavio Conſtantio & Flavio Conſtantino Maximo Auguſtis, reſtitutoribus ſuis *Flavia* nunc non minùs illuſtri nomine appellatur, & ejus incolæ *Flavienſes*. Præterea Marlianus, qui ætatis ſuæ eruditiſſimus eſt habitus, & Ludovico XII. apud Francos regnante floruit, *Bibracte in formam ruris redactum, & in radicibus montis non longè ab Ædua civitate poſitum, nomen retinere* aſſerit. Quibus verbis & Eumenium ſecutus *Bibracte* ab Auguſtoduno ſeu Æduorum civitate diſtinguit, & nomen ei ſuum aſſerit, à veteri appellatione parumper detortum, *Beuvray* vel *Bevray*: qui locus hodieque eſt in pago Auguſtodunenſi, non procul ab Auguſtoduno, ut tabulæ nos docent, veteris nominis haud du-

H iij

biè retinens, i in e, b in u ex more mutatis. Johannes Livineius quoque Gandenſis, vir eruditiſſimus, qui XII. Panegyricos veteres notis illuſtravit, *Bibracte* Æduorum ab Auguſtoduno Æduorum diverſum agnoſcit in ſuis ad Eumenii Gratiarum actionem adnotationibus. Bertius in Theſauro ſuo Geographico & in Galliæ veteris Typo etiam *Bibracte* ab Auguſtoduno diſtinguit, & alterum non procul ab altero ponit, ut ponimus, ſecutus Ortelium. At Orontius & Vigenerius Bibracte Belnum interpretantur, nulla ratione ducti, quibus Ortelius accedit.

Cur ad tempus depoſito antiquo Auguſti nomine, novam *Flaviæ* appellationem ſuſceperit *Auguſtodunum*, aperit Eumenius in oratione pro reſtaurandis ſcholis: quum ait *civitatem* Auguſtodunenſium *latrocinio Bacaudicæ rebellionis obſeſſam, ac graviſſima clade perculſam*, Imperatores Diocletianum & Maximianum, *ruinarum ejus magnitudinem miseratos*, hortatu ac ſollicitudine Flavii Valerii Conſtantii Cæſaris reſtaurari juſſiſſe, *templis ac locis operibuſve publicis & privatis domibus refectis*, & ex *ampliſſimis provinciarum ordinibus* incolis novis ei attributis, *reſidibus aquis & novis amnibus* per milites legionarios *aridæ urbi infuſis*, (hoc eſt, alicujus fontis ac fluminis facta deductione Auguſtodunum) & *coloniâ ipſâ* (Sic Eumenius loquitur) *erectâ*. Iidem Diocletianus ac Maximianus Auguſti in epiſtola ſua *honeſtiſſima ac nobiliſſima Galliarum juventutis vitam in Auguſtodunenſium oppido ingenuis artibus erudiri* ſcribunt, ſeque *eam civitatem ad priſtinam gloriam reformare*: auditorioque Auguſtodunenſi, morte præceptoris ſeu Latini Rhetoris orbato, Eumenium ipſum ob eloquentiam præficiunt, ut ibi artem oratoriam profiteatur. Eumenius in Panegyrico Conſtantio Cæſ. *Devotiſſima* (inquit) *vobis civitas Æduorum ex Britannica victoria plurimos accepit artifices: & nunc exſtructione veterum domorum, & refectione operum publicorum, & templorum inſtauratione conſurgit: nunc ſibi redditum vetus illud Romanæ fraternitatis nomen exiſtimat, cùm te rurſus habeat conditorem.* Hæc contigere poſt annum Chriſti CCXCVI. quo anno Britannia inſula à Flavio Conſtantio Cæſ. recepta eſt.

Idem Eumenius, in Gratiarum actione Conſtantino Aug. Flavienſium nomine, de Conſtantii primùm Cæſaris, deinde Auguſti in Auguſtodunenſes beneficiis ſic refert. *Ædui* (id eſt Auguſtodunenſes) fruſtra exſpectato Claudii Aug. auxilio, quem ad recuperandas Gallias ſollicitaverant, *ſeptem menſibus à Tetrico clauſi, & omnia inopia miſeranda perpeſſi, tum demum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt, cùm feſſi obſervare non poſſent. Ob hæc merita Divus pater tuus* (Conſtantius) *civitatem Æduorum jacentem erexit, perditamque recreavit; lavacris quæ corruerant exſtruendis, & meatis undique transferendis, ut eſſet illa civitas provinciarum velut una mater.* Numquam tamen quod ſciam, Auguſtodunum mater vel metropolis aliquarum provinciarum Galliæ fuit, ac ne unius quidem provinciæ ſuæ, nimirum Lugdunenſis primæ, ſemper prævalente ac præſidente Lugduno ejus capite atque metropoli reliquarumque Lugdunenſium Conſtantio Cæſare Mænianæ ſcholæ Auguſtoduni, *quondam pulcherrimo opere & peculiari ſtudiorum frequentiâ celebres ac illuſtres*, cum ſuis porticibus, *juxta cetera opera ac templa reparata ac inſtaurata* ſunt. Mæniana autem ait fuiſſe Eumenius *in ipſa civitatis fronte præcipuo loco poſita* inter Apollinis templum & Capitolium. Quantam Auguſtoduni curam egerit, quæve ibi paterno exemplo reparari juſſerit Flavius Valerius Conſtantinus Aug. Flavii Valerii Conſtantii Aug. filius, Eumenius in Gratiarum actione Conſtantino Aug. Flavienſium nomine poſt quintum Imperii ejus annum peractum, docet his verbis. *Si Flavia Æduorum tandem æterno nomine nuncupata, commovere ſe funditus & huc venire potuiſſet: tibi reſtitutori ſuo, immo ut veriùs fatear conditori in ea potiſſimum civitate* (Treviris) *gratias ageret, cujus eam ſimilem facere cœpiſti. Nunc itaque cùm in hac urbe* (Treviris) *quæ adhuc aſſiduitate præſentiæ tuæ præ ceteris fruitur*, (*Habebit enim felicitatis æmulam Flaviam noſtram*) *omnis tibi Imperii apparatus adſiſtat.* Item, *Cujus civitatis antiqua nobilitas, & quondam fraterno P. R. nomine gloriata, opem tuæ majeſtatis exſpectat, ut illic quoque loca publica & templa pulcherrima tua liberalitate reparentur: ſicut heic video hanc fortunatiſſimam civitatem ita cunctis mœnibus reſurgentem, ut ſe quodammodo olim gaudeat corruiſſe.* A Flavio igitur Conſtantio, Flavióque Conſtantino Augg. inſtauratoribus aut potiùs alteris conditoribus ſuis Auguſtodunum, decreto Senatus Auguſtodunenſis, dictum eſt *Flavia Æduorum*, aut ſimpliciter & abſolutè *Flavia* principatu Conſtantini Maximi.

Imperantibus Conſtantio & Conſtantino Maximo ejus filio, erant Auguſtoduni *Apollinis templum*, & *Capitolium*, *fana longè omnium in ea urbe pulcherrima & celeberrima* Eumenio appellata: è quibus Capitolium Jovi, Junoni, ac Minervæ dicatum fuit; templum Apollinis lucum & fontem aquis calidis nobilem habuit: de quo ſic in Gratiarum actione Conſtantino Aug. ſcribit Eumenius, Auguſtodunenſis civis & Rhetor. *Omnia te ad ſe vocare templa videantur; præcipueque Apollo noſter*, (hoc eſt Apollo Auguſtodunenſis) *cujus ferventibus aquis perjuria puniuntur.* Item, *Omnium ſigna Collegiorum, omnium Deorum noſtrorum ſimulacra protulimus.* Ibidem *illos Apollinis lucos, & ſacras ſedes, & anhela fontium ora* commemorat: *quorum ſcaturigines levi tepore nebuloſæ, & calentes aquæ ſine ullo ſoli ardentis indicio: quarum nulla eſt triſtitia ſaporis aut halitûs, ſed talis hauſtu & odore ſinceritas, qualis fontium frigidorum* Commemorat & *portas* Auguſtoduni *in ſinum reductas, procurrentibus utrimque turribus* ex more: commemorat & Palatium ejus, ſedem Imperatorum ac Cæſarum his verbis. *Exornavimus vias, quibus in Palatium pervenitur.* Item: *Cùm in illo aditu Palatii tui ſtratum ante pedes tuos Ordinem* (hoc eſt Senatum vel Curiam Auguſtodunēſem) *voce divina porrectâque hac invictâ dexterâ ſublevaſti.* Leodegarius Auguſtodunenſis Epiſcopus die Paſſionis Domini, *cruentum Regis Childerici adiiſſe Palatium* dicitur Auguſtoduni commorantis: & ipſe Rex ab Eccleſia *ad Palatium pranſurus abſceſſiſſe*.

Præjectus quoque Aruernorum Epiſcopus eodem tempore Auguſtodunum *ad Palatium properavit, & ut mos eſt apud Regis aulam, in locum ubi cauſa ventilantur introiit.*

Mœnia tamen Auguſtoduni nec Conſtantius, nec Conſtantinus Auguſti videntur refeciſſe, cùm cetera urbis loca publica & opida repararent. Nam Ammianus Marcellinus qui ſub Imperatoribus Conſtantio Conſtantini filio & Juliano Conſtantii fratre patrueli militavit, *muros Auguſtuduni civitatis antiqua* commeii orat *ſpatioſi quidem ambitûs, ſed carie vetuſtatis invalidos*, & in libro XV. *mœnium Auguſtuduni magnitudinem vetuſtam. Caries* autem vel teredo quam vermes non lapidi, ſed ligno inferre conſueverunt, indicat muros iſtos Auguſtodunenſes conditos fuiſſe more veteri Gallorum ex lapidibus & trabibus alterno ordine interpoſitis: cujus moris Julius Cæſar mentionem fecit.

Auguſtodunum dictum eſt ab incolis *Flavia Æduorum*, & *Auguſtodunenſes Flavienſium* nomine gloriati ſunt, quamdiu Conſtantinus Auguſtus imperavit: ſed poſt Conſtantini obitum, aut ſaltem poſt mortem Conſtantii Conſtantini filii, Flaviæ ac Flavienſium nomen exolevit, & urbs opidanique veterem appellationem reſumſerunt. Urbs inquam modò *Auguſtodunum* ſeu *civitas Auguſtodunenſium*, modò *civitas Æduorum* Eduorumve dicta eſt. *Civitatē Æduorum* non Eumenius modò civis, ſed etiam veteres Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ Auguſtodunum vocavere, & in provincia Lugdunenſi I. à Lugduno Metropoli proximam poſuere, non quòd unam eam ac unicam civitatem haberent Ædui, (Habebant enim & Cabillunum, & Matiſconem, & Noviodunum ad Ligerim ſeu Nivernum, aliaſque præterea urbes) ſed quod Auguſtodunum civitas Æduorum eſſet princeps ac primaria, caputque Gentis & ceterarum ejus urbium. Quare & à noſtris Hiſtoricis *Ædua* aut *Edua* non raró nuncupata, incolæ *Æduenſes*. Audoënus in libro I. de Vita S. Eligii *civitatem qua olim Edua, nunc autem Auguſtudunum vocatur*; & Urſinus Audoëni æqualis ante annos mille, in Vita S. Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi *urbem Eduam ſive Auguſtidunum*, ac ſimpliciter *Eduam* appellat. Ambos ſequitur Erricus, Monachus Monaſterii S. Germani Autiſſiodurenſis Epiſcopi, in Vita ejus Carolo Calvo ante annos DCCC. nuncupata, cujus in libro I. ſunt hi verſus:

Urbs antiqua fuit toto celeberrima mundo,
Hædua dicta priùs. Primaria cùm jacerentur
Fundamenta ſolo, geminos fert fabula viſos
Prœlia laſcivis agitantes luſibus hædos.
Auſpiciis veteres aſſueti denique primis,
Nomina condendis ponebant urbibus olim.
Hanc primùm veniens Alpino à litore Cæſar
Adſcivit ſociam, gentiſque in fœdera traxit
Romuleæ, Socioſque novos Fratreſque vocavit,
Inque caput Regni primatum ſumere juſſit.
Celtica Roma dein' voluit cœpitque vocari.
Crevit amicitiæ ſenſim per tempora robur.
Urbs quoque provectum meritiſque & nomine ſumſit,
Auguſtidunum demum tùm cœpta vocari:
Auguſti montem transfert quod Celtica lingua.

Ubi Erricus ridiculè Heduæ urbis ſeu Auguſtoduni nomen Gallicum non ab Heduis, uti fieri oportuit, ſed ab hædis vocabulo Latino deducit: falſoque affirmat Julium Cæſarem ſimul ac Galliam cum exercitu ingreſſus eſt, primùm cum eis ſocietatem fœduſq; junxiſſe, & Fratres populi Romani appellandos curaviſſe. Quippe Cæſar ipſe in libro I. ſcribit, *Æduos ſæpenumero Fratres conſanguineoſque ab Senatu appellatos* eſſe multo ante ſuum in Gallias adventum; *ſocioſque & amicos Populi Romani* vocat: idemque Cicero & Plutarchus in Cæſare indicant. Et Tacitus *fœdus* eorum cum Populo Romano *antiquum* nuncupat: ut appareat diu ante Cæſarem fuiſſe percuſſum. Quando autem, aut à quibus ſcriptoribus caput Gentis Æduorum dictum eſt *Roma Celtica?* Hoc nomen, vel potiùs cognomen Lugduno Coloniæ Romanæ, capiti totius Galliæ Lugdunenſis aut Celticæ potiùs conveniret. Aimoinus Audoënum, Urſinúmque ac Erricum imitatus, initio Franciсæ Hiſtoriæ ait, *Edua, quæ & Auguſtidunus: item Auguſtidunus, quam Julius Eduam nominat.* Aimoinum Hugo Monachus Floriacenſis in libro III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Robertus Monachus Autiſſidorenſis in Chronico tranſſcripſere. At Audoënus, Erricus, Aimoinuſque falluntur, non intellectis Cæſaris verbis decepti. Nec enim Julius Cæſar nomine *civitatis Æduorum* aut *civitatis Edua* unam aliquam Æduorum urbem, putà caput Gentis Auguſtodunum poſtmodum dictum deſignavit, ſed more ſuo totum agrum totamve regionem Æduorum. Non igitur caput Gentis Æduorum (quocumque nomine Julii Cæſaris ætate appellatum ſit) primùm *civitas Ædua*, deinde ab Auguſto Auguſtodunum eſt dictum, uti Audoënus, Erricus atque Aimoinus putant: ſed contrà primò *Auguſtodunum*, deinde *civitas Æduorum*, aut abſolutè *Ædua* nuncupatum eſt nomine Gentis cujus caput erat: ſicuti multis clariſſimiſque Galliæ urbibus videmus accidiſſe, quæ veteri ac proprio nomini ſui quæque populi cui caput erant appellationem ſæpe prætulerunt, multo tamen poſt Julii Cæſaris mortem.

Pagus Auguſtodunenſis Ligere & Arare fluminibus terminabatur, *l'Auſtunois* vulgò dictus. Certè Eumenius in Gratiarum actione Conſtantino Aug. Flavienſium nomine, de eo pago ſic ſcribit. *Quidquid olim fuerat tolerabilis ſoli*, (in Auguſtodunenſi pago) *aut corruptum eſt paludibus, aut ſentibus & ſilvis impeditum. Illa autem quæ ſubjecta & uſque ad Ararim porrecta planities, fuit quidem (ut audio) aliquando jucunda.* Auctor Appendicis Fredegarii: *Rex Pippinus iterum ad Denegantium cum magno exercitu Francorum ad Ligerem veniens, inde per pagum Auguſtudunenſem ad propriam ſedem remeavit.* Quibus ex verbis intelligitur, tranſito Ligere ſtatim pagum Auguſtodunen-

ſem intrari, ejuſque pagi partem ad flumen Ararim porrigi. Erricus Monachus in libro I. de Vita S. Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi Eumenium ſequitur, ſcribitque Auguſtodunenſem regionem montanam, ſilveſtrem, nec frugum feracem eſſe ob cæli inclementiam, ſed fertilem bellicoſorum virorum.

Verùm nulla viros tellus magis extulit armis
Præcipuos, animique magis ad prœlia lecti.

Guillelmus Britto in libro I. Philippidos ſcribit, urbem Auguſtodunum à *Rollone Norvego*, hoc eſt Normannorum Duce *everſam* eſſe, & *redactam in nihilum prorſus, vix ut veſtigia reſtent*.

Et quoniam de Arotio fluvio Auguſtodunenſi mentionem fecimus, notandum eſt in veteribus tabulis hunc amnem nunc *Iſrum fluvium*, nunc *Heſrum*, necnon *fluvium Adrum* appellari, quem noſtri ſcriptores Arotium Latinè vocitant. *Burbuncia deſcendente in Iſrum fluvium.* Item: *Iſrum, Parrula, Burbincia:* Item, *res noſtras, quæ ſitæ ſunt in pago Auguſtidunenſe, id eſt capellam in honore S. Mariæ ſacratam ſuper fluvium Adro.* In Iſrum vel Adrum flumen *Burbincia* labitur vel *Burbintia*, modò *Burbuncia* & *Burbuntia*, modò *Burbontius fluvius*, & *Borbinſia* nuncupatus, vulgò *Brebence* aut *la Brebince*: qui *Parrulam* recipit, necnon fluvium *Valdracam* aut Vuldragam *Leudrac*, cui Patriciacus villa, *Percy*, in pago Auguſtodunenſi Monaſterio veteri nobilis eſt impoſita.

AULERCI CENOMANI ET SUBDINNUM CENOMANORUM.

Aulercos Cenomanos memorat Julius Cæſar in libro VII. Commentariorum, eiſque à Gallis adverſus ipſum Aleſiam obſidentem quinque hominum millia imperata eſſe ſcribit. Eoſdem idem eodem in libro *Aulercos* ſimpliciter & abſolutè vocat his verbis. *Celeriter ſibi Senones, Pariſios, Pictones, Cadurcos, Turonos, Aulercos, Lemovices, Andos, reliquoſque omnes qui Oceanum attingunt adjungit* Vercingetorix. Nimirum Turonibus, & Andis Andibuſve proximi ſunt Aulerci Cenomani. Cùm autem Cæſar in fine libri II. *Venetos, Unellos, Oſiſmos, Curioſolitas, Seſuvios* vel potiùs Lexovios, *Aulercos, Redones, eſſe maritimas civitates Oceanumque attingere* ait, nomine *Aulercorum* tam Aulercos Eburovices deſignare poteſt, quàm Aulercos Cenomanos: cùm utrique ab Oceano paribus diſtent intervallis: deſignare etiam poteſt Aulercos Diablintes, Cenomanis & Eburovicibus Oceano propiores. Cenomanos Cæſaris exemplo *Aulercos* vocat & Livius in libro V. qui partem Italiæ cum Lingonibus & Boiis, aliiſque Galliæ populis occupavere. Κενομάνοι Polybio in libro II. dicuntur, & Straboni in libro V. Apud Plinium in libri IV. capite XVIII. *Aulerci qui cognominantur Eburovices, & qui Cenomani* in Celtica vel Lugdunenſi Gallia; vulgò *les Manceaux*, quaſi Manicelli.

Ptolemæo ibidem Αὐλίρκιοι Κενομανοί: ὧν πόλις πρὸς ἀνατολὰς Οὐίνδινον. Ubi lego Σουίνδινον geminato σ, ultimâ litterâ nominis præcedentis, & capiti ſequentis vocabuli unde excidit præfixo. Suindinum Ptolemæi erit, quod in tabula Peutingeriana vocatur *Subdinnum*, & inter Juliomagum Andium ac Cæſarodunum Turonum ponitur. Graviter igitur errat Ortelius nominum ſimilitudine deceptus, quum *Vindinum* Ptolemæi, ac *Vindocinum* à Gregorio Turonico Epiſcopo aliiſque memoratum, unum idemque eſſe opidum credit. Quippe alterum eſt Cenomanorum caput, & *Suindinum* vel *Subdinnum* vocari debet, non *Vindinum*: *Vindocinum* autem ad Cenomanos nihil pertinet, ſed Carnutinæ parœciæ finibus hodieque continetur. Hæc urbs in Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ modò *civitas Cenomannorum* appellatur, modo & *civitas Cenomanorum*; *Cenomanni* & in Notitia Imperii. *Præfectus Laetorum Gentilium Suevorum Cenomannos Lugdunenſis* III. *Canomanni* Æthico in Coſmographia inter Oceani Occidentalis opida, vulgò *le Mans* truncato nomine veteri. *Cenomannis civitatem* pro Cenomannos vocat Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri Hiſt. II. capite XLII. quem auctor Geſtorum Francorum, Chronicon Fontanellenſe, Hugo Floriacenſis, Robertus Autiſſiodorenſis, aliique plurimi ſequuntur: qui & urbis Cenomanorum totiuſque adeò pagi Cenomanici incolas *Cenomannicos* in Hiſtoria Francica paſſim appellat, aut ſicuti ſcripti codices præferunt, *Cenomannicos*: quemadmodum *Turonicos*, *Namneticos*, *Redonicos*, *Pariſiacos*, *Sueſſionicos*, *Bituricos*, *Santonicos*, *Petragoricos*, non modò Cæſaroduni Turonum, Portus Namnetum, Condatis Redonum, Luteciæ Pariſiorum, Auguſtæ Sueſſionum, Avarici Biturigum, Mediolani Santonum, ac Veſunnæ Petrocoriorum, ſed etiam agri totius ſingularum earum Gentium habitatores appellare conſuevit.

Agrum fineſve Cenomanorum *Cenomannicum* abſolutè Geſta Francorum in capite XXXIII. vocant; *Cenomanicum* Capitula Caroli Magni; *Cenomannicum* quoq; Capitula Silvacenſia Caroli Calvi; *pagum Cenomannicum* Vita Conſtantiani Abbatis, necnon Ludovici Pii Imp. *pagum Cenomanicum* Vita B. Medardi Viromanduorum Epiſcopi. Ex quibus intelligitur *Cenomanos* ac *Cenomannos* promiſcuè dici ſolitos eſſe, ſicut Marcomannos & Marcomanos, quos Statius *Marcomanos* penultimâ brevi nuncupavit, Alamannos & Alamanos. *Cenomanicum* veteres apud auctores quum legimus, agrum, aut pagum, aut territorium ſubaudire debemus: ut ſit pagus aut ager Cenomanicus, vel territorium Cenomanicum, *Cenomania* aliis dictum, vulgò *le Maine*, quaſi *Mania* mutilo ac dimidiato *Cenomania* vocabulo. Cenomania autem Ducatus olim fuit. Nam *Cenomannicum Ducatum* Vita S. Conſtantiani Abbatis; Geſta Dagoberti Regis Francorum *Ducatum Cinomannicum* memorant.

Eginhardus ſcribit in Annalibus, *Grifonem more Ducum* XII. *Comitatibus* à Pippino fratre ſuo *eſſe donatum in partibus Neuſtriæ*, ut addunt Annales Fuldenſes: aut quemadmodum in Chronico S. Arnulfi ſive in Annalibus Mettenſibus invenio, *Pippinus Princeps Francorum Gripponi Cinomannicam urbem cum* XII. *Comitatibus dedit*,

dedit. Cùm igitur Grippo ſeu Griſo à fratre ſuo Dux factus & more Ducum XII. Comitatibus in Neuſtria donatus ſit, unà cum clara Neuſtriæ urbe Cenomanis: apparet eam urbem Gripponi pro capite Ducatûs ſui ac pro ſede eſſe attributam: ſicut jamindeà Chlodovei Magni filiis Ducatus Cenomanicus inſignis habebatur.

Ordericus Vitalis in libro X. *turrim Cenomanicam* memorat, quam & *Regiam turrim*, id eſt præcipuam appellat; ut *Regias* vocitabant majores januas Palatiorum & Baſilicarum. In eadem urbe *mons Barbatus*, & *mons Barbatulus* munimenta erant, ab Anglorum Regibus Normanniæ Ducibus condita, ut ibidem refert.

AULERCI DIABLINTES.

Cajus Julius Cæſar in libro III. Commentariorum belli Gallici *Diablintes* commemorat inter maritimas civitates, quorum nomen in quibuſdam exemplaribus Cæſaris corruptè ſcribitur *Diablintres*. Hi Plinio in Lugdunenſi Gallia inter *Curioſolites* & *Redones Diablindi* t. in d tranſeunte, ut perſæpe contingit: Claudio Ptolemæo eadem in provincia Αὐλιρκιοι Διαυλῖται, ὧν πόλις Νοιόδουνον, *Aulerci Diavlitæ* vel potiùs Diablitæ in mediterraneis, Venetis magis occidui: in Notitiis veteribus provinciarum & civitatum Galliæ nunc *Diablintes*, aut quod idem eſt, *Diablinti*, *Diablentes*, & *Diaplintes*; nunc etiam ut apud Ptolemæum n litterâ expunctâ *Deablites* & *Deabliti*, id eſt *Diablites* vel *Diabliti*.

Urbs primaria Diablintum à Ptolemæo *Noeodunum* ſeu Noviodunum nuncupatur, Νοιόδουνον; in tabula Theodoſiana quæ ab editore Peutingeriana dicitur, *Nudionnum* corruptè forſitan pro Nuiodunum, Niodunaum aut Niodunum: in Notitiis quarum ſuprà mentionem feci, inter civitates provinciæ Lugdunenſis tertiæ nonum ac noviſſimum locum tenet *civitas Diablintum*; in Notitia quadam quæ in Bibliotheca Thuanea ſervatur, *Civitas Diablintum id eſt Cariſes, qua alio nomine Adala nuncupatur.* In Chronico Roberti Monachi Autiſſiodurenſis, Turonenſis provinciæ ultima eſt *civitas Diablintum, id eſt Adala:* In Notitia Galliæ, quam Andreas Cheſnius è bibliotheca Petaviana eruit, *civitas Diablintum, id eſt Cariſes.* Sed quæ ſit civitas Adala vel Cariſes, nomen uti videtur Britannicum, non minùs quàm qui ſint Diablintes ignoramus. Raimundus Marlianus qui ante annos CL. floruit, & ætatis ſuæ doctiſſimus eſt habitus, Diablintes interpretatur *Gallicè Leondoul*, ſeu *Leondol*, ineptè prorſus ex duabus Britanniæ minoris civitatibus unam faciens, & Leonenſes ac Dolenſes, longis terrarum ſpatiis ſecretos, in unum conjungens. Quippe inter Leonenſes & Dolenſes tres Britanniæ ciſmarinæ diœceſes intercedunt, Trecorenſis, Brіocenſis, Aletenſis vel Maclovienſis. Joſephus Scaliger cùm Notitiam quamdam civitatum Galliæ explicaret, & veteribus earum nominibus nova adjiceret, civitatem Oſiſmiorum ac civitatem Diablintum intactas & ſine expoſitione tranſmiſit: quo ſilentio agnovit ingenuè palamque fecit, ſe Diablintum & Oſiſmiorum ſitum ex æquo neſcire. Audacior Scaligero Sampſon *Diablintes* pro *Perticenſibus* noſtris accipit, quoniam (inquit) cùm *Aulerci* primò nomen fuerit unius populi, qui poſtea in tres populos diviſus ſit, videlicet in *Aulercos Cenomanos*, *Aulercos Diablintes*, & *Aulercos Eburovices:* oportet tres hoſce populos eſſe confines, & in una aliqua regione quæ tota unius Gentis primùm extiterit, conſidere. Cùm igitur *Aulerci Cenomani* ſuam diœceſin hodie habeant omnibus notam, habeant & *Aulerci Eburovices* ſuam: videntur *Aulerci Diablintes* non alii regioni quàm Pertico inter Cenomanos & Eburovices jacenti convenire, & Noviodunum Diablintum Novigento Rotroci; quod olim diœceſin ſibi ſuam habere potuit, quæ poſtea quadrifariam diviſa, & partim Cenomanis ac Saiis, partim Eburovicibus atque Carnutibus ſit attributa: uti nunc Perticus inter quatuor haſce diœceſes dividitur. Hæc Nicolaus Sampſon Abbavillanus, Geographus Regius. Quas conjecturas nulla ratione veriſimili, nulla cujuſquam veteris aut recentioris etiam ſcriptoris auctoritate ſubnixas, ut facilè nobis obtruduntur, ita liberè rejicere debemus potiuſquàm refellere: cùm ipſæ non alieno impulſu, ſed ſua levitate labefactatæ concidant. Quippe *Aulerci Cenomani*, *Aulerci Eburovices*, & *Aulerci Diablintes* nũquam una Gens, at ſemper tres populi fuere, ſuo quiſque nomine proprio, ſuis quiſque finibus ab aliis diviſi, nec quidquam præter cognomen Aulercorum habuere commune. Quòd ſi omnes *Aulercos* confines eſſe oporteret: oporteret & *Aulercos Brannovices*, quos Julius Cæſar in libro VII. Commentariorum belli Gallici unà cum Seguſianis Æduorum clientes facit atque vicinos, *A. Cenomanis*, *A. Eburovicibus*, ac *Aul. Diablintibus* eſſe conterminos: oporteret omnes ejuſdem nominis aut cognominis populos, exempli gratiâ Bituriges Viviſcos Biturigibus Cubis; Centrones in Belgica Nerviorum clientes Centronibus Alpium Graiarum incolis; Seguſianos in Alpibus Cottiis Ptolemæo dictos Seguſianis notiſſimæ inter Ligerim & Ararim Galliæ Lugdunenſis Genti; Boios Aquitanos trans flumen Garumnam Boiis Celticis Æduorum conterraneis; Medulos item trans Garumnam Medulis Alpinæ Genti eſſe conterminos. Noiodunum autem ſive Noviodunum civitatem Aulercorum Diablintum, ſedem olim Epiſcopatûs fuiſſe, vel Diablintes ſuam quondam Diœceſin habuiſſe, non ullæ epiſtolæ, non Concilia ulla Gallicana, non ullæ Epiſcoporum ſubſcriptiones indicant: nec quidquid fieri potuit, pro facto haberi aut gratis fingi debet. Falsò enim quidam ſibi perſuadent, quæ in veteribus Notitiis provinciarum Galliæ *civitates* & *caſtra* appellantur, omnes olim ſedes Epiſcopales fuiſſe. Quippe *civitas Rigomagenſium*, & *civitas Sollinenſium* in provincia Alpium Maritimarum, *caſtrum* quoque *Ebredunenſe* in Maxima Sequanorum (ne de aliis loquar) numquam Epiſcoporum ſedes extiterunt.

Ubi ſunt ergo Diablintes? dicet aliquis. Ego in Britannia Armorica quærendos eos eſſe exiſtimo, propterea quòd à Plinio Secundo ponuntur inter Curioſolites & Redones ejuſce regionis populos, cui *Diablindi* vocantur: & quòd

à Claudio Ptolemæo collocantur in mediterraneis, & plus Venetis ſpectare dicuntur in occidentem Solem. Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τῶν μὲν Οὐενετῶν εἰσὶν δυσμικώτεροι Αὐλίρκιοι Διαυλῖται.

AULERCI EBUROVICES, MEDIOLANUM AULERCORUM, ET PAGUS EBROICINUS.

Qui Cæſari in libro III. Commentariorum *Aulerci Eburovices*, & in fine libri *Aulerci* nominantur, & cum Lexoviis vel Lexobiis utrubique conjunguntur; hi in libro VII. corruptè *Aulerci Eburones* pro *Aul. Eburovices*, in MSS. codicibus Plinii in Gallia Lugdunenſi ſeu Celtica *Aulerci Eburovices* dicuntur, non ut in libris impreſſis legitur, *Aul. Eburones*. Nam Eburones ſunt in provincia Germania II. ſeu inferiore, Tungri notiore nomine appellati, qui à novo capite Gentis poſtea Leodicenſes ſunt dicti. Certè & P. Oroſius in libro VI. & Ado in Chronico, ac Hiſtoriæ Miſcellæ liber VI. MS. *Aulercos Eburovices* vocant. Et in Pauli Diaconi ſcriptis codicibus *Albercos Eburovices*, item *Aluernos Eburovices* reperio, cognomine mendoſo, pro *Aulercos*; at nomine incorrupto & ſincero: cùm in libris impreſſis legamus *Aulercos Eburonices*. Hi à Ptolemæo vocantur Aulerci Eburaici, Αὐλίρκιοι Ἐβουραϊκοὶ, fortè pro Ἐβουρουϊκοὶ vel Ἐβουροϊκοὶ, id eſt *Eburovici* vel *Eburoici*: quos ait à Ligere ad Sequanam pertinere; Διήκοντες ἀπὸ τοῦ Λίγηρος ποταμοῦ ἐπὶ τὸν Σηκοάναν Αὐλ. Ἐβουρ. Hoc falſum eſſe nemo non videt. Sunt enim Aulerci Eburovices poſiti quidem inter utrumque flumen: ſed triplo magis abeſt à Ligeri Mediolanum Aulercorum Eburovicum caput quàm à Sequana. Et Sequanam quidem ni fallor fines Gentis attingunt, Ligerim autem minimè, Carnutibus latè interpoſitis. *Aulerci* ergo *Eburovices* dicendi ſunt, & veró dicti ſunt olim, ut Lemovices, Brannovices: quod & Philippus Cluverius animadvertit: qui poſtea per contractionem *Ebroici* ſunt appellati.

Eorum urbs & caput Ptolemæo Μεδιολάνιον in Gallia Lugdunenſi; Ammiano in Lugdunenſi II. *Mediolanum*: in tabula Peutingeriana & in Itinerario Æthici *Mediolanum Aulercorum*; in Notitiis civitatum Galliæ, in provincia Lugdunenſi II. *civitas Ebroicorum*; in alia Notitia *civitas Euaticorum Ebroicas*, ſeu Ebroicæ; in alia *civitas Evaticorum, id eſt Ebroicûm* nuncupatur, vulgò *Evreux*. Uſuardus III. Idus Aug. *caſtellum Ebroas*; Ordericus Vitalis nunc *Ebroicam urbem*, nunc & ſæpius *Ebroas* truncato nomine pro Ebroicis appellat: in primis in libro V. *Evanticorum, id eſt Ebroas, urbem ſuper Ittonam fluvium ſitam* vocat; item eodem in libro *urbem Evanticorum, id eſt Ebroas*. Ubi notandum eſt, cùm n non abſorbeatur aut elidatur ſicut u, *Ebroicos* populum & *Ebroicas* urbem ex *Eburonicibus* fieri non poſſe, ex *Eburovicibus* poſſe. Qui autem ſint illi *Evatici* vel *Evantici*, quos dux Notitiæ & Ordericus pro Aulercis Eburovicibus nobis obtrudunt, aut quæ cauſſa vel origo recentioris hujuſce nominis ſit, comminiſci non poſſum.

Camulogenus Aulercus, cujus in libro VII. de bello Gallico mentionem fecit C. Cæſar, dux Senonum, Pariſiorum & finitimarum civitatum adverſus Labienum, haud dubiè erat Aulercus Eburovix. Certè ut tabula Theodoſiana & Æthicus ſuprà Ebroicas *Mediolanum Aulercorum* vocando, *Aulercorum* nomine *Aulercos Eburovices* abſolutè deſignavere; ſic & Magno his verbis. *Alerci, Ebroica*, id eſt *Aulerci*, quorum caput *Ebroica*.

Ab Ebroicis *pagus Ebroicinus* nomen accepit; qui *Ebrecinus* in Capitulis Caroli Magni nuncupatur; *Ebricinus* in Capitulis Caroli Calvi ejus nepotis. Nunc à ſilva locoque Utico *Ouche* vulgò dictis, pars pagi Ebroicini, vocatur à Noſtris *pagus Uticenſis*, *le Pays d'Ouche*.

Joſephus Scaliger in Notitia Imperii Rom. *tractum Nervicanum*, qui cum Armoricano conjungitur, & ibidem *tractus Nervicani limitis* nuncupatur, mutat in *Ebruicanum* b litterâ pro n ſubſtitutâ, haud dubiè infelici & falsâ conjecturâ: cùm & Paulinus in epiſtola ad Victricium Rotomagenſium Epiſcopum, *remotiſſimum Nervici litoris tractum* poſt terram Morinorum ceu ei proximum memoret; & à Nerviis Gente nobiliſſima *tractus Nervicanus*, ſeu *Nervicanus limes*, aut *Nervicum litus* nomen acceperit, non ab Eburovicibus vel Ebroicis, qui inter civitates Armoricas inter Ligerim & Sequanam poſitas ſedem habebant, & ob id tractui Armoricano propriè dicto adſcribebantur, non Nervico.

AURELIACUM.

Aureliacum ab Aurelio conditore aut domino haud dubiè nomen invenit. Vulgò *Aurillac* vel *Orillac* hodieque dicitur, & eſt quale olim fuit, caſtrum in ſuperiore Arvernia, veteri Monaſterio inſigne, quod S. Geraldus ædificaviſſe ac dotaviſſe fertur: quod Aimoinus in libro I. de Miraculis S. Benedicti *Monaſterium S. Giraldi apud Aureliacum* vocat; alii *Aureliacum Monaſterium*. Odo Cluniacenſis Abbas qui de Vita S. Geraldi Aureliacenſis Comitis IV. libellos compoſuit, *Aureliacum opidum* commemorat.

AUSCI ET AUGUSTA AUSCORUM.

Garites inter & Garumnos *Auſci* Gens Aquitaniæ memorantur à Jul. Cæſare in libro III. Commentariorum belli Gallici, & à Plinio in Aquitanica inter Conſorannos & Eluſates. Pomponius Mella *Aquitanorum clariſſimos eſſe Auſcos* ait, *urbemque opulentiſſimam in Auſcis Eluſaberrim*. Aquitaniam autem ille exemplo J. Cæſaris Garumna flumine & Pyrenæis montibus terminat. In tabula Theodoſiana *Auſci* populus notantur majoribus litteris. Ptolemæus quem Notitiæ Galliæ ſequuntur, *Auſcios* vocat, & *eorum urbem Auguſtam* in Aquitania. ὑπὸ Δατίους (inquit) Αὔσκιοι, ὧν πόλις Αὐγοῦστα. Quæ verba ita reſtituenda eſſe exiſtimo; ὑπὸ Ὀυεδατίους vel Ὀσιδατίους Αὔσκιοι: ut Ptolemæus Auſcos ſubjacere Oſſidatibus indicet, de quibus nos in Aquis Tarbellicis egimus.

Auguſta igitur ab Auguſto Cæſare cognominata eſt urbs præcipua Auſcorum. Ptolemæo enim diligentiſſimo ſcriptori accedere malim quàm Mellæ *Eluſaberrim* appellanti, & ut videtur Eluſates Auſcoſque, confines qui-

dem at diverſas Gentes Aquitaniæ, confundenti. Auguſta Auſcorum poſtea Gentis etiam cujus caput erat appellationem ſuſcepit, more multarum Galliæ urbium, & *Auſci* nuncupata eſt. Certè Ammianus Marcellinus clariſſimas Galliarum urbes enumerans in libro xv. *Novempopulos* (inquit) *Auſci commendant & Vaſata.* Vivebat Ammianus ætate Theodoſii Aug. ac forſitan etiam initio Principatûs Honorii ejus filii: quo Imperatore compoſita Notitia provinciarum ac civitatum Galliæ, *civitatem Auſciorum* poſtremam collocat inter prov. Novempopulanæ civitates numero duodecim, *civitatem* verò *Vaſaticam* nono loco ſub Metropoli civitate Eluſatium: qui utriuſque civitatis locus vel ordo parum verbis Ammiani videtur convenire. *Civitatem Auſciorum* appellant & ceteræ veteres Notitiæ Galliarum: ſed aliæ *civitati Eluſatium metropoli* proximam gradu faciunt civitatem Auſciorum, ſecundámve nominant: aliæ provinciæ Novempopulanæ *metropolim civitatem Auſciorum* ſtatuunt, ultimam *civitatem Eluſatium*. Nimirum ut Eluſa ex Novempopulanæ civitatum metropoli vel prima ultima facta eſt; ſic Auguſta Auſcorum vice verſâ de noviſſima provinciæ urbe prima ac metropolis evaſit, *civitas Auſcius* dicta in Itinerario Burdigalenſi, *Auſcienſis urbs* Gregorio in libro x. Roberto Novempopulanæ prov. *metropolis civitas Auſcia.* Recentiores quoque Notitiæ cum Gervaſio Tiſlebetienſi *Vaſconia metropolitam* ſeu *Archiepiſcopum Auſcitanum* faciunt, cui x. Epiſcopi ſuffragantur, Eluſâ ex catalogo civitatum demum eraſâ: ſed pro *Auſcitano Auxitanum* ab indoctis ſcriptum reperio: & Roderico Toletano in Hiſtoria Arabum pro Auſcis *Auxis Vaſconiarum metropolis* vocatur.

Et civitas quidem Auſcorum primò Epiſcopatûs ſedes fuit ſub Eluſa metropoli. Nam Concilio Agathenſi *Clarus Epiſcopus de civitate Eluſa metropoli*, & *Nicetius Epiſcopus de Auſciis* ſubſcripſere; Concilio Aurelianenſi I. *Leontius Epiſcopus Eccleſiæ Eluſanæ metropolis*, & *Nicetius Epiſcopus Eccleſiæ Auſcenſis*; Conciliis Aurelianenſibus II. IV. & V. *Aſpaſius Epiſcopus Eloſenſis* & *Proculeianus Epiſcopus Auſcienſis*, alias *Auſcenſis*. *Laban Epiſcopus ab Eluſa* vicarium miſit, qui Concilio Matiſconenſi II. pro ſe abſente ſubſcriberet, eique *Fauſtus Epiſcopus Eccleſiæ Auſciorum* interfuit. Synodo Remenſi *Senoc Eloſanus* & *Audericus Auſcenſis Epiſcopi* adfuerunt & conſenſerunt. Ex quibus *Laban Heloſenſis Epiſcopus* à Gregorio noſtro in libro VIII. dicitur; Senoc verò *Sidocus Epiſcopus Æloſanus* à Fredegario. Poſtea dirutâ ut videtur Eluſâ Novempopulanæ ſeu Vaſconiæ metropoli, Auguſta Auſcorum ex ſede Epiſcopali Archiepiſcopatus ſive metropolis provinciæ evaſit: quod circa annum DCC. aut DCCC. accidiſſe quidam putant. Airardum certè qui anno DCCCLXXIX. vixit, Johannes VIII. Epiſcopus urbis Romæ in litteris ad eum miſſis *Archiepiſcopum Auſcenſem* appellat.

Poſita eſt Auguſta Auſcorum ad amnem Ægircium vel Egirtium, *Gers*, Fortunato memoratum, & vulgò *Auſch* nuncupatur; Scaligero *Auch*; in quibuſdam tabulis *Aux* mendosè.

Iſaacius Voſſius affirmat, in veteribus Mellæ codicibus libri III. capite II. non *Eluſaberrim*, ſed *Elimberriam* ſcriptum reperiri, quod in *Climberrum* converti ait oportere E in C mutato, ejuſque meminiſſe Æthicum in Itinere ab Aginno Lugdunum Convenarum ſic; *Lactorâ* M. P. xv. *Clemberrum* xv. *Berſino* x. *Lugdunum* XXIV. meminiſſe & tabulam Peutingerianam, in qua *Climberris* vocetur, vel in VI. caſu *Climberre*. Apud Æthicum *Clemberrum* & *Climberrum* legi in priſcis membranis aſſerit Simlerus; Surita *Climberrum*, & per contractionem *Climbrum*. Quem locum Æthicus cùm inter Lacturam & Lugdunum Convenarum ponat, & ab Lactura xv. ab Aginno XXX. millibus paſſuum diſtare tradat, à Lugduno Convenarum XXXIV. apparet hunc ſitum hancque diſtantiam Auguſtæ Auſcorum propriè convenire. Ex quo apertè intelligitur, Mellam fide antiquorum ipſius codicum atque Æthici, ſicuti ſupra diximus, emendari debere; & unam eamdemque urbem nunc veteri nomine Gallico *Climberrim* aut *Climberrum*, nunc Latino à Romanis impoſito *Auguſtam Auſcorum* nuncupari conſueviſſe.

Arnaldus Oihenartus in Fidentiacenſi pago atque Comitatu, qui olim Armaniacenſem pagum continebat, urbes primarias fuiſſe Auguſtam Auſcorum ait & Fidentiacum, *Vic Feſenſac*, bellis civilibus everſum. *Comitatus Fedentiacus* in Vita Ludovici Pii Imper. memoratur anno DCCCII. *territorium Fidentiacum* in tranſlatione Fauſtæ Virg. & Mart. anno DCCCLXIV.

Ptolemæus parum exactè ſub Auſciis Velaunos, ſub Vaſatibus Gabalos, ſub Gabalis Oſſidates collocat, qui ſunt magnis locorum intervallis diviſi.

AUSTERBANTUM.

Auſterbantum memorat Imp. Ludovicus Pius in præcepto de Diviſione regni ſui inter filios, & inter Hainoum ac Atrebates ponit his verbis. *Aman, Auſterban, Adertenſis.* Ubi emendandum eſt haud dubiè *Ainau*. Auſterbanti ſeu *pagi Auſtrebantenſis* meminit & Hugbaldus Monachus Elnonenſis, auctor libri de Vita S. Rictrudis. Ibi enim Rictrudim puellam nobilem Adalbaldus Francus, genere & opibus clarus, multiſque præcipuè *in pago Auſtrebantenſi* fundis & poſſeſſionibus pollens, Gerebertæ filius, B. Gertrudis Monaſterii Hamatici auctoris nepos, uxorem duxiſſe dicitur, ex eaque liberos ſuſcepiſſe, Mauronium Monaſterii Broili Abbatem, & tres Virgines Deo devotas, Clotſendem, quæ matre mortua Monaſterium Marcianenſe rexit, Euſebiam Hamatici Cœnobii proaniti Abbatiſſam futuram, atque Adalſindem, quæ apud Marcianas infans adhuc rapta eſt. Ubi obſerva apud Hugbaldum pagum *Auſtrebatenſem* mendosè ſcriptum reperiri pro *Auſtrebantenſi*. Hic pagus vulgò nunc dicitur *Oſtrevant*, Comitatûs titulo inſignis, quo Hainoi Comitis filiorum maximus olim frui conſueverat. *Oſtrevandia* appellatur à recentiſſimis ſcriptoribus, & diœceſeos Atrebaticæ portio eſt: olimque Comitatu Atrebatenſi continebatur; at nunc Hainoo adſcribitur.

Litteræ Imp. Caroli Calvi *Cœnobium Haſnon*

in Comitatu Atrebatenſi, *in pago Oſtrebanto ſuper fluvium Scarpiu ſitum* eſſe docent, necnon villas *Aſinium* & *VVavercium* ad Scaldim, v. *VVavercin*. Nunc ejus pagi Comitatúſve caput eſt Buccinium ad flumen Scaldim, *Bouchain*.

VVendelinus Belga *Auſterbantum* vel *Auſtrebantum*, quod Germanice *Ooſterbant*, & Latinè *Oſtrobandiam* vocat, Germanicâ aut ut ipſe ait Belgicâ linguâ *Orientalem limitem* ſignificare ſcribit: ita autem hunc pagũ nuncupari, quod ſit ortivus limes diœceſeos Camaracenſis. Sed fallitur. Auſterbantum enim in Auſtriæ Neuſtriæque confinio poſitum fuit, & Neuſtriæ, cui attribuebatur, ortivus limes erat, unde & nomen accepit: ad ortum inquam Neuſtriæ finis erat ac terminus; Auſtriæ ad occaſum.

AUSTRIA.

Latè regnantibus Chlodovei filiis in Gallia atque Germania, quidquid Galliarum Rheno & Ligeri fluminibus continetur & clauditur, communi nomine *Francia* appellari cœpit. Pars Franciæ Rhenũ inter & Moſam jacens, *Auſtria*, item *Auſter*, nonnumquam & *Auſtraſia*; pars à Moſa ad Ligerim, *Neuſtria* vel *Neptricum* dicta: *Burgundia*, & *Aquitania* ſua nomina relicta ſunt. Auſtriam Hermannus in Chronico *Regnũ Orientale*, & *Auſtrifranciam*, id eſt Ortivam Frãciam; Neuſtriam *Regnum Occidentale* ſeu Occiduam Franciam nuncupat. *Auſtria* vel *Auſter* incolæ *Auſtraſii* dicebantur; Neuſtriæ habitatores *Neuſtraſii*. Recentiores pro Auſtria *Auſtraſiam*, pro Auſtraſiis *Auſtraſianos* dixere. Gregorius Turonicus Epiſcopus cum alibi tum in libro v. Hiſtoriæ *Auſtraſiorum* meminit non ſemel; *Neuſtraſiorum* (quod mireris) nuſquam meminit. Auſtriæ nomen Franci Germanica Gẽs impoſuere, quòd ad Ortum ſpectaret. *Oſt* enim ut & *Eſt* priſcis Germanis Orientẽ ſignificabat.

Auſtraſiorum Regibus præter Auſtriam parebant multa ac ingentia trans Rhenum Regna, in Ducatuum formulam ab Chlodovei Maximi filiis redacta: videlicet Alamannia aut Suevia, duos in Ducatus diviſa Alamannorum & Auſtraſiorum ſeu Francorum Orientalium; Baioaria, Toringia, Friſia, pars Saxoniæ, plurimique alii Germaniæ pagi atque latiſſimæ regiones. Sub eiſdem Regibus erant intra Gallias non contemnendi populi, Lutevenſes & Uceticiin Septimania ſeu in provincia Narbonenſi prima, ex quibus Lutevenſes poſtea ad Reges Vetigothorũ tranſierunt: Maſſilienſis provincia, Maſſiliam, Avenionem, Aquas Sextias, aliaque opida & loca continens; Arverni, Ruteni, Albienſes ſive Albigenſes, & Cadurci, provinciæ Aquitanicæ primæ clariſſimi, quos Theodoricus Chlodovei patris auſpiciis poſt prœlium Vocladenſe ſubegerat; præterea provincia Belgica prima, & Belgicæ ſecundæ urbes Remi, Catalauni, Camaracum, ac Lugdunum Clavatum; civitas Senonum in Lugdunenſi iv. & Germania prima, ac Germania ſecunda provinciæ ad ſiniſtram Rheni ripam opulentæ. Sed nonnumquam mutati ſunt Regnorum ac Tetrarchiarum fines. Nam Chariberto Pariſiorum Regi Albienſes attributi fuere, & Auſtriæ detracti, eique poſtea reſtituti: civitas Senonum Agedincum, quæ Theodorico, Theodeberto atque Theodebaldo Auſtraſiorum Regibus paruerat, non Sigiberto cum Auſtria, ſed Guntchramno Chariberti & Sigiberti fratri, unà cum Burgundia adſcripta eſt: Camaracum Chilperico trium ſupradictorum Regum fratri cum Regno Sueſſionico obvenit: quam urbem Theodorico priùs, ac póſt Childeberto Auſtraſiorum Regibus paruiſſe conſtat: ſicuti in libro vii. & in libro ix. Rerum Francicarum obſervavimus.

Franci igitur poſt occupatam Galliam, partem ejus quæ ad orientem Solem meridiemque ſpectabat, *Auſtriam*; partem quæ ad Septemtriones occaſumque Solis vergebat, *Neuſtriam* Germanicis nominibus appellavere: Aquitaniæ & Burgundiæ ſua appellatione ſervatâ. Sic poſtea Langobardi, natio & ipſi Germaniæ, cùm partem Italiæ armis obtinuiſſent, Francorum exemplo quaſdam ditionis ſuæ regiones à ſitu *Auſtriam* & *Neuſtriam* dixere, ſuo Tuſciæ nomine relicto: ſicuti veteres Langobardorum leges & Paullus in rebus geſtis ejus nationis docent. Sic & Saxones ortivi, *Oſtfali* vel *Oſtuali*, occidui, *VVeſtfali* aut *VVeſtuali*, illi *Oſtfalai*, hi *VVeſtfalai* interdum dicti ſunt, cùm ceteri Saxones, alii *Angrarii* aut *Angarii*, *Angri* quoque, quod forſitan veterum Angrivariorum ſedes obtinerent; alii, nimirum Septemtrionales Saxones trans Albim ſiti, in tres populos diviſi, Sturmarios, Tetmarſos, & Holſingos vel Holſatos, *Nortalbingi* appellarentur: qui & *Nordlendi* ſive *Nortliudi*, *Nordmanni* etiam nonnumquam, & *Tranſalbiani Saxones* à rerum Caroli Magni ſcriptoribus nuncupati. Ubi notandum eſt *Oſtfalos* iſtos ſive Orientales Saxones, nunc *Oſterlingos*, nunc *Auſtrelendos*, interdum & *Auſtraſios* à Noſtris vocari. Quæ unius nominis attributio duobus promiſcuè populis, Francis & Saxonibus facta ne quem decipiat, rem paucis probare convenit. Annales ab anno DCCXLI. ad annum DCCCXIII. deducti, quos ex Antonii Oiſelii codice veteri deſcripſit publicavitque Andreas Cheſnius, in anno DCCLXXV. hæc referunt. *Ibi* (ad Obacrum fluvium) *omnes Auſtrelendi Saxonum, venientes cum Haſſione, dederunt obſides domno Carolo Regi. Similiter venerunt Angrarii in pago qui dicitur Bucki, & dederunt obſides ibi, ſicut Auſtraſii*: quæ verba & in Vita Caroli Magni è Bibliotheca Thuanea eruta, & in Annalibus Bertinianis reperio. Apparet heic qui *Auſtrelendi Saxones* ſuprà dicti ſunt, eoſdem infrà *Auſtraſios* nominari. Manent adhuc VVeſtfalorum, Angrorum, & Oſterlingorum nomina: & Colonienſis Archiepiſcopus *VVeſtfaliæ* atque *Angriæ Ducem* ſe appellat; *civitateſque Oſtrelingorum* omnibus notæ ſunt. Jam verò, exemplo Auſtriæ Neuſtriæque noſtræ, portio inſulæ Batavorum olim *Occidentalis Friſia* vocabatur; regio trans Amiſium, *Ortiva*: pars quæ nunc propriè Friſia dicitur, præter cetera *Auſtracoviam* vel *Auſtrachiam*; & *VViſtracoviam*, quæ & *VVeſtrigovia* & *VVeſtrachia* dicebatur, continebat, duos pagos Comitatuſve à ſitu ita cognominatos. Nunc tota Friſia in Orientalem Occidentalemque dividitur, alteram ab altera Amiſio amne diſcretam. Et Ortiva quidem Friſia trans Amiſium jacet; Occiduæ autẽ adſcribũtur *Auſtrago-*

via & *VViſtragotia* regiones, quas vulgò *Ooſtergonam* & *VVeſtergona* Germanicis nominibus appellitant, ut in libro XXIV. Rerum Franciearũ obſervavimus. Præterea Saxones, qui è Germania in inſulam Britanniam tranſierant, & ob id *Saxones Transmarini* ac *Novi* ſunt cognominati, ut à *Veteribus Saxonibus* ſeu *Altſaxonibus* diſtinguerentur; Regna ibi aliquot condiderunt, in primis Orientalis Saxoniæ, & Occiduæ Saxoniæ, atque Auſtralis. Illa *Eſtſaxonia* vel trunco nomine *Eſtſexia*; hæc *VVeſtſaxonia* aut *VVeſtſexia*; poſtrema *Suthſaxonia* vel *Sutſexia* nuncupata eſt. Sutſexiæ caput civitas Ciceſtria; VVeſtſexiæ Venta, quæ nunc Vintonia. Angli quoque, qui in Britannia cum Saxonibus, ſeparatas tamen ab eis ſedes cepere, in Orientales Anglos Occidentaleſque diviſi, Regnum Ortiuæ Angliæ, cujus caput Nortvuicum, *Eſtangliam*, Regnum Occiduæ Angliæ *VVeſtangliam* dixere. Omitti non debent Gothi, quos in *Oſtrogothos* & *Viſigothos* ante quinque ſupradictas nationes Germanicas diviſos eſſe omnes norunt, & in *Greutungos Greotingoſve*, ac *Tervingos*: Ex quibus *Oſtrogothi* à Claudiano in Eutropium Sidonioque memorati, *Auſtrogotthi* Pollioni in Claudio, *Gothi* Procopio aliiſque abſolutè dicti, ad ortum habitabant; *Veſigothi* vel *VViſigothi* ad occaſum, qui à Sidonio non ſemel mutila appellatione *Veſi*, à quibuſdam *Hypogotthi* appellantur.

Auſtriæ nomen regnantibus apud Francos Caroli Magni poſteris paullatim exolevit, præſertim poſtquam Ludovici Pii Aug. filii Lotharius, Ludovicus & Carolus Regnum paternum inter ſe diviſere. Lotharius enim Auguſtus, Imperatoris Ludovici Pii filiorum maximus, regionem hinc Rheno, inde Scaldi & Mosâ atque Arari clauſam præter cetera obtinuit, quæ depoſito *Auſtriæ* nomine, ab eo *Regnum Lotharii* vel *Lotharingia* dici cœpit, ſi Reginoni, & Annalibus Mettenſibus Chronicove S. Arnulfi, Sigebertoque credimus. Quamquam alii, quibus potiùs acceſſerim, à Lothario Rege, uno è tribus Lotharii hujuſce Auguſti filiis, cui hoc Regnum obtigit, *Lotharis Regnum* dictum eſſe malunt. Lotharii Regno poſtea multos in Ducatus Comitatuſque diviſo atque ſciſſo, *Auſtriam* pro ſola Lotharingia Ducali, qualis ferè nunc eſt, acceptam eſſe, & *Neuſtriam* pro una Nortmannia indicat Guibertus Abbas Novigenti in Præfatione Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ, quam ante annos quingentos ſcripſit, hiſce verbis. *Si ea quæ olim Neuſtria, modo Normannia appellatur; & quæ Auſtria, nunc Lotharingia pro aliquibus accidentiis nuncupatur: idem apud Orientales quomodo fieri non credatur?*

Eſt & in magna Germania ad Rhenum & Mænum amnes pars veteris Alamanniæ, quæ nunc *Franconia* dicitur, & ab Eginhardo aliiſque *Orientalis Francia*, à Sigeberto *Oſtrofrancia* nuncupata eſt. Certè Sigebertus in rebus anni DCXCVII. *VVirziburch caſtrum Oſtrofranciæ* appellat. VVirtziburgum autem Franconiæ eſſe nemo neſcit. *Auſtriam* etiam quidam vocant, in primis Carolus in Diviſione Regni ſui inter filios, (ſi tamen eius eſt) & veteres Annales rerum ejus geſtarum, ex codice Petaviano eruti, qui anno DCCXXCVI. factam contra Carolum Regem *in partibus Auſtriæ* conjurationem referunt, auctore Hardrado Comite, quem & *Ducem Auſtriæ* Theganus vocat: quod *trans Rhenum apud Orientales Francos* contigiſſe ſcribit Eginhardus in Annalibus anno DCCXXCV. aut *in Germania*, quemadmodum loquitur idem in Vita Caroli Magni, hoc eſt in Franconia regione Germaniæ Tranſrhenanæ, quæ tum *Auſtria*, & *Orientalis Francia* promiſcuè vocabatur.

Eſt denique inter Noricum ſeu Bajoariam & Hungariam pars veteris Pannoniæ, quam *Orientem* & *Marchiam Orientalem* nonnulli; alii, in his Ditmarus, *Marcham* abſolutè; item *Marcham inter Ungaros & Bajuvarios poſitam*, & *Marcham Orientalium* nuncupant: Guntherus in libro V. *Auſtriam Marchiam*, in libro VII. *Auſtriam*; Radevicus ſimiliter *Auſtriam*, & *Orientalem Teutonicorum Marchiam*, id eſt Orientalem limitem Regni Germaniæ, ſeu Francorum Orientalium; auctor libri de Vita S. Altmanni Epiſcopi Bataviensis *Orientalem provinciam*, *Marchiam Liupoldi*.

AUTESSIODURUM.

Primus omnium quos quidem legerim, ejus urbis meminit Ammianus Marcellinus, à quo *Autoſidorum* vocatur, vel ut in ſcriptis ejus codicibus legitur, *Autoſudorum*.

Tabula Peutingeriana, quæ & Theodoſiana, *Auteſſiodurum* vocat nomine ſincero ac incorrupto, ponitque inter *Bandritum* & *Aballonem*. Æthicus in MS. Itinerariis provinciarum nunc *Autiſiodorum*, nunc *Auteſiodorum* appellat, ac inter *Aballonem* & *Eburobricam* locat. In veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ pleriſque *civitas Autiſiodorum* dicitur provinciæ Lugdunenſis Senoniæ tertia, in quibuſdam *civitas Autiſiodorenſium*; in Chronico Proſperi *Autiſiodorum*; *civitas Autiſſiodorum* in Senonenſi provincia pænultima, in Chronico Roberti Autiſſiodorenſis; *Autiſſiodorum* & ſub Senonenſi Franciæ metropoli in libro de Otiis Imperialibus Gervaſii Tiſleberienſis, qui immutato veteri ordine civitatum eam in Senonia antepenultimam ponit, ſubjicitque non modò Autrico Carnutum, cui ſemper ſubjacuit, ſed etiam Pariſiis, Aurelianis, & Niverno, quibus olim honoris cauſſâ præponebatur. Gervaſii ordinem recentiores Notitiæ ſunt ſecutæ. *Autiſſiodorum* etiam vocatur à Jona in libro de Vita B. Columbani Abbatis, & ab auctore Vitæ S. Auſtregiſili, ab Helgaldo, aliiſque gravibus ſcriptoribus, Roberto & Gervaſio multo vetuſtioribus.

Nullum nomen urbis peiùs acceptum aut ſæpiùs mutatũ ab auctoribus noſtris reperias. Fredegarius in libri ultimi Chronici capite LVIII. *Auteſioderum* appellat, atque ſicuti Lingonas, Divionem, Latonam, Cabillonnum, Auguſtodunum, Regno Burgundiæ attribuit, non quòd Autiſſiodurum umquam urbs veteris Burgundiæ ac propriè dictæ fuerit; (Nam florentibus Burgundionum Regibus, Chlodoveo Francorum Regi paruit) ſed quòd præter ceteras urbes Guntchramno ceſſerit cum toto Regno Burgundiæ Francicis armis ſubactæ. Quid

quid autem Guntchramno forte obtigerat, à majore parte dictum eſt Noſtris Burgundia: & Guntchramni ſucceſſores Merovingi quæcumque ipſe obtinuerat, ſub communi nomine Burgundiæ poſſederunt: quod jam in Rebus Francicis, jam in Senonibus monui, ſed ſemel atque iterum monuiſſe non ſufficit. Quidam qui res geſtas Pippini Regis Francorum ſcripſit ad Nibelungum Comitem, fratrem ejus patruelem, *urbem Autiſiodorum* non ſemel nuncupat, & Glaber Rodulfus in Hiſtoriarum libri II. capite VIII. qui eam quoque *Burgundiæ* Franciæ vel Ducalis *civitatem* facit: qualem ſub Philippo Bono & Carolo Burgundiæ Ducibus fuiſſe cum Matiſcone, Cabilonno, Auguſtoduno, Lingonis ac Divione, Annales noſtri docent. In denario argenteo & in triente aureo ſcriptum legimus *Autiſiodero civ. Autiſſioderum* & Aimoinus in libro IV. vocat.

Alii Autiſſioduri vocabulum truncant atque corrumpunt, & u in l, t in c mutatis, ac tertiâ ſyllabâ ſublatâ vel eliſâ *Alciodorum* appellant. Hos inter Nithardus in libro II. bellorum civilium *urbem Alciodorenſem* vocavit: *Alciodrum* alii, vel *Altiodrum*; alii *Altiodorum*; quidam *Alcedorum*; aliqui *Altiſſiodorum*; nonnulli *Antiſſiodorum* mendoſè. Nam u in l, & invicem l in v mutari ſolet; neutrum in n mutari debet aut poteſt.

Noſtri *Auxerre* nunc appellitant, ut Ternodorum *Tonnerre*, Nemtodorum *Nanterre*. Olim *Auceurre*, dixere nomine ad Alciodrum vel Altiodorum magis accedente: uti in chartis ſeu litteris ante annos ferè quadringentos linguâ patriâ ſcriptis reperio. Autiſſiodurum inquam olim Noſtri *Auceurre* dixere, quemadmodum Salodurum in Helvetiis *Soleurre*; Epamanduodurum in Sequanis *Mandeurre*.

Sincerum ac incorruptum nomen ejus urbis *Auteſſiodurum* vel *Autiſſiodorum*, quod poſteriores ſcriptores varia quiſque ratione corrupere aut mutilavere. Nomen autem eſt Celticum *Auteſſiodurum Autiſſiodorúmve*, ex duobus nominibus Gallicis compoſitum: quorum alterum *Auteſſio* vel *Autiſſio* quid Celticâ linguâ ſignificaverit neſcio: alterum nimirum *durum* aut *dorum* aquam deſignabat, aut (ſi aliis creditur) oſtium. Giraldus Cambrenſis qui ante annos CCCCXXC. florebat, in Itinerarii Cambriæ libri I. capite VIII. *Dur* (inquit) *linguâ Britannicâ aqua dicitur* & in Deſcriptione Cambriæ capite XV. *Brittones Dour aquam vocant, frenum frein, tripodem trepet.* Gallos autem & Britannos inſulares Brittoneſve eadem olim linguâ uſos eſſe Buchananus, Cluverius, Cambdenus ac ceteri ferè omnes docent. Certè tripodem quem à Britannis *trepet* dici ait Giraldus; *tripetiam* ſimiliter, hoc eſt *tripet* aut *trepet* à Gallis nuncupari conſueviſſe affirmat Sulpicius Severus de Vita S. Martini: ex quo apparet utriuſque Gentis unum fuiſſe ſermonem, atque *Dur* aut *Dour* cùm Britannis aqua fuerit, fuiſſe ſimul & Gallis. Igitur (Si Giraldo fidem habemus) ab aqua nomen habuere Autiſſiodurum, Durocortorum, Divodurum, Octodurum, Salodurum, Ibliodurum, Marcodurum, Teudurum, Duronum, Durocaſſæ, Diodurum, Breviodorum vel Brevodurum, Duroicoregum, Auguſtodurum, Brivodurum ad Ligerim, Durotincum, Ictodurum, Batavodurum, Ganodurum, Boiodurum in Vindelicia: in Britannia inſula Durolevum, Durovernum, Durolipons, Durobrivæ, Lactodorum, Durocobrivæ, Durolitum, Durnovaria, Durocornovium.

Contrà auctor Gallus qui circa annum Domini D. de Vita Augendi Abbatis Iurenſis libellum compoſuit, ejuſque diſcipulus fuit, aſſerit oſtium à Gallis *dorum* appellari. *Ortus eſt* (ait) *haud longè à vico, cui vetuſta paganitas ob celebritatem clauſuramque fortiſſimam ſuperſtitioſiſſimi templi, Gallicâ linguâ Iſarnodori, id eſt ferrei oſtii indidit nomen. Iſan* autem ſeu *Eiſen* non Galli modò, ſed etiam Germani ferrum; *Iſarno* ſeu *Eyſerne* ferreum olim vocavere. Hodieque Germani (ne de aliis loquar) *Eyſen* ferrum, *Eyſerne* ferreum; oſtium linguâ ſuâ *Ein Thur* vel *Thor*, hoc eſt *Durum* aut *Dorum* nuncupant: conſtatque Salodurum Helvetiorum præ ceteris, in Itinerario Æthici etiam *Saloturum* dici, vulgò *Soloturn.* Gervaſius Durovernenſis Eccleſiæ oſtium meridianum ſeu auſtrale, ab Anglis *Suthdure* dici affirmat.

Quidam *Autiſſiodurum* olim *Autricum* nuncupatum eſſe, & ita à Claudio Ptolemæo nuncupari affirmavere, ſive aliqua nominum ſimilitudine decepti, ſive quod ſibi perſuadere non poterant, urbem claram & nobilem ac veterem à priſcis omnibus Geographis velut ex condicto ſine ulla mentione tranſmiſſam eſſe. Hos inter primus ut puto nugatur more ſuo Erricus Monachus, quum ait *Autricum* primò, deinde *Autiſſiodorum* ab *auctis muris* dictum eſſe quaſi *Auctiſſiodorum*, & truncato nomine *Altiodorum* propter altitudinem mœnium. *Medium* tamen *Galliæ Celticæ* ſeu Lugdunenſis Autiſſiodorum Senonum facit non abſurdè: uti Cæſar regionem Carnutum, qui ſunt Senonibus finitimi, totius Galliæ mediam haberi dicit. Verſus ejus ex libro I. de Vita B. Germani referre convenit.

Celtica quà medios exporgit Gallia tractus,
Quaque eſt vel terris vel mitior illa colonis,
Urbem haud incelebrem Galli poſuere priores:
Uberibus glæbis, & opimi munere Bacchi,
Ac prælabentis jucundis uſibus amnis
Magnarum multis quæ ſe componere poſſit.
Autricus à priſcis olim vocitata refertur.
Ætas poſterior pinnas & culmina avitis
Mœnibus impoſuit duri munimina belli.
Ex augmentatis verſo cognomine muris,
Sive ſequax uſûs dicas Autiſſiodorum;
Seu mutilare velis, & dixeris Altiodorum:
Nomine diverſo res eſt cumulatior una.

Primò ridiculum eſt, veteri ac proprio nomini Urbis Celticæ originem non Celticam, ſed Latinam aſſignare: cùm Celtæ ſeu Galli ante Julii Cæſaris in Gallias adventū linguæ Latinæ eſſent ignari, & urbibus ſuis Celtica, non Latina nomina imponerent. Deinde Autiſſiodurum multùm differt ab Autrico, cùm ſit poſt Agedincum caput alterum Senonum, Autricum verò caput Carnutum. Qui itaque Autiſſiodurum dictum prius Autricum putat, ſuam Geographiæ ignorantiam prodit, & Senones

atque Carnutes in unum confundit. *Senonum* capita duo ſemper fuere, *Agedincum* & *Autiſſiodurum*: uti *Carnutum Autricum* & *Cenabum*; *Vocontiorum Vaſio* & *Lucus Auguſti*; *Leucorum Tullum* & *Naſium*. Ex quibus Autiſſiodurum unum ac unicum nomen ſemper habuit, nec umquam primam ac propriam appellationem depoſuit, urbs vetus, & nihilominùs Straboni, Ptolemæo, Mellæ, Plinio ceteriſque veteribus Geographis, & Hiſtoricis ante Ammianum Marcellinum (quod mireris) ignota: ſoli fertilitate, bonitate & copia vini, ac Icauna flumine ſuo navigabili, nobilitate Comitum, multitudine Sanctorum, multis claris & magnis Galliæ urbibus jure conferenda. Vina pagi Autiſſiodurenſis ante annos octingentos idem laudavit meritò Erricus in libro II. de Germani civis Autiſſiodurenſis adhuc Laici convivius loquens:

> Quæ veniunt patriis & prima & plurima terris,
> Vina miniſtrabant gemmæ pretioſa capaces.

Hodieque Autiſſiodurenſia vina celebrantur, & in ſumma ſunt gloria: ut non ſine cauſſa Servius & Iſidorus olim ſcripſerint, Senones (quorum pars Autiſſiodorenſes ſunt) dictos eſſe *quaſi Xenones*, ξένοι, *quod Liberum Patrem adverſus Geryonem euntem hoſpitio exceperint*. Credas apricos eos colles peragràſſe Bacchum lætitiæ datorem, & ibi quondam manu ejus ſatas eſſe vites, etiamnum haud degeneres, & ipſi tanti boni inventori minimè erubeſcendas.

Ager Autiſſiodurenſis ab Gregorio in libri V. Hiſtoriæ Francicæ capite XIV. vocatur *Autiſiodorenſe territorium*; in Geſtis Pippini Francorum Regis & apud Nithardum in libro I. *pagus Autiſſioderenſis*; in Caroli Calvi Capitulis Silvacenſibus *Alciodriſus* pagus, hoc eſt *Alciodrenſis* ab Alciodro, (ut ibidem *Tornedriſus* ſeu Tornedrenſis à Tornedro vel Ternodoro:) *regio Alcedronenſis* vel potiùs *Alcedorenſis* in Annalibus Fuldenſibus & in Chronico S. Arnulfi; *pagus Altiodorenſis* & *Altiodrenſis* in Annalibus Bertinianis, vulgò *l'Auxerrois*. Verba ſcriptoris Geſtorum Pippini notanda ſunt. *Igitur Pippinus Rex contraxit exercitum, & partibus Aquitaniæ per pagum Trecaſſinum uſque Autiſiodorum urbem acceſſit: inde ad Ligerem fluvium cum omni exercitu Francorum ad Maſuam vicum in pago Aruiſiodorenſi* (legendum *Autiſiodorenſi*) *Ligerem fluvium tranſmeavit*. Ex his apparet pagum Autiſſiodurenſem olim multo quam nunc majorem fuiſſe, & totam Diœceſin Autiſſiodurenſem eſſe complexum, cùm flumen Ligerim attingeret, & pagum Tricaſſinum proximum ſibi haberet. At nunc inter Auguſtobonam & Autiſſiodurum, ſeu inter pagos Tricaſſinum & Autiſſiodurenſem Ternodorum Lingonum, caput pagi Ternodorenſis occurrit: Pagus quoque Autiſſiodurenſis, qualis nunc eſt & dicitur, non ripam Ligeris attingit, ſed *pagus Podienſis*, à podiis ſeu montibus dictus, vulgò *Puiſaie* aut *Puiſay*: eſt enim totus montoſus atque ſilveſtris. Ex quo intelligitur, principatu Pippini pagum Ternodorenſem nullum adhuc extitiſſe, ſed ſub ejus pronepote Carolo Calvo eſſe cœpiſſe: pagumque Podienſem qui vetus non eſt, ex parte pagi Autiſſiodurenſis factum ac deciſum fuiſſe. Igitur à flumine Chora ad Ligerim pagus Autiſſiodurenſis olim pertinebat, uti & nunc pertinet diœceſis Autiſſiodurenſis, Icaunâ & Lupâ fluviis interfluentibus: & Maſuam, *Méve*, Condate, *Coſne*, Noviodunum, *Neuvi*, Brivodurum, *Briare*, Giemacum, *Gien*, loca ad Ligerim poſita Autiſſiodurenſis Epiſcopus Eccleſiis ſuis adnumerat.

Libellum de Vita S. Amatoris Autiſſiodorenſis Epiſcopi, cujus Natalis Kal. Maii celebratur, & qui v. *S. Amatre* dicitur, in priſca membrana legi, à Conſtantio Presbytero ut puto compoſitum: ubi de corpore Marthæ Virginis, ſponſæ Amatoris hæc reperio. *Cujus corpus reverendus Amator, multis ſecum comitantibus populis, diligentiſſimè inſtitis redimitum collegit, & juxta Altricum in conſpectu civitatis tumulavit*. De Amatoris ipſius funere iſta invenio. *Exinde ad locum qui appellatur Altricus, ad ſepulturam deducitur, & juxta tumulum reverendæ Virginis Marthæ deponitur*. De S. Germano, Autiſſiodorenſi etiam Epiſcopo, mortuo Conſtantius Presbyter ſic refert eiſdem verbis. *Exinde ad locum qui appellatur Autricus, ad ſepulturam deducitur*. Ex quibus colligo *Autricum* vel *Altricum*, locum aut vicum aliquem fuiſſe proximum Autiſſioduro, & in conſpectu urbis, in quo, vel cujus in Eccleſia Epiſcopi Autiſſiodurenſes ſepeliri conſuevifſent; quem hodieque *Autri* appellari audio. Quo Autrici vel Altrici hujus nomine decepti complures, in his Erricus Monachus ſuprà, *Autiſſiodorum* olim *Autricum* dictum eſſe credidere, atque aliis perſuadere voluere.

Erat olim ea in urbe *porta Balnearis* ad Icaunam, ita dicta, quòd ad balnea duceret, cui portæ proxima erat major urbis Eccleſia: ſed propter anguſtiam loci Amator Epiſcopus ex domo Rutilii civis Autiſſiodorenſis ampla & excelſa, quam ab eo obtinuerat, alteram capaciorem creſcentium ibi Chriſtianorum fecit Eccleſiam: ut Vita Amatoris docet. *Adhuc erat Eccleſia ad portam, quæ Balnearis à priſcis auctoribus nuncupabatur. Erat autem proſpectus ejuſdem Eccleſiæ contra alveum fluminis Icaunenſis*.

AUTURA FLUVIUS.

Autura vel *Audura* fluvii Carnutini creberrima fit mentio in veteribus Vitis Sanctorum, & in rerum Francicarum Annalibus atque Chronicis. Vulgò *Eurre*, aut *la riviere d'Eure* vocant. In Vita S. Betharii Carnutenſium Epiſcopi *Audura* dicitur his verbis. *Ad portum qui vocatur Vilemeldis ſuper fluvium Audura*: item in veteri Martyrologio, atque etiam Nithardo, *Madriacenſem pagum ſuper fluvium Audura* memoranti. *Fluvius Audura* vocatur auctori Annalium Bertinianorum in rebus anni DCCCLVII. *flumen Odura* in litteris Rodulfi Comitis Ebroicenſis datis anno MXI. In Vita S. Leofredi, Abbatis Monaſterii Crucis Audoëni in Eburovicibus, *fluvius Auctura* nomine Latino. Hic fluvius oritur in Pertico, & alluit municipium Curvamvillam, *Courville*, Ivoni non indictum; Novigentum ad Auturam ſi-

gnominatum; Autricum Carnutum, cui & nomen ſuum mihi videtur dediſſe; Novigentum Regis, *Nogent le Roy*, à Philippo Valeſio qui ibi deceſſit ita cognominatum; Vilemeldim, (*Villemeux*) Anetum, Orderico in libro XI. non indictum, *Anet*; Ibreium vel Ibream; Paciacum, Luparias: ac demum in Sequanam effluit. Auturam augent amnes *Bleſia*, *Blaiſe*, qui Durocaſſas attingit; *Arua*, *Avre*, qui Vernoilum Perticenſium; Tegularias, *Tilliers*, Nonencuriam vel Nonancurtim *Nonnancourt*, *Tilias & Nonencortem* Orderico dictas; & Stratam Monaſterio inſignem, (*l'Eſtrés*) alluit, & paullo ſupra Anetum effluit: Vegeria, *la Vegre*, qui Hoſdencum (*Houdan*) præterlapſus, apud Ibreium Auturâ recipitur; Itto demum, *Iton*, qui Britolium, *Breteüil*, Condate, *Condé*, ubi ponte lapideo jungitur, & Ebroicas attingit.

Auturam non *Anduram* ſolùm, ſed etiam *Aduram* in priſcis tabulis dici reperio.

AUXUENNA.

Æthicus in Itinerario provinciarum *Auxuennam* ponit inter Durocortorum & Virodunum his verbis. *Iter à Durocortoro Divodurum* M. P. LXII. *ſic: Baſilia* M. P. X. *Auxuenna* M. P. XII. *Virodunum* M. P. XVII. &c. *Auxuennam* vocat locum non longè ab Auxuennæ fontibus poſitum: ut *Moſam* vicum ad caput flum. Moſæ dictum eſſe conſtat. *Auxuenna* autem & *Axona* unum idemque flumen eſt, quod & ſimiliter *Auxunnum* vel *Auxunnam* à Dione Hiſtorico in rebus C. Julii Cæſaris appellatum eſſe obſervo: τῷ Αὐξέννῳ ποταμῷ. *Auxuenna* nomine ab Æthico deſignari puto opidum S. Manechildis vel Manegildis, *Sainte Manehou*, vel *S. Meneboult* vulgò dictum à Patrona loci, poſitum ad Albæ vel Albiæ (*Auve*) atque Axonæ confluentem, Durocortoro Verodunum tendentibus obvium, quod à capite Axonæ non multa paſſuum millia abeſt. De Manegilde in quibuſdam Martyrologiis hæc reperio. *Pridie Idus Octobreis in territorio Catalaunenſi S. Manegildis Virginis.*

Non omittendum eſt, in quibuſdam Æthici exemplaribus editis non *Auxuenna*, ſed *Axuena* reperiri, & in tabula Peutingeriana *Auxenna*.

Notari etiam convenit, apud Æthicum, in itinere ſupradicto à Durocortoro Divodurum, *Baſiliam* à Cluverio exponi fluvium *Vele* in Axonam defluentem; *Auxuenna* autem nomine flumen Axonam intelligi. In quo haud dubiè fallitur Cluverius. Nam fluvius *Vele* aut *Velle* ſcriptoribus Latinis ſemper dictus eſt *Vidula*, numquam *Baſilia*. Et *Baſilia* appellatione vicum Albam ripam ad Supiam ab Æthico deſignari arbitror; *Auxuennam* eidem eſſe non flumen Axonam, ſed locum Axonæ flumini appoſitum, ſicuti jam dixi.

AXEIUM.

Axeium caſtellum memorat Ordericus Vitàlis in libro VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Normannorum his verbis. *Caſtella Belliſmum, Lubercionem, Axeium, Alencionem, Damfrontem, S. Cenericum, Rupem de Ialgeio, Mamercias, & Iunacium habens Talvatii.* Ejus nominis plura ſunt loca in Pertico, nimirum *Aſſe le Boeſme* ad Sartam fluv. *Aſſe le Hiboulle*, & *Saint Jean l'Aſſe*. Unum è tribus illis, *Axeium* Orderici eſſe non dubito: ſed quod de tribus, ignoro.

AXONA FLUVIUS.

Flumen Axona eſt in extremis Remorum finibus, ut ait Cæſar in libro II. de bello Gallico: vulgò *Aiſne*, vel *Eſne*. Recipit modicos amnes Turbam, *la Tourbe*, præter ceteros rivos; & Valliam (*Vallie*) à vallibus per quas decurrit dictum, & ad Caſtrum Portianum effluentem; ſed præcipuos *Rotumnam*, vel *Rotonnam*, *Retourne*, Supiam, *Suippe*, & Vidulam, *Vele*, Frodoardo memoratos. *Fluvius Eſna* vocatur ab Hugone de Cleeriis in libello, quem ante annos quingentos de Majoratu & Seneſcalcia Franciæ compoſuit. Alluit opidum S. Manechildis, *Sainte Menehou*; ubi Albam recipit; Novam villam ad Pontem, *la Neufville au Pont*; Viennam villam *Vienne la Ville*, ubi Bionnam accipit; inde infra Cervonem Turbâ augetur: attingit Altriacum *Autry*; Grandem Hammum, *Grand Han*; Sindunum *Senuc* in Remis; Valles *Vaux*; Briodrum *Brierre*; Sabiniacum *Savigni*; Faleſiam *Falaiſe*; Vongum Remorum *Vonzi*; Attiniacum Rem. *Atigni*, villâ olim Regalem; Reiteſte Rem. celebre Comitatûs quondã, nunc Ducatûs caput, *Retel*; Aſciacum *Aſſy*; Nantoilum *Nenteüil*; Caſtrum Portianũ Rem. *Chaſteau Porcien*; Novum caſtellum Sueſſionũ *Neufchaſtel* ad Rotumnæ & Axonæ confluentes; Condate *Condé* ad Supiæ oſtium; Pontem Varenſem Sueſſionum *Pont-à-Vere*; Velliacum *Veſly*; Condate *Condé* ad Vidulæ exitum; Auguſtam Sueſſionum *Soiſſons*; & *Vallem Sueſſonicam* Guillelmo Brittoni in libro X. Philippidos memoratam; Vicum *Vic ſur Eſne*; Attipiacum *Atichi*; Vernoilum *Verneüil*; Troſleium *Troſli*; Ritundam *Retonde*; Cauciacum *Choiſi* præterlabitur, atque apud Compendium Iſaræ miſcetur: *Axona præceps* dictus Auſonio in Moſella, ob rupes per quas delabitur, & à Fortunato celebratus hoc diſticho:

> Antenet, herboſis quà frangitur Axona ripis:
> Cujus aluntur aquis paſcua, prata, ſeges?

Auxunnus fluvius vocatur à Dione Hiſtorico in rebus C. Julii Cæſaris, τῷ Αὐξέννῳ ποταμῷ: ab Æthico in Itinerario provinciarum, in itinere à Durocortoro Divodurum, *Auxuenna* dicitur locus non procul à capite Auxuennæ, id eſt Axonæ poſitus inter Durocortorum & Verodunum; in tabula Theodoſiana *Auxenna*; quem locum *Auxuennam* vel *Auxennã*, eſſe opidum S. Manechildis puto, ad Albæ (*Auve*) & Axonæ confluentes. *Auſonam fluvium* x in ſ mutato (ut ſæpe aliàs) appellat Hugo Floriacenſis Monachus in Chronico anno MCIX. ſcripto, quum ait *fluere per Belgicam provinciam Scaldum, Matronam, Moſam, & Auſonam, quæ ultimos Remorum fines præterfluat*: *Auxonam* alii, in his Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum, *Auxonam & Maternam* Galliæ *fluviis famoſis* adnumerans, id eſt Axonam & Matronam. VVillelmus Britto Armoricus in libro IX. Philippidos *Auxonam* etiam vocat, & Axonam atque Atacem unum flumen

men facit, quod *Atax* primùm, deinde à recentioribus *Auxona* dictum ſit, provinciæ Narbonenſis I. flumen & amnem provinciæ Belgicæ II. puerili errore confundens.

Adverſo Sequanâ & Iſarâ, & Axonâ ad Pontem Varenſem uſque ab Oceano mercatorum naves progredi ac deferri conſuevere.

B

BACIVUM.

B*ACIVM villam* Geſta Regum Francorum; *Abacivum villam* Appendix Fredegarii; *Bacivum Palatium* Chronicon Fontanellenſe ad annum DCCCXLVII. *Baſiu* Capitula Caroli Calvi in anno DCCCLVI. aliique ſcriptores rerum noſtratum appellant, villam Regiam aulâ inſignem ex more, ſitam inter Novigentum villam publicam pagi Laudunenſis, & Criſciacum villam quoq; dominicam pagi Pontiui. Quidam *Bac* hodie dici exiſtimant, & à *Back* nomine Germanico vas quodlibet ſignificante *Bacivum* & *Bac* noſtrum appellatum eſſe, quòd ibi vaſe hoc eſt navi flumen tranſiri oporteat: locum autem poſitum eſſe ad fluvium Iſaram inter Noviomagum & Compendium. At *bac* loci nomen non eſt, ſed Berium. Dicitur enim *bac à Beri*, vel *le bac à Berri*, id eſt tranſitus ad Berium, quod ad Berium vicum inter Noviomagum Compendiumque poſitum Iſara nave ſtata tranſiri conſuevit. Berio vico proximus eſt vicus alter Cauciacum nomine, vulgò *Choiſi*, quem & nonnullæ tabulæ *bac à Choiſi*, aut *le bac à Choiſi* appellant: propterea quod ibi ſtat in ripa Axonæ, ac præſto ſemper eſt navis cum nauta ad tranſportandos viatores parata ac inſtructa. Samſon neſcio qua ſimilitudine nominis adductus, *Abacivum* villam exiſtimat eſſe *Abbatiſvillam*, patriam ſuam, Criſciaco pagi Pontiui proximam: ſed aliud eſt *Bacium* vel *Bacivum*, vel *Baſiu*, aut *Abacivum* villa; aliud *Abbatiſvilla*, quæ à re nomen habuit, ut alibi docuimus. Exiſtimarim equidem Bacivum ſeu Bacium, eſſe *Bus* Monaſterium ad Suminam Perronæ adverſum, Abbatiæ titulo inſigne, vel certè vicum *Buſſi* ad rivulum in Suminam influentem inter Corbeiam & Ambianos: quæ loca utraque à villa Novigento Criſciacum petentibus occurrunt.

BAGACUM.

Bagacum vetus ac nobile fuit opidum Nerviorum, Gentis inter Belgas notiſſimæ ac fortiſſimæ. Ptolemæus *Baganum* Βάγακον appellat, atque Nerviorum urbem facit. *Bacacum Nerviorum* tabula Theodoſiana vocat, & inter Camaracum atque Vogodorgiacum collocat ſic. *Camaraco* XIIII. *Bacaco Nervino.* XII. *Vogodorgiaco* XVI. Conſtat nimirum, quod Feſtus & Auſonius præter ceteros ſcribunt, G *olim* fuiſſe, *quod poſtea* C, & litteram G *vice Gamma* ſive G *priùs functam* eſſe. *Bagacum* Æthicus vocat, & *à portu Geſoriacenſi Bagacum* uſque iter millium paſſuum LXXXIII. eſſe tradit per Taruennam, Caſtellum Morinorum, Turnacum & Pontem Scaldis. Idem in itinere à Caſtello Coloniam, *Bagacum* ponit inter Camaracum & Vodgoriacum, à Camaraco XVIII. à Vodgoriaco ſive Vogodorgiaco XII. millibus paſſuum diſtans: iter quoque *à Bagaco Nerviorum Durocortorum Remorum uſque* millium LIII. per Verbinum & Catuſiacum Muennarh-que deſcribit. Ubi Surita & Simlerus notant, in priſcis Æthici codicibus *Bagacum*, nonnumquam & *Baiacum* ſcriptum reperiri. Ex Bagaco Baiacum veteres fecere, uti Noſtri ex ſago *ſaie*, ex pago *païs*, g in i mutato. Magno loci ejus meminit hiſce verbis. *Nervius, Baſiacum*: ubi legi convenit *Baiacum* vel *Bagacum*; id eſt Nervius, cujus caput eſt Bagacum.

Recentiores ſcriptores Latini *Bavacum* nuncupant, accolæ *Bavay*, locum in Hainoo ſola vetuſtate nunc illuſtrem, nihilque antiquum præter nomen ſervantem: quem à Ponte Scaldis (*Eſcaupont*) vico ad Scaldim infra Condate ſito, & à Vodogoriaco vel Vogodorgiaco, id eſt *Vvaudray* aut *Vaudré* duodenis millibus paſſuum diſtare Æthicus docet.

BAGANSONISUS PAGUS.

Pagus *Baganſoniſus* inter *Virtudiſum* & *Tardaniſum* refertur in Capitulis Silvacenſibus anno DCCCLIII. editis, his verbis. *Virtudiſo, Baganſoniſo, Tardaniſo.* Pagus *Baganſonenſis* nomen habet à *Baganſono* vel *Baganſone*, qui locus poſitus eſt ad ſiniſtram ripam Vidulæ contra Durocortorum Remorum, & vulgò dicitur *Beſance*, atque inter pagos Virtudenſem ac Tardanenſem medius jacet. Eſt autem magna cognatio G cum litteris S & Z, minùs ut mirum ſit ex Baganſono *Beſance* eſſe factum. Hunc nos pagum obſcurum, & uni Regi Carolo memoratum, cum capite pagi Baganſono, ſicut & multos alios, è tenebris eruimus ac illuſtramus.

BAIOCASSES, ET CIVITAS BAIOCASSIUM, AC PAGUS BAIOCASSINUS.

In Notitiis veteribus provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Baiocaſſium* ſecundas tenet inter civitates provinciæ Lugdunenſis II. & unà cum civitate Abrincatum præcedit (quod

miror) civitates Ebroicorum ſeu Aulercorum Eburovicum atque Lexoviorum, nobiliſſimarum Gentium ac Cæſari celebratarum potentiæ virtutiſque cauſâ: ex quibus etiam civitas Lexoviorum civitati Saiorum olim ignotæ, certè ſemper humili infimæque ſubjicitur. Hodieque Epiſcopus Baiocaſſinus uni Metropolitano ſecundus, reliquos provinciæ Antiſtites antecedit: ſive eſt, ut vulgari utar verbo, primus Suffraganeus Normanniæ. In aliis Notitiis *civitas Baiocaſſium*; in una quadam *civitas Baiocas* dicitur. In Notitia Imperii *Baiocas* quoque IV. caſu pro III. nuncupatur his verbis. *Præfectus Letorum Batavorum & Gentilium Suevorum Baiocas & Conſtantiæ Lugdunenſis II.* In quibuſdam nummis & *Baiocas* legitur in IIII. caſu, aut certè nomine indeclinabili. Dicta ergo Gens Baiocaſſes; urbs caput Gentis Baiocæ, *Bayeux*: uti & à recentioribus nuncupatur: quam primò *Baiocaſſas* a Baiocaſſibus vocatam eſſe puto, deinde truncato nomine *Baiocas*: ſicuti à Tricaſſibus vel Trecaſſibus urbem *Tricaſſas* vel *Trecaſſas* primùm, dein *Trecas* dictam; à Durocaſſibus *Durocaſſas* urbem, poſtea *Drocas* appellatam eſſe obſervo. Sanè & ab Auſonio Baiocaſſas urbem dici animadverto his verſibus,

> Tu Baiocaſſis ſtirpe Druidarum ſatus,
> Beleni ſacrata ſtirpe deducis genus.

Ita enim priorem verſum additione litterulæ S emendandum reor, ubi vulgò legitur, *Baiocaſi ſtirpe* pro Baiocaſſina. Ceterùm cùm nec à Strabone, nec à Plinio, aut à Ptolemæo Baiocaſſes memorentur; quod Baiocaſſibus nomen vetus fuerit, haud facile dictu eſt. Mihi quidem videntur eſſe Plinii *Viducaſſes* in Gallia Lugdunenſi, *Inducaſſes* in editione Pariſiaca Beraldi anni MDXVI. pro Viducaſſes, in editione Lugdunenſi *Vidugaſſes* g pro c ut ſæpe alias poſito. *Viducaſſes* inquam Plinii videntur mihi eſſe, & Ptolemæi *Biducaſſes*, Βιδουκέσιοι vel Βιδουκάσιοι, ὧν πόλις Ἀργένους. Quæ urbs Viducaſſium Argenus ab Oceano V. m. p. diſtans, in tabula Peutingeriana *Aregenus* vocatur, fortè ab amne ſuo Arta vel Aura, *Aure*, & Lexovios inter ac Oſiſmios ponitur. Alibi notavi errare Petrum Pithœum, & Joſephum Scaligerum, quorum alter Marlianum ſecutus, *Velsocaſſes*, aut *Velocaſſes*, & *Bellocaſſes* Cæſaris, eos eſſe putat, qui *Baiocaſſes* pòſt dicti ſint: alter Velocaſſes iſtos & Bellocaſſos apud Cæſarem ceu corrupta nomina eradendos ait, & in Baiocaſſes Baiocaſſoſque commutandos. Ambos decepere forſitan hæc Orderici in libro V. verba. *Rotomago VI. urbes ſubjacent; Belocaſſium, id eſt Baiocas.* &c. Ubi pro *Belocaſſium* ſcribendum eſſe *Baiocaſſium* nemo non videt. Baiocaſſes a Gregorio in libri V. capite XXVII. *Baiocaſſini* nuncupantur; à Fredegario in libri IV. Chronici capite XXC. trunco nomine *Bagaſſini*.

Ab Gente Baiocaſſibus, vel ab capite Gentis Baiocaſſis; aut a Gente ſimul & à capite Gentis *Baiocaſſinus pagus* nomen accepit, in Capitulis Caroli Magni ita dictus; in Capitulis Caroli Calvi *Bagiſinus*, pro Bagaſinus aut Bagaſſinus, vulgò *le Beſſin*.

BALLIOLUM.

Multa ſunt ejus nominis loca in Gallia. Chronicon Fontanellenſe in capite XII. *Balliolum* quoddam *in pago Tellau* memorat: quod aliæ tabulæ inter Heldonam & Deppam fluvios collocant; aliæ ad ripam Heldonæ ponunt, & *Bailleul* vocant. Verba Chronici ſunt. *Anno Hildeberti Regis II. ad converſionem venient Vuando ſub Hildeberto Abbate, ex propria hereditate contulit jure poſſidendi huic Cœnobio* (Fontanellæ) *de Pyro ſimiliter, de Baliolo in pago Tellau tertiam ſimiliter partem.* At in capite IX. *Balliolum* aliud Vimenaco pago attribuitur, & dicitur Teutsindus, Abbas Turonici Cœnobii S. Martini & Fontanellæ, Rathario Comiti tradidiſſe per precariam *Balliolum in pago Vimnau*, cum multis aliis villis & latifundiis ad Fontanellam pertinentibus: quod vulgò *Bailleul en Vimeu* nuncupatur. Ex horum Balliolorum altero, utro incertum eſt, ortus eſt Rex Scotiæ *Johannes de Balliolo* cognominatus, Johannis de Balliolo domini Galuvidiæ filius. Eſt & Balliolum in pago Carnutino, de quo Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum præter ceteros ſic refert. Anno MCXCVIII. *Apud Roſetum in Bria* (*Roſay en Brie*) *panis in Miſſis inter manus Sacerdotis celebrantis converſus eſt viſibiliter in carnem, & vinum in ſanguinem. Item accidit apud Balliolum in territorio Carnotenſi.* Nec omitti convenit Balliolum in Hainoo, *Bailleul en Hainau* vulgò cognominatum. Pro Balliolo, quod incorruptum eſt nomen, quidam *Ballolium*; alii *Baliolum* & *Baliol*; alii *Baillol* dixere: quæ ultima appellatio ad vulgarem proximè accedit, o in eu converſo.

BALMA.

Diviſio Regni Lotharii inter Ludovicum & Carolum Reges anno DCCCLXX. facta *Balmam* memorat inter Luteram & Offonisvillam: quod nunc eſt opidulum in Sequanis ſeu in libera Burgundia, ad Dubim fluv. inter Claramvallem & Montem Martini poſitum, X. millibus paſſuum ab urbe metropoli Sequanorum Veſontione diſtans, clarum veterrimo intra muros Monaſterio Virginum Benedicti Regulam ſequentium: à quo & locus Balmæ Nonnarum appellationem accepit, *Baume les Nonnes*; ut diſtingueretur a Balma altera in eiſdem Sequanis, Monachorum Cluniacenſium Abbatiâ. *Balma* autem antrum ſeu cavernam, præſertim in monte aut aliquo alio loco eminente, Gallicâ ut puto linguâ ſignificat. Hinc & *S. Balma* in Provincia nomen accepit, *Sainte Baume*, vel *la Balme*. Balmam & Itali pro antro dicere ſolent. Eſt etiam caſtrum Balma in pago Viennenſi, vicinum Crimiaco *Cremieu*, quod in litteris datis anno MCCL. *caſtrum de Balma in Viennesio prope Crimiacum* nuncupatur.

BARBAFLOT.

Portus eſt in pago Conſtantino *Barbaflot*, vulgò *Barfleur*, aliàs *Barfleu en Coutantin*, olim Regum Anglorum, in tranſmarinas provincias ſuas venientium appulſu nobiliſſimus. Ejus meminit Ordericus Vitalis in libro XI. Hiſtoriæ his verbis. *Portum qui Barbaflot dicitur,*

Digitized by Google

applicuit, & ſuper Vada Vira in vico qui Carentonus vocatur quievit: & in libro XLI. *portus qui Barbaſlot dicitur.* VVillelmus cognomine Conquæſtor *Barbeſlot* vocat: *in Barbeſlot* (inquit in ſuis litteris) *ſilvam de Malepertuſo, & de Tortavalle.*

BARRUM AD SEQUANAM, BARRUM AD ALBAM, ET BARRUM DUCIS, ET PAGUS BARRENSIS.

Barrum ad Sequanam in Lingonibus non ignobile eſt opidum, *Bar ſur Seine*: ita cognominatum, ut diſtinguatur à Barro ad Albam, *Bar ſur Aube*, & à *Barro Ducis, Bar le Duc.* Ex II. prioribus Barris unum, ſed utrum, incertum, pago Barrenſi nomen dedit, *le Barrois*, qui *pagus Barriſius* vocatur in Capitulis Caroli Calvi, apud Silvacum anno DCCCLIII. latis, & inter *Pertiſum* ac *Camiziſum* pagos medius collocatur. In Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Barrenſe* inter *Odornenſe* & *Portenſe*. Nithardus in lib. I. duos pagos Barrẽſes facit, quos vocat *utroſque Barrenſes*, & inter *Partenſem* ac *Brionenſem* pagos ponit. VViomadus revertenti in Galliam Childerico comitatus Proceribus Francorum apud *caſtrum Barrum* occurrit, & Barrenſibus, quód primi Regem receperant, tributi remittendi auctor fuit: ut Fredegarius ac Aimoinus ſcribunt: quod tam Barro ad Sequanam, quàm Barro ad Albam convenire poteſt: quorum amborum pagi ſunt Nithardo *utrique Barrenſes*.

Barrum nomen eſt Gallicum vetus, quod portum videtur ſignificaviſſe. Certè locus vulgò *Barbebel* & *Barbeau* dictus ad Sequanam, Monaſterio inſignis, Latinè à Noſtris *Sacerportus* nuncupatur: ut appareat *Bebel* ſacrum, *Barrum* vel *Bar* portum amnicum Gallicè appellari conſueviſſe. Unde autem Barrum pro portu ſumtum ſit, haud facile dictu eſt. Niſi fortè à barris hanc appellationem accepit, quibus barris vel repagulis portus non maritimi modò, ſed etiam amnici claudi conſueverunt. *Barra* apud VVillelmum Brittonem in Philippide ſunt repagula: & Auctor Hiſtoriæ S. Michaëlis ante annos DC. ſcriptæ de Barro Ducis ſic refert. *Fridericus Dux* Lotharingorum, propter frequentes Campanenſium incurſiones, *in confinio Lotharingiæ & Campaniæ caſtrum exſtruxit, quod Barrum quaſi barram nominavit.* *Barrum* autem *Ducis* dictum eſt, quód à Duce Lotharienſium Friderico exſtructum fuerit: *quod ampliatum & in opidum redactum, uſque hodie Barrum Ducis* vocatur, ut ſcribit Bruno Herculanus in Chronico Monaſterii S. Deodati. Barri Ducis ager ſive Ducatus Barrenſis, qui antea Comitatus fuit, nunc appellatur pagus Barrenſis, *le Barrois*: qui pagus Barrenſis videtur cum pagis Barrenſibus ſupra memoratis nihil præter nomen habere commune, cùm Barrum Ducis ætate Caroli Calvi ac Nithardi nondum ædificatum fuerit.

BASILIA SEQUANORUM.

Ammianus Marcellinus, primus omnium aut ſaltem inter primos, ejus loci meminit in libro XXX. quum ſcribit *Imper. Valentinianum poſt vaſtatos aliquos Alamanniæ pagos, munimentum nomine Robur ædificâſſe prope Baſiliam.* Notitiæ veteres provinciarum & civitatum Galliæ ejuſdem mentionem faciunt, in quibus *civitas Baſilienſium* vocatur, & inter civitates provinciæ Maximæ Sequanorum IV. locum obtinet. In quibuſdam Notitiis *civitas Baſilienſium Baſilia* reperitur, item *civitas Baſilienſium, id eſt Baſilia*: in aliis *civitas Baſilienſium, id eſt Baſilea*; Thegano etiam, Hermanno, Roberto in Chronico aliiſque *civitas Baſilea*, ad flumen Rhenum. Cluverius antè *Arialbinnum* vel *Arialbinum* dictam eſſe, & in tabula Theodoſiana & in Itinerario Æthici ita dici, falsò putat: cùm Ammianus Marcellinus Theodoſii Magni ac tabulæ Theodoſianæ æqualis, & Notitia civitatum Galliæ Honorii principatu compoſita, nec Æthico recentior, *Baſiliæ* & *civitatis Baſilienſium* præ ceteris meminerint, & Arialbinni nomen Baſiliæ nomine haud paullo ſit obſcurius.

Baſilia nonnumquam truncato nomine *Baſla* videtur eſſe appellata. Nam qui *Hatto Epiſcopus Baſilienſis* Eginhardo, *Haido Baſilienſis Epiſcopus* anno DCCCXI. in Annalibus Fuldenſibus dicitur; idem in veteribus rerum Francicarum Annalibus ad annum DCCCXIII. perductis, & in duabus Uitis Caroli Magni *Haido Epiſcopus Baſlenſis* nuncupatur. Baſla autem *Baſel* vulgò, ut Iſla fluvius *Iſſel*, quem Iſalam recentiores vocitant.

Baſala, aliàs *Baſula* in Diviſione Regni Lotharii vocatur, Germanis *zum Baſil* aut *Baſel*, Noſtris *Baſle*: *Baſala* item in Annalibus Metenſibus, qui in anno DCCCCIII. deſinunt, ubi *Haido Epiſcopus de Baſala* memoratur, cujus ſuprà facta mentio eſt. Birſa amnis, *Birs* v. dictus, qui ad chartam faciendam molas plurimas vertit, in Rhenum influit ad Baſiliam: quem fluvium puto *Baſilam* olim nuncupatum eſſe, & urbi nomen ſuum dediſſe. Poſt dirutam Auguſtam Rauricorum, ſedes Epiſcopatûs ejus in urbem proximam Baſiliam translata eſt non multo ante annum Chriſti octingenteſimum. Quare Baſilia & ob propinquitatem Auguſtæ, & propter tranſlationem ſedis Rauricæ, Rauricis magis quàm Sequanis à quibuſdam attribuitur: at ab aliis, ſed falsò accenſetur Helvetiis, propterea quód inter Helvetiorum pagos hæreticos ſive Proteſtantes unà cum Tigurinis Baſilienſes numerantur.

Pagus Baſilienſis, in Diviſione Regni Lotharii, anno DCCCLXX. inter Glorioſos Reges Francorum Ludovicum & Karolum fratres facta, nomine Germanico vocatur *Baſalchouva*. *Chouva* autem Germanis & *Gouva* pagus eſt; *Baſal* vel Baſala, *Baſle* aut *Baſel*. Incolæ pagi Baſilienſis & civitatis Baſiliæ, Latinis *Baſilienſes*, Germanis *Die Baſeler* vulgò nuncupantur. Quidam Theganum & nonnullos alios recentiores ſecuti, urbem quidem *Baſileam*, opida-nos verò atque pagenſes mendosè *Baſileenſes* appellitant.

Baſilienſibus Epiſcopis idem accidit, quod Genevenſibus & Lauſanenſibus, ut amiſſis hæreticorum defectione ante annos centum civitatibus ſuis, ſedes mutare cogerentur, ac nihilominùs veteris quiſque ſedis ſuæ nomen retineant. Uti igitur Genevenſes Epiſcopi Aniciacum Sapaudiæ municipium, Lauſanenſes Friburgum Helvetiorum pro ſede nunc ha-

bent; ita Baſilienſes Antiſtites opidum, *Pontem Raintrudis* in antiquis Eccleſiæ Veſontienſis tabulis dictum, vulgò *Pont-Raintrud*, hoc eſt *Pontem-Ragnetrudis*. Recentiores opidum illud ſive potiùs vicum *Brondrutum* & *Bruntrutum* appellitant.

Salvianus in libro VI. de Gubernatione Dei ita de Circenſibus ac theatralibus ludis ſcribit. *Non hoc agitur jam in Magontiacenſium, atque Maſſilienſium civitate, ſed quia exciſa atque deleta eſt. Non agitur Agrippina, ſed quia hoſtibus plena. Non agitur Treverorum urbe excellentiſſima, ſed quia quadruplici eſt everſione proſtrata.* Maſſiliam à Bonifatio Comite Ataulfi Gothorum Regis obſidione liberatam eſſe conſtat, nec ab ulla alia Gente tum eſſe tentatam. Ut omittam Salvianum ipſum, Eccleſiæ Maſſilienſis Presbyterum, de excidio urbis ſuæ, ſi quod tum accidiſſet, carptim & in tranſcurſu locuturum non fuiſſe. Igitur legendum puto. *Non hoc agitur jam in Magontiacenſium, atque Baſilienſium civitate*, primâ nominis literâ tantùm mutatâ: quæ urbs Ammiano *Baſilia*, veteribus in Notitiis *civitas Baſilienſium* dicitur, & à Burgundionibus ac Suevis Gallias ingreſſis videtur fuiſſe capta cum Mogontiaco, cúmque urbibus Vangionum & Nemetum, ac Argentorato, quæ Baſiliæ proximæ & eidem flumini, videlicet Rheno appoſitæ erant. Rara enim urbs, rarum municipium fuit ſine ludis ſedibuſque ludorum, ac præſertim ſine Amphitheatro: cùm vel Antipolis, & Aventicum Helvetiorum ſuum ſibi etiam Amphitheatrum habuerint, & Meldorum civitas exigua ac humilis, aliæque.

BASINIACUM.

Baſiniacum memorat Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, & inter *Solocenſe* territorium nobis incognitum ac *Elſchouvam* ponit: quod Aubertus Miræus putat eſſe Baſſiniacum ſeu pagum Baſſiniacenſem, *le Baſsigny*. Eſt autem Baſſiniacum noſtrum unus è pagis Campaniæ Gallicæ, majore ex parte inter Matronam & Moſam orientes poſitus; & Regnum Lotharii tum a Rheno ad Moſam & Scaldim uſque pertinebat. Auberto tamen Miræo vix poſſum accedere.

Baſiniaco noſtro in Lingonibus nomen dedit *Baſſeium* vel *Vaſſeium*, opidum ejus pagi, vulgò *Vaſſy* dictum: vel certè à ſitu hoc nomen invenit, nimirum à loco inferiore quem patriâ linguâ *baſſum* vocamus, *bas*. Eſt enim in vallibus hic pagus poſitus, & proximus pago montano, quem *Montaniam* nuncupant, *la Montagne*. Sic in Ducatu Nivernenſi pagus eſt dictus *Bazois*, hoc eſt *Baſſenſis*, vel humilis & depreſſus, propterea quod eſt in vallibus Morvinni poſitus.

BASOLCÆ.

Ordericus Vitalis in libro XIII. Hiſtoriæ Vilerias, Manſionem Odonis, & *Baſolcas* loca junctim memorat: è quibus Baſolcæ videntur eſſe *la Baſoche*, quæ eſt Baronia in Pertico Goëti; Manſio Odonis fortè *Auton*, corruptè pro *Oton*.

BATAVODURUM VEL DORESTATE.

Caſtrum vel (ut alii vocant) vicus *Doreſtate* erat cis & ad Rhenum in parte ea Bataviæ, quæ à Friſiis Gente Germanica occupata, ac *Friſia citerior* dicta eſt. In Appendice Chronici Fredegarii hæc de Doreſtate invenio. *Pippinus contra Ratbodum, Ducem gentilem Friſionum Gentis, adverſus alterutrum bellum intulerunt caſtro Doreſtate, illic belligerantes invicem anno* DCXCVII. In Annalibus Mettenſibus *caſtrum quod dicitur Doreſtadum*: in Annalibus Bertinianis ad annum DCCCXXXIV. *emporium quod vocatur Doreſtadus*: in Chronico de geſtis Nortmannorum nunc *Doraſtadum*, nunc *Doreſtatum villa Friſiorum* nuncupatur; in Annalibus Fuldenſibus anno DCCCXLVII. *Doreſtatum* quoque.

Hic locus olim *Batavodurum* appellabatur; hoc eſt Batavorum oſtium, ſeu introitus Bataviæ. Tacitus eo nomine utitur, quum *Batavodurum, Grinnes, Vadamque* in libro IV. Hiſtoriarum ceu loca vicina conjungit. Batavodurum ad Vacalim eſt, ut & Noviomagus. Vacalim autem vocant citeriorem vel Gallicum ramum Rheni, qui Moſâ recipitur. In uſu ſunt adhuc caſtri & emporii ambo nomina, vetus & recentius. Quippe nunc *Batenburg* dicitur, id eſt Batavoburgus vel Batavodurum; nunc *VVik te Duerſtede*, ſive *VVych te Duerſtede*, aut abſolutè ac ſimpliciter *Duerſtede*, hoc eſt vicus Doreſtate, vel Duroſtate.

Teſtrabanto vel Teſtrabento videtur attributum eſſe caſtrum Doreſtate, & caput etiam ejus extitiſſe. Quippe Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXIX. prope *Comitatum Batavorum, Comitatum Teſtrabenticum Doreſtado* memorant: qui *Comitatus Teſtrebant* vocatur in Diviſione Regni Lotharii inter Reges fratres Ludovicum & Carolum.

BATAVIA SEU INSULA BATAVORUM.

Moſa parte quadam Rheni receptâ quæ appellatur Vacalis, inſulam efficit Batavorum, ut Cæſar in libro IV. ſcribit. Vacalis vel Vahalis vulgo dicitur *VVale* vel *VVael*; Rhenus *Rhyn*. *In Rheno ipſo prope centum millium paſſuum in longitudinem nobiliſsima Batavorum inſula & Cannenefatum*, ait Plinius in libro IV. Nimirum ea inſula à Batavis & Cannenefatibus incolebatur: ſed quia majorem inſulæ partem Batavi obtinebant, nomen ei ſuum dedere, & dicta eſt *inſula Batavorum*, ac *Batavia*. Id nos Tacitus docet in libro IV. Annalium hiſce verbis. *Batavi, donec trans Rhenum agebant pars Cattorum; ſeditione domeſtica pulſi extrema Galliæ ora vacua cultoribus, ſimulque inſulam inter vada ſitam occupavere: quam mare Oceanus à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Caninefates partem inſulæ colunt, Gens origine, linguâ, virtute par Batavis; numero ſuperantur.* Eginhardus ſcribit in Vita Caroli Magni, *Vahalem fluvium Batavorum inſulam à parte Meridiana præterfluere*. In tabula Theodoſiana vocatur *Patavia* pro Batavia, & *fluvius Patabus* pro Batavus. (uti Dio *Patavos* Πατάβους pro Batavos nominaverat:) ac ibidem Batavia ſic deſcribitur. *Foro Hadriani* XII. *Flenio* XVIII.

Tablis XII. *Caſpingio* XVIII. *Grinnibus* VI. *Adduodecimum* XVIII. Ex quibus *Forum Hadriani Voorburg* nunc dicitur, quaſi *Foorburg*: *Fletium* vel Flevum caſtellum *Delft*, opidum elegantiſſimum, impoſitum Foſſæ Flietenſi, *de Vliet* ſive *Fliet* dictæ, ante D. annos factæ, ut ait Grotius adverſus Cluverium, qui Foſſam Corbulonis eam eſſe exiſtimabat. *Tabulas* vel *Tablas* vicum *Alblas* Cluverius exponit; *Caſpingium*, caſtellum *Geeſſenburg*; Grinnes *Rhenen* vicum; *Vadam* ſive *Adduodecimum VVageningen*. *Grinnes* & *Vadam* in libro IV. Hiſtoriarum memorat Tacitus cum *Batavoduro*, & inſulam Batavorum paluſtrem humilemque eſſe ait; & in ſua Germania *Batavos non multum ex ripa, ſed inſulam Rheni amnis colere, Cattorum quondam populum* tradit.

Inſula Batavorum ſeu Batavia, poſtea corrupto & mutilato nomine dicta eſt *Batua*. In Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Batua* ponitur inter *Comitatum Teſtrebant* & *Hattuarias*. Chronicon de Nortmannorum geſtis in anno DCCCLIX. & Annales Bertiniani *inſulam Rheni Patavum* nuncupant, ut ſuprà tabula Theodoſiana *Pataviam*. *Batuam* in anno DCCCXXCV. Annales Mettenſes vocant. *Godefridus illis obviam procedit ad locum Heriſpich, in quo Rheni fluenta & Vval uno ſe alveo reſolvunt, & ab invicem longiùs recedentes, Batuam provinciam ſuo gurgite cingunt. Hanc inſulam ingredientes; ſoluto colloquio inſulâ excedunt.* Quam *Batuam provinciam* & *inſulam* non ſemel appellant; appellant iidem Annales ibidem & *Friſiam*. Anno DCCCXXCV. *D. I. Hugo rebellare diſponens contra Imperatorem, legatos ad Godefridum in Freſiam occultè dirigit.* Nimirum Friſii cùm à Francis deſciviſſent, Rhenum tranſgreſſi, in parte Bataviæ conſederant, & caſtrum Doreſtate vel Batavodurum, ac Trajectum ad Rhenum inferius cognominatum præter cetera loca occupaverant. Quare Beda *citeriorem Friſiam* vocat, ut diſtinguat ab ulteriore vel Tranſrhenana Friſia, regione magnæ Germaniæ. Bedæ in capite XI. libri V. Hiſtoriæ verba hæc ſunt de Pippino Duce Francorum, avo Pippini Regis. *Et quia nuper citeriorem Freſiam pulſo inde Rathbedo Rege ceperat, illò eos ad prædicandum miſit.* (VVilbrordum Presbyterum cum XI. ſociis) Quin & Annales Bertiniani Friſiam uſque ad Moſam proferunt. Sic enim in anno DCCCXXXIX. ibi legimus de tota Friſia uls & cis Rhenum. *Ducatum Freſiæ uſque Moſam.*

Bataviæ inſulæ ſuperior pars vocatur vulgò *de Betuwo* ſeu *Betovv*, alias *Betuvve*: ut Cluverius ait.

Inſula Batavorum eſt inter veterem alveum Rheni, & Vacalem qui Moſâ recipitur: & Betuviam & Betuve, Ducatus Gelrenſis portionem, ac magnam partem Meridianæ Hollandiæ ſeu Sudhollandiæ continet.

BATHA.

Batha inſula cum opidulo ejuſdem nominis non multum abeſt à continente Britannia minore, vulgò *Baac*, aut *l'Iſle de Baz*. Mentio ejus fit in Vita S. Pauli, ut & *Agnenſis Leonenſiſque pagorum*: id eſt *d'Ack & de Leon*. Ibi eſt *Monaſterium Bathenſe* ab inſula cognominatum in Diœceſi Leonenſi, quod originem ſuam S. Paulo debet. Quippe in *inſula Batha* minori Britanniæ adjacente, & à continente atque ab opido Leonenſi parvo freto diviſa, magnâ & vicis infeſsâ, cum plurimo grege Monachorum ſibi ſubjectorum diu vixiſſe dicitur Paulus: quam inſulam multo poſt ejus mortem Nortmanni crebris irruptionibus vaſtavere, diripuere, & omnia ejus ædificia ad ſolum uſque incendio peſſumdedere. Cambdenus *Barſam* ab Æthico dici exiſtimat; à Noſtris *Iſle de Bas*; ab Anglis ſuis *Baſepole*: cujus de Barſa conjecturæ vix poſſum accedere.

BEDA ET PAGUS BEDENSIS.

Beda vicus in Itinerario Æthici memoratur, & inter *Treviros* ac *Auſanam vicum* medius ponitur, in itinere à Treviris Agrippinam ſic. *Beda vicus leugas* XII. *Auſana vicus leugas* VIII. in tabula Peutingeriana *Beda* inter *Auguſtam Trevirorum & Auſanam*. Hunc vicum Bedam, vulgò *Bidburg* in Luciliburgenſi Ducatu vocari ait Cluverius: à quo *Beda* vel *Beta Betaſios*, vel *Betaſos*, aut *Vetaſios* dictos eſſe exiſtimo. *Betaſios* in libro IV. Hiſtoriarum memorat Tacitus non ſemel, & cum Nerviis Tungriſque conjungit. *Betaſos* Plinius eos appellat, & in Belgica ponit prope Leucos & Treviros. Notitia Imperii *Vetaſios* eoſdem nuncupat, & *in litore Saxonico* inſulæ Britanniæ *Regulbium* ponit, *ubi cohors I. Vetaſiorum*. Nomen dedit *Beda vicus pago Bedenſi*: quo in pago Epternacum villa quondam Regia, nunc Monaſterium fuit. *Pagum Bedenſem* Nithardus in libro I. inter *Odornenſem* & *Bleſenſem* ponit. In Diviſione Regni Lotharii facta anno DCCCLXX. inter Reges Ludovicum & Carolum fratres, pagus hic nunc *Bedenſis* vocatur Latino nomine, nunc *Bedagouva* Germanico; & flumen Urta quod defluit in Moſam, pagum Bedenſem irrigare dicitur. Aubertus Miræus duos vicos *Bedas* Latinè, vulgò *Bidburg* dictos diſtinguit: & *Bedam* quidem Æthici, ab Auguſta Trevirorum leugis XII. ab Auſana vico leugis VIII. diſtantem, *Bidburgum* nuncupari ait, ac eſſe opidum Ducatûs Luciliburgenſis inter urbem Treviros & vicum Auſanam ſive *Palleſcheit*: alteram autem eſſe *Bedam*, *Bidburg* ſimiliter dictam vulgò, non procul ab Antunnaco & Megenenſio, (*Meyen*) quæ *pago Bedenſi* ſeu *Bedagouva* nomen ſuum dederit, inter *Megenenſium* & *Nitachouvam* jacenti.

Brouverus *Bedenſis pagi* ſeu *Bedonici* in Treviris, tribus fluviis Surâ, (*Saur*,) Gelbi aut Celbi (*Kyl*) & Leſurâ terminati, caput ait eſſe *Bedenſe caſtrum* haud procul à Nemeſa, (*Nims*) quod *Biedeburgum* dicimus.

BELENATENSIS MONS.

Mons Belenatenſis à *Beleno* Deo, id eſt Apolline, quem cum Jove, Mercurio & Marte præ ceteris Galli coluere, appellationem videtur traxiſſe. Hic mons erat inter Artonam & Ricomagum in Arvernis: ut docet Gregorius noſter in libro de Gloria Confeſſorum his verbis. *Cum ex Artonenſi vico veniſſet in cacumen montis Belenatenſis, de quo vici Ricomagenſis poſitio contemplatur.* At nunc mons iſte Belenatenſis, un-

ter Artonam & Ricomagum medius, ignoratur etiam ab incolis.

BELGICA PROVINCIA.

Belgica, una è IV. partibus Galliæ, primùm jam inde ab Auguſto ſimplex & unica tantùm fuit. Pars ejus ad Rhenum *Germania ſuperior*, & *Germania inferior* vocabatur. Poſtea ex provincia Belgica duæ ſunt factæ, uti arbitror, à Conſtantino Maximo, *Belgica prima*, & *Belgica* II. Addita eſt quatuor his provinciis & *Maxima Sequanorum*. Igitur tota vetus Belgica demum V. provincias complecti cœpit, *provinciam Belgicam primam*, *prov. Belgicam ſecundam*, *prov. Germaniam primam* vel *ſuperiorem*, *provinciam Germaniam ſecundam* vel *inferiorem*, & *provinciam Maximam Sequanorum*.

Notandum eſt quod ait Strabo, XV. tantùm eſſe Belgarum Gentes, *τούτων δὲ (Γαλατῶν) τοὺς Βέλγας ἀρίστους φασίν, εἰς πεντεκαίδεκα ἔθνη διῃρημένους*. Hæ XV. Belgarum Gentes vel civitates fuerunt Bellovaci, Sueſſiones, Nervii, Atrebates, Ambiani, Morini, Menapii, Caleti, Velocaſſes, ambo citra Sequanam quidem ſiti in Belgica, Celtis tamen paullo poſt attributi, Veromandui, Aduatici, Condruſi, Eburones, Cereſi, Pemani: quos XV. populos J. Cæſar in libro II. Commentariorum belli Gallici communi Belgarum Concilio interfuiſſe ſcribit, & armatam multitudinem pro ſe quemque ad bellum Romanum pollicitos eſſe. Cæſarem autem Strabo clauſis oculis ſequi ac tranſcribere conſuevit: qui non animadvertit Remos Belgas quoque eſſe, ſed inter iſtos XV. Belgarum populos à Cæſare minimè numerari, propterea quòd deditionem fecerant, & principum liberos ipſi obſides dederant. Hæc ſub Julio Cæſare. Poſtea ab Auguſto ejus ſucceſſore provinciarum Imperii Rom. forma mutata eſt, & Belgarum Gentes civitateſve præcipuæ ac primariæ extitere Treviri, Mediomatrici, Leuci, Veruni, Remi, Sueſſiones, Veromandui, Atrebates, Nervii, Bellovaci, Ambiani, Morini, Menapii, Sequani, Helvetii, Rauraci. Nam ceteri populi qui eadem in Belgica Rhenum accolebant, Germanorum populi fuerunt: unde & provinciis duabus, nimirum Germaniæ ſuperiori vel primæ, ac Germaniæ inferiori vel II. nomen ſuum dederunt, nec umquam niſi impropriè admodum Belgæ ſunt dicti, quoniam Belgicæ partem ad Rheni ripam occupaverant. Hos *Germanos Ciſrhenanos* in libro VI. vocat Cæſar, & *Germanos qui ſunt citra Rhenum*; *Germanos qui ripas Rheni incolunt*, in libro II. Ut omittam quod idem ſcribit, *pleroſque Belgas eſſe ortos à Germanis, Rhenumque antiquitùs tranſductos, Gallis expulſis, propter ſoli fertilitatem ibi conſediſſe*.

Ceterùm falſum eſt quod adjicit Strabo, Belgas inter Rhenum & Ligerim atque ad Oceanum habitare, *τοὺς μεταξὺ τοῦ Ῥήνου καὶ τοῦ Λίγηρος παροικοῦντας τὸν ὠκεανόν*: in eoque Strabo à J. Cæſare præter morem ſuum recedit, qui *Belgas à Celtis ſeu Gallis Matrona & Sequana dividi* ait. Omitto Plinium, qui *à Scalde ad Sequanam Belgicam* pertinere ſcribit: omitto & Mellam, qui *à Garumna ad Sequanam Celtas, inde ad Rhenum pertinere Belgas* tradidit. Certè ſi trans Sequanam uſque ad Ligerim promoveremus cum Strabone Belgicam, non haberent Celtæ vel Galli propriè dicti ubi conſiſterent, cùm Aquitanos Auguſtus Cæſar Ligere fluvio terminaverit.

De Belgio, & de nomine Belgarum dicemus in Bellovacis.

BELGICA VICUS.

Æthicus in itinere à Treviris Agrippinam *Belgicam* vicum memorat, & inter Marcomagum vicum ac Tolbiacum ponit, à Marcomago ſeu Marcoduro leugis XIII. à Tolbiaco X. diſtantem. Hanc *Bullingen* Simlerus exponit, qui eſt vicus Prumiam inter celebre monaſterium & Sleidanum, ſed non inter Marcomagum ac Tolbiacum. Cluverius meliùs *Belgicam* Æthici *Balchhuſen* interpretatur, vicum Marcomago ac Tolbiaco medium interpoſitum. Abeſt autem ab Auguſta Trevirorum, capite & metropoli provinciæ Belgicæ primæ, leugas XXVIII. ab Agrippina civitate, metropoli Germaniæ ſecundæ leugas XXVI. cui provinciæ attribuitur.

BELICA CIVITAS SEQUANORUM.

In Notitia quadam provinciarum & civitatum Galliæ, quam ex Bibliotheca Petaviana eruit publicavitque Andreas Cheſnius, memoratur *civitas Belicenſium*, *quæ antea* (ut falsò additur) *caſtrum Argentarienſe vocabatur*, & in provincia Maxima Sequanorum quarto loco ponitur. Robertus Autiſſiodorenſis *Beliſmam*, aliàs *Beliſamam* corruptè vocat in prov. Maxima Sequanorum; ceteri *Belicenſem civitatem*; nonnulli & *Bellicenſem*: quam in *Burgundia* vel in *Sapaudia* ſub metropoli Biſuntina ſive Veſontione collocant ultimo loco poſt Baſiliam & Lauſanam. *Belica* Noſtris vocatur *Beley*, aliàs *Bellay*, non procul à Rhodano, inter flumen & montes in Brexia poſita civitas, cui & opidum Seſſelium, *Seiſſel*, ad Rhodanum inter Belicam & Genevam medium contribuitur. Hanc urbem in anno DCCCLVIII. Annales Bertiniani *Epiſcopatum Bilifium*; Maſſonus *Bellicum* nuncupat, & majorem ejus Eccleſiam à Rodulfo Ignavo, Rege Jurenſi conditam eſſe ait, ac Johannis Baptiſtæ titulo cenſeri. *Belligam* Magno quaſi *Bellicam* vocat.

Belica ſedes Epiſcopatus fuit ante annos MC. Quippe *Vincentius Epiſcopus Eccleſiæ Belicenſis* Synodo Pariſienſi II. regnante Childeberto Chlodovei Magni filio, & Concilio Lugdunenſi II. Indictione V. anno Guntchramni Principatus VI. Chriſti DLXVII. interfuit atque ſubſcripſit: & *Florentius*, aliàs *Florentinus*, *Epiſcopus Eccleſiæ Bellicenſis* Concilio Cabilloni habito juſſu Chlodovei junioris Francorum Regis.

Nomen dedit *Belica* pago *Belicenſi*, aut Bellicenſi, quem quidam corruptè *Bellovicenſem* appellant, vulgò *le Bugey*, aliàs *le Beaugey*, quæ pars eſt Brexiæ.

Hæc inter urbes fuit non provinciæ modò, ſed etiam Gentis Sequanorum. Eſt quippe in Brexia ſaltúve Brexio, quem *in territorio Sequano* ponit Aimoinus in libri III. capite XCI. nimirum à flumine Arari ſuburbanoque Cabillonenſi uſque ad flumen Rhodanum. Quare rectè Ammianus Marcellinus in libro XV. de

Rhodani curſu Lemanum egreſſi ſic ſcribit. *Vnde ſine jactura rerum per Sapaudiam fertur & Sequanos; longéque progreſſus Viennenſem latere ſiniſtro perſtringit, dextro Lugdunenſem.* Quippe conſtat Rhodanum poſteaquam lacum Lemanum egreſſus eſt, Sequanos inter & Sapaudos fluere, ſive provinciam Maximam Sequanorum à Sapaudia dividere, & ſiniſtro quidem latere Sapaudiam alluere, dextro partem provinciæ Sequanorum Brexiam dictam attingere, ubi eſt Seſſelium opidum in inſula flum. Rhodani, & *Belica* urbs vetus, ac priſca Epiſcopatûs ſedes, à Geneva x. leugis, à colonia Equeſtri Noioduno circiter xiv. diſtans.

BELLISMUM.

Belliſmum caſtellum Ordericus Vitalis commemorat in libro viii. Hiſtoriæ: quod quidam Latino nomine *Belliſſimum* appellant, vulgò *Belleſme*. *Beleſmum* idem auctor nonnumquam vocat, & *Beleſmenſes* ejus incolas. Caſtellum eſt in Pertico non ignobile, poſitum ad rivum aut amniculum, in Idoneam vel Egueniam decurrentem apud Firmitatem Bernardi.

BELLOVACI, ET DE BELGIO.

Plurimum inter Belgas Bellovacos & virtute, & auctoritate, & hominum numero valere ait Cæſar; *hos poſſe conficere armata millia centum:* eoſdem *omni tempore in fide atque amicitia civitatis Æduæ fuiſſe*, quos petente Divitiaco Æduo in fidem receperit, ſexcentis obſidibus armiſque omnibus traditis, *quòd erat civitas magna, & inter Belgas auctoritate ac hominum multitudine præſtabat, & in Gallia maximam habebat opinionem virtutis.* Iidem *defectione Æduorum cognita, apertè bellum parare cœperunt*, propterea quod clientes patronorum ſuorum auctoritatem atque fortunam ſequi conſueverant ac debebant. *Bellovacis* ad Aleſiam obſidione liberandam a Principibus Galliæ imperata ſunt millia armata decem: quos Hirtius ſcribit *belli gloria Gallos omnes Belgaſque præſtare.* Strabo Cæſarem ſequitur, & inter Gallos Belgas eſſe fortiſſimos, inter Belgas *Bellovacos* tradit, quos Βελλοάκους *Belloacos* appellat. Plinio in Belgica *Bellovaci* proximi Ambianis memorantur; Ptolemæo in Belgica dicti Βελλουάκοι, id eſt *Bellouaci* vel Belluaci. Florus in epitome libri cxiv. Livii *Bellouacos* rebellantes, à Bruto Legato Cæſaris victos eſſe ſcribit. Cœlius in epiſtola ad M. T. Ciceronem 1a. libri viii. *Crebri & non belli de Cæſare rumores veniunt, ipſum apud Bellovacos circumſideri, interclusum ab reliquo exercitu.*

Nullum ferè nomen pejùs acceptum à ſcriptoribus Latinis reperias. Pro Bellovacis nunc *Bellovacui* dicuntur, ut in Hiſtoriæ Miſcellæ MS. libro vi. aliàs *Bellouagui*; nunc *Belloaci* ut apud Strabonem; interdum *Bellouagi* atque *Beleuagi* c litterâ in g ex more converſâ; ſæpiùs *Belnaci*, ac nonnumquam *Belnagi*, ſecundâ nominis ſyllabâ ſublatâ. Vulgo *Beauvaiſins* Noſtri appellitant, quaſi *Bellouacinos* aut *Bellouacenſes*.

Bellouacorum ager *pagus Bellouacenſis* vocatur, *pagus Belloacenſis* in Vita S. Ansberti; *Beluacenſis* in Capitulis Siluacenſibus Caroli Calvi, inter *Vilcaſſinum* & *Vindocinſum*: vulgò *le Beauvaiſis*. Eumenius in Panegyrico Conſtantio Cæſari dicto *Bellouacum ſolum* appellat: quod Iſarâ, Sequanâ, Ittâ & Aronâ fluviis terminatur, multis vallibus in primis Bellouacenſi & Claromontana inſigne, ſilviſque multis.

Bellouacorum partem fuiſſe Silvanectes putat Samſon, quoniam Cæſari & Straboni ignoti ſunt Silvanectes, & à Plinio liberi cognominantur: ita ut alteri Genti vel civitati, puta Bellouacæ ſubjecti primùm fuiſſe, deinde ditioni ejus exemti, & Gens per ſe facti eſſe videantur. Sed has conjecturas alibi refellimus.

Servius in illum verſum libri iii. Æneidos.

Belgica vel molli meliùs feret eſſeda collo.

Belgica eſſeda, (inquit) *Gallicana vehicula: nam Belga civitas eſt Galliæ, in qua hujuſcemodi vehiculi aut ea pente repertus eſt uſus.* Henricus Huntindunenſis Archidiaconus in Hiſtoriarum libro i. quas ad annum mcliv. deduxit, *Galliam Belgicam à Beluaci nobiliſſima quondam urbe Galliæ dictam eſſe* ait. Johannes Pariſienſis in ſuo Memoriali, quod ante annos ccclx. compoſuit, *Belgica* (inquit) *eſt dicta ſecundum Iſidorum à Belgis, quæ nunc Beluacum dicitur.* Bernardus Guido Johannis æqualis ita etiam videtur ſenſiſſe, licet (ut Iſidorus) omiſſo nomine civitatis: cujus hæc ſunt verba. *Belgis civitas eſt Galliæ, à qua Belgica provincia dicta eſt.* Hos ſecutus Cluverius, *Belgium* apud Cæſarem agrum Bellouacum interpretatur; *Belgas* propriè dictos, Bellouacos. Samſon *Belgium* amplius quam Cluverius facit, & Atrebates, Ambianos, Bellouacos, fortè etiam Veromanduos ac Silvanectes Belgio Cæſaris contineri ait: contrà Guillelmus Britto in Philippidos libro ix. à *Belga* caſtro S. VVinnochi Furnis proximo, *Bergue S. Vinnoch*, Belgarum & Belgicæ nomen ridiculè deducit: cùm à mõte *Berga* vocari debeat, non *Belga*; & multis ſæculis ſit Belgarũ appellatione recentior. Robertus Monachus in Chronico, quod in anno mccx. deſinit, *Belgicam* (cujus pars eſt Belgium) *appellari* tradit *à civitate Belgis, quæ & Treveris dicitur*: Gervaſius Tilleberienſis *a civitate Belgis in confinio Burgundiæ ſita ſuper fluvium Soanam* id eſt Ararim, vulgò *Baugey* dictâ Tinurtium inter & Matiſconem, ſed in adverſa ripa. Lucanus libro i. Belgas propriè dictos, ſive ſoli Bellouaci, ſive qui alii ſint, deſignat haud dubiè hoc verſu, poſt Nervios, Sueſſones, Leucos, Treviros, Lingones, Remos, Sequanos, Vangiones, & Batavos Belgicæ populos commemoratos.

Et docilis rector monſtrati Belga covini.

legitur aliàs, roſtrati.

De quo vehiculi genere, à Britannis Belgis monſtrati vel traditi, Martialis eſt epigramma.

O jucunda covine ſolitudo.

Ex quo intelligitur *Belgam* propriè dictum apud Lucanum ſuprà, Bellouacum eſſe poſſe, Trevirum eſſe non poſſe: cùm Lucanus *Belgam* illum ſuum à *Treviro* ibidem apertè diſtinguat.

Tu quoque lætatus converti prœlia Trevir.

Unde rectè ait Samſon *Treviros* Belgii & Belgarum propriè dictorum finibus non contineri.

Belgas iſtos propriè dictos in Britanniam inſulam tranſiiſſe facile cum Cæſare crediderim,

atque ibi colonias condidiſſe, in primis urbem à Londinio LXVI. millibus paſſuum diſtantem, quæ ab ipſis *Venta Belgarum* cognominata eſt, & *Callenâ Atrebatum* XXII. millia paſſuum abeſt.

Ceterùm Cæſar Remos, Morinos, Nervios, Treviros & Eburones à Belgio apertè diſtinguit in libro V. cùm ait ſe ex legionibus *unam in Morinos ducendam C. Fabio legato dediſſe, alteram in Nervios Quinto Ciceroni, tertiam in Eſſuos* (vel potiùs *Æduos*) *L. Roſcio; quartam in Remis cum Tito Labieno, in confinio Trevirorum hiemare juſſiſſe; tres in Belgio collocaviſſe: his M. Craſſum Quæſtorem, L. Munacium Plancum, & C. Trebonium legatos præfeciſſe; unam legionem & cohortes V. in Eburones miſiſſe*: & Eburonibus ac Nerviis Q. Ciceronem oppugnantibus, *Cæſarem ſtatim nuntium in Bellouacos ad M. Craſſum Quæſt. miſiſſe.* Hirtius ſcribit, Cæſarem IV. *legiones in Belgio collocaviſſe, cum M. Antonio & C. Trebonio & P. Vatinio & Q. Tullio legatis; duas in Æduos miſiſſe, & ad legiones in Belgium ſe recepiſſe, hibernaviſſeque Nemetocernæ: & cùm Antonius in hiberna veniſſet, civitaſque Atrebatum in officio maneret, Commium Atrebatem* ex Rege privatum *cum ſuis equitibus commeatus complures qui comportabantur in hiberna Romanorum, intercepiſſe.* Ex quo intelligitur Atrebates in Belgio fuiſſe, apud quos M. Antonius hiemabat: fuiſſe & Bellouacos haud dubiè, cùm Cæſar M. Craſſum Quæſtorem, quem uni è *tribus legionibus in Belgio* ad hiemandum *collocatis legatum præfecerat*, paullo pòſt eodem in libro indicet, in Bellouacis cum ſua legione hiberna habuiſſe. Verba ejus ſunt. *Cæſar ſtatim nuntium in Bellouacos ad M. Craſſum Quæſtorem mittit, cujus hiberna aberant ab eo millia paſſuum* XXV. *jubet media nocte legionem proficiſci celeriterque ad ſe venire. Exiit cum nuntio Craſſus.* Cùm igitur & Bellouaci, & Atrebates in Belgio vel de Belgio fuerint; procul dubio utrique populi Belgis propriè dictis præter ceteros adnumerati ſunt, ſed Bellouaci tamen ſæpius ac magis, quàm Atrebates & quilibet alii Belgii populi.

Habent Bellouaci ab Oriente Veromanduos & Sueſſiones, à meridie Pariſios, ab Occidente Veliocaſſes & Caletos, à Septemtrione Pontiuenſes & Ambianos. Urbes eorum, opida & municipia ſunt, Cæſaromagus Bellouacorum, caput Gentis; Belluſmons ad Iſaram, Comitivæ titulo illuſtris; Bubulæ *Bulles*, vicus olim in litteris anni MLXXV. memoratus; Camliacum *Chambli*, quod pago Camliacenſi nomen dedit; Claruſmons Comitatu nobilitatus; Credilium ad Iſaram *Creil*; caſtellum Gerboreddum, aliàs Gerboredum *Gerberoy*; Inſula Adami *l'Iſle-Adam*; Mellotum *Mello* aut *Merlou*; & Pons ad S. Maxentiam. Majores vici quos Burgos vocant, ſunt præ ceteris Britolium *Breteüil*, olim Comitatus; Caſtanetum, aliàs Caſtiniacum *Caſtenoy*; Flaviacum S. Geremari S. *Germer de Flay*; Miliacum vel Milleium *Milly*; Montiacum vel Monceium *Monchi le Chaſtel*, Conteium *Conty*; Coldunum *Coudun*. Continet pagus Bellouacus CCCLXX. Parœcias ruſticanas ſub Archidiaconatibus IX. Primus Archidiaconatus eſt pagi Braienſis, *du pays de Bray*; II. Archidiaconatus Montium, *des Montagnes*; III. Archidiaconatus Bellimontis; IV. Archidiaconatus Montiaci vel Monceii; V. Archidiaconatus Clarimontis; VI. Archidiaconatus Pontis ad S. Maxentiam; VII. Colduni; VIII. Reſſonis vel Roſſonis; IX. & ultimus Britolienſis Archidiaconatus. Archidiaconatus Braienſis continet parœcias XLV. Montanus L. Bellomontenſis XLIV. Montiacenſis XLIX. Claromontenſis XXXIV. Maxentianus XLVI. Coldunenſis XXXV. Roſſontenſis vel Reſſonenſis XXXVIII. Britolienſis XLIV. ut Oiſelius Bellouacus teſtatur, qui tamen in numero parœciarum erravit, & à ſeipſo receſſit. Sic enim in Bellouacis erunt CCCXXCV. parœciæ ruſticanæ, non (uti ſuprà dixit) CCCLXX.

BELLIQUADRUM.

Belliquadrum vocant, & *Bellicadrum* quoque auctores, qui de Albigenſium rebus bellisque ſcripſere, caſtrum vel opidum ad Rhodanum, V. hodieque *Beaucaire* dictum, ſede Seneſcalci illuſtre. *Bellumquadrum*, & *Bellumcadrum* etiam dictum reperio: quod nomen haud dubiè à forma quadrata accepit. *Bellumquadrum* idem eſt, ac Bellum quadratum, ſeu pulcher locus quadratus. Ita Noſtri *Bellum forte* in Andibus, & in Campania aliiſque provinciis nuncupavere caſtrum, quod pulcrum & validum munitumve ſimul erat.

BELLUS JOCUS, ET PAGUS BELLOIOCENSIS.

Petrus Mauricius, Abbas Cluniacenſis, caſtri Bellijoci meminit ante annos quingentos in epiſtola quadam hiſce verbis. *Nobilis vir, domnus Humbertus de Belloioco, nuper à partibus tranſmarinis rediens, in brevi quidquid guerrarum in circuitu noſtro fremebat, compeſcuit: ut tota jam pene terra illa, inter Ararim & Ligerim poſita, novo pacis lumine perfuſa gaudeat.* Ubi notandum eſt, pagi Belloiocenſis ſitum heic rectè & apertè deſignari Ararim inter & Ligerim. Idem Mauricius in libri I. de Miraculis capite XXVII. de Belloioco caſtro ſic refert, quod nomine truncato *Beliocum* vocat. *Eſt in Matiſconenſi Epiſcopatu caſtrum, quod Beliocus vocatur: quod tam ſui nobilitate, quàm prudenti dominorum ſtrenuitate pene omnia adjacentia caſtra præcellit. Hujus dominium Guicardus hereditario jure ſuſcipiens, eos quibus ſucceſſerat patres, licèt ſtrenuos viros, ſæculari potentiâ famaque exceſſit. Huic in paterna hereditate filius ejus Humbertus ſuccedens, contra quoſdam qui in Forenſi pago ei adverſabantur, armis commotis, cum exercitu contra eos proceſſit:* qui *Humbertus de Belioco* ibidem dicitur. Multi inter Dominos Belloiocenſes, multi & ex Sapaudiæ ſeu Maurienn æ Comitibus dicti ſunt Humberti: ita ut ſuſpicer dominos Belloiocenſes ex Sapaudiæ Comitibus ortos eſſe. Litteris Hugonis Lugdunenſis Archiepiſcopi quædam Cluniaco donantis præter ceteros ſubſcripſit *Humbertus de Belloioco* anno MXCIV. In litteris Urbani Papæ anno MXCV. datis hæc legimus. *Inſtrata verſus Bellumiocum terminus eſt contra Quarruvium*, id eſt Quadruvium. Vulgò *Beaujeu* nunc appellatur, eſtque opidum à caſtro ſuo quod *le Chaſteau de Beaujeu* dicitur,

aliquantum

aliquantum diſtans, impoſitumque Arderiæ fluvio, *Ardiere*, qui & *Bellamvillam* alluit, *Belle-ville*, ac in Ararim defluit Matiſconem inter atque Lugdunum.

Pagus Belloiocenſis, *le Beaujolois*, à Belloioco capite quondam ſuo nomen accepit. Nam *Villamfrancam*, *Villefranche*, nunc pro capite habet. Pagus autem iſte partim eſt in Segulianis, ſeu in Epiſcopatu Lugdunenſi; partim in Æduis: cùm caſtrum Belluſiocus Matiſconenſis diœceſeos finibus contineatur, & Matiſco ſit opidum Æduorum.

BELLUSMONS.

Apud Ordericum Vitalem in libro x. Hiſtoriæ *Radulfus Vicecomes de Bellomonte* memoratur. Hoc eſt caſtrum in Cenomanis ad ripas Sartæ flum. poſitum prope Axeium, & Belluſmons Vicecomitis dictum, *Beaumont le Vicomte*, ut ab aliis ejuſdem nominis locis hoc cognomine diſtinguatur. Nunc locus eſt non Vicecomitatus, ſed Ducatus titulo illuſtris. Sunt & alia eodem nomine in Francorum Regno opida vel caſtella, in primis Bellusmons Rogerii, à domino quondam ſuo cognominatus, *Beaumont le Roger*, ad flumen Riſelam vel Ridulam, *Rille*, quo Sequana augetur in Normannia. *Bellummontem caſtrum muniſſimum ſuper fluvium Ridulam ſitum* vocat Guillelmus Britto Armoricus in rebus anni MCXCIV. *Pulchrummontem Rogerii* Rigordus. Notus eſt omnibus & *Bellusmons* ad Iſaram in finibus Bellouacorum, *Beaumont*, inter Credilium & Brivam Iſaræ poſitus. Sugerius in Vita Ludovici Craſſi Francorum Regis ante annos D. *Matthæum Bellimontenſem Comitem*, & *Bellimontis Comitem Matthæum* commemorat. Nec omitti debet *Bellusmons* in Britannia Gallicana pagoque Venetenſi prope Rotonem, *Reden*. *Bellusmons* autem Noſtris eadem ratione dicitur, quà caſtrum *Bellagarda* prope Nemauſum, & caſtrum Bellumquadrum *Beaucaire*, & *Bellumforte caſtrum* in Andecavia, *Beaufort en Vallée*, aliaque loca.

BELNUM ET BELNENSIS PAGUS.

Belni in Chronicis Monaſteriorum Burgundiæ, præſertim Divionenſis ſeu S. Benigni, & Beſuenſis, fieri mentionem video: quod *caſtrum Belnum* plerumque appellatur, nonnumquam & *Belna*, ſed rariùs. Nunc eſt opidum in Æduorum finibus poſitum, ac in diœceſi Cabillonenſi non procul à fl. Arari, ac v. dicitur *Beaune*; locus vino ſuo nobiliſſimus, nec multum diſtans à Vinetiburgo, *Vinoybourg*. Unde *vinoſa Bealna* in libro I. Philippidos cognominatur.

A Belno pagus Belnenſis nomen accepit, *le Beaunois*. Capitula Caroli Calvi apud Silvacum edita anno DCCCLIII. pagum *Belniſum* vocant, & inter *Tornedriſum* ac *Duſmiſum*, id eſt Tornedrenſem ac Duſmenſem collocant. Chronicon Divionenſe *in pago Belnenſi* villas Sentilliacum vel Sentennacum, Mammiacum, & Cuſſiniacum ponit; item *in pago Belnenſi* villam Bovoniſcurtem.

BELSA.

Belſa, quam recentiores *Belſiam* vocavere, *la Beauſſe* inter Ligerim Aurelianoſve & Stampas jacens, xv. leugas patere dicitur. Fortunatus Presbyter in libri de Vita B. Germani Pariſiorum Epiſcopi capite LI. ante annos plus mille & ſexaginta ejus meminit, *Per Belſam Sancto itinerante*, &c. Venit in manus meas Paſſio S. Sigiſmundi Regis Kalendis Maii, ab auctore gravi & ejus (ut videtur) æquali, ac Monacho forſitan Agaunenſi compoſita, in qua homo externus & de regionibus ſibi ignotis ſcribens, ante Fortunatum *Belſæ* mentionem habuit, ſed locum eſſe, non regionem credidit. *Tunc Franci* (inquit) *pertimeſcentes ne manus eorum effugere poſſet, uſque ad locum deſtinatum ſub arta cuſtodia unà cum conjuge & filiis Giſclado & Gundebaldo vinctum ad locum cui Belſa vocabulum eſt, perduxerunt: ibique puteum ab antiquis conſtructum invenientes, capitali ſententiâ adjudicatum juſſu Regis ſui Clodomeri, capite deorſum demerſo, ſimul cum conjuge & filiis ſuis in puteum ſaxaverunt.* Conſtat autem Sigiſmundum Burgundionum Regem cum conjuge & liberis apud Columnam agri Aurelianenſis vicum jugulatum eſſe juſſu Chlodomeris Francorum Regis, & in puteum abjectum eſſe; agrum autem Aurelianenſem Belſæ regioni eſſe confinem. Apud Alcuinum in epiſtola XIV. ad Carolum Magnum: *Veneranda auctoritatis veſtræ omni melle dulciores apices per aridos Belgicæ latitudinis iter agenti campos occurrerunt mihi*: lego pro *Belgica Belſica*. Eſt enim Belſa vel Belſia, unde adjectivum deductum *Belſica latitudo*, regio arida & ſqualida, ac paucis fluviis irrigatur: quæ Belgicæ ariditudo non convenit. Unde Odorannus in Chronico ſqualidam eam vocat. *Dantes* (inquit) *ſeſe labori cœpti itineris, per ſqualidam Belſam pervenerunt ad Palatium Regis Rotberti.* Idem mendum in libro de Geſtis Epiſcoporum Turonenſium. *Cùm enim Regia ſedes Pariſius Martio labore & nationum dominatu præmineat, Carnotum Belgica fertilis opimet, Aurelianis ingeniorum & vinorum privilegio polleat.* Pro *Belgica* legendum eſt *Belſia*.

Guillelmus Britto in libro II. Philippidos Belſiam memorat his verſibus.

> Cui Belſia tota,
> Cui Bleſenſe ſolum ſuberat, Dunenſeque
> caſtrum.

Et in libro VI.

> Belſia graniparis non tot flaveſcit ariſtis.

Belſia dicitur & in libro II. Chronici Mauriniacenſis.

Beauſſam vocavit ante annos quingentos Hugo de Cleeriis Miles, in libello de Seneſcalcia Franciæ, *Marcheſneium & Bircium in Beauſſa* ponens: ex quibus Marcheſneium, *Marchenoir* vulgò dicitur ceu Mercatus niger, cùm *Marcheſnoy* ſcribi vocarique debeat. Eſt autem inter flumina Ledericum & Ligerim, ſeu inter Caſtrumduni & Balgentiacum: ut appareat tum pagum Dunenſem præ ceteris Belſiæ attributum fuiſſe. Certè obſervo Belſiam tribus cognominibus fuiſſe diſtinctam; & aliam *Belſam Carnutenſem*, aliam *Belſam Dunenſem*, aliam [illegible]

pellatam eſſe. Legi litteras Roberti Epiſcopi Carnutini, datas Caſtroduni anno MCLXII. *atteſtantibus Fulcherio Abbate Caſtriduni, & Guillermo Archidiacono Dunenſi, de quadam terra in Belſa Dunenſi ſecus Limoron, datâ à Roberto de Membrolus Monaſterio Ioſaphat.* In litteris Ludovici Francorum Regis datis anno MCXX. regni ejus XIII. Adelaidis Reginæ VI. inter collata Maurinіacenſi Eccleſiæ numerantur ac recenſentur *Eccleſia veterum Stampарum, Eccleſia Stripiniaci,* (Eſtrichi) *Eccleſia de Bonnis,* (Bonnes) *apud Dordencum Eccleſia S. Petri; in Belſia Carnotenſi villa quæ Meſuns appellatur;* (Latinè Manſiones vel Domus) *in Belſia Pitueritenſi Belovilla, Verrina.*

BELSINNACA INSULA AMNICA.

Belſinnaca inſula eſt fluminis Sequanæ, cujus fit mentio in Vita S. Condedi Monachi Fontanellenſis his verbis. *Ad fluvium Sequanæ regreſſus, ac navim ingreſſus, navigavit in inſulam vocabulo Belſinnacam, vicinam fiſco Arelauno, quæ undique ambiebatur fluvio Sequana.* Ibidem amœnitas & ſecretum loci commendantur, diciturque Theodoricus Chlodovei & Balthildis filius, Glorioſiſſimus Rex Francorum, *inſulam Belſinnacam* perpetuò poſſidendam Condedo petenti donaviſſe. *Inſulam Belcinnacam* vocat Fridegodus in Vita S. Audoëni. Si qua nonnullis fides, nomen vetus ſervat. Nam vulgò nunc dicitur *Belcinac*, aut *l'Iſle de Belcinac*, quæ hodieque ad Fontanellam Monaſterium pertinet: at ſi aliis locorum accolis creditur, (uti fieri oportet) maris acceſſibus hauſta eſt.

BENEARNUM.

Benearni nec Strabo, nec Mella, nec Plinius, Ptolemæuſque meminere. Primus ejus meminit Æthicus in itinere à Cæſarea-Auguſta Beneharnum ſic. *Foro Gallorum* M. P. XXX. *ſummo Pyrenæo* XLVI. *Foro ligneo* V. *Aſpalluca* VII. *Ilurone* XII. *Beneharnum* M. P. XII. Ubi Aſpalluca, aliàs Aſpaluca eſt *Aſpe*. Hiſpanis *Aſpa*, opidum quod nomen ſuum dedit Valli Aſpalucenſi, (*la Vallée d'Aſpe*) ſaltui Pyrenæo ſubjectæ in Benearnenſi regione, ad fluvium cognominem *Aſpe*: Iluro eſt *Oleron* in eodem pago, Beneharnum *Leſcar.* In veteribus Notitiis provinciarũ & civitatum Galliæ inter provinciæ Novempopulanæ civitates XII. ponitur ſeptimo loco, vocaturq; nunc *civitas Benarnenſium* nũc *civitas* Benarnenſium *Benarnus*, nonnumquam *civitas Beranenſium, id eſt Benarnus,* corruptè pro *civitas Benarnenſium: Benarna urbs* in libri IX. capite VII. Gregorii; in Pactione Gũtchramni & Childeberti Regũ *civitas Benarnũ*; *Benarnum* & in veteribus Conciliis. Concilio Agathæ Meſſallâ V. C. Conſule habito anno XXII. regni Domni Alarici Regis, Chriſti DVI. *Galactorius Epiſcopus de Benarno* interfuit atque ſubſcripſit; Concilio Matiſconenſi II. *Sabinus Epiſcopus Eccleſiæ Benarnenſium.* Malè Scaliger in Notitiis Galliæ *civitatem Benearnenſium, id eſt Benearnum, le pays de Bearn* interpretatur, quia nimirum Benearnum civitatem pro Laſcuri accipi oportere non putat. *Beneharnum* igitur primò dictum eſt, uti in omnibus Æthici codicibus ſcriptum reperitur: mox *Benarnum*, ac demum truncatâ penitus I. ſyllabâ *Bearnum.*

Dicũt in ruinis Benearni everſi exſtructam eſſe à Ducibus Vaſconiæ citerioris urbem novam, quæ ab aquarũ & fontium vagis ac incertis curſibus *Laſcuris* linguâ Vaſconicâ dicta ſit primũ, *Laſcourre*, poſt *Laſcar* aut *Leſcar*, itaut poſterior urbs prioris locum ac dignitatem obtineat, & *Laſcuris Benearno* in omnia jura ſucceſſerit. Fides ſit penes auctores. Equidem crediderim potiùs accidiſſe tantùm Benearno, quod multis aliis Galliæ urbibus videmus accidiſſe, ut vetus nomen recentiore mutaret, & ex Benearno Laſcuris evaderet. Certè Gervaſius Tilleberienſis, & quædam Notitia ante annos circiter CCCL. ſcripta *civitatem Benarnenſium* omittunt, & loco ejus in Vaſconia ſub Auſcitana metropoli Epiſcopatum *Laſcurenſem* ſtatuunt, hæc ultimum, ille antepænultimum. Pro Laſcuri *Laſcurrim* nunc vulgo Noſtri ſcriptores & *Laſcurram* vocitant; Scaliger *civitatem Laſcarienſem* non longè à Gavo Benearnenſi, *le Gave Bearnois.*

A Benearno urbe veteri *pagus Benearnenſis* nomen accepit, *le Bearn*, aut *le Biern*, longus & latus itinere bidui: cujus incolæ *Benearnenſes* dicti, vulgò *Bearnois*, aut *Biernois*. Pagus autem Benearnenſis, ſicuti Convenicus, in ſuperiorem inferioremque dividitur. Superior eſt impoſitus vel potiùs appoſitus ſaltui Pyrenæo; inferior ei ſubjectus. Totus Diœceſi Iluronenſi atque Benearnenſi ſive Laſcurenſi continetur, dividitúrque in VI. regiones, Palenſem, Viculenſem, Iluronenſem, Oſſavenſẽ, Navarrinenſem & Hortenſem: & ante annos D. *Bearnum* dici cœpit, fuitque Vicecomitatus, cujus Vicecomes Comitatum etiam Bigerrorum obtinuit, & Regibus nunc Anglorum nunc Francorum, Aquitaniæ Ducatum poſſidentibus, fidem promittere, ac militare conſueverat. Quo magis miror, Joſephum Scaligerum affirmare audacter, Regibus Anglorum quam Aquitania potiti ſunt, *totam Novempopulanam paruiſſe præter Benearnum, quod abſoluti ſemper fuerit imperii, ſemper ſeparatum à ditione Francorum,* ac *nulli* præterquàm domeſtici Principis *ditioni ſubditum.* Quod falſum eſſe, & Vicecomites Bearnenſes ſui juris numquam fuiſſe, ſed nunc Anglorum, nunc Francorum Reges Aquitaniæ potentes pro dominis habuiſſe, & Francica & Anglica docet Hiſtoria.

Certè Nicolaus Trivetus de Gaſtone Vicecomite Benearnẽſi ſic refert in anno MCCLXXIV. *Gaſto de Bierna à Rege Anglorum* (Edvvardo Rege Anglor. Domino Hiberniæ & Duce Aquitaniæ) *cùm iam viâ evadendi ſibi præcluſâ, attenderet rem eſſe in foribus ut ad deditionem cogeretur, ſuper negotio quod inter Regem Edvvardum & ipſum vertebatur, appellationem interpoſuit ad Curiam Regis Francorum. Cui deferens Rex Edvvardus, obſidionem amoveri iuſſit, Miniſtris ſuis committens, ut in Curia Regis Francorum cauſam proſequerentur contra Gaſtonem: in qua tandem iniurioſa rebellionis convictus, per Regem Francorum Regis Angliæ addicitur voluntati. Anno* MCCLXXV. *Gaſto de Bierna in Angliam veniens, cum reſte circa collum ad Regis præſentiam eſt deductus: quem ad ſuam Rex miſericordiam recipiens, morte con-*

donata, in caſtro VVintonia per annos aliquot cuſtodiæ mancipatus: qui tandem per Regis gratiam liber dimiſſus ad propria, Regi Angliæ ſemper in poſterum gratus exſtitit & fidelis. Idem ceteri Anglicarum rerum ſcriptores in eiſdem annis enarrant.

Nec minùs fallitur idem Scaliger, quum Benearnum veterum putat eſſe *Orteſium*, & Benearnenſes *Hortenſes*: quod in ſuis ad Auſonium Notis probare conatus eſt fruſtra. Quippe Orteſium, *Orthes* vel *Ortais* vulgò dictum, opidum eſt in extremis Benearnenſis pagi finibus & in diœceſi Aquenſi poſitum: itaut ei convenire nulla ratione poſſit appellatio Benearni, quam urbem ante annos M C C. ſedem Epiſcopatus fuiſſe conſtat.

Cujus Gentis caput fuerit Benearnum civitas, ignoratur. J. Cæſar *Precianos*, ceteris omnibus incognitos, Aquitaniæ ſuæ ſeu Novempopulanæ Gentibus adnumerat, & inter Bigerrones ac Vocates ponit. Aliqui *Pretianos* ſcribunt. Hos Samſon confidenter in *Benearnos* mutat, & pagi Benearnenſis, ſive Benearnenſis ac Iluronenſis Diœceſeon incolas interpretatur: nec in ſua ſententia tamen perſeverat. Quippe adjicit pagum Benearnenſem dividi in ſex regiones, quas *Parſans* vulgò vocant: quas regiones ſeu *Parſans Precianorum* nomen ſervare, ſi Precianorum appellationem apud Cæſarem mutari non oporteat. Quæ mera ſunt ſomnia. Quis enim non videt *parſan* à parte deduci, & pagum dividi in *parſans*, hoc eſt in partes vel regiones, *en pars*? *Precianos* autem à *partibus*, aut contrà partes à *Precianis* deducere abſurdum eſt.

BERGINTRUM.

Bergintrum inter Aximam & Alpem Graiam ponit tabula Theodoſiana: Æthicus inter Areburicum quod & Arebrigium vocat, & Darantaſiam *Bergintrum*. Nunc *Sentron* dici ait Simlerus; *Areburicum* autem vel Arebrigium *Burg de la Duila*: ſicuti *Caſuariam* inter Darantaſiam & Bautas, quæ nonnumquam *Cavaria*, aliàs *Canaria* in priſcis codicibus ſcribitur, *Solame in Fouſigni* exponit, Bautas verò *Bonne*.

BESUENSE MONASTERIUM ET FLUVIOLUS BESUA.

Amalgarius Francus, Dux, hoc eſt rector amplæ in Burgundia provinciæ, Brunulfi Chariberti avunculi interfector; Legatus ad Siſenandum Gothorum Regem cum Venerando, deinde adverſus rebelles Vaſcones Dux cum multis aliis miſſus, ex uxore Aquilina Adalricum Ducatus ſui ſucceſſorem, VValdalenum, & Adalſindam ſuſcepit. Hic vir, ſanguine opibuſque clariſſimus, Monaſterium inter flumina Ararim & Tilam in pago Atuarienſi, in loco cui ſitus ad *Fontem-Beſuam* nomen dedit, principatu Chlotharii SS. Apoſtolis Petro & Paulo ædificavit, ac plurimis villis cùm paternis tum fiſcalibus Dagoberto conſentiente dotavit, VValdalenumque filium aggregatis ibi Monachis præfecit Abbatem: ſi qua Chronico Beſuenſi fides habetur. Hoc *Monaſterium Beſuenſe* Latinè, vulgò dicitur *Baize*, ad Beſuam amnem poſitum in finibus Lingonum haud procul à Divione.

Beſua vel *Beſuus* fons, magnitudine ſua nomen fluvii meritus, & vulgò *Baiſe* nuncupatus, nomen ſuum impertiit Monaſterio quod alluit, & à Maſſono in Tilam defluere dicitur; à Samſone contrà ante Tilam in Ararim devolui.

BEVERA FLUVIUS.

Bevera vel *Beveris*, vulgò *la riviere de Bievre*, à Pariſiacis noſtris fluvius Gobelinorum (*la riviere des Gobelins*) vocatur nomine celebrium infectorum, qui ætate avorum noſtrorum eo fluvio ad tingenda coccina feliciter ſunt uſi in ſuburbanis S. Marcelli. Gentiliacenſem fluvium, *la riviere de Gentilly*, plurimi appellitant nomine vici noviſſimi quem alluit, & unde ad urbem Luteciam decurrit, & per ſuburbana noſtra duobus alveis fertur in Sequanam. Oritur inter Guidonis curtem & Fontanetum Floridum; & Cauciacum ad boves, *Choiſy aux bœufs*, Buc, Joiacum vel Joviacum *Jouy en Joſas*, Beveram *Bievre*, vicum ſibi cognominem, Ini vel Iniacum *Igny*. Vitrarias *Verrieres*, Antoniacum *Antoiny*, Pontem Antoniacenſem *Pont-Antony*, Laiacum *Lay*, Caticantum *Cachant*, Arcolium *Arcueïl*, Gentiliacum *Gentilly* attingit, ac demum Sequanâ recipitur: ignobilis quidem & rivi magis nomine quàm fluminis dignus, nonnumquam tamen ſubitis incrementis ſævus, accoliſque metuendus, more Regis fluviorum inſano vortice ſilvas contorquens, & per campos cum cunis infantes, cum ſtabulis armenta ferens. Nomen ſuum dedit intra muros Luteciæ vico Beveræ, *la ruë de Bievre*, quouſque olim foſsâ adductus fuiſſe creditur. Nunc nomen quidem vici manet, certum rei argumentum: foſſæ hujuſce & alvei intramurani Beveræ nulla ſuperſunt veſtigia.

Eſt & in extremis Carnutum finibus non longè ab Ambacia Turonum fluvius Bevero, *le Beuveron*, qui Beveram accipit amniculum, *la Bievre*, nec procul à caſtro Bleſenſium Calvo monte, *Chaumont*, in Ligerim influit.

BIBISCUM.

Æthicus in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, *Bibiſcum* inter Pennelocum & Bramagum collocat, ab ambobus æquali intervallo, nimirum IX. millibus paſſuum diviſum. *Viviſcum* appellat tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana inter *Pennolucos* & *lacum Loſonna*. Nunc *Vivis* dicitur: aliàs *Vivei*, interdum & *Vevai* in tabulis ſcribitur. Opidum eſt ad lacum Lemanum, nomen ſuum dans Conventui Bibiſcenſi, *le Baillage de Vevai*.

BIERIA SILVA.

Bieriam ſilvam in Senonibus memorat ante annos D C. Helgaudus in Vita Rotberti Franc. Regis, quum Eccleſias ab eo ſtructas enumerans ait. *Fecit* (Rotbertus) *S. Michaëlis Eccleſiam in ſilva cognominata* Bieria; *item Monaſterium S. Germani Pariſiacenſis cum Eccleſia S. Vincentii in ſilva cognominata Ledia.* Hæc ſilva vetus nomen ſervat. Vocatur enim *Biere*: &

Digitized by Google

quidam vici ab ea ſilva in qua conditi ſunt, cognomen accepere., in primis Uriacum in Bieria, *Vry en Biere.* Ab eadem ſilva Boſciſia *Boiſſiſe*, Boſciacum Regis *Boiſſy le Roy*, vici Bieriæ proximi cognominati. Boſcus enim, vulgò *bois*, Noſtris ſilva eſt. Nemus quoque opidum ad Lupam fluvium, *Nemours*, ab eadem ſilva Bieria cui proximum eſt, Latinam appellationem traxit. Quippe Bieria ab opido Senonum Meloduno fere ad municipium Nemus pertinet, & haud dubie Nemus olim ipſum attingebat, antequàm pars ejus excideretur. In Bieria ſunt vici, Menſa Regia, *la Table du Roy*; Brolium *Brolle*; (Brolium autem vel broilum, quod *breüil* Noſtri vocitant, ſilvam cæduam, & plerumque nemus ſæptum ſignificat) ſuperiores Logiæ, *les Hautes loges*; Inferiores Logiæ, *les Baſſe-loges*; Eremitorium S. Ludovici, aliàs Capella S. Ludovici, *l'Hermitage S. Loüis*, vel *la Chapelle S. Loüis*; Fons Bliaudi, *Fontainebleau*, Regum noſtrorum Palatium magnificentiſſimum; Murittum opidum, *Moret*.

BIGERRONES, ET TURBA VEL TARVIA.

Cæſar in Commentario III. belli Gallici *Bigerrones* in Aquitania ponit inter *Tarbellos* atque *Precianos*: ubi quidam *Bigerriones* legunt. Plinius item in Aquitania *Begerros* (ſic appellat) inter *Convenas* & *Tarbellos* *Quatuorſignanos* collocat. Bigerrones & Bigerri iidem, ut Francones & Franci, Brittones & Britti. Britannos enim vel Brittones Latini ſcriptorès nonnumquam *Brittos* vocavere, VVitichindus *Brettos*, *Brittios* Procopius. *Franco* pro Francus dictus ab Alcuino ante annos ferè DCCCC. Paullinus in epiſtola I. ad Auſonium *pellitos Bigerros* nuncupat. Pellibus enim ob cæli inclementiam utuntur, & ob *Bigerricum turbinem*, Sidonio epiſtolâ XII. libri VIII. memoratum. Hinc *Bigerrica veſtis hiſpida* Sulpicio Severo in Vita S. Martini, & Fortunato *hirſuta Bigerrica palla*; qualis Bigerris & Benearnenſibus in uſu eſt hodieque, *marlota* dicta. *Bigerros*, *Bogerros*, *Begorros*, *Beorros* eoſdem recentiores nuncupavere: *Bigarrats* accolæ nominant. Maſſonus Bigerros iſtos ſive Tarbienſes, Tarbelloſque ineptè confudit.

Urbs Gentis caput vocata eſt primùm *Turba*; deinde *Travia*, *Tarvia*, ac *Tarbia*: Nunc *Tarbam* dicimus. In Notitia provinciarum ac civitatum Galliæ vetertima *civitas Turba, ubi caſtrum Bigorra*, rectè nominatur, X. inter provinciæ Novempopulanæ civitates locum obtinens; in aliis Notitiis modò *civitas Gurba* vel *Turba Beorra*; modò *civitas Tuſſa, ubi eſt caſtrum Bogorra*; aliàs *civitas Turſa, ubi caſtrum Begorra*. Ubi *Turba* & *Turſa* mendoſa nomina Joſ. Scaligero videntur, pro *Tarba*. Ego pace Scaligeri dixerim, *Gurbam*, & *Turſam* ac *Tuſſam* eſſe corrupta nomina exiſtimo: *Turbam* ſincerum urbis vocabulum & antiquiſſimum puto. Gregorius in libri IX. capite VI. *Beorretanam urbem*; Pactio Regum Guntchramni & Childeberti *civitatem Begorram*, Vetera Concilia Aurelianenſe I. & IV. & Matiſconenſe II. *Bigorritanam civitatem*, & *civitatem Bigerricam* nuncupant nomine Gentis, cujus caput erat. In Vita Licerii Epiſcopi Conſorannorum & Confeſſoris, quam in Martyrologio Muſciacenſi ſcriptam legi, *Travia civitas* dicitur. *Licerius inventus confugit ad virum beatiſſimum miraculis, præditum palma gloriæ, Traviæ civitatis Epiſcopum Fauſtum.* *Tarviam* alii appellavere, alii *Tarbiam*. Robertus in Chronico *civitatem Tarbienſium* & *Boatium* abſurdè confundit, & *Tarbienſes* quos cum *civitate Turſa* vel potiùs *Turba* conjungere debuerat, *Boatibus* ſeu Tarbellis male attribuit. Gervaſius Tiſleberienſis inter X. Epiſcopos, Auſcitanæ Vaſconiæ metropoli ſuffragantes, quintum numerat Antiſtitem *Bigorrenſem* vel *Tarvienſem*. Idem facit Provinciale regnante apud Francos Ludovico IX. compoſitum, & *Bigorrenſem vel Tarvienſem* V. ſimiliter loco memorat. Idem facit Notitia Epiſcopatuum Galliæ poſt annum MCCCXXII. ſcripta, *Tarvienſem, aliàs Bigorrenſem* vocans.

Tarvia vel Tarbia, vulgò *Tarbe*, vetus caſtrum aut arcem *Begorram Bigorrámve* habuit, ubi ſemper ſedes Epiſcopatus fuit: unde & nunc Sedes dicitur, *la Sede*.

Pagus Bigerricus, *patria Bigerritana* Auſonio in epiſtola XIV. *Bigorre*, Comites quondam ſuos habuit. Continet duos veteres Vicecomitatus, Levitanenſem & Aſterienſem in radicibus Pyrenæi poſitos: ex quibus Levitania, *Lavedan* vulgò dicta, equis generoſis nomen olim ſuum dedit, in gyrum verti ſolitis etiam inter currendum, quos Levitanos vocitant, *Lavedans*. Ejus caput Lorda, *Lourde*, veteri arce munitiſſima inſignis. In Bigerris ſunt & Vicus Bigerrorum, *Vic de Bigorre*; & Vicus Aquenſis, nunc *Bagneres* à balneis & aquis ſuis ſalubribus cognominatus: à quo *Vicani Aquenſes* nomen habuere, ut vetus marmor docet. Gregorius noſter in libro de Gloria Confeſſorum agrum Bigerricum *terminum Beorretanæ urbis* vocat, ibique *vicum Sextiacenſem* ponit. Lingua Bigerritana dicitur *le Vigordan*.

In Baſtetanis Tarraconenſis Hiſpaniæ populo eſt & *Bigerra* urbs Livio memorata, *Βίγερρα* mediterranea auctore Ptolemæo, vulgò *Besar* in Regno Valentino: cujus incolæ à Plinio *Biſgargitani* mendoſè dicuntur in libris editis pro *Bigarritani*, numeranturque inter XLIV. populos, Tarracone diſceptantes.

BINGIUM.

Bingium & *Navæ fluminis pons* à Tacito omnium primo memorantur. Tabula Theodoſiana *Bingium* inter Voſaviam & Mogontiacũ ponit, à Voſavia XII. à Mogontiaco IX. millibus paſſuum diſtans: quod & Æthicus in Itinerario provinciarum commemorat, *Bingio* & *Vinco* vocans, ac *Vingio*, & Ammianus Marcellinus in libro XVIII. ubi codex Bibliothecæ Regiæ ſcriptum habet *lungo* pro *Vingio*. Notitia Imperii Rom. *Præfectum militum Bingenſium Bingio* præfediſſe tradit ſub diſpoſitione V. Sp. Ducis Mogontiacenſis, & inter Mogontiacum & Bodobrigam fuiſſe Bingium indicat. Certè locus hic ad Navæ & Rheni confluentes hodieque eſt inter Mogontiacum, & Voſaviam, *ober VVeſel* vulgò dictam, à Bodobrica VIII. millibus paſſuum diſtantem. *Bingen* vulgo vocant in-

colæ & accolæ. Eginhardus in Annalibus anno DCCCXIX. *Pinguiam* nuncupat, quam Crucinaco (*Crutzenack*) proximam facit; Nithardus in libro III. *Bingam*; Annales Fuldenſes in rebus anni DCCCLVIII. *urbem Pinguiam*, *urbi Mogontiacæ vicinam ac villa Cammunzi*, quæ *Caputmontium* Latinè dicitur. Chronicon Hildineshemenſe in anno MCXXXVII. deſinens, *caſtellum Pinguiam* appellat in rebus anni MCV.

BIRRA FLUVIUS.

Birra fluvius Narbonem inter ac Leucatam fluens, *Vallem Corbariam Palatium*, id eſt vallem Regiam, cujus ex nomine mons unde oritur appellationem traxit, & *Villam Salſam* alluit: deinde ſtagnum maritimum vulgò Olivarium dictum petit, ejuſque faucibus in mare ſe evomit. *Berre* hodieque nuncupatur, fluvius Caroli Martelli de Saracenis victoria nobilis, auctorum qui res Caroli Ducis enarravere ſcriptis celebratus. Mons unde oritur, Mons Corbarius vocatur, *le Mont de Corbiere*; ſtagnum maritimum quo Birra excipitur ac defertur in mare, Olivarium nuncupatur, *l'Eſtang de l'Olivier*.

Pro *Birra fluvio*, cujus Eginhardus in Vita Caroli Magni & Appendix Chronici Fredegarii, Adrevaldus, aliique meminere, *Birram locum* nobis obtrudunt Annales Mettenſes in anno DCCXXXVII. his verbis. *Contra quos invictus Princeps Carolus, in loco qui vocatur Berra VII. ab urbe Narbona milliario intrepidus occurrit*. Geſta Epiſcoporum Autiſſiodorenſium in Hainmaro Epiſcopo *locum qui Iberra dicitur*, mendosè nuncupant, pro *Berra*.

BITURIGES CUBI ET AVARICUM BITURIGUM.

Flumine Ligeri Bituriges ab Æduis dividi, & apud eos magnas eſſe ferrarias Cæſar tradit, ac Rutilius in libro I. Itinerarii, cui *Biturix ſtructura* laudatur. Idem ait Celtas ſeu Gallos ab Aquitanis Garumna fluvio dividi, & Galliam eſſe omnem diviſam in tres partes, Belgicam, Aquitaniam, Celticam vel Galliam, omiſsâ provincia Narbonenſi quæ pridem Romanæ ditionis erat. Quem ſecutus Livius in libro V. *Celtas partem Galliæ tertiam* vocat, & Bituriges ponit in Celtis, quorum regionem *Celticum* nuncupat; ut *Sequanicum* pro Sequanica nonnumquam dixere; *Belgium* Cæſar pro parte Belgicæ. *Celtarum* (inquit Livius) *quæ pars Galliæ* III. *eſt*, *Tarquinio Priſco Romæ regnante, penes Bituriges ſumma imperii fuit. Hi Regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit: qui prægravante multitudine Segoveſum in Hercynios ſaltus, Belloveſum in Italiam cum copiis miſit. Belloveſum ſecuti ſunt Bituriges, Arverni, Senones, Ædui, Ambarri, Carnutes, Aulerci*, (id eſt Cenomani) *quod eis ex populis abundabat. Poſtea Boii* (finitimi Helvetiis) *Lingoneſque: tum Senones recentiſſimi venere in Italiam*. Bituriges ergo tum Celtæ erant, Celtarumque potentiſſimi, & Regem toti Celticæ dabant, nec Aquitaniæ ante Cæſarem Auguſtum ſunt attributi. Certe multas urbes habuiſſe eos apparet, cùm juſſu Vercingetorigis uno die *ampliùs* XX. *urbes Biturigum* ſint incenſæ. Attamen ætate Cæſaris Bituriges Æduorum erant in fide, diuturnitate ſcilicet temporis mutatis populorum imperiis ac viribus. Apud Plinium Bituriges ac Ædui calce uberrimos feciſſe agros dicuntur: & argentum incoquere æreis operibus, gloria Biturigum fuit. *Biturix* Lucano non ignotus: in tabula Peutingeriana & apud Magnonem *Beturiges*: *Bitorici* aliis, & *Bitorici*, ac *Bituricas* corruptè dicti, vulgò *Berruiers*. *Bitoricos* Gregorius noſter vocat non Avaricenſes modò, ſed etiam totius pagi Biturici incolas; alii *Bituricenſes*. Et Cæſar quidem ac Livius multique alii *Bituriges* abſolute appellant: at Strabo, Plinius, & Ptolemæus *Cubos* cognominant, ut diſtinguant à Biturigibus Viviſcis, Biturigum Cuborum ut videtur prole. Plinio in Aquitania *Bituriges liberi, qui Cubi appellantur*, ut & Straboni; Ptolemæo in Aquitania quoque ad *Ligerim fluvium Bituriges Cubi, & urbs Avaricum*. μετὰ τὸν Λίγηρα ποταμὸν Βιτούριγες οἱ Κοῦβοι, καὶ πόλις Αὐάρικον: Bituriges autem non ſolùm pagum Bituricum, *le Berri* vulgò dictum, ſed etiam partem agri Burbonenſis atque Turoniæ qualis nunc eſt continent, quæ omnia diœceſis Biturigum civitatis complectitur.

Cataphractarii Biturigenſes in vetere inſcriptione memorantur, aliàs *equites cataphractarii Biturigenſes*: quos Notitia Imperii Romani *Vexillationibus Comitatenſibus* VII. primos adnumerat.

Caput Gentis *Avaricum*, ut Cæſar & Claudius Ptolemæus docent. Florus in libri III. capite X. poſtquam ſcripſit *maximam omnium conjurationem fuiſſe Galliarum, quum omnes pariter Arvernos atque Biturigas, Carnutas ſimul Sequanoſque contraxit*: adjicit Cæſarem *ipſa capita belli aggreſſum eſſe, urbes Avaricum* Biturigum, *A elium, Gergoviam Arvernorum*. Ex quibus Cæſar ipſe appellat *Avaricum oppidum maximum munitiſſimumque in finibus Biturigum atque agri fertiliſſima regione*, nec non *pulcherrimam propè totius Galliæ urbem, quæ & præſidio & ornamento ſit civitati, quòd propè ex omnibus partibus flumine & palude circumdata, unum habeat & perangustum aditum*. Dion Βιτούριγας, & urbem eorum Ἄβαρον, pro Οὐιτούριγας & Αὐάρικον nominat. Tabula Peutingeriana *Avaricum* Gabris & Alereæ locis nunc incognitis medium interponit. Æthicus in itinere a Burdigala Auguſtodunum inter Argantomagum (*Argenton*) & Tinconcium (*Xancoins*, aliàs & meliùs *Sancoin*) *Avaricum* collocat: itaut ſitus ipſe locorum indicet, Avaricum aliam urbem eſſe non poſſe quam Bituricas Biturigum caput. Apud Magnonem *Biturex, Avaricum*. Quare Joſ Scaliger irridet ſtultoſque appellat, qui Avaricum *Viaron* vel *Vierzon* opidum Biturigum eſſe arbitrantur, aliqua ſimilitudine nominis ducti: inter quos Marlianus fuit. Scaligero præter ceteros Samſon accedit, & Avarici nomine caput Biturigum deſignari non dubitat.

Avaricum autem dictum eſſe obſervo à fluvio *Avara*, quem poſtea *Averam* vocavere. *Avara* porrò vel *Avera*, qui & à nonnullis *Eurra* aut *Evra* nuncupatur, vulgò *Yevre* vel *Evre*, Avaricum Biturigum primo, deinde *caſtrum Mediolanenſe* Gregorio memoratum,

Mehun ſur Yevre, quod Aimoinus ſua ætate *Magdunum* dictum ait, attingit, deinde apud Virſionem caſtrum in Carem effluit. Utrio autem *Orron* vulgò nuncupatur; corruptè in tabulis *Aurron* & *Auron*. Nam littera v in au mutari non ſolet. Alluit Vernoſum *Verneut*, Dunum Regis *Dun le Roy*, & apud Avaricum pontem habet lapideum IV. aut V. arcuum, *Pont d'Orron*, portamque cognominem, ubi Avarâ recipitur. Maſſonus *Evram Auronemque* confundit, & pro uno eodemque flumine habet errore puerili, ut ex ſupradictis intelligitur. Liber vetus de Miraculis S. Auſtregiſili utriuſque fluminis mentionē facit his verbis. *Eſt illic* (Avarici) *Eccleſia S. Sulpicii inter duas aquas, ſuper ripam Vtrionis & Averæ.* Item, *de loco Novavilla ſecus amnem Vtrionis.* Amborum igitur fluminum alterum *Avera* vel Avara, alterum *Utrio* Latinè dicebatur. Ex Avara Noſtri Auram & Evram fecere, *Evre* aut *Yevre*: ex Utrione *Orron*. Quatuor ſunt fluvii ad Avaricum, Avara major, *Evre* vel *Yevre*; Avara minor, *Aurette* rivulus; Utrio *Oron*; & Molo *Moulon*; qui duo fluvii cum Avara minore, ad Monaſterium Navenſe ſeu S. Sulpicii Pii Avara majore recipiuntur. In litteris datis regnante Rotberto R. memoratur *burgus S. Ambroſii* Biturigis *inter Averam magnam & Averam minimam.* Avera magna eſt *Evra*, Avera minima eſt *Aureta*.

Avaricum poſtea nomen Gentis cujus caput erat accepit, & *Bituriga* vel *Biturica*; *Biturica urbs* aut *civitas*, nonnumquam & *Bituriges* appellari cœpit. Ammianus in libro XV. duas tantùm Lugdunenſes agnoſcit, & in Lugdunenſi prima cum Lugduno & Senonibus *Biturigas* ponit, in ſecunda Lugdunenſi Rotomagum & Turonos: cùm Biturigas Aquitaniæ primæ attribuere debuerit. *Biturigas civitatem* vocant & Sidonius in Concione, & Jordanes de rebus Geticis, & Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro I. Hiſtoriæ, cui & *Biturica*, & *Bitorex* dicuntur vel *Bitorix*. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, *provincia Aquitanica prima metropolis civitas* Biturigum: alias *Bituricum*, *Betoricum*, & *Betoricorum*. A Noſtris truncato veteri nomine urbs vocatur *Bourges*, *Biturigis* in *Burigas* vel *Burgas* converſis.

Qui Conciliis Gallicanis interfuere ejus urbis Antiſtites, nunc ſe *Epiſcopos de Biturica metropoli*, nunc *Epiſcopos Eccleſiæ Bituricæ metropolis*, modò ſe *Epiſcopos Bituricenſes* appellitant. Quoniam autem Avaricum caput erat & metropolis provinciæ Aquitaniæ primæ, ideò Burdigalam metropolim provinciæ Aquitaniæ II. & Elusam primò, deinde Auguſtam Auſcorum, metropolim Novempopulanæ, quæ eſt tertia provincia Aquitaniæ, ſibi ſubjectas habuit. Quam ob cauſſam Deſiderius Cadurcorum Epiſcopus Sulpicium Biturigum Epiſcopum *Sanctum Patriarcham Sulpicium* nuncupavit in litteris: & in decreto Gratiani Bituricenſis Antiſtes vocatur *Patriarcha*. Nicolai Papæ exſtant litteræ, *Radulfo Aquitaniarum Primati* inſcriptæ, qui erat Bituricenſis Archiepiſcopus. Primates autem atque etiam Patriarchas nonnumquam appellabant Antiſtites, quibus alii metropolitani vel Archiepiſcopi ſubjecti erant: ut de Lugdunenſi Epiſcopo aliiſque conſtat. Certè *Bitoricas caput Aquitaniæ* vocat Appendix Chronici Fredegarii veterrima, nimirum totius Aquitaniæ; ut ſuprà Radulfus *Aquitaniarum Primas* dicitur.

Adrevaldus in libro de Miraculis S. Benedicti *Avaricum caput Regni Aquitanici* appellat, quia Bituricenſis Archiepiſcopus toti Aquitaniæ præſidebat.

Turrim Bituricenſem memoravit Sugerius Abbas ante annos D. in epiſtola ad Radulfum Comitem Viromandenſem, & Cadurcus in litteris ad Rotrocum Comitem Perticenſem: quæ turris noſtra ætate a Bituricis ipſis Regis permiſſu diruta eſt. Præter ceteras Avaricū habuit portam Gordanicam, *la porte Gordaine*, fortè à caſtro Gordonico ita dictam, in veteribus tabulis non omiſſam; & portam Turonicam, *la porte Tournoiſe*. Fuit ibi & Amphitheatrū, quod vulgò *Arenas* vocabant, a quo & vicus Arenarum hodieque dicitur, *la rue des Arenes*. Locus ubi Amphitheatrum fuit, *foſſa Arenarum* appellabatur, *la foſſe des Arenes*: quæ foſſa anno MDCXIX. impleta eſt, & ex eo loco forum publicum factum, quod Plateam Burbonenſem nuncupant, *la Place Bourbon*.

Ea urbs Palatium ſuum habuit Romani ut exiſtimo operis, quod à Pippino Francorum Rege reparatum eſſe indicat ſcriptor ejus æqualis hiſce verbis. *Anno* DCCLXVII. *Rex Pippinus Ligere tranſacto ad Betoricas acceſſit, Palatium ſibi ædificare jubet; iterum Campo Madio ſicut mos erat, ibidem tenere jubet: initoque conſilio cum proceribus ſuis, Reginam Bertradanem cum reliquis Francis ac Comitibus, fidelibus ſuis, in prædicta* Betorica *dimiſit*: & infrà. *Rex Pippinus in* Betoricas *per hiemem totam cum Regina ſua* Bertradane *in Palatio reſedit*. In Palatio igitur Avaricenſi quod refecerat magis quàm ædificaverat, novo more non jam Kalendis Martiis, ſed Kalendis Maiis tum Conventum Francorum habuit, quem à re *Campum Maium* dicere cœperunt; ibi Bertradam uxorem ſuam unà cum Comitibus ſibi devotis reliquit, VVaifarium inſecuturus: & paullo pòſt reverſus, quòd hiems inſtabat, ibi cum conjuge anno iſto DCCLXVII. hiemavit. In epiſtola P. Archiepiſcopi Bituricenſis ad Sugerium Abbatem S. Dionyſii, ejuſdem Palatii fit mentio. *Unde paratum ſe in Palatio Domini Regis apud* Bituricas *ſecundum uſus & conſuetudines ejuſdem civitatis exhibuit*: ubi & diſcimus Bituricenſes non alibi tum quàm Bituricis judicium ſubire conſueviſſe, nec Luteciam Pariſiorum aut quoquam aliò evocari potuiſſe.

Agrum Biturigum totum Cæſar *civitatem Biturigum*, Gregorius nunc *terminum Bituricum*, nunc *territorium* Bituricum vocat, ſæpiùs abſolutè *Bituricum*, ſemel *Bituricam*, ſupple regionem; Hincmarus de Vita Remigii *pagum Bituricum*; Annales Bertiniani *pagum Bituricum* & *Comitatū* Bituricū; vetus Appendix Chronici Fredegarii non ſemel *pagum Bitoricum*: quem à pago Autiſſiodorenſi & Maſua ejus vico Ligere fluvio dividi indicat, & trans Ligerim *caſtrum Burbonem*, hoc eſt Burbonem Archembaldi vel Erchenbaldi in eo pago ponit, *caſtrum* quoque *Argantomagum* vel *Argentonum* ad minorem Croſam. *Bituriam* mutilato nomine recentiores Hiſtorici Latini nuncupavere: ex

quod nostri fecerunt *le Berri*, ſublatâ II. ſyllabâ. VVillelmus Armoricus *Bitures* quidem vocat Bituriges; regionem autem *Biturium*, necnon *Bituricas oras*.

Urbes, opida, & caſtra præ ceteris pagi Biturici ſunt Albiniacum *Aubigni*; Concurcallum, *Concreſſant* corruptè dictum pro *Concreſſau*; Sacrum Cæſaris, vel Sincerrium *Sancerre*; Mediolanum vel Magdunum *Mehun ſur Yevre*; Virſio *Vierzon*; Monaſteriolum ad Carem *Meneſtou ſur Cher*; Cella S. Euſicii, *Celles en Berri*; Vaſtinum *Vatan*; Exoldunum *Iſſoudun*; Crazzacum *Graçay*; Dunum Regis *Dun le Roy*; caſtrum Leproſium *Leuroux*; Caſtrumnovum ad Carem; Doli *Bourg de Deols*; Caſtellum Radulfi, *Chaſteau-Roux* mendosè pro *Chaſteau-Raoul* nuncupatum; Caſtra *la Chaſtre*; Argantomagus *Argenton*; Oblincum *le Blanc en Berri*; Igorandis *Aigurande*, Noviodunum Biturigum opidum, quod Cæſar in libro VII. inter Genabum Carnutum & Avaricum Biturigum poſuit, *Neuvi ſur Baranjon*; Carrocium *Charrois*; Linariæ vel Lineriæ *Linieres*; Cullencum *Cullant*; Caſtrum Meliandi *Chaſteau Meillant*; Firmitas ad Averam, *la Ferté ſur Evre*; Boſentiacæ, aliàs Buſentiacum *Buſançais*; Caſtellio ad Angerim *Chaſtillon ſur Indre*; Rufiniacum olim villa, pòſt caſtellum, ad Croſam fluvium, *Rouffec le Chaſteau en Berry*.

A Biturigibus Cubis forſitan *Biturgia* in mediterranea Tuſcia condita eſt, & nomen accepit, Βιτουργία Ptolemæo dicta; *Bituriga* in tabula Peutingeriana, inter Florentiam Tuſcorum & Umbronem fluvium; vulgò *Betogi*. Ab eiſdem & Bituris, Βιτούρις, urbs Vaſconum in Hiſpania Tarraconenſi.

BITURIGES VIVISCI ET BURDIGALA BITURIGUM VIVISCORUM.

Strabo *Bituriges* cognomine *Ioſcos* (Ἰόσκους) *Gallicam Gentem*, hoc eſt Celticam nuncupat, & eos ſolos in Aquitania alienigenas ſive allophylos eſſe ſcribit, nec cum Aquitanis tributa conferre: itaut eos ex Biturigibus Cubis ortos eſſe indicare videatur, qui ante Auguſti principatum Celtis ac Celticæ provinciæ attribuebantur. Plinio vocantur *Bituriges liberi cognomine Ubiſci*, aliàs *Vibiſci* inter Santones liberos & Aquitanos, & in Aquitania ponuntur: Ptolemæo *Bituriges Vibiſci*, Βιτούριγες οἱ Οὐιβίσκοι in Aquitania quoque ſub Santonibus. Corruptum cognomen eſt *Ioſci*, ac *Ubiſci*; ſincerum *Vibiſci* ac *Viviſci*, b litterâ in u converſâ. Certè vetus marmor Burdigalenſe *civitatem Biturigum Viviſcorum* Burdigalam caput Gentis appellat: *Auguſto ſacrum & Genio civitatis Bit. Viv.* & Auſonius *Burdigalenſis* à ſeipſo dicitur in Moſella

Viviſca ducens ab origine gentem.

A Biturigibus Viviſcis nomen accepit *vitis Biturica*, Columellæ & Plinio memorata, ac vulgò *Bidure* dicta, ut Vineto placet, aut certè *Burdigalenſis*, *le Bourdelas*. Bituriges Viviſci à capite Gentis plerumque Burdigalenſes dicuntur, *les Bourdelois* aut *Bordelois*: ager vel pagus Burdigalenſis, *le Bourdelois*.

Biturigum Viviſcorum *emporium Burdigala*, *adjacens ſtagno maritimo, quod oſtia Garumnæ fluminis efficiunt*, vocatur à Strabone. Sed hoc ſtagnum, vel hic lacus maritimus, hæc λιμνοθάλασσα nunc Burdigalæ nuſquam apparet: fortè *Divona*, apud Auſonium fons Burdigalæ ſacer. Ptolemæo *urbes Vibiſcorum Biturigum*, *Burdigala*, ἡ Βουρδίγαλα, & Noviomagus Νοιόμαγος: ex quibus Burdigala in lib. VIII. & in tertia Europæ tabula eidem dicitur *Aquitaniæ urbs inſignis*, ἡ Ἀκουιτανίας πόλις ἐπίσημος: Noviomagus intercidit, niſi ſi fortè eſt *Solacum*, locus oſtio Garumnæ proximus. Ammianus Marcellinus in lib. XV. ſcribit in *Aquitanica provincia, amplitudine civitatum admodum culta, Burdigalam & Arvernos excellere, & Santones, & Pictavos*. Paullinus in epiſtola ad Auſonium *nitentem Burdigalam* nuncupat; Auſonius ipſe *patriam* ſuam & *natale ſolum* nominat.

Burdigalam inſignem Bàccho, fluviiſque, viriſque,
Moribus, ingeniiſque hominum, Procerumque Senatu,

& eam inter claras orbis Romani urbes numerat. Eutropius ſcribit Tetricum Senatorem, Aquitaniæ Præſidem, *apud Burdegalam purpuram ſumſiſſe*. Æthicus *Burdigalam* ab Aquis Tarbellicis LXIV. millia paſſuum abeſſe docet, à *Blavuto*, id eſt Blavia XIX. à *Mediolano Santonum* LXII. ab *Aginno* LXXIV. millia: tabula Peutingeriana *Burdegalam* appellat, & inter ſinum Aquitanicum ac *Blaviam* collocat. *Burdegalim* & *Burdegalem* quidam vocaverunt; recentiores Franci Anglique *Bordellum* mutilato & corrupto nomine Burdigalæ. Incolæ *Bourdeaus*, Noſtri *Bordeaux* dicunt.

In Notitiis veteribus provinciarum & civitatum Galliæ dicitur provinciæ Aquitanicæ ſecundæ *metropolis civitas Burdigalenſium*, aliàs *Burdegalenſium*, quinque civitatibus præſidens Aginnenſium, Ecoliſmenſium, Santonum, Pictavorum & Petrocoriorum: quibus recentiores Notitiæ Sarlatum, Malliacum, Lucionem, & Condomium, novas civitates provinciæ Burdigalenſis addidere. Paulinus in Euchariſtico Burdigalæ *Navigeram portam*, id eſt portam Navalem ita dictam, & *portum ſpatioſum* commemorat.

Poſita eſt Burdigala ad ſiniſtram ſeu Novempopulanam Garumnæ fluminis ripam, quæ in occaſum Solis ac Pyrenæos montes ſpectat, & ibidem majorem agri ſui partem habet, nec tamen Novempopulanæ provinciæ attribuitur, ſed Aquitaniæ ſecundæ, cujus caput ac metropolis olim habita eſt, & nunc quoque habetur. Idem Rotomago Veliocaſſium & Cæſaroduno Turonum, aliiſque urbibus videmus accidiſſe: ex quibus Rotomagus in ripa dextra Sequanæ ſive in Belgica cum maxima agri ſui portione ſita eſt: Cæſarodunum in læva ripa Ligeris, ſive intra fines Aquitaniæ cum magna agri ſui parte eſt poſitum. At nihilominùs tamen Rotomagus Lugdunenſi ſecundæ metropolis attributa, non Belgicæ provinciæ; Cæſarodunum ſeu civitas Turonorum provinciæ Lugdunenſi tertiæ pro metropoli adſcribitur, non Aquitaniæ.

A Burda & Gala duobus fluviolis quibus Burdigalenſis ager alluitur, non longè à Burdigala, nomen accepiſſe Burdigalam putans non-

Digitized by Google

nulli, in primis Maſſonus. Quæ vera eſſet & ab omnibus admittenda opinio, ſi Burda & Gala amniculi apud Burdigalam effluerent in Garumnam. At neuter ad eam urbem Garumnâ accipitur. Et *Burdam* quidem fluviolum nuſquam reperio, qui Burdigalæ aut uſpiam alibi Garumnam augeat: *Ialam* autem tantùm invenio, *Gealum* quibuſdam dictum, qui in Garumnam labitur duabus leugis infra Burdigalam, ac vulgò *la Ialle* nuncupatur, & olim *Gala* haut dubiè videtur eſſe appellatus. In litteris Philippi Pulchri datis anno MCCXCV. memoratur *boca Iala*, *ubi Iala cadit in mare dictum Gironda*; & *Iala*, ac *Iala veteris*, ac *Iala pontis* fit mentio. Iſidorus aliter ſentit, quum in libro XV. ſic ſcribit. *Burdigalam appellatam ferunt, quòd Burgos Gallos primùm colonos habuerit: quibus antè cultoribus adimpleta eſt.* Quæ verba fateor me non intelligere. Qui ſunt enim hi Burgi Galli? an incolæ Avarici & totius pagi Biturici, *ceux de Bourges*? Quaſi verò Bituricı ſeu incolæ Avarici Biturigum Cuborum, jamtum dicerentur corruptè *Burgi*, quum Burdigala conderetur, cujus Strabo meminit Auguſti & Tiberii æqualis: aut quaſi pro Burgigala vel Biturigala dici potuerit Burdigala. An legendum apud Iſidorum *Bardos Gallos*? itaut Burdigalam quaſi *Bardigalam* aut *Bardigallam* dictam velit Iſidorus à Bardis, Gallorum Vatibus aut Poëtis. An emendandum *Burdos Gallos*, id eſt falſos Gallos? itaut Bituriges Viviſci qui Burdigalam & Noviomagum condiderunt, ut ait Strabo, Gens Celtica, eo nomine ſint deſignati. Certè Bituriges Viviſci Burdigalæ incolæ jam nec pro meris Celtis haberi poterant, quod ſe Aquitanis immiſcuiſſent; nec pro veris etiam ac germanis Aquitanis, quod ex Celtica in Aquitaniam advenıſſent. *Burdi Galli* iſti à quibus Burdigala videtur eſſe dicta, à Martiale uno nomine appellantur *Burdigali* hocce verſu.

Poſſideat craſſi mentula Burdigali.

Quid enim heic aliud *Burdigalus* quam Burdigalenſis, ſeu Biturix Viviſcus?

Ceterùm pagus Burdigalenſis ut majore ex parte unà cum ipſa Burdigala trans Garumnam eſt poſitus, Boios & Medulos ſimiliter Tranſgarumnicos continet: qui licèt ultra flumen Garumnam ſiti ſint, tamen Aquitaniæ ſecundæ cum Burdigala attribuuntur. Eodem modo Veliocaſſes & Caleti citra Sequanam, quo Celtæ à Belgis dividuntur, latè ſedes habent; ac nihilominùs ſimul cum Rotomago urbe quæ & ipſa cis Sequanam eſt, non Belgis ſeu provinciæ Belgicæ ſecundæ, ſed Celtis vel provinciæ Lugdunenſi II. adſcribuntur. Portio igitur Biturigum Viviſcorum fuere haut dubiè Meduli & Boii, cùm Burdigalam caput Biturigum Viviſcorum pro capite & metropoli habeant etiamnum, & Burdigalenſis diœceſeos finibus contineantur.

Apud Gregorium in libri VII. capite XXXI. *Gundobaldus erat in urbe Burdigalenſi*, & idem nihilominùs in capite XXXIV. *cùm audiſſet ſibi exercitum propinquare* Guntchramni, *Garonnam tranſiit, Convenas petens*: quaſi tum Burdigala fuerit in ripa Garumnæ citeriore vel dextra, non in ulteriore aut ſiniſtra ubi nunc eſt. Id & videtur indicare Appendix Chronici Fredegarii, ab auctore æquali eorum temporum compoſita: *Carolus Princeps denuò Ligerem fluvium tranſiit, & uſque Garumnam, vel urbem Burdegalenſem, vel caſtrum Blavium veniens occupavit.* Tam Burdigalam quàm Blaviam cis Garumnam ponit hiſce capitis CIX. verbis, ut & in capite CVIII. *Egreſſi cum Rege ſuo Abdirama nomine, Garumnam tranſeunt, & Burdegalenſem urbem pervenerunt.* Egreſſi autem erant ex Hiſpania quam paullo ante occupaverant Saraceni: quibus ſi antè Garumna tranſeundus fuit quàm Burdigalam pervenire poſſent, Burdigala utique tum ſaltem trans Garumnam erat, hoc eſt ad ripam fluminis dextram ſive Santonicam. Hæc ſunt diligenter conſideranda: niſi ſi Hiſtoricos noſtros omnia ſuſque deque miſcuiſſe, & ordinem rerum ac ſitum locorum confuſis verbis turbaviſſe volumus: quod leviter facere non debemus, aut credere ſine cauſſa: præſertim cùm eadem eiſdem verbis in Annalibus Mettenſibus ſeu in Chronico S. Arnulfi reperiamus, quæ ſuprà in Appendice Fredegarii.

BLANZIACUM.

Vicus erat pagi Tarvennenſis Blanziacum, vulgo *Blanes en Ternois*: ubi Berta Rigoberti Comitis Palatini filia, cùm amiſſo illuſtri viro ſuo Sigifrido, capiti ſacrum velamen impoſuiſſet, Eccleſiam ac Monaſterium ædificavit, regnante Theodorico Chlodovei junioris filio circa annum D. DCXXC. Quidam *Blanziacum*; alii *Blangiacum* vocant, z in g tranſeunte, ut *Bruzzias* & *Brugias*, *Verziacum* & *Vergiacum* (*Vergy*) promiſcuè dixerunt, *Virzeium* & *Virgeium*. Ceterùm veriſimiliter exiſtimari poteſt, cùm ſ inter duas vocales, aut ſequente vocali Noſtri leniore ſono mutarent in z, atque etiamnum mutent, inde factum eſſe, ut nomina quemadmodum efferebantur ſcripta legerentur, & littera z in locum ſ ubique à ſcriptoribus librorum apud nos ſubſtitueretur: *Blanziacum* itaque ſcriptum eſſe pro *Blanſiacum*; *Verziacum* aut *Virzeium* pro *Verſiacum* aut *Virſeium*; *Bruzzias* pro *Bruſſias*; *Lavarzinum* pro *Lavarſinum*; *Liziniacum* aut *Lizincium* pro *Liſiniacum* & *Liſineium*. Certè Z cùm Græca ſit littera, *tantummodo poni in Græcis dictionibus debet*, ut Priſcianus in libri I. capite ultimo tradit, qui & adjicit Z *pro ſſ conjunctis accipi*.

BLASO.

Blaſo unà cum Monteſorelli & Brioleto memoratur ab Orderico Vitale in libro X. Hiſtoriæ, locus in Andicavis ad & trans flumen Ligerim, vulgò *Blaiſon* dictus. Brioletum autem eſt *Briolay* ad Lidum vel Lidericum flumen, Sartæ jamjam acceſſurum. In Vita S. Mauri Abbatis mentio fit *fiſci Regii, qui Blaſon nuncupatur*, Monaſterio Glannafolio à Chlothario majore Francorum Rege conceſſi: ex quo apparet *Blaſonem* villam quondam Regiam ſive fiſcalem exſtitiſſe.

BLAVETUM FLUMEN ET OPIDUM.

Blavetum flumen eſt notiſſimum in Britannia

nia, *Blavet* hodieque dictum: à quo & *Blavetum* opidum ad ejus oſtium poſitum nomen accepit, *blavet*. Ejus fluvii mentio fit in Vita Sancti Gildæ his verbis. *Conſtruxit parvum oratorium ſuper ripam fluminis Blaveti ſub eminenti rupe.* Regino quoque qui ante annos DCCLX. Chronicorum libros duos ſcripſit, ejuſdem fluminis meminit, ac *Blavittam fluvium* ſincero & incorrupto nomine appellat. Anno DCCCXC. *Illi* (Brittones) *graviter ab hoſte læduntur.* (à Nortmannis) *Caduntur paſſim, & uſque Blavittam fluvium omnis eorum poſſeſſio diripitur*: quæ verba in Annalibus Mettenſibus etiam reperiuntur. Flumen ergo, ut & caſtrum, primò dictum eſt *Blavitta*, deinde *Blavetum.* Opidum iſtud *Portum Ludovici* à Ludovico XIII. Francorum Rege dictum audivimus Principatu ejus, *le Port Loüis*: ſed hoc nomen poſt ipſius obitum exolevit. *Blavitta* fluvius à *blavo* id eſt cæruleo colore aquarum dictus eſt.

BLAVIA.

Auſonius *Blaviam militarem* cognominat, quòd præſidium militum haberet, ut etiamnum habet. Eſt enim monti impoſita Garumnæ imminenti, paullo infra confluentes ejus & Duranii, itaut maximum flumen habeat in poteſtate. Æthicus in itinere à Burdigala Auguſtodunum *Blavutum* vocat, & inter Burdigalam ac Tamnum ponit, à Burdigala XIX. à Tamno XVI. millibus diſtans. In ejus codicibus nunc *Blavutum*, nunc *Blautum* reperiri ait Surita; *Blavium* Simlerus, quod melius eſt. Tabula Peutingeriana inter *Burdegalam* ſimiliter & *Tamnum* caſtrum hoc ponit, ſed *Blaviam* ſincero nomine appellat. Gregorius in libro de Gloria Confeſſorum, locutus de Severino urbis Burdegalenſis Epiſcopo & Patrono, ſtatim ſubjicit hæc verba. *Habetur in hoc territorio* (id eſt in territorio Burdigalenſi) *& S. Romanus Presbyter, quem S. Martinus ſepulturæ locavit. Eſt autem ſepulcrum ejus contiguum Blavienſi caſtello ſuper litus amnis Garonnæ.* Quibus verbis *caſtellum Blavienſe* agro Burdigalenſi ſive Biturigibus Viviſcis adſcribit, non Santonibus. *Charibertum Regem in Blavia caſtello, in Baſilica S. Romani ſepultum eſſe*, Geſta veterum Francorum & Aimoinus tradidere: ex quibus Aimoinus *caſtrum Blaviam* in Aquitania nuncupavit; *caſtrum Blavium* Appendix Chronici Fredegarii; *caſtra Blavia* Annales Mettenſes corruptè pro *caſtrum Blaviam.* Vulgo nunc dicitur *Blaye.* Blaviam autem ſeu Blaiam *promuntorium Santonum* à Ptolemæo appellari exiſtimat Olivarius, qui Mellam adnotationibus illuſtravit.

In Notitia Imperii Rom. ſub diſpoſitione V. S. Ducis tractus Armoricani & Neruicani reperitur *Præfectus militum Garronenſium* vel *Carronenſium Blabia*: & *Blabia* hæc nunc ab omnibus ferè pro *Blavia* noſtra habetur. Plinius quidem *Aquitaniam à Garũna ad Pyrenæi montis excurſum Aremoricam antè dictam* ait: & Notitia ſuprà laudata, *extendi tamen tractum Armoricani & Nervicani limitis per provincias* V. *per Aquitanicam* I. *&* II. *Senoniam*, II. *Lugdunenſem &* III. affirmat. Nihilominùs Blaviam heic caſtrum Aquitaniæ locum habere poſſe non puto: cùm conſtet Armoricanum tractum Ligere & Sequana fluviis, ſeu Lugdunenſis II. & III. finibus terminari; nec umquam (quidquid dicat Plinius & Notitia) ora Aquitanicæ ſecundæ & Novempopulanæ, multo minùs provincia Aquitanica I. quæ à mari remota & mediterranea eſt, *Armorica* aut *Armoricani tractûs* nomine à quoquam fuerit deſignata. Certè in tractu Armoricano Venetos, Oſiſmios, Mannatias, vel potiùs Namnetas, Aletum, Conſtantiam, Rotomagum, Abrincatas, Grannonam ponit Notitia ipſa Imperii: quæ omnia loca ſunt pars provinciæ Lugdunenſis II. pars tertiæ inter Ligerim & Sequanam: à quibus plurimum abeſt Blavia, caſtrum Aquitaniæ Garumnæ adſitum. Itaque pro *Blabia* libenter in Notitia Imperii emendaverim *Blabita*, crediderimque *Blavittam* caſtrum Armoricæ maritimum, quod & *Blavetum* nomine fluvii ſui appellant, ibi deſignari.

Pagus Blavienſis vulgò dicitur *le Blaiguez*, ut ager Frontiacenſis *le Fronſaguez*, ager Cuſacenſis *le Cuſaguez*.

BLESA FLUVIUS ET BLESENSIS PAGUS IN BELGICA.

Bleſa fluvius, vulgò *Bliets* dictus, alluit vicum Bleſam *Bleiſſ*, Otvillare *Otvveiler*, Altoſtate *die Alteſtat*, Limpachium *Limpach*, Bleſam caſtellum *Bliſſ-caſſel*: & ad Gemundam *Guemund* Saravo accipitur. Ab eo flumine eoque caſtello nomen accepit haud dubiè *pagus Bleſenſis*, Nithardo in libro I. memoratus, qui pagos *Tullenſem*, *Odornenſem*, *Bedenſem*, *Bleſenſemque* conjunctim enumerat. Pagus Bleſenſis, *Bleſitchouva* appellatur Germanico nomine, compoſito ex *Bleſit*, id eſt Bleſenſis, & *chouva*, hoc eſt pagus: ponitur que inter *Sarachouvam* & *Albechouvam*, id eſt Saravenſem & Albenſem pagos, in Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta. Hic pagus per me primum omnium illuſtratus, doctis innoteſcet: quem Aubertus Miræus à loco Treviris propinquo *Blis* dictum eſſe exiſtimat. Olim arbitratus ſum *Bleſenſem pagum*, quoniam à Nithardo ponitur prope Partenſem pagum & utroſque Barrenſes, nomen habere à flumine *Bleſa* in Matronam decurrente, aut à caſtello cognomine quod alluit. Bleſa autem vulgò dicitur *Blaiſe*, cùm flumen tum caſtellum; aliàs *Bloiſe.* Sed nunc non dubito, quin priori ſententiæ ſtare oporteat. Certè legi litteras Caroli Magni, in quibus *cellam Salonam in pago Salnenſi, cum Blithario villa ſuper fluvium Sarea* (id eſt Saram aut Saravum) *& Bleſâ* memorari invenio. *Bleſa* autem hæc, eſt villa *Bleiſſ* vulgò dicta, ad *Bleſam* flumen poſita.

BLESENSE CASTRUM ET PAGUS BLESENSIS IN CELTICA.

Bleſenſium primus meminit ſemel atque iterum Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VII. Hiſtoriæ Francicæ capitibus II. & XXI. quum ait *Aurelianenſes cum Bleſenſibus junctos mortuo Chilperico in Dunenſes irruiſſe*; & ut cuſtodiretur Eberulfus qui in Baſilicam S. Martini confugerat, *Aurelianenſes atque Bleſenſes*

Digitized by Google

viciſſim ad has excubias veniſſe anno Domini DXXCIV. In Vita Ludovici Pii Imperat. anno DCCCXXXIV. & in Vita Aigulfi Monachi Floriacenſis cujus patria fuit, atque apud Aimoinum in libri IV. capite ultimo & XLII. *caſtrum Bleſenſe* nuncupatur; *Bliſinum caſtrum* in Annalibus Bertinianis anno DCCCLIV. *Bleſum caſtrum* aliis. In quodam veteri nummo legitur *Bleſo caſtro*: quod nunc opidum eſt celebre in Carnutibus, vulgò *Blois*. Maſſonus putat *Corbilonem* à Strabone appellari.

Hic locus *pago Bleſenſi* nomen dedit, *le Blaiſois*, qui *pagus Bleſiſus* nuncupatur in Capitulis Caroli Calvi, & prope Aurelianenſem ponitur: dedit & nomen Comitibus Bleſenſibus, quorum illuſtris eſt memoria: quorũ originem Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum enarrat his verbis. *Rollonis fuit cognatus Gello, & ſocius itineris & bellorum, cui pro pace tradidit Carolus Simplex Montem qui Bleſum dicitur cum territorio circumſtante. Qui baptizatus ſicut ceteri, caſtrum bonum in prædicto loco conſtruxit,* (id eſt arcem) *fuitque primus Comes Bleſenſis.* At multo ante Caroli Simplicis Principatum locus iſte Bleſenſis à monte ſuo dictus, caſtrum erat & vocabatur: ut ſuprà notavimus.

BLITERA SEPTUMANORUM.

Quæ Straboni *Blitera*, Βαιτέρα πόλις ἀσφαλὴς ad Obrim ſita, Mellæ inter urbium quas habet Gallia Narbonenſis opulentiſſimas, *Septumanorum Blitera*; Plinio *Blitera Septumanorũ* vocatur, adnumeraturq; colonus provinciæ Narbonẽſis hiſce verbis. *In mediterraneo Colonia, Arelate Sextanorum, Blitera Septumanorum, Arauſio Secundanorum in agro Cavarum, Valentia, Vienna Allobrogum: opida Latina, Aquæ Sextiæ,* &c. Ita Plinius (ni fallor) eſt reſtituendus adjectione unius litteræ, *Colonia* pro *Colonia*, quæ in editis libris menda reperitur. Arelatum autem & Arauſionem, & Valentiam, ac Viennam Colonias fuiſſe conſtat: quas inter cùm Bliteras ſuas numeret Plinius, dubitari jure non poteſt, quin eam urbem pro colonia ſimiliter habuerit. A Claudio Ptolemæo Geographo *Betira* aut *Betira*, Βαιτίραι, *Volcarum Tectoſagum urbs mediterranea* dicitur, corruptè ut putat Caſaubonus pro Bliteræ Βαιτέρρα. Sed Caſaubono non accedo, & utrumque nomen ſincerum eſſe arbitror.

Nam Itinerarium Hieroſolymitanum & Idatius *civitatem Biterras* vocant; *Biterras* & Severus Sulpicius, & Julianus Toletanus Archiepiſcopus; Gregorii Noſtri veterrimi codices nunc *Beterrus urbem*, nunc *Bitturenſim civitatem*, ac *Biturrenſim* mendosè; Appendix Fredegarii *regionis Gothicæ urbem famoſiſſimam Biteris*. Tabula Peutingeriana *Beteras* nuncupat, & inter Ceſſeronem ac Narbonem collocat, à Ceſſerone XII. à Narbone XVI. millibus paſſuum diſtantes; at Æthicus in Itinerario *Beterras* non ſemel inter Arauram ſive Ceſeronem & Narbonem; à quibus *Sep. Baterr.* id eſt Septimani Bæterrenſes in antiqua inſcriptione Narbonenſi dicuntur. Surita non ſolùm in omnibus Æthici codicibus, ſed etiam in Plinii veteribus exemplaribus *Beterras* ſcriptũ reperiri affirmat. Lucas Holſtenius quædam ad Ortelii Theſaurũm Geographicum adnotavit: quæ adnotationes ipſo mortuo Romæ anno MDCLXVI. ſunt publicatæ. Ibi Holſtenius ait, nummum ſe à Peireſcio accepiſſe, inſcriptum Βητῤῥατῶν: ob idque *Bliteras* corruptum eſſe nomen exiſtimat, & Λ in locum Δ malè ſubſtitutum, nec ΒΛΙΤΕΡΑ apud Strabonem, ſed ΒΑΙΤΕ΄ΡΑ, item apud Mellam non *Blitera*, ſed *Baitera ſeu Betera* ſcribi oportere, & in Plinii priſcis codicibus non *Blitera*, ſed *Beterra* rectè legi. Verum enim fuiſſe olim civitatis nomen *Beterra* & *Beterræ*, Βήτῤῥα & Βήτῤῥαι: pro quo Stephanus *Betarra* Βαιτάῤῥα habeat. Ita Holſtenius: cujus ſententiæ non accedo. Nummus quidem ab ipſo laudatus Βητῤῥαίων potiùs inſcribi debuit, quàm Βητῤῥατῶν, ut lex analogiæ docet.

In veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ nunc *civitas Beterrenſium* appellatur, in provincia Narbonenſi I. tertium obtinens locum; nunc *civitas Betterenſium*, atque etiam *Biturnenſium* vel *Biturrenſium* quod corruptum eſt nomen. Gervaſius Tilleberienſis & recentior Notitia Epiſcopatuum Galliæ Epiſcopum *Bitterenſem*, aliàs *Bitarrenſem*, ſecundum numerant inter Antiſtites Narbonenſi Vaſconiæ Archiepiſcopo ſuffraganees; alia Notitia tertium. Hæc urbs vulgo *Beziers* nuncupatur: quam falsò Joſ. Scaliger in Volcis Arecomicis eſſe ſemel atque iterum aſſerit, cùm à Ptolemæo Volcis Tectoſagibus attribuatur.

Ager Biterrenſis, ſeu *pagus Biterrenſis*, à Juliano Toletanæ Sedis Archiepiſcopo *Beterrenſe territorium* vocatur, ab incolis *le Bezares*: uti pagus Carcaſſonenſis *le Carcaſſés*; ager Agathenſis *Agadez*.

Diœceſi Biterrenſi continentur Biterræ, Salvianum *Sauvian*; Ripa alta vel Ripalta *Ribaute*; Capraria *Cabriere*, Villamagna *Villemagne*, Roccarotunda ſeu Rupesrotunda *Roquerodonde*.

BOBACUM.

Haud procul à civitate Secuſterone in provincia Narbonenſi II. *Bobacum* eſt vicus, vulgò *Beauvons*, aut *Bevons*. Alii *Bobiacum*; quidam *Badonum*; plures *Bodanum*; nonnulli *Babacum* aut *Babocum* appellant, locum vetuſtiſſimo ſub Gundobado Rege Burgundiæ Monaſterio nobilem. In quibuſdam tabulis corruptum eſt loci ejus nomen. *Benons* enim nuncupatur pro *Bevons* tranſpoſitis litteris.

BOBÆ AMBIANORUM.

Rigordus in anno MCXCIV. *caſtrum quod Bovas vocant*, prope Ambianos commemorat; & VVillelmus Britto Armoricus in libro II. Philippidos, qui *Bobas* nuncupat, atque ita deſcribit.

> Inter quæ caſtrum Bobarum nomen habebat
> Clarius & titulis, & gente, ſituque; de- [illegible]
> Turribus, & muris; foſſis, valloque ſuperbum.

Nomen hodieque retinent *Bobe* vel *Bove*. Dicuntur enim *Boves*, olim caſtrum, nunc vicus ignobilis in Ambianis, ad fluvium qui apud Samarobrivam in Suminam decurrit.

BODOBRIGA.

Bodobriga in provincia Germania prima præſidium militum Balliſtariorum cum Præfecto ſuo habuit, inter Bingium & Confluentes poſita, ut docet Notitia Imperii Rom. in qua reperitur ſub V. Sp. Duce Mogontiacenſi *Præfectus militum Balliſtariorum Bodobriga*. In tabula Theodoſiana *Bontobrica* vocatur, & ponitur *Voſaviam* inter & *Confluentes*, à Confluentibus IX. à Voſavia VIII. m. p. diſtans. At in Itinerario Æthici *Boudobrica*, aliàs *Baudobrica* dicitur, & malè collocatur inter Antunnacum & Bonnam: cùm Antunnacum potiùs ſit ad flumen Rhenum poſitum Bodobricam inter & Bonnam. In libri rerum memorabilium à Bernardo geſtarum capite XI. *Vicus magnus, qui ſupra Rhenum ſitus eſt, & nominatur Bobardus.* Item, *Tranſeunte Sancto prope vicum in littore Rheni poſitum, quem Bobardum vocant.* Vulgò *Bopparten*, vel *Bopart* eum locum nuncupari Simlerus & Cluverius obſervavere; *Bobardum* ex *Bodobriga* aut *Baudobrica* ante annos quingentos factum eſſe non obſervavere.

BOII CELTICA GENS.

Boii qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum tranſierant, Noreiamque oppugnarant, Helvetiis domo emigrantibus ſocii cum XXXII. capitum millibus adjuncti ſunt, ac unà cum eis à Romanis prœlio ſuperati. Quos cùm Caius Cæſar victor omnes obſidibus armiſque traditis in deditionem accepiſſet, Helvetios quidem, Tulingos, Latobrigos ac Rauracos in ſuos fines redire juſſit: *Boios verò petentibus Æduis, quòd egregia virtute erant cogniti, ut in finibus ſuis collocarent conceſſit: quibus illi agros dederunt, eoſque poſtea in parem juris libertatiſque conditionem atque ipſi erant receperunt.* Hæc Cæſar in libro I. ſcribit: qui & in libro VII. *Boios* iſtos *non magnis facultatibus fuiſſe, civitatemque fuiſſe exiguam, & infirmam* ac tenuem tradit, utpote hominum millium circiter XII. aut XV. ac Æduis proximos facit conjungitque his verbis. Cæſar Avaricum obſidens *de re frumentaria Boios atque Æduos adhortari non deſtitit: quorum alteri quòd nullo ſtudio agebant, non multum adjuvabant; alteri non magnis facultatibus, quòd civitas erat exigua & infirma, celeriter quod habuerant conſumſerunt. Summa difficultate rei frumentariæ affecto exercitu, tenuitate Boiorum, indiligentiâ Æduorum,* &c. Idem eodem in Commentario *Boios ſtipendiarios Æduorum* appellat, & *Gergobiam, Boiorum opidum, quos Helvetico prælio victos ibi Cæſar collocaverat, Æduiſque attribuerat,* à Vercingetorige *oppugnatam* eſſe prodit: quam Gergobiam Boiorum, *Molinas* hunc eſſe quidam cum Maſſono putant, caput pagi Burbonenſis, *Moulins en Bourbonnois*. Sampſon eam cum Gergovia Arvernorum confundit, & ex duabus duarum Gentium civitatibus unam facit: quem errorem in Auguſtonemeto refellimus. Plinius *Boios* in Gallia Lugdunenſi vel Celtica ponit inter Carnutes & Senones, rectè omnino. Cùm enim Ædui ſint Celtæ, ſeu Galliæ Celticæ gens, uti omnes uno ore conſentiunt: apparet *Boios* Celticæ quoque Lugdunenſive Galliæ attribui neceſſariò oportere, quandoquidem in finibus Æduorum ſunt collocati. Verba Plinii ſunt in libri IV. cap. XVIII. de Lugdunenſi Gallia. *Intus autem Ædui Fœderati, Carnutes Fœderati, Boii, Senones.* Carnutes & Senones flumen Ligerim attingunt, à quo fluvio, & à Biturigum finibus Boii non multum videntur abfuiſſe: cùm Cæſar ſe ex Lingonibus per Senonum agrum atque Carnutum ad Boios profectum eſſe ſcribat in libro VII. & Vercingetorigem *rurſus in Bituriges exercitum reduxiſſe, atque inde profectum, Gergobiam Boiorum opidum oppugnare inſtituiſſe.* Tacitus in libro II. Hiſtoriarum eorumdem Boiorum meminit, & rectè Æduis ſeu quibuſdam Æduorum pagis proximos facit, cùm in finibus Æduorum ſedes ipſi haberent. *Maricus* (inquit) *quidam è plebe Boiorum, concitis VIII. millibus hominum, proximos Æduorum pagos trahebat: cum graviſſima civitas* (Æduorum) *electâ juventute, adjectis à Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disjecit. Captus in eo prælio Maricus aſſertor Galliarum & Deus, (nomen id ſibi indiderat) ac mox feris objectus, quia non laniabatur, ſtolidum vulgus inviolabilem credebat; donec ſpectante Vitellio interfectus eſt.* Omnino Auguſtoduni in media Amphitheatri arena feris objectus eſt Maricus, *ſpectante Vitellio Auguſto ac ſtolido vulgo*: objectus inquam eſt feris à graviſſima civitate Æduorum, quorum caput Auguſtodunum, qui ipſum ſuderant ac ceperant.

Marlianus Boios *hodie Borbonios dici* aſſerit: quem Maſſonus in deſcriptione Galliæ, & Samſon, aliique recentiores Geographi ſequuntur. Ex quibus Samſon *Boios* ita pro pago Burbonenſi, *le Bourbonnois*, accipit, ut partem pagi Burbonenſis Biturigum Cuborum, partem Seguſianorum eſſe, ſeu Eccleſiæ Bituricæ Lugdunenſique diœceſi attribui fateatur. Boios Burbonenſes eſſe, eo faciliùs & patrum noſtrorum & noſtræ ætatis Geographi ſibi perſuaſere, quòd Cæſar Gergobiæ Boiorum à Vercingetorige oppugnatæ ſubſidio venire feſtinans, per agrum Senonum & Carnutum tetendit in Boios, & apud Genabum Carnutum *exercitum Ligerim traduxit, atque in Biturigum fines pervenit, opidumque Biturigum poſitum in via Noviodunum* (*Neuvy*) *oppugnare inſtituit.* At *Vercingetorix, cognito Cæſaris adventu, oppugnatione* Gergobiæ *deſtitit, atque obviam Cæſari profectus eſt.* Quæ Julii Cæſaris narratio indicat, Boios ſi non in Biturigibus Cubis, certè ſaltem eorum finibus proximos fuiſſe, & in pago qui Burbonenſis nunc dicitur habitaviſſe. Falſum tamen eſt quod ait Samſon, *Boios inter Æduos, Arvernos ac Bituriges* à Cæſare, vel ab Æduis permiſſu Cæſaris *collocatos* eſſe, cùm non alibi quàm in ipſo Æduorum agro ſint poſiti. *Gergobiam Boiorum opidum* ſive Gergoviam à Gergovia Arvernorum differre, in Arvernis docuimus, Samſonemque erroris arguimus.

Qui ſunt ergo Boii? dicet aliquis. Equidem in Æduorum finibus quærendos eos eſſe non procul à Biturigibus contendo, auctorem Cæſarem ſecutus: ſed cùm longè lateque pateant Æduorum fines; & IV. diœceſes contineant, ubi inveniri Boii poſſint, non facile dictu eſt: cùm civitas exigua fuerit ac tenuis, & unius tantùm opidi, atque paucorum capitum ac agrorum. Haud difficulter acceſſerim Coquil-

lio, aſſerenti partem pagi Burbonenſis, ſed eam tantummodò, quam Liger & Elaver claudunt, & ubi Molinæ ſunt, quæ hodieque Æduis ſeu Auguſtodunenſi diœceſi adſcribitur, *Boios* veterum eſſe. Addit Coquillius Burbonenſis pagi primùm fuiſſe Burbonem modò, Muratum atque Cantiliam: poſtea eum pagum ſenſim creviſſe, & de Biturigibus, de Aruernis, de Forenſibus ſeu Seguſianis, & de Nivernenſibus multa ſibi loca adjunxiſſe, itaut IV. Epiſcopatibus nunc attribuatur, Auguſtodunenſi ac Nivernenſi Æduorum, diœceſi Bituricæ, Eccleſiæ Claromontenſi Aruernorum.

BONCONICA.

Tabula Theodoſiana quæ & Peutingeriana, *Bonconicam* inter Mogontiacum & Borgetomagum collocat. *Mogontiaco* IX. *Bonconica* XI. *Borgetomagi* XIII. *Novsomagus* XII. *Tabernis* XI. *Saletione* XVIII. *Brocomagus* VII. *Argentorato* XII. Ibidem à Bonconica ad Brocomagum *ſilva Voſagus* pertinet, & millibus ampliùs LX. in longitudinem patet. Æthicus in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum *Bauconicam*, vel (ut in quibuſdam codicibus ſcriptum reperitur) *Bonconiam* appellat, & *Bormitomago* id eſt Borbetomago, ac Mogontiaco mediam interponit, ut tabula ſuprà laudata; à Mogontiaco XI. à Bormitomago XIII. millibus paſſuum diſtantem. *Bonconica* vel *Bauconica* nunc vocatur Oppenhemium, *Oppenheim*, locus ad Rhenum non ignobilis hodieque inter Mogontiacum & Borbetomagum vel Vormaciam.

BONNA.

Nummo Auguſti adſcribitur *Colonia Iulia Bonna*: quam tamen Coloniis Romanis adnumerari non video. *Bonna* inter Coloniam Agrippinam & Antunnacum poſita eſt, & à Colonia XI. ab Antunnaco XVII. millia paſſuum abeſt, ut docet Itinerarium Æthici. In tabula Theodoſiana ejus mentio fit his verbis. *Agrippina* XI. *Bonna* VIII. *Rigomagus* VIII. *Antunnaco* VIII. *Bonna* non ſemel meminit Tacitus, ubi hiberna primæ legionis; meminit Ptolemæus, cui Βόννα dicitur proxime Coloniam; meminit & Ammianus Marcellinus in libro XVIII. inter Noveſium & Antunnacum, necnon Vita Pippini Francorũ Regis, ab auctore æquali ſcripta, his verbis. *Rex Pippinus cum magno triumpho iterum ad Renum, ad caſtrum cujus nomen eſt Bonna, veniens. Bonna caſtrum ſuper Rhenum flumen* vocatur ſimiliter in Pactione Karoli & Heinrici Regum Francorum Occidentalium & Orientalium anno DCCCCXXIV. Annales Fuldenſes in anno DCCCXXCI. *Bunnam civitatem* impropriè appellant, *in finibus Ribuariorum*, ipſamq; & Agrippinam Coloniam à Nordmannis unà cum Eccleſiis & ædificiis incenſas eſſe tradunt. Vulgò Germani *Bon* vocitant, Noſtri *Bone*.

Druſus *Bonnam & Genoſiam pontibus junxiſſe claſſibuſque firmaviſſe* dicitur Floro MS. in capite ultimo libri IV. ubi libri editi mendosè *Bononiam* & *Geſoriacum* habent. Ego *Bonnam & Noveſiam* reſtituendum puto, non uti Cluverius, *B. & Mogontiacum*. Certè ait Tacitus in libro V. Hiſtor. *profectum Cerialem Noveſium Bonnamque, ad viſenda caſtra quæ hiematuris legionibus ibi erigebantur*: & in libro IV. *Bonnam hiberna I. legionis, Noveſium* XIII. fuiſſe tradit, & *caſtra Bonnenſia* vocat.

Ceterùm bonna linguâ Gallicâ limitem ac terminum ſignificat, *Borne*, ut veteres ſcriptores noſtri ac priſcæ tabulæ docent. Itaque caſtrum Bonna hoc forſitan nomen accepit à Gallis, quòd ibi fines Ubiorum eſſent.

BORBETOMAGUS VANGIONUM QUÆ ET VVARMATIA.

Vangiones à Cæſare, à Plinio, à Tacito, atque Ptolemæo unà cum Nemetibus memorantur, populus Germaniæ, qui tranſito Rheno, in ſiniſtra fluminis ripa conſedere: de quibus notiſſimus eſt Lucani verſus in libro I.

> Et qui te laxis imitantur Sarmata bracis
> Vangiones.

Οὐαγγίονες à Ptolemæo dicuntur, & eorum urbes duæ ad Rhenum, altera *Borbetomagus* vel *Borvetomagus*, Βορβητόμαγος, quæ & primaria; altera Argentoratum: ambæ in ſuperiore Germania, quæ & provincia Germania prima nuncupatur. In tabula Theodoſiana vel Peutingeriana *Borgetomagus* vocatur, & inter Bonconicam ac Noviomagum ponitur: Æthico in Itinerario provinciarum *Bormitomagus* non ſemel; nunc inter Bonconiam & Noviomagum, nunc inter Mogontiacum & Noviomagum Nemetum: *Bormitomagus* inquam corruptè pro *Borvitomagus*, id eſt Borbetomagus. Certè in aliis Æthici codicibus ſcriptum reperitur *Borbitomagus* rectè; in aliis *Bormitomagus*, ut Surita aſſerit.

Ea urbs more multarum Galliæ urbium, nomen Gentis cujus caput erat, poſtea accepit, & *Vangiones* appellata eſt. In Codicis Theodoſiani libro XIII. legimus reſcriptum Impp. Valentiniani & Valentis AA. ad Muſophilum Vicarium Africæ, *datum Vangionibus*: & in Notitia Imperii Romani *Præfectus militum ſecundæ Flaviæ Vangiones* reperitur. Apud Ammianum quoque in libro XV. *Vangiones* inter urbes *primæ Germaniæ*; & apud Hieronymum in epiſtola ad Agerochiam *Vangiones longa obſidione deleti* ab Alanis & Vandalis. *Vangionem* etiam reperi in Annalibus Tilianis.

Vangionum civitas vocatur à Sulpicio in libro I. de Vita S. Martini, aliiſque, necnon *urbs Vangionum*: in Annalibus Bertinianis, in rebus anni DCCCXLIII. *Vangium* corrupto & truncato nomine pro Vangionum: in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nunc ſimpliciter & abſolutè *civitas Vangionum* inter provinciæ Germaniæ I. civitates quarta & ultima; nunc *civitas Vangionum VVarmatia*; nunc *civitas Vangionum, id eſt VVarmatia* vel *Guarmatia*, aliàs *Garmatia*; nonnumquam & *civitas Vangionum, id eſt Vuarmacia. Vuarmatiam* & Fredegarius ac Aimoinus; quidam è noſtris ſcriptoribus & *Vuarmaciam* appellant. At Zacharias PP. in epiſtola ad Bonifacium Mogontiacenſem Epiſcopum, & Eginhardus, ac Theganus, atque Annales Nazariani, aliique *Vvormaciam civitatem* aut *Vormaciam* nuncupant; Poëta Saxo in libris de Geſtis Caroli magni *Vvormātiam*

urbem. Dicta eſt igitur V*varmatia* vel *Guarmatia*, nec non V*varmacia* : dicta eſt ſæpiùs & *Vvormacia*, nonnumquam & *Vvormatia.* Ego ſcribi oportere puto V*ormaciam*, & ita appellandam eſſe hanc urbem, potiuſquàm V*vormatiam*, aut V*varmatiam* vel VV*armaciam.* Nam ex *Borbetomagi* nomine mutilato Noſtri fecere (ni fallor) *Bormagum* ; ex Bormago *Vormacum*, b in u, g in c ex more converſis : ex Vormaco demum facta *Vormacia* eſt ; itaut duo u in prima nominis ſyllaba, & t in pænultima ferre non poſſim. Certè hodieque Noſtri à Vormacia *Vormes*, ac Germani V*Vorms* nuncupant.

Pagus Vangionum vocatur ab Eginhardo in Annalibus, in rebus anni DCCCXXIII. *pagus Vvormacienſis* ; in Annalibus Bertinianis VV*ormazfelda* compoſito nomine Germanico, id eſt Vormacienſis campus ſive ager. *Feld* enim Germanis campus eſt. *In Ducatu Ribuariorum Vvormazfelda, Sperohgouvvi.*

BRACCUM SACCUM.

Braccum Saccum in veteribus tabulis appellari reperio caſtrum in pago Andecavino ad fluvium Albantiam, *Aubance*, quod vulgò *Briſſac* nuncupatur, Ducatûs titulo illuſtre, *Briſiacum* aliàs dictum. Fulco Richinus in rebus geſtis Andecavenſium Comitum, quas Lucas Acherius nuper edidit, *caſtrum Brachesſac* appellat, nomine ad *Braccum ſaccum* proximè accedente, atque inde deducto. *Invaſit me iterum idem frater,* (Gaufridus Barbatus) *ponens obſidionem circa quoddam caſtrum meum, quod vocabatur Brachesſac.* An à *bracco* vel braccone, (ita Germani, ac in primis Franci canem venaticum & ſagacem appellabant) & à *ſacco* nomen compoſitum acceperit, incertum eſt. Ejuſmodi certè canem hodieque Germani *brachen*, Angli *brache*, Batavi *brack*, Noſtri *braque* nuncupant. Locum huncce veteres Hiſtorici, qui patriâ linguâ ſcripſere, *Brocheſac* etiam vocaverunt. In priſcis monumentis Latinis *Brigidiſaccum* dici, quidam aſſerunt : quod nomen me nuſquam reperire memini. Buchananus in libro II. Rerum Scoticarum rupturam à Noſtris *breche* dici ait, & *briſer* rumpere vel frangere : & inde cum Briſiacum in Aleſatia, *Briſac*, tum Briſiacum in Andibus, *Briſſac* deduci affirmat. Cujus ego conjecturæ nequaquam accedo, cùm *Braccum ſaccum*, & *Brachesſac* ac *Brocheſac* priſcæ appellationes caſtelli hujus in Andicavis, ab iſta ruptura, *breche* au *briſure* vulgò dictâ, longiſſimè recedant.

BRACHBANTUM.

Pagi Bracbantenſis primùm fit mentio in Vita S. Gudilæ Virginis, quæ in eo *pago Brabatenſi* corruptè dicto nata eſſe dicitur, regnantibus Dagoberti filiis Sigiberto atque Chlodoveo : Gudila autem hodieque Bruſellæ in Brabantia colitur. *Brachbanti* vel *Bracbanti* in Vita S. Hucberti Tungrenſis Epiſcopi fieri quoque mentionem video : qui Antiſtes adminiſtrante Regna Francorum Carolo Martello per totam *Arduennam*, *Taxandriam* atque *Brachbantum* vel *Brachbante* templa diruiſſe, fregiſſe ſtatuas, Eccleſias ſtruxiſſe dicitur. In litteris Domini Ludovici Imper. de diviſione Regni ſui inter filios, *Bragbentum* vocatur, poniturque inter *Aſbaniam* & *Franderes* ſeu Flandriam. In Diviſione Regni Lotharii à Ludovico & Carolo Regibus anno DCCCLXX. facta, quæ Capitulis Caroli Calvi Franc. Regis, & Annalibus Bertinianis inſerta eſt, *Brachantum* nuncupatur, & ponitur inter Toxandros & Camaracenſes, quatuorque habere Comitatus dicitur his verbis. *Comitatum Texandrum : in Bracbanto Comitatus IV. Camaracenſem.* Ex quo intelligitur Bracbantum vel Bragbentum ſatis amplum & ſpatioſum exſtitiſſe, cùm in eo quatuor fuerint Comitatus vel minores pagi.

Sigebertus in Chronico *Brachbantum* appellat in rebus anni DCXXXIII. in anno MV. ſemel ac iterum *provinciam Bracbatenſem* mendosè pro *Bracbantenſem*, ut ſæpe aliàs ; (quemadmodum & *Brachantum* non raró ſcriptum aut excuſum reperitur pro *Bracbantum*) in anno MLIX. *pagum* item *Bracbatenſem* aut *Bracbatenſem. In pago* (inquit) *Bracbatenſi iuxta Tornacum, colubri prælio inter ſe concurrunt. Turnacum* igitur civitas Bracbanti tum erat, quæ nunc Flandriæ attribuitur, non Brabantiæ : quod & docet Anſelmus in Chronico, hiſce in anno MCXIII. verbis. *In pago Bracbatenſi circa Tornacum nix tanta cecidit, ut & ſilvas fregerit. Ganda* quoque Bracbanti olim fuit, quæ nunc eſt Flandriæ. Certè in litteris Ludovici Aug vocatur *Einhardus Abbas ex Monaſterio quod dicitur Ganda, quod ſitum eſt in pago Brachbatenſe, conſtructum in honore S. Petri, ubi etiam S. Bavo corpore requieſcit.*

Sigebertus incolas Bracbanti ſive Bracbantenſes, *Bratuſpantes* nonnumquam vocat, nomine Bratuſpantii opidi Bellouacorum, quod apud Cæſarem reperitur, ineptè genti à Bellouacis valdè remotæ attributo. Certè *Anſfridum* quemdam memorat anno DCCCCXCVII. *Comitem Bratuſpantium*, qui fuerit poſtea Trajectenſium Epiſcopus : & in anno MXII. *Heinricus* (inquit) *Imperator Godefridum Ducem in fines Bratuſpantium mittit ad obſidendum caſtrũ Louanium.* Eſt autem Louanium hodieque in Brabantia. Sic & Anſelmus in anno MCXXXIV. *congregationem Maliſnenſis Eccleſia qua eſt in Bracbanto*, commemorans, ſatis indicat tum Maliſnas vel Maalinas Bracbanti ita fuiſſe, ut ſunt hodieque Brabantiæ.

A *Bracbanto*, ethnicon fit *Bracbantenſis* ; à *Brabantia Brabantus*, & plerumque *Brabantio* in recentioribus noſtris annalibus : unde hodieque Brabantiæ incolæ vocantur *Brabançons.*

Bracbantum, quæ *Brabantia* Latinis ſcriptoribus recentioribus, Noſtris *le Brabant* ex parte nuncupatur, olim ab Aloſto & Ganda uſque ad Turnacum, aut etiam uſque ad Condate pertinebat, ſi qua Miræo fides habetur.

Bracbantum autem, ut & Auſterbantum vel Auſtrebantum, & Teſtrabentum vel Teſtrebantum, nomina ſunt Germanica, à Francis natione Germana pagis regionibuſve olim impoſita. Limes enim Germanicè *bant* dicebatur. *Regionum* limites ac confinia linguâ ſuâ vocari *Bant* ait VVendelinus Belga : qu Teſtrebantum (*Teſterbant*) Taxandriæ limitem interpretatur ; Auſtrebantum (*Oſterbant*) ortivum limitem diœceſeos Camaracenſis ; Bracbantum

Brackhant) Arboricorum limitem quaſi *Arborickbant*. Ego Bracbantum ad quoſvis alios potiuſquàm ad Arboricos retulerim, qui nulli uſquam ſunt, cùm apud Procopium Arborychorum nomine corrupto Armorici procaldubio deſignentur. Auſtrebantũ autem ortivum Neuſtriæ limitem interpretari convenit. Erat enim hic pagus, ingentium olim Regnorum Auſtriæ Neuſtriæque ſub noſtris Regibus terminus, ab Auſtria Scaldi flumine diviſus, & in extremis Neuſtriæ finibus poſitus.

BRAGERIACUM.

In tabulis anni MCCLI. & anni MCCXXCIX. aliiſque *Bragersacum* vocatur, in nonnullis *Brageracum*, vulgò *Bergerac*, quod eſt opidum in Pertocoriis nobile, Duranio flumini impoſitum inter Limolium *Limeil* & Caſtellionem *Caſtillon*.

BRAIUM SENONUM, BRAIUM CARNUTUM, ET DE BRAIIS.

Braium olim linguâ Gallicâ lutum ſignificabat. Hoc me docuit liber vetus Miraculorum S. Bernardi Claravallenſis Abbatis, qui eſt cento ex multorum ſcriptis confutus, hiſce verbis. *Caſtrum Braium, quod lutum interpretatur*. Sermo eſt de Braio ad Sequanam in Senonibus, *Bras ſur Seine*, inter caſtrum Triangulum *Trainel* & Monaſteriolum *Monſtereau* poſito: quod & *Braiacus munitio* dicitur in Chronico Senonici Monaſterii Sancti Petri Vivi. *Erat Miles Burchardus nomine, & uxor illius Ildegardis: qui habebant munitiunculam in pago Senonico ſuper Secanam fluvium, qua Braiacus dicitur, in locis paluſtribus*. Idem *Braicus* dicitur in Chronico Eccleſiæ Senonicæ. Eſt & duplex Braium ad Suminam *Bray ſur Somme*: & Braium ad dextram Ittæ fluminis ripam in Veliocaſſibus Normannis poſitum, in Geſtis Ludovici VII. Francorum Regis memoratum, vulgò *Braye* dictum: & Braium *Bray* ad Hormentionẽ flumen non longè à Sinemuro in pago Aleſienſi. Non procul à Gornaco Ittæ appoſito eſt ſilva nomine Braium, vel ſilva Braienſis, *Bray* vel *la foreſt de Bray*, à qua Firmitas in Braio cognominatur, *la Ferté en Bray*. Citra flumen Ittam in Bellouacis locus eſt Braium *Bray*, ad amniculum qui in Taram defluit, & pagus exiguus loco cognominis, Braium nuncupatus *Bray*, planus, humilis, compaſcuus, in quo multa & magna ſunt ſtagna. Ibi ſunt Hoſdencum, *Houdanc en Bray*, Villa in Braio *Ville en Bray*, Turris in Braio *Tour de Bray*, Puteoli in Braio *Piſeux en Bray*, Ontium in Braio *Onſenbray*, multique alii vici. *Caſtrum quod Braiam vocant*, Rigordus & VVillelmus Britto in anno MCXCI. commemorant, quod à luto nomen invenit, & vulgò *Braye Comte Robert*, vel *Bray C. R.* id eſt Braia Comitis Roberti dicitur. In pago Silvanectenſi *Braium* vicus etiam reperitur, & Braium in Pictonibus non longè à caſtro Campiniaco, *Braye*. Braicum vel Brahicum etiam à luto ſeu braio nomen accepit. In Vita S. Judoci hæc legimus. *Veniunt pariter* Haimo Dux & Judocus *ad locum qui dicitur Brahic, qui locus fluminis Alteia rivulis undique circumdatus, lutulentus habetur*. Idem & Florentius Abbas ac Ordericus in Hiſtoriæ libro III. ſcribunt: ex quibus Ordericus *eremum Braic* vocat. Hic locus *Brabic* vel *Braic* eremo nomen ſuum dans, nunc eſt vicus *la Broye* in Ambianorum pago Pontivo ad Alteiam fluvium. Guillelmus Nangiacenſis *caſtrum cui Breic vocabulum eſt*, inter caſtrum de Villaribus *Villers*, & caſtrum S. Gelaſii in Pictonibus ſitum, à Ludovico IX. Francorum Rege captum eſſe tradit. *Breicum* autem illud vel potiùs *Braicum* nunc dicitur *Brahey*. *Braiacum* in Carnutibus à luto ſeu braio cognominatum reperio, quod & *Braiotum* & *Braium* etiam dictum ſit, veteri Monaſterio S. Romani illuſtre. In Vita S. Leobini Epiſcopi Carnutenſis quam Fortunati eſſe puto, dicitur Leobinus Ætherio Epiſcopo *Braiaci occurriſſe*, & ab eo Diaconus moxque Presbyter factus, ac *fratribus Braiacenſis Monaſterii præpoſitus* eſſe. Legi & litteras Hugonis Decani Carnutinæ Eccleſiæ, datas *menſe Maio, anno* MCCXXVI. *de jure, quod Hemericus Renart habet in Granchia de Braiaco*. Idem locus deſignatur nomine *Braioti* in litteris *Gervaſii de Caſtronovo Canonici Carnotenſis*, quibus reditus ſuos *pedagii de Braioto*, id eſt centum ſolidos dat Eccleſiæ Carnotenſi. In litteris Raginaldi Carnotenſis Epiſcopi anni MCXC. *Odo Rufus, Miles Braiotenſis opidi* memoratur, nec non *Garnerius Prior Sancti Johannis de Braioto* & *decimam piſcium in Braioto caſtro Goëti* S. Aviti Monachabus Caſtrodunenſibus confirmat Alexander PP. III. litteris anni MCLXX. Braiotum *caſtrum Goëti* vocabatúr, propterea quòd illud tenuerat præ ceteris Goëtus, qui Pertico minori ubi Braiotum ſitum eſt, nomen ſuum dedit. Perticum enim Goëti nuncupant, *le Perche Goüet*. *Leproſorum de Braioto* fit mentio in tabulis anni MCLXXIII. Nonnumquam nominabatur & *Braium caſtrum*. Evolui litteras de rebus datis à *Vvillelmo quondam Præpoſito de Braio caſtro Milite, dum Monachalem habitum ſuſcepit in Cœnobio S. Petri Carnotenſis*; item alias *de Eccleſia S. Romani de Braio*, datas regnante Hainrico Rege Franc. *Notum eſſe volumus, quòd ego Airardus de Buſlo* (*Bullon*) *& Landricus de Torsello Gaufridum commilitonem convenimus, ut loculum in quo Eccleſia S. Romani Mart. habebatur, S. Petro Carnotenſi pro remedio ſua ſuorumque animarum concederet, qui non longè à caſtello Braio diſtat, ſed tunc vilis & incultus apud nos æſtimabatur*. Braiacum vel Braiotum, vulgò nuncupatur *Brou*, eſtque opidulum Pertici Goëti, in diœceſi Carnutum, ac in confinio Pertici & Belſæ poſitum ad amniculum Oſanam *Ozanne*, qui in Lidericum decurrit apud Bonamvallem, poſtquàm Braiotum & Dangeolum vel Daniolium *Dangeau* alluit. Abeſt ab Autrico Carnutum leugas VII. à Caſtrodunenſi IV. ab urbe Lutecia Pariſiorum XXV. In burgo ſuo vel ſuburbio habet veterrimum ſui nominis Monaſterium, nunc à Patrono loci Prioratum S. Romani dictum. Situm eſt in loco paluſtri & lutoſo, & cùm intra muros tum maximè extra, præſertim ad amnem valde cænoſum eſt. His addere poſſumus Braium *Brai* in Pictonum pago & Vicecomitatu Toarcenſi; Vvibraium locum Faleſiæ proximum, *la Guibray* dictum; Vallem Brail

Vaubray, non longè ab urbe Lingonis; Follanebraium in pago Laudunenſi poſitum inter Calnacum & Codiciacum, *Follenbray*, villam Regiam Franciſci primi ac Henrici II. cujus meminit Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus in epiſtola ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum: Tenerchebraium, caſtrum ad Comitem Moritonii in Pertico olim pertinens, VVillelmo Gemeticenſi in libri VIII. capite XIII. memoratum, quod vulgò *Tinchebray* nuncupatur. Omnia hæc Braia, & Braiaca, vel Braica, aut Braiota; & quæ nominibus compoſitis Follanebraium ac Tenerchebraium appellantur; Breia quoque amniculus vel Braia, *Braye* aut *Bray*, qui Vibreium *Vibraye*, & Sabiniacum *Savigny ſur Braye* præterlapſus, Lidericum infra Montem aureum auget; à braio id eſt à luto nomen accepere, quòd in locis paluſtribus & lutoſis condita ſint. Monſtreletius in voluminis primi capite CCXXI. à braio *braioſas aquas* pro lutoſis dixit hiſce verbis. Urbem intravit, in qua aquæ & ſcaturigines valde limoſæ erant. *Paſſa parmy la Ville, où y avoit eaües & ſources moult brayenſes.*

Germani lutum *bruch* aut *broc* appellavere nomine à braio non multum recedente. Hinc in Morinis caſtrum, quod Noſtris *Bourbourg*, Flandrenſibus *Borborch* vocatur, veteres tabulæ anni MCXXX. *Broburgum*, aliæ anni MCV. *Bruchburch*, quædam *Brocburgũ* & *Bruchurgum*, hoc eſt lutoſum opidum nominant. *Bruceſellam* quoque pro *Bruxella* quibuſdam dici *à ſitu paluſtri & lutoſo* aſſerit Strada, neſcius *Bruceſellam* & *Bruceſellas*, vetus ac ſincerum opidi nomen, à luto deductum, in tabulis ante annos DC. datis reperiri, quod poſtea in *Bruſſellam* atque *Bruxellam* recentiores mutaverint. Quin & Braium ſive Braiotum in Pertico caſtrum, in litteris datis anno MCXXC. apud Cheſnium de familia Drocenſium *Broc* appellari conſtat. Hodieque *brancher* Germanicà linguâ lutum ſignificat.

Eadem fuit *brod* vel *brud*, quæ *broc* ſive *bruc* ſignificatio. Quippe Gilbertus de Vita & morte Caroli Comitis Flandriæ, *Brodburg* & *Brudburg* vocat caſtrum, quod alii *Bruchburch* & *Brocburgum* dicere maluerunt: & quod quidam aiunt ab incolis *Brouèbourg* nuncupari, id eſt lutoſum opidum. *Brouè* ergo lutum eſt, à quo & Broagium *Broüage* nomen invenit; caſtrum pæne undique ſalinis circumfuſum, & in loco valde limoſo paluſtrique ſitum, proximum Turri Bran vel luti, *Tour de Brouè*. *Brou* quoque vulgò dicitur à Noſtris, id eſt lutum, quod Latinè Braium, & Braiotum in Pertico. Lutum certè vel aquam lutoſam *brouët* olim à Noſtris nuncupatam eſſe, reperio in rerum Francicarum Annalibus. Apud Monſtreletium Ludovici Aurelianenſium Ducis filii tres pupilli, in litteris ſuis ad Regem Carolum VI. datis VI. Idus Julias anno MCCCCXI. quæ & à Juvenale Vrſino mutatis nonnuſquam aliquot verbis referuntur, de cæde patris ſui ſic ſcribunt. *En outre luy coupperent & craventerent la teſte en divers lieux, tellement que la cervelle en cheut au brouët presque toute: auquel brouët & bouë ils le travaillerent & trainerent, juſques adonc qu'ils le veirent tout roide mort.* *Brouët* & *bouë* pro uno eodemque, nimirum pro luto accipit Monſtreletius: ut vocabulum noſtrum *bouë* factum eſt ex *braue* & *brouët*. *Brouët* autem, ut & *brod* & *brud*, deducitur à brodium, quo nomine jus, & liquida eſculenta, ac humor deſignantur.

BRANCEDUNUM CASTELLUM.

In litteris Petri Albanenſis Epiſcopi & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis anno MLXXVIII. *proxima* Cluniacenſibus *caſtella*. *Brancidunum*, *Berziacum*, *Buxeria Sedunum*, & *Oſcella* memorantur. In aliis litteris *Iocerannus dominus Brancedunii*; idem in litteris Achardi de Maceio Militis, *Nobilis vir, dominus Iocerannus, dominus de Branceduno* appellatur: in litteris quoque Urbani PP. anni MXCV. *Brancedunum*. Brancedunum nunc vocatur *Brancion* ad Graonam flumen. Buxeria eſt *Buſſibourg*; Sedunum *Sandon*; Oſcella *Ucelle*.

BRENNACUM.

Brennacum ſeu *Brannacum* villa olim Regia fuit Regni pagique etiam Sueſſionici, poſita ad flumen Vidulam; in qua Chlotharius exſtruxerat Regiam, morarique conſueverat, ubi & ejus theſauri ſervabantur: à Gregorio Turonico Epiſcopo, à Fortunato, Fredegario, cæteriſque memorata: quo Epiſcopi ex toto Chilperici Regno ad cognoſcendam Gregorii ipſius cauſam evocati convenerunt. Vulgò *Braine* appellatur. *Villam Brennacum*, vel ut Fortunatus & Geſta Regum Francorum vocant *Brinnacum*; Frodoardus *caſtrum ſuper Vidulam* ſitum, *nomine Brainam*, item *munitionem Remenſis* (aliàs *Rodomenſis*) *Eccleſia ſuper fluvium Vidulam ſitam, quam vocant Brainam*, nuncupat. Hic locus S. Euhodii Baſilicâ inſignis eſt, vulgò *S. Iued* dicti: quæ Abbatialis Baſilica duplici titulo ac patrocinio ab origine gaudens, olim *Eccleſia S. Mariæ & S. Euhodii* dicebatur; jam omiſſo B. Mariæ nomine, *Eccleſia S. Euhodii* pridem dicitur. *Branam* pro Brennaco vel Braina ferè omnes recentiores ſcriptores appellitant.

Eſt & in Hainoo Comitatu Braina Comitis cognominata, *Braine le Comte*: eſt & Brennacum vel Braina caſtellum, *Braine le Chaſteau*. Eſt quoque non procul ab Arciaca & à flumine Alba in Campania Gallica *Brenna*, *Brenne*; Frodoardo in rebus anni DCCCCLI. *munitio quadam nomine Brena* dicta.

BREONA VILLA ET BRIONENSIS PAGUS.

Breona villa vocatur in libello proclamationis Domini Caroli Regis adverſus VVenilonem, aliàs *Briona*: quæ nunc Brienna, *Brienne*, Comitatûs titulo inſignis.

A Breona vel Briona *pagus Brionenſis*, Nithardo in libro I. memoratus, inter Tricaſſinum & utroſque Barrenſes, nomen accepit. In Capitulis Caroli Calvi *duo Brioniſi* vel *Brionenſes* pagi commemorantur à duabus Brionis dicti, quarum altera nunc vocatur *Brienna*, altera Brenna, *Brenne*: ſuntque ambæ in Campania Gallica non procul ab Artiaca & Alba flumine.

BREXIA.

Brexiam (*la Breſſe*) *Briſſiam* vocari animadverto in Vita S. Triverii Monachi his verbis. *Duo pueruli de pago Dombenſi* (*Dombes*) *ubi Briſſia dicitur, juxta fluvium Araru ſive Sagonna*, &c. Ibidem *Priſciniacus vicus* (*Perſieu*) & *rivulus Monienta* (*Monian*) memorantur. Quibus ex verbis intelligitur, Brexiæ ſeu Briſſiæ portionem pagi Dombenſis partem tum habitam eſſe. Litteræ Paſchalis PP. II. datæ anno MCVI. *in Epiſcopatu Lugdunenſi Eccleſiam S. Germani in Brexia* commemorant. Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus dedit Cluniaco *Eccleſiam S. Deſiderii ſitam in Brixia, & capellam de Roorterio caſtro* (Riotier) anno MXCIV. ut litteræ ejus docent.

Brexia aut Brixia à ſaltu Brexio nomen accepit, ut Briegium à ſaltu Briegio, Teoracia à ſilva ejus nominis, Perticus à ſilva Pertico. Aimoinus in libro III. *ſaltus* pagique *Brexii* primus aut inter primos ante annos DCL. meminit his verbis de Guntranno vel Guntchramno Francorum Rege, Cabillonenſis Eccleſiæ S Marcelli Mart. conditore. *Hanc denique Baſilicam ipſe divino ſuccenſus amore in ſuburbio quidem prædictæ civitatis, ſed in territorio Segonûm ſaltuque Brexio ſtudioſiſſimè ædificavit: ubi Monachos aggregans, Monaſterium conſtruxit, quod pluribus prædiis facultatibuſque ditavit.* Vocat Aimoinus *territorium Segonûm* corruptè agrum Sequanorum trans Ararim, ubi in ſuburbano Cabillonenſi & ſaltu pagoque Brexio Monaſterium S. Marcelli conditum eſt; cùm Cabillonum ſit citra Ararim in Æduis. Unde apud Fredegarium & in Chronico S. Arnulfi Eccleſia S. Marcelli in *ſuburbano Cabilonnenſe, ſed tamen Sequanum eſt territurium.* Nimirum pars pagi Cabillonenſis unà cum Monaſterio iſto ſuburbioque civitatis Cabilloni trans Ararim eſt, quo fluvio Ædui à Sequanis dividuntur: quam agri Cabillonenſis portionem hodieque *Brexiam Cabillonenſem* Noſtri cognominant, *la Breſſe Chalonnoiſe.* Brexiam enim in duas dividunt partes, & alteram, ſed minorem, *Brexiam Cabillonenſem* nuncupant, quæ ad Reges noſtros pridem pertinet; alteram *Brexiam Sapandicam, la Breſſe Savoyarde,* quam Carolus Emmanuel Dux Sapaudorum anno MDCI. Henrico Magno, Regi Francorum pro Salutiis dedit, Comitatûs titulo inſignem inter Rhodanum & Ararim: cujus pars eſt in Seguſianis diœceſique Lugdunenſi, pars in Sequanis ac parœcia Belicenſi.

Hæc provincia *Breſiia* vocatur in catalogo vel polyptycho Monaſteriorum Cluniaco ſubjectorum; in quo *Prioratus de Monaſterio in Breſiia diœceſis Veſontionenſis* memoratur. In Brexia eſt unà cum Burgo (*Bourg en Breſſe*) Belica Epiſcopatus ſedes, Veſontioni Sequanorum ſubjecta, vulgo *Beley* dicta.

Brexiæ Cabillonenſis meminit compoſitio de Balma, facta inter Veſontionenſem Archiepiſcopum & Abbatem Cluniacenſem: in qua *Bartholomæus de Boſco Archidiaconus Briſſia in Eccleſia Cabilonenſi* vocatur. Ubi *Briſiia* eſt *Brexia Cabillonenſis* trans Ararim, dicta Aimoino ſuprà *ſaltus Brexius*. Hæc Brexia in Sequanorum quidem finibus jacet, ut ſuprà Fredegarius & Aimoinus volunt, ſed tamen in diœceſi Cabillonenſi conſiſtit, quæ una eſt ex IV. diœceſibus Æduorum in provincia Lugdunenſi I. & nomen ſuum dedit uni ex Archidiaconis Eccleſiæ Cabillonenſis, qui *Archidiaconus Briſiia* vel *Brexia* nuncupatur. Quamquam malo dicere, Brexiam Cabillonenſem cum Monaſterio S. Marcelli in Æduis eſſe, cùm diœceſeos Cabillonenſis finibus contineatur; Cabillonum autem ſit opidum Æduorum. Vix enim quiſquam ignorat, fines Gentium non adeo exactè fluminibus terminari ſolere, ut non ea ſæpe tranſgrediantur, ſicut alibi obſervare non ſemel memini. Cui rei indicio ſunt Andicavi, Turones, Veliocaſſes, Caleti, Bituriges Viviſci, aliique populi. Licèt igitur Arar terminus fuerit Æduorum; tamen quod ad Cabillonum pertinet, fines eorum ultra flumen aliqua ex parte patuerunt.

BRIBODORUM.

Æthicus inter Condate & Beleam *Bribodorum* ponit, aliàs *Brideborum* vel *Briodorum* in priſcis codicibus ſcriptum, à Condate (*Coſne ſur Loire*) XVI. à Belca millibus paſſuum XV. diſtans. In tabula Theodotiana vel Peutingeriana *Brivodurum* dicitur, & inter Beleam ac Maſſavam ponitur. Vulgò *Briare* nuncupant Noſtri: & à *briva* id eſt ponte quem habet ad Ligerim, *Brivodurum* vel *Bribodorum* dictum olim à Gallis videtur, ac *Brideberi* nomen eſſe corruptum. *Brioderus* nuncupatur in Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium. *Beleam* quidem quædam Æthici exemplaria inter Nevernum & Condate, alia inter *Bribodorum* & *Canabum* ſeu Genabum collocant, ut Simlerus affirmat.

Et *Brivodurum* quidem vel *Bribodorum*, aliàs *Brioderus* eſt in finibus Senonum, ſive in Autiſſiodorenſi diœceſi: At alterum *Briederum*, in Biturigibus ponit Monachus Cluniacenſis in libri I. Miraculorum S. Maioli capite XIII. his verbis. *Brioderenſis dicitur vicus in pago Biturico.* Hunc locum Noſtri *Bridiers* appellant, Vicecomitatus titulo illuſtrem in Marchia.

BRIEGIUS VEL BRIGENSIS PAGUS.

Pagus Briegius, vel Brigenſis aut Brigeius à ſaltu ejuſdem nominis appellationem traxit, *la Brie.* Jonas in Vitis Columbani & Euſtaſii Abbatum *Briegenſem ſaltum* ad fluviolum Reſbacem, & *ſaltum pagumque Briegium* nuncupat. Beda in libri III. Hiſtoriæ capite VIII. *Brige* ſemel atque iterum appellat, commemorans Monaſterium *quod in regione Francorum ab Abbatiſſa nobiliſſima nomine Fara conſtructum eſt in loco, qui dicitur in Brige.* Locus enim in quo Monaſterium Fara condiderat, Evoriacæ ſeu Eboriacum vocabatur; pagus in quo Eboriacum erat, *Brige*, *Brigenſis*, vel *Brigeius*, qui in Vita B. Audoëni *Brigienſis ſilva* nuncupatur.

Multo minor autem & anguſtior olim fuit pagus Brigenſis quàm nunc eſt: cùm diſtinguerentur ab eo pagus Meldicus, paguſque Pruvinenſis, quos ambos pagos cum urbe Meldis & caſtro Pruvino pago Brigenſi nunc attribuimus.

attribuimus. Certè *Latiniacum villam ſitam in territorio Meldico*, a Dagoberto collatam Baſilicæ S. Dionyſii; & *Latiniacum villam quæ ſita eſt in Bri io*, anno poſt ejus mortem IV. a Nanthilde Reg. Baſilicæ ejuſdem Martyris donatam eſſe commemorant Geſta Dagoberti Francorum Regis. Ex quo intelligimus, licèt ambo iſta Latiniaca nobis ignota ſint, pagum Meldicum tum à Brigenſi diſtingui conſueviſſe.

Pagus Brigenſis qualis nunc eſt, quatuor eſt ex parte populorum, Pariſiorum, Senonum, Tricaſſium, atque Meldorum. Pariſiorum ſunt Nucetum, Gornacum, Latiniacum, Torciacum, Cauda, Turnomium, Liciniacum, Villa nova S. Georgii, ac Braia Comitis Roberti. Senonum ſunt Pruvinum, Calma vulgò *Chaume*, veteri Monaſterio inſignis. Ad Meldicam Diœceſin pertinent Creciacum, Columbaria, Firmitas Galtheri, Jotrum, Firmitas ſub Jotro. Diœceſeos Tricaſſinæ eſt Caſtellio ad Mucram, *Chaſtillon ſur Morin*, vicus in Caſtellania Seſaniæ pagoque Brigenſi poſitus, & Seſania ipſa. His adjungendi ſunt & Sueſſiones: quandoquidem omnes ſciunt, Caſtellum Theodorici, quod in Briegio Pediculoſo aliqua ex parte eſſe conſtat, Sueſſionicæ diœceſeos finibus contineri. Conſtat quidem & *Montem Mirabilem* caſtrum in Briegii finibus poſitum, *Montmirail*, ad diœceſin Sueſſionicam pertinere, necnon Buſcionem *Buiſſon*, cellâ Cluniaco ſubjectâ illuſtrem, & Caſtellioni ad Matronam propinquum.

BRIGANTIO.

A Claudio Ptolemæo in Alpibus Cottiis, quas cum ceteris Alpibus Italiæ attribuit, ponuntur *Seguſiani, quorum urbes Seguſium, & Brigantium*: Σεγουσιανοί, ὧν πόλεις Σεγούσιον καὶ Βριγάντιον. Ubi forſitan legendum eſt Σεγουσίων καὶ Βριγαντίων, *Seguſio & Brigantio*. Certè Plinius Ptolemæo antiquior *Seguſionem* nuncupat: Æthicus in Itinerario ſemel atque iterum *Brigantionem* vocat, in itinere à Mediolano Arelate per Alpes Cottias, item Viennam, & inter Seguſionem ac Ebrodunum ponit ſic: *Fines* M.P. XVIII. *Seguſione* XXIIII. *Ad Martis* XVI. *Brigantione* XVIII. *Rame* (alias *Roame*) XVIIII. *Eburuduno* M.P. XVIIII. *Brigantionem in Alpe Cottia* vocat & tabula Theodoſiana, & prope *Ramam* atque *Ebrudunum* collocat. Ammianus in libro XV. *caſtellum Virgantiam* corruptè nuncupat pro *Vrigantiam* vel *Brigantiam*, & prope *ſtationem Martis*, propius *Matronæ verticem*, id eſt montem Matronam ſeu montem Genebram collocat in Alpibus Cottiis. Juliano in epiſtola ad Athenienſes dicitur & *Brigantia*, ἡ Βριγαντία ἐπὶ τὰς Ἄλπεις Κοττίας. Itinerarium Hieroſolymitanum ſive à Burdigala Hieruſalem inter mutationem quæ Rame dicitur & montem Matronam Brigantionem ponit his verbis. *Manſio Hebriduno, unde incipiunt Alpes Cottiæ, mutatio Rame* M XVII. *Manſio Brigantio: inde adſcendis montem Matronam, cui nomen caſus feminæ nobilis dedit*, ut ait Ammianus: quare II. ſyllabam producit. Et loci & montis meminit Ennodius, ſive potiùs Euhodius Ticinenſis Epiſcopus, qui unus ex omnibus *Matronas* montem vocat, verſumque ſic orditur,

Matronas taceo.

Et Matrona quidem vulgò dicitur *le Mont Genevre*, inter Brigantionem & Seguſionem poſitus, ſed Brigantioni proximus: Brigantio autem nuncupatur *Briançon*, olim tantùm manſio ſeu ſtativa militum, nunc opidum montanum Dalfinatûs in Alpe Cottia, unde incipere Alpes Cottias vult tabula Theodoſiana, quarum initium facit Ebrodunum Itinerarium Burdigalenſe.

Brigantio nomen ſuum dedit pago Brigantionenſi, *le Briançonnois*, à quo Dalfini quidam ſe *Principes agri Brigantionenſis* dixere, *Princes de Brianconnois*. Hic autem ager pars erat Regni Cottii, qui nomen ſuum dedit Alpibus Cottiis inter Meridiem & Septemtrionem à monte Veſulo ad montem Ciniſium, inter ortum & occaſum à Seguſione Ebrodunum uſque promiſſis.

Ceterùm Brigantio diœceſi Ebrodunenſi adſcribitur, itaut non Seguſianorum ullorum, ſed Caturigum opidum eſſe videatur, cùm ſubjaceat capiti gentis ejus Ebroduno, à quo XXXVIII. millia paſſuum abeſt.

Livius in libro XXI. per Tricaſtinos & extremam oram Vocontiorum agri tetendiſſe in Tricorios Hannibalem ſcribit, mox tranſito Druentiâ flumine Alpino, ad Alpes campeſtri maximè itinere perveniſſe: *caſtellum inde quod caput regionis erat*, vicoſque circumjectos *cepiſſe*. Illud *caſtellum caput regionis* fuit haud dubiè aut Ebrodunum, *vicus* Straboni dictum, aut caſtellum Brigantio, XXXIV. ab Ebroduno millibus paſſuum diſtans: ex quibus Itinerarium à Burdigala Hieruſalem uſque Ebrodunum initium Alpium Cottiarum facit; tabula Peutingeriana Brigantionem, *Brigantionem in Alpe Cottia* cognominans. Certè per Caturigas & Ebrodunum, & per Brigantionem ac Seguſionem Taurinos Italiamque petiiſſe Hannibalem, indicant veteres tabulæ atque itineraria. Si tamen per Deam Vocontiorum & Vapincum Tricoriorum petiit Hannibal Ebrodunum atque Brigantionem; opus ei non fuit tranſire Druentiam: cùm Ebrodunum ad citeriorem Druentiæ ripam obvium haberet.

BRIGIA FLUVIUS.

Brigia fluvius vel potiùs rivus eſt in Cenomanis, vulgò *Braye* dictus: cujus ad caput vel fontem in radice montis ſilvâ circumdati eſt S. Petri Monaſterium, *S. Pierre ſur Braye*. Hunc *Breſam*, & *Braiam* quoque dici in priſcis tabulis reperio, & Vibreium *Vibraye*, ac Sabiniacum *Savigni ſur Braye* alluere, Lidericoque infra Montem-Aureum recipi.

S. BRIOCI OPIDUM.

Nomenoius *in Monaſterio S. Brioci ſedem Epiſcopalem* dicitur *conſtituiſſe*, antequàm à Britannis Regem ſe appellandum & ungendum curaret, regnante apud Francos Carolo Calvo. In Chronico Roberti de Monte *Gotho Britto Epiſcopus S. Brioci* nuncupatur. Gervaſius Tilleberienſis in Otiis Imperialibus, & duæ

Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ, inter Epiſcopatus provinciæ Turonenſis octavum *Briocenſem* numerant ſub Metropoli Turonis, qui ex Monaſterio, ut ſæpe aliàs, factus eſt. Urbs hæc in Oſiſmiis ad mare poſita eſt, quemadmodum Trecorenſis & Leonenſis: & *S. Brioci* (*Saint Brieu* aut *S. Brieuc*) ab Indigete ſuo dicitur, licèt major civitatis Eccleſia B. Stephani Mart. titulo ac tutela glorietur.

BRIONIA.

Brionia oppidum munitiſſimum & in corde terræ ſitum (Neuſtriæ) vocatur ab Orderico Vitale in libro VIII. Hiſtoriæ, vulgò *Brionne* vel *Brioſne*, ad flumen Riſelam poſitum inter Liram & Pontem-Audomari.

Sita eſt *Brionia* urbs & Comitatus Normanniæ in pago Rotmenſi, (*le Romois*) inter Sequanam & Riſelam jacente.

BRIOSSIUM.

Brioſſium in Pictonibus, vulgò *Brieu* nunc dicitur. Junianus vir ſanctus, dicitur ortus eſſe in Pictonibus, *in territorio Brioſſio*, prædio Campaniaco, (*Champagné*) ſepultuſque in vico Mariaco, *Mairé*: unde poſtea Nobiliacum tranſlatus eſt: ut Boethius Vultinus Epiſcopus Ludovici Pii Aug. principatu in Vita ejus ſcripſit.

BRIOUERA.

Concilio Aurelianenſi primo *Leontianus Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinæ* ſubſcripſit. *Leontianus Epiſcopus de Conſtantia* in codice Corbeienſi dictus, in Remenſi & Bellouacenſi *ex civitate Briouere Leontius Epiſcopus*. In Concilio Aurelianenſi V. quod juſſu Regis Childeberti coactum eſt V. Kalend. Novemb. Indictione XIII. anno Domini DXLIX. regni ejus XXXVIII. actis ſtatutiſq; præter ceteros ſubſcripſit *Lauto Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinæ vel Briouerenſis*, non quòd Conſtãtia vetere nomine dicta ſit *Briouera*, ut Sirmundus putat; ſed quòd Lauto Conſtantiæ Epiſcopus, vir ſanctitate vitæ inſignis, in caſtro diœceſeos ſuæ Briouera plerumque ſedem haberet, & loci amœnitate delectaretur. *Briouera* autem dicta eſt quaſi *Bria* aut *Briva Vera*, hoc eſt Pons Veræ: uti *Brieſerta*, *Bria* aut *Briva Sartæ*, hoc eſt Pons Sartæ, Sercæve, vulgò *Briſſerte*; Brioledum, vel Brioletum, *Briolay*, *Bria* vel *Briva Ledi Lideve*, id eſt Pons Ledi. Salbria trunco nomine, vulgò *Salbris*, quaſi Saleræ Bria vel Briva, id eſt Pons Saleræ, Carobriæ, *Chabris*, Briæ vel Brivæ ad Carum in Biturigibus. Dicta inquam eſt *Briouera*, quia pontem habebat Veræ flumini impoſitum, quemadmodum *Brieſerta* Sartæ, *Brioledum* Ledo. *Briouerant* exiſtimo eſſe locum diœceſeos Conſtantinæ, qui ab ipſomet Lautone vel Laudo Epiſcopo quondã ſuo poſtea novum nomen accepit, & depoſita priore appellatione, vocari cœpit *caſtrum S. Laudi*, vel *caſtrum S. Lautonis*, aut (ut Regino loquitur) *ad Sanctum Lot*, vulgò *S. Lo*. In Chronico de Geſtis Normannorum *in territorio Conſtantiæ civitatis caſtrum S. Laudi* impugnaviſſe ac tandem cepiſſe anno DCCCXC. & interfectis omnibus incolis ſolo æquaviſſe Normanni dicuntur. Eſt & *Vera* Veræ flumini orienti appoſita atque cognominis, *Vire* vulgò nuncupata, ut fluvius cui adjacet, *la riviere de Vire*: ſed is locus & caſtro S. Laudi minùs clarus eſt ac nobilis, & Baiocaſſinæ diœceſeos finibus continetur, nec ad Eccleſiam Conſtantienſem ulla ex parte pertinet, itaut ei Briouerᴁ nomen convenire non poſſit.

BRITANNIA CISMARINA.

Primos Britannos ſeu *Brittones*, ait Beda in c. 1. l. 1. *de tractu Armoricano in Britanniam inſulam advectos, auſtrales ſibi partes ejus vindicâſſe*, & ſuâ linguâ uſos eſſe. Multo ante Bedam tradidit Cæſar in libro V. *Britanniæ maritimam partem ab his incoli, qui ex Belgio eò tranſierant*, nimirum ab Atrebatibus, Belgis, Iciis aliiſque. Idem & Tacitus ſcripſit. Poſtea *cùm ab Anglis & Saxonibus Britannia inſula fuiſſet invaſa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimis Galliæ finibus Venetorum & Coriſolitarum* (ſeu Curioſolitum; addo & Oſiſmiorum) *regiones occupavit* Placidi Valentiniani Principatu, circa annum Chriſti CCCCXLI. uti ſcribit Eginhardus in Annalibus, in rebus anni DCCXXCVI. Regio à Britannis Britannia appellata ante annos MCC. Hoc eſt, quod ait Beda in capite XV. libri I. Britannorum alios fame confectos ſe in ſervitutem hoſtibus dediſſe; *alios tranſmarinas regiones dolentes petiiſſe*, videlicet tractum Armoricanum, primas Majorum ſuorum ſedes. Quorum Britannorum Epiſcopũ nomine Manſuetum Anno CCCCLXI. Severino V.C. Conſule Concilio Turonico interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe invenio. Sidonius in libri I. epiſtola VII. Arvandi viri Præfectorii fortunam ac caſum deflet, qui anno Chriſti CCCCLXVII. per epiſtolam Theodorico Regi Gothorum ſuaſerat, ut Imperatorem Anthemium, & *Britannos ſuper Ligerim ſitos* impugnaret, ac cum Burgundionibus jure Gentium Gallias divideret. Horum Britannorum Regulus à Sidonio in libri III. epiſtola IX. Riothamus, à Jordane *Riothimus Rex Brittonum* dictus, ad reprimendum Euricum Gothorum Regem ab Anthemio Aug. eſt arceſſitus: qui priuſquàm cum Romanis vires ſuas jungeret, ab Eurico in Biturigum finibus victus, magnam duodecim millium armatorum partem amiſit, & multis apud Dolenſem vicum interfectis, ad Burgundiones, gentem finitimam, ſociam tum Romanorum & amicam, trans Ligerim perfugit. An Britanni iſti poſtea Francis in Gallia latè dominantibus paruerint tributumque annuum pependerint, certoſque ab eis fines pactione cenſûs initio acceperint, diſquiſivimus in libro VI. Rerum Francicarum.

Nomenoius Dux Britannorum à Carolo Calvo defecit, nec solùm Venetos quos Pippinus proavus Calvi ceperat, ditioni ſuæ adjunxit recuperavitque, ſed etiam *limitem antiquum tranſgreſſus* (ut ait Adreualdus) Redonas ac Namnetas urbes regni Francici occupavit. In Annalibus Bertinianis invenio, filium Nomenoii Regis Heriſpoium Regia veſte & *paternæ poteſtatis honore*, hoc eſt paterno Regno à Carolo donatum eſſe, additis Redonis, Namnetis, & *Ratenſi* id eſt Ratiatenſi pago:

ſeu veriùs earum urbium & pagi expugnationem, ac poſſeſſionem ab eo comprobatam. Ex eo tempore Redones atque Namnetes cum Venetis Britannicæ ditionis facti ſunt, & pagus Ratiatenſis vel Ratenſis in Pictonibus, Britanniæ à qua flumine Ligere dividebatur, pars eſſe cœpit. Ex quo intelligitur, ante annos octingentos talem ac tantam cœpiſſe eſſe ex anguſtiſſima Britanniam, qualis hodieque cernitur.

Ab Britannis eam occupantibus Britannia nomine Britannico vocata eſt *Letavia*, hoc eſt maritima ſeu litorea: ſi credimus auctori libri de Vita S. Gildæ, cujus hæc ſunt verba. *Cùm perveniſſet in Armoricam quamdam Galliæ regionem, quæ tunc à Britannis à quibus poſſidebatur, Letavia, id eſt litoralis dicebatur, ab eis honorificè ſuſceptus eſt.* Certè auctor eſt Cambdenus, Cæſaream & Sarniam inſulas oræ Galliæ adjacentes, quæ Anglorum Regi parent, *Lettavv* Britannis ſeu Letavas, hoc eſt litorales vocari. Ll. *ydavv* alii ſcribunt, & linguâ Britannicâ litoreum ſignificare aſſerunt.

Britannia qualis nunc eſt, continet partem provinciæ Lugdunenſis tertiæ ſive provinciæ Turonenſis majorem, videlicet civitatem Redonum, civitatem Namnetum, civitatem Curioſolitum vel Coriſopitum, civitatem Venetûm, civitatem Oſiſmorum, & quatuor alias recentiores in eadem provincia diœceſes.

Britanniam Ciſmarinam vocat eam Eginhardus, in rebus anni DCCXCVI. ut diſtinguat à Britannia inſula, quæ Nobis eſt tranſmarina, & mari à Britannia noſtra Galliæ parte diviſa; incolas, *Brittones ad Occidentem in extrema parte Galliæ ſuper litus Oceani reſidentes*, in Vita Karoli Magni. *Britanniam Gallicanam* appellat vetus membrana Monaſterii Rotonenſis in Britannia, quòd ſit portio Galliæ Celticæ non contemnenda. Gervaſius Tiſleberienſis ac quidam alii *Britanniam Armoricam* nominare malunt, propterea quòd una fuerit de regionibus, quas olim Armorici obtinuerunt. Unde & Guillelmus natus in Britannia Gallicana, *Veillelmum Brittonem Armoricum* ipſe ſe appellavit. Ab nonnullis *Britannia minor* dicitur, quòd Britanniâ inſulâ multo ſit anguſtior. Marlianus *Britanniam citeriorem* nuncupare conſuevit, ſicuti ſupra Eginhardus *Ciſmarinam*, quod non Gallis modò, ſed etiam Italis, Germanis, Hiſpaniſque citra mare ſit poſita. *Britanniam novam* vocant tabulæ veteres Andicavenſis Monaſterii S. Sergii his verbis. *Anno* DCCCXLIII. *menſe Junio Normannorum ferox natio numeroſâ claſſe advecti, Ligerim fluvium qui inter novam Britanniam & ultimos Aquitaniæ fines in Occiduum mergitur Oceanum, ingrediuntur: demum dato claſſibus zephyro, ad urbem Nanneticam contendunt.* Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri IV. capite XX. & in libri V. Hiſtoriæ Francicæ capite XVI. & alibi paſſim eam Galliæ Lugdunenſis provinciam, vel (ut Plinii verbis utar) *peninſulam ſpectatiorem, excurrentem in Oceanum à fine Oſiſmiorum, circuitu* DCXXV. *millium paſſuum in longitudinem, in latitudinem* CXXV. *ultra quam Nannetes*; nunc *Britanniam* abſolutè, nunc & *Britannias* appellat; incolas regionis *Britannos*, atque etiam in libri V. capite XXII. *Brittones*. Eginhardus in Annalibus modo *Britanniam Ciſmarinam*, modò ſimpliciter *Britanniam* in rebus anni DCCCXVIII. ſimiliter vocat, & habitatores *Brittones*: in anno DCCXCIX. *Brittonum provinciam*. Ambos imitatur Frodoardus in Chronici anno DCCCCXIX. cui dicitur *Britannia in cornu Galliæ, in ora ſcilicet maritima ſita*; incolæ *Brittones*. Geſta Francorum exemplo Gregorii in capite XXVIII. modò *Britannias*, modò *Britanniam*; incolas ejus *Britannos* nuncupant, Fredegarius quoque *Britannos*; Jordanes & plerique Hiſtorici noſtri *Brittones*: ſicuti *Britannia* inſula Britannorum noſtrorum patria, à Romanis ſcriptoribus *Britanniarum* appellatione non raró donata eſt, à Rufo Feſto, ab auctore Notitiæ Imperii Romani, ab Æthico in Itinerario, à Proſpero, aliiſque: & incolæ Britanniæ inſulæ à Juvenale in ſatyra XV. nunc *Britanni*, nunc *Brittones* II. ſyllabâ brevi ac tertiâ dicuntur; *Brittones* à Martiale II. ſyllabâ longâ; *Brittones* & Auſonio, ac in Notitia Imperii. Equidem obſervo in priſcis codicibus Gregorii *Brittaniam* & *Brittanias*, ac *Brittanos* ſemper ſcribi. In codicibus quoque Fredegarii, in Chronici libro IV. & libro V. *Brittanos* reperio: pro quo *Brittannos* & apud Fredegarium, & apud pleroſque Hiſtoricos noſtros ſubſtituerunt mendosè, cùm *Britannos*, aut potiùs *Brittanos* retineri edique oporteret. Quod ne quis miretur, eadem planè ratione in Rufi Feſti Breviario codex Regius, qui eſt eximius ac venerandæ antiquitatis, ubique *Brittanias* & *Brittaniam* inſulam nobis exhibet; nuſquam *Britanniam* aut *Britannias*: ut appareat non aliter quàm *Brittaniam* & *Brittanos* olim ſcribi plerumque conſueviſſe, ſive de inſula, ſive de parte Lugdunenſis III. ſermo eſſet, & utramque tam *Brittaniam* quàm *Britanniam*; utriuſque incolas tam *Brittanos* & *Brittones* quam *Britannos* vocari ſolitos eſſe. Latinum vocabulum, *Brittania*, factum ex Græco inſulæ nomine *Brettania*, Βρεττανία, ε in ι converſo; & *Brittani* ex Βρεττανοὶ *Brettani*. Nos Britanniam noſtram nuncupamus *la Bretagne*; habitatores ejus Brittones, *les Bretons*. Britannia in ſuperiorem inferioremque dividitur. Inferior Britannia, *la baſſe Bretagne*, eſt circa Montem Relaxum, circa Leonenſem urbem, Brivatemque ac Curioſolitas: aut ut aliis placet, à Brivate portu ad urbem Venetos pertinet. Britannia ſuperior, *la haute Bretagne*, ad amnes Uldam & Vicinoniam, atque in finibus Redonum jacet.

Argumentum originis, præter nomen manet ſermonis commercium. Nam inferiores Britanni noſtri hodieque eâdem ferè linguâ utuntur, quâ Cambri ſive VVallenſes, & Cornubienſes, poſteri eorum Britannorum, qui poſt occupatam à Saxonibus atque Anglis majorem inſulæ Britanniæ partem, in Damnonia, Venedotia, Demetiaque conſederunt.

Quoniam autem Britanni ſæpe Francis moleſti erant, & incurſiones in pagum Redonicum & in agrum Namneticum crebrò faciebant, ideó à Francorum finibus certo limite dividebantur, uti Saxones, & Avares, & Saraceni in Hiſpania dominantes. Quod Chlodovei Magni abnepotibus Theodeberto & Theodorico apud Francos regnantibus jam in uſu fuiſſe, docet Fredegarius in libri V. ac ultimi

Chronici capite xx. qui *Brittanorum limitem* eum vocat. Alii *Brittanicum limitem*, *Marcam Britannicam*, & *Marcam Brittaniæ*, ac *Marcam contra Brittones* nuncupant. Eginhardus Rotlandum illum, priſcis ſcurrarum joculatorumque carminibus celebratum, *Brittanici limitis Præfectum*; *Vvidonem* quoque *Comitem ac Præfectum Brittanici limitis* appellat: in anno DCCCXII. *Comites Marcæ Britannicæ*; in anno DCCCXXVI. *illius limitis cuſtodes* commemorat, qui *fines Britannicos tuebantur*, ut ait auctor Vitæ Ludovici Pii Aug. *Marchiſos Britannici limitis* Lambertum & Rainoldum nominat Adrevaldus Floriacenſis Monachus, Caroli Calvi æqualis, in libri de Miraculis S. Benedicti capite XXXIII. Rainaldus autem genere Aquitanus, *Nannetica urbis Comes* erat, uti docet vetus tabula Andecavenſis Monaſterii S. Sergii, ab Argentræo Cheſnioque publicata. Ex quo judico, *limitem Britannicum* in civitate Namnetum pagoque vel Comitatu Nametico ex parte conſtitiſſe. Quod & Fredegarius docere videtur his verbis. *Chlotharius obpreſſus per pactionis vinculum firmavit, ut inter Sigonam & Ligerem uſque mare Oceanum & Brittanorum limitem pars Theuderici haberet.* Ibi enim *Britannicum limitem* ponit Fredegarius circa *oſtium Ligeris & Oceanum*: qui ſitus Namnetibus convenit, Genti Galliæ Lugdunenſis, poſitæ inter Ligerim & Vicinoniam amnes ad Oceanum properantes. Et hic quidem erat limes Britannicus à meridie; à Septemtrione verò (ſicut arbitror) pagus Abrincatinus ad Coetnum fluvium pertinens.

Et quoniam de Marca Britannica ſermo eſt, notare convenit, quæ veteres rerum Francicarum Annales de Britannis referunt in anno DCCXCIX. *Vvido Comes qui in Marca Brittaniæ præſidebat, unà cum ſociis Comitibus Brittaniam ingreſſus, totamque perluſtrans, in deditionem accepit, & Regi de Saxonia reverſo arma Ducum qui ſe dediderant, inſcriptis ſingulorum nominibus præſentavit. Nam his ſe & terram ſuam & populum unuſquiſque illorum tradidit.* Ex quo apparet Britanniam tum inter multos *Duces* diviſam, & ſuam cuique regiunculam, ſuum cuique populum fuiſſe: quos *Duces* alii *Capitaneos Brittonum*; alii, in primis Eginhardus, *populi Primores* appellare maluerunt; *Principes Brittonum* Regino, Annaleſque Mettenſes. *Anno* DCCXXCVI. *Domnus Rex Karolus miſit exercitum ſuum in partes Britanniæ unà cum miſſo* (aliàs *Miſſo*) *ſuo Audulfo Siniſcalco: & ibi multos Brittones ſubjugaverunt, cum caſtellis & munitionibus eorum, locis paluſtribus & inciſis: & prævaluerunt Franci, & cum victoria reverſi ſunt, & Capitaneos eorum ad Synodum præſentaverunt Domno Regi apud Vvarmaciam*: ſicut in Vita Karoli Magni reperio. *Munitiones* illas Britannorum alii *firmitates*, alii *loca firma*, id eſt munita nuncupant in rebus anni DCCXXCVI. quas *firmitates* cùm *caſtellis* cuncti poſtponant, apparet *firmitatem* aliquid minus fuiſſe *caſtello*. Paludibus *locisque paluſtribus* multum confidere conſueviſſe, eoque & perfugio & pugnæ loco nonnumquam Britannos uſos eſſe, docet Beppolenus Dux Francorum, qui à Vvaroco Britanno anguſtiis viarum & paludibus incluſus, unà cum exercitu periit, & Franci in paludibus magis luto necati ſunt quàm gladio proſtrati; ut refert Gregorius in libri Hiſtoriæ x. capite IX. *Inciſa* autem, aliàs *inceſa*, apud ſcriptores rerum geſtarum & Vitæ Caroli Magni ſunt celſi cæſarum arborum cumuli, pro vallo ad arcendos hoſtes per extrema ſilvarum exſtructi. Ammianus Marcellinus *concædes* eas appellat; Sulpicius Alexander in Hiſtoriæ libro III. & Gregorius in libri III. capite XXVIII. *concædes*; quidam *conciſas*; Geſta Regum Francorum in capitulo XXV. *combros* nomine ni fallor Gallico, ex quo aliqua apud Nos vocabula ſunt compoſita. Nam à combris offenſiones Noſtri & impedimenta *incombraria* nuncupant hodieque, *encombriers*, incombrare *encombrer*, diſcombrare *deſcombrer* ſeu combros auferre: ruinas etiam ædificiorum, ſive tignorum, trabium & lapidum confuſorum acervos, *incombros* & *incombramenta* nominant, *encombres* aut *encombremens*. Multæ autem ſunt in Britannia Ciſmarina ſilvæ, multæ etiam paludes, vel ſtagna maritima: minùs ut mirum ſit, Britannos olim noſtros, ſi quando hoſtibus irruentibus in apertis campis reſiſtere non poterant, non *caſtella* modò & *munitiones* ſeu *firmitates* ſuas, ſed etiam *loca paluſtria*, & nemorum ſuorum ingentes concædes aut ſæpta pro receptu habere conſueviſſe.

BRITOLIUM.

Britolii incolas vocat Ordericus in libro VIII. *Bretolienſes*, in libro XI. *Britolienſes*. Verum loci & incorruptum nomen eſt *Britolium*, quod à Britonibus ejus conditoribus aut colonis deductum videtur. Vocatur hodieque *Breteul*, poſitumque eſt ad Ittonam flumen non procul ab Mediolano Aulercorum Eburovicum.

BRIVA-CURRETIA.

Vicus erat in finibus Lemovicum regnantibus Chlodovei Magni nepotibus ac pronepotibus, nunc municipii inſtar ſe ferens, à ponte flumini Curretiæ impoſito *Briva Curretia* Gallicè, hoc eſt pons ad Curretiam cognominatus: cujus in Baſilica B. Martinum, Martini Turonici Epiſcopi diſcipulum ſepultum eſſe affirmant incolæ, & ob præſens auxilium ſæpe expertum ſummopere venerantur. Vulgò *Brive la Gaillarde*, hoc eſt Briva hilaris nuncupatur, proximumque habet viculum, *Templum Amoris* dictum, *Temple d'Amour*. Poſita eſt Briva ferè ad ipſos Curretiæ & Viſeræ confluentes, quorum fluviorum alter *Correze*, alter *Vezere* appellatur. Curretia autem amnis proximum capiti ſuo vicum cognominem habet, nimirum Curretiam, *Correze*, deinde Tutelam attingit Epiſcopi ſedem, *Tulle*, ac Brivam: infra quam in Viſeram influit. Baſilicam B. Martini ſupradicti in Briva vico ab exercitu Gundobaldi, qui ibi Rex anno DXXCIV. conſalutatus eſt à quibuſdam Optimatibus Francorum, incenſam eſſe auctor eſt Gregorius, itaut tam altarium quàm columnæ ex variis marmorum generibus igne diſſolverentur ac diſcuterentur: quam Baſilicam Ferreolus Lemovicarum Epiſcopus poſtmodum reparaverit: & *Brivam Curretiam vicum in Lemovicino* appellat in capite x. libri VII. Hiſtoriæ.

BRIVA-ISARÆ.

Briva-Iſara in Itinerario Æthici appellatur, poniturque inter Petromantalum & Luteciam medio ſpatio: *Briviſara* corruptè pro Briva-Iſaræ aut Briviſara nuncupatur in tabula Peutingeriana à *briva* ſeu ponte flumini Iſaræ impoſito: (Pontem enim veteres Galli brivam ſuâ linguâ dixere) quam recentiores *Pontem-Iſara*, & *Pontiſaram*, *Pontem-Eſia*, & *Pontefiam* vocavere, *Pontoiſe*. Quippe *Iſara* alio nomine dictus eſt & *Eſia*, ut Vibius Sequeſter docet. Locus hic ſitus eſt in Veliocaſſibus, quorum fines à finibus Pariſiorum Iſara fluvio dividuntur; Orderico Vitali in libro v. *caſtellum Vilcaſſini, quod Pontiſera* vocatur; in libro XII. *Pontefia*.

Ceterùm *Briviſara* vel *Brivaiſara* ſuprà non malè nuncupari videtur in tabula Peutingeriana, pro Briva-Iſaræ: cùm Briva *Curretia* ſimiliter appelletur à Gregorio pro Briva Curretiæ. Nam ut heic pons Curretiæ fluvio eſt impoſitus, ita illic Iſaræ. *Briva-Iſara* autem vel *Briviſara* eodem olim modo dici potuit, quo poſtea *Pontiſera*, *Pontiſara*, & *Pontefia*, pro *Pons-Iſera*, *Pons-Iſara*, & *Pons-Eſia*.

BRIVAS.

Brivas vicus fuit Arvernorum, tumulo ac Baſilica Juliani Arverni Martyris nobilis, Conſtantio Pr. Sidonio, Gregorio, & Fredegario memoratus, vulgò *Brioude*. Eò delatus eſt Avitus Aug. & ad pedes B. Juliani ſepultus anno CCCCLVI. *Brivatenſem vicum* in libro de Gloria Martyrum vocat Gregorius, & in capite XI. libri II. Hiſtoriæ Francicæ: ut omittam Erricum monachum, & martyrologos.

Sidonius in Propemptico ad libellum Brivatis meminit his verſibus.

> Hinc te ſuſcipiet benigna Brivas,
> Sancti quæ fovet oſſa Juliani.

Nunc eſt opidum non longè à flumine quod dicitur Elaver, *Brioude Gliſe* ab Eccleſia S. Juliani ſæpe cognominatum: cui proximus vicus, impoſitus ei flumini ubi & pontem fert, nuncupatur vetus Brivas, *Vieille Brioude*.

Eoricum Gothorum Regem XIV. *regni ſui anno Eccleſiam S. Iuliani Brivate columnis ornatam mirificè conſtruxiſſe* ſcribit Fredegarius in libri IV. Chronici capite XIII. deceptus ut ſolet malè intellectis Gregorii verbis, quæ talia ſunt in libri Hiſtoriæ II. capite XX. *Eorichus Gothorum Rex Victorium Ducem ſuper* VII. *civitates præpoſuit anno* XIV. *regni ſui: qui* (nimirum Victorius) *protinus Arvernis adveniens, civitatem addere voluit: unde & cryptæ illæ uſque hodie perſtant ad* Baſilicam *S. Iuliani: & columnas quæ ſunt in æde poſitæ, exhiberi juſſit. Fuit autem Arvernis annis* IX. Ex quibus intelligitur Victorium natione Gallum, virum mulieroſum quidem, ſed clarum genere atque Catholicum, ab Eurico Gothorum Rege Arvernis ac ſex finitimis Aquitaniæ civitatibus *Ducem* eſſe præpoſitum ſive rectorem: qui civitatem Arvernorum ubi IX. annis cum imperio moratus eſt, ampliare voluerit, cryptis etiam ad Baſilicam S. Juliani ædificatis, & columnas advehendas, ac in æde ejus Martyris ponendas curaverit. At Fredegarius Eurico Regi Veſigothorum Ariano perperam tribuit, quod Victorio Duci ejus Catholico attribuendum fuit, & de Brivatenſi Baſilica S. Juliani Mart. accepit, quod de Baſilica vel æde ejuſdem S. Juliani in urbe Arvernis accipiendum erat: quam baſilicam Victorius quidem *columnis ornavit*, ſed non (ut addit Fredegarius) *exſtruxit*.

Sirmundus ſcribit, cùm duæ Brivates ſint, vetus & nova, de vetere quidem Brivate loqui Apollinarem Sidonium & ceteros; novam verò nobili Canonicorum collegio claram eſſe: itaut veterem Brivatem tumulo ac Baſilica S. Juliani Mart. inſignem faciat: de quo alii judicent. Nam ut *vetus Rotomagus*, *vetus Maſſilia*, *veteres Pictavi*, cognominati ſunt incertam ob cauſſam, & nonnumquam per jocum vici, qui numquam ſedes fuere Rotomagi, Maſſiliæ & Pictavorum, urbium ſemper ſtabilium atque fixarum, atque ibi primùm conditarum ubi hodieque ſpectantur: ſic *vetus Brivas* caſu aliquo dici potuit, licèt alterâ eſſet recentior. Præterea altera quidem *vetus Brivas* cognominatur; altera *nova Brivas* nuſquam cognominatur, ſed *Brivas ad Eccleſiam*.

A Brivate, ager Brivatenſis vocatur *le Brivadois*, & Præpoſitura Brivatenſis, *la Prevoſté de Brivadois*.

BRIVATES PORTUS.

Ptolemæus ejus loci inter veteres ſolus meminit, quem ponit inter Ligeris & Herii, Ἡρί. fluminum oſtia. Βριυάτης λιμὴν ei dicitur, id eſt *Brivates portus*; vulgò *Breſt*, truncato veteri nomine, ac ſ litterâ inſertâ: *Geſocribate* forſitan in tabula Theodoſiana, mendoſè pro *Geſobribate*. Huicce portui proximus eſt apud Ptolemæum portus, interjacente Herii oſtio, *Vindana*, Οὐινδάνα λιμὴν: qui eſt forſitan *Landevenec*, portus & vicus veteri Abbatiâ inſignis.

BROBURGUS MORINORUM CASTRUM.

Veteres tabulæ ante annos DC. datæ nunc *Broburgum*, nunc *Bruchburch caſtrum*, id eſt Brocburgum ſive lutoſum opidum vocant; quod nos *Bourbourg* appellamus; Flandrenſes *Borborch*, aut ſi quibuſdam credimus *Broëbourg*. Gilbertus de Vita & morte Caroli Comitis Flandriæ *Brodburg* nuncupat & *Brudburg*, id eſt Brodburgum. *Brod* autem & *brud*, non minùs quam *bruch* & *broc*, lutum ſignificat, & à brodio deductum videtur. Unde Broagium quoque à ſitu paluſtri nomen accepit, *Broüage*: & Monſtreletius de cæde Ludovici Aurelianenſium Ducis loquentes ejus filios inducens, *brouet* pro luto uſurpat: uti Flandrenſes *broeë* lutum nominant; & Braium vel Braiotum caſtrum in Pertico, vulgò Noſtris *Brou* dicitur. Idem Gilbertus *Brudgas* Flandriæ opidum nominat, haut dubiè ſicut *Brudburgum* à luto.

BROCARIACUM.

Villam Regiam nomine *Brocariacum* memo-

morant Jonas in Vita Columbani Abbatis Luxovienſis, & Fredegarius in libro v. ac ultimo Chronici, quò Columbanus ad Reginam Brunichildem venerit: qui videtur eſſe vicus *Bourcheteiſe*, inter Cabillonum Regiam Theodorici ac Brunichildis & Auguſtodunum poſitus. Ibidem *Villa Regia Spinſia* vel *Spiſſia*, in qua commorantes Theodoricum ac Brunichildem ejus aviam adiit Columbanus, videtur eſſe *Eſpoiſſe* locus inter Aballonem & Sinemurum.

BROCOMAGUS.

Ammianus Marcellinus in libro xvi. junctim commemorat *Argentoratum*, *Brocomagum*, *Tabernas*, *Saliſonem*, *Nemetas*, *Vangionas*, *Mogontiacum*, *& civitatem Agrippinam*. Ubi editi libri atque etiam veteres codices ſcripti *Brotomagum* habent; ſed priſca membrana uno in loco *Brocomagum* præfert: quod loci antiquum ac ſincerum eſt nomen. Quippe à Claudio Ptolemæo *Breucomagus* vocatur, Βρευκόμαγος: quod idem eſt ac *Brocomagus*, eu in o converſo. In Tabula Peutingeriana *Brocomagus* appellatur, poniturque inter Saletionem & Argentoratum, à Saletione vii. ab Argentorato xii. m. p. diſtans. Æthicus verò *Brocomagum* Argentoratum inter & Concordiam locat: ſed ab Argentorato xx. millia paſſuum abeſſe ait, à Concordia xviii. Vulgò nunc dici *Brumat*, vel *Broumat*, (nam u ou Germani pronuntiant) vel contracto nomine *Brumt* VVelſerus, Cluverius, Simlerus, aliique aſſerunt: ex quibus Simlerus *Bruomadt* ſcribit. His cùm ob ſitum loci, tum ob nominis utriuſque ſimilitudinem libentiſſimè acceſſerim. *Bruochmagat* vocat Chronicon Laureshamenſe, in quo Arnulfus Aug. dicitur *fiſcum proprii juris ſui nominatum* Bruochmagat *in Eliſatia S. Nazario*, id eſt Laureshamenſi Monaſterio *donaviſſe*.

BROMAGUS.

Bromagus in Itinerario Æthici nunc *Vromagus*, nunc *Boromagus*, interdum & *Bramagus* vocatur, & *Bibiſcum* inter ac *Minnodunum* ponitur, à Bibiſco viiii. à Minnoduno millibus paſſuum vi. diſtans. *Viromagus* dicitur in tabula Peutingeriana, prope *Minodunum*. Surita nunc *Romont* appellari aſſerit: cui aſſentiri vix poſſum. Quippe Bromagus, aut Vromagus, Viromagusve haud dubiè eſt *Bro* vicus: à quo lacus Bromagenſis, *lac de* Bro, qui Lemanum ingreditur, nomen accepit. *Romont* vero, Latinis ſcriptoribus *Rotundus mons* nuncupatur, caputque eſt Comitatûs cognominis.

BRUCCIA.

Aimoinus Floriacenſis Monachus in capite xvi. libri i. de miraculis S. Benedicti commemorat *caſtrum Giraldi* Lemovicinæ *urbis Vicecomitis, quod* Brucia *dicitur*. Idem in libri ii. capite v. *Brucciam* vocat. *Ademarus* (inquit) *filius Vuidonis in urbe* Lemovicina *Vicecomitis, caſtrum quod à ruſticanis* Bruccia *dicitur ingreſſus, dominum ſe agebat*. Ibidem Bruccia *firmiſſimum præſidium* nuncupat. *Pruciam* aliquando dictam invenio, atque hoc nomen apud Auctores non obſcuros reperire memini. Nunc nominatur *Broſſe*, & pagus circumjacens, ac ſilva loco proxima eadem appellatione cenſentur.

Hoc caſtellum cum pago à ſilva cognomine nomen videtur accepiſſe. *Brucia* enim ſeu *broſſa* ſilvam olim linguà Gallicà ſignificabat. Unde hodieque *broſſare* Noſtris eſt ſilvas perluſtrare ac penetrare; & broſſaliæ *brouſſailles* ſunt loca denſis & non altis virgultis impedita: & non pauci vici in Galliis *Brucia* ſunt cognominati, *les Broſſes*, & *la Broce*, quòd in ſilvis, aut ad ſilvas ſiti eſſent: ſicut Nemus opidum Senonum à ſilva Bieria nomen invenit, & quædam loca à broliis *Brolia* ſunt dicta, *Breuil*. Eſt autem brolium ſilva parietibus ſæpta, quâ diverſi generis animalia clauduntur.

BRUCSELLA.

Brucſella opidum olim fuit ad Camaracenſem diœceſim pertinens, poſitum ad Sennam flumen. Litteræ Baldrici datæ anno mxlvii nunc *Brucſellam*, nunc *Brucſellas* vocant. Litteræ Lietberti Camaracenſis Epiſcopi datæ anno mlxxviii. *Brucſellam* quoque appellant, & *Eccleſiæ Brucſellenſis* in monte ſtructæ, S. Gudilæ Virginis Reliquias ſervantis, ac *Brucſellenſis moneta* mentionem faciunt. Recentiores *Bruſſellam* ac demum *Bruxellam* corrupto nomine dixere. Noſtri *Bruſſelles* vocant, Germani *Bruſſell*. Ibi inſulam efficit *Senna*, vulgò dictus *Senna* fluvius, *Senne*, quem Demera (*Demer*) acceptum defert in Scaldim. Brucſella autem à luto nomen videtur accepiſſe. *Bruc* enim & *Broc* lutum olim ſignificabat. Sic veteres tabulæ anno mcv. & anno mcxxx. datæ opidum quoddam Flandriæ nunc *Broburgum*, nunc *Bruchurgum* & *Bruchburch* nuncupant, hoc eſt opidum lutoſum. *A paludibus Sennæ fluminis Brucſellam appellatam multorum eſt opinio*, inquit Petrus Divæus in capite v. libri i. rerum Brabanticarum.

BRUNICHILDIS CASTRUM.

Eſt in pago Cadurcino *Brunichildis caſtrum*, Vicecomitatûs honore pollens: ubi & cella Monaſterio Moiſacenſi ſubjecta Priorem ſuum habet. Veteres tabulæ monaſterii moiſacenſis vel muſciacenſis *caſtrum Brunichildis* paſſim appellant, propterea quòd à Regina Brunichilde fuit ædificatum: uti ait Antonius Dadinus Altaſerra in libro i. Rerum Aquitanicarum. Fides ſit penes auctorem. Nunc *Bourniquet* caſtrum illud nuncupamus.

BRUZZIÆ.

In libello de Tranſlatione SS. VVandregiſili, Ansberti & VVlframni ex urbe Bononia in montem & monaſterium Blandinium ſub Arnulfo magno anno dcccxliv. capite vii. *Sancta Sanctorum inde levata cum concentu*, Bruzzias *ſunt delata*, *& in baſilica S. Donatiani depoſita. Sancti igitur à caſtro Bruzzienſi devecti, prætergreſſo Monaſterio Truncinenſi, trans flu-*

men Legiam ſunt evecti. Latare ergo Liſtrogangium, (id eſt page Letice vel ad flumen Legiam) *& univerſum Gandenſe patrimonium*, &c. *Bruzzia* & *caſtrum Bruzzienſe* ſupra dicuntur auctori æquali, quæ *Eruga* Sugerio in Vita Ludovici Craſſi; *Brugia* VVillelmo Brittoni in libro IX. *Brugia* Rigordo, nunc *Bruga* Latinis ſcriptoribus; *Bruges* Noſtris, *Brugge* Flandrenſibus, z in g mutato. Sic *Blanziacum* in Vita Bertæ vocatur, quod aliàs Blangiacum, *Blangy en Ternois*: ſic *Virziaum* & *Verziacum* non rariùs dictum, quàm *Vergeium* & *Vergiacum*, *Vergy*. Gilbertus in libro de Vita & morte Caroli Comitis Flandriæ nunc *Brudgas*, nunc *Bruggas* appellat à *brud*, quod lutum ſignificat. Idem *in exitu caſtri apud Harenas conveniſſe* Brudgenſes ſcribit, atque reverſos eſſe *apud Harenas, & ſuper feretrum S. Donatiani iuraviſſe Comitem*. Ex quibus intelligitur Amphitheatrum olim fuiſſe ad portam caſtri Bruzzienſis, aut certè extra muros, argumentum vetuſtatis & magnitudinis ac nobilitatis loci. Amphitheatrum enim Galli nominibus areæ in qua certabatur nunc *Arenas*, nunc *Caveam* appellitavere. Alibi obſervo Bruzzias vel Brugas ab Audoëno in Vita S. Eligii *Flandrenſe municipium* & *Flandras* dici, & ab eo loco regionem Flandram aut Flandriam nomen accepiſſe. Olim, ut & Ganda, diœceſi Turnacenſi attribuebatur: nunc, ut Ganda, ſedes Epiſcopatûs eſt.

B U B L I O.

Bublionem obſervo à Gerberto in epiſtola CXXIX. vocari, quem vulgò *Bulionem* nuncupant, *Bouillon* vel *Buillon* in ſilva Arduenna. Gerberti verba ſunt hæc. *Rediit ergo uſque Bublionem, uti vobiſcum loqui poſſim.* Godefridus Dux Lotharienſium, qui poſtea Rex Hieroſolymorum fuit, in litteris datis anno D. J. MXCIV. *caſtrum Bulonium* appellavit; *Bullionem* alii meliùs. Caſtrum illud nunc magna ex parte dirutum, caput eſt Ducatus ad Eccleſiam Leodicenſem pertinentis. Rainaldus Remorum Archiepiſcopus *Bullionem*, quod beneficium Eccleſiæ Remenſis erat, Alberoni Leodicenſium Epiſcopo ſucceſſoribuſque ejus certis conditionibus dedit; ut docent ejus litteræ anno MCXXVII. datæ.

BUNDIUM VEL BURNUM.

Hunc locum in Aquitania Normannorum latrocinia nobilitarunt. *De Nordmannia* XIII. *piratica naves egreſſa, tandem in Aquitanico litore proſperis uſa ſucceſſibus, vico quodam qui vocatur Bundium* (aliàs *Buin*) *ad integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reverſa ſunt*: ut ſcribit Eginhardus in rebus anni DCCCXX. Quem *vicum Bundium* in Aquitanico litore vocat Eginhardus in Annalibus, eumdem *vicum Buin* nuncupatum reperio in Vita Imperatoris Ludovici Pii. Anno DCCCXX. *Naves* XIII. *piratica à Nortmannia in Aquitaniam ſeſe verterunt: & vaſtato vico cujus vocabulum* Buin, *multaque onerata prædâ, reverſa ſunt*. In Chronico de Geſtis Normannorum, quod Andreas Cheſnius tomo II. Hiſtoriæ Francicæ ſcriptorum inſeruit, nuncupatur *vicus* Burnad. *Northmanni in Aquitanico litore proſperis uſi ſucceſſibus, vico Burnad depopulato, cum ingenti præda reverſi ſunt ad propria.* Ubi legendum videtur, *vico Burn ad integrum depopulato*. Hæc enim ex Eginhardi Annalibus ſunt deſumta, & ad verbum ferè tranſſcripta. Certè in Annalibus Bertinianis ita ſcriptum reperio. *De Nortmannia* XIII. *piratica naves egreſſa, tandem in Aquit. litore proſperis uſa ſucceſſibus, vico quodam qui vocatur* Burnad *integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reverſa ſunt*. Nemo non videt ibi eſſe emendandum, *vico quodam qui vocatur Burn ad integrum depopulato*: uti legitur ſcriptum in Chronico S. Arnulfi, quod Annales Mettenſes appellant. Ac forſitan & apud Eginhardum & in Vita Ludovici Pii nomen vici emendari convenit, & *Buin* in *Burn* mutari. Quippe vulgò etiamnum vocatur *Born*, vel *S. Paul de Born*, nomenque dedit Præpoſituræ Burnenſi, *la Prevoſte de Born*. Vetus iſte *vicus Burnenſis* poſitus eſt in Medulis trans Garumnam, inter duos fluviolos ſtagnum maritimum, Oceani æſtu augeri ſolitum, ingredientes.

BURBO ERCHENBALDI, ET BURBO ANSELLI, AC PAGUS BURBONENSIS.

Eſt B*urbo* vetus caſtrum in finibus Biturigum, B*urbo Archembaldi* vel *Erchenbaldi* à vetere Domino cognominatum, *Bourbon l'Archambaud*; aliàs B*urbo* ad balnea, *Bourbon les bains*, ab aquis calidis & ſalubribus, quæ ex duobus aut tribus puteis magis quàm fontibus ibi emicant. Ejus meminit Hiſtoricus Pippini Regis æqualis, qui rogatus à Nibelungo Comite V. I. fratre ejus patrueli, res clariſſimi Principis ſcripſit ante annos nongentos: *Anno* DCCLXI. *Pippinus Rex ad Nevernum urbem veniens, Ligeris fluvio tranſmeato, ad caſtrum cujus nomen eſt* Burbone, *in pagum Bitorinũ pervenit; cumque in gyro caſtra poſuiſſet, ſubitò à Francis captus atque ſuccenſus eſt.* In anno DCCLXI. veteres Annales nunc *Burbonem caſtrum*; nunc ſed corruptè *caſtellum Burbonnis* & *Burbonnes*; Eginhardus *caſtellum Burbonis*; *Burbonem* Annales Fuldenſes appellant; Annales Mettenſes *caſtrum cui nomen eſt Burbone in pago Biturico*. Geſta Conſulum Andegavenſium, & Geſta Dominorum Ambacienſium *Borbonem*, & *Borbonum* etiam vocant; Petrus Eccleſiæ Bituricæ Archiepiſcopus in epiſtola ad Ludovicum Francorum Regem, & auctor Geſtorum Ludovici VII. Francorum Regis *Borbonium*: ut pro *Rancone Ranconium*, pro *Alentione Alenconium* ſæpe dici reperias. Certè illis *Erchenbaudus de Borbone*, & *Archambaudus de Borbone*, ac *Archenbaldus Fortis de Borbono*; his *Archimbaudus de Borbonio*, & *Archambaudus de Borbonio* nuncupatur. Inter Nobiles pagi Biturici *Archenbaudus Princeps Borbonenſis* memoratur in litteris anno MXII. datis. Sugerius de Vita Ludovici Craſſi *Nobilem Baronem Haimonem, Variam Vaccam cognomine, Burbonenſem dominum, in partibus Bituricenſium* commemorat: *Comitiſſam Borbonum* Cadurcus in litteris ad Rotrocum Comitem Perticenſem.

Eſt & alter B*urbo* cognominatus *Anſelli*, ab Anſello ejus Domino, *Bourbon l'Anſi*, poſitus ad dextram Ligeris ripam in Æduis diœceſi-

que Auguſtodunenſi, & Ducatu Burgundiæ, & ipſe aquis quoque ſuis calidis ac medicis notus, ſed priore minùs. Hildebertus Cenomanorum Epiſcopus in Vita Hugonis Abbatis Cluniacenſis *Borbonem* vocat. *Borbons* (inquit) *cùm per* VI. *menſes quartana ſuſtinuiſſet incendia.* R. Senonenſis Abbas B. Johannis Evangeliſtæ *Bulbonem* vel *Bulbonenſe opidum* nuncupat in epiſtola ad *Priorem Cluniacenſis cellæ*; & ad *Principes* (id eſt, Primores) *ac Milites, & univerſos indigenas Bulbonenſis opidi*: in qua de Urſone, regulari Canonico, ordine Diacono, ægrotante ita refert. *Suggeſtum eſt ei à nonnullis, balnea quæ apud vos ſunt, illi ſummoperè profutura. Eapropter ad balnea ipſa feſtinare diſpoſuit, & ibidem quantum ſat erit immorari.* Quod ne quis de Burbone Anſelli, in Auguſtodunenſi Æduorum diœceſi poſito, dictum inficietur, ſcire convenit inter cellas Cluniacenſes ſive *Prioratus* ad Cluniacum pertinentes a Paſchale Papa anno MCIX. S. *Nazarium Borbonenſem* numerari; à Ludovico Rege Francorum in litteris anno MCXIX. datis *Borbonium. Prioratus* autem *SS. Mart. Nazarii & Celſi prope caſtrum Borbonem in Æduenſi* (id eſt in Auguſtodunenſi) *diœceſi* eſſe docet Polyptychon Cluniacenſe, ſeu catalogus Monaſteriorum Cluniaco ſubjectorum: qui ſitus & diœceſis Burboni Anſelli conveniunt, non conveniunt Burboni Archembaldi, qui ſitus eſt in pago Biturico. Ex quo intelligitur Burbonem Anſelli ante annos ampliùs quingentos aquis & balneis ſuis clarum ac nobilem exſtitiſſe: qui *Bulbo* ſuprà dicitur r in l converſo, ſicut ex peregrino pelerinum fecere Noſtri.

In tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana utriuſque Burbonis fieri mentionem Builſonius exiſtimabat, amicus quondam noſter, Geographiæ peritiſſimus ac itinerum Romanorum, in qua hæc leguntur. *Aquis Niſincii, Boxum, Aquis Bormonis.* Heic *Aquas Niſincii*, aliàs *Niſineii* eſſe *Bourbon l'Ancy* arbitrabatur; *Aquas Bormonis*, aut *Aquas Bormonas*, eſſe *Bourbon les Bains*, ſive *Bourbon l'Archambaud*: quæ probabilis eſt conjectura: quam ſi admittimus, *Aquis Borbonis* quàm *Bormonis* legi emendative malim, & ex *Borvone Burbonem Borbonemve* poſtea factum eſſe exiſtimem. Quamquam non diſplicet mihi opinio, utriuſque *Burbonis* nomen à *burbis*, id eſt ab aquis lutoſis, quas *bourbes* vocitant Noſtri, deduci jubentium: ſicut *Burbuncia* vel *Burbincia*, qui & *Burbontius* dicitur, vulgò *la Brebence*, aut *la Brebince*, à burba nomen accepit. Nam Olivarius de Marchia inſanit, qui *Bourbon* non à veteri nomine, quod eſt *Burbo*, ſed à *Burgo bono* deducit, tamquam *Bourbon* dicatur pro *Bourgbon*.

Burbo Erchenbaldi nomen dedit pago Ducatuique Burbonenſi: qui pagus eſt non antiquus, & primò Burbonem ſolummodo, Muratum, (*Murat*) Cantiliamque continebat; ſed pòſt Biturigibus Cubis, Arvernis, Nivernenſibus, & Forenſibus Seguſianis, finitimis ſuis multa detraxit, auctuſque eſt detrimento vicinorum: & nunc in IV. parœciis eſt poſitus, in Auguſtodunenſi & Nivernenſi Æduorum, in Biturica Biturigum Cuborum, & in Claromontenſi Arvernorum. Pars pagi Burbonenſis recentior, inter Ligerim & Elaver flumina jacens, quæ Molinas ipſas nunc caput pagi continet, ad Epiſcopatum Auguſtodunenſem pertinet, Æduiſve adſcribitur. Quare rectè Coquillius obſervavit, Boios quibus Ædui agros dederunt, hos unos & ſolos eſſe Burbonenſes, qui Ligerim inter & Elaver ſedes habent. Pars autem vetuſtiſſima pagi Burbonenſis, cujus caput fuit caſtrum Burbo Erchembaldi, eique nomen dedit, erat (ut eſt hodieque) una cum Burbone ipſo in pago Biturico, ſicuti ſuprà docuimus, & Eccleſiæ Bituricæ finibus continebatur. Ab eo Burbone nobiliſſima familia Burbonenſis appellationem traxit: ex qua familia tertium jam Principem habemus, Ludovicum Adeodatum, Francis feliciter imperantem, & cùm victoriis tum eximiis virtutibus ſuis toto terrarum orbe illuſtrem, fautorem liberalium artium, litterarum reſtitutorem.

BURCINATIUM.

Æthicus in Itinerario provinciarum inter Caſtra-Ulpia & Arenatium *Burcinatium* ponit, ubi *legionis* VI. *ala* in præſidio erat: & in itinere à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum, *Harenatium* inter & *Coloniam Traianam* ſeu Caſtra-Ulpia *Burginatium* ſimiliter collocat, ab Harenatio millibus paſſuum VI. à Colonia Traiana V. diſtans. Auctor eſt Simlerus, in priſcis codicibus pro *Burginatio Burcinatium*, & nonnumquam corrupto nomine *Burtinatium* ſcriptum reperiri. Tabula Theodoſiana *Burginatium* quoque vocat, quod idem eſt ac *Burcinatium*, & inter Arenatium ac Coloniam Traianam illud ſimiliter ponit, ab Arenatio V. à Colonia Traiana XL. ſive potiùs IV. millibus.

Cluverius putat *Burcinatium* vel *Burginatium* alio nomine *Quadriburgium* dictum eſſe à IV. turribus, quaſi *Quadripyrgium* aut τετράπυργον, atque ita ab Ammiano appellari in libro XVIII. cujus hæc verba ſunt, *Caſtra Herculis, Quadriburgium, Tricenſima* (vel *Triceſima*) *Niveſio, Bonna.* Simlerus Burcinatium *Kraneburg* exponit vel *Cranenburg*, qui eſt locus ad Rhenum nondum in duo brachia diviſum. Ego Burcinatium *Burnet* aut *Burnet* eſſe malim, Noveſio ac Berca (*Berck*) vicinum locum ad Rhenum; Quadriburgium autem eſſe *Kraneburg* aut *Cranenburg*. Aubertus Miræus Quadriburgium quidem *Quattdratt* interpretatur, vicum inter Coloniam Agrippinam & Juliacum, & caſtra Herculis *Erkelens* Geldriæ opidum; Burginatium vero *Cranenburg*.

BURDEMONS.

Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis caſtrum *Burdemontem* memorat ante annos D. his verbis. *Per idem tempus in finibus illis*, (Claræ Vallis Monaſterij) *apud caſtrum quod vocant Burdemontem*, &c. Vulgò dicitur *Bourlemont*, d in l mutato, ut cicada Noſtris eſt *cigale*, cauda Hiſpanis *cola*. Hoc caſtrum nobili familiæ Burdemontiorum originem ac nomen ſuum dedit.

BURGARACUM.

In Notitia Imperii Rom. inter legiones Pſeudocomi-

docomitatenſes Orientis IX. tertium locum obtinent *Bugaracenſes*, VI. *Mettenſes*, id eſt Mediomatrici. In veteri inſcriptione nummi apud Goltzium reperitur *Comes auxiliariorum Burgaracenſium*. *Burgaracum* autem vel *Bugaracum*, à quo *Bugaracenſes* vel *Burgaracenſes* cognominati ſunt, haud dubiè eſt *Bacharach* *Bacharach* Noſtri, Germani *Bachrak* appellant caſtellum aut municipium, vino Rhenenſi nobile, ad Rhenum inter Mogontiacum & Bingium poſitum: quod Siffridus in Chronico ad annum MCCXXCVII. *opidum Bacheracenſe* appellat.

BURGULIUM.

Burgulium vel *Burgolium*, *Bourgueuil*, nobile eſt Monaſterium in Andicavis ad amniculum Cambionem. Baldricus ejus loci Abbas *Burgulium* nuncupare conſuevit, in primis in carmine ad Gerardum Lauſdunenſem.

Burgulius locus eſt, & Cambio dicitur amnis,
Flumine perpetuo qui vitreus irrigat hortos.

In litteris Alexandri Papæ III. *Burgulienſis Eccleſia* nuncupatur, ut & in epiſtola Ulgerii Andicavenſis Epiſcopi ad Suggerium Abbatem Monaſterii S. Dionyſii his verbis. *Nobilis Burgulienſis Eccleſia, quæ in noſtro Epiſcopatu ſita eſt, in prædio & jure Ducis Aquitanorum ſedens, & fundata eſſe & ſubnixa ferè ſolis largitionibus Ducum Aquitanorum conſtantiſſimè dignoſcitur.* Scilicet *fecit Dux Aquitaniæ VVillelmus e novo cœnobium* Borgolienſe *in ceſpite Andegavenſi in fundo proprio, unà cum matre ſua Adala, ſorore Richardi Comitis Rotomagenſis:* uti alibi legimus.

BURGUNDIA, ET DE UTROQUE REGNO BURGUNDIÆ, DE SUPERIORE ET INFERIORE BURGUNDIA, ET DE REGNO ARELATENSI.

Burgundiones, qui & *Burgundii*, Gens Germanica Alamannis olim confinis, in Galliis principatu Honorii ſedes cepere, ac paullatim fines proferendo, tenuere ibi demum Lugdunenſem primam, Sequanos, partem maximam provinciæ Viennenſis, Alpes Peninas & Graias, atque Metropolim Alpium Maritimarũ Ebrodunum; Narbonenſis II. urbes Aptam, Vapincum, & Seguſteronem; in provincia Lugdunenſi quarta vel Senonia Nivernum: quæ pars Galliæ *Burgundia* ab Gente cognominata eſt, & ita apud Senatorem in libri I. Variarum epiſtola ultima, ita à Gregorio ceteriſque nuncupatur. Igitur ut ex Synodo Epaonenſi Agapeto Conſule anno Chriſti DXVII. habita & ex Hiſtoria noſtra diſcimus, Regnum Burgundiæ continebat XXVIII. circiter civitates, nimirum Metropolim Lugdunum, Auguſtodunum, civitatem Lingonum, Cabillonum & Matiſconem: Veſontionem metropolim provinciæ Sequanorum, Aventicum, Vindoniſſam, Baſiliam, & Belicam: Viennam metropolim provinciæ Viennenſis, Genevam, Gratianopolim, Albam Helviorum vel Vivarium, Deam Vocontiorum, Valentiam, Auguſtam Tricaſtinorum, Vaſionem, Arauſionem, Cabellionem, Carpentoracte: metropolim provinciæ Alpium Graiarum & Peninarum, civitatem Centronum Darantaſiam, & Octodurum Vallenſium: metropolim Alpium maritimarum Ebrodunum; & quas ſupra diximus, Narbonenſis ſecundæ urbes tres, Aptam, Vapincum, Seguſteronem; in Senonia Nivernum. Poſtea Burgundiam, ſed jam aliquot urbibus ſub Sigimundo & Godomaro à Francis Gothiſque truncatam, Childebertus & Chlotharius Francorum Reges ſubegere. Mortuo Chlothario, uni è IV. ejus filiis Guntchramno ſors non tota obvenit Chlodomeris patrui, cujus caput Aureliani erant, cum tota Burgundia; à qua *Rex Burgundiæ* ſæpe appellatur: & *Burgundionum* nomine ſæpe omnes ditioni ejus ſubjecti deſignantur, Franci cum Burgundionibus, & Galli. Quidquid Guntchramno paruerat, totum ferè *Burgundia* dictum eſt à Noſtris, & uſque ad Theodoricum Chlodovei junioris filium Burgundiæ Regno ac Regibus Merovingis eſt attributum. Tenuerat autem Guntchramnus qui primus è Francis *Rex Burgundiæ* eſt vocitatus, non Burgundiam modò ſedem Burgundionum, ſed unà etiam Regni Aurelianenſis, atque adeò poſt Chariberti fratris obitum Regni Pariſiaci in Gallia Lugdunenſi & Aquitania non minimam partem cum Provincia Arelatenſi: quæ omnes regiones ſimul junctæ, exceptà Aquitanià & Provincià, ex nomine majoris partis nimirum Burgundiæ appellationem traxerunt: ut in libris XVI. & XX. Rerum Francicarum obſervavimus.

Regnantibus apud Francos Merovei poſteris, Francia in tria Regna dividebatur, videlicet in Neuſtriam, Auſtriam, atque *Burgundiam*: uti docet brevis Appendix Chronici Marii, ab auctore Chlotharii junioris æquali ante annos MXLV. compoſita, Vita Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi, Geſta Francorum, atque ipſe Fredegarius. Sed poſtquam Chlotharius minor filium ſuum Dagobertum Regem Auſtraſiorum fecit, Neuſtriam ſecuta *Burgundia* eſt, & ab uno Principe utrumque Regnum ſimul obtinebatur; propterea quòd Neuſtriam atque Burgundiam junctas latitudine regionum & multitudine hominum Auſtria æquabat.

Poſtea Carolus, Lotharii Aug. filiorum minimus, Burgundiæ maximam partem ac Provinciam anno DCCCLV. obtinuit, ac Lugdunum pro Regia habuit.

Boſo anno DCCCLXXIX. faventibus Viennenſi, Lugdunenſi, Darantaſienſi, Aquenſi, Arelatenſi, & Veſontionenſi Archiepiſcopis, & XVII. Epiſcopis, qui plerique de Burgundia erant, regnum in Burgundiæ partibus occupavit: & ejus filius Ludovicus anno DCCCXC. à IV. Archiepiſcopis, Lugdunenſi, Arelatenſi, Ebrodunenſi ac Viennenſi, multiſque Coëpiſcopis Rex electus atque unctus eſt. Paullo antè, nimirum anno DCCCLXXXVIII. Rodulfus, Chuonradi filius, provinciam inter Juram montem & Alpes Peninas occupavit, & accitis nonnullis Sacerdotibus ac Primoribus, coronam ſibi apud Acaunum impoſuit, Regemque appellari ſe juſſit, ut Regino & Annales Mettenſes tradunt. Hoc Regnum exiguum Annales

Fuldenſes *ſuperiorem Burgundiam*; quidam *Tranſiurenſem Burgundiam*; *Ciſalpinam Galliam* magnifico nomine Frodoardus; Conſtantinus Porphyrogennetus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Sigebertus, aliique *Burgundiam* appellant impropriè admodum, cùm tantùm portio eſſet exigua Burgundiæ. In eo regno erant VVinterturum, Acaunum, Novusburgus, *Nuenburg* Hermanno dictus, Murtena *Moras*, & urbes ac caſtella ad Lemanum lacum, item Octodurum, Salodurum, Aventicum, Seduni, Lauſana ad Lemanum, Geneva, Belica, atque etiam Lugdunum. Mathildis enim Ludovici Transmarini filia, Lotharii Regis Francorum ſoror, cùm Conrado Regi Jurenſi nuberet, pro dote Lugdunum cum pago Lugdunenſi habuit, à Lothario fratre ſibi in dotem datum, ut docet Chronicon Monaſterii S. Benigni. Caſtellum etiam quod Mons Piligardæ Hermanno dicitur, vulgò *Monthelgart*, Noſtris *Montbeliart*, eſtque trans Juram in Sequanis, huic regno contribuebatur: quemadmodum ex Hiſtoricis noſtris veteribus diſcimus. Ex quo intelligitur Rodulforum Regnum, quod Jura & Alpibus Penninis claudit Regino, latiùs patuiſſe, & in Sequanis Juram inter ac Vogeſum, in Allobrogibus ac in Seguſianis opida ac urbes habuiſſe. Rodulfus Rex Glorioſiſſimus in litteris datis Anſâ villâ Indictione III. anno DCCCCXCVII. *res ſitas in Comitatu Matiſcenſi*, in primis partem piſcinæ Oſæ, quæ Cluniaco Monaſterio donatæ erant, confirmat. Idem aliis litteris datis anno J. D. MXIX. regni XXXI. *Eccleſiam S. Blaſii in viculis, in pago & in Comitatu Genevenſe ſitam, Cluniacenſibus Fratribus* confert. Amedeus Comes, filius Humberti Comitis & Ancilliæ, & uxor ejus Adelaidis Eccleſiam S. Mauricii ſitam in pago Multacena dedere Cluniaco, permiſſu Malenii Epiſcopi Gratianopolitani: quorum in litteris hæc legimus. *Hanc donationem fecerunt, & chartam iſtam fieri juſſerũt, & in Curia Regis firmari rogaverunt. Signum Rodulfi Regis, regnante Rodulfo anno* XXXVII. Ex his apparet non Genevenſem modo pagum vel Comitatum, verùm etiam Comitatum Matiſconenſem ſaltem ex parte, & pagum Gratianopolitanum, ipſamque adeò cum ſua valle Mauriennam, cujus Comites Humbertus & Amedeus exſtiterunt, ad iſtud Regnum pertinuiſſe: quod *Regnum Auſtraſiorum* Glaber Rodulfus falsò appellat, cùm veteris Burgundiæ regni partem contineret, Auſtriæ nullam, quæ mihi ſit nota.

Anno MXXXII. Rodulfus, qui eo nomine tertius in Burgundia ſuperiore regnavit, Ignavus à quibuſdam cognominatus, diadema ſuum ac Regni inſignia Imperatori Conrado moriens miſit: à quo tempore Reges Germaniæ Imperatoreſque ſibi Burgundiam iſtam vindicaverunt, ac pro Imperii membro habuerunt, ſub novo Regni Arelatenſis nomine, quod à Jura monte ad oſtia Rhodani & ad mare Gallicum atque ad Alpes Maritimas longè latéque patere crediderunt, aut omnibus perſuadere voluerunt: cùm tale numquam à Rodulfis Regibus poſſeſſum fuerit, ac ne à prioribus quidem Burgundiæ Regibus, Gundicarii poſteris. Nam nec Provincia Arelatenſis Comitatus, nec maxima ſaltem ex parte Comitatus Burgundiæ Tranſararicæ, quem liberum aut immunem Comitatum vocant, *la Franche-Comté*, ad Reges Rodulfos pertinuit. Certè Rotberto in Francia, & Rodulfo Ignavo in ſuperiore Burgundia regnantibus, ſuus erat Provincialibus Comes & dominus, qui Arelati ſedem habebat: quem Glaber Rodulfus in libri III. capite II. *VVillermum Arelatenſem* appellat, hoc eſt VVillelmum Comitem Arelatenſium ſive Provinciæ; quidam *Ducem Arelatenſem*. Alius fuit & Guillelmus Comes Burgundiæ Tranſararicæ, *Guillelmus cognomine Captivus, Comes Tranſſagonnanus* dictus veteri ſcriptori: quem Rotbertus Rex Ducatu Burgundiæ quem pæne totum occupaverat, armis expulit, & ſuo Comitatu coëgit eſſe contentum.

Mortuo Imperatore Ludovico Pio, inter tres ejus filios Lotharium, Ludovicum & Carolum cognomine Calvum diviſa ſunt Regna Francorum. Lothario cum Imperio Romano & Regno Langobardorum obtigit *Auſtria* cum regione ad Lemanum & ad Alpes Graias, quæ *Regnum Lotharii* paullo pòſt vocari cœpit, & maxima pars Burgundiæ, atque Provincia; Ludovico tota Germania cum Norico ſeu Baioaria Pannoniaque ceſſit; Carolus Franciam ſive Neuſtriam, & Aquitaniam, ac Burgundiæ reliquam minimamque portionem obtinuit, *in qua parte extunc & modò nomen Franciæ remanſit*, ut loquitur Sigebertus. Et Lotharii quidem A. filii tres nullis relictis heredibus deceſſere: Ludovici quoque ambobus pronepotibus, Ludovico & Zuentiboldo Regibus accidit, ut nihil legitimorum liberorum relinquerent. Carolus Caroli Calvi nepos, qui jure proximæ agnationis eorum Regnis ſuccedere, & totius Franciæ imperium ſolus obtinere debuerat, Carolus inquam, & ejus filius Ludovicus, nepoſque Lotharius, bellis civilibus & Optimatium ſuorum crebris defectionibus vexati, Auſtriam ſeu Regnum Lotharii (ne de ceteris Franciciæ ditionis Regnis loquar) numquam recuperare potuerunt. Auſtriâ igitur ſeu Lotharingiâ, quæ olim unum è tribus Francorum Regnis fuerat, ab externis Germaniæ Regibus occupatâ, ejus in locum Aquitania eſt ſubſtituta, & tria Franciæ Regna nihilominùs attributa, *Francia* Occidua ſeu *Neuſtria*, *Burgundia* quamquam admodum imminuta, & *Aquitania*: quæ diviſio jam ſub Carolo Calvo videtur cœpiſſe, & uſque ad Philippi ſaltem I. principatum duravit, ut in Notis in Adalberonis Carmen obſervavimus. Hæc pars Burgundiæ ad Reges noſtros pertinens, *Burgundia inferior* dicebatur: quam *Burgundiam Regiam* vocare poſſumus, ut ſuperiorem *Burgundiam Imperialem* nuncupat Triverus in rebus anni MCCL. Continebat autem Burgundia inferior Lugdunum, quod poſtea Conrado regi ſuperioris Burgundiæ Mathildis dotis nomine detulit, Matiſconem, Cabillonum, Auguſtodunum, urbem Lingonum, Autiſſiodurum quoq; (quam ob cauſſam incertũ) Aballonẽ, Belnum, Divionẽ, Latonam, caſtrum S. Gengulfi, *S. Iangon*, & alia loca. Huic quoque Nivernum accenſeri poteſt ac debet, cùm ad priores Reges Burgundiæ pertinuerit. Hanc Burgundiam in libri V. Chro-

nici capite LVIII. deſignat Fredegarius, quum *Burgundias*, vel *Regnum Burgundiæ* ingreſſum eſſe Dagobertum ſcribit, & *in civitate Lingonis, Divione, Latone, Cabillono, Augustoduno, Autiſſioduro* jus dixiſſe, ac per Senonas Pariſios veniſſe. Portio inferioris Burgundiæ *Ducatus Burgundiæ*, atque etiam nonnumquam *Ducatus Divionenſis* appellabatur: propterea quòd Duces qui eam beneficio Regum Francorum obtinebant, Divione ſedere conſueverant: uti Glaber Rodulfus Duces Normanniæ *Rotomagenſes Duces*; alii Comites Provinciæ *Arelatenſes Comites*; Comites Gothiæ vel Septimaniæ *Toloſæ Comites* à ſuæ quemque provinciæ capite dixere. Comites Campaniæ Gallicæ & Briegii, *Comites Trecarum atque Meldorum*; Comites Hainoi *Comites Montenſes*. Qui ei Burgundiæ imperabat, *Ducem Allobrogum* Guillelmus Britto vocat, non ſemel, cùm Dux Æduorum potiùs vocandus fuerit. Nam Æduos, & Lingonas, ac partem Senonum tenebat; in Allobrogibus trans Rhodanum ſitis Dux Burgundiæ nihil omnino poſſidebat. Hanc ce Burgundiam Regibus Francorũ parentem deſignat Provinciale MS. ante annos CCCC. compoſitũ, quum in Burgundia duos cum ſuis ſuffragantibus Archiepiſcopos collocat, Lugdunenſem & Senonenſem. Conſtat enim totam provinciam Lugdunenſem primam, hoc eſt Lugdunum metropolim cum IV. ſedibus ei ſubjectis, Auguſtoduno, Matiſcone, Cabillono & Lingonis, & ex provincia Senonia ſedes duas Nivernum & Autiſſiodorum inferiori Burgundiæ olim attribui conſueviſſe. Contra Notitia Epiſcopatuum Galliæ, paullo poſt annum MCCCXXII. ſcripta, cum *in Burgundia Archiepiſcopos* duos *Darantaſienſem & Veſontionenſem* ſeu *Biſuntinum* unà cum ſuis ambos ſuffragantibus ponit; *Burgundiæ* nomine partem Sapaudiæ & Sequanos cum Helvetia deſignavit hoc eſt ſuperiorem Burgundiam, Regnum olim Rodulforum. Burgundiam inferiorem, Franciçæ ditionis provinciam, quæ præter cetera Ducatum olim Pariatumque continuit, veteres tabulæ vulgari linguâ confectæ appellant nunc *Borgoine*, nunc *Burgoine*, & *Bourgoine*: uti Conſtantinus Porphyrogennetus Burgundiam ſuperiorem, Regnum Rodulforum, *Bergoniam* nuncupat pro Burgundiam. [illegible] Noſtri nunc *la Bourgogne* vocitant, & ejus ac Comitatenſis Burgundiæ ſuperioris ſive incolas *les Bourguignons* id eſt Burgundiones. Multi *Bourgongne* ſcribunt; & *Bourgongnons*: quos veteres modò *Burgundiones*, modò ſed rariùs *Burgundios* cum Ammiano nuncupant: recentiores ſcriptores Latini *Burgundos* appellare maluere.

Burgundiones ſive *Burgundios* noſtros, qui partem Galliæ occuparunt Regnumque ibi conſtituerunt, Gentem fuiſſe Germanicam, trans Rhenum ſedes habentem; & differre à *Burgundionibus* vel *Burgundiis*, Scythica Gente Tranſdanubiana, apertè oſtendimus in libro I. Rerum Francicarum. Burgundionum nomen à *burgis*, id eſt parvis caſtellis, per limites conſtitutis cum Oroſio, Iſidoro, aliiſque deducere ridiculum eſt. Nam à burgis *Burgiones* dici lex analogiæ jubet.

Ut redeam ad Regnum Arelatenſe, Gervaſius Tiſleberienſis, qui ſe *Regni Arelatenſis Mareſcallum* ipſe appellat, & ante annos CCCCLX. vixit, *civitatem Arelatum caput Regni Burgundiæ* bis nuncupat, & Viennenſem Archiepiſcopum *Regni Cancellarium, Burgundiæque* ſeu Regno Arelatenſi VI. metropoles attribuit, Veſontionem, Viennam, Darantaſiam, Ebrodunum, Aquas Sextias, Arelatum, cum ſedibus cuique ſubjectis. Idem facit Notitia Epiſcopatuum Galliæ, Gervaſio ſuppar, & in Burgundia ſex metropoles ponit: itaut Burgundia XXXVI. civitates, & Sequanos cum Helvetia, Sapaudiam & quem Dalfinatum vocamus, ac Provinciam complexa ſit. Ubi miror Lugdunum prætermitti, quod poſteriores Burgundiæ Reges duo tenuerunt, & quod propterea Imperatores tamquam membrum Regni ad ipſos pertinentis ſibi diu vindicaverunt, uti litteræ eorum aliquot docent. Suffragabantur autem Veſontioni Baſilia, Lauſana, Belica; Viennæ Valentia, Vivaris, Dea, Gratianopolis, Maurienna, Geneva; Darantaſiæ Seduni & Auguſta; Ebróduno Dinia, Nicæa, Antipolis, pro qua nunc Graſſa, Glannateva, Sanitium, Vintium; Aquis Sextiis Apta, Reii, Forum Julii, Vapincus, Segustero; Arelatũ pro metropoli tum agnoſcebant Maſſilia, Avenio, Arauſio, Vaſio, Cabellio, Tricaſtini, Carpentoracte, Telo: Ex quibus Avenio poſtea in metropolim evectus eſt, & civitates Vaſio, Cabellio, ac Carpentoracte ei attributæ. Hoc igitur Regnum, ſive *Burgundia*, ſive *Regnum Arelatenſe* dicatur, planè imaginarium fuit, cùm quale quantumque ſuprà deſcriptum eſt, à nemine umquam poſſeſſum ſit. Nam priores quidem Burgundiæ Reges, qui ab Chlodovei filiis ſunt debellati, Veſontionem, Viennam, Darantaſiam & Ebrodunum metropoles, cum Lugduno totaque provincia Lugdunenſi prima obtinuerunt: Arelatum & Aquas Sextias metropoles, ex provincia Arelatenſi Maſſiliam, Avenionem, & Telonem Martium; ex Alpibus Maritimis Diniam, Nicæam, Antipolim, Glannatevam, Sanitium & Vintium; de provincia Aquenſi Reios & Forum Julii non obtinuerunt. Regnum Rodulforum, poſteriorum Burgundiæ Regum, exiguum admodum fuit, & paucularum civitatum, ac unius aut alterius metropoleos, ſicuti ſuprà oſtendimus. Jam Rex Carolus, Lotharii Aug. filius Genevam, Lauſanam, & Sedunos non habuit, ac ne Belicam quidem & Darantaſiam, quas ambas civitates poſtea à Rege Lothario fratre ſuo accepit: ut Annales Bertiniani docent. At Boſoni Regi ſex quidem metropoles paruere, Vienna, Lugdunum, Darantaſia, Aquæ, Arelatum & Veſontio, ac XV. civitates eis ſuffragantes, & duæ civitates Septimaniæ ſeu provinciæ Narbonenſis primæ, Agatha ac Ucetia: at Ebrodunum cum VI. ſedibus ad ipſum pertinentibus ei non paruit: & cùm Arelatenſis Regni XXXVI. civitates numerentur, Boſonis Regni vix fuere XXIII. de quibus Matiſconem & Viennam paullo poſt amiſit. Ludovico, Boſonis filio ac ſucceſſori metropolitani adhæſere non ampliùs quatuor, Lugdunenſis, Arelatenſis, Ebrodunenſis, & Viennenſis, cum compluribus Coëpiſcopis, ſed non omnibus: Veſontio &

Darantaſia ei Principi non parebant, cùm ambarum civitatum Archiepiſcopi ejus electioni unctionique non interfuerint. Apparet igitur, quod jam non ſemel diximus, Regnum iſtud A-relatenſe XXXVI. civitatum, falſum, imaginarium, chimæricum, atq; a Germanis ſcriptoribus fictum, & nulli umquam Regi fuiſſe poſſeſſum. Certè Guntherus in libro V. Burgundiam à Baſilea ad oſtia Rhodani patere ait, caputque & ſedem veteris Regni Arelatum fuiſſe, uſque ad Rodulfi mortem: ſed IV. tantùm ei metropoles attribuit, *Chryſopolim*, id eſt Veſontionem, *Lugdunum*, *Viennam* & *Arelatum*. Ex quo intelligitur ne ipſis quidem Germanis ſcriptoribus Regnum Arelatenſe bene notum fuiſſe. Vindicaverunt quidem ſibi nullo jure Regnum Arelatenſe Imperatores Regeſque Germaniæ poſt Rodulfi ignavi obitum: ſed maxima ex parte illud obtinere non potuerunt, nec quidquam ibi præter inane nomen *Imperii* in Dal-ſinatu Provinciaque reliquerunt.

BURUNCUS.

Æthicus in Itinerario inter Durnomagum & Noveſium *Burungum* ponit, ubi *legionis VII. ala* in præſidio eſſet. Codices veteres *Burunco* & *Buruncum*, ſcriptum habent, ut Hieronymus Sulita teſtatur. Joſias Simlerus *Burich* nunc dici vel *Burick* aſſerit, atque eſſe vicum proximum Noveſio. At Cluverius *Wurungen* appellari ait, & eſſe opidum Coloniam inter & Noveſium poſitum: cujus ſententiæ libenter accedo.

BUXUDE.

Ad *Hagnam* fluvium, qui & *Haina* vocatur in litteris Balduini Flandriæ Comitis anno MCXCVII. datis, eſt *caſtellum Buxude*, cujus Bal-dericus mentionem fecit in Chronico. Sigebertus ait Raginerum & Lambertum anno DCCCCLXXIII. *ſuper Hagnam fluvium caſtello Buxude munito, Lotharingiam infeſtâſſe*; & inſequenti anno *Ottonem Imperatorem caſtellum Buxudis obſediſſe, captumque diruiſſe* memoriæ tradidit. Hoc caſtrum Hainoi, nunc *Rodius* Comitivæ titulo inſigne A. Miræus interpretatur: nunc *Bouſois* eſſe contendit.

C

CABARETUM.

CHRONICON Simonis Comitis Montisfortis, ab anno Dom. MCCI. ad annum MCCCXI. deductum, cujus auctor Petrus Luteuenſis Epiſcopus à quibuſdam creditur, memorat Petrum Rogerii *Dominum Cabareti, quod eſt caſtrum fortiſſimum in Carcaſeſio*: memorat & eo vetuſtior Petrus in Hiſtoriæ Albigenſis capite XXXIV. & LXI. Vulgò *Cabarede* dicitur, & ager Cabaretenſis *le Cabardes*, à quo cognomen accepit Manſus Cabaretenſis, *le Mas de Cabardes*.

Eſt & Gabarretum, *Gabarret*, caput pagi Gabarretani, *le Gabardan*, inter Eluſam & Vaſatas poſiti in Novempopulana: quod cum *Cabareto* noſtro, caſtro in Septimania vel Gothia, nihil præter nomen nunc commune habet, & ante annos quingentos *Gavarritum*; ager cujus caput erat, *pagus Gavarritanus* & *Vicecomitatus Gavarritanus* vocabatur. Hoc me docet Gaufredus Burdigalenſis Archiepiſcopus in epiſtola ad Sugerium Abbatem S. Dionyſii. *Noveritis nos apud Menuſanum, ubi Auſcitanus Archiepiſcopus, & fere omnes Epiſcopi & Proceres totius Guaſconiæ convenerant, Gavarritanum Vicecomitem conveniſſe ſuper infeſtatione terræ Domini Regis ab ipſo & à ſuis.*

CABELLIO COLONIA.

Quam urbem Narbonenſis Galliæ Strabo *Caballionem urbem Cavarum*, Καβαλλίωνα πόλιν Καουάρων, nec non Καβελλίωνα vocavit; tabula Peutingeriana ſimiliter *Caballionem* nuncupat inter Aptam Juliam & Clanum; quædam Notitiæ *civitatem Caballicorum*, item *Cavallicorum*. Inter *opida Latina* ſeu jure Latii veteris donata numeratur à Plinio *Cabellio* præ ceteris in Narbonenſi provincia: cùm *Cabellio colonia*, Καβελλίων κολώνια in Cavaribus appelletur à Ptolemæo: ſicut Aquis Sextiis, Avenioni & Aptæ Juliæ video accidiſſe, quas urbes Plinius *opida Latina*, Ptolemæus & vetera marmora *Colonias* vocant. Æthicus in itinere à Mediolano Arelate per Alpes Cottias inter Aptam Juliam & Clanum ſeu Glanum *Cabellionem* collocat, ab Apta Iulia XXXI. à Clano XVI. millibus diſtantem, ab Arelate XXX. aut XXXV. quam & *Cavellionem* appellat. A Stephano Artemidorum ſecuto *Cabellio urbs Maſſiliæ*, Καβελλίων πόλις Μασσαλίας nuncupatur, quemadmodum & Avenio: quæ urbes ambæ ſunt Cavarum. Ut appareat partem magnam Cavarum; Cabellionemque & Avenionem Maſſilienſium regioni olim attributas fuiſſe.

Veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ inter provinciæ Viennenſis XIV. civitates decimo loco ponunt *civitatem Cabellicorum* vel *Cavelicorum*: quam & nonnumquam *civitatem Caballicorum* & *Cavallicorum* vocant. Robertus in Arelatenſi provincia *Cavellicum* VII. loco collocat. Gervaſius & quædam Notitiæ recentiores *Cabellicenſem* vel *Cavellicenſem* Epiſcopum quintum numerant inter Antiſtites Arelatenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffraganṫes; nonnullæ tertium, quem & *Cavallicenſem* vocant; Provinciales *Cavaillon*. Urbs eſt monti Druentiæ proximo impoſita, quæ nunc Avenioni novæ metropoli paret.

Epaonenſi Concilio *Philagrius Epiſcopus civitatis Cabellicæ* interfuit; Concilio Aurelianenſi V. Optatus miſſus *à Prætextato Epiſcopo Eccleſiæ Cabellicæ*; Conciliis Arelatenſi V. & Pariſienſi II. idem *Prætextatus Epiſcopus Eccleſiæ Cavellicæ*; Matiſconenſi II. Concilio *Veranus Epiſcopus Eccleſiæ Cabellicorum*. *Cabellicos* autem & *Cabellicenſes* à Cabellione veteres dixere, ut *Avennicos* ab Avenione, *Vaſienſes* & *Vaſenſes* à Vaſione, *Veſontienſes* à Veſontione, *Arauſicos* ab Arauſione: cùm Avenionenſes, Vaſionenſes, Veſontionenſes, Arauſionenſes, & Cabellionenſes dici lex analogiæ juberet.

CABILONNUM.

Cæſar *Cabilonnum* in Æduis ad Ararim memorat in libro VII. Commentariorum, vulgò *Chalon*, ubi negotiandi cauſſâ Romani conſiſtebant: quod & Fredegarius *Cabilonnum* ſemper appellat in libro ultimo Chronici. In veteribus nummis Regum noſtrorum à Meroveo genus deducentium plerumque & *Cabilonnum* vocatur his verbis. *Cabilonno fit*: in quodam nomiſmate *Cavillonnum*, b in v ex more mutato: in alio *Cabillonnum*. Quibus ex nummis apparet, ibi monetam fuiſſe. In Itinerario Æthici *Capilunnum* quoque dicitur: ut eſt ſumma litterarum p & b affinitas, & o ac u invicem permutari ſolent: quamquam aliqui codices *Cabilumnum* præferunt, quod idem eſt, interdum & *Cavilunnum*.

Non aliam urbem reperias, cujus nomen pejus acceptum, aut à variis ſcriptoribus ſæpius magiſque mutatum fuerit, vel ſi mavis etiam corruptum. Strabo *Cavillinum* nuncupat, *urbem Æduorum*, meliùs facturus ſi Cabillynum, id eſt Cabillunum nuncupaviſſet. Μεταξὺ τοῦ Δούβιος καὶ τοῦ Ἄραρος οἰκεῖ τὸ τῶν Αἰδούων ἔθνος πόλιν ἔχον Καβυλλῖνον ἐπὶ τῷ Ἄραρι. At Ptolemæo vocatur *Caballinum urbs Æduorum*. Αἰδούων πόλις Καβάλλινον: in Notitia Imperii *Caballodunum*, vel (ut in codicibus ſcriptum reperitur) *Cabalodunum*: *in provincia Lugdunenſi* I. ubi *præfectus claſſis Araricæ*, *corpori nautarum Araricorum* in veteri inſcriptione nomen dantis: in duabus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *caſtrum Caballonenſe*, & *caſtrum Cavallonenſe*: Mario *Cabalonnus*: in Geſtis Pippini Francorum Regis *Cavalonnum urbs* & *Cavalonnum*. In tabula Theodoſiana quam ab editore Peutingerianam appellant, *Cabillio* dicitur: à qua *pagus Cabillonenſis* (*le Chalonnois*) in diviſione regni Francici à Carolo Magno facta. Ammiano Marcellino in libro XIV. *Cabillo*, in libro XV. *Cabillonus* eſt; Lugdunenſem primam ornans poſt Lugdunum; Eumenio *Cabillonenſis portus*, ob claſſem Araricam ibi collocatam: Eginhardo quoque in Annalibus nunc *Cabillo civitas*, nunc *Cabillonum*; uti Gregorio Turonico Epiſcopo *Cabillonum* & *Cavillonum*: Ambroſio ſimiliter in epiſtola XXVII. ſeu in relatione legationis ſuæ ad Valentinianum juniorem Aug. *Cabilionum*. Scriptor Vitæ Imper. Ludovici Pii *caſtrum Cabillonum*, nec non *civitatem*, *urbemque* & *oppidum* nuncupat; Nithardus etiam in libro I. *Cavillonum*. In Codice Theodoſiano legimus reſcriptum Imper. Conſtantini Aug. ad Catullinum datum XII. Kal. April. *Cabiluno*, Conſtantino A. IV. & Licinio A. IIII. Coſſ. In Codicis Juſtinianei libro IX. *Cabilunum* vocatur. *Cabellunum* autem ac *Cabilunum*, idem eſt ac *Cabillonum* & *Cabilonum*. In veteri Notitia civitatum Galliæ *caſtrum Cabilonenſe*, in alia *caſtrum Cavilonenſium*, in alia *civitas Cabilonenſis*, in Geſtis Francorum capite XXXV. *Cavelo civitas Burgundiæ*. Hæc fuit Guntchramni & Theodorici Francorum Regum Burgundiam obtinentium ſedes.

CADOMUS.

Cadomus ab Orderico Vitale & à ceteris rerum Normannicarum Francicarumque ſcriptoribus memoratur: quam Britto, & quidam alii ridiculè *Cadomum* quaſi *Caii domum* à Caio Julio Cæſare dictam eſſe putant. Vulgò nuncupatur *Caen*. Urbs eſt clara Baiocaſſium, impoſita fluminis Olinæ, ad ejus & Uldonis (*Ondon*) confluentes: Archidiaconatu Eccleſiæ Baiocaſſinæ, ſtudiis litterarum, ac duobus præcipuè Monaſteriis, altero S. Stephani Protomart. altero SS. Trinitatis, quod eſt ſacrarum Virginum, inſignis. Pons ibi Olinæ ex tribus fornicibus conſtat, qui fluvius X. ab urbe lapide in Oceanum effunditur. In litteris Henrici II. Anglorum Regis *caſtellum Cadomi*, & *Olna* referuntur. Rigordus *Cadumum vicum opulentiſſimum* appellat, aitque eum cum Faleſia caſtro validiſſimo & Domnofronte receptum eſſe ab Philippo Aug. Rege Francorum. *Cadomum* vocat ſimiliter Guillelmus Britto Armoricus *villam opulentam*, & tot Eccleſiis, tot domibus, ac civibus ornatam & cultam,

Ut ſe Pariſio vix annuat eſſe minorem.

Opulentiam autem Cadomo tribuunt Rigordus & Britto cùm ob ſitum, (non enim multum diſtat ab Oceano;) tum ob nundinas ſuas veteres, quas vulgò ferias appellant, quæ hodieque poſt Paſcha clauſum ibi quotannis magna mercatorum cóſluentium unanimitate frequentiaque celebrantur. VVillelmus quem vulgò Conquæſtorem cognominant, *Eccleſiam S. Georgii de caſtro Cadomi* in litteris ſuis commemorat, *& feriam trium dierum*, hoc eſt nundinas triduanas Cadomenſibus conceſſit ante annos DC. Cadomenſes vulgo dicuntur *Caenois*.

CADURCI ET DIVONA CADURCORUM: AC DE UXELLODUNO.

J. Cæſar in VII. Commentario ſcribit, Vercingetorigem Arvernum adoleſcentem cum Senonibus, Pariſiis, Pictonibus, Turonis, Aulercis, Lemovicibus, Andis adverſus Romanos ſibi *Cadurcos* adjunxiſſe, & Lucterium Cadurcum cum parte copiarum in Rutenos miſiſſe, qui eam civitatem Arvernis conciliaverit, & à Nitiobrigibus & Gabalis obſides acceperit: ac poſtea Vercingetorigem Rutenos Cadurcoſque ad fines Volcarum Arecomicorum depopulandos miſiſſe: Cadurcos unà cum Gabalis & Vellavis ſub imperio Arvernorum eſſe conſueviſſe. A Strabone Καδοῦρκοι *Cadurci* adnumerantur XIV Gentibus inter Garumnam & Ligerim ſedes habentibus, Aquitaniæ finitimis, eique ab Auguſto attributis; Plinio inter Rutenos & Nitiobroges Aquitanicæ populos *Cadurci*; Ptolemæo quoque in Aquitania Καδοῦρκοι. *Caturci*, *Catorci* & *Cadorci* à recentioribus ſcriptoribus non raró vocantur, d in t & u in o converſis.

In culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent. Galliarum hoc, & tomenta pariter inventum: uti ait Plinius in libri XIX. capite I. Nimirum tomentum Lingonum, culcita Cadurcorum inventum fuit. Unde alterum *tomentum Lingonicum* & *Lingonicum ſtramen* dictum eſt; culcitam veteres nomine Gentis inventricis *Cadurcum* vocavere. Juvenalis in Sat. VII.

Inſtitor hibernæ tegetis, niveique Cadurci.

In veteri epigrammate Sulpicia Poëtria *Cadurcas faſcias*, lineas faſcias è lino Cadurcino vocat his verſibus de Sole

Ne me Cadurcis deſtitutam faſciis,
Molli Caleno concubantem proferat.

Adjicit Plinius, *Gallias cenſeri reditu* lini, & *Cadurcos*, *Caletos*, *Rutenos*, *Bituriges*, *ultimoſque hominum exiſtimatos Morinos*, *immo verò Gallias univerſas vela texere*.

Cadurcorum fines *Cadurcinum* abſolutè vocat Gregorius in libri IV. capite XLII. ubi pagi vel termini aut territorii nomen ſubauditur. Vocant & *Cadurcinum* Geſta Francorum in capite XXXII. & Gallus in litteris ad Deſiderium Cadurcorum Epiſcopum, aliique: *Cadurcum* Palladius Epiſcopus in epiſtola ad eumdem Deſiderium: *Pagum Caturcinum* Fredegarius in

libri v. ac ultimi Chronici capite LVII. Geſta Dagoberti, ac liber de Vita Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi, Ermenario ejus ſucceſſori nuncupatus. De pago *Cadurcino* vel *Cadorcino* Noſtri olim fecerunt *Caorcinum*, & agrum Cadurcinum appellaverunt *le Caorſin* vel *Cahorſin*, *aut la terre & pays de Cahorſin*, ut in pactione inter Ludovicum & Henricum Reges anno MCCLIX. facta, in pactione Britiniacenſi & alibi non rarò appellari obſervavit Petrus Pithœus: Cadurcos ipſos ſeu incolas pagi Cadurcini *Caorcinos* nuncupaverunt, *Cahorſins*, quaſi *Cadurcinos*. Nunc pagum quidem Cadurcinum vocitant *le Querci*, c in qu, a in e commutatis; Cadurcos verò *les Quercinois*, id eſt Cadurcinos vel Cadurcinenſes. Pagus Cadurcinus dividitur in ſuperiorem, & inferiorem. Superiorem, *le haut Querci*, occupant Cebennæ: inferior, *le bas Querci*, ſub Cebennis jacet.

Hic olim fons, hæc patria feneratorum fuit, qui per totam Galliam, & per Britanniam inſulam Italiamque diffuſi, Mercatores ſe ac Cambitores Papæ dicebant, & iniquis exactionibus debitores ſuos vexabant: adeò ut non ipſi modò, ſed etiam Senonenſes, & alii cujuſvis nationis feneratores, communi nomine *Caurſini* appellarentur. Eorum meminit præter ceteros Matthæus Pariſienſis, in rebus anni MCCLIII. his verbis. *Uſurarii Tranſalpini, quos Caurſinos appellamus*: item, *Caurſini manifeſti uſurarii, quos Sancti Patres quos vidimus & audivimus, à partibus Franciæ ejecerunt*. In anno MCCXL. *Rex* (Henricus III.) *Caurſinis, præcipuè Senonenſibus terram ſuam interdixit*. Idem, *verè Caurſinos, quaſi cauſantes, vel capientes & urſinos nuncupari* ait. Nomen hoc feneratoribus cùm Cadurcis, tum etiam aliis eorum exemplo iniquum fenus exercentibus, Angli impoſuiſſe mihi videntur omnium primi, quòd eos primi experti eſſent nomine Papæ graſſantes, & quòd Cadurci cum Aquitania pariter ab anno MCLIV. Anglorum Regibus parere cœperant.

Caput Cadurcorum ſeu urbs princeps Δουέονα à Ptolemæo dicitur, id eſt *Doueona*. Sed Δουώνα vel Διώνα legi apud Ptolemæum cum Scaligero ac recentioribus malim, hoc eſt *Deuona* aut *Diuona*. In tabula Peutingeriana majoribus litteris notantur *Cadurci*, & urbs eorum *Bibona* corruptè pro *Dibona* ſic. *Aginnum*, *Exciſum*, (*Eyſſe* Abbatiâ illuſtre) *Diolindum*, *Bibona*, *Varandeto*, *Carantomago*, *Segoduni*. Ubi *Bibonam* Dibonam eſſe vel Diuonam Cadurcorum, & ita reſtitui oportere vel ex eo intelligitur, quòd Cadurci ſunt inter Nitiobriges & Rutenos, & Diuona Cadurcorum inter Aginnum Nitiobrigum ac Segodunum Rutenorum. Certè Magno qui Notas Tironis & Senecæ multis de ſuo additis collegit, ac Notas etiam juris, quæ exſtant inter opera veterum Grammaticorum, Regi Karlo diſticho dedicavit, *Diuonnam* vocat. *Cadurcus*, (inquit) *Diuonna*, id eſt, Cadurcus, cujus caput eſt Diuonna vel Diuonna. Diuonam autem fontem Deorum vel fonte divinum linguâ Gallicâ ſignificâſſe Auſonius docet, quod nomen non capiti modò Cadurcorum, ſed etiam fonti Burdigalenſi fuit. *Div* Deus, *Vonam* Gallis fons erat, ſi Blondello creditur: vel potiùs ut exiſtimo, *Div* fons, *Ona* Celtis Dea exſtitit: inde Epona Gallis equorum Dea. Divona nuncupabatur caput Cadurcorum à magno fonte ibi procumpente, quem nunc fontem Cartuſienſium vocant, quo quatuor molæ vertuntur.

Poſtea Divona Gentis cujus caput erat, appellationem ex more accepit, dictaque eſt *Cadurci*. Paulinus Presbyter apud Gregorium nuncupat *Alethium Cadurcis* præter ceteros *dignum Domino Sacerdotem, & totius fidei religioniſque cuſtodem*. *Boëthius Epiſcopus de Cadurcis* Concilio Agathenſi ſubſcripſit, & Aurelianenſi I. ubi *Epiſcopum Eccleſiæ Cadurcinæ* ſe vocat. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nuncupatur *civitas Cadurcorum*, & inter prov. Aquitanicæ primæ civitates VIII. quintum locum tenet; apud Gervaſium Tilleberienſem & in recentioribus Notitiis quartum: civitas *Caturcorum*. *Caturcorum* etiam ac *Cadorcorum* nonnumquam dicta corruptè.

Cadurcum urbem, aut abſolutè *Cadurcum* plerumque Gregorius appellat: *Cadurcam urbem* Deſiderius ejus Epiſcopus, Sulpicius Biturigum Epiſcopus in epiſtolis ad Deſiderium & ad Verum Rutenorum Antiſtitem, aliique: *Cadurciam opidum* Eginhardus, ac veteres rerum Francicarum Annales. Aimoino & Hugoni Floriacenſibus Monachis inter Aquitaniæ urbes egregias III. aut IV. loco numeratur *Cadurx*. Noſtri *Cahors*; *Cahours* Vaſcones vocitant. In ea urbe eſt locus *las Cadurcas* nuncupatus: quam urbem Oltis flexuoſo recurſu majore ex parte circumdat atque complectitur, fluvius *Lot* vulgò dictus, tribus ibi pontibus lapideis junctus. In ea urbe veſtigia aquæductuum, rudera Amphitheatri, & rupes perfoſſas hodieque cerni aiunt.

Samſon Geographus Regius multum ſudat, ut nobis perſuadeat Uxellodunum opidum in agris Cadurcorum, naturâ loci egregiè munitum, in monte poſitum ac præruptum undique, non eſſe *Puech d'Uſſelou*, vel *le Puech d'Uſſoldun*, nec Martellum ei proximum, nec Capdenacum; ſed caput eſſe ipſum Gentis, nimirum civitatem Cadurcorum. At caput Gentis vocabatur Diuona, ut ſuprà docuimus, non autem Uxellodunum: quod opidum quidem Cadurcorum fuit, ſeu caſtrum in finibus Cadurcorum; caput Gentis numquam fuit. Certè opidum Uxellodunum *in clientela fuiſſe Lucterii Cadurci* Hirtius ſcribit: quod in caput Gentis minimè convenire nemo non videt. An enim Lucterius Cadurcus, ſummæ quidem homo audaciæ, & apud cives quondam integris rebus multum potens magnæque auctoritatis, ſed certè tamen privatus, patronus eſſe potuit ejus urbis quæ caput Gentis ſuæ eſſet, ac ſic patriam ſuam ac Cadurcos omnes in clientela haberet? Frontinus quidem Uxellodunum Cæſaris, in libro III. Strategematon *Cadurcorum civitatem* vocavit, quo nomine veteres Notitiæ caput Gentis Cadurcorum deſignavere. Sed apparet Frontinum impropriè locutum eſſe, & nomine civitatis Cadurcorum non primam aut maximam totius Gentis urbem, verùm unum aliquod ex minoribus opidis Cadurcorum deſignaviſſe: aut certè ei, ſicut Samſoni placuiſſe, Uxellodunum pro capite Cadurcorum habere:

qui error pluribus refelli non meretur.

In Vita S. Deſiderii Cadurcorum Epiſcopi invenio, Deſiderium *præter civitatis Caturcæ opera, caſtellum etiam Caturcum, quod antea nudum pæne ac exiguum videbatur, conſpicua quadam munitione ampliaviſſe, erexiſſe ac firmaviſſe. Eccleſias, domos, portas, turres murorum ambitu ac quadratorum lapidum compactione muniviſſe.* Quod *caſtellum Cadurcum* mihi videtur eſſe *Querci*, locus Divonæ Cadurcorum proximus, & ab ea Olite interfluente diviſus.

In pago Cadurcino eſt & Rupes Amatoris, *Roquemadour*, ad rivum qui in Duranum defluit, peregrinationibus votivis locus olim celeberrimus.

CÆRESI ET PÆMANI.

Cæreſos & *Pæmanos* unà cum Eburonibus & Condruſis inter Belgas numerat Cæſar in libro II. & *communi nomine Germanos appellari tradit*. *Cereſos*, & *Pemanos* aliqui meliùs fortaſſitan ſcribunt. Marlianus *Cheruſcos* illos mendosè, hos *Pemanos* appellat, & utroſque conjicit fuiſſe inter populos Leodicenſis Diœceſeos. Oroſius alteros *Ceroſos*, alteros *Cemanos* pro Pemanis nuncupat, veterum codicum Cæſaris fidem ſecutus; *Caroſos* & *Camannos* auctor hiſtoriæ Miſcellæ in membranis, qui Oroſium tranſcribere conſuevit. Cæreſos Samſon putat fuiſſe prope Leodicum, ubi hodieque locus nomen eorum ſervet, *Seré* vulgo dictus, aliàs *Sere*, vicus ad Moſam Leodico proximus: aut certè accolas Charis fluminis (*Chier*) extitiſſe ad Bublionem verſus, à quo flumine nomen acceperint. Pæmanos verò exiſtimat eſſe pagi Famennenſis incolas, ſeu Famennenſes, *ceux du pays de Famenne*, aut *Faminne*, in Diœceſi quidem Leodicenſi, ſed in Ducatu Luciliburgenſi poſitos: apud quos ſunt Marca in Famenna, *Marche en Faminne*; & Horreum in Famenna, *Hour en Faminne*, loca non procul a ſilua Arduenna diſſita. Hæ ſunt Samſonis conjecturæ, ſola nominum ſimilitudine ducti, quo vix ullum eſt argumentum levius, ullum fallacius. Quamquam quæ *Cemanos* inter vel *Camannos*, atque *Famennenſes* nominum ſimilitudo videri poteſt? *Cemanos* enim vel *Camannos* ab Oroſio & in hiſtoria Miſcella vocari diximus, qui à Julio Cæſare *Pæmani* nuncupantur: & litteram quidem P in F mutari conſtat: c in f converti nuſquam obſervo. Quæ analogiæ regula à fluvio *Chare* vel *Charo Cæreſos* aut *Ceroſos* deduci permittit? *Charem* autem Fortunatus ante annos MLXX. hunc fluvium veteri ac recepto pridem nomine appellavit; *Charam*, *Charum*, & *Carum* Frodoardus ante annos ſeptingentos, ac Sigebertus.

CÆSARIS BURGUS.

Cæſarisburgum Ordericus Vitalis in libro VIII. & ceteri rerum Normannicarum Franciarumque ſcriptores appellant, quem Noſtri *Cherbourg*. Hoc eſt opidum vel potiùs munimentum maritimum in pago Conſtantino, ad rivulum in Oceanum effluentem. Plerique ita dictum ab auctore putant, & à Caio Julio Cæſare conditum arbitrantur: quem tamen conſtat urbes & caſtella in Gallia diruiſſe potiùs quàm condidiſſe. Sanè cùm per IX. circiter annos bellum geſſerit in Gallia Julius Cæſar, non vacavit ei ullas ibi colonias condere, ulla ibi loca ædificare. Si qua ergo in Galliis opida, vel caſtella nomen Julii Cæſaris ferunt, (ferunt autem nonnulla, ut Juliacum, Juliobona, Apta Julia, Juliomagus, Cæſarodunum Tur. & alia) credendum eſt ea ab Auguſto Cæſare Caii Julii Cæſaris majoris avunculi & patris ſui nomini; aut ab incolis vel à militibus Romanis præſidiariis Auguſti ipſius qui poſt adoptionem Julius Cæſar dictus eſt, honori eſſe dicata. Sæpe etiam obſervavimus ex caſtris exercituum Romanorum poſtea ab incolis facta eſſe caſtella: quod de Cæſarisburgo noſtro, de Juliobona Caletorum, de Sacro Cæſaris in Biturigibus; & de Juliaco Ubiorum dici fortaſſe convenit. *Caſtellum Carusburc*, id eſt, Carusburgus vocatur à Richardo III. D. N. anno M. XXVI.

CÆSARODUNUM TURONUM.

Apud Claudium Ptolemæum Turonum, qui Τουρούπιοι pro Τουρόνιοι mendosè dicuntur, urbs eſt Cæſarodunum, Καισαρόδουνον in Gallia Lugdunenſi: in tabula Theodoſiana quæ vulgò Peutingeriana nuncupatur, ſimiliter *Cæſarodunum*, hoc eſt Cæſaris mons, nomine Latinogallico parum conveniente urbi in planitie poſitæ. Dunum enim Gallis collem locumve eminentem ſignificâſſe docet Clitophon. Apud Magnonem *Turonus*, *Cæſaredunum*; id eſt, Turon aut Turonus, cujus caput Cæſarodunum.

Ammiano Marcellino cujus ætate duæ tantùm Lugdunenſes provinciæ erant, urbs nomine Gentis appellatur *Turini* corruptè pro *Turoni*, & in Lugdunenſi ſecunda ponitur: Severo Sulpicio de Vita S. Martini *Turoni*; *Turoni Galliæ civitas* & Proſpero in Chronico, & Gregorio in Hiſtoria Francica, aliiſque paſſim noſtris ſcriptoribus, vulgò *Tours*. In Notitiis veteribus provinciarum civitatumque Galliæ nuncupatur *provinciæ Lugdunenſis tertiæ Metropolis civitas Turonorum*, nonnumquam *civitas Toronorum*; (Nam interdum Toroni pro Turoni ſcribebant pronuntiabantque) Paullino in libro V. de Vita Martini *Turonorum urbs*; *civitas Turonum* Sulpicio in libro III. de Vita S. Martini: Gregorio noſtro nunc *civitas Turonica*, nunc *urbs Turonica*, qui & urbis totiuſque adeo pagi Turonici incolas & habitatores *Turonicos* ſemper appellat: & Turonos in libri V. Hiſt. capite XIV. vocat *unam civitatum quæ ſuper Ligeris alveum ſita eſt in dextra ejus parte*, in dextra inquam Ligeris ripa adverſo flumine navigantibus, non autem ſecundo amne defluentibus ut fieri ſolet, ac mare petentibus.

Aimoinus in libro I. Hiſtoriæ Franc. de urbe Turonis ſic ſcribit. *Urbs Biturica atque Turonica ſecundum Oroſii diffinitionem, qui Aquitaniam à flumine Ligeri uſque ad Pyrenæos determinat montes, quamque moderni ſequuntur, non in Celtica Gallia, ſed magis in Aquitanica ſunt provinciæ.* Et de civitate quidem Biturigum nemo umquam dubitavit, in Aquitania

eam

eam cum Gente ſua eſſe: ſed de Turonis alibi obſervavi, & Gentem majori ex parte ſitam trans lævum Ligerim, & caput Gentis ſiniſtræ ripæ Ligeris appoſitum, Aquitaniæ magis quàm Celticæ vel Galliæ Lugdunenſi attribui oportuiſſe, ſi a Romanis Gallias dividentibus exacta cujuſque provinciæ finium ratio habita eſſet.

Paulinus in libro II. de Vita S. Martini multum laudat Turonos paucis, ita tamen ut ſua ætate defeciſſe indicet. Nam qui urbem aliquam *valde quondam floruiſſe & populis refertam fuiſſe* ait, apertè docet fortunam ejus eſſe mutatam, nec jam eam opibus ut quondam incolarumque multitudine florere. Verba Paulini ſunt

Gallorum quondam valde florebat in oris
Urbs Turonum, diſtenta agris, populiſque referta.

Hæc urbs Comites quondam ſuos habuit, deinde etiam Duces. VVillelmus Britto in libro III. Philippidos ſitum civitatis Turonum exponit his verſibus.

Inde iter accelerat Turonis feſtinus ad urbem,
Quam geminum nitidâ flumen circumfluit undâ
Hinc Liger, hinc Carus. Medio ſedet inter utrumque
Clara ſitu, ſpecioſa ſolo, jucunda fluentis,
Fertilis arboribus, uberrima fruge, ſuperba
Cive, potens Clero, populis numeroſa, referta
Divitiis, lucis & vitibus undique lucens.
Quæ cùm ſit Britonum caput & metropolis, una
Biſſenas ſub ſe cathedras lætatur habere.

Sanè eſt inter Ligerim & Carum fluvios poſita urbs Turonum, & pars Cari foſſâ deducitur Turonos: at Carus non minùs XV. paſſuum millibus infra Turonos in Ligerim effluit. Guillelmus Poſtellus nulla veterum auctoritate fretus Cæſarodunum Turonum *Auguſtam Turonum* appellauit, non magis ſequendus, aut non minùs ridendus, quàm qui Genevam opidum Allobrogum novis fictiſque nominibus nunc *Aureliam*, nunc *Coloniam Allobrogum* nuncupant.

Ætate Gregorii aberat à civitate paſſus DL. Baſilica S. Martini nomine & tumulo illuſtris: Quæ ne Normannorum incurſionibus diriperetur, muris & turribus eum locum totum cingi munirique placuit. Munitionem hancce *Caſtrum novum*, nonnulli & *Martinopolim* ſeu Martini urbem nuncupavere, eò confluentibus & ibi ſedem capientibus plurimis ob virtutes ſancti Martini. *Caſtri novi* meminit ſæpe præter ceteros Monachus Majoris Monaſterii in Geſtis Conſulum Andegavenſium ante annos D.

CÆSAROMAGUS BELLOVACORUM.

Bratuſpantium opidum Bellovacorum, cujus Cæſar meminit, caput ipſum Gentis fuiſſe, quod poſtea *Cæſaromagum*, ac demum *Bellovacos* nomine Gentis appellaverint incolæ, exiſtimant Joſephus Scaliger, Antonius Oiſelius J. C. & Nicolaus Samſon aliique; quibus libens acceſſerim. Nam Cæſar in libro II. ſcribit, ipſo cum exercitu appropinquante, *Bellovacos ſe ſuaque omnia in opidum Bratuſpantium contuliſſe*, tamquam nimirum in maximum muniſſimumq; opidum Gentis. Oiſelius & Samſon eos irrident, qui ſola ſimilitudine nominis ducti, *Gratepanche* eſſe putant *Bratuſpantium* Cæſaris in Bellovacis: inter quos eſt Maſſonus. Certè *Gratepance*, vel ut Picardi pronuntiant *Gratepanche*, vicus eſt parvus & ignobilis, qualis ſemper fuit, in Ambianis ſeu in Ambianenſi Diœceſi, atque ab urbe Samarobriva Ambianorum III. leugas abeſt; ita ut Ambianis, non Bellovacis attribui debeat: quem vicum ſi Latino nomine appellare quis voluerit, non aliter quam *Crata-panticem* appellare poteſt ac debet. Qui Bratuſpantium putant eſſe Britolium, refelli non merentur.

Nomen autem eſt Gallicum urbis Gallicæ Bratuſpantium: quo depoſito, ea urbs à Julio Cæſare, cui traditis ſexcentis obſidibus armiſque omnibus ſeſe dediderat; aut certè ab Auguſto Cæſare, nominis ejus fortunæque ſucceſſore dicta eſt *Cæſaromagus* nomine ſemilatino ac ſemiceltico. Ita apud Ptolemæum *Bellovaci, quorum urbs Cæſaromagus*, Καισαρόμαγος: in tabula Theodoſiana quæ & Peutingeriana nuncupatur, *Cæſaromagus* prope Auguſtomagum; in Itinerario Æthici inter Samarabrivam & Auguſtomagum *Cæſaromagus* medio ferè ſpatio ponitur. *Item à Cæſaromago Luticiam uſque* M.P. XLVI. *ſic. Petromantalium*, (*Mante*) M.P. XVII. *Briva Iſara* (*Pontoiſe*) M.P. XIV. *Luticiam* M.P. XV. Eſt & in inſula Britannia *Cæſaromagus*, ab urbe Londinio millibus paſſuum XXVIII. aut XXXI. diſtans: ſicut ibidem *Condate*, *Mediolanum*, *Noviomagus*, quæ ſunt nomina multorum Galliæ opidorum ac locorum.

In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ vocatur *civitas Bellovacorum*, nunc *civitas Belloacorum*, nunc *civitas Beluagorum* aut *Beluacenſium*; nonnumquam & *civitas Bellovagorum*: atque inter provinciæ Belgicæ ſecundæ urbes nonum obtinet locum; cùm ætate Iulii Cæſaris Bellovaci virtute, & auctoritate ac hominum numero Belgis omnibus præſtiterint. Ex quo apparet, tum eorum potentiam valde fuiſſe imminutam, qui Catalaunis, Camaracenſibus, Turnacenſibus, Silvanectibus etiam poſtponerentur, & ſolis Ambianis, Morinis, Bononienſibuſque præferrentur. Quamquam ne in nona quidem ſede permanſere, ſed poſtea in pænultimum locum rejecti ſunt poſt Morinos & Ambianos, & ſoli Lauduno prælati, ut Gervaſius Tiſleberienſis & recentiores Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ docent.

Legimus in libro VII. Codicis Theodoſiani legem Imper. Conſtantini, latam & *datam in civitate Velovocorum*, corruptè pro *Vellovacorum* aut *Bellovacorum*.

Eadem urbs nomen proprium nomine Gentis cujus caput erat mutavit, & dici cœpit *Bellovaci*: ut Lutecia *Pariſii*, Durocortorum *Remi*, Juliomagus *Andicavi*, Auguſta Trevirorum *Treviri*, &c. *Civitas Belevagus* in veteri nummo Regio nuncupatur; *Belvagus* Aimoino inter urbes Belgicæ inclytas; *civitas Belvacus*

Roberto in Chronico, *Belvacum* Ivoni Epiſcopo Carnotenſi, qui in epiſtola CCLXIIII. ad Ludovicum Regem Francorum, Bellovacos vocat *populum. à quo poteſt Regia majeſtas præ ceteris urbibus Galliarum honeſtum habere ſervitium.* Vulgò *Beauvais* vocitant Noſtri, quæ urbs Epiſcopum ſuum, Comitem & Parem unum è XII. priſcis Franciæ Paribus habet, & ad flumen Taram eſt poſita, & Eccleſias continet ampliùs XXX. Legimus cum apud alios, tum apud Johannem Pariſienſem in Memoriali Hiſtoriarum, regnante apud Francos Rotberto *Comitatum Belvacenſem datum eſſe Rogerio Epiſcopo.* Addit Johannes. *Tempore eodem deceſſit in urbe Belvacenſi inclytus Epiſcopus Rogerius: qui dedit Eccleſiæ S. Petri cui præſidebat, Alliacum in Normannia & Montiacum in Viromandenſi patria. Comitatum quoque Belvacenſem ab Odone Campanienſi Comite impetravit, dato ei pro commercio* (id eſt pro excambio vel commutatione) *caſtro Sincerio*, (Sancerre) *in territorio Bituricenſi ſito, quod ſibi iure patrimonii competebat.* Sic igitur ante annos circiter ſexcentos quinquaginta Epiſcopatui Bellovacenſi Comitatus acceſſit. Hæc eſt origo Comitatûs & Pariatûs Bellovacenſis, quo Epiſcopi eccleſiæ Bellovacæ gloriantur. Comites autem ante annos DCCCC. *Pares* abſolutè, aliàs *Pares Comitum* dictos eſſe obſervo, quòd ipſi inter ſe pares eſſent, ac dignitate potentiaque æquales. Hoc nos docet Hiſtoricus, qui auctore V. I. Nibelungo Comite Childebrandi Comitis filio de rebus geſtis Pippini Francorum Regis ſcripſit: cujus hæc verba ſunt. *VVaifarius Princeps Mancionem Comitem partibus Narbonæ cum reliquis Comitibus tranſmiſit. Factum eſt autem ut Auſtraldus Comes & Galemanius itemque Comes cum Paribus eorum ad propria reverterentur: hic Mancio ſuper eos irruit. Galemanius & Auſtraldus ibidem Mancionem & univerſos Pares ſuos interficiunt.* Item, *Chilpingus Comes Arvernorum in pago Lugdunenſi ad præliandum ambulare nitebatur: contra quem Adalardus Comes Cavalonenſis, & Auſtraldus Comes cum Paribus eorum venientes*, &c. Hic ſcriptor Mancionem Comitem quem *cum reliquis Comitibus miſſum* à VVaifario dixerat, paullo pòſt cum *univerſis Paribus ſuis interfectum* eſſe tradit, id eſt, cum *univerſis Comitibus*, collegis ſuis, quibuſcum miſſus fuerat. Auſtraldum idem & Galemanium Comites *cum Paribus eorum reverti* ait, hoc eſt cum aliis Comitibus, qui amborum *Comitum Pares* erant & expeditionis ſocii: ſicuti infra quum Adalardum & Auſtraldum Comites *cum Paribus eorum* ad Chilpingum oppugnandum veniſſe dicit, *Pares utriuſque* Comitis haud dubiè alios Comites appellat; qui cum ipſis adverſus Chilpingum miſſi erant.

CAINO.

Caino caſtrum eſt Turonum pervetus, V. *Chinon*, ad flumen Vingennam poſitum. Apud Gregorium noſtrum in libro de Gloria S. Confeſſorum invenio, Cainonem caſtrum Turonici agri, quod præſidio Gothico tenebatur, ab Ægidio oppugnatum: cumque caſtellani & agreſtes eodem compulſi, aquâ flum. Vingennæ prohiberentur; nec obſtructo puteo qui in latere montis foſſus erat, aquari ampliùs poſſent, precibus Maximi Abbatis, B. Martini diſcipuli à Deo impetratam pluviam, & Romanos fragore nubium ac fulguribus in fugam conjectos eſſe: ita ſolutam obſidionem, caſtrumque ſervatum. Idem ſcriptor in libri V. Hiſtoriæ Francicæ capite XVIII. *Cainonem Turonicum vicum*, id eſt pagi Turonici vicum aut villam appellat; *Cainonenſe caſtrum* in libri VI. capite XIII. & in fine libri X. ac ultimi *Brictium IV. Epiſcopum* Turonicum in *vico Cainone* præter ceteros *Eccleſiam inſtituiſſe* ſcribit. Poſteriores ſcriptores mendosè *Chinonium*, & *Kinonem* vel *Chinonem* vocavere; Rigordus in rebus anni MCXCIX. *caſtrum quod dicitur Chinonium:* idem in anno MCCXIV. *Kinonem*, & *caſtrum Kinonis, quod à Caio quondam Dapifero Arturi Regis qui ipſum fundaverat, nomen accepit*; Chronicon Simonis Comitis Montiſfortis *Chinum caſtrum*; Guillelmus Armoricus *caſtrum Kinonis*, & *Chinonis arces* in libro VIII. Philippidos: qui & fabulis credens, hunc vicum Caio Seneſcallo Arturi, conditori ſuo nomen debere ait, ejuſque ſitum ac munitiones X. verſibus diligenter deſcribit.

CALESIUM.

Caleſium ſcriptor rerum geſtarum Caroli VI. Francorum Regis, & ejus incolas Caleſienſes appellat; VVillelmum Brittonem ſecutus, cujus in libro IX. Philippidos hic verſus eſt.

Claſſis prima quies Caleſi fuit: altera portu
Fit Gravelinga tuo.

Lambertus Ardenſis Eccleſiæ Presbyter in Hiſtoria Comitum Giſnenſium quam ante annos CCCCL. ſcripſit, portum *Calaiſiacum*, incolas *Calaiſiacos* vitioſè nuncupat. Guillelmus Abbas Andrenſis Chronicon Monaſterii Andrenſis compoſuit, quod in anno MCCXXXIV. deſinit. Is *Calaſium* optimè nominat, & circa annum MCCXXVIII. à Philippo Comite Bononiæ ex burgo caſtrum vel opidum factum, muriſque cinctum eſſe tradit his verbis. *Eodem tempore Philippus Comes Bolonienſis, Philippi Francorum Regis filius, qui adhuc puer puellam Mathildem Comitis Reinaldi & Idæ Com. filiam duxerat, Calaſium burgum maritimum caſtro munitiſſimo munivit, & muro firmiſſimo circumcingere cœpit.* Nimirum caſtrum Caleſium ad Bononiæ Comites tum pertinebat: quod *caſtrum de Calais* idem Guillelmus non ſemel vocat. *Totum* (inquit) *caſtrum de Calais cum recenti munitione incendio conſumſiſſet Fernandus Comes Flandriæ, niſi pretio MD. librarum & XX. doliis vini ejus ferocitas mitigata eſſet.* Caleſium vel Caletium Philippus Comes primus muniviſſe & mœnibus circumdediſſe dicitur a Johanne Joviſvillæ domino in rebus Ludovici IX. Franc. R.

Johannes Olivarius qui Mellam adnotationibus illuſtravit, falso *Geſoriacum portum Caletenſem* vel *Cales* interpretatur.

Fretum Gallicum, quod aliis fretum Oceani, aliis Fretum Morinûm dicitur, unde eſt breviſſimus ex Gallia in Britanniam trajectus à Caleſio Dubrim, Angli *The ſtrait of Callcis*, aliàs *ſtraight of Calais*, id eſt anguſtias Cale-

ſienſes appellitant: Noſtri *pas de Calais*, hoc eſt tranſitum Caleſienſem, *le paſſage de Calais*; necnon *le deſtroit de Calais*.

CALETI, PAGUS CALETENSIS, ET FLUVII CALETORUM.

Caletos & Velocaſſes inter Belgas numerat Cæſar, & Caletos x. millia armata pollicitos eſſe ait, Velocaſſes & Veromanduos totidem. Nimirum Gallos à Belgis Matronâ & Sequanâ dividi ſcripſerat. Cùm igitur utrique ſint cis Sequanam dextrum, neceſſario Belgis adſcribendi fuerunt. Hirtius ſimiliter *Caletos & Veliocaſſos* conjungit. Ambo tamen ab Auguſto Celticæ ſeu Galliæ Lugdunenſi adſcripti ſunt, ac etiamnum eidem attribuuntur, cùm Rotomagus caput Veliocaſſium & Caletorum, ſit metropolis provinciæ Lugdunenſis II. Strabo Julium Cæſarem ſequitur, & quamquam Celtas Belgaſque confusè deſcripſit atque permiſcuit, tamen Caletos Καλέτους Belgicæ videtur adſcripſiſſe; Morinis, Bellovacis, Ambianis, & Sueſſionibus, Belgicæ citra controverſiam Gentibus, *Caletos uſque ad Sequanæ oſtia* adjungendo. Ceteri omnes Geographi Lugdunenſi Galliæ Caletos adſcribunt: in his Plinius in capite XVIII. qui poſt *Lexovios & Veliocaſſes Caletos* memorat. Idem in libri XIX. capite I. de lini ſatione: *Itane* (inquit) *& Galliæ cenſentur hoc reditu, monteſque maris oppoſitos eſſe non eſt ſatis, & à latere Oceani obſtare ipſum quod vocant inane? Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum exiſtimati Morini, immò verò Gallia univerſa vela texunt.* *Illi Montes* harenacei *maris oppoſiti* ſunt haut dubiè, quos Noſtri *Dunas* appellitant: quid Galli *inane* vocaverint, planè neſcio: de quo & Plinius initio libri XXX. ſic mentionem facit. *Quid ipſe ego hanc memorem artem* (Magicen) *Oceanum quoque tranſgreſſam, & ad naturæ inane pervectam in Britanniam?* Ptolemæus in Gallia Lugdunenſi vel Celtica ponit & Caletos, & eorum urbem Juliobonam. Hanc Ἰουλιόβοναν; illos Καλῆτας nominat *Caletas* pro Caletos; ut *Meldas*, *Carnutas*, *Andicavas* appellat, quos Meldos, Carnutes & Carnutos, ac Andicavos pleríque nuncupavere. De Juliobona Caletorum alibi ſcribemus, Deppam eam eſſe. Caleti vulgò dicuntur *Cauchois*, *Caucheis* & *Cauceis*. necnon *Caleenſes* in priſcis tabulis pro Caletenſes: & ab his Rotomagus unum è forenſibus burgis ſuis habet dictum *Cauchoiſe*, hoc eſt Caleticum. Apud Magnonem inter *Viliocaſſum & Lixovium* ponitur *Callidus*: ubi legendum *Calitus* vel *Caletus*.

Caleti à Portu Gratiæ ad Augam caſtrum, à Sequana ad Aucum vel Auciam fluvium pertinent. & opida ac caſtella complectuntur, Portum Gratiæ, Hareflotum *Harfleur*, Tancredi villam *Tancarville*, Caldebeccum, vel Calidumbeccum, Fontanellam & Gemeticum Monaſteria, Monaſterium Villare *Montivilliers*, Fiſcamnum *Feſcam*, Caletamvillam *Cauville*, portum S. VValarici in Planis, vel in Caletis, *S. Valery en Caux*. Longamvillam *Longueville* in Ducale faſtigium evectam, Deppam ſeu Juliobonam Caletorum *Dieppe*, Augam *Eu*, Vlteriorem portum *Treſport*, Gamapium *Gamache*, Blangiacum, Albamarnam vel Albammarlam *Aumalle*, Novum caſtellum *Neufchaſtel*. Ex his Auga ſuum Archidiaconatum habet, à primo ſeu Rotomagenſi proximum, cui Albamarlenſis pridem adnexus eſt. Promuntorium Caletorum vocatur *Chef de Caux* ad os Sequanæ.

Pars agri Caletorum vocatur pagus Caletenſis, *le pays de Caux*, litterâ l in u mutatâ: dividiturq; in majorem & minorẽ. Nam inter Eccleſiæ Rotomagenſis ſex Archidiaconatus, tertius Archidiaconatus vocatur majorum Caletorum, *du Grand Caux*, ſextus & ultimus minorum Caletorum, *du petit Caux*. *Caltivum Territorium* corrupto nomine appellat Vita S. Filiberti Abbatis Gemeticenſis; *pagum Caletinſem*, hoc eſt Caletenſem Chronicon Fontanellenſe in capite VII. Ordericus Vitalis in libro XII. *Caletenſem pagum*. in libro IX. *Caletenſem regionem*; litteræ Caroli Magni & Caroli Calvi de rebus datis Eccleſiæ Rotomagenſi *Calciacum pagum* nuncupant mendosè; *pagum Caletitum* alii, & *Caletum* abſolutè; *Calcegiam & Calceiam* recentiſſimi ſcriptores. Sunt & alii in Caletis minores pagi, videlicet pagus Augenſis, *le Pays d'Eu*, pagus Braienſis à ſilva Braio cognominatus, *le Pays de Bray*; & pagus Tellau vel Tallogius, olim quàm nunc illuſtrior. Pagum Caleticum *inſulam de Caus*, id eſt inſulam Caletorum VValſinghamus vocat, quoniam à Caldebecco uſque ad Deppam Caletenſis ager Oceano ferè cingitur inſtar pæninſulæ; Caldebecco & Deppa iſthmum claudentibus.

Ceterùm *Cadetes* quos Cæſar in libro VII. inter Armoricas civitates, Curioſolites, Redones, Oſiſmios, & Unellos memorat, mutandi planè viderentur in *Caletes* vel Caletos, niſi in libro II. Belgis adnumeraret Caletos Cæſar, ceu trans Sequanam Celticæ ac Belgicæ terminum ſitos: cùm Armoricas civitates, quæ Ligeri & Sequana clauduntur, Celtis attribui oporteat. Strabo quidem quum ſcribit, merces ſecundo flumine Sequanâ deferri in Oceanum, & ad *Lexovios & Yadetos*, haut dubiè emendandus eſt, & legendum Caletos, Καλέτους

Marlianus *Caletes inter Belgas Morinis, Ambianis, Oceanoque proximos*, à quibus breviſſimus in Britanniam trajectus ſit, *nomen retinere* ait, *& eſſe Normanniæ diœceſeos*, (id eſt Rotomagenſis) *in Regno Francorum ſitos, Anglorum Regi ſubiectos*: & in Icio portu ſcribit, frequens *opidum Caletas* vel *Caletium Normanniæ eſſe diœceſeos, in Regno Francorum & poteſtate Anglorum Regis ſitum*. Ex quibus intelligitur Caletos & Caleſium à Marliano confundi magno errore: cùm Caleſium quod Caletium vocat, *Calais*, ad Caletos nulla ratione pertineat. Quippe Caleti quidem ſunt in Nortmannia & in diœceſi Rotomagenſi; Caleſium verò in Picardia, & in Morinis ac Bononienſi diœceſi, atque ætate Marliani ab Anglis adhuc occupabatur. Inter Caletos autem & Morinos quorum opidum eſt Caleſium, medii Ambiani intercedunt.

Ordericus Vitalis in libro XII. cis Sequanam in Caletis ſeu in extrema parte Normanniæ novem fluvios enumerat; *Guiteſtedam*,

Talam quæ Dun modò dicitur, Sedanam, Belnaium, Sedam, Guarennam. Deppam, Earam, Aucum flumen, quod vulgo dicitur Ou.

Guiteſleda vel Viteſleda eſt *Viteſleu* vel *Viteſleur*, qui oritur apud Hericurtem, ſeu vicum S. Malloni: alluit Canneium *Cani*, VViteſledam ſui nominis vicum *Viteſleu*, aliàs *Vedeſleur*, Paludellum *Paluel*, VVellas *Veules*, & apud Clicadentes *Clicquedent* in Oceanum effluit: currit leugas plus minùs IV. Vocatur *riparia de VViteſlou* in veteribus tabulis Fiſcannenſibus, item *Pons de Viteſlou* in litteris datis anno MCCXIX. vicus autem ipſe ibidem dicitur *VViteſlo ſuper mare*, *VViteſleium*, *VViteſloi villa*.

Tala, altero nomine *Dun* & *Dunus* etiam nuncupatus, vulgò *Dun*, naſcitur apud vicum quem à re fontem Duni appellitant, *Fontaine-le-Dun*: attingit vicum S. Petri veteris, *S. Pierre le Vieux*; Dunum, fluvii nomine clarum, *le Bourg-Dun*; Vallem Duni *Val-Dun*; & ad vicum S. Albini decurrit in mare. *Victriacum ſuper fluvio Duno, & Dunum* locum memorat Chronicon Fontanellenſe. In litteris Caroli Calvi *Dunus tam ſuperior quàm inferior* memoratur: ubi *Dunus ſuperior* eſt ni fallor *Bourg Dun*; *inferior Val-Dun*. Richardus II. Normannorum Dux *in Duno terram* cõmemorans, & Geroldus Miles II. molas *in villa dicta Dun*, & *mercatum quem habebat apud Dun* referens, ambo nomine *Duni* & *Villa Dun* Burgum Dunum haud dubiè deſignant.

Sedana, vulgò *Seane* & *Saane* dictus, fontem habet apud Veruanam *Varuane*, unde alluit Anglicam villam *Engleſqueville*, Vibodium *Vibeuf*, vicos S. Juſti, & S. Audoëni, Braciacum *Brachi*: demum accepto Belnaio *Beauné*, Sedanam *Sane* vel *Saane*, cui nomen ſuum dedit, & Sottamvillam præterfluit, atque apud S. Margaritam, aut ſi alios ſequimur apud Longamvallem *Longueval* mari infertur. Chronicon Fontanellenſe *Braciacum ſuper fluvio Sedanna* rectè memorat, *Sedannam* noſtrum Sedanam vocans; ſed *Gammapium villam pulcherrimam ſuper fluvio Sedanna* malè & mendosè ſine dubio memorat, cùm ſit ad Breſellam vel Breſlam fluvium; quem inter & Sedanam amnem quinque flumina intercedunt. VVillelmus Rex Anglorum & Dux Nortmannorum anno MLXX. donavit S. Amando *unum mercatum in Sedana*. Sedana hæc vulgò dicitur *Saane*, vel *le bourg de Saane*, vicus in Ducatu Longævillæ, & in Decanatu Braciacenſi, ubi eſt Cella Virginum, Rotomagenſi Monaſterio S. Amandi ſubjecta, quem Prioratum B. Mariæ de Sedana veteres tabulæ vocant. *Molendini apud S. Audoënum in riparia de Saane* meminit Reginaldus de Pettravilla in litteris datis anno MCCIV.

Belnaium *Beauné* oritur in vico Belnaio, cui nomen dat: alluit vicum S. Marci, Lambertivillam *Lamberville*, Baſcamvillam *Baſqueville*, Hermannivillã *Hermanville*, tum Sedanâ recipitur. Vicus Belnaius *Beauné* aliis, aliis *Beaunetot* nuncupatur.

Seda *la Sie* accolis nuncupatus, fontem habet ad vicum S. Maclovii *S. Maclou*: attingit Altamfagum vel Altifagum, in veteribus litteris memoratum, vulgó *Aufay* vel *Aufey*; & poſt acceptum quemdam amniculum Longamvillam Gifardi, opidum Ducale: *Longueville la Guiffart*; Caroli manſionile *Charle Meſnil* vel *Challemeſnil*; Novemmolas *Neufmeules*: deinde apud Provillam *Pourville* Oceano immergitur. Litteræ Goſcelini circa annum MXXX. ejus fluvii meminere. *Concedimus* (inquit) *Monaſterio S. Mariæ & S. Amandi Epiſcopi infra muros urbis Rotomagenſis ſito ſilvam, quæ habetur inter aquas Garennam & Sedam.* Seda igitur Garennæ proximus erat, unde Ordericus *Sedam & Guarennam* uti ſitu proximos conjungit. In veteribus tabulis fit & Sedæ loci mentio amni Sedæ impoſiti his verbis. *Poſſeſſiones quas in Lambertivilla & Seda habuit.* Ubi fortè legendum eſt *Sedana*. Nam Lambertivilla eſt ad Belnaium, Sedana ad Sedanam fluvium, qui Belnaio augetur.

Guarenna, Garenna aliàs & Varenna, oritur apud caſtrum, S. Sidonii nomine & Monaſterio illuſtre, *S. Sens*, alias *S. Saens*: quod *caſtrum S. Sidonii* IV. ab urbe Rotomago leugis diſtans commemorat Ordericus Vitalis. Attingit Bellũ Combrum vel Bellam concædem *Bellencombre*, Fraxinetum *le Freſnay*, Muchedentium, Torciacum majus, & Torciacum minus, *Torcy le grand, & le petit*, Martiniacum *Martigni*, Varennam nunc viculum, olim Comitatûs Varennæ caput *Varennes*: & circa Arcas *Arques* fluvio Deppâ recipitur. Hic fluvius S. Sidonii à quibuſdam dicitur, *La riviere de S. Sens*; ab aliis fluvius Torciacenſis, *la riviere de Torcy*: quòd non longè à caſtro S. Sidonii caput ſuum habeat apud Montirollerium *Montirollier*, & quòd Torciacum utrumque præterfluat. In capite VII. libri de Vita S. Leufredi Abbatis *Monaſteriolum quod vulgò vocatur Varenna, feminarum habitaculum*, videtur eſſe Varenna ad flumen Varennam ſita. In Chronico Fontanellenſi reperio *Ulmirum & VVarinnam fiſcos duos, qui ſunt in pago Tellau iuxta fluvios Tellas & VVarinna*: qui fluvius *VVarinna*, & *VVarinna villa* fiſcalis à Varenna vel Guarenna flumine & opido Comitibus olim ſuis nobili nulla ratione differunt. VVarinnam certè caſtrum & Monaſterium S. Sidonii alluere, unde & fluvius S. Sidonii dicitur, docet Chronicon Fontanellenſe in capite IX. *Cellam S. Sidonii quæ eſt in VVarinna*, hoc eſt ad Varinnam memorans.

Deppa oritur apud Goiſlenfontẽ vel Goiſelenfontem, id eſt Goſlenifontem *Galefontaine*, opidulum a ſitu ita cognominatum. Alluit Novum caſtellum *Neufchaſtel*, Buras, Alnetum *Aunay*, vicum S. VValarici *S. Valers*, Ricardi villam *Ricarville*, ad S. Vedaſtum *S. Vaſt*, Fragilem villam *Freulleville*, Dampetram *Dampierre*, vicum S. Albini in Caletis, *S. Aubin le Cauf*, aliàs S. Albini ſuper Arcas *S. Aubin ſur Arques*, & viculum Arcellas *Archelles*; Guarennamque fluvium accipit: demum infra Arcas Heldonam amnem admittit, atque ad Deppam in Oceanum effluit. Deppa autem & Guarenna vetus nomen amiſerunt: & Deppa quidem fluvius Novocaſtrenſis dicitur, *la riviere de Neufchaſtel*, à Novocaſtro quod alluit; Guarenna verò, fluvius S. Sidonii vel Torciacenſis, uti ſuprà diximus.

Ordericus Vitalis in enumeratione fluviorum Nortmanniæ cis Sequanam non memi-

nit (quod miror) Heldonæ : meminit Stephanus Albamarlenſis Comes in litteris datis anno MCXV *Hoſpitem unum ad flumen Heldona.* Hic fluvius dictus eſt & *Elna*, atque *Alna*, à quo *Novavilla ſuper Alnam* cognominatur prope Albammarlam. Accolæ *Eanne* vocitant, & nonnumquam *Taune.* Alluit Mortuum mare *Mortemer ſur Eaune*; Heldonam vel Elnam *Eaune*, à fluvio cognominatam, in quibuſdam tabulis *Seaume* mendoſè ſcriptam; vicum S. Germani *S. Germain*, Profundamvallem *Parfondeval*, Longumdenarium *Longdenier*, in pleriſque tabulis *Londinieres* ſcriptum, id eſt Londinarias; Albertivillam *Aubervilie*, Ebrardi manſionile *Euvermeſnil*, in litteris anno M L. datis memoratum; quod in tabulis *Anvermenil* plerumque ſcriptum reperitur. Attingit & Martini Eccleſiam, *Martinleglise*, trunco nomine *Martengliſe* vulgò nuncupatam. Demum infra Arcas ad vicum Butilam *Bouteille* Deppâ flumine accipitur, mox apud Deppam portum & opidum clarum in Oceanum intraturo.

Eara Orderico Vitali incorrupto nomine notus, *Iera amnis* Furnario Geographo noſtræ ætatis dicitur, Noſtris *Iere*, aut *la riviere d'Iere*, nonnullis *Iers* mendoſè. Erratum à plurimis eo in amne. Samſon Geographus Regius in tabula fluviorum Galliæ *le Sart* peſſimè nuncupat inter Heldonam (*Eaune*) & Breſlam. Vita S. VVandregiſili & Chronicon Fontanellenſe *Euram* pro Eara appellant: ex quibus Vita VVandregiſili *prædium Virtlaicum ſitum in pago Tellau ſuper amne Eura*, ab Erinberto viro Illuſtri VVandregiſilo donatum eſſe prodit. Chronicon Fontanellenſe in capite VIII. *Virtlaicum*, aliàs *VVirtlaicum villam, quæ ſita eſt in pago Tellau ſuper fluvio Eora*, commemorat: & in capite IX. *De Bettonecorte ſuper fluvio Eura* mentionem facit, quam in capite IV. *Bettoniſcurtem* melius appellat, & *ſitam in pago Tellau* eſſe tradit. Utrubique pro *Eora* & *Eura* ſcribendum emendandumque eſt Eara: ad quem Earam Bettoniſcortem & Petreumpontem ac Virtlaicum eſſe conſtat. Ex quo etiam cognoſcitur ſitus pagi Tellau. Nam cùm hæc tria loca in pago *Tellau* ad flumen Earam poſita eſſe dicantur, ut revera ſunt poſita, apparet pagum iſtum Tellau ad fluvium Earam jacuiſſe: quem amnem etiam alio nomine *Tellas* vocatum eſſe puto in Chronico Fontanellenſi & in actis Synodi Sueſſionicæ, unde pagus Tellau nomen acceperit. Earam autem à veteribus dictum eſſe, & ita dici ſcribique oportere, ac nomen *Eura* & *Eora* pro corrupto & mendoſo haberi debere, docet non ſolùm Ordericus *Earam* vocans: ſed etiam nomen fluminis nunc uſitatum *Iere*, e Latino in i, & a in e commutatis, ut ſæpiſſime aliàs. Ex *Eora* porrò Noſtri facturi fuerunt *Ieure* aut *Ioure*, ex *Eura Eure*: quemadmodum ſolent o Latinum in ou & in eu convertere, in e vertere non ſolent. Fluvius Eara naſcitur non procul ab Alberti manſionili *Aubermeſnil*, quod alluit: attingit & Fulcardi montem *Foucarmont*, locum in litteris ante annos D. datis memoratum, hodieque Abbatiâ ſuâ celebrem; Alnetum *Aunoy*, vicos SS. Richarii & Remigii; Bettoniſchortem in pago Tellau, *Betencourt*, auctori Chronici Fontanellenſis ſemel atque iterum dictam; Petreum Pontem ab eodem memoratum, *Pierre pont*; Grandemchortem *Grancourt*; Petram *la Pierre*; Vallem Regis *Val le Roy*, aliàs *Val du Roy*; Septem molas *Septmeules*, vicum ingentem, à numero molarum ſuarum ſeu vento ſeu aqua agi ſolitarum cognominatum; Telleium *Tilly*, pagi Tellau nomen ſervans; Albertivillam *Auberville*; vicum S. Sulpicii *S. Soupli*, aliàs *S. Suppli*: demum apud Criolium *Criel*, caſtrum in Chartario Fiſcannenſi celebratum, devolvitur in Oceanum, II. à caſtro milliario.

Ultimum eſt *Aucum* flumen, *quod vulgò dici Ou* aſſerit Ordericus Vitalis: ſicuti Aucum opidum, in Annalibus rerum Anglicarum *Ou* ſæpiſſime dictum reperio. In Vita vetere S. Lupi Epiſcopi Senonici hic fluvius vocatur Aucia haud dubiè: quum *in pago Neuſtria Vinemaco villa Andeſagina ſuper fluvium Aucia* commemoratur. Eſt enim Andeſagina *Anſene* ad Aucum flumen. Auciam recentiores ſcriptores *Aucum* nuncupavere: ex Auco demum *Ou* factum. Eumdem amnem *Viminam* aut Vimnam alio proprioque vocabulo dictum eſſe, & ab eo pagum *Vimnau* nomen accepiſſe, mihi perſuadent verba hæc ex Chronici Fontanellenſis capite VII. *in pago Vimnau ſuper fluvio Vimina, in loco qui vocatur Viniolas*, alias VI. *molas* ſive *Sex molas*. Nunc amnis nomen mutavit, & Briſella ſeu Briſela vocatur, Samſoni in tabula fluminum Galliæ *la Breſle*, Vaſiori in tabula Normanniæ noviſſima atque exactiſſima *la riviere de Breſelle*. Origo nominis incognita: niſi quòd Noſtri rumpere atque dividere dicunt vulgò briſare *briſer*. Aucum autem flumen Normannos à Picardis, Caletos ab Ambianis, Celticam à Belgica dividit ac dirimit. Alluit Albammarnam *Aumalle*, quæ ab ejus fonte III. aut IV. paſſuum millibus diſtat; Carduetum *le Cardonay*; vicum S. Germani ad Breſelam, *S. Germain de Breſelle*; *Sinardi pontem* in litteris Stephani Albamarlenſis Comitis datis anno MCXV. cum *VValtero* ſuo memoratum, aliis caſtrum, aliis vicũ maximum nuncupatum, *Somardum pontem* in Chronico Fontanellenſi mendoſè dictum, vulgò *Senerpont*; Nigellam xenodochio claram *Nelle l'Hoſpital*; Blangiacum *Blangi*; Andeſaginam ſupradictam, *Auſene*, aliàs *Anſene*; Spinetum *Eſpinay*; Gamapium *Gamache*, Chronico Fontanellenſi ante annos DCCC. notum; Longumrete *Longroy*; Bellumcampum, *Beauchamp*; Burdoniſchortem *Bourdencourt*; Mariſcos *Marais*; Pontes *Pons*; Aucum *Eu*, fluvii ſui vetus nomen ſervans; Ulteriorem portum, quibuſdam Ultriſportum vocatum *Treport*, qui à ſitu hoc nomen accepit, quoniam eſt Auco portu portus ulterior, ſeu Oceano propior. Ibi Aucum flumen ſeu Breſela in mare effluit. Inter Deppam & Earam eſt ſilva Arcenſis, *la foreſt d'Arques*: inter Earam & Aucum flumina eſt ſaltus Aucenſis, *la foreſt d'Eu*, undecim millia jugerum continens. In horum pagi Caletenſis fluminum nominibus eruendis veteribus ac novis, & in curſu ſingulorum deſcribendo à V. C. doctiſſimoque Emerico Bigotio Rotomagenſi, amico meo, non mediocriter ſum adjutus.

CALIDUM BECCUM.

Litteræ ante annos ſeptingentos datæ *Calidum Beccum* commemorant, atque ita appellant, quaſi calidum rivum: ſicuti *Vangionis rivum Vignori*; *Rivum Morentini Romorentin* dixere Noſtri. Certè VVillelmus Gemeticenſis in libro VI. locum, ubi Monaſterium Beccenſe conditum eſt, vocat *locum, qui à rivo illic manante Beccus appellatur.* Beccus ergo vel *Bec* Francis noſtris rivus eſt, ut Germanis Transrhenanis *pach* vel *bach*, Flandrenſibus & Brabantis *beke*. Nomen loci ſitui reſpondet. Nam *Calidumbeccum*, quod vulgò *Caudebec* nominant Noſtri, poſitum eſt ad Sequanæ & rivuli ignobilis ac exigui in eum decurrentis confluentes: ſicut *Orbeccum Orbec* adſidet fluvio naſcenti ſeu rivo apud Lexovios, cui nomen ſuum dedit; *Beccus* aut *Beccum Herluini* Monaſterio illuſtre, *le Bec*, adſitum eſt rivo qui in Riſelam labitur.

CALMONTENSIS PAGUS SEU CALVOMONTENSIS.

Ejus pagi primus meminit Auctor vetus, qui de Vita & geſtis Arnulfi Mettenſis Epiſcopi ad Chlodulfum ejus filium & ſucceſſorem librum ante annos mille compoſuit, hiſce verbis. *Quidam homo in pago Calmontiſſe*, &c. aliàs *Calmontiſo*, id eſt Calmontenſi. Alius codex habet *Calmontiſe*, alius *Calvomontenſe*. *Comitatum Calmontenſium* vocant Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXIX. & inter *Comitatum Suentiſiorum* ſive Sugintenſium, & *Ducatum Moſellicorum* ponunt. *Calmontis* pagum & locum appellat Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, & inter *Suentiſium* ſimiliter ac *Sarachonvam ſuperiorem* collocat.

In Vita Adalberonis poſterioris Mettenſis Epiſcopi ab æquali Abbate circa annum milleſimum ſcripta *pagus Calvomontenſis* nuncupatur, & in eo pago *caſtrum Spinal* ad flumen Moſellam fuiſſe dicitur. Sic autem Abbas ille ſcribit. *Domnus Deodericus Mettenſis Epiſcopus, cui Adalbero noſter ſucceſſerat, in pago Calvomontenſe locum quemdam inter Moſellam & montem, qui in devexo ſui caſtrum habet, ex accidenti linguâ ruſticorum Spinal vocatum, divino famulatui aptum reperiē*, *Monaſterium conſtruxit, conſecrans illud Domino, & S. Goërico cujus oſſa eò tranſtulit. Ibi Adelbero ancillas Chriſti ſub regulari vita & inſtitutione patris Benedicti bene edoctas collocavit & dotavit.* Tum addit. *Caſtrum imminens Monaſterio, ſedes eſt Epiſcopalis*: nimirum caſtrum *Spinal*, cognominatum à ſpina montis Moſellæ proximi, in qua poſitum eſt: *Spinal* quoque & *caſtrum Spinalenſe* dictum in Chronico de Epiſcopis Mettenſibus, quod in anno MCCLX. deſinit. Certè ut capita & vertices, frontem & fauces, ſic & dorſum & ſpinam, pectus, & latera vel coſtas, pedeſque montibus tribuere conſuevimus. Caſtrum Spinalenſe vel Spinal, vulgò nunc *Eſpinal* nuncupatur, eſtque poſitum in Lotharienſibus ad ripam flum. Moſellæ, abeſtque IV. leugis ab Alteriaco caſtro Abbatiâ inclyto, *Autrey*. In eodem pago Calvomontenſi caſtrum fuit Vendopera, nunc ignotum, ut docet Vita Adalberonis Epiſcopi Mettenſis, qui *Alteriacum Theoderici infeliciſſimi caſtrum, Lantfridicurtis etiam dictam turrim, cui Everelinus praviſſimus inſidebat, & Vendoperam caſtrum Beraldi Comitis, in Calvomontenſe pago ſitum, ob depradationes eccleſiaſticæ familiæ evertiſſe* dicitur.

Calmons, vel *Calunſmons*, aliis *Calmontis* nomen ſuum dedit pago Calmontenſi ſive Calvomontenſi, quem locum *Chaumont* nunc dici aiunt, & poſitum eſſe ad Moſellam in Lotharingia: ego in tabulis nullum ejus nominis locum ad hoc flumen reperio in Lotharienſium finibus.

Eſt & *Calmons* vel *Calmontis* inter *Lutoſam* & *Deonantum*, in diviſione Regni Lotharii memoratus: quem vulgò *Calmont* dici aiunt, & in parœcia Leodicenſi poſitum eſſe.

CALO.

Calonem inter Vetera & Noveſium bis ponit Æthicus, quem Joſias Simlerus *Gellern* nunc vocari affirmat. *Cellern* Aubertus Miræus ſcribit.

CALVUS MONS LINGONUM

Calvus Mons in Baſſiniaco, *Chaumont en Baſſigny*, oppidum eſt in finibus Lingonum haut procul à capite fluminis Matronæ, quod à montis in quo ſitum eſt ſterilitate nomen accepit. Multa ſunt ejuſdem nominis loca in Gallia, quorum appellationis cauſſa eadem eſt.

CALVUS MONS VELIOCASSIUM.

Clarum olim caſtrum fuit in Veliocaſſibus, Calvus Mons, Comitatus titulo illuſtre, *Chaumont*, IV. millibus paſſuum à Giſortio diſtans, ut Guillelmus Armoricus docet in Geſtis Philippi Aug. Francorum Regis hiſce verbis in anno MCLXXXVIII. *Sed cùm Rex Angliæ uſque Giſortium, & Rex Franciæ uſque caſtrum quod Calvus Mons dicitur perveniſſent, & à ſe per IV. milliaria diſtarent*, &c. In litteris anni MCCIX. *Calvus Mons*; in tabulis anno MCCXII. datis ter *Calidus Mons* appellatur. Eſt autem hoc caſtrum ſterili ac nudo monti impoſitum, unde & nomen accepit, exemplo multorum aliorum in Gallia caſtellorum. *Calvos* nimirum *montes* Noſtri metaphoricè vocavere, qui nudi à ſilvis & arboribus erant, ut caput *calvum* dicitur, quod capillis eſt vacuum. Eſt & in Aquitania Calvus Mons, *Caumont*, Ducatus caput: Eſt & Mons Calvulus, vulgò *Montchauvet*; & in Italiæ regione Subalpina quam Pedemontium vocant, *Mons Calvus*, *Montcalvo*, Italis *Moncalvo*. Et *locus nuncupatus Calvus mons* in Vita S. Eligii ab Audoëno memoratur. *Calvus mons* igitur, *Chaumont* à Noſtris dicitur trunco nomine pro *Chauvemont*. *Calidum montem* hunc, & alia ejuſdem ſitus loca quidam Latinè appellare maluerunt, non malè. Nam & *Chaumont* dici poteſt quaſi *Chaudmont*: & ex nimio calore & ſiccitate ut cerebri ſic & ſoli calvitium & ſterilitas oritur.

CAMARACUM NERVIORUM.

Camaracum Cæſari & omnibus veteribus Hiſtoricis ac Geographis ignotum ac indictum, prima commemorat tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana, atque inter *Pontem Scaldis* & *Bacacum* vel *Bavacum Nerviorum* ponit: commemorat & in Itinerario provinciarum Æthicus inter *Nemetacum* & *Bagacum*, necnon inter *Nemetacum* & *Auguſtam Veromanduorum*; à Nemetaco XIIII. à Bagaco XVIII. ab Auguſta Veromanduorum totidem millibus diſtans. In priſcis Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ *civitas Camaracenſium*, nonnumquam & *civitas Cameracenſium* vocatur, & inter urbes provinciæ Belgicæ ſecundæ ſextum locum tenet: cùm in recentioribus Notitiis poſt annum MCC. confectis quartam occupet ſedem, poſt Remos quidem, Sueſſionas & Catalaunos ex more poſita, ſed Veromanduis Atrebatiſque prælata. *Urbem Camaracum* non ſemel nuncupavit Gregorius, item *urbem Cameracenſem*: quam cepiſſe Chlodio Francorum Rex, & in qua regnaviſſe poſt eum ac ſediſſe Ragnacharius dicitur. *Cameracum* vocatur in diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, quod Karolo præter ceteras urbes obtigit. Anno DCCCXXCI. *Nortmanni Cameracum ingreſſi, incendiis caſtrum deſtruxere, & Monaſterium S. Gaugerici vaſtavere.* In quodam nummo veteri ſcriptum legitur *Cameraco civi*. *Camerick* Germanis, Noſtris *Cambray* dicitur; ejus incolæ Latinè *Camaracenſes*, Bellaio in libro X. Commentariorum *Cambreſiens* appellantur, aliis *Cambriſiens*. Ea urbs ex Epiſcopali Archiepiſcopalis & Metropolitana facta eſt principatu Philippi II. cujus *Archiepiſcopus & Dux, Comes Cameraceſii, & Princeps Sacri Rom. Imperii* nuncupatur.

Ager urbi adjacens vocatur *pagus Camaracenſis*. Noſtris *le Cambreſis*: in Ludovici Pii Diviſione Regni inter filios *Camalecenſis* corruptè pro Camarecēſis aut Cameracenſis, inter *Quentovicum* & *Viromandenſem*. In diviſione Regni Lotharii, quæ Capitulis Caroli Calvi & Annalibus Bertinianis inſerta eſt, heic quidem *Camarenſem* pro *Camaracenſem* appellatum reperio, illic verò *Cameracenſium*. Ubi Miræus ſine cauſa putat *Cameraceſium* reſtitui oportere. Nam ea diviſio Regni Lotharii eadem ratione *Cameracenſium* pagum Camaracenſem nuncupat, quâ *Megenenſium* & *Suentiſium* pagos Meginenſem & Suentenſem vel Sugintenſem.

Cujus Gentis caput fuerit Camaracum, incertum eſt. Cluverius in capite XXII. libri II. de antiqua Germania, quem Samſon ſequitur, Camaracum Nerviorum eſſe aſſerit; quibus & *Pontem Scaldis* ſive Condate, (*Condé*) & *Fanum Martis*, vicum *Fan* vulgò dictum attribuit. Credit Samſon Camaracum in Bagaci Nerviorum locum ſucceſſiſſe, & ſedem Epiſcopatûs Bagaci primùm, deinde Camaraci fuiſſe: qua de re nullum uſquam veſtigium reperio. Camaracum quidem opidum & caput etiam Nerviorum exſtitiſſe veriſimillimum eſt. Nervii enim Ambianis, Atrebatibus & Veromanduis, Eburonibus quoque inter Rhenum & Moſam incolentibus finitimi erant, ut Cæſar docet. Camaracum autem à Nemetaco Atrebatum XIIII. à Bagaco Nerviorum, (*Bavay en Hainau*) & ab Auguſta Veromanduorum XVIII. millia paſſuum abeſt, nec multum diſtat à flumine Moſa & finibus Eburonum; & pagus Camaracenſis Ambianorum fines attingit. Quare credibile non eſt, Nervios aliud caput, aliam Epiſcopatûs ſedem habuiſſe umquam, multo minùs nullam habuiſſe: cùm millia armata quinquaginta aut etiam LX. conficere poſſent, pedeſtribus copiis validi, ſexcentos Senatores, multa opida, Centrones, Grudios, Levacos, Pleumoſios, Gordunos ſub imperio ſuo & clientela haberent, & bis cum Cæſare pugnaverint, ob id *nimium rebelles* Lucano vocati: à quibus & *tractus Nervicanus* nomen accepit in Notitia Imperii, *tractus Nervicani limitis* ibidem dictus, *Nervici litoris tractus* in epiſtola II. Paulini ad Victricium. Camaracum cum Atrebatis & Turnaco Remorum urbem pro metropoli ſua habebat, eique ſuffragabatur: donec Paullus PP. IV. rogatus à Philippo II. Hiſpaniarum Rege & Belgarum Principe, anno MDLIX. has tres civitates ditioni Archiepiſcoporum Remenſium exemit, & Camaracum ex Epiſcopatu linguæ Francicæ ſive Vallonicæ novam metropolim fecit, cui quinque ejuſdem linguæ civitates ſedeſve Epiſcopales ſubjecit, Atrebatenſem & Turnacenſem veteres; Audomarenſem, Iprenſem, & Namucenſem novas: ex quibus civitas S. Audomari vel Sithiu, & Ipra partem antiquæ Diœceſios Taruennæ Morinorum paullo antè everſæ, cui priùs attribuebantur, continent.

CAMARIA INSULA.

Inſulam efficit *Camariam* Rhodanus in tria ora diſperſus, quæ vulgò *la Camargue* dicitur, litterâ I in gu converſâ. Ejus mentionem faciunt Annales Bertiniani. Anno DCCCLIX. *Piratæ Danorum Rhodanum ingrediuntur, depopulatiſque quibuſdam civitatibus, in inſula quæ Camarias dicitur, ſe diſponunt.* Quæ verba tranſſcripſit auctor Chronici de Geſtis Nortmannorum. Suprà *Camarias* vocant, at in anno DCCCLXIX. *Camariam*: quum ſcribunt *Rotlandum Arelatenſem Archiepiſcopum in inſula Camaria nimis undecumque ditiſſima, in qua res Abbatiæ S. Cæſarii plurimæ coniacent, & in qua portum Saraceni habere ſolebant, caſtellum opere tumultuario de ſola terra ædificaſſe.* Gervaſius Tiſleberienſis ait *Narbonenſem provinciam habere in fronte, quà Rhodanus fluvius exit in mare, Sticadas inſulas, quas vulgò Camargas nominant quaſi caras marchias. In modum enim inſulæ Rhodano per tria oſtia diviſo claudi*, fertilitate ſoli, ſalinis optimis, piſcationibus ſtagnorum, maris & fluviorum, venationibus, *cyrogryllis*, aucupiis & paſcuis præſtantiſſimas. Sed fallitur Gervaſius. Nam *Camariæ* primùm dictæ ſunt, quæ poſtea *Camargæ*; *Camariæ* inquam vel *Camaria* dictæ ſunt ut videtur à *Caio Mario*, non à *caris marcis* aut limitibus: uti foſſa *Mariana*, ejuſdem Caii Marii opus, partem Rhodani navigabili alveo effundit. Stœchades autem ſunt inſulæ in mari Gallico contra Maſſiliam; itaut earum nomen inſulæ amnicæ, qualis eſt Camaria aut Camargæ,

convenire non poſſit. In tabulis pleriſque vocatur Camaria *la Camargo*, tribus Rhodani oſtiis ceu brachiis clauſa atque circumdata, ut rectè obſervavit Gervaſius. Camariam non deſignant, ſed inſulam Monaſterii Montis Majoris in ſtagno poſitam, Meſſianus & Stephanus in libro I. de Vita Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, quum *ſuburbanam civitatis inſulam* vocant, quò ab Epiſcopo Æonio Cæſarius miſſus eſt, ut Monaſterium Abbate deſtitutum Monaſticâ diſciplinâ informaret.

CAMBETE.

Cambete Æthicus collocat inter Auguſtam Rauracûm & Stabula, ab Auguſta XII. a Stabulis VI. millibus diſtans: tabula Peutingeriana inter *Large* & *Arialbinum* ſic. *Veſontione*, *Lopoſagio*, *Epomanduoduro*, *Large*, *Cambete*, *Arialbinum*. Apud Æthicum vocatur & *Cambate* in itinere ab Antematunno Cambate: *Varcia* M.P XVI. *Veſontione* M.P. XX V. *Epamanduoduro* M. P. XXXI. *Cambate* M. P. XXXI. Cambete vel Cambate vulgò dicitur *Camps*, aut quemadmodum aliqui ſcribunt *Kemps*, ut Simlerus ac Surita aſſerunt; quod & ſitus loci confirmat, & utriuſque nominis veteris ac novi ſimilitudo. *Lopeſarium* apud Æthicum eſt *Loye* vicus ad Dubim flumen, inter Viſontionem & Epomanduodurum vel Epamanduodurum, aut Epamantadurum: qui nunc vicus eſt poſitus ad ripam ejuſdem fluvii, non procul à caſtro Pilbgarda, vulgò *Mandeurre* dictus.

CAMBIDOBRENSE MONASTERIUM.

Gregorius Turonicus Epiſcopus, qui natione Aruernus fuit, in Vita S. Quintiani Aruernorum Epiſcopi *Monaſterium Cambidobrenſe* vel *Canbidobrenſe*, item in Vita S.Porciani Abbatis memorat his verbis. *B. Protaſius apud Canbidobrenſe Monaſterium habebatur Recluſus, qui cum ſumma feſtinatione Monachum ex cellula ſua ad fratrem dirigens*, &c. *ad fratrem*, id eſt ad Porcianum in vico Artona ſedes habentem. Locus nunc vocatur *Combronde*, ab Artona amne Morgia diviſus.

CAMBIOVICENSES.

In tabula Peutingeriana circa *Degenam*, id eſt Dececiam majuſculis litteris adſcribuntur collocanturque *Cambiovicenſes*: qui ſunt forſitan incolæ Combraliæ regionis in Aruernis, *Combraille*, & *Cambionis*, *Chambon*, loci in Combralia nobiliſſimi, qui olim *Cambiovicus* dictus ſit, nomenque *Cambiovicenſibus* dederit: quo nomine & regionis Combraliæ & Cambionis vici vel caſtri habitatores deſignantur, ut equidem puto.

CAMELARIA.

Geneſius Senatoriæ ſtirpis, vir Gallus nobilitate ac opibus illuſtris, pietate idem & ſapientia eximius, Aruernorum & civis & Comes, Epiſcopatu patriæ recuſato clariſſimus: hortante Præjecto, quoniam liberos non habebat, in loco Camelaria urbi Aruernis propinquo Monaſterium Virginum condidit, quæ Cæſarii ac Columbani ſtatuta ſequerentur, rebuſque ſuis largiſſimè donavit, feminamque illuſtrem nomine Gundilanam ab Epiſcopo Abbatiſſam conſtituendam curavit: reliqua bona quæ habebat ampliſſima, variis Eccleſiis legavit circa annum DCLXX. ſicuti in libro XXI. Rerum Francicarum ſcripſimus. Camelaria vulgò *Chamelière* nuncupatur & *Chamalière*.

CAMELIACENSIS VEL CAMLIACENSIS PAGUS.

Cameliacum vel *Camliacum*, vulgò *Chambli* dictum, nomen dedit *pago Cameliacenſi* aut *Camliacenſi* in Bellouacis, cujus eſt caput Monſtreletio in capite CLXXVI. voluminis I. Camliacû loricarium cognominatur, forſitan quòd ibi loricæ olim fierent, *la ville de Chambly le Haubergier*. In quodam diplomate invenio *villam Baudrinam ſuper fluvium Iſeram ſitam in pago Cameliacenſi* qui *pagus Camliacenſis* vocatur in Vita B. Baboleni Abbatis Foſſatenſis; in qua *Campania villa* (*Champagne*) ſita eſſe dicitur in pago Camliacenſi. Pippinus Francorum Rex in litteris anno regni ſui I. datis *pagi Canliacenſis* inter pagos *Belloacenſem* & *Velcaſſinum* meminit, nec non *pagi Madriacenſis*, *pagi Tellai*, & *Vimnai*. Sugerius in capite IV. de Vita Ludovici Craſſi Francorum Regis, Matthæi Comitis Bellimontis *caſtrum nomine Canliacum* commemorat.

CAMILLIACUM.

Caſtellum Camilliacum in priſcis tabulis video appellari, quod vulgò nunc *Chemillé* dicitur, eſtque locus non obſcurus in Andibus. *Camiliacum* alii nuncupant: ſed *Camilliacum* præfero, nomen à Camillo aliquo caſtelli forſitan conditore impoſitum. Eſt & *Camilliacum* in diœceſi Saienſi, *Chemilly*, quod & Prioratum ad Bleſenſe Monaſterium S. Launomari pertinentem, & Eccleſiam ſuam ſeu parœciam habet.

CAMIZISUS PAGUS.

Camizиſus pagus in Capitulis Caroli Calvi anno DCCCLIII. apud Silvacum editis memoratur, & inter *Barriſum* ac *Catalaunium* ponitur. *Camiziſus* hic pagus fortè dictus eſt pro *Camigiſus*; ut *Vonziſus* pagus ibidem dicitur pro *Vongiſus* a Vongo: aut certè z litteræ ſ locum tenet. *Camizenſi* pago ut puto nomen dedit *Camizus* locus, vulgò *Chemois* dictus, inter Catalaunos & Barrum Ducis, ſeu inter pagos Catalaunicum & Barrenſem poſitus ad amnem in Matronam influentem: qui ſi *Camigus* aut *Camiſus* vocari debet, pagus quoque *Camigenſis* vel *Camiſenſis* eſt appellandus. Nec de eo pago plura quæ memorentur occurrunt: qui & obſcurus maximè eſt ac ignobilis, & nuſquam alibi quàm in Capitulis Silvacenſibus notatur.

CAMPANIA REMENSIS AUT GALLICA.

Campania Ducatus olim fuit, Duceſque habuit Lupum à Gregorio memoratum, Rauchingum, VVintrionem à Fredegario & in Geſtis

Geſtis Francorum celebratum, VVaunerem, Drogonem filium natumajorem Pippini Ducis & Principis Francorum, alioſque. Patebat autem maxima ex parte Regibus Auſtriæ: pars ejus circa Tricaſſas Burgundiæ attribuebatur. Flumen Alba Campaniam Auſtriacam à Burgundica dividebat, cujus ad ripam poſitum erat opidum Tricaſſium Arciaca, ad Reges Burgundiæ pertinens. Multo autem major quàm nunc ſit, fuit olim haud dubiè Campania Auſtriaca: cùm de ea Regnum facere Rauchingus Dux, Urſio, Bertefreduſque voluerint. Dicuntur enim ſublato Childeberto Auſtraſiorum Rege ita Regnum inter ambos ejus filios dividere voluiſſe, ut Theodeberto majori *Regnum Campaniæ*; Theodorico minori reliquum Regni paterni cederet, ſicuti ſcribit Gregorius. Campania ergo non tota (nam pars ejus Burgundiæ erat) Regni Mettenſis vel Auſtriaci, tanti & tam longè latéque jacentis dimidium haberi potuit. Quamquam quid dimidium dico? cùm pars Regni major & melior natumajori dari debuerit. Sed & Pippinus Dux & Princeps, cùm duos haberet filios ex juſto matrimonio ſuſceptos, Drogonem majorem, minorem Grimoaldum: juniorem quidem Grimoaldum Majorem domus Childeberti Neuſtriæ & Burgundiæ Regis conſtituit; Drogoni verò cui tamquam majori majora debebantur, Ducatum Campanenſem contulit.

Campania qualis nunc eſt, à flumine Sequana circa Barrum, Auguſtobonam Tricaſſium atque Mauriacum incipit, Moſâ terminatur circum Moſomagum, Duciacum, Sedanum, Doncherium, Macerias, Caroliurbem, Caſtrumque Reginaldi. Interfluunt Alba, qui Barrum alterum, Arciacam, Planciacum & Marcelliacum alluit; Matrona Jovis villam, opidum S. Deſiderii, Victoriacum Franciſci, Catalaunos, Sparnacum, Dormanumque attingens; Vidula, qui Durocortorum Remorum, Juncariam, & Fines præterlabitur; Axona opidum S. Manechildis, Sindunum, Attiniacum, Reiteſte, Caſtrum Portianum ac Pontem Varenſem alluens. Itaque Campania partem Lugdunenſis IV. vel Senoniæ occupat circum Tricaſſas atque Mauriacum, & partem provinciæ Belgicæ II. id eſt Remenſem & Catalaunicam Diœceſes, necnon portionem provinciæ Belgicæ I. nimirum Barrenſes Ducis, ad diœceſim Tullenſem ſive ad Leucos gentem Belgicæ primæ pertinentes.

A campis ſuis latè patentibus Campania noſtra nomen accepit, de quibus Apollinaris Sidonius in carmine V. ad Majorianum Aug.

Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos ſe Belga tuos.

Nimirum ibi ſunt campi Remenſes, quos *agros Remorum* ſemel atque iterum vocat Cæſar in libro II. & magno ſibi uſui ad bellum gerendum fuiſſe, commeatuſque ſuos ſuſtinuiſſe ait: Plinius in libri XIX. capite V. *Remorum arva* nuncupat. Ibi ſunt campi Tricaſſini. Nam in Vita S. Lupi Epiſcopi reperio *Trecenſem civitatem in patentibus campis ſitam.* Sunt ibidem *campi Catalaunici*, Tetriciana clade nobiles, *qui & Mauriaci nominantur*, & centum leugas in longitudinem patent, ſeptuaginta in latitudinem. Leuga autem Gallica mille & quingentorum paſſuum erat, uti Jordanes in Geticis, ſed falsò ſcribit, Catalaunicos campos & Mauriacos confundens: cùm *campi Mauriaci*, ſeu *Mauriacenſis campania*, atque Mauriacum ejus caput, procul à Catalaunis abſint; portio licet Campaniæ. *Campaniam territurii Catalaunenſis ſuper fluvium Axſoma* Fredegarius MS. in libri V. capite XIII. vocat, hoc eſt campos Catalaunenſes ad Axonam; Aimoinus in libri IV. capite I. *campaniam Catalaunenſem ſuper fluvium Axonam.* Omitto *Arciacenſem campaniam*, à Fredegario in libri V. & ultimi Chronici capite XIX. memoratam, ab Arciaca Campaniæ opido cognominatam.

Ab his campis dicta eſt *Campania Remenſis* Gregorio Turonico Epiſcopo in capite XVII. libri IV. Hiſtoriæ Franciæ, & libri V. capite XIX. eidem ſimpliciter & abſolutè *Campania* in libri III. capite XIV. in quinti tertio, & octavi decimotertio; ut & in Geſtis Francorum *Campania*, atque ſemel *Campania*; Aimoino libri II. capite XI. *Campania*. Fredegarius exemplo Gregorii *Remenſem Campaniam* vocat; Aimoinus ſimiliter in libri III. capitibus XII. XV. XXIII. & XXCII. & Frodoardus *Cāpaniam Remēſem*. Hermannus Contractus in Chronico ſæpe *Campaniam Gallicam* non abſurde nuncupavit, ut diſtingueret à Campania Italica, quæ Felix cognominata eſt; Gulielmus Neubrigenſis *Gallicanam Campaniam*. Incolæ Campaniæ a Gregorio in libri V. capite XIV. & à Fredegario *Campanenſes* appellati; *Campanienſes* ab Aimoino. Noſtri Campaniam provinciam vocitant *la Champagne*; Campanenſes provinciæ habitatores *les Champenois.*

In veteri Vita S. Gengulfi qui æqualis Pippini Regis fuit, hæc legimus de cauſa nominis Campaniæ, & de colore ejus aquarum: *Accidit ei iter agere per loca, quæ Franci Campaniam vocant, quia ſunt ibi prolixa telluris interjecta, frondibus minimè denſata, nec ſaltubus nemoroſa.* & infrà. *Naturale fontibus regionis illius, (Campaniæ) ut ſubalbidum retineant colorem ſecundum qualitatem humi unde videntur oriri.* Certè Alba Campaniæ fluvius à colore aquæ ſuæ nomen invenit. Aiunt & Matronam, flumen Campaniæ, albidas aquas habere, Sequanam quo recipitur, nigras.

Remos urbem atque adeo caput Campaniæ fuiſſe, probare opus non eſt; cùm id ſatis nomen ipſum provinciæ, ac Noſtri veteres Hiſtorici, Gregorius, Fredegarius, aliique doceant. Alcuinus in Homilia de VVilibrordo, *Tota* (inquit) *Campania cum populis ſuis propter Remigium venerabilem prædicatorem ad Remenſem feſtinat urbem, apud eam quaſi præſenti Patrono ſua vota ferens.* Tricaſſium quoque civitas Auguſtobona, licèt Guntchramno & ceteris Burgundiæ Regibus paruerit, ac Burgundiæ Regno attributa fuerit, Campaniæ adſcribebatur. In Vita MS. S. Savinæ Virginis, ſororis S. Saviniani Mart. quos Sabinianum & Sabinam rectiùs vocaveris, hæc lego: *Surge, & vade Tricaſis civitatem in Campania.* & infrà. *Cùm didiciſſet in alia civitate, quia jam propè eſt Tricaſis civitas in Campania, velocius feſtinavit appropinquare. Cùm veniſſet id*

conſpectu civitatis, & videns muros conſtructos, ait ad quemdam paſtorem, &c. Ergo muri urbis Tricaſſium recens fortè conditi erant ab Aureliano Aug. cujus juſſu Savinianus fuerat capite cæſus ad Sequanam XII. ab urbe milliario. Et tamen in Vita Lupi Epiſcopi Tricaſſini, ad *Trecenſem civitatem in patentibus campis ſitam, & nec armis munitam nec muris* infeſto agmine veniſſe Hunni cum Attila anno CXXC. poſt Aureliani principatum dicuntur. Sic *Trecas Campaniæ urbem* vocat Gregorius in libri VIII. Hiſtoriæ capite XIII. a *campis* illis patentibus, in quibus eſt poſita: & Lupum Antiſtitem *apud Trecas Campaniæ urbem ſepultum* ait in libro de Gloria Confeſſorum. Unde & Trecarum Comites poſtea magnifico nomine *Comites Campaniæ* ſunt appellati, propterea quòd Campaniæ Gallicæ partem aliquam cum clara ejus urbe obtinebant. Proximi ſunt campis Tricaſſinis *campi Mauriaci*, quos Jordanes cum *Catalaunicis campis* falsò confudit. Nam campi Mauriaci nomen habent a Mauriaco, opido ad Sequanam Tricaſſis propinquo, *Meri*. Fredegarius *Mauriacenſem campaniam* vocat in Chronici libro III. *Huni* (inquit) *Trecaſsis in Mauriacenſi conſedere campania.* Catalauni quoque à campis ſuis claris & illuſtribus Campaniæ ſunt attributi. Lugdunum Clavatum ſimiliter Campaniæ olim erat, cùm nunc ſit Picardiæ. Certè Lupus Dux Campanenſis *intra urbis Lugduni Clavati muros* tamquam in tuto loco uxore ſua relicta, ad Guntchramnum Regem Burgundiæ, Childeberti Auſtraſiorum Regis, principis ſui patruum confugit; ut tradit Gregorius in libri VI. capite IV. Ex quo intelligitur Lugdunum Clavatum, quod vulgò Laudunum vocant, ad Ducatum Campaniæ Auſtriacæ pertinuiſſe, & ob munitiones ac ſitum loci Ducum Campanenſium ſedem eam exſtitiſſe.

Comes Campaniæ unus olim de duodecim Paribus Franciæ fuit, & ſeptem ſub ſe Comites Pares habuit, qui *Comites Pares Campaniæ* vocabantur, ut Petrus Pithœus notat. Horum ſeptem Comitum Parium primus erat ac veluti Decanus, Comes Joviniaci, *Joigny*, in confinio Campaniæ & Burgundiæ, ob idque Comiti Campaniæ Conventum agenti ac pro tribunali ſedenti proximus aſſidebat; ſecundus Comes Reiteſtinus, *Retel*; tertius Comes Breonenſis vel Brenenſis non procul à Barro ad Albam, *Brienne*; IV. Rauciacenſis ad Axonam *Roucy*; V. Brennacenſis vel Brainenſis *Braine*, ad Vidulam; ſextus Comes Par Grandis Prati aut Longi Prati, *Grand Pré*; ſeptimus & noviſſimus Comes Barri Sequanici haud longè a Tricaſſis.

Auctor incertus in Hiſtoria Hieroſolymitana quam circa annum MCC. ſcripſit, Campanenſium virtutem bellicam eximiè commendat. *Eſt quadam pars Franciæ, quæ Campania dicitur: & cùm regio tota ſtudiis armorum floreat, hæc quodam militiæ privilegio ſingularius excellit & præcellit. Hinc Martia pubes potenter egreſſa, vires quas in tirociniis exercitavit, in hoſtem audentius exerit, & imaginaria bellorum proluſione propoſita,* (*les Tournois*) *pugnaces animos ad verum Martem incendit.* Eorumdem ac Sequanæ accolarum audaciam & fortitudinem in bellis ac prœliis laudat Nicolaus de Braia, in rebus geſtis Ludovici VIII. Francorum Regis hoc verſu,

> Audaces & Marte probos Campania fudit
> Cum Secana.

Nec tantùm fortiſſimos bellatores gignit Campania, ſed etiam prudentiſſimos & omnibus pacis artibus præſtantiſſimos viros. Huic certè præter ceteros Colbertum debet Francia, indefeſſum ac ſupra fidem laborioſum Regalium onerum adjutorem, pervigilem ſecuritatis publicæ cuſtodem, ſingularem patronum litterarum.

Gregorii in capite XV. libri III. Hiſtoriæ Francicæ verba ſunt hæc de Attalo & Leone, qui intra Trevericum territorium cuidam *Barbaro*, hoc eſt Franco ſerviebant, & eo clàm relicto, fugà Remos Lingonaſque repetebant. *Sumtis equis diſceſſerunt. Venientes autem ad Moſellam fluvium, relictis equis, enatantes ſuper parma poſiti amnem, in ulteriorem egreſſi ſunt ripam, & inter obſcura noctis ingreſſi ſilvam latuerunt. Tertia enim nox advenerat, quòd nullum cibum guſtantes, iter terebant. Tunc nutu Dei repertâ arbore pruno comedunt poma, & parumper ſuſtentati, ingreſſi ſunt iter Campaniæ. Hi autem nocte ipſa attigerunt ad urbem Remenſem*, &c. Heic omnino emendandum puto III. litterulis ſublatis, *ad Moſam fluvium*. Moſa enim interiacet ac interfluit inter Auguſtam Trevirorum quæ adſita Moſellæ eſt, & Durocortorum Remorum: & qui in pago Treverico Moſellam inter ac Moſam jacente ſerviebant atque habitabant, hi fugitivi in Campaniam tendentes, intra biduum, ſive ante *tertiam noctem* non ad *Moſellam*, ſed ad *Moſam* fluvium pervenire debuerunt atque potuerunt, eumque tranſnatare, & intra tertiam fugæ ſuæ noctem urbem Remos intrare. At Moſellam veſpere tranſgreſſi, proxima nocte inſequenti ad eam urbem non potuiſſent pervenire. Nam à Divoduro Moſellæ adpoſito Durocortorum uſque iter eſt millium paſſuum LXXXVI. leugarum XCIX. ut Æthicus docet in Itinerario. Præterea qui per pagum Trevericum iter in fines Campanenſium facit, tranſito Moſâ flumine Campaniam intrat, tranſito Moſellâ amne non intrat: ſicuti Attalus & Leo poſtquàm Moſellam tranarunt, nocte inſequente *Campaniam ingreſſi* eſſe ſuprà dicuntur. Nam ut nunc, ſic & olim Campania Moſâ terminabatur, nec Moſellam umquam (quod ſciam) attigit. Neminem certè è Geographis recentioribus vidi, nullum Hiſtoricum ſive externum ſive domeſticum legi, qui Treviros & Mediomatricos populos Moſellæ accolas, cum Auguſtâ & Divoduro, utriuſque Gentis capite, in Campania collocaret.

Divæus in libro II. Rerum Brabanticarum ſcribit, Toxandriam (quam *Taxandriam & Teſſandriam* vocat) *ac regionem, ubi Antuerpia, Boſcus, Breda, ac Berga ſunt*, (id eſt Brabantiæ partem) *ſua ætate in Campania ſeu Campinia nomen conceſſiſſe, quæ in Brabanticam Leodicenſemque diviſa ſit.* Florebat autem Divæus vivebatque circa annum MCCCCXX. At VVendelinus, qui noſtra ætate Legem Salicam illuſtravit, *Toxandriam ante quadringentos annos*

novo nomine Campiniam, *vulgò Kempen* appellari cœpiſſe affirmat. Quod ſi verum eſt, multo ante Divæi ætatem, nimirum circa annum MCCL. nomen Campaniæ ejus in uſu eſſe occœperit. Sed Theodoricus Abbas Monaſterii S. Trudonis qui anno MCVII. deceſſit, multo antiquiorem anno MCCL. eam appellationem fuiſſe docet, cùm eâ utatur in Vitæ S. Trudonis libri II. capite X. *Pippinus Maior domus, filius Anſigiſi, villam in pago Campaniæ ſitam nomine Ham in uſus ſervorum Dei* (hoc eſt Monachorum Trudonianorum vel Sarchinienſium) *ſub charta & teſte donavit. Ham* autem *villa in Campania*, eſt in Brabantia vicus hodieque, arce munitus, & non procul ab Aloſto opido abeſt, re & nomine vicum præferens. Quippe *Ham* etiamnum vocatur, nomine apud Germanos vicum ſignificante. *Campania* ergo à planitie camporum longè lateque diffuſa nuncupabatur ante annos DLXX. pars Brachanti vel Brabantiæ pagique Leodicenſis, regio in longitudinem (uti aiunt) leugas XXIV. patens, in latitudinem XVII. & in Campaniam Brabantinam Leodicenſemque diviſa: quam hujusce *Campaniæ* appellationem veterrimam eſſe ſuſpicari quis poſſit, & eò uſque Campaniam Gallicam Remenſemve pertinuiſſe: *Campaniamque* illam cùm Brabanticam tum Leodicenſem, quæ communi nomine *Kempen* & *Kempenlandt* nuncupatur, noſtræ Campaniæ portionem olim exſtitiſſe.

CAMPI LAPIDEI.

M. Porcius Cato in libris Originum de Tuſcia Transciminia ita ſcribit. *Soana: Non procul Saturniâ lapides à Iove compluti in auxilium Herculis contra Ligures-Etruſcos gigantes, à filio ejus dicti Lamones.* C. Sempronius in libello de diviſione Italiæ idem refert quod Cato. *A capite* (inquit) *Etruria ad Tiberim ſunt Etruſci-Ligures, in quibus ſunt campi compluti lapidum, clari pugnâ Herculis, adhuc Lamones dicti ab ipſius Herculis filio Lamone.* Amborum libri etiamſi ſuppoſititii videantur, veteres tamen ſunt: quos ego laudavi, quoniam Camporum lapideorum mentionem faciunt. *Lapides* autem iſti, vel *campi compluti lapidibus*, lapideive, *clari pugnâ Herculis*, non in *Etruria-Liguria*, ſed in Liguria Tranſalpina; non in Italia, ſed in Gallia fuerunt: quos *Lamones* dictos eſſe à filio Herculis Lamone mihi incognito, nuſquam alibi reperio. *Quis ignorat* (inquit Solinus) *ab ipſo Hercule dictos in Liguria Lapidarios Campos, quòd à Iove, eo dimicante creduntur ſaxa pluiſſe?* Inter Rhodanum Foſſamve Marianam, & Maritimam Avaticorum ſtagnumque ejus Maſtromelam Mella Campos Lapideos ponit, & deſcribit his verbis. *Litus ignobile eſt Lapideum, ut vocant, in quo Herculem contra Albionem & Bergiona Neptuni liberos dimicantem, cùm tela defeciſſent, ab invocato Iove adjutum imbre lapidum ferunt. Credas pluiſſe: adeò multi paſſim & latè jacent.* Mellæ *Litus Lapideum* ſunt *Campi Lapidei, Herculis præliorum memoria*, uti loquitur Plinius. Strabo Mella & Plinio vetuſtior πεδίον λιθῶδες, id eſt *Campum Lapideum* vocat, & inter Maſſiliam ac oſtia Rhodani collocat, ſtadiis circiter centum ſeu XII. millibus paſſuum à mari diſtantem. Eum campum ait rotundum, & plenum eſſe lapidibus, ſub quibus herbæ naſcantur, paſcendo pecori abunde ſufficientes: medio in campo aquas & ſalinas eſſe. Certè aquæ ibi aliquot in locis reperiuntur, & ſalinæ nomen ibi dederunt loco dicto *Val Luce ſalins*. Campi ipſi Lapidei vocantur vulgò *la Crau*, aut *las Craux*: & vici ibidem aliquot cognomen hoc ſervant, nimirum vicus S. Martini, & vicus S. Eligii; prior *S. Martin de Crau*, poſterior *S. Eloy du Crau* dicti: præter quos ſunt vici, Magnianum *Maignan*, Foſſa *Fos*, S. Mettiæ *S. Mitre*, qui fuit Aquiſextienſium Epiſcopus. Hoſce campos perflat niger aquilo, frigidus & vehemens, quem μελαμβόρειον Strabo; Circium olim incolæ; nunc *Gario* & *Cerce* appellant. Africum Mella, quum ait Galliæ Narbonenſis *omnem plagam Auſtro atque Africo expoſitam eſſe*. De Circio Lucanus, Plinius in capite XLIX. libri II. Suetonius in Claudio, aliique.

Ceterùm apud Mellam olim *Bergiona* corruptum nomen in *Geryona* ſublatâ unâ litterâ mutandum exiſtimavi, propterea quod Euſtathius in Dionyſii Periegeſin hoc accidiſſe Herculi prodit contra Geryonem dimicanti: qui & *Campum Lapideum Maſſiliam inter & Regenem* ponit, τὸ λίθινον πεδίον μεταξὺ Μασσαλίας καὶ Ῥηγίου. Ubi in locum Ῥηγίου ſubſtituo Ῥοδανοῦ. Eſt enim inter Maſſiliam & Rhodanum effluentē Campus Lapideus. *Geryona* igitur apud Mellam legebam. Certè ſi qua Blondello fides, hodieque Nemauſus ſtatuam Geryonis ſervat: quam veteres poſuere, ut occiſi ab Hercule ejus tyranni monumentum exſtaret, & memoriam beneficii ad poſteros tranſmitteret: tamquam Hercules utriuſque ripæ Rhodani accolas circa Nemauſum & Arelatū Campoſq; Lapideos à Geryone impotente tyranno vindicaverit. Sed quis *Geryonem* huncce *Neptuni filium* agnovit in Galliâ Narbonenſi? quis *Albionem* ejus fratrem? Geryon quidem Hiſpanus heic locum habere non poteſt, patre Chryſaore, matre Callirhoe Oceani filia natus, uti Apollodorus aſſerit. Omitto Herculem adverſus Geryonem Hiſpanum, Regulum inſularum Hiſpaniæ, in Gallia de bobus dimicare non potuiſſe. In libro II. Bibliothecæ narrat Apollodorus, Herculem ex Europa in Africam, ex Africa in Hiſpaniam tranſiiſſe, & ſtatutis columnis, ac Geryone interfecto, abactas ejus boves in naves impoſuiſſe apud Abderam, qui eſt Bæticæ portus, & in Liguriam veniſſe, (ἐν Λιγύῃ lego, pro ἐν Λιβύῃ) ubi boves iſtas furati ſint Alebion & Dercynus Neptuni filii: (Ἀλεβίων τε καὶ Δέρκυνος) quibus occiſis, Hercules per Etruriam iter fecerit. Quæ Apollodori relatio ſi vera eſt, apud Mellam *Albionem & Bergiona* in *Alebionem & Dercynum* mutari oportebit. Nam quod ad errores iterque Herculis pertinet, ab Apollodoro Virgilius, Silius, aliique diſſentiunt, affirmantque Herculem per Gallias & Pyrenæum montem in Hiſpaniam veniſſe; ac Geryone occiſo, ſua per veſtigia reveriſſe; & fabuloſum hoc certamen cum Neptuni filiis in Liguria Tranſalpina ſeu Gallica, alterum cum Caco Vulcani filio in Latio certaviſſe.

In Vita S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi hæc lego. *Ut ante Reſurrectionis diem dum Campi Lapidei ſpatia peragraſti, paſtores ſingulos undâ Baptiſmi regenerando baptizas.* Multi nimirum erant tum, ut ſunt hodieque, paſtores in Campo Lapideo, nimirum bubulci, & opiliones, caprarii, ac ſuarii, quoniam ibi herbæ inter lapides atque etiam ſubter (ut ait Strabo) enaſcuntur, quas expetunt boves ac pecora, & quarum ſuavitate delectantur.

CANIS SUSPENSUS.

Caſtrum eſt in provincia Gothia inter Carcaſſonem & Narbonem poſitum, ſed Carcaſſoni propius, *Canis Suſpenſus* dictum, & Petro in Hiſtoriæ Albigenſium capite XXXIV. memoratum, vulgò hodieque *Cappendu*, aliàs *Canpendu*. Veteres tabulæ ejus caſtri meminere, & *Domini Raimundi de Cane Suſpenſo* In Chronico de Epiſcopis Albigenſibus & Abbatibus Caſtrenſibus, quod Lucas Acherius edidit, ejus loci fit mentio in Rogerio XXI. Caſtrenſium Abbate, qui anno MCLX. floruit,

De *Cane Suſpenſo Miles*, carus Ludovico,
Principis ante fores enſe trium cecidit.

Hic eſt Ludovicus Junior, ejus nominis ſeptimus Francorum Rex, quem auctor Chronici hujus ad annum MCCXI. deducti *Ludovicum Juvenem* appellat.

CANTILIA.

Tabula Theodoſiana *Cantiliam* ponit inter Aquas Neri & Auguſtonemetum. Annales veteres rerum geſtarum Pippini Regis in anno DCCLXI. *Cantelam caſtellum* memorant, & *Burbonis* atque *Clar-monti* caſtellis interponunt. *Cantillam* vocat Eginhardus in Annalibus, & memoriæ tradit, Pippinum Regem *quædam opida atque caſtella* anno DCCLXI. *manu cepiſſe, in quibus præcipua fuerint Burbonis, Cantilla, Clarmontis.* Vulgò nunc dicitur *Chantelle le Chaſtel*, quo cognomine *Caſtelli* diſtinguitur à Cantilia villa ſeu vico, *Chantelle la ville*. Ambæ Cantiliæ, cùm caſtellum tum vicus, poſitæ ſunt ad Bublam amniculum, *Bouble*, quem Seula vel Sicaula, *Siolle*, in Elaver defert.

CANTOGILUS.

Locus eſt in Arvernis nomine *Cantogilus* vel *Cantogilum*, vulgò *Chanteuge* dictus, Monaſterio veteri inſignis. *Cantogili*, & *Monaſterii Cantogilenſis* meminerunt litteræ anno DCCCCXXXVI. datæ, à Juſtello V. C. laudatæ.

CAPANNÆ.

Iſidorus *capannam* agreſtem caſam interpretatur, & à capiendo deducit, nomen apud veteres ſcriptores Latinos minimè uſitatum: vulgò *cabanne* dicimus. A capanna Noſtri multa loca in Gallia ruſticana & vilia cognominaverunt, partim *Chabannes*, partim *Chavannes*, necnon *Chevannes*; id eſt *Capannas*.

CAPDENACUM.

Capdenacum caſtrum memorat Chronicon Simonis Comitis Montisfortis. *Progreſſus Comes cum ſuis venit Figiacum, cepitque caſtrum quod dicitur Capdenacum, ubi ab antiquo nidus fuerat & refugium tyrannorum, & inde venit Rutenam civitatem.* Capdenacum vulgo dicitur *Cadenac*, ſitumque eſt inter Figiacum, & civitatem Rutenorum.

CAPELLA.

Capella caſtrum eſt non longè à mari Caleſium inter & Gravenengas, ita dictum à parvo Monaſterio, quod ob exiguam loci Baſilicam *Capellam* vocavere. Ejus loci mentionem faciunt litteræ Manaſſis Comitis Giſnenſis anno MXCVII. datæ, quarum teſtes *Gerardus Hamenſis Abbas, Ravengarius Abbas Capellæ, Arnulfus de Arde*: litteræ Euſtathii III. Comitis Bononiæ, in quibus hæc legimus. *Intra Moniſterium de Merck apud Capellam. Signum B. Abbatis S. VVolmari, S. R. A. Andernenſis, S. M. A. de Capella.* *Merck* autem illud eſt inter Caleſium & Capellam; quod alii *Merq*, alii *Marc* ſcribunt. Capella vulgo dicitur *Cappelle Broek*, in quibuſdam tabulis *Capelle Broue*, id eſt Capella lutoſa. Eſt & in Teoracia ſilva atque pago Capella caſtellum non antiquum, *la Cappelle*.

CAPLEIA.

Capleiam olim vocatum eſſe aiunt locum aut vicum pagi Ternodorenſis, vino inclytum, qui nunc *Chablie* aut *Chablis* nuncupatur. *Capleia vicus, ubi B. Martini Eccleſia*, appellatur in libro rerum memorabilium à Bernardo geſtarum, & prope caſtrum Tornodorenſe ponitur: ubi *Chableta* quidam malè legunt. In Vitæ Bernardi libro IV. Gaufridus ejus loci meminit. *Chableia nomen eſt vico, qui inſignem B. Martini Baſilicam habet.*

CAPRÆMONS.

Capremons villa olim Regia fuit in Tungrorum finibus diœceſive Leodicenſi, vulgò *Chievremont*, aliàs *Keuermont* dicta. Unde apud Conradum Abbatem Urſpergenſem dicitur *Giſilbertus* Belgarum Dux *recepiſſe beneficia* vacantia à Rege Carolo Hebete *Trajectum, Iuppilam, Harſtallum, Marſnam, Littam, & Capramontem.* Liutprando in libri IV. capite XIX. vocatur *caſtellum Capremons, non ſolum ingeniis hominum, verùm naturâ ipſâ munitum*, regnante in Germania & Regno Lotharii Ottone ejus nominis primo. Capræmontem caſtellum, ſive opidum Notegarius Leodicenſis Epiſcopus, vulgò Notgerus dictus, funditus ſuſtulit anno DCCCCXXC. *Capremontem* vocat Frodoardus in Chronico *munitionem in Regno Lotharienſi* ad flumen Moſam: Regino Frodoardo vetuſtior, & ſuppar Frodoardo Gerbertus, in epiſtola CII. ad Adalberonem Archiepiſcopum, *Caprimontem* appellans, ac in Regno Lotharii ſimiliter ponunt.

CAPRARIA.

Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri III. capite XXI. caſtra *Deas* & *Caprariam* poſuit in

pago Biterrenſi. *Theodebertus uſque ad Biterrenſem civitatem abiens, Deas caſtrum obtinuit. Deinde ad aliud caſtrum nomine Caprariam legatos mittit.* Deas caſtrum quidam *Montadié* interpretantur, in his Blondellus: Ego *Dion* eſſe puto. *Capraria* autem eſt *Cabrieres*, vel potiùs *Cabriers*, non procul à Fonticulis (*Fonteils*) & Piſcenis, IV. leugis & dimidia diſtans ab urbe Biterris, uti ait Catellus, qui & *caſtrum Caprarias* vocat ſeu *Caprieres*, atq; nomen loci in numero plurali ſcribit. Errat Falcetus, qui *Caprariam* Gregorii *Cabrieres* quidem eſſe poſſe dicit, ſed Leutevanæ diœceſi eam attribuit. Capraria nimirum ſeu *Cabrieres* æquali à Leuteva & Biterris ac Agatha diſtat intervallo; ſed in Biterrenſi, non in Leutevana eſt diœceſi, & nomen ſuum dedit Archidiaconatui Caprarienſi in Epiſcopatu Biterrenſi. Certè in litteris anni MCCLII. *Dominus B. de Dorna, Archidiaconus Biterrenſis in Caprarienſi* nominatur. Decretum Ludovici Pii Aug. de Monaſteriis Regni Francorum in Septimania ponit *Monaſterium S. Mariæ Caparienſis cum Monaſterio S. Ægidii in valle Flaviana*, (*S. Gilles* ad Rhodanum) *Monaſterio S. Petri in Lunate*, (*Lunel*) *Caunis*, aliiſque: quod *Monaſterium S. Mariæ Caprarienſis* appellandum eſſe, & à Capraria noſtra cognomen accepiſſe exiſtimo.

CAPUT CERVIUM.

Caput Cervium dicitur prædium in finibus Biturigum ſitum, Lemovicinis contiguum: à quo vicina regio corrupto vocabulo Capcergenſis *vocatur*, inquit Aimoinus de Miraculis S. Benedicti. Adrevaldus in capite XXXVIII. *Caputcervium pagum Aquitaniæ provinciæ, Regia liberalitate* Cœnobio Floriacenſi donatum fuiſſe ſcribit. Vulgò *Sacerge* dicitur, alias *Sacierges*; eſtque locus proximus Bruciæ *Broſſe*, & municipio Salis, vel Salenſi Sallenſiue caſtro, Monaſterioque *S. Benoiſt du Sau*, ut Aimoinus docet. Tabulæ eum inter Argantomagum & Oblincum ponunt, & alterum ejuſdem nominis locum in eiſdem Biturigibus ſtatuunt prope vicum Dolenſem & fluvium Angerem.

CAPUT STAGNI.

Caput Stagni caſtrum à re nomen habet. Eſt enim poſitum ad caput ſeu initium ſtagni, quod in Atacem defluit; nec multum diſtat à Columbariis *Colombiers*, & à Caſulis Obri fluvio adſitis, *Caſoux*, non obſcuris locis. Vulgò nuncupatur *Capeſtang*, aliàs *Capeſtain*, nec malè. Ut enim ſtannum Noſtri vocitant *eſtain*, ſic & ſtagnũ tam *eſtain* nominare poſſunt quam *eſtang* vel *eſtan*: cùm ſtagnum à ſtanno unâ tantum litterâ differat, nihil ad rem faciente. *Caſtrum quod vocatur* Caputſtagni memoravit Petrus Monachus in Hiſtoriæ Albigenſium capite XXVII.

CARANTONUS FLUVIUS.

Canentelus à Ptolemæo vocatur; ab Auſonio Aquitano *Carantonus* hoc verſu

Aſſiduo refluus non ipſe Carantonus æſtu.

In Vita S. Eparchii *Carantonis fluvius*, id eſt Caranto; *Charanta* in Geſtis S. Ludovici Francorum Regis; Caranta aliis, vulgò *la Charente*.

Oriri dicitur in vico Caronaco, *Cheronnac*, in confinio Lemovicum & Ecoliſmenſium fonte modico: Giuracum opidum, Vertoilum & Ecoliſmam attingit, tum Caſtellum Novum, Baſſiacum, (*Baſſac*,) Ajarniacum, Conniacum, *Congnac*, ad ipſius & duorum amnium confluentes, Mediolanum Santonum, Talleburgum, Tauniacum ad Carantonum cognominatum *Tonnai-Charante*, Rupem fortem: demum ad Solbiſiam & portum Lupini in Oceanum effluit Santonicum. Recipit Carantonus præter ceteros fluvios Tardueram, *Tardouere*; Tolueram *Touvre*, ſupra Ecoliſmam, magni amnem nominis, ſed breviſſimi curſus, veteribus memoratum; Notram *Noere*. Vita Caroli Magni à Monacho Ecoliſmenſi ſcripta *ſuper fluvium Tolueram Magnacum & Iuvenacum, Roliacum ſuper fluvium Notram*, inter res ad Monaſterium S. Eparchii pertinentes quas Carolus litteris ſuis confirmaverit, commemorat. Demum Carantonum ultimus auget Vultunna, aliàs Vultonna, *la Boutonne*, qui alluit Secundiniacum, *Secondigny*, Ciſacum *Chizay*, Inſulam *l'Iſle*, Avallem *Availle*, Verventum, Angeriacum, opidum Monaſterio ſuo illuſtre, Tauniacum ad Vultonnam *Tonay-Boutonne*, & Vallem *la Vallée*: tum apud locum nomine Portum (*Port*) in Carantonum effluit. Monachus Majoris Monaſterii qui Geſta Conſulum Andegavenſium ante annos D. ſcripſit, *Vultonam* eum vocat, & vicum ſeu caſtrum ad fontem ejus poſitum, *Caput Vultonæ*, *Ché-Boutonne*: & *opidum quod Caput Vultonæ dicitur, in alta rupe ſitum, à capite Vultonæ fluvii, ſive à cavitate rupium nomen accepiſſe* ait. *Nam quoſdam Caput Vultonæ, alios Cavitonium nuncupare.* Quarum etymologiarum altera veriſſima eſt: altera à *cavitate rupium* nomen deducens, & *Cavitonium* nuncupans, prorſus falſa eſt, & nugis quam interpretationi propior.

CARANTOMUS.

Jonas in libro de Vita Euſtaſii Luxovienſis Abbatis ſcripſit ante annos mille Theodulfum cognomine Bobolenum in Biturigibus *Monaſterium Virginum loco nuncupato Carantomo ſupra fluvium Milmandram ex Regula Columbani exſtruxiſſe.* Locus nomen ſervat, & dicitur *Charenton*, ubi hodieque eſt Monaſterium ſacrarum Virginum ex Benedicti præſcripto viventium ad flumen Milmandram, quod in Carem defluit, vulgò *la Marmande* nuncupatum. Carantomus olim haud dubiè *Carantomagus* dicebatur, & ex Carantomago Carantomum Noſtri ſcriptores fecerunt, ut ex Rotomago Rotomum, ex Noviomago Noviomum, ex Ricomago Arvernorum Ricomum, ex Biliomago Biliomum, ex Argantomago Argentomum.

Eſt & *Carantomagus* alius locus in eadem provincia Aquitania Prima, in tabula Peutingeriana memoratus, & inter *Dibonam* Cadurcorum ac Segodunum Rutenorum poſitus.

CARBONARIA SILVA.

Carbonaria ſilva, ſeu *ſaltus Carbonarius*, à carbonibus qui in ea fieri hodieque conſueverunt, appellationem traxit: *la Foreſt Charboniere*. Hæc Arduennæ ſilvæ pars eſt inter Moſam & Scaldim amnes in Nerviis ac finitimis pagis. Gotefridus VVendelinus, vir doctus, in Legibus Salicis illuſtratis, ſilvam Carbonariam in Hainoo Bracbantoque ponit, aitque eam ab ultimo Hainoo ad Lovanium & Dieſtam flumenque Tameram pertinere: ejus ſilvæ partes eſſe Mormaliam, *bois de Mormal*; Ceraſiam, *bois de Ciran*; Soniacam, *bois de Soigne*; Levacam, *Die Leu*, à Lovanio ad portas Dieſtenſes pertingentem: quem totum tractum vocari *Hagelanden* vel *Hageland*, hoc eſt regionem ſilveſtrem & arboroſam. *Laubienſe Monaſterium* in ſilva Carbonaria eſſe ſitum auctore Fulcuino; eſſe & Cœnobium S. Foillani in ſilva Soniaca parte Carbonariæ non lõgè à Niviala: ut litteræ Nicolai Camarac. Epiſcopi anno MCXXXVII. datæ docent: *Mormaliam Carbonariæ partem* à Dintero vocari. *Carbonariæ* mentionem facit Sulpicius Alexander in Hiſtoria apud Gregorium noſtrum: quum *multos Francorum* qui Rhenum tranſierant, *à Romanis apud Carbonariam ferro peremtos* tradit. Et in Geſtis Regum Francorum Chlodio Rheno tranſito, *Carbonariam ſilvam ingreſſus*, Tornacenſem urbem obtinuiſſe dicitur. Ex quo intelligitur inter Rhenum & Scaldim fluvios Carbonariam ſilvam fuiſſe. In eiſdem Geſtis *Franci Carbonariam ſilvam tranſeuntes, uſque Moſam fluvium terras illas vaſtantes ſuccenderunt*. Quæ videntur confirmare opinionem inter Moſam & Scaldim Carbonariam ſilvam ponentium; ut & Nithardi in libro II. verba hæc. *Per idem tempus cùm Lodharius à Lodhuvvico reverteretur, & omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Moſâ trajectâ ratum duxit, ut Sequanam uſque procederet.* In Chronico Monaſterii S. Arnulfi, quod Andreas Cheſnius Annales Mettenſes appellare maluit, hæc ſilva Neuſtriam ab Auſtria dividere dicitur his verbis. Anno DCXC. *adunato exercitu Pippinus ad Carbonariam ſilvam pervenit: qui terminus utraque Regna dividit. Tunc invocato unanimiter Dei auxilio Carbonariam ſilvam tranſeunt, & ad interiores Regni illius partes intrepidi perveniunt, haud proculque ab opido Veromandorum juxta villam Textricium caſtra poſuerunt.* Ex his apparet Carbonariam ſilvam uſque ad Iſaram & Suminam ferè pertinuiſſe. Certè & *Karolus ab Aquitania Cariſiacum veniſſe, & à Carbonariis & infrà ad ſe venientes benignè ſuſcepiſſe* dicitur à Nithardo in libro II. Eſt autem Cariſiacum ad Iſaram flumen non procul ab urbe Veromanduorum Noviomago.

CARCASSO.

A Plinio Narbonenſis provinciæ opidis Latinis adnumeratur *Carcaſum Volcarum Tectoſagum*; Ptolemæo quoque Volcarum *Tectoſagum urbs mediterranea Carcaſo*, Καρκασὼ; in Itinerario à Burdigala Hieruſalem *Caſtellum Carcaſſone*, id eſt *Carcaſſo*; in tabula Peutingeriana *Carcaſſione* pro *Carcaſſio* inter Eburomagum & Livianam; Procopio in libro I. de bello Gothico *Carcaſiana urbs*, Καρκασιανὴ πόλις dicitur; in qua Veſigothorum Reges gazam Regiam ſervare tamquam in munitiſſimo loco conſueverant. Gregorius in libris VIII. & IX. *Carcaſonam urbem* vel *Carcaſonam*, & ejus incolas *Carcaſſonenſes* appellat; Johannes Biclarenſis in Chronico *Carcaſonenſem urbem*. Ex Carcaſſo factum Carcaſſona, ut ex Narbo Narbona, ex Barcino Barcinona vel Barcilona, ex Ruſcino Roſciliona, ex Tarraco Tarracona. Noſtri eam hodieque *Carcaſſone* veteri nomine appellant.

Veteres Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ Carcaſſonis civitatis, ut & Elenæ mentionem nullam faciunt, nullam Concilia vetera Gallicana excepto Narbonenſi: propterea quòd nonniſi poſt cæſum Alaricum ſubactamque à Chlodoveo Aquitaniam ambæ videntur ſedes Epiſcopatûs factæ. Ex quo autem ſedes Epiſcopales evaſere, uſque ad Pippini principatum non Synodis in Gallia, ſed Conciliis in Hiſpania Toleti habitis alibique ambarum civitatum Antiſtites interfuere, decretiſque ſubſcripſere: Septimaniâ vel Gothiâ, cujus urbes Carcaſſo & Elena erant, Gothis tum primo, deinde Saracenis in Hiſpania regnantibus ſubjectâ. Quam ob cauſſam Robertus in Chronico Narbonenſis provinciæ civitates enumerans, *civitatem Carcaſſonenſium*, & *civitatem Elenenſium* ultimum in locum rejicit, ceu noviſſimas in ea provincia Epiſcopatuum ſedes, & Agathâ etiam Magalonaque recentiores: quem Gervaſius Tilleberienſis & Notitia Galliæ circa annum MCCXCV. ſcripta ex parte tantùm ſequuntur: & Elenenſem quidem ſive *Elnenſem* ultimum numerant inter Epiſcopos *Narbonenſi Vaſconiæ Archiepiſcopo ſuffraganteis*; ſed *Carcaſonenſem* vel *Carcaſſonenſem* omnium primum, cui penultimum locum aſſignare cum Roberto debuerant. Peiùs Gervaſio alia Notitia Epiſcopatuum Galliæ, poſt annum MCCCXXII. compoſita, *Carcaſſenſem* & *Elnenſem* primos omnium ſtatuit Archiepiſcopo Narbonenſi ſuffraganteium, quos ultimos poni oportebat. Certè in diviſione Diœceſeôn & parœciarum Hiſpaniæ VVambâ Rege facta, *Narboni metropoli ſubjacere ſedes* jubentur *Beterra*, *Agatha*, *Magalona*, *Nemauſus*, *Luteba* ſeu Luteua, *Carcaſona*, *Elna*.

Prima mentio Carcaſſonenſis Epiſcopatûs, nî fallor, fit in Concilio anno IV. regni Reccaredi Regis Narbone habito, cui *Sergius Eccleſiæ Catholicæ Carcaſſonenſis Epiſcopus* interfuit, ſtatutiſque ſubſcripſit.

Carcaſſonem, ut & Narbonem alluit Atax, vulgò *Aude* dictus, quem Gregorius omiſſo nomine *fluvium parvulum propinquum urbi* appellat in libri Hiſtoriæ IX. capite XXXI.

Pagus Carcaſſonenſis, aliis Carcaſſenſis vocatur, quibuſdam & *Carcaſſeſium* corruptè, incolis *le Carcaſſez*, Noſtris *le Carcaſſonois*. Unde in Chronico Symonis Comitis Montisfortis *Cabaretum eſſe caſtrum fortiſſimum in Carcaſſeſio* dicitur. Hic pagus & urbs unà cum urbe pagoque Biterrenſi Vicecomitem olim ſuum habuit. Pagum autem Carcaſſonenſem nominant *le Carcaſſez*, uti Agathenſem

pagum atque Comitatum l'*Agadez*; Biterrenſem pagum aut Vicecomitatum *le Bezerez* & *Bezarez*; à Cartilato *Carlat* Cartilatenſem pagum, *le Carladez*; Redenſem pagum *le Razez*, & ſimilia.

Diœceſeos Carcaſſonenſis in Volcis Tectoſagibus præcipua loca ſunt, Carcaſſo, Confluentes *Coffolens*, Craſſa *la Graſſe*, Monſlaureus *Montlaur*, Pratella *Pradelles*, Balneola *Banboles*, Caſtanetum, Mons Olivus, *Montolieu*, Aquævivæ *Aigues Vives*. Camſuſpenſus *Campendu*, Mons Regalis *Montreal*, Monſclarus *Montclar*, Ruſiacum *Roſiac*, Villaſicca *Villeſeque*. Villare *le Villar*, Rivi *Rieux*, aliaque caſtra.

CARCER.

Gaufridus Abbas Vindocinenſis Monaſterii in libri III. epiſtolis XIII. XVI. & XXVII. *Carcerem* memorat: quod eſt caſtellum in Cenomanorum finibus atque Diœceſi, vulgò *la Chartre* nuncupatum: ſicuti carcerem in quo rei cuſtodiuntur, Noſtri *une chartre* olim vocitarunt. In Chronico S. Albini anno MIV. *caſtellum Carceris* nominatur, III. Eccleſiis nobile, quarum meminere litteræ Innocentii III. & Johannis XXIII. Romanorum Pontificum.

CARENTONUS VICUS.

Ordericus in libro XI. *vici Carentoni* in pago Conſtantino mentionem facit his verbis. *Portum qui Barbaſtot dicitur applicuit, & ſuper Vada Vire in vico qui Carentonus vocatur, quievit.* Vicus *Carentonus* vulgò dicitur *Carentan*, qui locus poſitus eſt non procul ab Oceano & ab oſtio duorum amnium. In veteribus libris & litteris, quas Chartas nuncupant, *Carentonium* dicitur.

CARIS FLUVIUS.

Gregorius noſter in libri V. Hiſt. Franc. capite XLII. Caris fluvii meminit his verbis. *Liger fluvius major ab anno ſuperiore fuit, poſtquam ei Caris torrens ſe adjunxit.* in MSS. codicibus legi, *poſtquàm ei et torrens adjunxit*, nullo ſenſu. Carus vocatur in rebus Pippini Regis, vulgò *le Cher*. *Rex Pippinus Remiſtano medietatem pagi Bituricini uſque ad Carum conceſſit.* Idem ſimiliter dicitur ab Guillelmo Brittone *Carus patiens carinæ* in libro V. Philippidos. Pippinus Rex Aquitanorum, Ludovici Pii filius, in litteris ſuis ſemel atque iterum *Carim* appellat. *De VI. navibus, quæ per alveum Ligeris, Helerium, Carim, Vintennam diſcurrunt.* Ubi Helerius vel *Helarius* eſt Elaver, Caris *le Cher*, Vincenna eſt Vingenna *la Vienne*: quæ III. flumina in Ligerim devolvuntur. Alluit Caris opida & caſtella, Montē Lucionem, *Montluçon*; Podium Folioſum *Puî Feüilleux*; Valliniacum *Valligny*, Aniacum vetus *Ainay le viel*; vel potiùs Aniacum villam *Ainay la Ville*, Aniaco caſtello propinquam; Columbarium *Colombier*; Montemrotundum caſtrum, à ſitu cognominatum, *Montrond* vulgò, & corruptè *Mouron*; Aureamvallem *Orval*; Nigrumlacum *Noirlac*, Bruerias ad Carum *Bruseres ſur Cher*; Caſtrum novum *Chaſteau-neuf*; Coryletum *le Coudray*, Villamnovam, Quinciacum, Virſionem *Vierzon*, ad quem Averam vel Euvram, *Yeure*, aliàs *Eure* dictum, Uttione (*Auron*) auctum recipit. Deinde attingit Caſtra *Chatre*; Monaſteriolum ad Carum *Meneſtou ſur Cher*; Carobrivas vel Carobrias *Chabris*; Cellam Biturigum vel Cellam S. Euſicii, *Celles en Berry*; ubi Saleram amnem, *la Saudre*, Saldriam quibuſdam nuncupatum admittit: tum Nucaria *Noyers*; caſtrum S. Anniani. Maroilum *Mareuil ſur Cher*; Montem Tricardi; Blaracum *Bleré*; Aciacum *Azay ſur Cher*; Saponarias, Columbaria, Linarias: ac demum in Ligerim influit. Accipit præ ceteris Tardam *Tarde*, Milmandram *Marmande*, Aueram *Yeure*, & Saleram majorem *la grande Saudre*, qui Nigram *Nerre*, & Saleram minorem *petite Saudre* ſecum defert.

CARISIACUM.

Cariſiacum villam Palatii ſuper Iſaram fluvium, vel *Iſram*, quod idem eſt, veteres noſtri Annales cum ſcripti tum editi appellant, in qua Carolus Dux & Princeps Francorum deceſſit anno Domini DCCXLI. quam villam Regiam Palatio inſignem, ſaltuique contiguam fuiſſe, & à Compendio non procul abfuiſſe conſtat, regnantibus Caroli Principis poſteris cariſſimam ac notiſſimam ſedem. Abeſſe dicitur Cariſiacum ab urbe Noviomago millia paſſuum circiter ſex, & vetus nomen ſervare, Carſiacumque vulgò nuncupari; (*Chierſi*) qui eſt vicus ſitus ad ripas Iſaræ, nihilque habet cum Creciaco ad Saram, pagi Laudunenſis caſtro, commune: ut obſervavi in libro XXV. Rerum Francicarum. *Cariſiacus cum foreſtibus* II. Capitulis Caroli Calvi memoratur. In Cariſiaco Palatio habito Concilio anno DCCCXLVIII. Goteſcalcus Monachus iterum damnatus & honore Presbyterali dejectus eſt. Ibidē anno DCCCLVII. altera Synodus eſt congregata. Ceterùm à Chariſio conditore aut poſſeſſore ſaltem ſuo Chariſiacum primo dictum videtur, deinde paullatim adſpiratione detractâ Cariſiacum. In quibuſdam Regum noſtrorum veteribus nummis ſcriptum reperio *Cariſiaco vic*, id eſt vico; item *Cariſiaco*.

Quoniam autem animadverto nonnullos, Jacobi Sirmundi conjecturâ deceptos, hodieque in Cariſiaco errare, & de Cariſiaco Criciacum, de Iſara Saram facere: operæpretium eſſe exiſtimo auctoritate Hiſtoricorum noſtrorum cum editorum tum ſcriptorum eos convincere erroris. In Appendice Chronici Fredegarii, juſſu Childebrandi Ducis compoſita hæc legimus. *Carolus Princeps Pariſius Baſilicam S. Dionyſii Martyris multis muneribus ditavit: veniensque Cariſiaco villa Palatii ſuper Iſaram fluvium, valida febre correptus, obiit in pace, cunctis in gyro Regnis acquiſitis.* Ita in codice Alexandri Petavii ſcriptū reperitur. In Chronico S. Arnulfi Annalibuſve Mettenſibus eadem ferè verba invenias, *Inde verò veniens, (Karolus Princeps) ad Cariſiacam villam ſuper fluvium Iſera ſitam perrexit, in qua valida febre correptus, in pace obiit.* Hos Annales eruit Andreas Cheſnius è veteri codice Jacobi Sirmundi, ac filio ſuo publicandos reliquit. Sed Sirmundus blandienti conjecturæ indulgens, codicem ſuum dum emendare ſe putat fœdè corrupit, & ſicut ipſemet vidi, deleto

nomine *Iſera*, ejus in locum *Saram* ſubſtituit. Chronicon Fontanellenſe edidit Lucas Acherius V. C. in quo de Caroli Ducis & Principis Francorum morte hæc leguntur: *Correptus autem febre in Cariſiaca villa, quæ eſt ſuper fluvio Iſera, in pace obiit.* Evolvi codicem Thuaneum, opus Gregorii noſtri & Fredegarii Chronici librum v. ac ultimum cum ejus Appendice continentem, ubi iſta de Caroli Martelli obitus loco reperi. *Carlus Pariſius Baſilica S. Dionyſii Martyris multa munera donavit: vemenſque Carſiaco villa Palatii ſuper Iſram fluvium.* Apparet ex his vel cæco, conſtanter & in membranis & in editis libris loci, in quo Carolus deceſſit, & fluminis cui appoſitus eſt, nomina retineri, & Palatium quidem vel villam publicam aut Regiam *Cariſiacum* aut *Carſiacum*; flumen *Iſaram*, vel *Iſeram*, aut ademtâ unâ litterâ *Iſram* appellari; nuſquam heic *Creciacum* vel Criſciacum, nuſquam *Saram* fluvium memorari.

Memini beneficio optimi doctiſſimique viri Emerici Bigotii veniſſe in manus meas Aimoinum Hiſtoricum noſtrum cum appendicibus ſuis: quo in libro Petrus Pithœus, ejus quondam poſſeſſor, multa manu ſua notaverat, atque in primis obſervaverat *Cariſiacum* *Carſiacum* nuncupari. *Quierſi* vulgò aut *Chierſi* appellitant Picardi, eſtque ad ripam Iſaræ, nec procul à Calnaco abeſt. In quibuſdam tabulis & apud quoſdam auctores ſcribitur *Tierſi* & *Tierzi*, malè ut puto, mendo à vulgari pronuntiatione orto. C enim in T converti non ſolet. Quamquam animadverto mille pedam ſeu clauſamporcam à Noſtris c litterâ in t mutatâ *clôporte* vocari. Marlotum & Botarotium video meæ de Cariſiaci ad Iſaram ſitu ac vulgari nomine acceſſiſſe ſententiæ: quam & Labbeus aliquot ante obitum annis, poſthabitâ Sirmundi frivolâ falſaque conjecturâ, ſequi ſe palam profitebatur.

C A R I T A S.

Caritas cella Monachorum Cluniacenſium, poſita ad ripas Ligeris fluminis in diœceſi Autiſſiodurenſi intra fines Senonum, à largitionibus & eleemoſynis Monachorum nomen accepit, & dicta eſt a Patrona *Monaſterium S. Mariæ de Caritate*: quod Monaſterium ut loco nomen, ſic opido non ignobili originem dedit. Opidum *Caritatem* vocant, *la Charité*. De ea cella præter ceteros Iohannes Pariſienſis ſic refert in rebus Henrici Francorum Regis. *Hoc anno fundata eſt nobilis Eccleſia & nunc famoſa B. Mariæ de Caritate ſuper Ligerim in Diœceſi Autiſſiodorenſi: in qua requieſcit Gerardus Prior, ejuſdem Eccleſiæ conſtructor: ubi nunc multorum Monachorum devota caterva Divinis officiis mancipatur.* Prioratus S. Mariæ de Caritate ad Ligerim una eſt è v. majoribus cellis ſeu Prioratibus Cluniacenſi Ordini ſubjectis, quorum nomina ſunt, *B. Mariæ de Caritate*, S. Pancratii Leuvenſis in inſula Britannia, S. Martini de Campis Lutetiæ Pariſiorum, Silviniacenſis *de Sauvigni*, & Celſinanienſis. Celſinaniæ autem ſunt in Arvernia, & vulgò dicuntur *Saucillanges*. Stephanus Cluniacenſis Abbas in litteris ad *Illuſtrem & Glorioſum Regem Francorum Ludovicum, dominum ſuum*, Eccleſiæ de Caritate mentionem fecit his verbis. *Amicus noſter Dominus Comes Nivernenſis pene in ipſis januis Eccleſiæ de Caritate molitur readificare antiquas ruinas caſtri, quod olim Marchia dicebatur, & novas ibi ſtructuras erigere. Prohibeat hoc fieri Dominus meus Rex.* *Marchia* autem illa locus eſt ad Ligerim poſitus, proximus *Caritati*, hodieque dictus *la Marche*.

C A R M A N U M.

Caſtrum Carmanum memorat Petrus Monachus in Hiſtoriæ Albigenſis capite III. quod vulgò *Carmain* dicitur, Comitivæ titulo illuſtre in pago Toloſano; *Caramannum* aliis appellatum. In Cōcilio Vaurenſi anno MCCCLXVIII. celebrato N. *Decanus S. Felicis de Caramanno Toloſanenſis Diœceſis* reperitur, (*S. Felix de Carmain*) & *Amelius de Lautrico*, (*Lautrec*)

CARNUTES ET AUTRICUM CARNUTUM.

Carnutes Remorum erant in clientela, & *Carnutum regio totius Galliæ media habetur*; ut Julius Cæſar in libro VI. de bello Gallico ſcribit. Taſgetio Carnuti, cujus majores in ſua civitate Regnum obtinuerant, Cæſar idem pro ejus virtute in omnibus bellis, atque in ſe benevolentia, majorum locum reſtituit: qui tertium jam annum regnans, ab inimicis palam eſt interfectus. Gens Celtica inter Sequanam & Ligerim latè diffuſa, *Carnutes* C. J. Cæſari dicuntur, Straboni, & T. Livio in libro v. qui eos cum Biturigibus, Arvernis, Senonibus, Æduis, Ambarris, Aulercis partem Italiæ occupaviſſe ſcribit; *Carnuti flavi* Tibullo in carmine ad Meſſallam; Plinio in Lugdunenſi Gallia *Carnutens fœderati* inter Æduos fœderatos & Boios; *Carnutani* in veteri lapide Bononiæ in Æmilia. D. M. P. V. *Vettio Perenni Carnutano ex provincia Lugdunenſi Duumvirali Sacerdoti.* Plutarcho in Julio Cæſare *Carnutini*, Καρνουτῖνοι; uni Ptolemæo *Carnutæ* Καρνοῦται; quibuſdam *Carnoteni*, & *Carnoti*, atque etiam corruptè *Carentini*.

Urbs Carnutum à Ptolemæo vocatur *Autricum*, Αὔτρικον: à Magnone quoque eodem nomine deſignatur his verbis; *Carnotenus*, *Autricum*, id eſt Carnotenus, cujus caput eſt Autricum. In quinque veteribus Notitiis *civitas Carnotum* nuncupatur, & poſt metropolim civitatem Senonum prima ponitur in provincia Lugdunenſi IV. vel Senonia. Idem facit Robertus in Chronico, qui à metropoli civitate Senonum *civitatem Carnotum* proximam facit. At Gervaſius Tilleberienſis & nonnullæ recentiores Notitiæ urbem Carnotas in tertium locum rejiciunt, Lutetiâ Pariſiorum quæ priùs poſthabebatur, ei prælatâ, quòd ſit caput Regni & ſedes Regum Francorum. In quadam Notitia *civitas Autricum*, uti apud Ptolemæum & Magnonem, aliàs *Audricum* vocatur ab amne ſuo *Autura*, quem alii *Auduram* dicunt. *Autricum* enim Carnutum appellatum eſſe exiſtimo quaſi *Auturicum* à flumine Autura quo alluitur, *Eure*. In pago Carnutino eſt vicus ſeu villa *Mons Otricus*, nomine ad Autricum caput Carnutum proximè

mè accedente. In litteris Ragenfredi Carnotenſis Epiſcopi: *In pago quoque Carnotenſi dedimus Monaſterio S. Petri Eccleſiam, quæ dicitur Immonis villa cum IX. manſis, in monte Otrico molendinum unum.*

Civitas autem *Carnutum* vel *Carnotum*, *Chartres*, à Gente cujus caput erat, ſic dicta eſt, ut *civitas Senonum*, *civitas Tricaſſium*, *civitas Pariſiorum*, ac pleræque aliæ. Quod cùm quidam ſcriptores etiam veteres non animadverterent, de genitivo plurali nominativum ſingularem generis neutri fecere, *Carnutum* & *Carnotum* abſolute appellando. In his Severus Sulpicius in libro III. de Vita S. Martini *Carnotum oppidum* vocat, alibi meliùs *Carnotenam civitatem*; *Carnotum* & Aimoinus: auctor quoque Notitiæ Imperii Romani *Carnutum* his verbis. *Præfectus Lætorum Teutonicianorum Carnuto Senoniæ Lugdunenſis.* Sic enim haud dubiè corrigendum eſt nomen, cùm vulgò legatur *Carnunto*, quod eſt opidum Pannoniæ. *Carnotus* in genere feminino ea urbe nuncupatur à Fortunato in libro III. de Vita S. Martini, *Carnon* in libro IV. à Nithardo in libro II. *Carentena civitas* mendosè atque corruptè; ab quibuſdam non malè *Carnute*; incolæ urbis Carnuteni vel Carnutini, aliàs *Carnutenſes* Latine, vulgò *Chartrains* appellitantur. Paulinus in libro IV. de Vita S. Martini ſitum urbis nobiliſſimæ & Belſam deſcribit hoc diſticho,

Carnutena jacent patulis quà mœnia campis,
Gallia & immenſis latè diſtenditur agris.

Anno DCCXLIII. urbem Carnutas cepit, incendit ac diruit Hunoldus Aquitanorum Dux, & majorem Eccleſiam S. Mariæ Dei matri jamtum ædificatam, injecto igne unà delevit. Hæc urbs eſt inter Ligerim & Sequanam maximos fluvios, Celticæ vel Galliæ Lugdunenſis terminos media, atque ab utroque flumine æqualibus diſtat intervallis, caput Carnutum, Gentis Celticæ validiſſimæ, totam latitudinem Galliæ Lugdunenſis à Sequana ad Ligerim, quæ eſt XXX. leugarum, obtinentis.

Concilio Aurelianenſi I. interfuit *Aventinus, Epiſcopus Eccleſiæ Carnotenæ*, vulgo *S. Aventin* dictus: Concilio Aurelianenſi II. III. item & IV. *Ætherius Epiſcopus Eccleſiæ Carnotenſis*, aliàs *civitatis Carnotenſis*; Concilio Aurelianenſi V. *Leubenus*, alias *Leobinus* Ætherii ſucceſſor, S *Lubin*.

A Carnutibus *pagus Carnutinus* vel *Carnutenus* nomen accepit, Gregorio Turonico Epiſcopo in capite XX. libri IX. Hiſtoriæ Francicæ *pagus Carnotenus* dictus, in capite XXXIV. libri V. *terminus Carnotenus*; *pagus Carnotenſis* in Capitulis Caroli Magni; *Carentinus* in Capitulis Caroli Calvi, inter *Vinduſniſum* & *Durcaſinum*, id eſt Vindocinenſem & Durocaſſinum. Pagus autem Carnutinus, quem *le pays Chartrain* Noſtri appellitant, agrum tantummodò ſuburbanum Autrici Carnutum ſignificat, non totam regionem Carnutum. Quippe in Carnutibus, à Sequana ad Ligerim & ultra etiam pertinentibus, plures erant, ac ſunt hodieque pagi, nimirum Bleſenſis, Vindocinenſis, Durocaſſinus, (*le Drougeſin*) Dunenſis, Carnutinus, Pinciacenſis, (*le Pincerais*) Madricenſis, Aurelianenſis, Belſa, pars Pertici, ac trans Ligerim quoque uſque ad Carum fluvium Secalaunia. Carnutes igitur, ſicuti Turones & Andicavi præ ceteris, ultra Ligerim amnem intra fines Aquitaniæ partem aliquam agri ſui habuere, ac etiamnum habent, ſed multo utriſque minorem.

Carnutina Diœceſis una eſt è maximis Franciæ. Quippe partem Pertici, pagos Vindocinenſem, Bleſenſem, Dunenſem, Carnutinum propriè dictum, Durocaſſinum, Madricenſem, Pinciacenſem, portionemque Belſæ continet, itaut in IV. nouas diœceſes novoſque Epiſcopatus, nimirum Bleſenſem, Vindocinenſem, Durocaſſinum, & Dunenſem quibuſdam dividi poſſe videatur: quæ IV. opida clara magnaque ſunt, & cathedra Epiſcopali digna. In Eccleſia Carnutena ſunt ſex Archidiaconi, videlicet Archidiaconus major ſive Carnutenſis, Dunenſis, Durocaſſinus vel Drocenſis, Pinciacenſis, Vindocinenſis, & Bleſenſi.

CAROBRIÆ.

In libro de Miraculis S. Auſtregiſili à veteri ſcriptore compoſito invenio, nonnullos è Francis *in villa Stivali juxta vicum Carobrias domum S. Auſtregiſili* Biturigum Epiſcopi incendiſſe. Vicus iſte *Carobria* poſitus eſt in finibus Biturigum, & pontes habuit Caro flumini impoſitos, & ab utriſque nomen accepit. Bria enim vel briva Gallica linguâ pontem ſignificat. Sunt itaque *Carobria* pontes ad Carum. Vulgò nunc *Chabris* mutilato nomine appellari animadverto, cui proximus locus *Mont, ou Maiſon S. Orille*, id eſt Mons S. Auſtregiſili dictus, haud dubiè eſt *villa Stivalis juxta vicum Carobrias*, domo S. Auſtregiſili cubiculoque inſignis. Litteræ Leodebodi Abbatis ab Helgaldo Floriacenſi Monacho relatæ *Carbrias vicum in pago Biturico* commemorant.

CAROCOTINUM.

Æthicus iter à *Carocotino Auguſtobonam* millium paſſuum CLIII. facit, & à Carocotino Julobonam millia X. abeſſe ait. Ubi Surita aſſerit in quibuſdam codicibus *Carocotinum*, in aliis *Corocotinum* ſcriptum reperiri; in nonnullis etiam *Caracotinum*, quod mendoſum eſt. Carocotinum vel Corocotinum vulgò nunc, mutilato ac truncato nomine veteri, dicitur *Crotoy* quaſi *Crotinum*, & eſt locus ad mare non procul ab oſtio fluminis Suminæ.

CARPENTORACTE MEMINORUM.

Plinius omnium primus in Narbonenſi provincia memorat inter opida Latina *Carpentoracte Meminorum*. A Ptolemæo ea Gens ſub Tricaſtinis ponitur, vocaturque *Mimeni*, & eorum urbs *forum Neronis*. Μίμινοι, ὧν πόλις Φόρος Νέρωνος. *Carpentoracte* igitur Meminorum vel Mimenorum vocavere Romani *Forum Neronis*, & prius nomen eſt Gallicum, poſterius Latinum, uni eidemque urbi conveniens. Veterrima Notitia provinciarum & civitatum Galliæ, Honorii principatu compoſita, Carpentoracte omiſit: ceteræ inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. numerant *civitatem Carpen-*

toratenſium aliæ x. loco, aliæ xii. aliæ xiii. In duabus Notitiis *civitas Carpentoratenſium, nunc Vinclauſca* dicitur; ubi legendum eſt *Vindauſca*, quæ ſedes aliquamdiu fuit Carpentoractenſium Antiſtitum, de qua nos alibi. Recentiores, in primis Robertus in Chronico & Gervaſius Tiſleberienſis *Carpentoracum* appellant, & Burgundiæ Metropoli Arelato unà cum Avenione ſexque aliis urbibus ſubjiciunt. Sed poſtea Avenio Arelatenſis Archiepiſcopi ditioni exemtus, & ab Epiſcopis Romanis in metropolim evectus, & Vaſio, Cabellio, ac Carpentoracte urbes quæ Arelatum pro metropoli habuerant, ei ſubjectæ. Falsò ergo Joſ. Scaliger ſcribit *Avenionem à Pontificibus Rom. inſtitutam metropolim, cùm antea ſuffragaretur Viennæ, ut & tres reliqua civitates, Carpentoracte, Cabellio, Vaſio.* Quippe Robertus & Gervaſius ſuprà laudati, qui ante annos cccclx. floruere, & duæ Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ, altera annorum ferè cccc. altera cccxl. in *provincia Arelatenſi* ſub *metropoli Arelate* vel *ſub Arelatenſi Burgundiæ Archiepiſcopo* Avenionem, Vaſionem, Cabellionem, & Carpentorate collocant. Vulgò nuncupatur *Carpentras*, & poſita eſt urbs ad ripas amniculi Ruſſæ *Ruſſe*, olim fortè *Raldæ* dicti, qui in Sulgam (*la Sorgue*) effluit.

Infeliciter Holſtenius *Memines*, quos & *Mimenos*, & non ſemel *Menenos* mendosè appellat, incolas loci dicti *Mens en Treves* interpretatur, aliquantula ſimilitudine nominum adductus: eoſque unà cum Caturigibus Vocontiorum finibus à Strabone includi ait: cùm certum ſit Carpentoracte ſive Forum Neronis caput fuiſſe Meminorum, quæ urbs à vico *Mens* plurimum abeſt. Vicus autem iſte in Dalfinatu, parum diſtat ab urbe Dea Vocontiorum, ad quos haud dubiè pertinet; ad Meminos utique pertinere non poteſt.

Concilio Epaone habito Agapeto V. C. Conſule anno dxvii. interfuit *Iulianus Epiſcopus civitatis Carpentoratenſis*; item Concilio Arelatenſi iv. & Synodo Carpentoratenſi Mavortio Conſule congregatæ, in qua *Carpentorate* memoratur: idem Concilio Arauſicano ad dedicationem Baſilicæ Liberianæ interfuit. *Clematius Epiſcopus civitatis Carpentoratenſis* Conciliis Aurelianenſibus iv. quintoque ſubſcripſit, & Concilio Pariſienſi ii. Synodo Matiſconenſi ii. neſcio quis, vicem agens *Boëthii Epiſcopi à Carpentorate*.

Carpentoracte dictum Gallis, ut Bibracte Æduorum: item Carpentorate, ſicuti Arelate.

CARROFFUM.

Carroffinium, quod & *Carroffium* dixere, locus eſt in Aquitania, veteri Monaſterio clarus ad Carantonum flumen, *Charron. Charoux* quidam ſcribunt. *Monaſterium Carroffinii* in Aquitania memorat Ludovici Aug. ſtatutum de Monaſteriis Regni Francorum: Vita ejuſdem Imp. Ludovici Pii *Monaſterium Carroffi* vocat, numeratque inter ab eo Principe reparata, aut à fundamentis ædificata Monaſteria. *Carrofum* alii nuncupant. In Hiſtoria Aquitanica *Carrofum flammâ caſu combuſtum eſſe* dicitur *cum baſilica* regnante Rotberto. *Sanctum Carrofum* etiam non ſemel dictum reperio, admodum impropriè, cùm *Carroffum* nomen loci ſit, non Sancti aut inter Beatos relati viri. Sed locus qui Monaſterium haberet, ſanctus Monachorum pietate fieri, & ita appellari utcumque potuit. *Caſtrum Roccameltim, vicinum S. Carrofo* Dux Aquitaniæ VVillelmus obſediſſe dicitur, & Lemovicini *per Sanctum Carrofum ad memoriam Baptiſtæ Domini* Angeriacum *proceſſiſſe*. Eſt autem Roccameltis (*Rochemeau*) vicus nunc ad Carantonum, Carroffo proximus; & ab urbe Lemovicis Monaſterium Johannis Baptiſtæ Ingeriacum petentibus Carroffum occurrit.

In libro ii. de Vita S. Genulfi reperio, *Rothertum* ſive potiùs *Rotgarium* Comitem Lemovicinæ urbis Principatu Caroli Magni *Cœnobium Karrofenſe* fundaviſſe: quod poſtea Carolus Magnus *theſauris poſſeſſionibuſque ditaverit*. Monaſterium Carrofenſe S. Salvatoris *Karofum* ante annos dcxxx. dictum reperio: de quo Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus ſic cecinit.

Eſt locus, hunc vocitant Carrof cognomine Galli:
Quo Salvatoris ſub nomine prænitet aula.

Carrof ergo vel Carrofum nomen eſt Gallicum loci in Gallia, ut ſuprà diximus. Hodieque Baſilica Monaſterii Servatorem generis humani quem vulgò *Salvatorem* vocant, pro Patrono Tituloque habere perſeverat. In eo loco duæ ſunt Eccleſiæ, S. Michaëlis, & S. Sulpicii.

AD S. CARTERIUM.

Locus eſt in Petrocoriis, qui à Patrono *S. Carterii*, aut *ad S. Carterium* nomen accepit: vulgò *S. Chatier en Perigord*. Fuit autem Carterius Petrocoricæ Eccleſiæ Epiſcopus, cui Majeſtatis accuſato, negantique à ſe miſſas eſſe litteras quæ fuerant interceptæ, Rex Chilpericus ceſſit ac ignovit, ſuamque remiſit injuriam anno D. dxcii. ut ſcribit Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri vi. Hiſtoriæ Francicæ capite xxxi.

CARTILATUM.

In Annalibus Bertinianis qui in anno dcccxxcii. deſinunt, caſtrum *Cartilatum* ita deſcribitur. Anno dcccxxxix. *Ipſe* (Ludovicus Pius Imperator) *ad caſtrum quod vulgò Cartilatum dicitur contendit: quod caſtrum rupe editum, hinc inde præcipitio vallium muniebatur, præter Orientalem dumtaxat partem, quà parvo admodum intervallo continenti dirimitur.* Cartilatum, vulgò truncato nomine Carlatum dicitur, *Carlat*, veteri Vicecomitatûs titulo illuſtre in Arvernia ſuperiore: à quo *pagus Cartilatenſis* nomen accepit, *le Carladez*. Huic pago adſcribitur *Vicus* Ceræ Seræve flumini appoſitus, Vicus in Cartilatenſi cognominatus, *Vic en Carladez*, ut diſtinguatur à Vico Comitis, *Vic le Comte*, qui eſt in Lemane vel inferiore Arvernia, non longè ab Iciodoro & Elavere flumine. Anno mclxvii. *Hugo Comes Rutenenſis caſtrum Carlat, & totum Carlades ab Ildefonſo Rege Aragonenſi, Comite Barcinonenſi, Duce Provinciæ in feudum recepit*; ut docet pa-

ctio inter eos inita, ab Acherio publicata.

CARUS LOCUS.

Gauſridus in Vita S. Bernardi commemorat *in Diœceſi Beſuntina Monaſterium, cui nomen eſt Carus locus*. Vulgo *Charlieu* vocatur.

Eſt & Carus locus in Æduis inque Diœceſi Matiſconenſi, opidulum Monaſterio veteri illuſtre, non procul à Cluniaco, *Charlieu* ſimiliter dictum, aliàs *Chierieu*. Odo Abbas Cluniacenſis in Collationum libro II. *Carilocenſe Monaſterium* vocat: Agapetus qui anno DCCCCXLVIII. Romæ ſedere cœpit, Seneciacum, Ambariacum, Saviniacum, Ambertam, (*Ambierte*) Eccleſiam S. Abundi, (*S. Aon*,) & *Abbatiam Carilocenſis Cœnobii* numerat inter loca Cluniaco ſubjecta. Ludovicus Francorum Rex quem Tranſmarinum vocant, in litteris anno XI. regni ſui datis, appellat *Monaſterium in honore S. Stephani conſecratum, quod vocatur Cariloeus*. Ceteri non *Carilocum*, ſed *Carum locum* nuncupant. Municipium eſt in pago Belloiocenſi, vix II. à fluvio Ligere leugis diſtans, malè quibuſdam *Caroli ocus* dictum. Nam *Caroli locus* eſt *Chaaliz*, aliàs *Chailly*, Monaſterium vetus, Abbatiæ (ut loquuntur) titulo illuſtre in Silvanectibus.

CASLUTIUM.

Petrus Monachus in Hiſtoriæ Albigenſium capite LV. ante annos CCCCL. *Caſlutii* meminit his verbis. *Tendens Comes noſter Caturcum, tranſiit per quoddam caſtrum, quod erat Comitis Toloſæ, nomine* Caſlutium *in territorio Caturcenſi, & impetu facto totum caſtri burgum extrinſecus ſuccendit*. Caſtrum iſtud in Cadurcis *Caſlutium*, vulgo dicitur *Caïlus de Bonnete*, à fluviolo cui adſidet, eſtque Comitatus titulo illuſtre. *Bonneta* autem amniculus, ſive *Bonamida* (Ponnette) in Avarionem defluit, *l'Avern*; Avarionem Tarnis in Garumnam defert.

CASSINOGILUM.

Caſſinogilum Palatium veterum Regum Aquitaniæ, ſeu villa Regia, eſt in pago Aginnenſi, & vulgò *Chaſſeneuil* nuncupatur. In veteribus noſtris Annalibus & in duabus Vitis Caroli Magni, *Anno* DCCLXXVII. *Domnus Rex Karolus celebravisſe Natale Domini in Dociaco, & Paſcha in Aquitania in villa* Caſſinogilo dicitur. Eginhardi de eadem re verba hæc ſunt. *Rex in Franciam reverſus, Natalem Domini in Duciaco villa, Paſcha vero in Aquitania apud Caſſinogilum celebravit*. In Vita Imperatoris Ludovici Pii ab auctore æquali ſcripta vocatur *villa Regia cujus vocabulum eſt* Caſſinogilus, & ibi Hildegardis anno DCCLXXVIII. Ludovicum genuiſſe dicitur: cujus Regis Aquitaniæ quatuor ex hibernis unum Caſſinogilum fuit, à Monaſterio Regulæ tribus millibus paſſuum diſtans. *In Aquitania Karoli magni Imperat. Palatium quod Caſſinogilum vocabatur, à Rollone diſſipatum eſſe & everſum*, quidam è noſtris ſcriptoribus tradit. *Caſſinoilum* recentiores dixere pro Caſſinogilo, ut pro Nantogilo Nantoilum, pro Bonogilo Bonoilum, pro Vernogilo Vernoilum. Certè in Annalibus Bertinianis hæc legimus. *Celebravit Natalem Domini in villa quæ dicitur Dociacum, & Paſcha in Aquitania in villa Caſſinoilo anno Domini noſtri Jeſu Chriſti* DCCLXXVII. Poſtea demum truncatis II. ſyllabis *Caſſignol* eſt appellatus hic locus. Aimoinus Floriacenſis Monachus in Miraculis S. Benedicti, de Northmannorum in Galliam incurſionibus, deque urbibus & inſignibus ædificiis ab eis dirutis ſcribens ſic ait. *Inter quæ eminentiſſimum illud Karoli Magni Principis Palatium* Caſſignol, *gloria quondam & decus cunarum filii ejus Hludovici Pii: quod ita Deo inimica Gens ſubvertit, ut & inhabitabile redderet, & tamen quid aliquando fuerit manifeſtè appareat. Id eo loci ſitum eſt, quo torrens Quodrot Garonnam influit, turrim latericiam in margine torrentis exſtructam habens, è qua & adventus prævideri, & ingreſſus hoſtilium poſſit arceri navium; ſimulque ut claſſis Regia abſque adverſariorum impedimento fabricata in minori*, (*in minori amne*, id eſt in torrente Quodrot vel Codrot) *ad fluenta majoris deduceretur amnis*. (hoc eſt in Garumnam.) *Habet verò Eccleſiam ampliori Eccleſiæ conjunctam, miro opere ex lateribus fornicatam*. Petrus Monachus, qui ante annos CCCCL. Hiſtoriam Albigenſium ſcripſit, in capite LXXIX. *caſtrum Caſſanolium* vocat, atque ita deſcribit *Erat autem caſtrum Caſſanolii nobile & fortiſſimum in territorio Aginnenſi. Ad pedem ſiquidem montis in amœniſſima planitie ſitum: ſed & aquis circumfluentibus, & nativis rupibus cingebatur*. In Chronico Symonis Comitis Montisfortis *Caſſanolium caſtrum fortiſſimum* ſimiliter appellatur. Ex Caſſanolio factum eſt *Chaſſeneüil* Noſtrorum.

CASTELLIO AD LUPAM.

Caſtellio ad flumen Lupam, *Chaſtillon ſur Loin*, à multis memoratur, præſertim à Monacho Floriacenſi in libri de Miraculis S. Benedicti capite XV. *Albericus unus ex primoribus caſtri Caſtellionis, quod eſt ſitum ſuper Lupam fluviolum, crebris deprædationibus prædia Patris Benedicti devaſtabat*: & in capite XXXV. *In Caſtellione, Patris* (S. Benedicti) *non exigua poſſeſſione, B. Confeſſor Poſſennus requieſcit*. Et in capite XXXVII. *Confœderati de vicina partibus Burgundiæ adverſus Caſtellionenſes quidam prædones*, &c. Hic auctor ante annos DLX. floruit.

CASTELLIO AD SEQUANAM.

Caſtellio ad Sequanam, *Chaſtillon ſur Seine*, patria fuit Gulielmi Philandri, qui Vitruvii Pollionis de Architectura libros X. adnotationibus doctis & Laborioſis illuſtravit. Ut autem à caſtro caſtellum per deminutionem dicitur; ita à caſtello caſtellio: & quemadmodum parvum caſtrum vocabatur caſtellum, ſic parvum caſtellum nuncupabatur caſtellio: quo nomine multa ſunt loca in Gallia, *Caſtelliones* dicta, quorum alia pro caſtellis exiguis haberi poſſunt, alia pro vicis debent. Guillelmus Armoricus in Geſtis Philippi Aug. *Caſtellionem caſtrum nobiliſſimum, ſuper fluvium Sequanam ſitum* vocat; Rigordus in rebus anni MCXCIV. *Caſtrum Caſtellonem*.

CASTELLUM IN VOSAGO ET CASTELLUM IN ANDIBUS.

In Vita S. Arnulfi Mettenſis Epiſcopi *Caſtellum*, locus ita dictus *in Voſagi eremo* ponitur, & inter *Caſtellum* ac *Mettim pagus Calvomontenſis*. *Caſtellum* illud abſolutè ſic nuncupatum exiſtimo eſſe *Chaſtel*, locum in ſilva Voſago apud Lotharienſes, poſitum ad ripam fluminis Moſellæ.

Eſt & Caſtellum in Andibus, à Gaufrido Vindocinenſi Abbate in epiſtolis XXXIV. XLI. XLII. & XLIII. memoratum: quod Honorii PP. II. aliorumque litteræ *Caſtella* nuncupant, & *Eccleſiam B. Mariæ de Caſtellis* commemorant. Noſtri & *Chaſteaux* vocant in numero plurali, locum Andicavinæ Diœceſi contributum, in Andium Turonumque confinio ſitum non procul à fluvio Liderico.

CASTELLUM CARNONES.

Caſtellum Carnones memorat Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta inter duos fratres Francorum Reges: quod eſſe credit Miræus caſtrum in Burgundia libera Sequanorum, vetuſtiſſimâ Sanctimonialium Abbatiâ inſigne, vulgò *Chaſtel-Chalon* dictum inter Montemacutum & Polemniacum.

CASTELLUM GOSCELINI.

Eugenius PP. in litteris datis anno MCXLV. *in Epiſcopatu Aletenſi Eccleſiam S. Martini de caſtello Goſcelini, & caſtrum Ploaſmel* memorat: quorũ alterum *Joſcelin*, alterum *Ploermel* vulgò nuncupatur. Dictum ergo hoc caſtrũ à domino ejus Goſcelino, cujus nomen ſolum retinuit. *Gauzlenum* autem & *Goſlenum*, atque *Goſlenum* veteres rerum Francicarum ſcriptores nuncupavere, quem poſteriores *Gauſlinum*, atque *Joſlenum*, ac nonnumquam demum insertâ ſyllabâ *Goſcelinum*. Noſtri *Joſcelin*, ac nonnumquam *Joſlin* dicunt. Caſtellum Goſcelini poſitum eſt in Diœceſi Aletenſi ſeu Maclovienſi, Cella ſeu Prioratu S. Nicolai illuſtre, & Prioratibus S. Martini, ac S. Crucis.

CASTELLA GUNTHERII DUO.

Ordericus Vitalis in libro XI. Hiſtoriæ Caſtellum Guntherii memorat, ponitque inter Curceium & Furcas. Idem ejuſdem loci ſitum meliùs aſſignat in libro VIII. ubi de Roberto Beleſmenſi circa annum MXC. ita refert. *Opidum quod Caſtellum Guntherii nuncupatur, ſuper Olnam fluvium ad Curbam conſtruxit, per quod Holmetiam regionem ſibi ſubjugare putavit.* Illud *Caſtellum Guntherii* poſitum ad flumen Olinam, vel *Olnam* (*Orne*) in provincia Lugdunenſi ſecunda, hodieque vocatur *Gontel*, ut obſervo, adſidetque Olinæ fluvio inter Argentomum caſtrum *Argentan*, & Scoceium *Eſcouchy*. Ex *Guntherio Gontel* factum litterâ r in l mutata: ſicut Noſtri tempora *temples* vocitant, peregrinum *pelerin*.

Eſt & alterum, idque nobilius in provincia Lugdunenſi III. & in finibus Andium ad ripam fluminis Meduanæ *Caſtellum Guntherii*, *Chaſteau Gontier* vulgò hodieque nuncupatum, ſtructũ in villa ſeu chorte, hoc eſt in veteri vico qui dicebatur *Baſilica*, à Fulcone Nerra, ejus nominis tertio Andicavorum Comite, munitumque, & Guntherii villici appellatione donatum anno MXXXVII. ut docent Monaſterii S. Albini tabulæ hiſce verbis. *Pater ejus* (Gaufridi Martelli) *Fulco nobiliſſimus Comes Andecavorũ, filius Gaufridi fortiſſimi Comitis, qui cognominatus eſt Griſia Gonella, firmavit caſtellum ſuper Meduanam fluvium, in curte quæ vocatur Baſilicas, atque ut poterat munitum, ex nomine cujuſdam villici ſui Caſtrum Guntherii appellavit.* Vnde & Fulco Richinus, qui ejus nominis quartus Comitatum Andecavorum obtinuit, in Conſulibus Andecavenſibus ita ſcribit. *Fulco filius ejus,* (Goffridi Griſæ Gonellæ) *avus meus, ædificavit plurima caſtella in ſua terrâ, in Andegavino Baugiacum,* (*Baugé*) *Caſtrum Guntherii, Duriſtallum,* (*Dureſtal*) *& multa alia; quæ enumerare mora eſt.* Litteris Gaufridi Martelli Andecavorum Comitis de Monaſterio Vindocinenſi ſubſcripſit præter ceteros *Adelardus de Caſtro Gonterii* anno ML.

CASTELLUM HERALDI.

Caſtellum Heraldi, *Chaſtelleraud*, in Pictonum finibus olim Vicecòmites habuit; nunc titulo Ducatûs illuſtratur. Ibi Vingenna primùm navigia tolerat, ad Inſulam Burchardi properans, *l'Iſle Bouchard*. Pagus circumjacens vocatur Caſtroheraldenſis, *le Chaſtelleraudois*. *Caſtellum Airaldi* illud nuncupavit Ordericus Vitalis in libro XII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Normannorum; *Caſtrum Airaudi* Canonicus Turonicæ Eccleſiæ in Chronico; *Caſtrum Erraudi* alius; alius *Caſtellum Airaldi*.

CASTELLUM MORINORUM.

Caſtellum Morinorum vetus eſt & notiſſimum, vulgò *Caſſel*, quod Valli Caſtellanæ nomen dedit ſuum, *le Val de Caſſel*. Ter *Caſtellum* ſimpliciter vocatur in Itinerario Æthici, ab urbe Tarvenna VIIII. millibus paſſuum diſtans, à Viroviaco XVI. à Minariaco XI. Et ab Æthico quidem inter Tarvennam & Viroviacum ponitur *Caſtellum*; at in tabula Theodoſiana *Caſtellum Menapiorum* falso dicitur pro *Morinorum*. *Geſoriaco quod nunc Bononia* XXIV. *Caſtello Menapiorum* XII. *Virovino* XIII. (lege *Virovico*) *Teruanna* XXII.

Caſetum recentiores ſcriptores appellitant tranſpoſitis nominis litteris, ut Meierus, aliique. Opidum eſt nunc Flandriæ in monte poſitum: quod *Caſellum* vocat Rigordus in rebus anni MCCXIII; VVillelmus Britto in libro IX. *Caſſelli ſumma mœnia*, &

ſummo
Mœnia Caſſelli pendentia vertice montis;

Quidam ob id *le Mont de Caſſel*; *Caſſellum caſtrum forte valde* Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum; ut capſa Noſtris eſt *chaſſe*, Picardis *caſſe*, & *quaiſſe*, capſula *caſſette*.

CASTELLUM THEODERICI,

Caſtellum Theoderici, vel Theodorici, *Cha-*

ſteau-Thierri, ad flumen Matronam in Sueſſionibus poſitum, à domino ſuo & conditore nomen accepit. Nunc opidum eſt Ducatûs titulo illuſtre, arce celſa munitum, mediocris magnitudinis nec contemnendæ ſtructuræ, adſitum fluminis ripæ dextræ ſeu Campanenſi, excepto burgo, qui ad lævam ripam vel Brigenſem jacet. Meminit caſtelli hujus primus omnium quos quidem legerim Frodoardus in Chronico ante annos ſeptingentos & quinquaginta. Anno DCCCCXXIII. *Herebertus Comes Karolum in quamdam munitionem ſuam qua vocatur Caſtellum Theodorici ſuper Maternam fluvium, deduci fecit; ibique illum ſubminiſtratis victui neceſſariis ſub cuſtodia detinuit.*

CASTRENSIS PAGUS IN BELGICA II.

In Diviſione Regni Ludovici Pii Aug. inter filios Caſtrenſis pagi fit mentio his verbis. *Et de iſta media Francia VVarenſis, Vongenſis, Caſtrenſis, Portiano*, &c. Erat hic pagus ad flumen Moſam, cùm Doncherium ei attribueretur. Certè Carolus Aug. cognomento Craſſus *villam ſuam Dominicalem ſuper Moſam fluvium ſitam in Comitatu Caſtrenſi, Doncherium nomine, Monachis cœnobii S. Medardi* conceſſit, ut ipſius litteræ teſtantur. In litteris Heinrici Regis invictiſſ. datis anno MV. Boſoni Abbati Monaſterii S. Medardi datur facultas *ædificandi mercatum in villa quæ nuncupatur Doncherio, ſita in Comitatu Friderici Comitis qui vocatur Caſtrinſis.*

Caſtrenſem pagum, *Caſtricium* etiam prope *Moſminſe* ſeu Moſomagenſe territorium, atque *Caſtricenſem pagum* vocari Marlotus & quidam alii exiſtimant. Idem Caſtricenſi pago *Calvum montem* Diœceſeos Remenſis caſtellum attribuit, *Chaumont*, à Doncherio VII. leugis diſſitum; duabus à Caſtro Portiano. Frodoardus in libri II. Hiſtoriæ capite XI. *Caſtricenſis vici* à quo pagus nomen habet, mentionem facit: & in capite VIII. *Caſtricenſem pagum Vongenſi & Stadonenſi* mediũ interponit. Idem in Chronico anno DCCCCXX. ab *Erlebaldo Comite pagi Caſtricenſis* caſtellũ Macerias occupatum, atque ab Heriveo Remenſi Archiepiſcopo receptum eſſe tradit. Conventio inter Canonicos Remẽſis Eccleſiæ & Manaſſem Comitem facta de villa Vindeniſſa, docet Caſtricenſem Comitatũ pagumve poſitũ fuiſſe ad flumen *Bair*, & uſque ad Moſã amnem cui Doncherium adjacet, pertinuiſſe. Fluvius autem Barus, *Bar* vulgò dictus aut *Bair*, aliàs *Bare*, alluit vicos, Barum *Bar*, Broilum *Brueul ſur Bar*, Solium *Souil*, Novamvillam *Neufville*, atque paullo infra Doncherium in Moſam devolvitur. Nunc pagi Caſtrenſis Caſtricenſiſve nomen penitus exolevit, *cum Reiteſtenſi Comitatu confuſi*, uti Marlotus ait. Pagum Caſtricenſem *Comitatum de Caſteres in pago Vaprenſi* ſeu Vabrenſi vocare mihi videtur Henricus I. Imperator, in litteris anno MXV. datis: quem pagum Vabrenſem, ſuprà *VVarenſem* dictum eſſe obſervo in diviſionẽ Regnorum Ludovici Pii, mendosè pro *VVaurenſem*.

CASTRILOCUS.

Madelgarii cognomine Vincentii Ex-Comite, aut ut aliis placet Exduce uxor fuit VValdetrudis: quæ de conjuge facta ſoror, virique ſui exemplum imitata, in Caſtriloco Cellam ædificavit, & ab Autberto Camaracenſium & Atrebatium Epiſcopo velamen accepit. Nunc inter Sanctas numeratur, & truncato nomine dicitur *S. VVaudru*, quaſi S. VValtrudis. *Caſtrilocum* vulgò à ſitu *Montes* appellant, *Mons en Hainau* quem *Caſtrilucium* primò dictum eſſe obſervo. Certè ita locum hunc appellat Gerbertus in epiſtola LX. his verbis. *Godefridus Comes ſi Caſtrilucium cum Hainao Reinero redderet, ſeque filiumque ſuum Comitatu ac Epiſcopatu privaret Virdunenſi, datis obſidibus fortaſſis ad ſua remeare valeret.* Ex Caſtrilucio poſtea corrupto nomine Caſtrilocum fecere. Nugatur ergo auctor libri de Vita S. Adelgundis, Monachus Cellæ S. Giſleni, quum *Caſtrilocum* dictum eſſe affirmat, *quia ibi quondam Romanus exercitus caſtra locaverit*, itaut *Caſtrilocus* vocatus ſit quaſi *Caſtrorum locus*. Ex Cœnobio Monacharum Caſtrilucienſium pridem factum eſt collegium Canonicarum nobilium.

CASTRUM ALBIGENSIUM.

Caſtrum locus in pago Albienſi ſeu Albigenſi, vetus habuit Monaſterium, tribus Baſilicis illuſtre, quod & *Caſtrum*, & Caſtrenſe Monaſterium eſt dictum: *Caſtres en Albigeois*.

Audaldus Aquitanus Monachus furtim corpus B. Vincentii Cæſarauguſtani Levitæ & Martyris Valentiâ Hiſpaniæ detulit in pagi Albienſis Monaſterium nomine Caſtrum circa annum DCCCLVIII. ut tradit Aimoinus. Unde Chronicon Symonis Comitis Montisfortis, in anno MCCCXI. deſinens, eum locum à Patrono vocat *Villam S. Vincentii de Caſtris in territorio Albigenſi*.

Petrus in capite LX. Hiſtoriæ Albigenſium *Caſtra* nuncupat numero plurali, ut & Noſtri *Caſtres*. *Venit Comes ad nobile caſtrum in Diœceſi Albienſi, quod dicitur Caſtra.* & capite LXI. *Peractis apud Albiam aliquot diebus, perrexit Comes* (Montisfortis Symon) *cum ſuis ad caſtrum quod dicitur Caſtra.* & infrà. *Propoſuit Comes obſidere quoddam caſtrum inter Caſtra & Cabaretum, quod dicitur Altuspullus.* (*Hautpoul.*) In capite XXII. vocat *nobiliſſimum caſtrum, quod dicitur Caſtra in Albigenſi territorio, & quaſi caput erat totius territorii Albigenſis.* Ex eo veteri Monaſterio Epiſcopatus factus ad amnem Agotum, *l'Agout*, detractuſque *Albiga*.

CASTRUM ALIO.

In litteris datis anno MCXLIX. regnante in Francia Rege Philippo, commemoratur *Gaufridus Veritas, Capellanus de Caſtro Alione*; & *dominus Iſembertus de Caſtro Alione* in litteris Ademari Santonenſis Epiſcopi, datis anno MCXXCII. Invenio & *Caſtrum Alionis* dici in priſcis tabulis. Tabulæ quædam *Caſtellum Alionis* & *Allons* vocant. Vulgò *Chaſtel Aillon* nuncupatur, eſtque poſitum ad Oceanum in priſcis finibus Santonum non procul à Rupella; nunc Rupellanæ Diœceſi novæ attributum, & cum Rupella aliiſque locis Santonicæ Diœceſi exemtum, poſtquàm ſedes Malliacenſium

Epiſcoporum apud Pictones aucta, & Rupellam tranſlata eſt.

CASTRUM BRIENTII.

Caſtellum Brientii in Britannia minore nuncupatur à Brientio conditore vel domino. Rainaldus de Martiniaco, qui Andicavorum Epiſcopus fuit, Brientium patrem habuit. Vulgò dicitur *Chaſteaubriant*; & *Caſtellum Briantii* à nonnullis; *Caſtrum Briani* à VVillelmo Britone in libro XII. Philippidos; *Caſtrum Brienci* in enumeratione Vexillariorum Militum Britanniæ, ſub Philippo Aug.

CASTRUM CANINUM.

Caſtrum Caninum, vulgò *Chaſteau Chinon* dicitur, nec longè abeſt a fonte fluminis Icaunæ, atque ad Auguſtodunenſem diœceſim pertinet, Prioratumque habet S. Chriſtophori Cluniaco ſubjectum. Sic autem nuncupatum mihi videtur, quod ibi canes venatici aſſervarentur. Eſt enim ſilvis totum ferè circumdatum. In Chartulario Auguſtodunenſis Eccleſiæ *Robertus de Caſtellione en Bazois, recognoſcit ſe tenere à Girardo Dei gratiâ Æduenſi Epiſcopo caſtrum Glana, & feodum caſtri* Canini, in litteris datis anno MCCLXX.

CASTRUM CELSVM.

Caſtrum Celſum à ſitu ita dictum, quòd in monte poſitum ſit, in diœceſi Namnetenſi ad flumen Ligerim, celebre olim fuiſſe conſtat: quod nunc corruptè *Chantoceaux* & *Chantonceaux* vocitant, quædam etiam tabulæ corruptiùs *Chantonceau*: cùm *Chaſteau-ceaus* vocari debeat, & olim ita vocatum ſit. Monſtrum ortum eſt ex vitioſa pronuntiatione vulgi, *Chanto* & *Chanton* dicentis pro *Chaſteau*, ſicut jam alii obſervaverunt. Litteras legi datas anno MCV. coram *Gaudino de Cliccbione*, (*Cliſſon*) *Mormano de Monte-Rebelli*, (*Montraveau*) *Petro de Camilliaco*, (*Chemillé*) *Adelardo de Caſtro Gunterii*, (*Chaſteau-Gontier*) *Iohanne de Caſtello*, (*Chaſteau*) *Goffrido de Broilcto*, (*Broilay*) *Tetbaldo de Caſtello Celſo*, (*Chantoceaux*) *VValterio de Monte Sorelli*, (*Montſoreau*) *Pagano de Mirebello*. (*Mirebeau*) Guillelmus Nangiacenſis in anno MCCXXVIIII. Caſtrum *Caſtanciaus* rectè nominat, hoc eſt *Chaſteau-ceaus*. In litteris Petri Comitis Britanniæ datis anno MCCXXVII. *Caſtri Celſi* fit mentio.

Froſſartus in voluminis I. capite LXXII. munitiſſimum caſtellum, in aditu Britanniæ celſiſſimo monti impoſitum *Chaſtonceaux* vocat: Annales Britanniæ *Chantoceaux*; Andreas Cheſnius in libro V. de Caſtellionenſibus *Chaſteauceaux* rectè, & *Chaſtoceaux*: auctor Chronici Flandrenſis in capite XXCIII. *Thatontel* mendoſè pro *Chatoncel*; & in capite XXCV. *la ville de Chant-conſeil & le Chaſtel* corruptè quoque pro *Chantonſel* aut *Chantonſel*. Certè in quibuſdam polyptychis *Chantouſſaux* non ſemel appellatum reperi, & Latinè *Caſtrum Celſi*.

CASTRUM CENSORIUM.

Caſtri Cenſorii in veteribus tabulis paſſim fit mentio, quod à Cenſorio aliquo videtur appellationem traxiſſe. Nam cum alibi, tum apud Idatium in Chronico *Cenſorini* viri nomen eſt proprium. Caſtrum Cenſorium poſitum eſt ad ripam fluminis Icaunæ non procul à Chora fluvio & Viceliaco, in pleriſque tabulis *Chaſteau Sanſoy* corruptè dictum, cùm *Chaſteau Cenſoy*, aut potiùs *Chaſteau Cenſoir* ſcribi debeat. Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium *in pago Avalenſe*, id eſt Aballonenſi *Caſtrum Cenſurium* ponit, & *Militem Caſtri Cenſuris* memorat. *Chaſtel Cenſoy* Coquillius vocat, pagoque Nivernenſi illud attribuit.

CASTRUM LIDI.

Caſtrum Lidi vocatur in Vita Ildeberti, ex Cenomanorũ Epiſcopo Turonici Archiepiſcopi; *Caſtrum Leda* à Gaufrido Abbate Vindocinenſi in libri III. epiſtola XIII. Ordericus Vitalis in libro X. Hiſtoriæ *Caſtellum Ligeri*, necnon *Caſtrum Ligeri* nuncupat, alii *Caſtrum Lidericum*: propterea quòd poſitum eſt ad flumen, quod alii *Lidum*, *Ledam* alii, vel *Ledum*, quidam *Lidericum* appellant; *Ligerum* nonnulli. Nunc eſt opidum in Cenomanis, Turonibus finitimum, vulgò *Chaſteau du Loir* dictum.

CASTRUM LUCII.

Caſtrum eſt in Lemovicibus, *Caſtrum Lucii de Capreolo* olim dictum, cujus in obſidione Ricardus Rex Angliæ vulneratus occubuit anno MCXCIX. VI. Idus Apriles. Rigordus de Geſtis Philippi Auguſti, *Obſederat* (inquit) *caſtrum quoddam, quod Caſtrum Lucii de Capreolo Lemovicenſes vocant juxta Lemovicas civitatem.* Guillelmo Armorico dicitur *caſtrum quoddam nomine Calax*. Legendum eſt *Calux*. Certè Angli ſcriptores *caſtrum Vicecomitis Lemovicenſis Caluz* appellant, in primis Henricus de Knyghton; Radulfus de Diceto *caſtellum Chaluz in Lemovico territorio*; Johannes Bromton *caſtrum Calucam juxta Lemovicas*. Gervaſius Monachus Dorovernenſis in Chronico *caſtrum Comitis Engoliſmi Nantrum*, gemino errore. Nam nec caſtrum illud Nantrum vocabatur, nec ad Comitem Ecoliſmæ, ſed ad Vicecomitem Lemovicenſem pertinebat. Vulgo dicitur *Chalus*; Nicolao Ægidio *Chalus de Capreol*. In Chronico MS. S. Stephani Lemovicenſis *Caſtrum Lucii* vocari reperio; ab aliis *Calucium*; in litteris Ermenrici *caſtrum, quod vocatur Caſtellucium, in orbe Lemovicino, in Vicaria Barrenſe*; in litteris anni MCCCXXV. *Caſlucium*.

CASTRVM LVNÆ.

Caſtrum Lunæ, vulgò *Chaſteau de la Lune*, poſitum eſt ad ripam fluminis Riſelæ Ferrariam inter & Bellummontem Rogerii, quæ tria loca in Aulercis Eburovicibus conſiſtunt: ex quibus Pulchermons Rogerii III. parœcias & Prioratum S. Trinitatis habet, ad Beccum Herluini Monaſterium celeberrimum pertinentes.

CASTRVM NANTONIS.

Montem quem Caſtrum Nantonis vocant, in cujus vertice Oratorium erat conſtructum, memorat Vita B. Severini Abbatis Agaunenſis. Geſta Conſulum Andegavenſium *Caſtrum Landonenſe* nuncupant ante annos quingentos, *Caſtrum Nandonis* alii, *Caſtrum Landonum* Fulco Richinus in rebus Andicavenſibus. Nunc vocatur *Caſtrum Landonis*, *Chaſteau Landon*, ſitumque eſt in pago VVaſtinenſi. Ibi Severinus deceſſit, & in montis oratorio a Paſchaſio & Viſicino eius Presbyteris honorificè ſepultus eſt.

Opidum Senonum Vellaunodunum, inter Agedincum Senonum & Genabum Carnutum medium, quod Cæſar in libro VII. à ſe biduo circumvallatum, & tertio die receptum ait, Nicolaus Samſon putat eſſe *Chaſteau Landon*, nomine à Vellaunoduno non multum recedente. Exiſtimat nimirum *Landon* ad *Launodunum* accedere, ignorans *Caſtrum Nantonis* Latinè dici, & ex *Nantonis* factum eſſe *Landon* a Noſtris, N in L, t in d mutatis: ut ex unicorne *Licorne*, ex Bononia *Bologne*, ex Nanpreda *Lamproye* fecimus, ex intybo *endive*, ex catena *cadene*. Equidem à Cæſare *Vellaunoduni Senonum opidi* nomine *Montem Argiſi* potiùs deſignari arbitror, locum ad flumen Lupam à ſitu ita dictum, Agedinco Genabum petenti obvium. Vellaunodunum quidem in monte poſitum fuiſſe, nomen ipſum indicat deſinens in *dunum*, quo vocabulo Gallico mons & locus eminens ſignificatur.

CASTELLVM NOVVM ARRII, ET DE CASTELLIS NOVIS.

Caſtellum novum Arrii vocat Petrus Monachus Vallium Cernaii in Hiſtoriæ Albigenſium capite XI. & *in territorio Toloſano* illud ſitum eſſe ait. Vulgò *Caſtelnau d'Arri* vocitant incolæ.

Eſt & *Caſtellum novum* ad Carum flumen, in Biturigum finibus, *Chaſteau-neuf ſur Cher*; alterum item *Caſtellum novum* (Chaſteau-neuf) non longè à fluvio Elavere; aliud item *Caſtrum novum* ad Carantonum flumen in pago Ecoliſmenſi, *Chaſteau neuf*; aliud quoque *Caſtrum novum* ad Ligerim Sollıacum inter & Floriacum ſive Monaſterium S. Benedicti ad Ligerim, *Chaſteau-neuf*; necnon *Caſtrum novum* in Carnutibus non longè à Curvavilla *Courville*, *Chaſteau-neuf en Timerais*, à pago cujus nunc caput eſt cognominatum, & multa alia, quorum meminiſſe non poſſum. Vaſcones & Gothi Caſtrum novum nunc *Caſtelnou*, nunc idque ſæpius *Caſtelnau* appellitant: qualia ſunt *Caſtellum novum* in Levitania montibuſque Pyrenæis, *Caſtelnau en Azun*, quod familiæ nobili nomen ſuum dedit; *Caſtellum novum Arrii*, *Caſtelnau d'Arry*, in Gothia; aliaque. *Caſtello novo* oppoſitum eſt *Caſtellum vetus*, *Chaſteau vieux*; cujus nominis aliquot ſunt in Gallia caſtella.

Eſt & *Caſtellum novum* in Vaſconiæ pago Taurſanenſi, aliàs in Scialocia, vulgo *Caſtelnau* aut *Caſtelnof en Teurſan*, ſeu *Caſtelnau en Chaloſſe*; quod caſtrum nomen dedit nobili familiæ, quæ Caſtelli novi Scialocenſis appellatione cenſetur, *Caſtelnau Chaloſſe*.

CASTRVM NOVVM DE STRICTIS FONTIBVS.

Caſtrum novum de Strictis fontibus ita cognominatum eſt, quòd recentius eſſet aliis caſtris proximis, & fontes haberet anguſtos. Vulgò dicitur *Caſtelnau de Stretefons*, aliàs abſolutè *Caſtelnau*; & tres leugas abeſt ab urbe Toloſa. *Opidum Caſtri novi de Strictis fontibus* memorant tabulæ anni MCLVIII.

CASTRVM PORTIANVM ET PORTIANVS PAGVS.

Caſtrum Portianum in Remis, *Chaſteau-Porcien*, aliis *Chaſteau en Porcien*, *Caſtrum Porcinctum* dictum Adalgiſo in Miraculis S. Theoderici, & ad flumen Axonam medio inter Reiteſte & Auguſtam Sueſſionum loco poſitum, cognomen accepit à pago *Portiano* inter Laudunenſem pagum & Sueſſonicum ſito, cujus fit mentio in Capitulis Caroli Calvi: qui pagus *Portianus* inter Vongenſem & Remenſem in præcepto domini Ludovici A. de diviſione Regni inter filios nuncupatur, ac nunc pago Reiteſtino continetur, *le Retelois*, & ab Frodoardo in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis & in Chronico *pagus Porcenſis* non ſemel appellatur, qui *villam Auguſtam in pago Porcenſi* memorat. Eidem Frodoardo idem *pagus Porticenſis* videtur dici, quum ait Hugonem à Lauduno *in pagum Porticenſem profectum, & ſupra Caldionē caſtrametatum eſſe*. Item in libri II. Hiſtoriæ Remenſis capite XVIII. *pagus Portianus* inter *Vadenſem* & *Tardonenſem*. Anno DCCCCXXXIII. *Richarius Epiſcopus Tungrenſis quoddam caſtellum, quod Bernardus Comes apud Archeias in pago Porcinſe conſtruxerat, evertit, eo quòd ſua in Eccleſiæ terra ſitum eſſet*: inquit Frodoardus in Chronico. *Archeiæ* illæ *in pago Porcenſi* & in Diœceſi Tungrenſi, ſunt omnino *Arc* vel *Arche* ad Moſam, inter Macerias & Carolivillam in pago Reiteſtenſi: qui locus aut vicus, Principatûs titulo nunc inſignis eſt; à quo Dux Nivernenſis & Reiteſtenſis, *Princeps Archenſis* in nummis ſuis cognominabatur inſcribebaturque ætate noſtra, & in cujus Principatûs finibus Carolivilla condita eſt.

Ceterùm quidam pagum Portianum vocant linguâ patriâ nunc Comitatum Portianum, *la Comté de Porcean*, nunc abſolutè *Porcean* ſæpiùs quàm *Porcien*: Caſtrum autem Portianum, caput pagi cognominis modò *Chaſteau-Porcean*, & *Chaſteau Porcien*, id eſt *Caſtrum in Portiano pago*; modò etiam *Chaſtel en Porcean*. Et à pago opidula quædam cognominantur, videlicet Calvuſmons in Portiano, *Chaumont en Porcean*; Aſcleium in Portiano *Eſcly en Porcean*.

CASTRVM RADVLFI.

Chronicon Monaſterii Dolenſis in Biturigibus ab anno DCCCCXVII. ad annum MCCCXXV. deductum docet, quo tempore & à quo caſtrum hoc conditum ſit his verbis. *Anno* DCCCCLII.

obiit Radulfus Largus, *ſecundus Dominus Dolenſis: qui ædificavit Caſtrum Radulfi, & dedit nobis Caſtrum Dolenſe, & quidquid iuris ibi habebat.* Radulfus Largus patrem habuit Ebbonem, qui anno DCCCCXXXVI. cæſus eſt. Hoc caſtrum à conditore ſuo Caſtrum Radulfi cognominatum, Noſtri *Chaſteau Roux* corruptè vocant, quod Caſtrum Rufum aut Ruſſum ſonat: cùm *Chaſteau Raoul* aut *Chaſteau Roul* vocari oporteat. Rigordus nunc *Caſtrum Radulfi*, nunc *Caſtellum Radulfi* appellat.

CASTRVM RAINALDI VEL REGINALDI.

Geſta Conſulum Andicavenſium ante D. annos ſcripta à Majoris Monaſterii Monacho, docent Gaufridum dominum Caſtri Gunterii & *Villa Meranni*, (*Moran*) Gaufridi Martelli Andicavorum & Turonorum Comitis filium ſpiritalem è lavacro, filio ſuo patris & majoris fratris qui ambo Rainaldi appellati fuerant, nomen impoſuiſſe, & caſtrum quod tum ædificabat, *Caſtrum Rainaldi* nomine filii ſui vocari juſſiſſe, ante annos circiter DCXX. Vulgo hodieque *Chaſteau Renaud* dicitur, locus in Turonibus ad fluvium *Braennam, la Branle*, à tremore & criſpatione aquarum ita vocatum. *Puerum* (inquit Monachus ſuprà laudatus) *nomine patris vel fratris Rainaldum videlicet vocari præcepit* Gaufridus vel Gofridus; *caſtrum autem novum ex nomine filii ſui Caſtrum Reginaldi vocari præcepit. Rainaldus* autem & *Reginaldus* unũ idemque nomen eſt, Gregorio Turonico Epiſcopo *Ragnovaldus* vel *Ragnoaldus*; *Raginoldus* aliis & *Raginaldus* aut *Regenaldus*. Noſtri *Reinaud* & *Rainaud* primùm, deinde molliùs & leniùs *Renaud* dixerunt. *Caſtrum Rainaldi* commemorat & Fulco Richinus Comes Andicavorum, Ermengardis Gaufridi Martelli ſororis filius, Conſulatuſque ſucceſſor: quum ait in Hiſtoria Andecavenſi, Gofridum Martellum avunculum ſuum, victo captoque Theobaldo Comite Bleſenſi, in deditionem *accepiſſe civitatem Turonicam & caſtella in circuitu Chinonum, & Inſulam*, (id eſt Inſulam Burchardi, *l'Iſle Bouchard*) *& caſtrum Rainaldi, & S. Annianum.* Caſtrum Reginaldi proximum habet Buculium, *le Boulay*, locum olim Prioratu, nunc collegio Canonicorum illuſtrem.

Eſt & alterum Caſtellum Reginaldi in Remorum finibus, *Chaſteau Regnaud*, non procul à Maceriis, & flumine Moſa.

CASTRVM VILLANVM.

Caſtrum Villanum dictum eſt, quòd ex villa caſtrum factum eſſet, quaſi villa munita, & ut vulgari utar verbo, incaſtellata. Gaufridus Monachus Claravallenſis in libri IV. de Vita Bernardi Abbatis capite IV. ejus loci meminit hiſce verbis. *Caſtrum Villanum accola vocant, quod à Clara Valle, ut aiunt, VI. miliariis diſtat.* V. *Chaſteau Vilain* nuncupatur, locus Comitatûs titulo inſignis in finibus Lingonum. Legi litteras ex tabulario eccleſiæ Auguſtodunenſis acceptas, dataſque anno MCCLXXIV. in quibus *Johannes* quidam *Dominus Caſtri Villani, Luciaci, & Sinemuri Brienenſis*, (*Semur en Brienois*) *Miles Æduenſis Diœceſis* appellatur. *Caſtrum Villani* aliqui vocant, quaſi caſtrum ruſtici.

CATALAVNI, SEV NOVIOMAGVS VADICASSIVM.

Cladis Catalaunicæ primus meminit Eumenius in Gratiarum actione Conſtantino Aug. Flavienſium nomine: quâ ſcilicet Aurelianus Aug. *ſuperavit in Gallia Tetricum apud Catalaunos*, ex Præſide Aquitaniæ Imperatorem Burdigalæ à militibus factum, uti Flavius Vopiſcus & Eutropius ſcribunt. Ex quo intelligitur circa annum Chriſti CCLXX. jamtum Romanis notos fuiſſe in Belgica ſecunda *Catalaunos*. Ammianus Marcellinus qui cum Eutropio expeditioni Juliani Aug. Parthicæ interfuit, Catalaunos inter ſplendidas urbes Belgicæ II. numerat, Remiſque etiam Metropoli provinciæ præponit, ac *Catelaunos* appellat in libro XV. his verbis. *Huic* (Belgicæ I.) *adnexa eſt ſecunda Belgica, in qua Ambiani ſunt urbs inter alias eminens, & Catelauni, & Remi.* In Ammiani codicibus ſemper *Catelaunos* ſcribi animadverto. Æthici in Itinerario provinciarum debeo facere mentionem, qui in itinere *à Mediolano per Alpes Cottias & per Viennam ac Durocortorum Geſoriacum*, inter *Artiacam* & *Durocortorum Durocatalaunos* ponit, ab Artiaca millibus paſſuum XXXIII. à *Durocortoro* XXVII. diſtãtes, quos & *Durocatelaunos* in Æthici membranis ſcriptos repetio. In Notitiis veteribus provinciarum ac civitatum Galliæ, *civitas Catalaunorum* inter provinciæ Belgicæ ſecundæ civitates tertium obtinet locum; aliàs *Catuellaunorum* mendosè pro *Catellaunorum*, item *Catalaonorum*, u in o converſo, & *Cadellaunorum* t in d & a in e commutatis. Vulgò *Chaalons* Noſtri appellitant au in o mutato. Nithardus in libro II. *Cadellonicam urbem*, in libro III. *Cadelonenſem urbem*, in libro IV. *Cadhellonenſem urbem* nuncupat. Nimirum au in o converti conſueviſſe omnes ſciunt. Quare *Cadelonos* & *Cadellonos* dixere pro *Catalauno* vel *Cadellaunos*: Vnde Nithardus *Cadelonenſem urbem* & *Cadellonicam* fecit, & Glaber Rodulfus *Catalonos* in libri II. capite VII. pro *Catalaunos*.

A Catalaunis urbe *campi Catalaunici* nomen habent, Idatio & Caſſiodoro Senatori in Chronicis Jordanique memorati: è quibus Jordanes campos Catalaunicos, etiam *Mauriacos* dici, & centum leugas in longitudinem patere, ſeptuaginta in latitudinem ait. Leuga autem Gallica mille & quingentorum paſſuum erat. Fredegarius in capite XLII. libri V. & ultimi Chronici *campaniam territurii Catalaunenſis*; Aimoinus in libri IV. capite I. *campaniam Catalaunenſem ſuper fluvium Axonam* vocat. His in campis & Aurelianus Aug. Tetricum, & Aetius Magiſter militum Gothicis adjutus auxiliis Attilam Hunnorum Regem, & Chlotharius junior Francorum Rex Theodorici liberos, in primis Sigibertum Regem pars dolo pars prœlio ſuperavere. Ceterùm *Mauriaci* vel *Mauriacenſes campi* dicuntur à Mauriaco in Tricaſſibus, *Mery*, ut Fredegarius docet. Auguſtobonam autem Tricaſſium ab urbe Catalaunis per Artiacam millia paſſuum LI. abeſſe

indicat

indicat Æthicus in Itinerario.

Ab eadem urbe pagus Catalaunicus nomen accepit, *territurium Catalaunenſe* Fredegario in libro ultimo Chronici dictus, vulgò *le Chaalonnois*. *Pagum Catalaunum* appellant Capitula Silvacenſia Caroli Calvi, & inter pagos *Camiziſum ac Virtudiſum*, id eſt Camiſenſem & Virtudenſem ponunt. Glaber Rodulſus in libri II. capite XI. *pagum Catalonicum* nuncupat, in eoque *vicum Virtutis* collocat.

Heic duo quæri poſſunt. Primum, an Catalauni nomen Gentis ſit, quod & urbs primaria gentiſve caput acceperit: ſicut in Gallia claris urbibus non paucis contigit, propriâ appellatione depoſitâ, Gentis quamque ſuæ nomine cenſeri. Certè tam *Catalauni* Gens eſſe ac dici potuerunt in Belgica, quàm *Velauni* in Aquitania, in provincia Narbonenſi *Segovellauni* vel *Segalauni*. Alterum, quæ vetera nomina & Gentis & urbis hujus fuerint, cùm nec Cæſar, nec Strabo, nec Plinius ac Ptolemæus, nec ullus antiquus Hiſtoricus aut Geographus Catalaunorum ante Eumenium meminerit. Exiſtimat Samſon ætate C. Julii Cæſaris Remorum exſtitiſſe, quidquid nunc Remenſi Diœceſi, & Catalaunicâ parœciâ Laudunenſique continetur, atque ante Cæſarem etiam Sueſſiones ad Remos pertinuiſſe. Sed hæc ut nullis rationibus confirmantur, ita pro meris conjecturis habenda ſunt, indignis quæ refellantur. Equidem nomen priſcum Gentis fuiſſe puto Vadicaſſes, nomen urbis Noviomagum. Plinius in libri IV. capite XVIII. *Vadicaſſes*, alias ſed mendosè *Bodicaſſes* pro Badicaſſes vel Vadicaſſes, memorat in Lugdunenſi Gallia. A Ptolemæo quoque ponuntur in Gallia Lugdunenſi *poſt Meldos prope Belgicam Vadicaſſes, & urbs eorum Noiomagus*, id eſt Noviomagus. Μετὰ Μέλδας πρὸς τῷ βελγικῷ Οὐαδικάσσιοι: καὶ πόλις Νοιόμαγος. Ergo ætate Plinii Secundi & Claudii Ptolemæi erant in Lugdunenſi quidem Gallia Vadicaſſes Meldis confines, & caput eorum Noviomagus; ſed proximi Belgicæ, itaut Belgicæ facilè attribui potuerint. Sunt enim ad flumen Matronam Meldi, Gens Galliæ Lugdunenſis cum capite Gentis Jatino; ſunt & Catalauni; ubi Vadicaſſes & Noviomagum Vadicaſſium urbem præcipuam fuiſſe dicimus: *Gallos* autem ſeu *Celtas*, id eſt Galliam Lugdunenſem *à Belgis Matronâ flumine dividi*, Cæſar & ceteri ſcribunt. Cæſar quidem quum in libro II. Remos *proximos Galliæ ex Belgis eſſe* ait, apertè indicat ſe Catalaunos tum alio nomine notos, qui Remis proximi ſed citimi ſunt, & velut a Belgis recedunt, Galliæ propriè dictæ ſeu Celticæ adſcribere, non Belgicæ. Veri autem ſimillimum eſt, ne dicam verum, Plinium atque Ptolemæum Gentem & civitatem adeo claram & ſplendidam nominibus ætate ſua notis deſignaviſſe, nec ulla ratione prætermiſiſſe. At (dices) ambo unà cum Meldis Vadicaſſes inter Lugdunenſis Galliæ populos numeravere, non Belgicæ. Nimirum & Meldi, & Vadicaſſes ſeu Catalauni civitates habent uni eidemque adſidentes flumini Matronæ; Celtas à Belgis dividenti, & majorem agri ſui partem cis fluvium poſitam obtinent in Celtica: itaut utraque Gens Lugdunenſi Galliæ aut Celticæ tum adſcriberetur, quum Lugdunenſis Gallia & Belgica erant indiviſæ ac ſolidæ, & unam tantùm Galliarum provinciam Celtica aut Lugdunenſis, unam Belgica componebant. Sed poſtea diviſâ Lugdunenſi Galliâ duas in provincias, Belgicâ in totidem, Meldi quidem una cum Jatino Lugdunenſi ſuæ relicti ſunt; Vadicaſſes verò cum urbe Noviomago, quæ tum civitas Catalaunorum vocari cœpta eſt, provinciæ Belgicæ ſecundæ ſunt attributi. Certè ne quis dubitationi locus relinquatur, obſervo in tabula Peutingeriana ſive Theodoſiana *Noviomagum* dici *à Durocortoro* XXV. *millibus paſſuum* diſtantem urbem; quam Æthicus *Durocatelaunos* appellat, & ab eadem urbe Durocortoro Remorum XXVII. millia paſſuum abeſſe docet. In Tabula hæc leguntur. *Durocortoro* XII. *Noviomagus* XXV. Æthici verba ſunt hæc in *itinere à Mediolano per Alpes Cottias & per Viennam ac Durocortorum Geſoriacum*. *Tricaſſis* M. P. XXXIII. *lengas* XXII. *Artiaca* P. M. XVIII. *lengas* XII. *Durocatalaunos* M. P. XXXIII. *lengas* XXII. *Durocortoro* M. P. XXVII. *lengas* XVIII. *Sueſſionas* M. P. XXXVI. *lengas* XXV. *Noviomago* M. P. XXVII. *lengas* XVIII. *Ambianis* M. P. XXXIV. *lengas* XXIII. Apparet vel cæco, *Noviomagum* in Tabula veteri nomine nuncupari, quam *Durocatalaunos* vel *Durocatelaunos* Æthicus recentiore vocet: præſertim cùm *Noviomagus*, quam idem Æthicus ſuprà Sueſſionis & Ambianis mediam interponit, ſit Noviomagus Veromanduorum vel Noviomus, ab urbe Durocortoro Remorum LXIII. millibus paſſuum diſtans, ut ibidem notat. Noviomagum autem Vadicaſſium ſive Catelaunos XXVII. aut XXV. tantùm millia abeſſe Durocortoro, Æthicus & Tabula Theodoſiana docent.

Ab Vadicaſſibus nomen habet ad Matronam ager, *la Galeveſſe* Noſtris nuncupatus: & *Vadicaſſes* (ni fallor) vulgò *les Galeveſſans* dicuntur, id eſt *Vadicaſſini*, quaſi *Cadivaſſini*, d in l mutato: ut pagus Vadenſis appellatur *le Valois*, cicada *une cigale*. Pagus autem Calivaſſinus hodieque ex parte quidem Meldorum eſt Meldicæque Diœceſeos, ac etiam Sueſſionum: ſed ex majore parte Catalaunorum ſeu Vadicaſſium, Catalauniceæque parœciæ.

Joſephus Scaliger in ſua Notitia Galliæ Noviomagū Vadicaſſium apud Ptolemæum Noviomum in Picardia malè interpretatur. Nam Ptolemæus capita tantummodo Gentiū ſive populorū notare conſuevit inter urbes in deſcriptione Galliarum. Noviomagus autem in Picardia non Vadicaſſibus, ſed Veromanduis contribuebatur, quorum caput fuit Auguſta ætate Ptolemæi, eidemque Auguſtæ ſuberat: Unde & *caſtellum Noviomacum* vocatur Fortunato in Vita S. Medardi; & tandem pro Auguſta Veromanduorum ſedes Epiſcopatûs evaſit. Sunt & qui Vadicaſſes pro pago Morvinno accipiant, ad Icaunam & Choram Arotiumque fluvios jacente: quem pagum non in Vadicaſſibus, ſed in Æduis poſitum eſſe, & ad Auguſtodunenſem diœceſin pertinere conſtat. Noviomagum Vadicaſſium Philippus Cluverius *Nuis* in Burgundia Ducali ſeu Regia eſſe affirmat, ſimilitudine aliqua nominis ductus. At *Nuis* locus inter Divionem Lingonum & Bel-

nam Æduorum ſitus, Æduorum finibus, non Vadicaſſium adſcribitur, & ad Auguſtodunenſem parœciam attinet. Vadicaſſes & Noviomagum inter Auguſtodunum & Cabillonum ac Jatinum in Lugdunenſi prima ponit Ortelius; Vadicaſſes ex Belgicæ Celticæque confinio inter Æduos fluminaque Ligerim & Ararim ſtatuens magno errore, & Jatinum caput Meldorum Gentis Senoniæ, à flumine Matrona ad Ligerim transferens. Non felicior ceteris Samſon Nivernum, quod *Noviodunum oppidum Æduorum ad ripas Ligeris poſitum* Cæſar appellavit, à Strabone *Nemoſſum caput Arvernorum*, à Ptolemæo *Noviomagum Vadicaſſium* vocari aſſerit; Æduos Celticæ populum, & Arvernos Gentem Aquitanam, Vadicaſſeſque ineptè confundens, & ex tribus diverſis urbibus unam faciens.

Ceterum ante annos D. Catalaunos *Chaalons* dici cœpiſſe & *Chaalonges*, docent litteræ VVillelmi de Domperra ad Ludovicum Regem Francorum ejus nominis VII. in quibus *Siniſcalcus de Chaalons*, & XIX. *libræ de Chaalonges*, id eſt XIX. libræ Catalaunicæ monetæ memorantur.

Petrus Cluniacenſis Abbas in epiſtola quadam Gaufridum Catalaunenſem Epiſcopum ſic alloquitur. *Quid & illud: quod cum tantæ urbi non ſolùm Epiſcopum, ſed & Principem neceſſariò vos eſſe oporteat; nil de Monacho Pontifex vindicet, nihil de religione Princeps uſurpet?* Ex his intelligitur Epiſcopos Catalaunorum dominium aliquod & aliquam juriſdictionem in urbe ſua jamtum, nimirum ante annos D. habuiſſe, Comitivam putà atque Pariatum, aut certè ſaltem aliquid, quod Comitivæ & Pariatui originem dederit.

CATORISSIUM SEU CARTUSIA.

Tabula Peutingeriana *Cularonem Morginno* & *Catoriſſio* medium interponit hiſce verbis. *Morginno, Cularone, Catoriſſium, Melloſedo.* Morginnum porro vicus eſt, *Morges* dictus; Catoriſſium *Chartrouſſe* vel *Chatrouſſe*, magnus vicus, poſitus ad pedem montis cognominis, nomen dantis eremo Monaſterioque majoris Cartuſiæ, *la grand' Chartrouſe.* Recentiores quippe de *Catoriſſio* vico & monte tranſpoſitis litteris *Cartoſium*, *Cartuciam*, & *Cartuſiam* fecerunt, nonnũquam & *Caturſium*. Unde in teſtamento Ludovici IX. Francorum Regis *Ordo Caturſienſis* dicitur. Hos inter duos vicos eminet Cularo vel Gratianopolis, ſed à Morginno quadruplo ferè remotior eſt quàm à Catoriſſio vel *Cartuſia*. Humbertus Burgundio ſcribit, *Cartuſienſes traxiſſe nomen à domo Ordinis, ſita juxta Parœciam quæ vocatur Cartuſia. Parœcia* iſta *Cartuſia*, eadem eſt ac *Catoriſſium* vicus à nobis in tabula Theodoſiana obſervatus, qui nomen ſuum dedit monti proximo, in quo Cartuſienſes eremitæ Deo interdiu noctuque maxima cum pietate curaque militant.

CATVRIGES ET EBRODVNVM CATVRIGVM.

Cæſar in libro I. Commentariorum belli Gallici ſcribit, *Centrones & Garocellos & Caturiges*, qui locis ſuperioribus occupatis itinere exercitum Rom. prohibere conabantur, compluribus à ſe prœliis pulſos eſſe. *Catoriges* dicuntur à Strabone, Κατόριγες; à Plinio inter Gentes Alpinas *Centrones*, *Cottianæ civitates*, *Caturiges*, & *Caturigibus orti Vageni Ligures* memorantur.

Ptolemæus in Alpibus Graiis *Caturiges* collocat malè, quos in Alpibus Cottiis cum Plinio & priſcis Itinerariis ponere debuit. Certè in Itinerario Æthici à *Mediolano Arelate per Alpes Cottias* tendẽti, item à *Mediolano per Alpes Cottias Viennam* occurrunt *Seguſio*, *ad Martis* M.P. XVI. *Brigantio* XVIII. *Rame* XIX. *Eburudunũ* XIX. *Caturiga* XVII. *Vapincus* XII. & in tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana eodem itinere hæc eadem reperiuntur ſic. *Finibus*, *Seguſione*, *Martis*, *Gadaone*, *Brigantione in Alpe* Cottia, *Rame*, *Eburuno*, (ubi legendum *Ebruduno* vel *Eburuduno*) *Catorigomagus*, *Icuodurum*, *Vapincum*. Erant igitur tum Caturiges, & Ebrodunum Gentis caput, Caturigæque vel Caturigomagus, ac Brigantio Diœceſeos Ebrodunenſis oppidum in Alpibus Cottiis jaminde à Plinio: qui Caturiges poſtea unà cum Brigantione, Rame, Ebroduno capite Caturigum, atque Caturicis Alpibus Maritimis ſunt adſcripti. In tabula Peutingeriana *Caturiges* notantur.

Samſon Geographus Regius Caturigibus attribuit non Ebrodunenſem ſolùm Diœceſin, de qua nemo dubitat, ſed etiam Vapincenſem: propterea quòd Catorigomagus, vel Caturigæ, quæ à Caturigibus utique nomen acceperunt, mediæ ſunt inter Ebrodunum ac Vapincum; Vapincus autem à nemine veterum ulli Genti attributus, ac ne memoratus quidem reperitur. Quæ utraque frivola eſt ratio nulliuſque momenti: præſertim cùm Vapincum Tricoriis Itineraria priſca, & via Hannibalis adjudicare apertè videantur.

Caput Caturigum *Ebrodunum vicus*, Ἐβρόδουνον κώμη dicitur à Strabone admodũ impropriè, & ſi ita dicere licet, malè ac falsò: malè quoque à Ptolemæo *in Graiis Alpibus Caturigũ urbs Ebrodunum*, Κατουρίγων Ἐβορόδουνον, cùm tunc fuerit in Alpibus Cottiis. Eborodunum vocavit Ptolemæus, ut Itinerarii Æthici codices *Eburodunum*, *Eburudunum*, ac *Ebrudunum*. Itinerarium à Burdigala Hieruſalem uſque *manſionem Ebridunum* appellat, *unde incipiunt Alpes Cottiæ*, ponitque inter *manſionem Catorigas*, & *mutationem Rame.* Manſio autem, Græcis μονή, militum iter facientium erat; mutatio curſus publici, Græcis ἀλλαγή. Veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ, *provincia Alpium Maritimarum Metropolim* faciunt, vocantque *Metropolim civitatem Ebrodunenſium*; alias *civitatem Ebridunenſium*, & *Ebrodunenſium*; Robertus in Chronico *Alpium Maritimarum Metropolim civitatem Ebredunum.* Nimirum Ebrodunum quod cum Statione Martis & Brigantione ac Rame Caturigiſque in Alpibus Cottiis veteres poſuerant, Alpibus Maritimis recentiores adſcripſere. Et Alpes quidem Maritimæ vocantur à Ptolemæo Ἄλπεις παράλιοι, à Dione in libro LIV. *Alpes Maritimæ, à Liguribus Capillatis & liberis habitatæ*, αἱ Κόμαι αἱ

παραθαλάσσιοι ὑπὸ Λιγύων τῶν Κομήτων καλουμένων ἐλευθέρως νεμόμεναι. Hæ Alpes à re nomen habebant, & ad maris Liguſtici oram pertinebant. Ibi erant *Ligures qui Montani vocabantur, Capillatorumque* (Ligurum) *plura genera ad confinium Liguſtici maris. Nicæa, populi Inalpini multis nominibus, ſed maximè Capillati, opidum Vendiatiorum Cemenelion, portus Herculis Monœci, Liguſtica ora, flumen Rutuba, opidum Albium Intemelium*, ut loquitur Plinius. Tacitus in libro II. Hiſtoriarum *in Maritimis Alpibus municipium Albium Intemelium* ponit: Tabula Theodoſiana ad Alpes Marit. collocat Albintimilium, Cemenelum, Varum flumen, Antipolim, Adhorrea: collocat & Æthicus viâ Aureliâ *à Roma per Tuſciam & Alpes Maritimas Arelatum uſque.* In tabula Theodoſiana hæc legimus. *Albentimilio, in Alpe Maritima*, (alias, *Alpe ſumma*) *Gemenello*, (alias & meliùs *Cemenelo*) *fluv. Vulpis, flumen Varum, Antipoli, Adhorrea.* Quæ loca omnia Alpium Marit. appellationi conveniunt: ſunt enim ad mare poſita. At Salinæ Suetriorum opidum, & Veſdiantiorum Sanitium, quæ Ptolemæus Alpibus Marit. adſcribit, parum eis conveniunt, cùm à mari non parum abſint. Alpes iſtæ, à Liguribus Maritimis *Liguſtica* quoque dictæ, à Gratio in libro II. *Ligurina Alpes, Liguſtini montes* à Livio in libro XXXIV. à Dioſcoride de nardo *ἐν κατὰ Λιγυρίαν Ἄλπεσι.* Poſtea ex Alpibus Maritimis provinciam fecere, eique non Maritima tantùm, ſed etiam remotiſſima à mari loca attribuere. Quippe provinciæ Alpium Maritimarum Ebrodunum metropolim, Diniam, Rigomagum, civitatem Solinienſium, Sanitium, Glannativam, Cemenelium, Vintium adſcripſere. Ex quibus Cemenelium cum Nicæa ad mare poſitum eſt, Vintium quoque mari propinquum: At Glannateva & Sanitium à mari longè abſunt; Dinia multo longiùs; Ebrodunum caput & mater provinciæ longiſſimè, itaut in Alpibus Maritimis admodum impropriè collocentur. Nam duæ aliæ provinciæ hujus civitates ignorantur. Robertus in Chronico Alpium Maritimarum civitates numerat Ebrodunum, Vapincum, Diniam, Nicæam, Sanitium, Glannatevam, Antipolim, Vintium. Ex quibus Vapincus & Antipolis Narbonenſis ſecundæ civitates priùs fuerant: & Vapincenſium quidem civitas paullo pòſt Narbonenſi II. reddita eſt; at Antipolis in Alpibus Maritimis permanſit, cujus Epiſcopatûs ſedes in civitatem Graſſam tranſlata eſt ob incurſiones piratarum. Cemenelium & Nicæa ſedes una erant, quæ diruto Cemenelio Nicææ perſeveravit. Quare Gervaſius Tilleberienſis & quædam recentior Notitia ante annos CCCC. compoſita ſub Ebrodunenſi metropoli *Dignienſem, Nicienſem, Antipolitanum, Glandetenſem, Senetenſem*, aut *Senecenſem, Vencienſem* ſuffragantes Epiſcopatus conſtituunt. Unde alia Notitia ſcripta paullo poſt annum MCCCXXII. pro Antipolitano *Gracenſem* ſeu Graſſenſem ponit. Hodieque Ebrodunenſi ſedi ſubjacent Dinia, Nicæa pro Cemenelo, pro Antipoli Graſſa, Glannateva, Sanitium, Vintium.

Etſi autem Hilarus PP. in litteris ſuis anno CCCCLXV. ad Leontium, Veranum & Victurum Epiſcopos datis *fratrem & Coepiſcopum ſuum Ingenuum Ebredunenſem, Alpium Maritimarum Metropolitani ſemper honore ſuffultum; habere pontificium*, id eſt primatum *provinciæ ſuæ* jubet: etſi quoque Notitiæ veteres Alpium Maritimarū metropolim faciunt Ebrodunum; tamen in Concilio Epaonenſi & in Matiſconenſi II. Ebrodunenſis cum Veſontienſi non inter metropolitanos Epiſcopos, ſed inter provinciales tantùm locum habet. Ne de Reienſi Concilio loquar, in quo Armentarius Ebrodunenſi Epiſcopatu dejectus eſſe dicitur, propterea quòd *ſine Metropolitani auctoritate* fuiſſet ordinatus. Ut quemadmodum Darantaſiæ, Veſontioni, aliiſque civitatibus accidit, Ebrodunum tum pro Metropoli habitum non fuiſſe videatur.

Ebrodunum à re nomen habet. Poſitum enim eſt in monte ſeu duno, cujus radices alluit Druentia. Vulgò *Embrun* dicitur, & pagus Ebrodunenſis *l'Embrunois*: à quo Dalfini *Comites Ebroduni* olim appellati.

In provincia Gallia Ripenſi fuiſſe *Præfectum claſſis Bracatorum*, vel *Barcariorum Ebruduni Sapaudiæ* docet Notitia Imperii Romani. Pars Dalfinatus tum Sapaudiæ nomine continebatur, ut portio provinciæ Viennenſis ad ripas Rhodani, Iſaræ & Druentiæ, & ad oram maris poſita, *Gallia Ripenſis* vocabatur. Hæc claſſis in Druentia ſtabat, à quo *nautæ Druentici* in priſcis lapidibus.

Quidam apud Plinium in capite IV. libri III. pro *Bodionticis quorum opidum Dina, Ebroduntios* legunt, & pro Dinienſibus habent, in his Ioſ. Scaliger: alii pro Ebrodunenſibus, quod Gaſſendus non ſine cauſſa improbat. Nam ut omittam repugnare veterum codicum & priſcarum editionum auctoritatem, ab Ebroduno *Ebrodunenſis* atque *Ebrodunenus* deduci poteſt, *Ebroduntius* non poteſt. Præterea in capite XIX. lib. III. *Caturiges, Brigiani, Bodiontii* vel *Brondiontii* memorantur: ubi ſi *Ebroduntii* legimus, & pro Ebrodunenſibus accipimus, bis eadem gens deſignabitur ſub nominibus *Caturigum & Ebroduntiorum*: cùm Ebrodunum ſit Caturigum.

CATURIGÆ.

A Cathrigibus, cujus gentis caput eſt ac princeps urbs Ebrodunum, nomen accepere *Caturiga*, truncato nomine vulgò nunc *Chorges* dictæ quaſi *Curiga* aut *Curga*. *Caturiga* autem, necnon *Caturica* vocatæ à Caturigibus, ut à Biturigibus Cubis modò *Bituriga*, modò *Biturica* pro Avarico. Æthicus in itinere a Mediolano per Alpes Cottias Arelatum *Caturrigas* vocat, in itinere Viennam *Caturicam*: cùm heic *Caturicas*, illic *Caturigas* ſcribi oporteat. Utrubique Æthicus Caturigas inter Ebrodunum & Vapincum ponit, ab Ebroduno XVII. a Vapinco XII. millibus paſſuum diſtantes, non procul à fluvio Druentia. Tabula Theodoſiana *Caturigomagum* appellat, id eſt Caturigum manſionem, & ſicut Æthicus, inter Vapincum atque Ebrodunum eum locum rectè collocat ſic. *Vapincum, Iciodurum, Catorigomagus, Eburuno*: ubi legendum eſt *Ebruduno*. *Caturigas* vocat Itinerarium Burdigalenſe. *Vapincum. Manſio*

Caturigas; *Manſio Hebriduno*, *unde incipiunt Alpes Cottiæ*, *mutatio Rame*. *Catorigomagus* & *Catoriga* utrubique dicuntur pro Caturigomagus & Caturigæ, ut a Strabone *Catoriges* Gens ipſa pro Caturiges u in o mutato, quemadmodum ſæpiſſime contingit.

Eſt & alius eiuſdem nominis locus in Campania Remenſi, Æthico *Caturriga* ſeu potiùs *Caturiga* dictus, in tabula Theodoſiana *Caturice*, utrubique in tertio caſu *Caturrigis*, & *Caturicis* ex more. Diſtat à Durocortoro Remorum XXXIX. millibus paſſuum, à Naſio IX. à Tullo XXV. inter Durocortorum Remorum & Tullum Leucorum medium obtinens locum.

CATOLACUM.

Catolacum vel *vicum Catolacenſem* liber de Vita B. Genovefæ vocat; *Catulliacum* Geſta Dagoberti, vicum ſuburbanum agri Pariſiaci in VI. ab urbe lapide poſitum; *vicum Catuliacum* Aimoinus in l. IV in quo Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus & Martyr ſepultus eſt cum Ruſtico Presbytero & Eleutherio Diacono: ubi Dagobertus Francorum Rex Monaſterium clariſſimum exſtruxit ditavitque, & baſilicam tumulo Martyrum magnificentiſſimam circumdedit: quod Monaſterium S. Dionyſii dicitur, & opido originem ac nomen tanti Martyris dedit, Regumque noſtrorum Palatio inclytum fuit; Dagoberti, Caroli Ducis Francorum, Pippini Regis, Caroli Calvi ejus pronepotis, & omnium ferè ab Hugone Regum nôſtrorum Mauſoleum.

CAUCIACUM.

Cauciacum, *Choiſi*, vicus fuit poſitus ad flumen Axonam non procul ab ejus & Iſaræ confluentibus atque Compendio: quem olim villam publicam fuiſſe, Regiâ & ponte lapideo flumini impoſito inſignem, hodieque utriuſque operis reliquiæ indicant: ut in libro XXIII. Rerum Francicarum ſcripſi. Childebertus Francorum Rex anno DCCXI. ibi obiit, ſepultuſque eſt in baſilica Cauciacenſis Monaſterii, S. Stephani Protomartyris nomine ac Reliquiis illuſtri. Meminit ejus loci Appendix Fredegarii, meminere Geſta Francorum, aliique ſcriptores veteres. Obiit Berta Regina, mater Caroli Magni anno DCCLXXXIII. *& ſepulta eſt in Cauciaco*: ut Mettenſes produnt Annales. *Cauciagum Monaſterium* in Geſtis Francorum dicitur, aliàs *Cauſiacum* ibidem, & in Vita Drauſii Sueſſionenſis Epiſcopi. *Abbatiam Protomart. Stephani Cauciacum, quæ ſeptingentarum familiarum eſſe perhibetur, ad templi fabricam ampliandam dediſſe* Sueſſionenſi Baſilicæ S. Medardi Imperat. Ludovicum Pium, ſcribit Monachus Sanctimedardenſis, auctor æqualis, in libro de Tranſlatione & Miraculis S. Sebaſtiani Martyris. Legimus & *Normannos* anno DCCCXCV. *Hiſam ingreſſos*, (id eſt Iſaram flumen) *Cauciaco ſibi ſedem nullo reſiſtente firmaviſſe*. Cauciacum Britto in libro II. Philippidos *Choſiacas arces* ſeu Choſiacum vocat, nomine ad vulgare vocabulum accedente. Cauciacum, ut & Vicus ad Axonam, & Rotundæ, *Retondes*, ad Axonam locus Monaſterio clarus, ab urbe Sueſſionis CXLIV. ſtadiis diſtans, in Vita S. Drauſii memoratus; Sueſſionibus adſcribuntur.

Ceterùm *Cauſiacum* vel *Cauciacum*, quibuſdam videtur unâ litterâ additâ dictum eſſe ab Æthico *Catuſiacum*, quod inter *Verbinum* & *Minaticum* ponit in itinere à Bagaco Durocortorum, & à Verbino quidem VI. à Minatico autem VII. milliaria abeſſe ait: quæ parva diſtantia Catuſiaci à Verbino magis convenit in Coccium vel Cociacum, *Coucy*, quod Frodoardus *Codiciacum caſtrum Epiſcopii Remenſis* appellavit.

CAVINIO.

Acta Concilii, anno DCCCCXCI. habiti in Baſilica domni Baſoli in Remenſi territorio, non ſemel *Cavinionis* mentionem faciunt, in capite XXX. *Cùm te in vicinia Laudunenſis urbis apud Cavinionem conveniſſem*. & infrà. *Addebat ſe id jamdudum apud Cavinionem effeciſſe*. Vulgò dicitur *Chavignon*; uti *Avenio*, vel (ut recentiores vocant) *Avinio Avignon*, g litterâ inſertâ. Vicus eſt magnus, inter urbem Sueſſionas & Laudunum medio itinere poſitus, ab utraque civitate V. leugis diſtans.

CAZIACUM.

Aſſer Menevenſis in Vita Ælfridi Anglorum Regis loci ejus meminit, & *Caziei* vocat pro *Caziee*, villamque Regiam ſeu fiſcalem fuiſſe aſſerit. Anno (inquit) DCCCXCVII. *Pagani Sigonam deſerentes, in oſtium Maternæ divertunt, contra quod diu ac longè navigantes, demum non ſine labore uſque ad locum, qui dicitur Caziei, id eſt villa Regia, pervenerunt, in quo loco hiemaverunt integro anno*. Chronicon de Geſtis Nortmannorum *Gauſiacum* mendosè appellat pro *Caſiacum* his verbis. *Anno Domini* DCCCLXXXVII. *Northmanni Maternam fluvium ingreſſi, Gauziaco ſibi caſtra ſtatuunt*. In Vita B. Bernardi Claravallenſis Abbatis *Gauziacum* dicitur, aliàs & meliùs *Cazsiacum*; & *Gauziacenſes Monachi*, vel potiùs *Caziacenſes*. Caziacum vel potiùs Caſiacum Monaſterio veteri clarum, in Diœceſi Sueſſionica, vulgò *Chezy* appellatur. Bernardus Claravallenſis Abbas in epiſtola ad Bernardum Priorem Portarum *I. Abbatem Caziacenſem* commemorat.

CEBENNA MONS.

Rectè quidem Joſ. Scaliger obſervavit non *Gebennam*, ſed *Cebennam* ſcribi oportere: ſed quoniam cur ita ſentiret non expoſuit, cauſſas ejus rei reperire conabimur: inter quas duæ maximè veriſimiles mihi videntur, eorum montium nomen apud Græcos, & vulgaris apud Noſtros appellatio. Græci enim *Cemmenum montem* Κίμμενον ὄρος, & *Cemmenos montes* appellant, Strabo, Ptolemæus, aliique; numquam *Gemmenum montem*. Rufus Feſtus Avienus in Oræ maritimæ libro I. Græcos ſequitur, & eum montem *Cimenum* pro Cemmeno, atque *regionem Cimenicam* ab eo vocat. *Cimenice regio* (ait) *procul à mari, magna, aprica ſilvis, à monte celſo dicta, cujus pedes ſtrin-*

git *Rhodanus ſeu imos aggeres*. Hic eſt ſenſus verborum Avieni. Numeros memini, ſi verba tenerem. Præterea Noſtri *les Cevennes*, id eſt *Cebennas* nuncupare uno omnes ore conſueverunt, & incolas montium ſeu Cebennenſes *les Cevennois*, ſervatâ litterâ c in prima nominis ſyllaba. C autem in G mutare crebrò ſolemus: contrà G in C mutare non ſolemus. Denique nemo neſcit, quanta ſit C & G litterarum inter ſe ſimilitudo, & quàm ſæpe altera pro altera reperiatur in libris ſcriptis editiſque: ex quo intelligitur de Cebenna Gebennam facilè à librariis factam eſſe.

Cæſar in libro VII. *Aruernos ab Helviis* ſeu Vivarienſibus *monte Cebenna diſcludi* ſcribit, & Aruernos *ſe Cebenna ut muro munitos exiſtimâſſe*. Aruernorum autem pagi erant, & communi Aruernorum nomine ſæpe deſignabantur Gabali atque Vellavi, ut heic deſignantur à Cæſare: quos Gabalos & Vellavos ab Helviis Cebennâ diſcludi conſtat. Cebennæ Celtas olim à provincia Narbonenſi diviſerunt; nunc provinciam Aquitanicam primam dirimunt à provincia Narbonenſi I.

Strabo & Mella Obrim & Araurarim vel Araurim ex Cebennis demitti verè dixerunt: quibus addi poſſunt Viturlus in Septimania, *la Bidourle*, & Vardo, quorum alter in mare Gallicum, alter in Rhodanum influit; præterea in Vellavis Liger, & Elaver in Gabalis; Tarnis, & Agotus (*Agout*) atque Avario, (*Aveiron*) qui Tarne recipiuntur; Olitis, (*le Lot*) & Triobris *Triewre*, qui in Olitim labitur; Duranius cum Viſera, quem in Garumnam defert. Ex quibus Tarnem in Rutenis, Duranium in Aruernis, Olitim in Rutenis quoque non longe à Tarne oriri conſtat.

Mella *Cebennicos montes* & *Cebennas* vocat. Plinius Narbonenſem provinciam *à reliqua Gallia latere Septemtrionali montibus Cebenna & Jura diſcerni* tradidit: nimirum Cebennâ quidem ab Aquitania; Jura & lacu Lemano à Belgica ſeu à provincia Maxima Sequanorum. Strabo quoque Narbonenſem Galliam à Septemtrione terminum habere Cemmenum ait, id eſt Cebennam.

Montes Cebennæ à Rhodano ſeu ab Helviis per Vellavos, Gabalos & Aruernos ad Garumnam uſque promittuntur, & Vivarienſem ſeu Helvicum pagum, Vellavum, Gabalicum, Aruernum, Cadurcinum & Rutenum dividunt in ſuperiorem ac inferiorem. Quà per Aruerniam longo limite immittuntur, montes Aruerniæ vocantur, *les montagnes d'Auvergne*. Addunt aliqui partem Aruernorum Burbonenſes, & Lemovices, qui cum Marchia in ſuperiores inferioreſque dividuntur.

Auſonius Toloſam poſitam eſſe ait inter Cebennas & Pyrenæum, ſive inter Aquitaniam & Hiſpaniam

Innumeris cultam populis confinia propter
Ninguida Pyrenes & pinea Cebennarum,
Inter Aquitanas Gentes & nomen Iberum.

Idem & affirmat *Cebennas Aquitaniam premere*, id eſt interiora ejus penetrare:

Interiuſque premunt Aquitanica rura Cebennæ.

Quod non falsò eum aſſerere, ſuprà à nobis dicta oſtendunt.

Strabo prodit, Volcas Tectoſages Cebennæ auſtrina uſque ad promuntoria incolere, eorumdemque montium Septemtrionalia nonnihil attingere: quod de auſtrinis quidem Cebennarum verè dici poteſt; de Septemtrionalibus (ni fallor) non poteſt.

Maſſonus Cebennas à Monte Albano Cadurcorum opido, Toloſæ Garumnæque flumini proximo & à Pyrenæis parum remoto, ad Vivarium Helviorum opidum fluviumque Rhodanum promitti ait. Olivarius qui Mellam notis illuſtravit, Cebennicos montes ferè à Pyrenæo ad Lugdunum uſque pertinere, hoc eſt ad Rhodanum affirmat, atque *Montes Aruerniæ* appellari, vulgò *les Montagnes d'Auvergne*. Quod ex parte verum eſt, ex parte falſum. Cebennas enim nonniſi quà Aruerniæ interiora penetrant, *Montes Aruerniæ* nuncupamus: at pagum Cebennicum, ſeu *regionem Cimenicam* aut Cemmenicam ſuprà memoratam, *le pays des Cevennes*, aut abſolutè *les Cevennes* appellamus; ceterarum Gentium quas Cebennæ premunt, pagos *ſuperiores* (ut jam dictum eſt) à ſitu cognominare contenti.

Lucani verſum de Cebennis, in Vellavis explicabimus.

Aiunt Cebennas montes, necnon Pyrenæum & Voſagum, auro, argento, aliiſque metallis nulli regioni ceſſuros eſſe, ſi exercere liberet: ſed deeſſe ſervos qui fodiant, & iſta negligere Franciam, quòd auro importato commerciis abundet.

CELBIS FLUMEN ET CASTELLUM.

Celbis, *rapidus*, *nobilibus piſcibus* ſuis ac cerealibus molis *celeberrimus*, laudatur ab Auſonio in Moſella, *Celbis* inquam potiuſquàm *Gelbis*, vulgò *Kil*, aut *Kelb*, aliàs *Kyll*. Alluit non procul à fontibus ſuis *Celbim* nominis ſui caſtellum, *Stat Kil* vulgò dictum, Gerardiſaxum, *Gherbartſtein*, *Celbim* Burgum aut *Celbisburgum* *Kylburg*: & ad Eringium opidum *Erang* Moſellam auget infra Auguſtam Trevirorum, ferè è regione confluentium Erubris & Moſellæ. Erubris enim, vulgò *Rouer* aut *Rober*, ad vicum cognominem in Moſellam dextrum effunditur. De utroque Auſonius in Moſella:

Te rapidus Celbis, te marmore clarus Erubris
Feſtinant famulis quamprimùm allambere lymphis.

CELLA BOBINI.

Frodobertus locum paluſtrem prope Tricaſſas *Inſulam Germanicam* dictum, qui fiſci erat, à Chlodoveo juniore Francorum Rege impetravit, eamque donationem Balthildis Regina nomine Chlotharii filii ſui ſcripto comprobavit. Ibi Frodobertus in honorem Petri Apoſtoli Baſilicam ac Monaſterium condidit, primuſque Cœnobio Abbas præfuit: quod à tumulo Epiſcopi Tricaſſini, Monachi antea amplificatoriſque ſui, *Cellam Bobini*, ac ſæpe *Cellam* abſolutè cognominavere, ſicut in libro XXI. Rerum Francicarum ſcripſimus. *Monaſterium S. Petri* à Patrono; *Monaſterium Inſulæ Germanicæ* à ſitu; Petro ipſi Abbati Cel-

lenſi *Monaſterium Trecenſe* in libri I. epiſtola VII. quod in ſuburbano civitatis poſitum ſit, dicitur; Vulgò Monaſterium Cellæ, *Monſtier la Celle*.

CELLULA S. EUSICII.

Cella, vel *Cellula S. Euſicii* in Biturigum finibus ad Carum fluvium inſigne Monaſterium, originem ac nomen ſuum dedit opido cognomini, quod *Selles en Berry* dicitur, hoc eſt *Cella in Biturigibus*. Quamquam *Celle* ſcribi mallem. Nam *ſelles* Noſtris ſunt ſellæ, *celles* cellæ. Euſicius autem vel Euſichius eremita ac Monachus principatu Childeberti majoris Francorum Regis floruit, ab eoque aditus eſt.

CELLA S. GENULFI, ET DE STRADA.

In libro I. de Vita S. Genulfi hæc legimus. *Sancti viri* (Genitus & Genulfus ejus filius) *maximam Biturici pagi partem tranſmeantes, ad quemdam pervenerunt locum, in quo Diana erat fanum vetus, tunc à Fidelibus deſtitutum. Erat autem is locus ſuper fluviolum vocabulo Naon, amœnitate ſui gratiſſimus. Locus autem iſte, ubi cum patre ipſe ſepultus eſt in S. Petri oratorio, vocitatur à cunctis Cella S. Genulfi.* Hæc ſcribit auctor, qui ante annos DC. floruit, & in libri II. capite XIV. addit. *Erat haud procul à Stradenſi Cœnobio locus, VI. ſcilicet milibus diſtans ab eo, in quo SS. Genulfi & Geniti memoria* (id eſt ſepulcrum) *continebatur: qui locus eo tempore Cella S. Genulfi cognominabatur ab incolis.* Tum in capite XV. adjicit Carolum Calvum Mainardo Abbati Stradenſi permiſiſſe, ut S. Genulfi corpus in Monaſterium Stradēſe transferret. *Cella S. Genulfi* ad *Naonem* amnem, vulgò nuncupatur *Celle ſur Nahon*, poſita in Biturigibus ad caput Naonis, Turonibus confinis, in tabulis corruptè *Selles ſur Nahom*. *Monaſterium* autem *Stradenſe*, quod ſæpius *Stradam*, ſemel *Stratum* meliùs appellat ſcriptor ejus Vitæ, ſita eſt ad ripam Angeris, vocaturque *Fſtrée*· proximumque habet *Cœnobium*, à VVifredo & Oda Pippini Regis principatu *prope Stradam exſtructum, in penultimâ parte pagi Biturici* verſus Occaſum ad fluvium Angerem, quem ubique *Agnerem* Vita Genulfi nuncupat; ut docet idem auctor in capite VIII. libri II. Hoc Cœnobium cui ſuus eſt Abbas, appellatur *S. Genou*, ſeu S. Genulfi.

CELLULA S. MAXENTII.

Hoc Monaſterium in Pictonibus, regnantibus in Gallia Chlodoveo & Alarico, à Maxentio viro ſanctitatis eximiæ conditum eſt in loco, cujus vetus nomen Gregorius Turonicus Epiſcopus ſcire nos noluit, propterea quòd à Maxentio Abbate novum nomen acceperat. Gregorii in libri II. capite XXXVII. verba ſunt hæc. *Erat in his diebus vir laudabilis ſanctitatis Maxentius Abbas, Recluſus in Monaſterio ſuo ob Dei timorem intra terminum Pictavenſem: cujus Monaſterii nomen lectioni non indidimus, quia locus ille uſque hodie Cellula S. Maxentii vocatur.* Vita S. Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi *Monaſterium B. Maxentii* appellat; Vita quoque Imper. Ludovici Pii & decretum ejus de Monaſteriis Regni Francorum *Monaſterium S. Maxentii* in Aquitania, quod nec dona, nec milites, ſed ſolas orationes pro ſalute Imperatoris inter cetera debuit. Nunc opidum cum Monaſterio vetus primi Abbatis nomen retinet, vocaturque *S. Maixent*, poſitumque eſt ad Separim amnem, (*la Seure Niortoiſe*) in Pictavenſi pago.

CELSINANIÆ.

Petrus Mauricius Cluniacenſis Abbas qui ante annos D. floruit, in libri I. de Miraculis capite VI. *Celſinanias* commemorat, Cellam Cluniaco ſubjectam, his verbis. *Ea de cauſa Celſinanias, nobile Cluniacenſe Monaſterium petii.* Idem in capite XXV. libri II. *Amberta, Caroloco, Celſinaniis, Silviniaco, ipſi tandem Cluniaco à me in Priorem prælatus*, (Guillelmus) *indeque in Abbatem Moiſiacenſem aſſumtus.* *Celſinias* alii truncato nomine appellitavere. Henricus Abbas Cluniacenſis qui anno MCCCVIII. electus eſſe dicitur, *quinque majores Priores Ordinis Cluniacenſis* vocat *de Caritate, S. Pancratii Lewenſis in Anglia, S. Martini de Campis Pariſius, Silviniacenſem*, (*de Sauvigni*) *& Celſinienſem.* Monachus quidam in libro de Vita S. Odilonis, cujus æqualis fuit, prodit Paterniacum, Romanum Monaſterium, (*Roman Monſtier* in Lauſanenſi Diœceſi) Carum locum, Ambertam, (*Ambierte* in Lugdunenſi parœcia) Rivum, *Celſinias*, Silviniacum Monaſteria partim ab eo reſtaurata, partim à fundamentis exſtructa eſſe. *Celſinias* vocat & Ludovicus Francorum Rex in privilegio anno MCXIX. dato. In litteris Paſchalis anno MC. datis *Salſinangia* numerantur inter Prioratus Cluniaco ſubjectos; in aliis anni MCIX. *Salſinania* dictæ. *Celſinia & Celſinania* nomen loci ſincerum à Celſino deductum; *Salſinania & Salſinangia* corruptum. Ex *Salſinangiis* factum vulgare vocabulum *Sanſilanges*, n. in l. converſo. Quidam *Soncilanges* ſcribunt ſine cauſſa. Nam ex Celſinaniis *Cenſilanges* aut *Ceanſilanges* fieri debet; ex Salſinangiis *Sanſilanges*: neutro ex vocabulo *Soncilanges*. Celſinaniæ ſunt in Arvernis diœceſique Claromontenſi, ut & *Rivus*, vulgò *Rix*, cujus ſuprà facta eſt mentio.

CEMENELIUM.

Plinius in capite V. libri III. inter *populos Inalpinos cognomine Capillatos Vendiatios* ponit in Liguria regione Italiæ IX. & *opidum Vendiatiorum civitatis Cemenelium*: Ptolemæus Κεμενέλεον Οὐεδιαντίων, *Cemeneleum Veſdiantiorum* nuncupat, atque in Maritimis Alpibus locat: Tabula Peutingeriana *Gemenellum* pro Cemenelium vocat; Itinerarium Æthici in Gallia *Cemenelum*, inter *Alpem ſummam* vel *Alpem Maritimam*, finem Italiæ ac initium Galliæ, & *flumen Varum*. In veteribus Notitiis *civitas Cemelenenſium* in provincia Alpium Maritimarum penultimo loco appellatur, in quibuſdam truncato & corrupto nomine *civitas Celemenſium* pro *Cemelenſium*. *Cemenelium* enim

poſteriores *Cemelenum*, vel *Cemelenium*, & *Cemelium* dixere.

Sedes olim Epiſcopatûs fuit hoc opidum, ſed poſtea à Saracenis dirutum, nunc nihil præter nomen retinet: vulgo enim *Cimies* vocatur. *Cemenelium* & *Nicæam*, duas ſedes uni pridem Antiſtiti attributas, urbes fuiſſe Provinciæ à Gothis ad Francos tranſlatæ, indicat Magnus *Epiſcopus Eccleſiæ Cemelenſis & Nicenſis*, alibi dictus *Epiſcopus Eccleſiæ Cemelenſis*, qui Concilio Aurelianenſi v. & Synodo Arelatenſi v. illic per Aetium Presbyterum ſuum, heic per ſe juſſu Domini Childeberti Regis interfuit: & Catullinus *Epiſcopus à Nicæa*, qui Domino Guntchramno regnante ſtatutis Concilii Matiſconenſis II. Vicaria manu ſubſcripſit: atque Gregorius in libri VI. capite VI. ut in libro VIII. Rerum Francicarum obſervavimus.

Haſce ambas urbes, Cemenelium & Nicæam, unum olim Epiſcopum habuiſſe, deinde in duos Epiſcopatus eſſe diviſas, docet Hilarus Epiſcopus urbis Romæ, qui eas *ad unius Antiſtitis regimen reverti* juſſit epiſtolâ ad Leontium, Veranum & Victurum Epiſcopos miſsâ. Inde factum eſt, ut paullatim abolito *Cemelenſis* Epiſcopatûs nomine, Nicenſis ſedis appellatio prævaleret, tandemque ejus unius in ſubſcriptionibus Epiſcoporum & in Synodis mentio fieret.

Godellus Vintienſis Epiſcopus Cemenelium nomen accepiſſe ait à propinquo monte Cemeno, qui a fonte Vari fluminis ad oſtium ejus excurrat, ſive ad mare Liguſticum. At mons *Cemenus*, Italis *monte Cameleone*, Noſtris *Camelion* dictus, cujus è gremio amnis Varus profluit, à Cemenelio opido abeſt millia paſſuum minimùm XXX. ut affirmat Holſtenius in ſuis ad Italiam antiquam Cluverii Adnotationibus. Auguſtinus Juſtinianus in deſcriptione oræ Liguſticæ locum & agrum circumjacentem *Cimies* appellari tradit: in eo loco eſſe Eccleſiam B. Virginis, quæ *Noſtra Donna de Cimies* nuncupetur, & opus antiquum Theatri ſimile, quod *Cimella* vocitetur. Nunc igitur modò *Cimella*, modò *Cimies* majore ex parte appellatur. *Cemele* vocat & Godellus, ex Cemenelio vel Cemelio deducto nomine: additq; reliquias amphitheatri & aquæductuum templique Apollinis veterem Cemenelii ſplendorem hodieque indicare, de quo nunc nihil præter ruinas iſtas aut rudera ſupereſſe. Certè jam ante annos DCCC. *Cimellam* trunco nomine dictam eſſe indicant Vſuardi verba hæc. *Pridie Idus Maii in Galliis civitate Cimella natalis S. Pontii Martyris, qui ſub Valeriano & Gallieno Martyrii palmam adeptus eſt.*

Ceterùm mons Cemenus, ex quo Varus profunditur, *Cema* appellatur à Plinio, in capite IV. libri III. ſicut à Beraldo eſt editus Luteciæ ante annos CLIV. Verba Plinii ſunt. *Amnis Varus, ex Alpium monte Cema profuſus*: in alia editione, ſi bene memini, Lugdunenſi, legitur *Acema. A. V. ex A. monte Acema profuſus.* Quare neſcio, quem auctorem ſequantur recentiſſimi Geographi, præferantque Plinio, quum pro *Cema* vel *Acema* *Cemenum* montem appellitant.

CENTRONES IN ALPIBUS GRAIIS ET FORUM CLAUDII VEL DARANTASIA CENTRONUM.

Cæſar in libro I. ſcribit, *Centrones, & Garocellos, & Caturiges locis ſuperioribus occupatis, itinere exercitum ipſius prohibere conatos, & compluribus prœliis pulſos eſſe.* *Garocellos* Marlianus collocat ultra montem Ciniſium; Vigenerius, ſecutus ordinem Cæſaris, in valle Maurienenſi veriſimiliter: propterea quòd cùm Cæſar *Garocellos* inter Centrones, id eſt Darantaſios, & Caturiges ſive Ebrodunenſes ſtatuat, Maurienenſes qui inter ambos medii ſunt, pro *Garocellis* Cæſaris haberi queunt. At Samſon *Garocellos* in parte agri Brigantionenſis poſuit, ubi ſunt loca Ollæ (*Oulx*) & *Exilles* vulgò dicta; quorum ultimum nimirum *Exilles* aut *Eſſiles*, à Cæſare *citerioris provinciæ extremum opidum*, à Strabone *terræ Cottii finis Ocelum* appellatur, nomine ad Garocelos accedente, eſtque unà cum Ollis in valle quidem Durienſi, ſed nihilominus in Dalfinatu. Ita ſenſit primùm Samſon; verùm poſtea Vigenerio acceſſit.

Straboni noti ſunt & Centrones, Κέντρωνες, ſupra Salaſſos in verticibus montium. Noti & Plinio in libri III. capite XIX. hiſce verbis. *Sunt præterea Latio donati incolæ Alpium, Octodurenſes, & finitimi Centrones, Cottianæ civitates, Caturiges*, &c. & in libri XI. capite XLII. *Duobus Alpes generibus pabula ſua approbant; Dalmatica Docleatem caſeum mittunt. Centronica Vatuſicum.* *Alpes Centronicæ* à Centronibus dictæ; caſeus apud Centrones *Vatuſicus* à Vatuſia vel Vatuſio, qui locus nunc ignoratur. Quas ſuprà *Alpes Centronicas*, eaſdem in libri XXXIV. capite II. *Centronum Alpinum tractum* idem appellat. *Orichalco proximum bonitate fuit æs Salluſtianum in Centronum Alpino tractu, non longi & ipſum ævi. Succeſſit ei Livianum in Gallia, utrumque à metallorum dominis appellatum, illud ab amico D. Auguſti, hoc à conjuge.* Ptolemæus Strabonem ſequitur in appellatione Centronum. Κέντρωνες enim nuncupat, atque in *Graiis* eos *Alpibus* intra Italiam ponit: ut ſolet Alpes & Gentes Alpinas omnes in Italia collocare, non in Gallia. Graiæ autem Alpes dictæ ſunt à tranſitu Herculis Graii, uti ait Plinius Varronem ſecutus in libri III. capite XVI. quas *ſaltum Graium* Corn. Nepos in Hannibale vocat.

Centronum populi nomen ſincerum ac integrum ſervat hodieque *Centron* vel *Sentron* vicus, à Foro Claudii Aximam petenti ad dextram procul à via viſendum ſe præbens. Quidam tamen *Bergintrum* *Sentron* eſſe putant, quod Bergintrum à Darantaſia XVIII. millia paſſuum abeſt.

Apud Claudium Ptolemæum ſunt (ut dixi) in Graiis Alpibus inque Italia *Centrones*, quorum urbes Forum Claudii, & Axima. Ἐν ταῖς Γραΐαις Ἄλπεσι Κέντρωνες: ὧν πόλεις Φόρος Κλαυδίου ϗ Ἄξιμα. Et *Axima* quidem nunc ex urbe vicus magnus, nihil præter priſcum nomen idque corruptum ac truncum retinet. Nuncupatur enim *Eſme* vel *Aime*, a in e, x in ſ

ex more converſis, & IV. leugas à Foro Claudii abeſt: in tabula Theodoſiana memorata inter *Darantaſiam* & *Bergintrum in Alpe Graia*, ubi *Axunam* corruptè edidere pro *Aximam*.

At *Forum Claudii* caput Gentis vocavere Romani, ut ex Ptolemæo colligimus, quód ibi Claudius regionis præfectus, primus jus dixiſſet, & quód hic juridicus conventus eſſet. Poſtea urbs, incertum quam ob cauſſam, dicta eſt *Darantaſia*: in tabula Theodoſiana *Mantala*, *Ad Publicanos*, *Obilonna*, *Darantaſia*, *Axunam*, (ſcribendum *Aximam*) *Bergintrum in Alpe Graia*. Æthicus in Itinerario, in itinere à Mediolano per Alpes Graias Viennam, *Darantaſiam* memorat *Bergintrum* inter & *Bilumnum* ſeu Obilonnam: item in itinere à Mediolano per Alpes Graias Argentoratum, *Darantaſiam Bergintrum* inter & *Caſuariam* ponit. Avitus in homilia quadam, & Ennodius in Vita Epiphanii *Darantaſia* quoque meminerunt. In veteribus Noticiis provinciarum & civitatum Galliæ nunc *civitas Centronum Darantaſia* vocatur, in provincia Alpium Graiarum & Penninarum; nunc *civitas Centronum, id eſt Tarantaſia metropolis*; modò *metropolis civitas Centronum, id eſt Tarantaſia*, aliàs *Tarentaſia*, & *Darentaſia*: (ubi nonnumquam *Centronium* mendosè legitur) in priſcis Conciliis *civitas Darantaſienſis*, & *Tarantaſia*: *Darantaſia* Eginhardo in Vita Caroli Magni inter Metropoliticas civitates. Sincerum & incorruptum urbis nomen eſt *Darantaſia*: quod non urbi modò, ſed etiam toti tractui Alpino Centronum eſt attributum. Quippe & urbs ipſa in quibuſdam tabulis *Tarantaiſe* vocatur, & regio Centronum *la Tarantaiſe*: quæ regio etiam *Tarentaſia* dicitur in Diviſione Regni Caroli Magni inter filios, ac inter *Morienam* & *Montem Ciniſium* media ponitur.

Nunc ea urbs metropolis ſedes ſub ſe duas habet, Sedunenſem & Auguſtanam, ac pleriſque à veteri aliquo Monaſterio *Monaſterium* vocatur, ſicuti Mimigarnaforda, urbs VVeſtfalorum, Epiſcopatûs ſedes. Vulgò *Môtier* incolæ appellitant: quædam tamen tabulæ *Monſtier en Tarentaiſe*, nonnullæ *Mouſtiers* exhibent, tamquam non *Monaſterium*, ſed *Monaſteria* urbs Latinè appellanda ſit. Si qua Moneto Sapaudo in rebus Sapaudiæ fides habenda eſt, *Darantaſiam* ſive *Monaſterium* Iſara dividit interfluitve.

Placidi Valentiniani Principatu, ſedente Romæ Leone Epiſcopo Metropolis nondum erat, aut ſaltem non erat Darantaſia, ut nec poſtea regnante in Italia Theoderico, Oſtrogothorum Rege, anno Chriſti DXIII. Symmacho Romanam Eccleſiam regente. Quippe Leo PP. ſtatuit, ut *Viennenſis Epiſcopus vicinis ſibi* IV. *opidis præſideret, id eſt Valentiæ, & Tarantaſiæ, & Genavæ, & Gratianopoli: reliquæ verò civitates ejuſdem provinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis auctoritate & ordinatione conſiſterent*: quod decretum domini Leonis Symmachus PP. Probo V. C. Conſule confirmavit. Erat ergo tum Darantaſia una de civitatibus provinciæ Viennenſis, ac Viennæ ſubjecta: adeò alterius provinciæ, nimirum Alpium Graiarum & Penninarum caput atque metropolis eſſe non poterat. Certè inter Homilias Aviti invenitur quædam inſcripta, *Homilia dicta in Baſilica S. Petri, quam ſanctus Epiſcopus Tarantaſiæ condidit*: quæ homilia non exſtat. *Sanctus Epiſcopus* eſt Alcimus Avitus Viennenſium Archiepiſcopus, qui Baſilicam S. Petri condidit in urbe Darantaſia, tum Viennenſi ſedi ſubjecta; ibique concionem ad populum habuit, ac ætate Symmachi Papæ floruit.

CENTRONES IN BELGICA.

Centrones, *Grudios*, *Levacos*, *Pleumoſios*, *Gordunos* omnes ſub Nerviorum imperio eſſe in libro V. ſcribit Cæſar. Centrones, *fortè nunc eſſe Cortracenſes in Flandria diœceſeos Tornacenſis* ait Marlianus, *Grudios*, *Lovanienſes*, *Louvanois* Noſtris dictos; *Pleumoſios*, *Flamingos* ſeu *Flandrenſes* interpretatur, *ſitos in Diœceſi Tornacenſi*; Gordunos autem *Gandenſes*, *les Gantois*. De his popellis Vigenerius, Becanus, & Hubertus Leodicenſis, alii aliter ſentiunt. Samſon *Centrones* pro *Diœceſi Gandenſi* accipit; *Grudios* pro *Bruxzienſi* vel *Brugenſi*; *Levacos* pro pago *Loevenſi* inter Flandriam & Atrebates, *la Loëuve*, aut pro *VVaſia* in Flandria, *le pays de VVaës*; *Pleumoſios* pro Diœceſi Turnacenſi; *Gordunos* pro agro *Cortoriacenſi*. Gandam quæ vulgò *Ghent* dicitur, hodieque priorem partem nominis *Centronum* ſervare idem ait; agrum Grudiæ, *la terre de Groude*, *Land Van Groëde*, in Diœceſi Brugenſi *Grudiorum* appellationem ex toto retinere. Sed nihil eſt incertius, quàm ut Marlianus & Samſon faciunt, in explicatione veterum locorum ſimilitudinem nominum recentiorum ſectari. Hinc errores ſæpe pueriles orti, adeò ut quidam ante annos circiter CXXX. ea ſimilitudine vocabulorum & ignorantiâ antiquitatis deceptus, *Centrones* Cæſaris in Belgica ſecunda *Saintron au Liege* eſſe crediderit, atque ita interpretatus ſit: cùm locus iſte in Tungris ſeu in Diœceſi Leodicenſi, non à Centronibus ullis, ſed à *S. Trudonis* Presbyteri Monaſterio nomen acceperit, depoſitâ *Sarchinii* appellatione: nec uno verbo *Saintron*, ſed duobus vocabulis *Saint Tron*, alias *S. Truden*, hoc eſt *Sancti Trudonis* vel *ad S. Trudonem* nuncupetur.

CENTULUM, ET DE FORESTISCELLA.

Richarius Presbyter in vico Centulo pagi Pontivi, in quo natus erat, Monaſterium ac Baſilicam exſtruxit regnante apud Francos Dagoberto majore. Albinus qui & Alcuinus, in libro de Vita S. Richarii *Villam Centulam provinciæ Pontivæ* appellat: Hariulfus Monachus in Chronico Centulenſi nunc *Centulum vicum*, & abſolutè *Centulum*; nunc *villam Centulam*, aut ſimpliciter *Centulam* vocat, & à loci nomine *Centulum Cœnobium*, ac *Centulenſe*. Vulgò nunc & vicum, & Monaſterium à conditore ejus ac primo Abbate & præſente Patrono dicimus *S. Richarii*, vel *ad S. Richarium*, *Saint Riquier*. Eſt & locus in ſilva Criſciacenſi, *Foreſtiſcella* dictus a ſilva proxima atque Cœnobio, quò Richarius ſeceſſit, & ubi obiit: Vulgò *Foreſtmonſtier*, id eſt Foreſtiſmonaſterium. Abeſt à Centulo millia paſſuum decem: ibique

Richarius

Richarius in honore B. Mariæ Monaſterium inchoavit: ſicut refert Hariulfus. A capite pagi Pontivi in Ambianis Abbatiſvillâ duabus leugis ad ortum verſus Centulum opidulum & Monaſterium diſtat, poſitum ad *Scardunem* amniculum, *la riviere aux Cardons*, qui in Suminam devolvitur contra Abbatiſvillam.

CERATE.

Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri Hiſtoriæ x. capite ultimo ſcribit, *Euphronii Epiſcopi tempore Tauriaco, Cerate, & Orbiniaco vicis Eccleſias ædificatas eſſe.* Hic vicus Turonum *Cerate* ante annos M C. nomine indeclinabili appellabatur à Gallis, ut Condate, Bibracte: & nunc *Ceray* dicitur, uti Bibracte *Beuray*, Condate *Condé*: nec procul abeſt à fluvio Caro, & à vico Turonum Orbiniaco, *Orbigni*.

S. CERENICI CASTELLUM.

S. Cerenici caſtellum, vulgò *S. Celerin*, memorat Ordericus Vitalis in libro VIII. Hiſtoriæ, ponitque inter caſtella Damfrontem & Rupem Jalgeii: ubi nunc *S. Cenenicum*, nunc *caſtrum S. Cerenici*, interdum *caſtellum S. Serenici* illud appellat. Caſtrum eſt ad Sartæ fluminis ripam & ad ejus ac Sartulæ confluentes in Diœceſi Saienſi poſitum, Alentionem inter & Fraxinetum. *Scopuloſum montem Sarta fluvius ex tribus partibus ambit, in quo S. Cerenicus Monachis Cœnobium fundavit, & Nonis Maii obiit:* ſicuti ſcribit Ordericus Vitalis in libro laudato. Nomen hic locus habet à piiſſimo Abbate, qui ibi Monaſterium extruxit, & Prioratum quem vocant habet inſignem, ac novo *S. Celerini* nomine, quàm veteri *S. Cerenici* appellatione multo eſt notior.

CERVIA.

In litteris anno MCXVII. datis *Cervia* memoratur, dicta ut exiſtimo à cervis, quibus ager ejus & ſilva proxima abundabat. Caſtrum eſt in Hainoo, vulgò *Chieure* tranſpoſitis litteris dictum. Balduinus de Aveſnis *Chieures* ſemel, ter & ampliùs *Chirue* appellat nomine ad *Cerviam* proximè accedente, litterâ c adſpiratâ, & e in i converſo. *Ciroiam* quidam nuncupat. In litteris Rogeri Camaracenſis Epiſcopi datis anno MCXXCIX. fit mentio *Alardi domini de Cimaco, Ægidii de Montibus, (Mons en Hainau) VValteri Cirvienſis decani, Theoderici Avennenſis Decani, (d'Aveſnes)* & *Leonis Bavacenſis Decani.*

CHARES FLUVIUS BELGICÆ.

Hic fluvius à Fortunato in libri VII. Carminum Carmine IV. *Chares* vocatur

> Iſara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura,
> Seu qui Mettin adit de ſale nomen habens.

Chara fluvius à Frodoardo nuncupatur in libri IV. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis capite XXXIII. & in Chronici anno DCCCCXLVII. *Carus fluvius* in anno DCCCCLVI. *Charus fluvius* Sigeberto in rebus anni DCCCCLXXX. vulgò *le Chier*. Hic Montem Maledictum, *Montmedy*, Cavantiacum, *Chevanci*, Epoſium pagi Vabrenſis caſtrum alluit, ad VIII. milliarium à Monaſterio baſilicaque S. Martini, & Duciacum ad Prata, *Deuzi les Prez*: ac demum Moſæ confunditur paullo infra Duciacum.

CHORA FLUVIUS ET LOCUS.

Chora fluminis & loci ſæpe apud veteres ſcriptores fit mentio: quo nomine quod deſignaretur flumen, qui locus, nemo hactenus obſervavit. Animadverto ego *Choram* fluvium eſſe *la Cure*, qui in pago Nivernenſi oritur, & Choram, *Cure*, Petrampertuſam, Pierrepertuis, Viceliacum & Arciacum, ac Luciacum alluit, ac duodecim ferè leugas emenſus, apud Crebennum in Icaunam labitur. Meminit ejus fluvii & ejus vici Jonas Monachus ante annos mille in libro de Vita S. Columbani Abbatis quem MS. legi. *Egreſſus* (inquit) *vir Sanctus Luxovio Monaſterio, per urbem Veſontionem & Auguſtodunum ad Avallonem caſtrum pervenit: deinde ad Choram fluvium properans, ad domum cuiuſdam nobilis & religioſæ feminæ* Theudemundæ *pervenit: eademque die ad vicum quem Choram vocant venerunt: exin Autiſſiodorum properavit.* Principatu Ludovici Pii, & Caroli Regis ejus filii, qui Calvus cognominatur, *felicis memoriæ Gerardus Comes cum pia conjuge Berta, ob timorem Dei & ſui ſuorumque ſalutem, Monaſterium ſupra Choram fluvium in proprio & liberrimo alodio ſuo conſtruxit, & congregationem famularum Dei ibi conſtituit. Sed cùm propter crebras irruptiones Saracenorum,* (Normannorum paganorum, & Hungarorum vult dicere) *præfatum Monaſterium pæne fuiſſet ſubverſum, reædificatum eſt illud ab eodem Comite in adjacenti monte ſive caſtello Viceliaci, ac feminino ſexu commutato, ſervorum Dei primus ibi effectus eſt Abbas Eudo*, uti ait Hugo Pictavinus in libro III. Hiſtoriæ Viceliacenſis Monaſterii, quam ſub Guillelmo Abbate Viceliacenſi cujus erat Notarius, anno D. MCLXVII. abſolvit. In priſcis Geſtis Epiſcoporum Autiſſiodurenſium à Labbeo vulgatis *villam ſuper fluvium Choræ poſitam Campaniam nomine* reperio, in Deſiderio Antiſtite.

Chora locus eſt ad flumen *Choram* poſitus, à quo & appellationem traxit, cujus loci Ammianus Marcellinus meminit his verbis: *Aliis per Sidoleucum & Choram iri debere firmantibus:* Meminit & Notitia provinciarum Imperii Romani. *Præfectus Sarmatarum Gentilium à Chora Pariſios uſque*; ſcilicet per ripas Choræ, Icaunæ, & Sequanæ. Meminit ſupra & Jonas. In Chronico Viceliacenſi reperio epiſtolam Eugenii PP. ad G. Epiſcopum Lingonenſem, in qua *R. de Domitiaco & I. de Chora Presbyteri* nominantur: qui ſunt vici alter alteri proximi, ille *Dommecy* dictus, hic *Cure* nomine fluminis cui inſidet appellatus, in Ducatus Nivernenſis pagique Autiſſiodorenſis confinio. Ibidem idem Eugenius G. *Abbati de Chora* ſcribit, à quo ablatam Pontio Abbati Viceliacenſi villæ Priſciaci decimam cum parœciali jure ait: ad Abbatem etiam Regniaci aliam epiſtolam mittit his verbis. *Controverſiam quæ inter dilectos filios noſtros Pontium Vizeliacenſem & G. de Chora Abbates agitari dignoſcitur, diſcre-*

tioni tuæ audiendam terminandamque committimus. *Chora vicus* vocatur in Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium à Labbeo publicata, in Tetrico Epiſcopo; & alibi in eadem Hiſtoria *Core vicus*. Chora & Viceliacum Monaſteria, vel (ut uſitato vocabulo utar) Abbatiæ Diœceſi Auguſtodunenſi contribuuntur.

Hic vicus *Chora*, vulgò *Cure* dicitur, appellatione cum fluvio ſuo communi, & Monaſterio vetuſtiſſimo hodieque inſignis eſt.

CIMACUM.

Cimacum memorant litteræ anno MCXLVIII. datæ, qui locus eſt in Ducatu Luciliburgenſi, olim Comitatus, nunc Principatus titulo inſignis, ad Crovios Areſchoti Duces pertinens, & adſidet capiti amnis, qui Mariæburgum & vicos aliquot prætérlapſus, in Moſam defluit inter Caroli Montem & Fumacum. Vulgo dicitur *Chimay*, aliàs *Cimay*; ut Turnacum *Tournay*, Camaracum *Cambray*, Cortoriacum *Courtray*. *Cimacum* vocant litteræ Nicolai Cameracenſis Epiſcopi anno MCXXXVIII; *Cimacum* aliæ plurimæ meliùs; *Chimacum* quædam. Cimacenſis Eccleſia vetus S. Monegundis nomine cenſetur, Canonicoſque habet, ut priſcæ tabulæ Monaſterii Clarifontis docent.

CIPPIDUM.

Cippidum, cujus loci in actis Concilii Duſiacenſis fit mentio, *Snippe* quidam interpretantur, aliqua ſimilitudine nominis adducti. Quos ego falli exiſtimo. A flumine enim Suppia locus Suppia nomen accepit. Cippidum igitur arbitror eſſe municipiolum, quod vulgò *la Cheppe* vocatur, & eſt poſitum ad rivulum vel amniculum in Vidulam effluentem.

CISOMAGUS.

Gregorius in capite ultimo libri x. Hiſtoriæ Francicæ ſcribit; *Martinum* Epiſcopum Turonicum *in vicis Alingaviensi, Solonacenſi, Ambaciensi, Ciſomagenſi, Condatenſi, Tornomagenſi, deſtructis delubris baptizatiſque Gentilibus Eccleſias ædificaviſſe.* Ciſomagum *Chiſſeau* ad Carum flumen, Solonacum verò *Sonnay* vicum inter Andriam & Claſiam amnes medio loco poſitum interpretatur Maannus in ſua Metropoli Turonenſi. Solonacum *Senay* malim exponere, qui eſt locus proximus Caſtro Rainaldi. Nam Condate *Cande* eſſe, & Tornomagum *Tournon* nemo neſcit.

CISTERTIUM.

Ciſtertium eſt in finibus Æduorum ſeu in Diœceſi Cabillonenſi pagoque Belnenſi, loco nemoroſo ac ſilveſtri lacubuſque ac fontibus abundante ſitum, vulgò *Citeaux* dictum. Quidam *Ciſteaux* ſcribere malunt, & *Ciſtertium* à *ciſternis* deducunt, tamquam locus aquoſus ciſternis egeat, aut tamquam *Ciſtertium* ex *ciſterna* fieri lex analogiæ patiatur. *Ciſtertium* recentiores *Ciſtercium* vocavere t in c mutato. Hermannus Monachus de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis ad Bartholomæum Epiſcopum libri III. capite VII. *Caſtellenſe Cœnobium* ſemel atque iterum vocat. Nomen autem Latinum eſt *Ciſtelle*, ex quo factum *Ciſteaux*. Hic locus anno MXCVIII. aut ſequenti Ordinis Ciſtertienſis caput eſſe cœpit, ex quo Robertus Abbas Moliſmenſis ibi illuſtre Monaſterium exſtruxit.

Ciſtertii propagines ſunt Firmitas, Pontiniacum in Autiſiodorenſi pago, quod anno MCXIV. ſtatutum eſt, Clara Vallis, Morimundus in finibus Lingonum.

CITHARISTA PROMUNTORIUM.

Mellæ inter Olbiam & Maſſiliam eſt *Cithariſtes* in Gallia Narbonenſi: Plinio inter Athenopolim Maſſilienſium & Maſſiliā Græcorū Phocenſium fœderatā *promuntorium nomine Cithariſta* portus: Ptolemæo inter Olbiam & Tauroentium *Cithariſta promuntorium* ſic. *Varus fluvius, Antipolis Deciatium, Forum Julium ad Argentei oſtium, Olbia, Cithariſta promunt. Tauroentium, Maſſilia, Maritima Avaticorum colonia, Rhodani oſtia.* Contrà Æthicus Cithariſtam Maſſiliæ facit Taurento propiorem; *à Telone Martio Taurento portus* M.P. XII. *à Taurento Carſicis portus* XII. *à Carſicis Cithariſta portus* XVIII. *à Cithariſta Portu Mines poſitio* VI. *à Portu Mines Immatras poſitio* XII. *ab Immatris Maſſilia Græcorum portus* XII. &c. Æthici ordinem ſequi quàm Ptolemæi malim. Inter Carſicos igitur, vulgò *Carſis* aut *Caſſis*, & Portum Mines vel Portum Hemines poſitionem (*Portmiou*) erat Cithariſta, cujus nunc nomen eſt obſcurum. Alia eſt planè *Cithariſta parœcia* in territorio Arelatenſi ſita, vel *Cithariſtana parochia*, in epiſtola I. Zoſimi ad Epiſcopos Galliæ, & in Vita S. Cæſarii Arelat. Epiſcopi memorata. Athenopolis autem Maſſilienſium, quam Mella Foro Julii & Olbiæ; Plinius Foro Julii & Cithariſtæ mediam interponit, videtur eſſe Grimaltium vel Grimaldum, *Grimaut*, quod opidum ſinui Samblacitano nomen ſuum dedit.

Ceterùm Gaſſendus Cithariſtam, *cap de Cerciech* promuntorium Teloni proximum, corallio inſigne interpretatur, alias *cap Cerdnech*: quem graviter falli Æthicus ſuprà laudatus apertiſſimè indicat, quum docet à Telone Martio Cithariſtam portum & promuntorium abeſſe millia paſſuum XLII. à Carſicis XVIII. tantùm. Dicerem Cithariſtam eſſe Ceireſtam, *Ceireſte*, niſi Ceireſta inter Taurentum & Carſicos ſita eſſet: qui Cithariſtæ ſitus non convenit, magis Taurento & Carſicis ad Maſſiliam accedenti.

CLARAVALLIS.

Claravallis, *Clervaux*, nobile eſt Monaſterium in agro Lingonum ad flumen Albam, quod à ſitu nomen invenit. Guillelmus Abbas in capite v. libri I. de Vita S. Bernardi, cujus æqualis fuit, locum ita deſcribit. *Erat Claravallis inter opaca ſilvarum & vicinorum hinc inde montium anguſtias locus in territorio Lingonenſi non longè à fluvio Alba, antiqua ſpelunca latronum: quæ antiquitùs dicebatur vallis abſinthialis, ſeu propter abundantiam ibi abſinthii cres*

piam, ſeu ob amaritiem doloris ibi incidentium in latrones. Huic loco vaſtæ ſolitudinis Stephanus Abbas Ciſtercienſis Bernardum, & Fratribus quos una miſit, præfecit Abbatem.

CLASTRIS.

Frodoardus in Chronico anno DCCCCXLIV. *munitionem Rodulfi nomine Claſtris, ſitam in pago Veromandinſe*, à filiis Heriberti *proditione captam* eſſe ſcribit: quæ eſt uti arbitror *Clary* ad flumen Suminam prope Parronam in Veromanduis.

CLAUSA VALLIS.

Petrarcha *Clauſam Vallem* non ſemel memorat, locum collibus circumcluſum atque abditum, fonte admirabili, & capite Sulgæ fluminis nobilem. Vulgò *Vaucluſe*, aliàs *Valcluſe* Provinciales vocitant.

Paſchalis PP. II. in litteris anno MCVI. *in Biſuntino Epiſcopatu Monaſterium Vallis Cluſæ* memorat. Eſt ergo *Vallis Cluſa* in Sequanis Belgicæ: eſt & *Vallifclauſa* ſeu *Clauſavallis* in Cavaribus provinciæ Viennenſis.

CLENUS FLUVIUS.

Clenum flumen in libri IX. capite XLI. Gregorius Turonicus Epiſcopus; *fluvium Clintum* Geſta Francorum in capite XVII. & Rorico; *Glinnum* Hincmarus in Vitâ Remigii vocat: tabulæ Eccleſiæ Pictavenſis *Clennem* fluvium nuncupant. Vulgò dicitur *le Clain*: quem Vingenna *la Vienne* recipit, paullo pôſt Croſam *la Creuſe*, minore Croſa & Vartimpà (*Gartempe*) auctum accepturus, ac tum demum in Ligerim lapſurus. Sidonii in enumeratione fluminum verba ſunt hæc.

Clitis, Elaris, Atax, Vacalis.

Ex quibus *Elaris* quidem eſt Elaver, *Alier* Noſtris dictus; *Clitis* autem ſi Maſſono creditur eſt Clenus. Et Maſſono quidem plerique accedunt. Ego totus ab eo diſſentio. Quippe ſi flumen Pictavorum deſignare Sidonius voluiſſet, non *Clitim* novo & corrupto nomine appellaviſſet, ſed *Clenum* aut Clinnum ut ceteri, atque ita ſcripſiſſet

Clenus, Elaris, Atax, Vacalis.

Certè *Clitis* pro Cleno dici haberique non poteſt, cùm t in n aut invicem n in t Latini convertere non ſoleant.

CLICCHIO.

Legi litteras datas anno MCV. *coram Gaudino de Clicchione, Mormanno de Monte Rebelli*, &c. *Clichionem* aliæ litteræ vocant. Legi & alias recentiores, ex tabulario Fontis Ebraldi prolatas, in quibus *Ganterius de Clichone* & Serra ejus conjux communem filiam Robergam Deo & Roberto de Arbriſſellis offerũt. Hoc caſtrum *Clicchio* ſitum eſt trans Ligerim in finibus Pictonum, ad fluvium Separim, qui apud Namnetas Ligerim auget; & tamen unà cum proximo pago Ratiatenſi, qui ſimiliter trans Ligerim jacet, Britanniæ attribuitur, ac vulgò nuncupatur *Cliſſon*, tametſi *Cliçon* ſcribi malim. Ab eo *pagus* exiguus *Clicchionenſis* nomen accepit, *le Cliſſonois*. Clicchionis dominus fuit, locique cognomen tulit Olivarius, Regis Francorum Caroli VI. Comes ſtabuli, Magiſterve militum.

CLIMICIACUM.

Opidum eſt in agro Nivernenſi ad flumen Icaunam Climiciacum, *Clamecy*, quod in Hiſtoria Viceliacenſi *Climiciacum* & *Clemiciacum* appellatum reperio. Gaufridus Monachus Claræuallis, qui Bernardi diſcipulus ac Notarius fuit, in capite IV. libri IV. de Vita B. Bernardi Abbatis Claravallenſis *caſtrum Clamiceium* nuncupat, & in Diœceſi Auteſſiodurenſi, hoc eſt in veteribus finibus Senonum poſitum fuiſſe indicat hiſce verbis. *In eodem itinere, & in territorio eodem* (id eſt *in territorio Autiſſiodorenſi*, cujus paullo antè mentio erat facta) *Girardus quidam Clericus ex caſtro cui nomen eſt Clameceium*, &c. *Clamiciacum* alii vocant. Litteris Philippi Francorũ Regis datis anno MLXXVIII. *Ganterus de Clamiciaco* ſubſcripſit. Geſta Epiſcoporum Autiſſiodurenſium à Labbeo edita *Clamiciacum* etiam nuncupant. Proximus eſt Climiciaco *Epiſcopatus Bethleemitanus*, *l'Eveſché de Bethleem*, de quo Coquillius retulit: qui & ait Climiciacum opidum eſſe ad Beuvrônis & Icaunæ confluentes, qui Icauna ibi primùm ſed non toto anno navigabilis ſit.

CLIVUS.

Hic locus, qui nunc Ducatus eſt caput, nunc *Clivus* Latino nomine à ſitu nuncupatur in veteribus litteris; nunc *Cleva*; nonnumquam *Cleve*. In litteris anni MCXXXVIII. *Arnoldus Comes de Clivo*; in litteris anni MCXLV. N. *Comes de Clivo*; in litteris anni MCLVII *Henricus Comes de Cleva* memoratur; in litteris datis anno MCLXXI. *Theodericus Comes de Cleve. Clivam* alii, quidam *Cliviam* ſed recentiores nuncupant, vulgò *Cleves*, incolas Clivenſes *les Clevois*.

CLVENSE CASTRVM.

Aimoinus de Miraculis S. Benedicti ſcribit, *Giraldum Cluenſis caſtri dominum, & Hugonem Gargelenſem*, vel potiùs *Gargeleſſenſem Salenſe caſtrum* ab Ademaro captum recepiſſe, quem *Hugonem dominum caſtri quod Gargiliſſa* dicitur, idem vocat. *Cluenſe caſtrum* vulgò nunc appellatur *Cluis* in Biturigibus Cubis, Lemovicibus proximum.

CLVNIACVM.

Cluniacum vicus erat ad fluvium *Graunam* in Comitatu Matiſconenſi, ubi VVillelmus & uxor ejus Ingelberga Monaſterium exſtruxerunt, quemadmodum litteræ VVillelmi ipſius docent. Benedictus Papa VIII. in epiſtola ad Burgundiæ Aquitaniæ & Provinciæ Epiſcopos, *Cluniacenſe Monaſterium olim à VVillelmo, nobiliſſimo Aquitanorum Principe* (id eſt Duce) *in pago Matiſconenſi conſtructum* eſſe ſcribit; at Rodulfus Glaber à *Bernone* Balmenſi Abbate *juſſu VVillelmi Pii, Aquitanorum Ducis ſuper Graonam fluviolum* cõditum fuiſſe aſſerit. Vulgò *Clugny* dicitur, Ordinis Cluniacenſis caput. Grauna autem vel Graona, *la Grône*, Clunia-

cum, Brancidunum *Brancion*, & Firmitatem præterfluit, & ſupra Tinurtium in Ararim devolvitur. *Cluniacum* alius à *cluendo*, id eſt a creſcendo, aut à *declivitate* & humilitate loci; alius à *clunibus* & *acu* ridiculè deduxerunt: ut *Gemeticum* ex *gemmis*, *Cormaricum* ex *corde marrito* ſeu triſti factum eſſe quibuſdam placuit. Sed omnino *Cluniacum*, nomen eſt Celticum vel Gallicum loci in Celtica: quo nomine urbs eſt in Celtiberia *Clunia*, Plinio & Ptolemæo Æthicoque in Itinerario memorata. Gallorum porrò & Hiſpanorum ac Britannorum eamdem fuiſſe linguam credit Cluverius: cui tamen minimè accedo, cùm ipſos *Belgas*, *Aquitanos & Celtas linguâ inter ſe differre* aſſerat Cæſar.

In tabula Peutingeriana à Mediolano per Alpes Cottias Geſoriacum occurrunt *Lugdunum caput Galliarum*, *Ludna*, *Matiſco*. *Tenurtium*; apud Æthicum *Lugdunum*, *Aſa Paulini* M. P. XV. *Lunna* X V. *Matiſco* X V. *Tinurtium* XVIIII. Hanc *Lunnam* aut *Ludnam* fortè eſſe *Clugny* ait Simlerus, neſcio qua nominis ſimilitudine deceptus: cùm Lunna ſit potiùs Bella Villa, *Belle-Ville*, in pago Belloiocenſi non procul ab Arari Lugdunum inter & Matiſconem poſita, ſed Matiſconi propior: qui ſitus non convenit Cluniaco, inter Lugdunum & Matiſconem minimè ſito.

Monachus ignoti nominis, ſed vetus in libello de Vita S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis ſcribit, Odilonem apud Cluniacum clauſtrum exſtruxiſſe, *columnis marmoreis, ex ultimis partibus Provinciæ per rapidiſſimos Durantiæ Rhodanique curſus non ſine magno labore advectis, mirabiliter decoratum*. Hodieque ſunt in Provincia marmorum fodinæ, ſed neglectæ.

CODICIACUM.

Caſtrum Codiciacum, Silvaco proximum, in Diœceſi Laudunenſi, *Couci*, Hincmarus in libro de Vita B. Remigii, ac Frodoardus in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis & in Chronico commemorant: è quibus Frodoardus *Codiciacum Epiſcopio Remenſis caſtrum* in rebus anni DCCCCXXVII. appellat. Recentiores *Cocenum*, atque *Coteium* ac *Cociacum* nuncupant. Paſchalis quidem in litteris anni MC. *Cunſiacum* refert, in aliis litteris ann MCIX. *Conſiacum*; *S. Petrum de Cunſiaco* inter Prioratus Cluniaco ſubjectos memorans; *Cuciacum* Philippus Franc. Rex in litteris anni MLXXVI. Ludovicus Francorum Rex in Privilegio anni MCXIX. ſimiliter *Conſiacum*, ut & Honorius PP. in Privilegio anni MCXXV. Sed hic locus eſt in Diœceſi Sueſſionenſi, & nuncupatur *Coincy*.

COETNUS FLUVIUS.

Coëtnus fluvius vocatur à VVillelmo Brittone in libro VIII. Philippidos, qui Normanniam à Britannia, Abrincatuos à Dolenſibus dividit, & Fulgerias ac Pontem Urſionis alluit, ac paullo infra eum locum in Oceanum effluit: vulgo *Coëſnon*, aut *Coynon* Noſtri appellitant. Verſus Brittonis Armorici de Coetno talis eſt.

Abrincos,
Finibus à Britonum quos ſeparat unda
Coëtni.

Coſmun nuncupatur hic amnis in Vita S. Judoci Presbyteri ante annos circiter DCCC. ſcripta his verbis. *Pergentibus eis, ventum eſt ad fluvium quemdam qui dicitur Coſmun: quo citius tranſito, promoventes inde venerunt ad civitatem, quæ dicitur Abrincatis*. Videretur potiùs ibi ſcribi oportere *Coſnum*, id eſt Coſnon vel Coſno.

COLERENSIS PAGUS.

Pagus Colerenſis in extremis Auſtriæ finibus fuit, proximuſque pago Sugintenſi. Memoratur à Fredegario in libro V. Chronici, à nobis ignoratur.

COLONIA AGRIPPINA VBIORVM.

Ubiorum fuit civitas ampla atque florens, ut eſt captus Germanorum, propterea quod Rhenum attingunt, & propter propinquitatem Gallicis ſunt moribus aſſuefacti. Hos Suevi vectigales ſibi fecerunt, & multo humiliores infirmioreſque redegerunt; ut Cæſar in libro IV. ſcribit. Idem tradit, Ubios *qui uni ex Tranſrhenanis ad ipſum legatos miſerant, amicitiam fecerant, obſides dederant, magnopere oráſſe ut ſibi auxilium ferret, quòd graviter ab Suevis premerentur*: eoſdem poſtea *legatos ad ipſum miſiſſe, qui docerent, neque ex ſua civitate auxilia contra ipſum Treviris miſſa, neque ab ſe fidem læſam*: quorum ſatisfactionem acceperit.

Poſtea ex Germania in Galliam traducti ſunt à Romanis, ex dextra ripa Rheni in ſiniſtram. Quare Plinius & Tacitus Germaniæ Gentibus quæ in Gallia Belgica Rhenum accolunt, *Ubios & Coloniam Agrippinenſem* adnumerant. Tranſiſſe autem in Galliam videntur, propterea quòd aſſiduas Suevorum incurſiones ampliùs ferre non poterant: quæ antea Uſipetibus & Tencteris cauſa fuerat Rheni tranſeundi. Vbios Rhenum tranſgreſſos avus Agrippinæ Agrippa in fidem ſuam accepit.

Claudii conjux Agrippina, filia Germanici, Neronis mater *in oppidum Vbiorum in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci imperavit: cui nomen inditum ex vocabulo ipſius*: ut ait Tacitus in libro XII. Annalium. Hinc *Colonia Agrippina Vbiorum* dicitur in nummo Claudii Aug. *Colonia Agrippina* in nummo Neronis; *Colonia Agrippina Vbiorum legionis* XIX. in nummo Vitellii; *Colonia Agrippina* in Itinerario Æthici, & in Carmine XIX. libri III. Fortunati; in veteri inſcriptione quæ Beneventi viſitur, *Colonia Claudia Auguſta Agrippinenſium*.

Quidam ab Agrippina Coloniam Agrippinenſem rectiùs dici quàm Agrippinam exiſtimaverunt. Certè à Plinio nuncupatur Vbiorum *Colonia Agrippinenſis* in provincia Belgica ad Rhenum inter Vangiones & Gugernos; ab Tacito quoque in libro I. Hiſtoriarum ſemel atque iterum *Colonia Agrippinenſis*, necnon *Colonia Agrippinenſium*, uti ab Hugone Floriacenſi, in libro IV. *Colonia Agrippinenſium*; à Sulpicio Alexandro & *Agrippinenſis Colonia*.

Ab ceteris modò *Agrippinenſis* vel *Agrippina*, modò *Colonia* abſolutè appellatur. Claudius Ptolemæus *Agrippinenſem* vocat, ac in

inferiore Germania ponit: *Agrippinam* quoque ſimpliciter tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana; Æthicus ſimiliter *Agrippinam*, & *Agrippinam civitatem*; Ammianus Marcellinus in *Germania ſecunda Agrippinam, civitatem amplam atque copioſam.*

In Itinerario Æthici *Colonia* dicitur abſolutè, & *iter a Caſtello* Morinorum *Coloniam* millium paſſuum CLXXII. deſignatur. In priſcis Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ eadem urbs nunc *civitas Agrippinenſium metropolis Colonia*, in provincia Germania II. nunc *metropolis civitas Agrippinenſium, id eſt Colonia* nuncupatur: in Notitia omnium veterrima *metropolis civitas Agrippinenſium*; Gregorio Epiſcopo Turonico in libro II. *Colonia civitas*, in libri VI. Hiſtoriæ Francicæ capite XXIV. *Agrippinenſis civitas, quæ nunc Colonia dicitur.* Fortunati in libro IX. Carmen XIX. *ad Charentinum Epiſcopum Colonia* inſcribitur. Fredegarius etiam *Coloniam* ſemper appellat. Quare fallitur auctor Geſtorum Francorum, quum ait regnante Childerico Chlodovei patre, cepiſſe Francos *Agrippinam civitatem ſuper Rhenum, vocaviſſeque Coloniam, quaſi coloni in ea habitarent.* Multo enim ante Childericum ætate Æthici jam *Colonia* nuncupabatur: nec à Francis, ſed à veteranis ſeu militibus Romanis emeritis Principatu Claudii Aug. eò deductis hoc nomen κατ' ἐξοχὴν accepit. Ut omittam Francos Gentem Germanam, ſi nomen urbi impoſuiſſent, nomen utique Germanicum, non Latinum ei impoſituros fuiſſe.

Igitur *Colonia Agrippina* vel *Agrippinenſis* dicta eſt, Colonia Agrippinæ: ſicuti *Colonia Traiana* quæ ab urbe Colonia Agrippina millia paſſuum LIV. alias LXVI. abeſt, dicta eſt colonia Traiani Aug. *Colonia Julia paterna Narbo Martius* appellata eſt colonia Julii, patris Auguſti.

Quoties autem *Colonia* vocatur, ſubauditur Agrippina vel Agrippinenſis; quotieſcumque nuncupatur *Agrippina* aut Agrippinenſis, ſubauditur invicem Colonia.

Agrippinenſes ab auctore ſua communi nomine dicti ſunt cùm Ubii, priores urbis incolæ, tum veterani juſſu Agrippinæ ibi collocati; à recentioribus *Colonienſes*. Eſt enim hæc urbs colonia militaris, prima ab origine ſemi-Germana, & ſemi-Romana ſeu ſemi-Italica: quæ hodieque Coloniæ nomen ſervat. Vocatur quippe à Germanis *Köln* aut *Cölen* truncatâ appellatione Coloniæ, à Noſtris *Cologne.*

Coloniæ Agrippinæ ſuum fuit Capitolium, ut Narboni Martio, aliiſque in Gallia coloniis Romanis. Nam cives Romani loca præcipua urbis Romæ, tamquam matris ex qua orti erant, in coloniis ſuis videre concupiſcebant. Certè Plectrudis Pippini Ducis Francorum conjux, Coloniæ Agrippinæ illuſtre puellarum Monaſterium in Capitolio exſtruxiſſe, ibique in Baſilica B. Mariæ ſepulta eſſe dicitur. Locum ſcriptores Germani vocant *Monaſterium S. Mariæ in Capitolio, Eccleſiam B. Mariæ in Capitolio.*

COLONIA EQUESTRIS.

Quæ Plinio *Colonia Equeſtris* in Belgica, eadem Ptolemæo *in Belgica* quoque Ἐκυεστρὶς *Equeſtris urbs Sequanorum* dicitur. Si tamen Helvetii hinc monte Jura à Sequanis, inde lacu Lemano & flumine Rhodano à provincia Romana ſive Gallia Narbonenſi dividuntur: ſi præterea *extremum opidum Allobrogum eſt, proximumque Helvetiorum finibus Geneva, ex eoque opido pons ad Helvetios pertinet*, ut J. Cæſar in libro I. ſcribit: videri poteſt Colonia Equeſtris ad Helvetios potiuſquam ad Sequanos pertinere, & illis magis quam his attribuenda eſſe. Eſt enim inter Juram & Lemanum ad lacum ipſum poſita, & à ponte Genevenſi VI. millibus paſſuum diſtat. Certè quum à Plinio enumerantur in Belgica *Sequani, Raurici, Helvetii, Colonia Equeſtris & Raurica*, ex eo ordine colligitur, (ni fallor) Coloniam Equeſtrem Helvetiorum eſſe, ut Colonia Raurica ſit Rauricorum. Nec mirum, à Ptolemæo *Equeſtrem* Sequanorum urbibus adnumerari, qui & Aventicum Sequanis eiſdem attribuat, Gentis Helvetiæ caput, & *Aventicum Helvetiorum* ob id olim à multis cognominatum.

In tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana *Colonia Equeſtris* nuncupatur, & ponitur *Gennavam* inter & *lacum Loſonna* ſive lacum Loſannenſem, id eſt inter pontem Genevæ ac Loſannam quæ Lemanum lacum attingit. *Equeſtres* in numero plurali vocat eam coloniam Æthicus MS. in Itinerario hiſce verbis, in itinere à Mediolano per Alpes Graias Argentoratum. *Darantaſia* M.P. XVIII. *Caſuaria* XXIV. *Bautas* XVII. *Equeſtribus* XVI. *lacu Lauſonio* M.P. XX.

Colonia Equeſtris ante Plinii ætatem deducta eſt haud dubiè, cùm ipſe ejus meminerit: ſed quando, aut à quo, cujuſve juſſu deducta ſit ſcire non poſſumus. Fortè ab emeritis equitibus Sequanis ibi collocatis *Equeſtris* nomen accepit. Nam ut ait Lucanus

Optima Gens flexis in gyrum Sequana frênis.

Et *Epomanduodurum* in Sequanis ab equis cognominarunt Galli, ut & *Eporediam* in Italia Tranſpadana.

Antequàm colonia Romana fieret, & nomine Romano donaretur, Gallico nomine nuncupabatur *Noiodunus*, vel *Nividunum*: & ſic novam ac externam appellationem accepit, ut veterem ac domeſticâ propriamque non deponeret. Certè utrumque urbis nomen ſervant Notitiæ Galliarum. In primis in veterrima Notitia provinciarum & civitatum Galliæ vocatur *civitas Equeſtrium Noiodunus*, & inter civitates provinciæ Maximæ Sequanorum ſecundum locum tenet: in aliis Notitiis nunc *civitas Equeſtrium Nividunum*; nunc *civ. Equeſtrium Nividunus* vel *Nivedunus*, aut etiam *Novidunus*; nonnumquam *civ. Equeſtrium Novionus. Noviodunum* igitur vel *Noiodunum* primò dixere Galli, deinde *Nividunum*: hodieque Germani *Neviis* vocitant, Noſtri *Nion*: ut Cluverius, Scaliger, Guillimannus ac ceteri rectè exiſtimant. Vitam S. Romani Abbatis Jurenſis quidam ejus diſcipulus ſcripſit, in qua *Nugdunenſis municipii* meminit, id eſt Noiodunenſis vel Nividunenſis. Ab Noioduno vel Novioduno quod eſt opidum ad Lemanum lacum, ager & Conventus Noiodunenſis nomen habet, *le Baillage de Nion.*

Miræus ac Chifletius aiunt ibi olim Epiſcopatum fuiſſe, cujus ſedes poſtea Belicam tranſlata ſit. Sed eam tranſlationem ſedis, ſi tamen vera eſt, planè vetuſtiſſimam eſſe convenit: cùm *Vincentius Epiſcopus Eccleſiæ Belicenſis* Concilio Pariſienſi II regnante Childeberto Chlodovei filio, & Concilio Lugdunenſi II. Indictione V. anno Guntchramni Principatus VI. Chriſti DLXVII. interfuerit atque ſubſcripſerit. Veram tranſlationem hanc eſſe, aut olim in colonia Equeſtri cathedram Epiſcopatûs ullam extitiſſe, credere me prohibet altum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ac præſertim Conciliorum Gallicanorum ſilentium, quorum in ſubſcriptionibus nullus uſquam reperitur *Epiſcopus Eccleſiæ Colonæ Equeſtris*, aut *Epiſcopus Eccleſiæ Novedunenſis*, vel *Nividunenſis*.

COLONIA TRAIANA.

Colonia Vlpia Traiana in nummo Vlpii Traiani Aug. ab auctore ſuo dicitur, quæ à ceteris *Colonia Traiana*, & *Colonia Traiani* nuncupatur, nonnumquam & *caſtra Vlpia*. Onufrius Panuinius *Coloniam Auguſtam Vlpiam Traianam* perperam vocat, quaſi Ptolemæum atque Æthicum ſecutus: ex quibus Æthicus (ne de Ptolemæo loquar) Auguſtæ cognomen ei non tribuit, ac ne Vlpiæ quidem. *Coloniam Traianam Burginatium* inter & *Vetera* ponit tabula Peutingeriana, à Burginatio XI. aut veriùs IV. à Veteribus XIII. millibus diſtantem. Æthicus quoque inter Vetera & Burcinatium *caſtra Vlpia leg. XXX.* id eſt legionis Triceſimæ collocat; & in itinere à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum, *Coloniam Traianam* inter *Burginatium* & *Vetera*. Ex quo intelligitur *Coloniam Traianam* & *caſtra Vlpia* apud Æthicum unius ejuſdemque loci nomen eſſe, à Colonia Agrippina LIV. paſſuum millibus diſtantis: ubi legio Triceſima Vlpia Victrix, Dioni & veteribus inſcriptionibus ac Ptolemæo etiam nota hiemavit circa Conſtantini Maximi Principatum, quæ antea ut Ptolemæus docet, in caſtris Veteribus fuerat. A legione XXX. Vlpia nomen habent *Triceſimani intra Gallias*, Ammiano in libro XVIII. & in Notitia Imperii Romani memorati.

Coloniam Traianam ab hibernis legionis Triceſimæ Romani dixere *Triceſimam*, & *ObTriceſimam*, id eſt ad legionem Triceſimam: quod miror à nemine hactenus eſſe obſervatum. Certè Ammianus Marcellinus in libro XVIII. eam commemorat his verbis. *Caſtra Herculis, Quadriburgum, Triceſima, Noveſium, Bonna, Antunnacum, Bingio*: ubi codex Regius ſcriptum habet, *caſtra Herculis, Quadriburgium, Tricenſima, Niveſio, Bonna, Antennacum*. Tricenſimum & trigenſimum ſæpe pro triceſimo, vicenſimum pro viceſimo ſcripſere veteres. Idem de eodem loco in libro XX. ſic refert, *Obtrigenſimam opidum* vocans. *In Germania ſecunda Obtricenſima opido propinquabat*. Ita in codice Regio optimæ notæ ſcriptum reperio, cùm in vulgatis Ammiani libris legatur, *Obtricenſi Moſa opido provinquabat*: quorum verborum nullus aut potiùs malus eſt ſenſus. Quod enim eſt *Obtricenſe Moſa opidum*, vel *Obtricum Moſa opidum*? Quis umquam aut uſquam opidi hujus meminit? Quis veterum ita locutus eſt? Quis *Moſa opidum* vocavit, quod ad Moſam eſſet?

Coloniam Traianam nunc *Kellen* vocitari ſcribit Cluverius in libri II. de Germania antiqua capite XVIII. *Keulen* aliàs, & vicum eſſe Cliviæ Ducali opido proximum. Joſias Simlerus *Caſtra Vlpia* Cliviam ipſam eſſe credit, *Cleve* vulgò dictam. Caſtra autem Vlpia eadem ſunt quæ Colonia Traiana, ut ſupra docuimus.

COLONIA VILLA.

Conventus habitus eſt *in villa quæ dicitur Colonia anno IV. regni domni Caroli Glorioſi Regis*, Chriſti DCCCXLIIII. uti omnes ſciunt. Hæc villa vulgo *Couleine* vocatur, & ſita eſt prope urbem Cenomanorum.

COLUMBÆ.

Columbæ, vulgò *Coulons*, locus eſt in Carnutina Diœceſi, Monaſterio veteri inſignis Monachorum Regulam Benedicti ſequentium. Hic vicus nomen accepit ab avibus columbis, quibus abundabat, ut vicus in pago Pariſiaco *Columbæ* dictus, *Coulombes*, ad Sequanam ſiniſtrum inter Curvam Viam & Nemtodorum.

COLUMBARIA.

Vicus fuit quondam in ſaltu pagoque Brigenſi ad flumen Mucram, à multitudine columbariorum dictus *Columbaria*: qui licèt pridem caſtellum aut etiam municipium evaſerit, columbariaque ſua cauſſam veteris appellationis pridem amiſerit, priſcum tamen retinet hodieque nomen, & Columbaria nuncupatur, *Coulomiers*, Monſtreletio *la ville de Coulombiers en Brie*. In epiſtola quadam Innocentii Papæ III. *Columberia* dici reperio, cujus nominis multa ſunt loca in Gallia, & multi vici.

Eſt & locus *Columbarius* vel *Columbarium* in Aruernis, in quo Præjectus Aruernorum Epiſcopus xenodochium ædificavit, ubi ſemper viginti ægroti curarentur, rebuſque illud omnibus ac medicis inſtruxit.

Nec omitti convenit *Columbarium* in finibus Sequanorum, quod Colmariam vulgò appellant, *Colmar*: cujus incolæ Columbarienſes à Noſtris dicuntur, *Columbrenſes* à Monacho Gallenſi in libro II. rerum geſtarum Caroli Magni. *Opidum*, necnon *villam Columbariam* paſſim vocat Richerius Monachus in Chronici Senonienſis libri V. capite XIII. incolas *Columbarienſes*.

COLUMNA VICUS IN CARNUTIBUS.

Columnam Aurelianenſis urbis vicum vocat Gregorius noſter, in libri III. capite VI. id eſt pagi Aurelianenſis villam; Aimoinus mendosè *Calumniam*, in qua Sigiſmundus Burgundionum Rex cum conjuge & duobus maribus liberis jugulatus, ac in puteum dejectus eſt anno Chriſti DXXIV. Hæc villa ſeu vicus quibuſdam, in primis Falceto videtur eſſe *S. Simon*, quaſi *Sancti Sigiſmundi* nomen retinens truncum. Aliis forſitan potiùs videbitur eſſe vicus

ti proximus, vulgò dictus Columella, *Colonmelle*, id eſt parva Columna, in pagi Aurelianenſis Belſæque confinio: vel certè *Coulmiers*, quæ eſt Eccleſia ſeu parœcia cum vico Columellæ vicina: cui poſtremæ ſententiæ Carolum Cointum in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum accedere video. Poſteaquàm hæc ſcripſeram, venit in manus meas Chartularium Aurelianenſis Eccleſiæ S. Crucis, in quo legi litteras Leonis Papæ VI. ad Anſelmum Aurelianorum Epiſcopum ſcriptas anno Pontificatus ipſius tertio, Indictione XI. litteras Benedicti Papæ VII. ad Arnulfum Aurelianenſem Antiſtitem, Hugonis Ducis Francorum, ac pòſt Regis æqualem; litteràs Caroli Regis Ludovici Pii Aug. filii; litteras Hugonis Regis & Roberti R. ejus filii datas Silvanectis menſe Novembri Indictione IV. anno regni ejus IV. à Rainoldo Epiſcopo & Protocancellario ſubſcriptas: quibus in litteris inter Monaſteria & cellas ad ſanctam matrem Eccleſiam Aurelianenſem pertinentes numeratur nominatim *Puteus Sancti Sigiſmundi* his verbis. *Res autem quas inpreſentiarum ipſa retinet Eccleſia, hæ ſunt. Monaſterium S. Evurtii, Monaſterium S. Liſardi, Monaſterium S. Maximini Monachorum, item Capella S. Maximini juxta murum, Monaſterium S. Petri virorum, Monaſterium S. Petri puellarum, Monaſterium S Crucis Gargogilenſis, Monaſterium S. Aviti, Capella,* vel aliàs *cella S. Privati, cella S. Petri Tauriacenſis, S. Saturnini, S. Mariæ Draviacenſis, item S. Mariæ Fabricatæ, S. Iohannis, S. Marcelli, S. Martini Crevennenſis, item S. Martini quæ eſt prope murum ipſius civitatis, S. Laurentii, S. Gervaſii, Puteus S. Sigiſmundi,* &c. *cum rebus omnibus ad prædicta Monaſteria & cellas pertinentibus.* Quibus ego perlectis, intellexi puteum in quem juſſu Chlodomeris Francorum Regis abjectus eſt Sigiſmundus, non in Columnæ vico pagi Aurelianenſis, ſed in loco aliquantum à Columna diſtante poſitum fuiſſe, atque ob crebras magnaſque virtutes ac miracula Sigiſmundi plurimis illuc confluentibus Gallis, Francis, ac præſertim Burgundionibus, circumdatam eſſe puteo Eccleſiam, quæ inter cellas Aurelianenſis Eccleſiæ pridem connumeretur: cumque puteus celebrari accolique ædificiis cœpiſſet, totum locum ac vicum multo ante Carolum Calvum Imperatoris Ludovici Pii filium, qui ante annos octingentos regnavit, à re cognominatum eſſe *Puteum S. Sigiſmundi*, Columnâ priſcum nomen ſuum retinente. Certè in teſtamento Leodebodi Abbatis quod ante annos ampliùs ſexentos Helgaldus videtur ſuppoſuiſſe, aut ſaltem inſertis falſis corrupiſſe, mentio fit Columnæ vici his verbis. *Idemque antedictæ Baſilicæ domnæ Mariæ* (Floriacenſi) *portionem meam quæ eſt juxta Columnæ vicum, quartam partem ex ipſo agro Columnenſi delego perpetualiter poſſidendam.* Et in litteris VVillelmi Senonenſis Archiepiſcopi datis anno Domini MCLXXI. quibus controverſia inter Eccleſiam S. Crucis Aurelianenſis & Monachos Bonæ Vallis terminatur, hæc leguntur. *Actum publicè Carnotis anno ab Incarnatione Domini* MCLXXI. *Adſtantibus in præſentia noſtra ex parte Monaſterii Bonavallenſis ipſo Abbate Herberto, Adam Priore de Patio, Renardo Priore de Columnis villa.* Columnà hodieque nuncupatur vulgò *Colonmelle* aut *Columelle*, id eſt Columna parva vel Columella. Quum igitur apud Gregorium in libro III. Hiſtoriæ dicitur Chlodomeres Francorum Rex *Sigiſmundum cum uxore & filiis interfectum, apud Columnam Aurelianenſis urbis vicum in puteum jactari præcepiſſe*: & quum in Geſtis Francorum capite XX. idem dicitur *interfeciſſe Siſmundum* (hoc eſt Sigiſmundum) *& uxorem ac filios ejus, projeciſſeque eos in puteum in loco qui dicitur Columna vico*: quum denique apud Aimoinum in libri II. Hiſtoriæ capite IV. dicitur Chlodomeres *Sigiſmundum in villam cui Calumnia nomen eſt perduci, ac ibidem cum filiis capite cæſum in puteum projici juſſiſſe*: Gregorii & auctoris Geſtorum Francorum ac Aimoini verba ita ſunt accipienda, ut non in ipſo vico agri Aurelianenſis Columnæ, ſed non procul ab eo Sigiſmundum cum conjuge & filiis ambobus credamus abjectum in puteum, quem mediis in campis ad agreſtium uſus foſſum Franci repererant: locum autem circa puteum, poſtquàm habitari cœpit, dictum eſſe *Puteum S. Sigiſmundi*. Quippe auctor gravis ac Sigiſmundi uti videtur æqualis, qui de vita ac morte ejus ſcripſit, Vſuardus, Ado & Notkerus in Martyrologiis ſuis, Kalendis Maiis Sigiſmundum, licèt filii ſui interemtorem, non *Sanctorum* modò, ſed etiam *Martyrum* ordinibus adſcribunt. Nunc abolito putei vocabulo locus appellatur *Saint Simond*, hoc eſt *S. Sigiſmundi* ſive *ad S. Sigiſmundum*, trunco nomine & ad *Siſmundum* (ut Geſta Francorum nuncupant) proximè accedente. Corruptè enim & mendosè in tabulis Geographicis ſcribitur *Saint Simon*, quaſi S. Simonis aut certè Symeonis. Locus iſte vel puteus S. Sigiſmundi vix tria millia paſſuum abeſt à Columella, *Colonmelle* vel *Columelle*, à vico *Coulmiers* alterum tantum. Ex quo intelligitur à Gregorio ceteriſque noſtris Hiſtoricis *Columnæ vici* nomine *Colonmelle* ſeu Columellam locum nimirum puteo S. Sigiſmundi vicinum potiuſquàm *Coulmiers* vicum à Puteo remotiorem deſignari. In enumeratione MS. Eccleſiarum baptiſmalium Epiſcopo Aurelianenſi ſubjectarum, (*Curas* appellitant) in Archidiaconatu Balgentiacenſi commemorantur præ ceteris *Cura S. Anniani de Columeriis*, vulgò *Colommiers*, & *Cura S. Sigiſmundi*, vulgò *Saint Sigiſmond*, ad Abbatem Mitiacenſem pertinens. Vt appareat *Columeria*, quæ primò Columbaria, deinde Columberia ac demum Columeria dicta ſunt, & vicum puteumve *S. Sigiſmundi*, duo loca eſſe diverſa: & alterum eorum vicorum patriâ linguâ vocitari *Colommiers*, aut trunco vocabulo *Coulmiers*, vel *Goumiers* etiam quibuſdam in chartis; alterum appellari à Noſtris, præſertim à Canonicis Aurelianenſis Eccleſiæ *S. Sigiſmond*, at ſæpiùs ab incolis mutilo nomine *Saint Simon*: alterius parœcialem Eccleſiam S. Anniani titulo inſignem eſſe, alterius titulo S. Sigiſmundi: nec dubitari oportere quin unus idemque locus ſit, *Puteus S. Sigiſmundi* à veteribus dictus, parœcia vel *Cura S. Sigiſmundi* à recentioribus, vulgò *S. Sigiſmond* aut *S. Simond*.

COMBRALIA.

Combralia paſſim in priſcis tabulis ante annos CCCC. & D. & in Chronico MS. S. Stephani Lemovicenſis video fieri mentionem : quæ hodieque nomen ſervat, & dicitur *le pays de Combraille*. Equidem Combraliam priùs dictam eſſe *Convalliam* facilè crediderim, & litterâ u in b mutatâ *Conballiam* primum, ac demum *Combraliam* eſſe nuncupatam. Montes certè aut ſaltus ex omnibus partibus habet hic pagus, eorumque in convallibus jacet. Ibi eſt nobile & clarum caſtrum, à ſitu *Mons acutus* dictum, *Montegu en Combraille*, fluvii Bubulæ capiti appoſitum : qui Bubula, *Bouble*, & Cantuliam villam, & Cantiliam caſtellum alluit.

COMMERCIACUM.

In territorio Tullenſi villam Commerciacum ſemel atque iterum memorat Eginhardus in Annalium anno DCCCXXIV. & inſequenti. Theganus quoque *Commerciacum* nuncupat, necnon Annales Fuldenſes anno DCCCXXV. *in territorio Tullenſe Commerciacum villam*; Annales Bertiniani in anno DCCCXXIII. Annaleſque Mettenſes. Vulgò *Commerci* dicitur, eſtque ex vico caſtrum, aut etiam opidum ad fluminis Moſæ ripam in finibus Leucorum.

COMPENDIVM.

Compendium, *Compiegne*, à Romanis, aut certè à Gallis qui & ipſi Romani vocabantur, in Sueſſionibus conditum, & nomine Latino donatum eſt, vel quod erat ad duorum fluminum Axonæ & Iſaræ confluentem atque compendium poſitum; vel quòd per compendium, hoc eſt compendioſo itinere urbes & caſtra ripæ Suſninæ petentibus occurrebat. Regnantibus Chlodovei Magni liberis & nepotibus villa fuit Regia vel publica, ob propinquitatem ſilvarum venationis gratiâ delecta : ſicuti Gregorius noſter docet. Ob id nunc *villa*, & *villa Regia*, nunc *Palatium publicum*, nunc *Regalis ſedis opidum*, interdum & *caſtrum* nuncupatur propter loci ſitum ac munitiones. Regnante apud Francos Pippino, ibi Synodus eſt habita.

Carolus Aug. quem poſteri Calvum cognominavere, ibi Monaſterium in honore Mariæ Virginis exſtruxit, quod *Monaſterium Regium* vocari juſſit, & centum Clericis attribuit, villiſque & donariis multis & magnis ditavit : hoc nunc Monaſterium S. Cornelii appellatur. Compendium idem Princeps variis operibus exornavit, adeout *Carlopolim*, id eſt Caroli urbem nomine ſuo nuncupari voluerit. Compendienſem *Domum Karoli Calvi* commemorat Helgaldus in Vita Rotberti Francorum Regis, aliàs *Turrim Caroli* dictam, cum *Oratorio*, quæ à *Palatio* Compendii differret.

CONCHÆ, ALIAS CASTELLIO.

Rogerius de Toënio Cœnobium Caſtellionis aliàs de Conchis conſtruxit : ut Ordericus Vitalis ſcribit, qui & eum in libro XII. *Rogerium de Conchis* vocat. Hic locus vulgò *Conches* dicitur, atque etiam *Chaſtillon*, Monaſterio Benedictinorum inſignis, non procul à Mediolano Aulercorum Eburovicum.

Eſt & Monaſterium veterrimum, quod *Concas* Vita Imper. Ludovici Pii; *Monaſterium Conquas in Aquitania* Ludovicus ipſe, in ſtatuto ſuo de Monaſteriis vocat : Noſtri *Conches* nuncupant, Abbatiam in Rutenis; *Conkitas* quidam.

CONCORDIA.

Vt inter Altinum & Aquileiam civitates fuit in decima regione Italiæ Venetia colonia *Concordia*, ab Aquileia colonia XXXI. millibus paſſuum, ab opido Altino totidem diſtans, ab eventu aliquo nobis incognito nomen hoc Latinum nancta : ſic inter Brocomagum & Noviomagum Nemetum extitit *Concordia* ad flumen Rhenum in provincia Germania prima, ob caſum nobis ignotum & incompertum à Romanis rerum dominis fauſto nomine donata : cujus meminit Æthicus in Itinerario his verbis. *Argentorato* M. P. XXIX. *Brocomago* M. P. XX. *Concordia* M. P. XVIII. *Noviomago* M. P. XX. *Bingio* M. P. XXV. Vulgò *Kocherſperg* à ſitu dici, id eſt Concordiam Montanam vel Concordiam in monte, Simlerus & Cluverius veriſimillimè aſſerunt, ſitu loci & ſimilitudine aliqua nominis adducti.

CONCURCALLUM BITURIGUM.

In litteris anni MCII. *Sulpicius de Concurcallo* memoratur; in aliis litteris *Sulpicius de Concurcarlo* minùs bene. In litteris Abbatis Monaſterii S. Sulpicii apud Biturigas, datis anno XXXV. regni Philippi Francorum Regis, Chriſti MXCIII. ejuſdem *domini Sulpicii de Concorcialdo* fit mentio. *Concorcellum* etiam à nonnullis dictum reperio, quod ad *Concurcallum* proximè accedit, u in o, a in e commutatis. In litteris Philippi Aug. Franc. Regis, datis anno MCXCVII. *Gilo de Sulliaco feodum Concorcelli & totius caſtellaniæ* Regi ceſſiſſe dicitur. Hæc duo nomina ſincera ſunt, & *Concurcarlo* ac *Concorcialdo* præferenda. Quibuſdam tabulis Fontebraldenſibus ſubſcripſit idem Sulpicius, corrupto & ſuo & caſtelli ſui nomine hiſce verbis: *Signum Supplicio de Cuncartau*, item *Supplicii de Conchartau*; ex quo intelligitur eum locum etiam *Cuncartalum* & *Conchartalum* mendosè eſſe nuncupatum. Nonnulli ridiculè *Concorcellum* vel *Concorcallum*, nomen merè Gallicum, à *concordia ſaltus* deducunt, quòd ſilvæ ſit proximum. Vulgò dicitur *Concreſſaut* : ſed malim *Concreſau*. Nullas enim litteras in nomine veteri ejuſce caſtri reperio, quæ duo ſſ & t in fine gignere valeant. Tabulæ anno MCCXLV. datæ docent, *caſtri quod Corconcellum à finitimis nominatur*, milites duos Bernardum & Gelduinum, permiſſu Richardi Archiepiſcopi Bituricenſis, favente Stephano Comite, Eccleſiam Valliacenſem Floriaco contuliſſe: ut appareat hocce caſtrum, tranſpoſitis duabus prioribus ſyllabis, pro *Concorcello Corconcellum* nonnunquam appellatum fuiſſe.

CONDATE

CONDATE SENONUM.

Condate eſt opidum ad ripam Ligeris in Diœceſi Autiſſiodurenſi ac finibus Senonum poſitum, vulgò *Coſne ſur Loire.* Itinerarium Æthici in itinere ab Auguſtoduno Luteciam Pariſiorum mentionem ejus facit, ac *Condate* inter *Nivernum* & *Bribodorum* collocat. *Nivernum* M. P. XVI. *Condate* M. P. XXIV. *Bribodorum* M. P. XVI. Poſitum eſt Condate ad confluentes Ligeris & Noiani, amnis ignobilis, Interamnem *Entrain*, & Donzeium *Donzi* alluentis. *Condate* autem, vetus eſt nomen Gallicum, confluentes deſignans: quod nos patriâ linguâ nunc *Condé* & *Conde*, nunc *Cande*; modo *Coſne*, & *Coneſque*, modò *Condat* & *Condac*; interdum & *Cuniac*, ac *Cognat* dicimus. Condate noſtrum *Cona* nuncupatur in Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis his verbis. *In territorio Autiſſiodorenſi, apud opidum quod Cona vocatur*, &c. *Conada vicus* dicitur cùm alibi, tum in Annalibus Bertinianis in anno DCCCLXVIIII. mutato ordine litterarum; *Conada caſtellum* in Geſtis Epiſcoporum Autiſſiodurenſium, nonnumquam ibidem & *Condida*.

Æthicus & *Condate* aliud memorat inter Mecletum & Agedincum, quod vulgò *Montereau Fautyonne* dicitur: & Noviomago Lexoviorum ac Durocaſis (*Dreux*) Condate alterum interponit, quod eſt *Condé* ad Itonem fluvium prope Britolium: iter quoque *ab Alauna Condate* millium LXXVII. deſignat, quod eſt Condate Redonum caput.

CONDATE TURONUM.

Condate, vel *Condatenſis vicus*, Severo Sulpicio de Vita S. Martini, & Gregorio, ceteriſque memoratur, vulgo *Cande*. Ibi B. Martinus deceſſit. Vicus eſt in Turonum finibus ad flumen Vingennam, proximus Montiſorelli; niſi quòd rivus aut amniculus è Fonte-Ebraldi veniens, inter hæc duo loca medius decurrit. Quare de utroque vico dicitur:

> Entre Cande & Montſoreau
> Ne repaiſt brebis ne veau.

Poſitus eſt ferè ad Vingennæ & Ligeris confluentes: uti pleraque ejus nominis loca (multa autem ſunt in Gallia ejus nominis loca) ad confluentem duorum aut plurium etiam fluminum ſita reperiuntur. Quæ fuit cauſſa, quare quidam docti Geographi veteri nomine Gallico *Condate* confluentes deſignari crediderint. Eſt & Condate in Andicavis ad Mandiaci rivi & Erdræ confluentem, *Cande* quoque Noſtris dictum: quod Ordericus in libro XI. *Condatum* vocat, non procul à Monte Renelli, Ligere interfluente.

Condate Martini morte illuſtre, ad Vingennam olim, ſicut hodieque poſitum fuiſſe non procul ab ejus & Ligeris confluentibus, docent apertiſſimè verba Gregorii Turonici Epiſcopi in capite XLIII. & ultimo libri I. Hiſtoriæ Francicæ, de corpore S. Martini *apud Condatenſem Diœceſis ſuæ vicum* jacente, & à Turonicis dormientibus Pictavis inde ſublato: *Igitur ubi Turonici eos conſpiciunt obdormiſſe, adprehenſam ſanctiſſimi corporis glebam alii per feneſtram ejiciunt, alii à foris ſuſcipiunt, poſitoque in navi, cum omni populo per Vingennam fluvium deſcendunt, ingreſſique Ligeris alveum, ad urbem Turonicam cum magnis laudibus pſallentioque dirigunt copioſo.* Quare falluntur haud dubiè, qui veteribus tabulis neſcio quibus freti, Vingennæ & Ligeris confluentes olim ad Salmurum fuiſſe, & Salmurum ipſum ad Vingennæ ripam poſitum exſtitiſſe contendunt. Gregorii enim verba ante annos mille & octoginta ſcripta, quibuſvis tabellis & litterulis ac chartulis longè ſunt præferenda, cùm & ſuſpicione corruptionis careant, & prævaleant antiquitate. Quamquam ne priſcis quidem tabulis ac litteris inniti eos puto qui ita ſentiunt, (nullas enim proferunt quas viderim) ſed hiſce verſibus VVillelmi Brittonis Armorici è libro X. Philippidos.

> Quique ſuos poſuit muros prope flumina Salmur:
> Miſtus ubi Ligeri fluvio nigrante Vigenna
> Amittit nomen ferrugineumque colorem.

Quæ tam exactè dicta ſunt, quàm iſta quæ proximè præcedunt.

> Durſtallumque, vadis ubi Sarta adjutus Hienæ
> Te miſtum Liderice ſibi rapit in Meduanam.

Diſtat enim Salmurus IV. ferè leugis à confluentibus Vingennæ & Ligeris, diſtat & Duroſtallum pari ſpatio à Liderici vel Ledi Sartæque confluente. Quippe Lidericus poſtquàm Duroſtallum alluit, præ ceteris Burgum novum *Bourgneuf*, Monaſteriolum *Montreul*, Villam Epiſcopi *Villeveſque*, & Brioletum *Briolay* præterlabitur, & ad vicum Confluentes *Ecoſtans* Sartâ accipitur, ipſomet Meduanæ mox acceſſuro. Ex quibus cognoſcitur, VVillelmi Brittonis utrumque *ubi* non ad litteram, ſed latè Poëtica libertate accipi oportere pro *circa quem locum, à quo loco non ita procul.* Alioquin doctis judicibus alibi noſtrum ſic approbabimus, ut *ubi* ejus ſedem ubi conſiſtat non ſit habiturum.

CONDATESCENSE MONASTERIUM.

Condateſcenſe Monaſterium vel *Condadiſcenſe*, aut *Condatiſconenſe* dictum eſt à loco, quem alii *Condateſcum*; alii, in primis Gregorius, & auctor libri de Vita S. Romani Abbatis, ejus conditoris, *Condatiſconem* appellant. Hoc fuit Jurenſium Monaſteriorum vetuſtiſſimum ac nobiliſſimum: cui poſtea Lupicinus frater Romani Lauconnenſe Monaſterium in Lauconno loco ita dicto, & Balmenſe Monachorum Cœnobium in eremo Jurenſi adjunxit. Deinde Monaſterium Condatiſconenſe, à S. Augendo Abbate, Patrum Romani & Lupicini diſcipulo, nomen accepit, vocatumque eſt S. Augendi, *S. Oyen* vel *S. Oyan de Ioux*; id eſt S. Augendi Jurenſis Abbatia. Poſtremò à Claudio Viſontionenſi Epiſcopo Monaſterium S. Claudii cognominari cœpit, *le Monaſtere de S. Claude*, atque ita hodieque appellatur.

Monaſterium S. Eugendi in ſtatuto Ludovici Aug. de Monaſteriis Regni Francorum anno DCCCXVII. dicitur; *S. Augenii* corruptè in Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta. Hoc Monaſterium in Diœceſi quidem Lugdunenſi, ſed in Comitatu Burgundiæ eſt poſitum.

In Jura monte eſt alterum Cœnobium Abbatiæ titulo gaudens, & nomen Montis ſervans, *Ioux* vel potiùs *Iou* Noſtris dictum, id eſt Jura. Eſt & vicus ad fluvium Dubim & ad Juram montem Jura ſimiliter nuncupatus, vulgò *Ioux.*

CONDATUM AD SCALDIM.

Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta & Annales Bertiniani *Condatum* memorant inter *Antonium* & *Merrebecchi*: ex quibus *Antonium*, M. Antonii qui cum una legione in Atrebatibus hiemavit nomen ferens, *Antoin* hodieque dicitur; vicus ad Scaldim non procul ab urbe Turnaco, veteri Monaſterio Canonicorum nobilis: *Merrebecchi* vulgò *Merrebeke* appellatur, eſtque municipium haud longè à Ninovia (*Ninoven*) Flandriæ opido. *Condatum* autem vel Condate opidum eſt in Hainoo ad Hainæ Scaldiſque confluentem, *Condatum* etiam dictum in ſermone de tumulatione SS. Martyrum Quintini & Victorici hiſce verbis. *Quod ut Pagani* (Normanni) *audierunt, Scaldum navibus introierunt, & uſque Condatum pervenerunt.* Nomen hodieque priſcum retinet, vocaturque *Condé.*

CONDRUSI.

Condruſos, Eburones, Cereſos, Pemanos uno nomine Germanos appellari, & ad bellum Romanum pollicitos eſſe armata millia XL. ſcribit Cæſar in libro II. & in libro IV. *Condruſos Trevirorum clientes* eſſe ait: in libro VI. *Segnos Condruſoſque ex Gente & numero Germanorum, qui ſunt citra Rhenum inter Eburones Treviroſque*, memorat. In mſſ. codicibus Oroſii & Hiſtoriæ Miſcellæ *Conduſes* ſcriptum reperio pro *Condruſes*. *Condruſi* enim & *Condruſes* unum idemque nomen eſt, ſed diverſæ tantùm terminationis: ſicut Andes & Andi, Turones & Turoni, Mediomatrici & Mediomatrices, Diablintes & Diablindi, Carnutes & Carnuti. *Condruſi* iſti ſilvæ Arduennæ pagoque Bedenſi, ſeu Bedagouvæ proximi erant, & flumen Vrtam circumcolebant; ut docet Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta. *De Regno quod Hlotharius habuit, ſuperaddidimus iſtam adjectionem. De Arduenna, ſicut flumen Vrta ſurgit inter Biſlanc & Tumbas, ac decurrit in Moſam; & ſicut rectâ viâ pergit in Bedenſi: excepto quod de Condruſto eſt ad partem Orientis trans Vrtam. Condruſtum* heic vocatur pagus Cõdruſorum ad ripam Vrtæ, quod & infrà dicitur *Condruſt*, & ponitur inter *Caſtricium* & *Arduennam.* Sic Annales Bertiniani in anno DCCCXXXIX. *Comitatũ Condruſto* aut potiùs *Condruſtum* appellant, & inter *Arduennenſes* ac *Riparios* collocant. *Comitatũ Arduennenſium, Comitatum Condoruſto* (lege *Condruſto*) *inde per curſum Moſæ uſque in mare. Ducatum Ribuariorum.*

Condruſos ait Marlianus Moſæ & ſilvæ Arduennæ eſſe finitimos in Diœceſi Leodicenſi, nomenque retinere. Certè Aubertus Miræus *Condruſos* iſtos & *Condruſt* in ditione Leodicenſi ponit: ubi hodieque prope Hoium opidum ad Moſam, locus nomen Gentis ſervet, *Condreux* vulgò dictus, id eſt Condruſtum vel Condruſum, & pagum circa Vrtam *Condros* ab eiſdem vocari ait. Quin & memini quemdam *Archidiaconum Condroſii in Eccleſia Leodicenſi* alicubi reperire: ut appareat Condruſos Eburonibus Tungriſve qui nunc Leodicenſes vocantur, attribui conſueviſſe, eiſque paruiſſe. At Samſon nulla ratione ductus Condruſos Archiepiſcopatus Colonienſis dominium interpretatur.

CONFLUENTES.

Confluentes, *Confolans*, in Lemovicibus à re nomen habent. Ibi enim duo amnes confluunt, & Vingenna flumen Garanam vel Baranam accipit. Sic ad Iſaræ & Rhodani confluentes poſitum vicum *Confidens*, hoc eſt Confluentes vocant: & Arverni vicum habent *Confolans*, id eſt Confluentem, ad duorum amnium confluentes. Multa alia ſunt ejuſdem nominis loca in Gallia: in primis ubi Sequana Matronam accipit, & ubi Iſarâ augetur, vicos pagi Pariſiaci duos Latini *Confluentes* vocant, *Conflans* Noſtri.

CONFLUENTES MOSELLÆ ET RHENI.

Caſtrum eſt vetus & nobile *Confluentes* dictum, propterea quòd ibi Moſella Rheno confunditur, inter Antunnacum & Bingium: vulgò *Coblentz*. Meminit ejus Itinerarium Æthici in itinere à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum ſic. *Colonia Agrippina* M. P. XVI. *Bonna* M. P. XI *Antunnaco* M. P. XVII. *Confluentibus* M. P. VIIII. *Bingio* M. P. XXVI. &c. Ejuſdem meminit & tabula Theodoſiana, *Antunnaco* VIII. *Confluentes* VIII. *Bontobrica* IX. *Voſavia* VIII. *Bingium* XII. Sed ante omnes Julius Cæſar in libro IV. de bello Gallico, ſi Cluverium ſequimur, in ſua Germania verba Cæſaris, *Germani cùm ad confluentem Moſæ & Rheni perveniſſent*, &c. ita emendantẽ: *Germani cùm ad Confluentem Moſellæ & Rheni perveniſſent.* Ejuſdem loci mentionem facit Suetonius in Caio Caligula, *vicum Ambiatinum* neſcio quem *in Treviris ſupra Confluentes* memorans: facit Ammianus Marcellinus in libro XVI. quum ſcribit, *apud Confluentes locum ita cognominatum, ubi Moſella confunditur Rheno, Rigodulum opidum eſſe*: facit Notitia Imperii Romani, *ſub Diſpoſitione V. S. Ducis Mogontiacenſis Præfectum militum Anderitianorum Vico-Iulio, Præfectum militum Martenſium Altaripa, Præfectum militum Defenſorum Confluentibus* præter ceteros ponens. Vbi Vicum-Julium Cluverius *Germerſheim* nunc appellari ait, Altam-ripam *Altrip*, vicum Valentiniani Aug. ad Olybrium P. V. reſcripto nobilem Valentiniano N. P. & Victore Coſſ. Confluentes *Coblentz*. *Caſtrum Confluentis* in libro Hiſtoriæ Franciçæ VIII. nuncupat Gregorius Turonicus Epiſcopus; quod & Fortunatus Carmine deſcripſit: ceteri auctores noſtri pars *Confluentem*; pars *Confluentem caſtellum*; non-

numquam & *Confluentum caſtellum*, atque etiam *Conflentum* corruptis nominibus vocant. Anno DCCCLX. *in ſecretario Baſilicæ S. Caſtoris apud Confluentes* Nonis Junii Epiſcopi, Abbates, & Laici conventum habuerunt, ut pacem à Ludovico, Carolo & Lothario Regibus in eodem Monaſterio VII. Idus Junias initam comprobarent. Erat enim hic locus villa Regia, ut docent Annales Mettenſes in anno DCCCXCV. qui *Confluentem, Andrenacum,* & *Sincicha fiſcos obſequiis Imperialibus deditos* vocant. In Vita B Bernardi Claravallenſis Abbatis appellatur *Confluentia Treverenſis diœceſis nobile caſtrum ad Moſellam fluvium, qui ibidem in Rhenum labitur*; in libro Miraculorum ejus, *in parœcia Treverenſi ſitus famoſiſſimus vicus ubi Rhenus & Moſella confluunt*: ibi Eccleſiæ S. Caſtoris collegiata, & S. Florini.

Sunt & inter Forum Tiberii (*Keiſerſ-ſtuel*) & Auguſtam Rauracorum *Confluentes*, *Coblentz* aut *Conbolens* vulgò: ubi Arola multis fluviis auctus decurrit in Rhenum.

CONNIACUM.

Veteres tabulæ paſſim *Conniacum* appellant, *Congnac*, poſitum ad Carantoni & alterius fluminis confluentes inter Ecoliſmam & Mediolanum Santonum. Situs tamen loci exigere videtur, ut hoc opidum *Condate* primò ſit nuncupatum. Nam *Condate* apud veteres Gallos Confluentem ſignificabat, uti omnes ſciunt: & loca quædam ad confluentes ſita *Cognat* ac *Cuniac* Aquitani appellitant hodieque. *Cuniac* autem & *Congnac* parum inter ſe differunt, & utrumque à *Condate* deductum videtur. Chronicon Ecoliſmenſe *Conniaci* noſtri, & *Arciaci* (*Arciac*) mentionem facit. Vterque locus eſt in pago Ecoliſmenſi.

CONSORANNI.

Primus omnium meminit ejus Gentis Plinius in libri IV. capite XIX. & in Aquitania Tornates inter atque Auſcos *Conſorannos* ponit. *Aquitanica ſunt Tornates*, *Conſoranni*, *Auſci*. *Tornates* vocat incolas loci in Bigerronibus olim, nunc in Riparia ſiti, atque vulgò dicti *Tournay*. At idem Plinius in ejuſdem libri capite IV. o in u mutato, ſicut ſæpe fieri ſolet, & a litterâ additâ, eoſdem haud dubiè *Conſuaranos* appellat, & Narbonenſi provinciæ attribuit his verbis. *In ora* (Narbonenſis provinciæ) *Regio Sardonum*, *intuſque Conſuaranorum: flumina Tecum*, *Vernodubrum*; *opida Illiberis*, *Ruſcino*. Ex quibus verbis intelligitur (ni fallor) *in ora* quidem provinciæ Narbonenſis quà Hiſpaniam attingit, extitiſſe *regionem Sardonum*, cum ambobus fluminibus opidiſque ſupradictis; *interiorem* autem ſeu mediterraneam fuiſſe *Conſuaranorum regionem*. Quod Conſorannis planè convenit, qui ab ora Sardonum marique Gallico non multum abſunt, & ſunt inter Areiam ac Garumnam flumina, citra Garumnam tamen, quo fluvio provinciam Narbonenſem ab Aquitania dividi conſtat. Non mirum eſt igitur, cùm Conſoranni poſiti ſint in Aquitaniæ Narbonenſiſque confinio, dubitaviſſe Plinium utri eos provinciæ adſcriberet, ac in Gallia Narbonenſi & in Aquitania ſimul ex parte collocaviſſe: licet à ceteris omnibus ſoli Aquitaniæ adtribuantur. Sic ille ſcriptor *Rutenos*, gentem Narbonenſi provinciæ conterminam, in Aquitania quidem Gabales inter & Cadurcos ponit cum reliquis omnibus Geographis; at eoſdem aut partem eorum in Narbonenſi provincia. *Piſcena* (inquit) *Ruteni*, *Sanagenſes*, *Tolosani Tectoſages Aquitaniæ contermini*: qua in re Julium Cæſarem ſecutus eſt, Rutenos alios in ea parte Celtarum quæ paullo poſt Aquitaniæ ab Auguſto attributa eſt, alios in provincia Narbonenſi collocantem, quos *Rutenos provinciales* vocat.

Veteres Notitiæ civitatum Galliæ inter provinciæ Novempopulanæ civitates XII. quintam numerant *civitatem Conſorannorum*, interdum ſextam: in quibus nunc *civitas Conſuranorum, id eſt Conſurana*; nunc *civitas Conſoramnorum* pro Conſorannorum; aliquando *civitas Conſeranorum* & *Conſarannorum*; ſed in vetuſtiſſima omnium Notitia *civitas Conſorannorum* nuncupatur: Roberto in Chronico *civitas Cuſuranorum*, pro Cunſuranorum. Gervaſius Tiſleberienſis & quædam Notitiæ eo recentiores Epiſcopatum *Conſuratenſem*, nonnumquam & *Conſeranenſem* appellant, & quartum numerant inter Auſcitanæ metropoli ſuffragantes. Eadem urbs nomine Gentis cujus caput erat dicta eſt *Conſoranni*: in pactione Guntchramni & Childeberti Regum apud Gregorium *Conſerani* inter Vicum Juli, & Lapurdum, aliàs *Cumſoranni*, id eſt Conſoranni. Legi Vitam S. Licerii Epiſcopi Conſorannenſis & Confeſſ. in codice Muſciacenſi hoc titulo. *Vita S. Licerii Epiſcopi & Confeſſ. qui* VII. Kalend. Septemb. *obiit in territorio Toloſano*, *in civitate qua vocatur Coſeranis ſeu Auſtria.* Vitam autem hanc ſcripſit auctor ſuppar, qui civitatem Conſorannos alio nomine *Auſtriam* appellatam eſſe affirmat, quòd Auſtro ſit expoſita, ab Hiſpania flanti, & v. Altano dicto, *l'Autan*; & pago Toloſano eam attribuit: ne quis miretur Conſorannos à Plinio non in Aquitania modò, ſed etiam in provincia Narbonenſi collocatos fuiſſe. Jampridem nuncupatur civitas S. Licerii ab Epiſcopo quondam ſuo atque Patrono, vulgò *S. Lezer*: ut Lugdunum Convenarum ab Epiſcopo & Patrono ſimiliter ac reparatore ſuo *S. Bertrandi* appellationem ſuſcepit. Dicitur & nomine Gentis *Conſerans*, Vaſconicè *Coſerans* & *Couſerans*. Vrbs eſt parva admodum, ſuburbanis domibus carens, ad Salatum fluvium Pyrenaicum, qui in Garumnam poſt Criſtã & Nigellam amnes tertius effluit, & ab aliis *Salla* vulgò, ab aliis *la Salle* dicitur.

Concilio Agathæ regnante Alarico & Meſſalla Conſule habito *Glycerius Epiſcopus Conſoranicæ civitatis* interfuit atque ſubſcripſit. Is eſt *Licerius* Epiſcopus Conſorannenſis, quem ſuprà diximus urbi nomen ſuum dediſſe. Concilio Aurelianenſi v. Eleutherius miſſus *à Theodoro Epiſcopo Eccleſiæ Conſoranicæ* ſubſcripſit. Valerius, primus Epiſcopus Conſoranenſis fuit, uti ait Gregorius.

Pagus Conſorannenſis vulgò dicitur *le Conſerans*, poſituſque eſt ad radices montium Pyrenæorum, quà Hiſpaniam ab Aquitania & Narbonenſi provincia dividunt, inter Oceanum Aquitanicum & mare Gallicum, ſed ma-

ri Gallico quàm Oceano multò propior. Hoc pago Diœceſive continentur octoginta parœciæ vel vici, oppida Caſtellio, S. Gerontii, & Baſtida ſeu Baſtita.

CONSTANTIA, ET DE UNELLIS AUT VENELLIS.

In IV. Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ memoratur *Civitas Conſtantia* in provinciâ Lugdunenſi ſecunda; in alia Notitia *civitas Conſtantinorum*: in Notitia Imperii *Conſtantia* quoque nuncupatur his verbis. *Sub diſpoſitione V. S. Ducis tractus Armoricani & Nervicani, Præfectus militum primæ Flaviæ Conſtantiæ*; ibidem, *Præfectus Laetorum Batavorum & Gentilium Suevorum, Baiocas, & Conſtantiæ Lugdunenſis* II. Ammiano Marcellino *caſtra Conſtantia* in libro XV. Gregorio noſtro in libri V. capite XIX. *civitas Conſtantina*, in libri VIII. capite XXXI. *Conſtantina urbs*; *Conſtantienſis urbs* veteri auctori Vitæ S. Marculfi Abbatis. Vulgò *Coutance* dicitur, urbs Oceano propinqua, quæ muris & foſſis & aquis (nam tenui rivulo aſſidet) carere fertur. Eam Ordericus à Flavio Conſtantio A. Chloro & Paupere cognominato, patre Conſtantini Maximi Aug. conditam & nomine ejus appellatam affirmat in libro V. his verbis. *Hic in Neuſtria civitatem condidit, quam à nomine ſuo Conſtantiam nominavit.* Ætate igitur Orderici incolæ Conſtantium Chlorum Aug. conditorem ſuum agnoſcebant: qui trajecturus in inſulam Britanniam heic ſtativa fortè habuiſſet, ventum ſecundum exſpectans; ex cujus caſtris urbs facta eſſet: quod & de Conſtante Aug. ejus nepote qui etiam in Britanniam navigavit, dici poſſet. Erunt forſitan qui malint arcu aliquo aut opere alio magnifico exornatam urbem, & ob id Conſtantiam dictam à Conſtantio Aug. fratre Conſtantis Aug. Conſtantii Chlori nepote, quem *triumphales arcus victis tyrannis ſumtibus magnis erexiſſe in Galliis & Pannoniis*, ſcribit Ammianus Marcellinus in libro XXI. Quidquid ſit, veterem urbem, caputque alicujus Gentis nobis ignotæ, ac ſedem Epiſcopatûs eam fuiſſe puto: quæ poſtea ab uno è tribus ſupradictis Flaviæ Gentis Imperatoribus reparata, & operibus ornata, & præſidio militum Primæ Flaviæ legionis munita ſit: itaut pro altero auctore ac conditore ſuo eum habuerit, & veteri nomine depoſito, Conſtantiæ appellationem ſuſceperit: ſicut Auguſtoduno accidiſſe video, quod ab eiſdem Flaviis Flaviæ cognomen accepit. Nam ſi nova urbs fuiſſet, & ab uno è Flaviis Imperatoribus condita: tam citò creſcere, aut de nihilo tam citò civitas celebris & ſedes Epiſcopatus (qualem fuiſſe conſtat) fieri minimè potuiſſet.

Certè plerique nunc exiſtimant *Unellos*, Cæſari inter Armoricas civitates Oceanum attingentes in libro II. tertioque ac VII. memoratos, Plinio *Venellos* dictos in Gallia Lugdunenſi, Ptolemæo in eadem provincia *Venelos* propinquos Viducaſſibus, hos inquam *Unellos* ſeu *Venellos* quibus præfuit Viridovix, eſſe Conſtantienſes; & *Crociatonum Venelorum* apud Ptolemæum, (Κρωκιάτονον Οὐενελῶν) in tabula Peutingeriana *Croſciatonum*, vetus ac Gallicum nomen fuiſſe urbi Conſtantiæ, antequàm à Conſtantio Aug. novum nomen acciperet. Ita ſentientibus facilè accedo, propterea quòd Ptolemæus *Biducesios* ſeu Viducaſſes, hoc eſt Baiocaſſes, *Venelosque* conjungit ac contiguos facit: uti ſunt hodieque Baiocaſſes Conſtantienſeſque confines. Falsò enim Raimundus Marlianus *Unellos* Cæſaris, ſeu *Venellos* Plinii, ac Ptolemæi *Venelos* pro Perticenſibus habet. Cogor heic tamen à Samſone diſſentire, qui cùm *Unellos* Cæſaris, Ptolemæi *Venelos* Conſtantienſibus reſpondere dicat; nihilominùs *Crociatonum Venelorum* non (ut facere debuit) pro capite Gentis ac ſede Epiſcopatus Conſtantia habet: ſed neſcio qua nominis ſimilitudine ductus, *Crociatonum* Ptolemæi, urbem Venelorum primariam, perſuadet ſibi eſſe Carentonum vel Carentonium, vicum pagi Conſtantini, Orderico aliiſque memoratum, vulgò dictum *Carentan*; ac Alaunam Crociatono proximam, ut tabulæ docent, Valoniis (*Valognes*) ob eamdem cauſſam putat convenire.

Altera eſt Conſtantia Alamannica cognominata, ut à Conſtantia Gallica diſtinguatur. Pactioni Karoli & Heinrici Regum Francorum ſubſcripſit anno DCCCCXXI. *Notingus Epiſcopus Conſtantiæ Alemannicæ.*

Ab ea urbe pagus Conſtantinus nomen accepit, *le Cotantin*, vel *le Coutantin*, ad Oceanum longè lateque diffuſus: *Conſtantinus* dictus & in Capitulis Caroli Calvi, in Vita S. Audoëni, in Chronico Roberti de Monte S. Michaëlis. *Inſulam de Conſtantin* vocat VValſinghamius, ſeu *inſulam Conſtantini*, propterea quòd pagus Conſtantinus maxima ex parte Oceano cingitur more pæninſulæ, cujus anguſtiarum termini ſunt hinc Carentonum, illinc Portus baſſus vel Portus humilis. Quidam *ſeptum Conſtantienſe* appellare malunt, *le Cloſte du Coutantin*, aliàs *la Hague du Coutantin*: quòd hic pagus Oceano velut hagana aut haga ferè undique circumdetur & claudatur. *Hegin* certè vel *Haganas*, id eſt *Hagues* aut *Hayes*, vocat Monachus Sancti Galli in vita Caroli Magni circulos vel ſæpes quæ ſegetibus prætenduntur. Hagana tamen vel *Hagen* Germanicâ linguâ ſilvam ſignificat: & tota pæninſula pagi Conſtantini ſilvis abundat, à quibus Haga pagi Conſtantini nomen inveniſſe poſſit videri.

Eſt & caſtrum *Conſtantia* dictum, necnon *Conſtantianum* prope Thermas: cujus mentionem fecit non ſemel Petrus Monachus in hiſtoriæ Albigenſium capite XLII. & LVIII.

CONTRAGINNVM QVOD ET CALNACVM.

Inter Auguſtam Veromandorum & Auguſtam Sueſſonum medium ponit Æthicus *Contraginnum*, æquo ab utraque urbe intervallo diſtans, in itinere à Taruenna Durocortorum ſic. *Nemetacum* M. P. XXII. *Camaracum* M. P. XIIII. *Auguſta Veromanduorum* M. P. XVIII. *Contraginnum* M. P. XIII. *Auguſta Sueſſonum* M. P. XII. In Notitia Imperii Rom. memorantur *Laeti Batavi Contraginenſes*, Noviomago Belgicæ ſecundæ præſidentes. *Contrag-*

giannum vel *Contraginnum*, à quo *Contraginenſes*, exiſtimo eſſe caſtellum ad Iſaram, proximum Noviomago, vulgò *Chauni* dictum, quod primò *Contraginnum*, deinde *Calnacum* Galli nuncupaverint. Opinionem noſtram confirmat locorum ſitus. Quippe Auguſtâ Veromanduorum Auguſtam Sueſſionum petentibus occurrit ut olim Contraginnum, ſic nunc Calnacum : quod *caſtellum ſuper Iſaram fluvium nomine Calnacum* rectè Frodoardus vocat in rebus anni DCCCCXLIX. Eſt enim ad flumen Iſaram poſitum Faram inter & Noviomagum, cujus Epiſcopum agnoſcit. Guibertus Abbas Novigenti in libro II. de vita ſua *Calniacum* appellat. *Apud caſtrum Calniacum ex familia Guaſcelini caſtri ipſius domini famulus erat, cui ad caſtelli cuſtodiam noctibus excubandi officium incumbebat* ; & idem in capite XVII. *Calniacum caſtrum* nuncupat. In enumeratione fluminum Galliæ, quam in codice CCCC. annorum reperi, *Calniacum* etiam dicitur. *Iſara cadit in Secanam : in partibus Calniaci, Noviomi, Compendii*, Pontis *S. Maxentiæ, Belli montis*, Pontis *Iſaræ* & *Eſconflans currit.* Ubi *Eſconflans* ſunt Confluentes Iſaræ & Sequanæ, vulgò *Conflans ſainte Honorine.*

CONVENÆ ET LVGDVNVM CONVENARVM.

Hieronymus in libro II. adverſus Vigilantium qui Convena erat, ſic de ipſo ſcribit. *Nimirum reſpondet generi ſuo, ut qui de latronum & convenarum natus eſt ſemine, quos Cn. Pompeius edomitâ Hiſpaniâ ad triumphum redire feſtinans, de Pyrenæi jugis depoſuit, & in unum opidum congregavit: unde & Convenarum urbs nomen accepit.* Infrà de eodem addit. *Huc uſque latrocinatur contra Eccleſiam Dei, & de Vettonibus, Arebacis Celtiberiſque deſcendens, incurſat Galliarum Eccleſias.* Hieronymus, pace tanti viri dixerim, ſecum ipſe pugnat. Nam ſi *latrones & convenæ de Pyrenæi jugis depoſiti, & in unam urbem quæ* Convenarum dicta eſt, *à Pompeio ſunt congregati* : qui fieri potuit, *ut latrones* iſti *& convenæ* Pyrenaici *de Vettonibus, Arebacis Celtiberiſque deſcenderint* ? Celtiberi quippe & Arebaci vel Arevaci Tarraconenſis Hiſpaniæ populi ad Durium fluvium, procul à Pyrenæo & Aquitania ei ſubjecta abſunt ; Vettones, Οὐέττωνες Gens provinciæ Luſitaniæ, multo magis. In Hiſpania Tarraconenſi à Ptolemæo ordine ponuntur Verones, Βήρωνες, Arevacæ Ἀρεουάκαι, Carpetani magis auſtrales Vaccæis & Arevacis, & Celtiberi Κελτίβηρες : à Plinio in eadem citeriore Hiſpania *ad Tagum Carpetani, juxta eos Vaccæi, Verones* (ita enim legendum eſt pro *Vetones*) *Celtiberi, & Arebaci*, eidem *Arevaci* dicti à fluvio Areva. Qui ordo & appellatio apud Plinium & Ptolemæum trium Hiſpaniæ populorum, facilè mihi perſuadet pro *Vettonibus* apud Hieronymum, *Veronibus* reſtitui oportere. Sed ne ſic quidem Hieronymi ſententia probari defendique poteſt, à tribus populis adeò remotis ; hoc eſt à Durio amne, ſive à Numantia, & à Segontia ac Segovia Convenarum noſtrorum majores arceſſentis. Certè Cæſar in libro III. de bello Civili Convenas non aliunde quàm ex *ſaltu Pyrenæo*, hoc eſt ex Hiſpaniæ & Aquitaniæ confinio deducit. Verba ejus ſunt. *Mittit* Cæſar *P. Vatinium legatum ad ripam ipſam fluminis* Apſi, *qui crebrò magna voce pronuntiaret, liceretne civibus ad cives de pace legatos mittere, quod etiam fugitivis ab ſaltu Pyrenæo prædonibuſque licuiſſet.* Hæc Cæſaris verba hactenus non intellecta, obſervo non aliis quàm Convenis convenire. Petit Cæſar per Publium Vatinium legatum, liceatne ſibi ad Cn. Pompeium civem ſuum de pace legatos mittere, quod etiam *fugitivis à ſaltu Pyrenæo, prædonibuſque*, hoc eſt piratis licuerit. *Fugitivi* igitur iſti, quos Hieronymus ſuprà *latrones & convenas* appellat, pars indigenæ erant, incolæ ſaltus Pyrenæi, Hiſpaniam ab Aquitania diſcludentis, & veteri vitio Gentium Hiſpaniæ latrunculi, quales ibidem poſtea Bandularii extiterunt ; pars ſervi qui ex proximis Vaſconiæ locis à dominis profugerant, fures, homicidæ, ac perditi homines, alii inopiâ, alii timore ſupplicii, alii amore prædæ compulſi. Hi campos cautibus ſuis hinc & inde ſubjectos repentinis decurſionibus & latrociniis infeſtare, & ſiquando Romani exercitus in Hiſpaniam traducebantur, ex occaſione noviſſimum agmen adoriri conſueverant. Ne pulſis quidem ac ſuperatis noceri admodum poterat, velocitate corporum & latebra rupium quas ſoli ipſi notas habebant tutis. A Pompeio igitur victore ex Hiſpania revertente oppugnati, ac velut cincti indagine, cùm intelligerent ſe militibus Romanis reſiſtere non poſſe, ad eum legatos de deditione miſerunt: quos Pompeius ne tantula res feſtinantem moraretur, juſſit omnes de ſaltu Pyrenæo in plana proximæ Aquitaniæ deſcendere, & in opidum contribuit. Opidi & totius agri incolæ, quia ex jugis Pyrenæi eò undique convenerant, *Convenæ* (quales revera erant) ſunt appellati, hoc eſt uti interpretatur Strabo, σύγκλυδες vel συνήλυδες. Sic olim Ligures, *imis Alpium jugis adhærentes inter Varum & Macram flumina, Bæbius in plana deduxerat* ; & exemplo Pompeii Auguſtus Cæſar partem Cantabrorum *montibus deduxit, ac fiduciam montium timens in quos ſe recipiebant, caſtra ſua ſed quæ in plano erant habitare & incolere* victos *Aſtures juſſit* ; ut Annæus Florus ſcribit. Ipſe Pompeius poſtea cùm piratas Cilices multis prœliis navalibus viciſſet, eodem uſus conſilio *reliquias prædonum contractas in urbibus remotoque à mari loco in certa ſede conſtituit.* Eum in modum Convenæ ex latronibus juris & æqui ſervantes, ex ſervis fugitivis domini, ex montanis campeſtres, ex Hiſpanis Aquitani parva tranſlatione ſunt facti. Vnde & à Plinio in Aquitania memorantur *in opidum contributi Convenæ* inter *Sedibonïates* & *Begerros* ſive Bigerrones : *contributi* inquam *in opidum* nimirum à Cn. Pompeio, qui vagos & ſparſos congregavit in unum corpus, agroſque colere ac legibus uti juſſit. Dicet aliquis. Quomodo hoc tum fieri potuit, aut qui Pompeius Magnus Convenas collocare in Aquitania, & opidum eis agrumque attribuere potuit, cùm ea regio nondum eſſet Romanæ ditionis ? Certè Cæſar in libro III. ſcribit, in Aquitania *paucis antè annis* quàm P. Craſſum eò cum copiis ipſe mitteret, *L. Valerium Præconinum Legatum exercitu pulſo interfectum*

eſſe, atque inde L. Manlium Proconſulem impedimentis amiſsis profugiſſe: idemque Convenarum, novæ tum Gentis & anguſtorum finium exiguarumque virium nullam mentionem facit. Ergo ante Iulii Cæſaris adventum in Gallias, bis quidem ab Romanis ſed fruſtra Aquitania tentata eſt, pulſis inde aut occiſis ſpoliatiſque eorum ducibus & copiis. Iulius Cæſar ipſe *Aquitaniam* tantùm *per P. Craſſum quadam ex parte devicit*, & ab omnibus poſtea ejus civitatibus obſides præſens accepit. At Auguſtus demum per M. Agrippam & Meſſallam totam Aquitaniam ſubegit, provinciamque fecit & Romano ſubjunxit Imperio: uti Suetonius, Eutropius ceterique tradidere. Præterea Pompeius Magnus *tropæis ſuis quæ ſtatuebat in Pyrenæo*, D. CCC. XLVI. *opida ab Alpibus ad fines Hiſpaniæ ulterioris in ditionem à ſe redacta teſtatus eſſe*, dicitur à Plinio: quæ tropæa ſtatuta eſſe à Pompeio in Pyrenæo non quà Hiſpaniam ab Aquitania dividit, ſed quà provinciam Narbonenſem ab Hiſpania Tarraconenſi dirimit, ipſe locorum ſitus vel ſolus, & itineraria provinciarum Imperii Romani indicant. Equidem exiſtimo, Pompeium quum Convenas in Aquitaniam Pyrenæo monti proximam atque ſubjectam tranſtulit, non id alio quàm armorum jure feciſſe, & hoc finitimas Aquitaniæ civitates paſſas eſſe, quoniam victorem Hiſpanienſis belli exercitum prohibere non poterant.

Convenas nunc vocari *Commingeois* quaſi commanentes, & pagum Convenicum *le Comminge*, quaſi commanentiam dici, olim perſuaſum habui: nec etiamnum mea mihi conjectura diſplicet. Sed Notitia quædam civitatum Galliæ ex Bibliotheca Thuanea à Cheſnio eruta aliam nominis interpretationem tradit his verbis: *Civitas Convenarum, id eſt Communica.* Cui Notitiæ ſi credimus, à communica vel potiùs communia nomen vulgare acceperunt Convenæ, quòd variis ex locis unum in corpus, atque (ut noſtrorum ſcriptorum utar vocabulo) unam in communiam coaluerint. Agrum Convenarum *Comenge*, necnon *Cominges* vocavit Petrus in Hiſtoria Albigenſium, ubi & *Comitum Convenarum* meminit. Cæſar in libro I. de bello Civili ait ſe præter ceteros *in Hiſpaniam præmiſiſſe optimi generis homines ex Aquitanis Montaniſque, qui Galliam provinciam attingunt*: ubi emendandum puto *ex Aquitanis Montanis qui G. pr. a.* Hi Aquitani erant Conſoranni, Convenæ ac Bigerrones. Alluit Garumna agrum Convenarum, quibus & Auſcis in Aquitania jus Latii datum ab Auguſto, ait Strabo.

Convenarum urbem Lugdunum à ſitu Galli nuncupavere: dunum enim linguâ Gallicâ montem ſignificabat. Erat autem Lugdunum in vertice montis poſitum trans Garumnam, unde in circumjacentem planitiem deſpiciebatur, & valle præcipiti undique cingebatur. Fons magnus ad radices montis prorumpebat, munitiſſima turre circumdatus: quò opidani per cuniculos deſcendentes, ſine periculo aquari conſueverant. Straboni nota eſt ad Pyrenæum *Convenarum urbs Lugdunum*, ἡ τῶν Κονουένων ὅπερ ἐστὶ συγκλύδων ἢ συνηλύδων, πόλις Λούγδουνον. Ptolemæo quoque tangentium Pyrenæum Convenarum urbs Lugdunum, συναπτόντων τῷ Πυρήνῃ Κονουένων πόλις Λούγδουνον. Ejuſdem urbis meminit Æthicus, quum *iter ab Agenno Lugdunum* per Lacturam *millium paſſuum* LXIV. facit, & in itinere ab Aquis Tarbellicis Toloſam *Lugdunum* ponit inter *Aquas Convenarum* & *Aquas Sicca* his verbis. *Iter ab Aquis Terebellicis Toloſam* M. P. CXXX. *ſic. Beneharnum* M. P. XIX. *Opido novo* XVIII. *Aquis Convenarum* VIII. *Lugdunum* XVI. *Calagorgis* XXVI. *Aquis Siccis* XVI. *Vernoſole* XII. *Toloſa* XV. Ab Aquis Tarbellicis igitur abeſt Lugdunum Convenarum millia paſſuum LXI. à Beneharno XLII. Toloſâ LXIX. Beneharnum porrò vulgò dicitur *Leſcar*, Aquæ Convenarum *Aques*, Lugdunum Convenarum *S. Bertran*, Calagorgis *Ceſeres*, Aquæ Siccæ *Seches*. Panuinius falsò ponit in Aquitania ſub Pyrenæo *Coloniam Lugdunum Convenarum*, quam *Ludunum* corruptè appellat, & Ptolemæo niti ſe dicit; qui *Lugdunum Convenarum* nuſquam Coloniam vocavit, *urbem Convenarum* vocaſſe contentus. Ea urbs poſtea more plurimarum Galliæ urbium, depoſito nomine proprio, nomen Gentis cujus caput erat accepit, ac *Convenæ* cœpta eſt appellari. Sic Sidonius in libri VII. Epiſtola VI. eam vocat: quem imitatus Gregorius in libri VII capite XXXIV. & XXXV. nunc *Convenas*, nunc *urbem Convenas*, necnon *urbem Convenicam* nuncupat; Hieronymus *urbem Convenarum*. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, inter provinciæ Novempopulanæ civitates numero XII. quartum obtinet locum, nonnumquam & quintum *civitas Convenarum*, Conſorannorum, Vaſatium, Bigerronum & Auſcorum vetuſtioribus civitatibus nova præpoſita. Robertus Novempopulanæ provinciæ tertiam facit *civitatem Convenarum*: at recentiores Notitiæ unà cum Gervaſio Tiſleberienſi, veterum exemplo, in eadem provincia quam Vaſconiam vocant, *Epiſcopatum Convenarum* quarto collocant loco poſt Auſcos metropolim, Aquas & Lactoram. Fredegarius *Conbenenſem urbem*, & tranſpoſitis litteris *Conbanem civitatem* appellat, pro *Convenenſem urbem* & *Convenam*, & more Vaſconum noſtrorum homo Burgundio u in b commutat.

Suavis Epiſcopus de Convenis Concilio Agathenſi interfuit atque ſubſcripſit anno Chriſti DVI. Concilio Aurelianenſi II. *Præſidius Epiſcopus Convenarum*; Synhodo Aurelianenſi V. *Amelius Epiſcopus Eccleſiæ Convenicæ.*

Urbs Convenarum quoniam Gundobaldum proditoreſque receperat, à Regis Guntchramni militibus direpta, & cum Eccleſiis ceteriſque ædificiis tota incenſa eſt anno C. DXXCV. cùm à Pompeii Magni ætate ad id tempus floruiſſet; & per annos ampliùs DXX. jacuit, ſic ut Epiſcopi Eccleſiæ Convenicæ aliam ſedem habere cogerentur. Tandem operâ Berthramni Convenarum Epiſcopi, viri ſanctiſſimi nobiliſſimique, in vertice collis ac in ipſis exciſæ urbis veſtigiis urbs nova, priore tamen multo minor reſurrexit; & locus qui tamdiu deſertus fuerat, iterum coli habitarique cœptus eſt: ubi & Berthrammus Antiſtes clauſtrum ædificavit, & Canonicos Regulæ B. Auguſtini ſervantes inſtituit: à quo civitas tamquam ab auctore

ſuo S. Berthrammi nomen accepit. Quem autem veteres ſcriptores rerum noſtrarum Bertechramnum, Bertchramnum & Bertetamnum, recentiores nunc Berthrammum aut Bertramum, nunc Bertramnum vel Bertrannum vocavere; nonnumquam & Bertrandum, qua nunc appellatione omnes utuntur. Berthramus igitur ſive Bertrannus, Bertranduſve uſque ad annum MCXX. Convenicam rexit Eccleſiam, & urbi quam condiderat nomen ſuum dedit. Dicitur enim *civitas S. Bertranni* vel *Bertrandi*, *S. Bertran* vel *Saint Bertrand*. Scaliger & Maſſonus ſcribunt, ex Lugduni Convenarum ruinis (ſi tamen ruinæ illæ per annos plus D. durare potuerunt) opidum S. Bertrandi *in valle Capraria* eſſe conſtructum. At contrà Arnaldus Oihenartus, cui utpote Vaſconi de Vaſconia libentiùs crediderim, *civitatem S. Bertrandi in eo nunc eſſe colle* ſcribit, *in quo olim Lugdunum* Convenarum, ſed *anguſtum* tantummodò *ſummi collis ſpatium occupare*; *vicumque vallis Capraria civitati contiguum eſſe*. *In monte* quoque eam civitatem eſſe ſemel atque iterum teſtatur Vitalis, Alexandri PP. III. Protonotarius.

In Diœceſi Convenica ſunt opidum S. Bertranni, *S. Bertrand de Comenge*, opida S. Beati, (*S. Beat*) & S. Gaudentii, (*S. Gaudens*) Granata *Granade*; Caſtra *Caſtres*; Caſtellio *Caſtillon*; Frontiacum *Fronſac*, Gentiacum *Genſac*; Inſula Dodonis *l'Iſle Dodon*, vel *l'Iſle en Dodon*; opida S. Gerontii & S. Amantii, *S. Gerons*, & *S. Amans*; Sammatanum *Samatan*; Mons Regalis *Montreal*, Leomaniæ nunc accenſus; Riparia ad Garumnam regio.

Ceterùm Strabo in agro Convenarum (γῆν Κονουέναν vocat) non ſolùm urbem Lugdunum, ſed etiam Aquas calidas ponit, τὰ τῶν Ὀνησιῶν θερμὰ κάλλιστα ποτιμώτατα ὕδατα. Vbi legendum puto τὰ Κονουένων θερμὰ, & *Aquas Convenarum* deſignari, de quibus ſuprà ſcripſimus. Nam *thermas* vel *Aquas Oneſias* in Convenis aliquas fingere, & *Bagneres de Luſſon* in monte Pyrenæo, aut aquas Encauſſias, *les bains d'Encauſſe* cum nonnullis interpretari, ludere eſt.

CORBEIA CASTRUM ET FLUMEN.

Corbeia non à Corbeo Bellovacorum Duce fortiſſimo, quem ſtrenuè prœliantem Julius Cæſar interfecit, aut ab alio ejuſdem nominis viro Gallo, ſed ab amne Corbeia appellationem invenit: *Corbie* vulgò dicitur. Locus eſt ad Corbeiæ & Suminæ confluentes in Belgica ſecunda Ambianenſique pago, ubi Balthildis Francorum Regis Chlodovei junioris uxor, mater Regum Chlothari, Childerici ac Theodorici, celebre Monachorum Cœnobium exſtruxit. Eo in Monaſterio duæ fuere Baſilicæ, major S. Petri A. minor B. Johannis Evangeliſtæ: quibus B. Stephani Protomartyris, & S. Martini Epiſcopi, & S. Albini Antiſtitis Baſilicæ poſtea acceſſere. Auctor æqualis, qui de Vita Reginæ Balthildis ſcripſit ante annos ampliùs mille, *Monaſterium Corbeiam in pago Ambianenſi* primus commemorat: quidam *Monaſterium Corbeienſe* appellant. *Corbeiam opidum fortiſſimum* vocat VVillelmus Britto Armoricus in rebus anni MCXCIV. & in Philippidos libro II. idem eamdem *bonam villam* & mox *caſtrum* nuncupat, *magnumque burgum* & *pontes* ad flumina Suminam & Corbeiam plures habuiſſe ſcribit. Ager Corbeienſis vulgò dicitur *le Corbiois*.

Ceterùm *Corbeiam fluvium* memorat liber vetus de Virtutibus S. Furſei Abbatis Latiniacenſis hiſce verbis. *Deinde veniens in pagum Ambianenſem, & in curtem vocabulo Antoilum ſuper fluvium Corbeiam: ibi obviavit ei vir malignus.* *Antoilum* vel *Altoilum* legi oportere exiſtimo. Corbeia enim amnis alluit vicos Divionem, *Divion*, Hammulum, id eſt viculum, *Hamel*, Altogilum *Autueil* vel *Auteuil*, aliàs *Autuil*, Incram caſtrum *Encre*, Helliacum: deinde in duos alveos dividitur, & majore ad Corbeiam opidum, minore apud Albiniacum in Suminam effluit. Altogilum igitur ſeu Altoilum ad Corbeiam fluvium reperio; Antoilum vel *Auteüil* ad eum non reperio.

Eſt & nobiliſſimum Monaſterium in Saxonia, ad ripam Viſurgis fluminis (*VVeſer*) poſitum in pago Auguenſi, quod Adalhardus Abbas Corbeienſis exſtruxit, principatu ac conceſſu Ludovici Aug. & nomine Cœnobii ſui *Corbeiam* appellari voluit. Quod ut diſtinguerent à Corbeia Gallica, *Corbeiam novam* Saxones ac plerique Hiſtorici cognominavere.

CORBILO.

Strabo Maſſiliam, Narbonem, & Corbilonem tres Galliæ opulentiſſimas urbes fuiſſe ſcribit: cui *Corbilo* Κορβίλων & Κορβίλωνα dicitur. Liger (inquit) inter Pictones & Namnetes emittitur. *Priùs emporium fuit Corbilo ad Ligerim.* Corbilonem Maſſonus caſtrum Bleſenſe interpretatur. Ego *Coeron* vel *Coëron* eſſe potiùs crediderim, qui locus eſt ad flumen Ligerim, Namnetas urbem inter atque S. Nazarium, à portu Namnetum ſeu Condivicno tribus leugis diſtans, & vetus Corbilonis nomen demtis duabus litterulis retinens. *Corbilonem* Strabo emporium olim ad Ligerim exſtitiſſe docet, cui Genabum Carnutum emporium, ferè ad medium Ligerim conditum pridem ſucceſſiſſet, atque (ut exiſtimo) *portus Namnetum* in tabula Peutingeriana memoratus, ſive Condivicnum urbs Namnetum, à Ptolemæo celebratum.

CORBINIACUM.

Corbiniacum locus eſt in pago Nivernenſi, qui à S. Leonardo recentiùs nomen accepit, & nonnumquam *Corbigny*, ſæpiùs *S. Leonard* nuncupatur. Caſtrum illud aſſidet amniculo, qui in Icaunam defluit.

CORBO ET CORBONENSIS PAGUS.

Corbonenſis pagus, *le Corbonois*, memoratur in Capitulis Caroli Calvi, ubi vocatur *Corbonenſis*, poniturque medius inter pagos *Turonicum* & *Sagiſum*, hoc eſt Saienſem. Memoratur & ab Orderico Vitale in libro Hiſtoriæ

XIII. cui *Corbonia* dicitur his verbis. *Goſfredus filius Rotronis Comitis*, (Rotroci aliis dicti) *Comes Moritoniæ, vocatis ad ſe Proceribus Pertici & Corboniæ, qui ſuo Comitatui ſubjacebant*, &c. Ergo *pagus Corbonenſis* vel *Corbonia* Pertici pars erat, eique attribuebatur: cujus Corboniæ incolæ *Corbonienſes Normannis affines* ab Orderico in libro VIII. non ſemel appellantur. Certè (uti animadverto) nomen *pago Corbonenſi* vel *Corboniæ* dedit Corbo, vulgò *Courbon*, qui eſt hodieque vicus in majore Pertico inter Moritoniam & Belliſmum. In litteris datis anno I. regni Regis Chlotharii penultimi Carolorum memoratur *villa Condatum nomine ſuper Odanam fluvium in territorio Corbonenſi, terra S. Launomari propinqua*. Et in aliis litteris miles Giruardus *in Corbonenſi territorio quemdam alodum emiſſe ab Ansberto* dicitur: *unde charta facta, & à Duce Hugone (Magno) atque à Comite præfati territorii* (Corbonenſis) *corroborata*. Nimirum minoribus pagis, qualis erat Corbonenſis, ſuus ſingulis erat Comes; majoribus ſæpe plures. Pagum autem Corbonenſem partem exſtitiſſe Pertici, vel Pertico attributum fuiſſe, indicat aut potiùs docet Hugo de Cleeriis in libello de Majoratu & Seneſcalcia Franciæ, ubi Goffridum *Comitem Corbonenſem* vocat, id eſt Comitem Perticenſem, eumque à Goffrido Comite Andecavorum in caſtro Moritonia obſeſſum & captum eſſe ſcribit: quod caſtrum Pertico omnes adſcribunt.

CORBONACUM.

Corbonacum villa fuit publica, in qua Carolus cognomine & re Magnus à Carolomanni fratris ſui morbo ſublati Epiſcopis, & Optimatibus undique ad ſe confluentibus Rex ſalutatus atque unctus eſt anno DCCLXXI. ac Natalem Domini in Attiniaco villa Dominica celebravit. *Corbonacum villam* veteres rerum noſtrarum Annales appellant, Principatu Caroli Magni compoſiti; *Corbennacum* Hincmarus in epiſtola ad Hlodouvicum Regem Caroli filium; *Corbanacum* Annales Fuldenſes, & Bertiniani, *Corbenacum caſtellum* Frodoardus in Chronico, qui & illud à Carolo Rege Francorum, patre Ludouvici Tranſmarini, Remenſi Monaſterio S. Remigii datum eſſe ſcribit: *villam Corbiniacum* Chronicon S. Arnulfi, quos Annales Metenſes nuncupant. Eginhardus in Annalibus, & Vita Caroli Magni *Carbonacum villam* vocant; Poëta Saxo de Geſtis Caroli M.

Villam quæ Carbonaca vocatur.

Corbonacum vel *Carbonacum* locum eſſe exiſtimo poſitum ad ripam fluminis Axonæ contra Attiniacum, qui vulgò dicitur *Cherbonne* aut *Charbonne*. Alii fortè vicum S. Marculfi interpretari malint, *S. Marcou*, alias *Corbens* nuncupatum, nomine ad *Corbiniacum* proximè accedente. Certè ita ſentit Marlotus, qui *villam Regiam Corbiniacum Corbeny* interpretatur, & ait poſtquàm B. Marculfi, quondam in pago Conſtantino Nantenſis Abbatis, Reliquiæ metu Nortmannorum eò delatæ ſunt, (quod Caroli Simplicis Principatu accidit) Prioratum ibi S. Marculfi ſtatutum eſſe: a quo Prioratu *Corbiniacum*, mutato vocabulo, *S. Marculfi* nomen acceperit. *Caſtrum Corbiniacum in Comitatu Laudunenſi* litteræ Caroli vocant. Certè locus eſt poſitus inter Durocortorum Remorum & Laudunum, ſed ad Laudunenſem Diœceſin pertinet.

CORILISUS PAGUS.

Coriliſum pagum *Bagiſino*, id eſt Baiocaſſino & *Otlinga Saxonia* medium interponunt Capitula Caroli Calvi, apud Silvacum edita anno DCCCLIII. Qui Corilenſis pagus à corylis, vel à coryleto aliquo inter pagos Baiocaſſinum & Oximenſem poſito nomen mihi videtur accepiſſe: obſcurus nunc & ignotus, quod nemo præter Carolum Regem Francorum mentionem ejus fecit; ne rerum quidem Nortmannicarum ſcriptores, Dudo, VVillelmus Gemeticenſis Monachus, Ordericus Vitalis, ceterique. Hac re ſitum ejus pagi certum indubitatumque, notum habere non poſſumus.

CORIOVALLUM.

Æthicus in itinere à Colonia Traiana Coloniam Agrippinam Coriovalli meminit his verbis. *Mediolano* M. P. VIII. *Sablonibus* VIII. *Mederiacum* X. *Theudurum* VIIII. *Coriovalium* VI. *Iuliacum* XII. *Tiberiacum* VIII. *Colonia Agrippina* X. Idem in itinere à *Caſtello* Morinorum *Coloniam*, inter *Aduacam Tungrorum & Iuliacū Coriovallum* ponit, ab Aduaca millibus paſſuum XVI. à Juliaco XVIII. diſtans. Tabula Theodoſiana, quæ & Peutingeriana dicitur, niſi qua menda ſubeſt, *Cortovallium* vocat his verbis. *Atuaca, Cortovallio, Iuliaco.* Simlerus qui Æthici Itinerarium Scholiis illuſtravit, ait *Mediolanum* in ſupradicto itinere à Colonia Traiana Coloniam Agrippinam, eſſe vicum ad Moſam *Matteler* vulgò dictum; *Sablones* locum à ſabulo cognominatum, eſſe vicum *Sambeck*; *Mederiacum* eſſe vicum *Mierle* incolis nuncupatum; *Theudurum* ſive potiùs *Tendurum* vicum quoque nunc eſſe, vetus nomen ſervantem: appellari enim ab accolis Germanis *Tuderen by Sitthart* aut *Sittert*, quòd Sittartio opido proximus ſit: *Coriovallum* verò ſive *Cortovallium* cùm ipſe tum Cluverius *Falckenburg* vel *Falkenborg* exponunt; at Gottefridus VVendelinus in legibus Salicis illuſtratis Coriovallum pro *Drelenborg* habet; Aubertus Miræus pro Aquiſgrani. Quidam ſuperius Mediolanum *Moylandt* interpretantur.

CORNUTIUS VICUS.

Gregorius Turonicus Epiſcopus ſcribit, Britannos pagum Redonicum anno DLXXIX. vaſtantes, uſque ad *Cornutium vicum* perveniſſe: quem locum putant quidam eſſe *Saint Aubin le Cormier* vel *du Cormier*.

CORTERATE.

Obſcurus erat hic locus in Petrocoriis, ſed victoriâ Henrici Magni emerſit. In tabula Theodoſiana mentionem ejus fieri reperio hiſce verbis. *Burdigalâ, Varatedo, Corterate*, &c. Heic enim *Corterate* ſine dubitatione ulla eſt *Courtras*, vulgò *Contras* leniùs dictus litterâ r ſublatâ,

ſublatâ, locus ad Drunam fluvium ſitus, qui in Ellam decurrit; Annæ Ducis Gaudioſæ cæde, & Regii exercitus ipſi commiſſi clade nobilitatus.

CORTORIACUM.

Cortoriacum vetus eſt ac nobile opidum ad flumen Letiam Turnacēſis Diœceſeos in Flandria, quod legioni in Gallia militanti nomen dedit. Nam intra Gallias cum V. I. Magiſtro equitum Galliarum *Cortoriacenſes* memorat Notitia Imperii Romani ante annos MCC. ut *Batavos, ſagittarios Nervios, Menapios Seniores, Geminiacenſes, Abrincatenos, Mauros Oſiſmiacos, Mauros Venetos, milites Grannonenſes, Anderitianos, Muſmagenſes* ſeu Moſomagenſes, *Equites Batavos Seniores ac Iuniores*: quos omnes partim Gentium, partim locorum Galliæ, ubi lecti & unde deducti fuerant, nominibus appellatos eſſe conſtat. Audoënus in libro II. de Vita Eligii o in u mutato *Corturiacum* vocat, & Eligium *Veromanduenſis urbis, Tornacenſis civitatis, ac Noviomenſis, & municipiorum Flandrenſis, Gandenſis atque Corturiacenſis conſtitutum cuſtodem* dicit, hoc eſt Epiſcopum. Ad Veromanduos autem Noviomagus; ad Turnacenſem Eccleſiam ſive Diœceſin Flandrenſes, Gandenſes & Cortoriacenſes pertinebant. Poſtea *Curtricum* dictum eſt pro Cortoriaco, & *pagus Curtricenſis* pro Cortoriacenſi. Carolus Calvus in Capitulis apud Silvacum anno DCCCLIII. editis pagum *Curtricifum* à Flandria cui nunc contribuitur diſtinguit, & inter Atrebaticum pagum, ac Flandriam ponit hiſce verbis. *Miſſi in Noviomiſo, Vermendiſo, Aderiſo, Curtriciſo, Flandra.* Sermo de relatione & ſepultura Reliquiarum Quintini & Victorici Martyrum ter *Curtracum* appellat; Chronicon de Geſtis Nortmannorũ in anno DCCCLXXX. *Cortriacum*, ubi Nortmanni *caſtrum ad hiemandum conſtruxiſſe* dicuntur. Recentiores ſcriptores Latini exemplo VVillelmi Brittonis *Cortracum* & *Curtracum* vocitant, Noſtri *Courtray*, Germani *Cortrick*.

Marlianus *Centrones* Nerviorum clientes à Cæſare libro V. memoratos *cum Gordunis*, Cortoriacenſes eſſe falsò exiſtimat: quos *Centrones* Samſon pro Gandenſibus accipit, pro Cortoriacenſibus autem *Gordunos*. Cortoriacenſes *Courtreſiens* dici videntur poſſe, & Duagienſes vel Duacenſes *Douſiens*: ſicuti Camaracenſes *Cambreſiens*, & Turnacenſes *Tourneſiens* dicimus.

Ut ſuprà Carolus Calvus *pagum Curtriciſum* a *Flandra* Flandriave diſtinxit, ſic & Lotharius Rex ejus abnepos in litteris datis anno DCCCCLXVII. *pagum Curtracenſem* à *pago Flandrenſi*: quibus in litteris res ac poſſeſſiones Monaſterii Gandenſis apud Meierum enumerans, commemorat in primis *manſiones ultra Legiam de portu Gandavo; in pago Curtracenſi Singhehem; in pago Metelentenſi* (le Melantois) *in VVilda manſum; in pago Flandrenſi in Rodenborch matrem Eccleſiam.* Ex quibus intelligitur, Flandriam olim multo quàm nunc minorem extitiſſe. Pagus autem Cortoriacenſis, quem *Curtricenſem* & *Curtracenſem* vocant, rectè dicetur *le Courtreſis*, ut pagus Turnacenſis à Noſtris nuncupatur *le Tourneſis*, pagus Camaracenſis *le Cambreſis*.

COTIA SILVA ET VILLA.

Silva *Cotia* vico ſeu villæ *Cotiæ* nomen ſuum dedit, quod ipſa a cotibus accepiſſe mihi videtur: *Cuiſe*, aut *la foreſt de Cuiſe*. Ejus ſilvæ mentionem facit Gregorius noſter, res Chlotharii Magni ſcribens. *Cauſiam* vocant Capitula Caroli Calvi, in quibus *Compendium cum Cauſia* conjungitur. Eſt enim Cotia ſilva Compendio villæ olim publicæ ſeu Palatio Regio proxima. Quare & à quibuſdam ſilva Compendienſis appellatur, *la foreſt de Compiegne*. Cotia autem villa ſilvæ Cotiæ cognominis, hodieque veteris Palatii in ea ſilva reliquias ac veſtigia oſtentat, & *Cuiſe* dicitur. In eadem ſilva ſunt vici, S. Petri, *Saint Pierre en Chaſtes*; Exartum *l'Eſſart*, S Nicolai, *S. Nicolas de Courſe*; S. Iohannis ad ſilvam, *Saint Iean au Bois*; Brueriæ, *Bruieres*, à multitudine myricarum quas Noſtri Bruerias vocitant. Propiores Cotiæ villæ ſunt in ſilva Cotia vici duo, Brolium *Breu*, à re nomen habens: (Broilus enim vel Brolium lucum aut ſilvam cæduam ſæptamque ſignificat) & Caſnum *Cheſne*, aliàs *Cheſne Herbelot* vulgò dictum. De priore, aut certè potiùs de tota ſilva Cotiâ vel Compendienſi loquitur Carolus in Capitularibus hiſce verbis: *In Broilo Compendii Palatii.* De poſteriore vico, nimirum de Caſno Annales Bertiniani in anno DCCCLXXVII. ita referunt. *Et diſcurrentibus inter eos miſſis ad hoc perventum eſt, ut Richildis & ipſi Primores ad eum Compendium venirent, & ſuum Conventum ad Caſnum in Cotia condixerunt Caſnus in Cotia*, vicus eſt haud dubiè *Cheſne* nuncupatus. Quercum enim Noſtri caſnum olim appellavere, quam nunc corrupto eo nomine cheſnum vocitamus.

Cotia ſilva poſita eſt inter flumina Axonam, Iſaram, & Ottenetam amnem, qui apud Verinbream aut Vermariam palatium in Iſaram effluit: & corrupto nomine *Quiſa* Brittoni dicitur in libro II. Philippidos, *Cuiſia ſilva* in libro I.

CRASSA.

Craſſa locus eſt in Diœceſi Narbonenſi Monaſterio veteri clarus, nomen hodieque retinens. Dicitur enim *la Grace*, etſi deberet potiùs ſcribi *la Graſſe*. Petrus in Hiſtoriæ Albigenſis capite XXXIV. memorat *caſtrum quod dicitur Monſlauri prope Monaſterium de Craſſa*. Craſſa autem proxima eſt Monti-Lauri, *Montlaur*.

CRAZZACUM BITURIGUM.

Rigordus de Geſtis Philippi Auguſti *caſtrum Crazzacum* in pago Bituricenſi memorat his verbis. *Anno MCXCVI. Philippus Rex infinitum collegit exercitum in pago Bituricenſi, & in manu valida Aquitaniæ fines ingreſſus eſt, & cepit caſtrum Eſſoldunum, & Crazzacum, & alias quamplures munitiones, & terras circumpoſitas vaſtavit uſque ad caſtrum Radulfi.* Guillelmus Britto in anno MCXCVII. *Cracacum* vocat, & inter *Eſſoldunum* caſtrum & *Caſtrum Radulfi*

illud poſitum eſſe indicat, quod in libro II. Philippidos *Crazaium* nuncupare maluit. Vulgò dicitur *Gracay*, locus in Biturigum finibus nunc obſcurus non procul ab Exolduno; quem *Graſaium* appellari etiam à Latinis ſcriptoribus quibuſdam video.

CREBENNUM SENONUM.

Crebennum, *Crevan*, opidum eſt ad flumen Icaunam, non procul ab ejus & Choræ confluentibus, in finibus Autiſſiodurenſium. In Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodurenſium vetere nunc *Crevenniacum vicum*, nunc *Crevennum* dici obſervo; & *Eccleſiam Crevenni*, ac *molendina de Crevenno* ibi commemorari.

In Chartulario MS. Eccleſiæ Lingonicæ *Crapentum* quoque hunc locum vocari video, *Creſpans* item, & *Creſpons*. In litteris datis anno MCCLIV. *Dominus Iohannes de Crapento Miles*, item *D. Johannes de Creſpens Miles* appellatur: *Creſpans* in litteris anni MCCLVIII. quorum alterum *Creſpentum*, alterum *Creſpantum* Latinè reddi convenit.

CRECIACUM AMBIANORUM AD ALTEIAM.

Regnantibus apud Francos Merovei poſteris villa erat Regalis Creciacum, in pago Pontivo ad flumen Alteiam poſita, *Creci en Pontieu*: quam veteres noſtri auctores plerumque *Criſciacum* & *Criſciagum*; nonnumquam *Criſcecum*; at numquam Cariſiacum appellant. *Criſciacum villam* publicam *in Pontio* (quem pagum Pontivum vulgò vocitant) poſitam, ac ſilva cognomine inſignem Ebroinus olim armatus invaſit, Theodoricum Francorum Regem ac Leudeſium Majorem domûs imparatos perſequens: è quibus Regem inopinantem oppreſſit ac recepit; ut docent Geſta Francorum veterum, & Appendix Fredegarii. Ibidem Philippus Valeſius Francorum Rex ab Anglis fuſus acie, maximam cladem accepit. *Silvam Criſciacenſem in provincia Pontiva* ponit Vita S. Richarii; vulgò *la foreſt de Crecy*. Eſt & aliud Criſciacum vel Creciacum in pago Briegio, *Creci en Brie*, non procul ab urbe Meldis, poſitum ad Mucram flumen in Matronam decurrens: à quo & ſilva proxima nomen habet, & ſilva Criſciacenſis nuncupatur, *la foreſt de Crecy*.

CRECIACUM REMORUM AD SARAM.

Creciacum ad Saram, *Crecy ſur Sere*, villa fuit quondam publica vel Regia in pago Laudunenſi, ut & Cariſiacum ad Iſaram: ſed utrumque poſtea caſtrum è villa Dominica eſt factum. Gubertus Abbas Novigenti *Creciacum* Laudunenſis pagi *caſtrum* à *Cariſiaco* diſertè diſtinguit; & Carolus junior Aug. *Criſiacum* à *Cariſiaco*, ut obſervo in libro XXV. Rerum Francicarum.

CREDILIUM BELLOVACORUM.

Credilium caſtrum eſt Bellovacorum, ad flumen Iſaram poſitum, *Creil*: cujus meminit Lupus Abbas Ferrarienſis ante annos octingentos. *Credolium* vocant litteræ Philippi Auguſti Francorum Regis.

CREDO ANDICAVORUM.

Credo (*Craon*) amnis in finibus Andium nomen opido vel caſtro Credoni (*Craon*) dediſſe, falsò dicitur à Maſſono. Nullus enim eſt ejus nominis fluvius in Andibus, & Credo ad ripam Oldæ poſitus eſt: qui Olda *Oudon* vulgò dicitur, & aliquot fluviolis auctus, in Meduanam delabitur ad Novam Villam, *Neuville*. *Credonium* nonnulli recentiores appellant, in his Guillelmus Major, Andicavorum Epiſcopus, qui de geſtis ſuis anno MCCCXVI. ſcripſit.

Ager Credonenſis vocatur *le Craonnois*, vel uti alii ſcribunt & proferunt *le Cranois*. Quidam *Cronii* nomine à Gregorio deſignari eum locum exiſtimant, in libri IV. Miraculorum S. Martini capite XVII. *Vico Andegavenſi, cui Cronio antiquitas nomen indidit*. & capite XXIV. *Mulier Ermingundis, Andegavenſis civis, vici incola Cronienſis*: ſic enim legendum eſt, non ut vulgò *Eronienſis*. Et in libro de Gloria Confeſſorum. *Apud Cronienſem vicum mulier à nativitate cæca, invocans nomen Sancti*, (Albini And. E.) *ipſa die illuminata eſt*. In litteris datis anno MXCVI. *Reginaldi Credonenſis*, vocatur *Credonenſe caſtrum*; in litteris Nicolai PP. II. *caſtrum Credonenſe* quoque; in aliis litteris *Credo*, & *Mauricius dominus de Credone*. De Credone & VVillelmus Britto in libro X. Philippidos ſic refert, Amalricum Guillelmi de Rupibus generum & heredem unicum deſcribens:

> Ejuſdem lateri gener illius unicus heres
> Hæret Amalricus, qui de Credone trahebat
> Et genus & nomen, & erat dominator eidem.

Nimirum tum familiæ nobiles à ſuis caſtellis cognominari conſueverant. *Credonium* in Vita Caroli VI. Francorum Regis appellat Monachus S. Dionyſii.

CRESTA SEGALAVNORVM.

Ejus caſtri meminit Petrus Monachus in Hiſtoriæ Albigenſium capite LXXXIV. *Comes perrexit ad obſidendum quoddam caſtrum in Diœceſi Valentina, quod dicitur Creſta, & erat Ademars Pictavenſis. Venit Comes ad caſtrum Creſta, & obſedit illud. Erat caſtrum nobiliſſimum & fortiſſimum, & Militibus & Servientibus bene munitum.* Caſtrum illud in pago Valentino inter flumen Drunam & montem poſitum, *Criſtam* olim Latino nomine dictum eſſe puto, quòd ſicut criſta emineret. *Chreſtam* Græco vocabulo appellat Caſaubonus; incolæ *Creſt*, & adjuncto articulo *le Creſt*.

CRIENTIO FLUVIUS.

Alcuinus in libello de Vita S. Vedaſti Atrebatum Epiſcopi ſcribit, Vedaſtum oratorium è tabulis ligneis *prope litus Crientionis fluvioli ædificaviſſe*, in loco humili & palude obſito, urbi Atrebatis proximo. Hic fluviolus vulgò dicitur *le Crinchon*.

CRISPEIVM SILVANECTVM.

Criſpeium vetus caſtrum fuit in Silvanectibus, ſede Comitum & Prioratu S. Arnulfi veteri inſigne. Ivo Carnutenſis Epiſcopus in epiſtola XLV. ad Clericos Mellentinos *Hugonis Criſpeienſis Comitis* mentionem fecit ante annos DL. *Criſpeiacum* vocat Paſchalis Papa; *Creſpeium* Ludovicus Francorum Rex in litteris anno MCXIX. datis; Hildebertus Cenomanorum Epiſcopus in Vita Hugonis Abbatis Cluniacenſis *Criſpeium*. Simon *Comes Creſpeienſis* appellatur in litteris anni MLXXVII. *Criſpiacenſe caſtellum*, etiam *Criſpi* & *Criſpei* in Latinis & priſcis tabulis reperire eſt. Sincerum & incorruptum caſtri nomen eſt *Criſpeium*, & *Criſpiacum*. Vulgò dicitur *Creſpi en Valois*, hoc eſt Criſpeium in pago Vadenſi: cujus pagi Comites, nunc *Comites Vadenſes* à pago, nunc *Comites Criſpiacenſes* vel *Criſpeienſes* à capite pagi appellati. In Vita B. Simonis Comitis Criſpeienſis *Eccleſia B. Arnulfi apud Criſpiniacum caſtrum* memoratur: itaut pro Criſpeio vel Criſpiaco *Criſpiniacum* etiam Latino nomine tamquam à Criſpino aliquo conditore vel domino ante annos D. nonnumquam dictum eſſe appareat. *Solidos Criſpiacenſis moneta* video in vetuſtis tabulis memorari.

CRISPINIUM.

Criſpinium vetus eſt Monaſterium in Hainoo Monachorum ex præſcripto Benedicti viventium, Abbatiæ titulo gaudens: quod B. Landelinus exſtruxiſſe & in quo ſepultus eſſe dicitur. Locus ſuum Cœnobio nomen dedit. Ejus fit mentio in Vita S. Vrſmari Abbatis Laubienſis, & in diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, in qua *Criſpinnum* vocatur. *Hugo Criſpinenſis Abbas* anno MLIX. præter ceteros conſecrationi Philippi Regis interfuit. Criſpinium vel Criſpinum nomen hodieque ſervat, ac vulgo *Creſpin* nuncupatur.

CRODOLDVS FLVVIVS.

Crodoldus, *le Crou*, quibuſdam Gauniſſenſis fluvius dictus, *la riviere de Gonneſſe*, ortus in finibus Pariſiorum, attingit Luperas, *Louvres en Pariſis*, Gunſanævillam, *Gouſainville*, Tillidum aut Telleium *Tillay*, Caſtellionem *Chaſtillon*, Gauniſſam *Goneſſe*, Bonogilum *Boneüil*, & Bigargium *Garges*: ibi fluviolum Rodonum recipit, vulgò dictum *Rone*, è Cerſillâ *Cerſelle*, atque Ermenovillâ *Arnouville* venientem. Tum alium amnem admittit, qui per Trimilidum vel Trembleium *Tremblay*, perque Villampictam *Villepeinte*, & Sabiniacum *Savigny* decurrit, auctuſque rivo Ceuronum *Ceuran*, Fontanetum *Fontenay*, atque Alnetum *Aunay* alluente, per Albamdomum Blancum-Manſionile vulgò dictam, *Blanc-Meſnil*, & per Pontem-Iblonem in Crodoldum labitur. Non his contentus incrementis Crodoldus, infra vicum Duniacum vel *Dugni* duos rivos aut ſi mavis amniculos capit, alterū è Graulido vel Groolaio *Grôlay*. Darentiaco *Drancy*, & Burgulo *le Bourget*; alterum ex Balbiniaco *Bobigny*, Aquâ bonâ *Eaubonne*, & Curte-nova *la Court-neuve* deſcendentes. Demum poſtquàm Catolacum Regio Monaſterio S. Dionyſii nobilem olim vicum, nunc opidum irrigavit, adjuncto ſibi Mardreto Alberti-villaris rivulo, ac flexuoſis recurſibus pererravit, in Sequanam influit contra inſulam S. Dionyſii Martyris nomine illuſtrem, aſperam rupibus, & piſcatorum caſulis infeſſam.

In Actis Synodi Sueſſionis, habitæ anno Chriſti DCCCLXII. regni Caroli Francorum Regis XXIII. Crodoldi fit mentio his verbis. *Annualis etiam mundatio Crodoldi fluminis de villis ad hoc multo tempore ordinatis inexcuſabiliter fiat.* Odonis R. Fr. litteras legimus, in quibus de ſe, & de Crodoldo, ac de Rodono in eum effluente ſic loquitur. *Ex fiſco noſtro Cerſilla manſum unum cum-ductu aqua ex utraque parte ſupra & ſubtus fluvio Rodono, & molendinum juxta Monaſterium ſuper fluvium Crodoldi ſuper pontem Tricina Eccleſia S. Dionyſii concedo.* Ex quo intelligitur Cerſillam, quæ in veteri Catalogo *Sarcella* nuncupatur, & Rodono fluvio adjacet, villam olim Regiam ſeu fiſcalem exſtitiſſe. Carolus vulgò Simplex cognominatus, in litteris ſuis *Crodoldi* etiam meminit: meminere & alii.

CRONO ARVERNORVM ET CRONONENSE MONASTERIVM.

Crononenſe Monaſterium Gregorius noſter in libro IV. Hiſtoriæ Francicæ à loco in quo ſitum eſt *Cronone* memorat, vel (ut codices vetermi Bellovacenſis Eccleſiæ & Corbeienſis Monaſterii ſcriptum præferunt) *Monaſterium Chrononenſim*; in capite III. libri de Sanctorum Patrum Vita *Monaſterium Cromonenſe, ſexto ſitum ab Arverna urbe miliario*, alias *Cronomenſe*, mendosè pro *Crononenſe*. Nunc *Crono* vel *Chrono* vocatur *Cornon* vel *Cournon*. Ab ejus loci Abbate tonſus eſt Gallus, futurus Aruernorum Epiſcopus.

CROSA FLVMEN.

Croſa flumen, *la Creuſe*, ab altitudine ſua nomen videtur inveniſſe. Croſum enim Noſtri id quod altum ac profundū eſt dicunt, *creux*. Oritur in finibus Lemovicum, & Vartimpam accipit, *la Gartempe*. Vtriuſque fluminis in Vita Sabiniani & Cypriani Martyrum fit mentio. Et duo quidem ſunt Croſæ, major alter ſupradictus, qui Vingennam auget: minor alter cognominatus, qui in majorem influit. Croſa major attingit Albucionē *Aubuſſon*, Agedunum Ahu, Varactū *Gueret*, Glenicum, Cellam Dunenſem à Duno proximo opidulo cognominatam, *Celedunaiſe*. Mox Croſâ minore augetur: tum Argantomagum *Argenton*, & Oblincum Biturigum *le Blanc en Berry*, ac Iciodorum vicum Turonum, *Iſeure* vel *Iſerre*, præterlapſus, Vartimpam admittit: inde Rupem Poſeii *Roche de Pozay*, Liciniacum *Leſigny*, Guirciam *la Guerche*, Ripas *Rives*, Hagam Turonum, *la Haye en Touraine*, Portum Pilæ, *le Port de Pile*, in Geſtis Conſulum Andegavenſium memoratum alluit, ac demum Vin-

genuâ recipitur, *Croſa* dictus in Geſtis Epiſcoporum Turonicorum.

Croſam alium fluvium, & *Guettam* vel *Guttam* (*la Guie*) ei proximum amnem in Burgundia, memorant priſcæ tabulæ Patriciaci Monaſterii.

CROVIACUM.

Fiſcum Croviacum; *Croniacum* etiam; & nonnumquam *Croiciacum villam Regalem* in veteribus tabulis ac in Vita S. Medardi vocari aiunt indigenæ locum, in quo una cum Baſilica Monaſterium S. Medardi exſtructum eſt, atque ubi pius Antiſtes ſepultus eſt. Hodieque vicus Croviacus vel Croiciacus, vulgò *Crouy*, parum diſtat à Monaſterio Sueſſionico S. Medardi, ad ipſumque pertinet: qui vicus (ut nomen hodieque & vicinia indicant) villæ Regalis fiſcaliſve Croiciaci pars videtur fuiſſe.

CRUCINIACUM.

Cruciniacum memorat Eginhardus in Annalibus. Anno DCCCXIX. *Imperator* (Ludovicus) *Conventu dimiſſo, primò Cruciniacum, deinde Bingiam veniens, ſecundâ aquâ Confluentem uſque per Rhenum navigavit*: quæ verba & in Annalibus Bertinianis leguntur, ex Eginhardo deſumta: in quibus hæc etiam reperio. Anno DCCCXXXIX. *Ipſe* (Imper. Ludovicus) *in Cruciniaco caſtro ſeſe venationibus alacriter exercendo, miſſorum in Baioariam directorum reditum ſtatuit opperiri*. In rebus geſtis S. Bernardi *caſtrum Gruzenache* aut *Gruzenach* vocatur capite XI. Quædam leges leguntur in Codice Theodoſiano datæ *Contionaci*, aliàs *Contionati*: quem eſſe eumdem locum arbitror, & ex *Contionaco Crucinacum* vel *Cruciniacum*, ex *Cruciniaco Gruzenach* factum eſſe. Vulgò nunc dicitur *Creutznak*, eſtque ad Rhenum flumen prope Bingium.

CULARO ALLOBROGUM QUÆ ET GRATIANOPOLIS.

Cn. Plancus in epiſtola X. ad M. T. Ciceronem ejus urbis meminit haud dubiè. Data enim dicitur *Cuarone ex finibus Allobrogum*; aliàs *Curone, & Cujarone*. Ubi nemo non videt id quod jam Scaliger, Manutiuſque & Sirmundus obſervavere, litteram I. in L. mutari, & ex CUIARONE CULARONE fieri oportere. Licèt alii *Cinaronem* retineant præfractè, & *Cameriacum*, aut *Curonem Sapaudiæ caſtellum* eſſe arbitrentur. Ex quo etiam apparet *Cularonem* in finibus Allobrogum fuiſſe, ſeu urbem Allobrogum exſtitiſſe *ad Iſaram flumen maximum, quod in finibus eſſe Allobrogum* idem Plancus in epiſtola VI. ſcribit. Eſt autem *Cularo* vel *Gratianopolis* ferè ad Draci & Iſaræ confluentes. A Strabone commemorantur duo fluvii, qui circumfluunt urbem *Cuaro* & *Varo*, δύο περιῤῥέοντες πόλιν Κυάρων καὶ Οὐάρων: ubi emendandum puto Κυλάρων vel Κυλάρωνα. Poſita enim eſt ad Iſaram mox Draci aquis augendum. Duæ veteres inſcriptiones *Cularonis* etiam mentionem faciunt, Cularone olim viſæ, altera in porta Romana, altera in porta Viennenſi: quæ *DD. NN. Impp. Caſſ. Diocletianum & Maximianum Augg. muris Cularonenſibus cum interioribus ædificiis providentiâ ſuâ inſtitutis atque perfectis, portam Romanam Ioviam, portam Viennenſem Herculiam vocari juſſiſſe* teſtantur. Tabula Peutingeriana *Cularonem* Morginno & Catoriſſio medium interponit his verbis. *Turecionico, Morginno, CULARONE, Catoriſſium, Melloſedo, Durotinco, Stabatione; Cottii Regnum.* Ubi CULARONE emendavi, cùm in libris editis reperiatur CULABONE, facillimâ & exiguâ R in B mutatione, & clauſâ inferiùs R litterâ, quæ debebat aperiri. *Morginnum* porro vicus eſt montanus *Morges* v. dictus, ut reor; Catoriſſium *Chartrouſſe* vel *Chatrouſſe* magnus vicus. Eſt autem Cularo poſitus inter hos vicos duos, ſed à Morginno quadruplo ferè remotior, quàm à Catoriſſio vel Cartuſia. Notitia Imperii Rom. ponit *in provincia Gallia Riparenſi Tribunum cohortis primæ Flaviæ Sapaudiæ Calarone*: ubi Scaliger & Scaligerum ſecutus Sirmundus notant legendum eſſe *Cularone*: quod certiſſimum eſt. Sed non animadverterunt iidem, legendum eſſe *Tribunus cohortis primæ Flaviæ Sapaudicæ Cularone*: itaut Cularone in præſidio eſſet *cohors I. Flavia Sapaudica* cum Tribuno ſuo. Nec id probat in Sapaudia fuiſſe *Cularonem*, uti Sirmundus ad Ennodium putat: non magis quàm præſidium Lætorum Francorum cum Præfecto ſuo, Redonis Lugdunenſis tertiæ urbi principatu Honorii Aug. impoſitum, Redonas tum in Francia fuiſſe convincit. Nam diceretur *Cularone Sapaudiæ*, id eſt in Sapaudia, non *Sapaudiæ Cularone*: ſicuti ibidem *Præfectus claſſis Barcariorum Ebruduni Sapaudiæ* dicitur, non *Sapaudiæ Ebroduni*.

Hæc urbs poſtea dicta eſt à Gratiano Aug. Gratianopolis: ſive eam reſtituit ornavitque Gratianus, quod nuſquam invenimus; ſive nomen ei ſuum imponere aliquam aliam ob cauſſam contentus fuit. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. tertium locum obtinet *civitas Gratianopolitana*, vel *civitas Gratianopolitanorum*. Addit quædam Notitia ſed falsò, *à Gratiano conſtructa*. Roberto quoque *prov. Viennenſis* tertia eſt *civitas Gratianopolis*. Gervaſius Tilleberienſis, & quædam Notitiæ eo recentiores *Epiſcopum Gratianopolitanum* quartum faciunt inter Antiſtites Viennenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffragantes, qualis hodieque eſt. Quippe Viennenſi hodieque parent Valentia, Vivarium ſeu Alba, Dea, Gratianopolis, Maurienna & Geneva, quarum alteram Maurianam, alteram Gebennam corrupto nomine appellant. *Gratianopolim civitatem in Gallia* commemorat & Auguſtinus in libri XXI. de Civitate Dei capite VII. ubi de fonte Epiri faces exſtinguente ardentes, & exſtinctas accendente apud Dodonam, ſic refert. *Et illum quidem fontem non inveni, qui in Epiro ſe vidiſſe dicerent: ſed qui in Gallia ſimilem noſſent non longè à Gratianopoli civitate*: ſcilicet tertio ab urbe lapide. Eo fonte Gratianopoli proximo ignem ali, certo ſe ſcire aſſerit Franciſcus Saleſius Genevenſis Epiſcopus. Abeſt II. leugis Gratianopoli hic fons,

& ab aliis ardere adhuc dicitur, ab aliis ante annos L. ardere deſiiſſe, ſed flamma è vicino fonti ſolo exſiſtere vdo tantum ac pluvio cælo; quâ etiam ova coquantur. Eo fonte palea accenditur & comburitur.

Gratianopolis meminit Leo PP. magnus, in epiſtola ad XIX. Epiſcopos Galliæ, & Sidonius in libri III. epiſtola XIV. quam *Gratianopolitanam urbem* Gregorius in libro IV. Hiſtoriæ Francicæ appellat. Gratianopolis prima habetur mentio in Concilio Aquileiæ habito anno Gratiani ipſius Aug. principatus XV. cui Concilio interfuere Epiſcopi *Conſtantius Arauſicus, Theodorus Octodorenſis, Domninus Epiſcopus Gratianopolitanus, Proculus Maſsilienſium, Amantius Nicenſis*: ejuſdem Concilii ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis (in qua Gratianopolis, Arauſio & Maſſilia) & Narbonenſium primæ & ſecundæ epiſtola legitur. Concilio Epaonenſi *Victurius Epiſcopus civitatis Gratianopolitanæ* adfuit; Concilio Aurelianenſi III. *Vrſicinus Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ* Concilio Lugdunenſi II. Valeſius Presbyter miſſus à D. Syagrio Epiſcopo Gratianopolitano; Conciliis Pariſienſi IV. Matiſconenſi I. & II & Lugdunenſi tertio *Heſychius Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ*, qui & *Eſicius*; Concilio Cabillonenſi *Clarus Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ*.

Cularonem ſive Gratianopolim Vocontiorum urbem fuiſſe ait Salvaingius, Allobrogum negat; propterea quòd tota Gratianopolis vetus poſita ſit trans Iſaram, quo flumine & Rhodano Allobroges claudi conſtet. Melius Ioſephus Scaliger, Maſſonus, Samſon, aliique Allobrogibus cum Vienna & Geneva Gratianopolim attribuunt, Planci ſed emendati ac incorrupti fidem & auctoritatem ſecuti: Vocontiis verò Vaſionem & Deam & ambarum vrbiū diœceſes adſcribunt. Certè nullæ uſquam Gentes ita fluminibus terminantur, ut non trans eorum ripas ſæpe fines ſuos proferāt. Sequana Celticam ſive Galliam Lugdunenſem ſeparat à Belgica, Liger ab Aquitania: Garumna provinciam Aquitanicam ſecundam à provincia Novempopulana dividit. Et tamen Rotomagus cùm ſit in ripa Sequanæ dextera Belgas ſpectante, non urbs Belgicæ habetur, ſed provinciæ Lugdunenſis ſecundæ metropolis, & trans Sequanam Veliocaſſes & Caletos uſque ad Augam habet ſibi ſubjectos. Cæſarodunum Turonum appoſitum eſt ripæ Ligeris ſiniſtræ vel Aquitanicæ: nihilo tamen minùs Aquitaniæ non adſcribitur, ſed prov. Lugdunenſis tertiæ metropolis eſt. Denique Burdigalam ſimiliter, ſiniſtro licèt Garumnæ adſitam, non Novempopuli ſibi vindicant, ſed provincia Aquitanica ſecunda Metropolim agnoſcit; & ejus urbis Diœceſi Meduli & Boij quamvis Tranſgarumnani continentur.

In quibuſdam codicibus cùm Notitiarum tum Auguſtini & Sidonii, aliiſque aliorum libris mſſ nonnumquam reperitur *civitas Grannapolitana* & *Grannopolitana*, ac ſæpius *Granopolitana*: quæ menda ſine dubitatione orta eſt ex compendio litterarum. *Grãanopolis* enim vel *Grañopolis* librarii ſcribebant lineâ ſuperpoſitâ: quam cùm non animadverterent indocti, (quippe & nonnumquam omittebatur à properantibus) ſcriptum exiſtimarunt non *Gratianopolis*, ſed *Grannopolis* vel *Granopolis*. Atqui Gratianopolim ſcribi oportere docet agri Gratianopolitani nomen vulgare, *ti* ſecundam nominis ſyllabam in *ſi* convertens, *le Greſiwodan*. *Gratinonam urbem* corrupto nomine appellat Glaber Rodulfus in libri IV. cap III. Gratianopolim *Grenoble* Noſtri nuncupant. *Grainople* Scaliger ſcribit, qua ratione alius nemo.

Pagus Gratianopolitanus vel vallis Gratianopolitana dicitur *le Graiſivouldan*, vel *le Greſivodan*, aliàs *la vallée de Griſivodan*. Quidam malè *Greſivaudan* ſcribunt, & ita tabulæ præferunt: cùm *al* in *au* mutari ſoleat, *ol* niſi in *ou* converti non poſſit.

Fuere & aliæ Gratianopoles. In Concilio enim Epheſi habito, cui præter legatos Epiſcopi Vrbis Romæ & aliquot è Græcia & Thracia Antiſtites, nulli ex Occidente Epiſcopi interfuere, quidam *Epiſcopus Gratianopoleos* memoratur. Præterea *Thalaſſius Gratianopolitanus Epiſcopus in Mauritania Cæſarienſi*; à Rege Vandalorum & Alanorum Hunerico cum ceteris relegatus eſſe dicitur.

CVLMISCIACVM ET CALMICIACVM.

Frodoardus Presbyter ait in Chronici anno DCCCCXL. *Eccleſiam ſe rexiſſe in Culmiſciaco*: & anno DCCCCXLVII. ſcribit Hugonem Præſulem Remenſem ac Tetbaldum *ex Culmiſciaco ceteriſque contiguis villis vinum pane omni collegiſſe*. Culmiſciacum villa nomen retinet. Dicitur enim *Cormicy*, u in o & l in r de more commutatis: ut de Luſciniola *Roſsignol*, de ulmo *orme* noſtri fecere. *Culmiſiacum villam Epiſcopatus Remenſis* vocat Vita Rigoberti Remorum Archiepiſcopi: qui locus non longè ab urbe Remis abeſt.

Ab urbe Remorum non procul diſtat & *Calmiciacum*, ejuſdem ferè nominis locus, Frodoardo in anno DCCCCXXII memoratus, nunc (ni fallor) *Chermizy*, litteris a in e, & l in r ſimiliter converſis. Et Culmiſciacum quidem à culmis; Calmiciacum à calmis dictum videri poteſt.

CVRBIO, ET CVRBIONENSE MONASTERIVM.

Curbio vel Curbionenſe Monaſterium memoratur in Vita S. Balthildis, ubi *Domino Laigoberto Curbionenſis Monaſterii Abbati* multum auri cum villa quadam dicitur contuliſſe, vel (ſicut Iohannes Bollandus edidit) *Domno Legeberto ad Curbionis Monaſterium villam Nugaretum, & talenta multa argenti vel auri dediſſe*. In Vita S. Launomari Abbatis apud Surium fit mentio *Curbionis* loci, in quo oratorium & cellulas inſtar cœnobii Launomarus exſtruxit. Eſt autem antiquiſſimum Curbionenſe Cœnobium S. Launomari ad Curbionem amniculum: quem *Launomarum Carnotenſem, fundatorem Cœnobii Curbionenſis* anno CCCCXCV. *floruiſſe* tradit Sigebertus. In Chronico Fontanellenſi Anſigiſus Abbas Fontanellenſis moriens *ad Curbionem Monaſterium libram unam miſiſſe* dicitur, auri nimirum vel argenti: at *Curbio in pago Dorcaſſino erat*, ſi Vſuardo credimus. Grimonem, legatum à Ca-

rolo Duce & Principe Francorum ad Gregorium Romanum Epiſcopum miſſum anno DCCXLI. in veteribus libris cùm ſcriptis tum editis nunc *Corbienſem*, nunc *Corbonenſem Abbatem* appellari video: ita ut Corbeiæ, aut Corbioni vel Curbioni certò præfuerit, ſed utri potiùs præfuerit, incertum ſit: quemadmodum in libro XXV. Rerum Francicarum, & in Defenſione Diſceptationis meæ de Baſilicis Regiis adverſus Launoium Theologum, qui Monaſterium eo nomine in Gallia nullum eſſe exiſtimabat, obſervavi.

CVRTICVLÆ VEL CVRCELLÆ.

Curticulæ primùm dictæ ſunt & *Curticellæ*, quaſi parvæ villæ, ſeu exigui vici à *curte*. Nam ut *villa*, ſic & *curtis*, id eſt chors vel cohors pars villæ, pro vico ſæpe ſumebatur. Ex *Curticellis* factum eſt poſtea deminutivum *Curcellæ* ſublatâ unâ ſyllabâ, atque *Corcellæ*. Multa ſunt ejus nominis loca in Galliis, quæ Noſtri nunc *Courcelles*, nunc & *Corcelles* vocant: ex quibus notiſſimæ ſunt *Curcellæ* in Veliocaſſibus ad Ittam flumen Dangurum inter & Giſortium.

CVRTINETVM SENONVM.

Caſtellum fuit in finibus Senonum Prioratu SS. Petri & Pauli illuſtre *Curtinetum*, aliis *Cortinacum*, aliis *Curtinacum* & *Cortegniacum*, ac *Cortiniacum*; atque *Curtenacum*, nonnullis corruptè *Cortenaium* dictum, vulgò *Courtenay*: cujus caſtri herede in matrimonium acceptâ, unus è Ludovici Craſſi Francorum Regis filiis Petrus Curtinacenſium Principum familiæ originem dedit. Scriptores rerum Anglicarum nunc *Courteneiam*, nunc *Courteney*, interdum *Courteneye*, ſed & *Courtnay* appellant: qui locus à *curte* haud dubiè nomen accepit; quo vocabulo Noſtri villam ſæpe deſignavere.

CVRIOSOLITES.

Primus *Curioſolitum* meminit Julius Cæſar in libro II. Commentariorũ belli Gallici, in quo ait *Venetos*, *Unellos*, *Oſiſmos*, *Curioſolitas*, *Aulercos*, *Redones*, *quæ ſunt Maritimæ civitates Oceanumque attingunt*, *à Publio Craſſo quem cum legione ſeptima miſerat*, in ditionem poteſtatemque populi Romani eſſe redactos. *Maritimas civitates* vocat, quas Galli idem ſignificante nomine Armoricas appellabant. Idem in libro III. *Unellos*, *Curioſolitas*, *Venetoſque* conjungit, ac paullo pòſt *Unellos*, *Curioſolitas*, *Lexobios*: ac in libro VII. *Curioſolites*, *Redones*, *Oſiſmii*, *Unelli ſunt in numero civitatum quæ Oceanum attingunt*, *quæque Gallorum conſuetudine Armoricæ appellantur*, ac ſena millia armata in bellum contulerunt. Hi Plinio in Lugdunenſi Gallia *Carioſulites* vel *Carioſuelites* vitio exemplarium dicti, cùm Curioſulites aut Curioſolites dici debeant.

In Notitiis veteribus provinciarum Galliæ iidem *Corioſopites* & *Coriſopites*, necnon *Coriſolites* nuncupantur. Ibi enim in provincia Lugdunenſi tertia ſexto loco nunc *civitas Corioſopitum* vocatur; nunc *civitas Corſopitum*; interdum *civitas Corſolitum*: corrupto haud dubiè nomine *Corioſopitum* & *Corſopitum* pro *Corioſolitum* & *Corſolitum*. Conſtat enim Latinos l quidem in u ſæpe, numquam autem in p mutav iſſe, eoſdemque p in b & in u non raro, ſed in l haud umquam vertiſſe. Cùm igitur à Julio Cæſare & à Plinio primis omnium *Carioſolites* & *Curioſulites* ita uti tum appellabantur, recto & incorrupto nomine Gallico appellati ſint: poſteriores ſcriptores ab utriſque ſine cauſa temere recedere, & de *Curioſolitibus* aut Curioſulitibus *Corioſopites* ſeu Curioſopites ac *Corſopites* facere nec potuerunt, nec etiam debuerunt. Quare optimè Eginhardus in Annalibus fecit, quum Cæſarem & Plinium quàm inſequentes auctores imitari, & *Corioſolitas* quam *Corioſopitas* nuncupare maluit his de Britannia Ciſmarina verbis. *Anno* DCCXCVI. *Cum ab Anglis ac Saxonibus Britannia inſula fuiſſet invaſa*, *magna pars incolarum ejus mare trajiciens*, *in ultimis Galliæ finibus Venetorum & Corioſolitarum regiones occupavit*. *Corioſulitas* vocat & Magno. At nihilominùs recentiores omnes, in primis Robertus Monachus Autiſſiodorenſis in Chronico, & Gervaſius Tiſleberienſis *civitatem Coriſopitum* vocant, & Turonenſem Archiepiſcopum Metropolitanum inter provinciæ ſuæ Antiſtites, vulgò *Suffraganeos* dictos, quintum habere *Coriſopitenſem* dicunt. Joſephus Scaliger *Curoſopitos* quidem & *Curoſopitenſes* appellat; *Curioſolitas* tamen in Notitia provinciarum & in libro fiſci Romani fatetur nuncupari. Idem & Maſſonus facit, qui *Corſopites* & *Coriſopitenſes* vocat.

Urbs ipſa, caput Curioſolitum ac Epiſcopatus ſedes, Britannicè nunc dicitur *Kemper*, aut *Quimper Corentin*, hoc eſt *civitas Corentini*, propterea quòd B. Corentini Epiſcopi quondam ſui titulo ac patrocinio gloriatur: de quo in Martyrologiis lego: *Kal. Maii in Britannia* Chorentini *Epiſcopi civitatis Aquilæ*.

Agrum Curioſolitum totamque Diœceſin aut parœciam, Eginhardus *Corioſolitarum regionem*; Robertus de Monte S. Michaelis recenti nomine *Cornubiam* appellat, quum *Bernardum Epiſcopum Cornubiæ* in minore Britannia commemorat: quidam à ſitu *Cornu Galliæ*; vulgò *Cornoüaille*, aut *l'Eveſché de Cornoüaille*: de quo Raimundus Marlianus, Joſephus Scaliger, & Maſſonus, & Samſon, ac plerique alii, vel potiùs omnes ferè Geographi nunc inter ſe conſentiunt. Aimoinus qui ante annos DCXL. aut L. floruit, in libro II. Miraculorum S. Benedicti *Cornu Galliæ* primus aut unus è primis commemorat, quum *Oſam inſulam à continenti Armoricanæ regionis terra quam Cornu Galliæ vocant*, anguſtiſſimo XVI. paſſuum freto dividi ait, & *quemdam civem regionis Cornugalliæ Felicem nomine* in Oſam inſulam cum aliquot popularibus ſuis amore Præſulis Pauli demigraviſſe, eamque inſulam *S. Pauli opido* Epiſcopali proximam facit. S. autem Pauli opidum eſt in Oſiſmiis: ex quo intelligitur totum illud extremum cornu peninſulæ Armoricæ excurrentis in Oceanum, quod Oſiſmii & Curioſolites obtinent, olim *Cornu Galliæ* appellatum à noſtris ſcriptoribus, licèt nunc ſoli Curioſolitum agro attribuatur hoc nomen.

Ceterùm Curioſolitum nec Strabo, nec Ptolemæus ceterique Græci Geographi mentio-

nem ullam fecere : niſi ſi Ptolemæus Curioſolites *Arviorum* nomine, & urbem Curioſolitum caput *Vageriti* appellatione deſignavit. Sunt autem *Arvii* iſti vel *Arvvii* (ut ait) inter Aulercos Diablintes, & Namnetes. Ἀρούιοι, ἡ πόλις Οὐαγόριτον.

D

DALFINATUS.

QUAM nunc regionem *Delphinatum* Noſtri vocant, *le Dauphiné*, ante annos non paucos exiſtimavi ab Alpibus nomen accepiſſe, & pro *Delphinatu Alpinatum*; incolas pro *Delphinatibus Alpinates* appellari oportere : propterea quòd montes à pleriſque ſcriptoribus Latinis veteribus ac recentibus *Alpes* dici animadvertebam, & *omnes altitudines montium* (id eſt omnes montes excelſos) *à Gallis Alpes vocari* apud Servium & Iunium Philargyrum legeram *Ararim & Dubim ex Alpibus delabi* aiunt Strabo & Ptolemæus : ex quibus Arar è gremio ſaltus Voſagi profluit, Dubis è monte Iura demittitur. De Araris ortu idem Polybius refert. Silius *geminas Alpes*, Prudentius quoque *τὰς τέσσαρας binas Alpes* nuncupat Alpes propriè dictas, & Pyrenæos montes. Sidonio Athos *Alpis* vocatur, hoc eſt mons. Fortunatus montes Cebennas *Alpes Arvernas* ſive montes Arverniæ appellat ; & *Pyrenæam Alpem* Pyrenæum montem. Paulus Langobardus Apenninum montem *Alpes Apenninas* nuncupavit, Caſſiodorum Senatorem in libri VIII. epiſtola XXXI. imitatus, quam IX. provinciā Italiæ facit. Idem *Alpem Bardonis* vocat, quem *montem Bardonem* Leo Marſicanus. Sic igitur exiſtimabam, provinciam quæ tota ferè in montibus poſita eſſet, *Alpinatum* ab Alpibus dici poſſe, cùm Alpium nomine montes elatos alteque ſurgentes Galli olim deſignaverint ; atque urbes ejus regionis Vienna, Ebrodunum, Valentia, Dea, Gratianopolis, Auguſta Tricaſtinorum, & Vapincus ac Brigantio montibus cinctæ ſint. Præterea Julianus ſcribit, *tertiò ac ultimò circa Alpes Cotias* Conſtantium Aug. cum Magnentio pugnaviſſe, nimirum ut Socrates & Sozomenus ſcribunt, apud *Montem Seleucum* inter Vapincum & Deam Vocontiorum poſitum : qui tamen locus abeſt ab Ebroduno initio Alpium Cottiarum millia paſſuum LIX. aut LXI. Jam Vienna Delphinatûs caput ab Auſonio in epigrammate VII. de Claris urbibus vocatur

Alpinis opulenta Vienna colonis :

Et in Parentalibus

quaque potentes
Ædues, Alpino queque Vienna jugo.

Vetus interpres Perſii ac Iſidorus quum *tucetum bubulam conditam apud Gallos Alpinos* exponunt, *Gallorum Alpinorum* nomine Delphinates noſtros videntur deſignaviſſe. Quin etiam in eadem provincia *Gaura mons* eſt, cujus Itinerarium Burdigalenſe meminit ; & *Matrona Alpium Cottiarum jugum*, in eo Itinerario & apud Ammianum Marcellinum notatum; atque *ſaltus Tricorii* Ammiano memorati. *Ab Segusione ad Brigantionem* Delphinatus opidum *Alpes Cottias promitti* ait Ammianus ; Itinerarium Hieroſolymitanum ſeu Burdigalenſe Ebrodunum uſque, Delphinatus opidum à Brigantione XXXIV. millibus paſſuum diſtans, *ubi incipere Alpes Cottias* obſervat. Ab Ammiano tamen ſtat tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana, in qua reperio *Brigantionem* in Alpe *Cottia* : ut omnino Alpis Cottiæ initium capere à Brigantione oporteat. Præterea *Caturiges*, quorum ſunt Ebrodunum & Caturigæ in Delphinatu, *Gentibus Alpinis* à Plinio adnumerantur ; & in inſcriptione à tropæo Alpium *Medulli* ſive *Meduli*, *Uceni*, *Caturiges*, Delphinatûs populi, quorum Caturigum caput Ebrodunum, urbs Delphinatus, Metropolis eſt provinciæ Alpium Maritimarum, quam *Alpinam Maritimam* Epiſcopi Reiis Honorii A principatu congregati etiam vocavere, Hincmarus *Alpinam*. Deniq Gervaſius Tiſſebetienſis Delphinatum nuncupat *provinciam Subalpinam*, quum ait *Galliam Lugdunenſem habere à meridie partem provinciæ Narbonenſis, quæ Subalpina* nominatur. Quin & Maſſonus in Annalibus Franc. *opidum Alpinæ Gentis Ebrodunum*, & Sagittarium *Vapingi Alpinæ urbis Pontificem* quum vocat ; & Hubertus Velleius qui Gaguini Hiſtoriæ aliqua ſubtexuit, quum *Brianconem Alpinorum opidum* appellat ; âmbo ſatis indicant ſe *Alpinos* atque *Alpinam Gentem* pro Delphinatibus dicere atque habere. Mea igitur mihi conjectura diu multumque ob eas cauſas arriſit, ut *Alpinatum* pro Delphinatu dicendum putarem, præſertim poſtquàm intellexi *Croierium* in Caſtello Pariſienſi Conſiliarium, V. Clariſſimum ac doctiſſimum, pro Delphinatu *Dealpinatum*, pro Delphinatibus *Dealpenates* dici oportere putaviſſe.

Sed poſtea mutavi ſententiam, didicique Guigonem ejus nominis ſeptimum, filium Guigonis Craſſi, *Dalfinum* cognominatum eſſe circa annum MCXXX. ab eoque *Guigone Dalfino Viennenſi* inſequentes *Dalfinos* nuncupatos, &

Comitatum Principatumve eorum *Dalfinatum* dictum, qui antea *Vienna & Albonis Comitatus*, vel *Albonis & Gratianopolis Comitatus* vocabatur. Certè *terra Dalfini Comitis*, & *Comitatus Dalfini Comitis, ad juriſdictionem Imperatoris pertinens* appellatur a R. Duce Narbonis & Comite Toloſæ in litteris ad Illuſtrem Dominum Ludovicum Regem Francorum circa idem tempus datis. *Dalfinus* autem nomen viri proprium apud Bedam & VVillelmum Malmesburienſem reperio, qui *Dalfini Lugduni civitatis* Viennæ proximæ *Epiſcopi*, ante annos mille occiſi mentionem fecere. Malè igitur Bellaforeſtius à regionis caſtro quod vulgò dicitur *Chaſteau-Dauſin*, Delphinatum cognominatum putat: cùm & caſtrum illud & tota provincia à *Dalfinis* ejus dominis nomen acceperit; & regio quidem *Dalfinatus*, caſtrum autem *caſtellum Dalfini* ſit nuncupatum. Sed quia Dalfini nomen ſæpe corruptum eſt, & pro *Dalfino Dalphinus*, ac etiam *Delphinus* a in e mutato ſcriptum non rarò reperitur; ex Delphino *Delphinatum* fecerunt recentiores, & à marino piſce Delphino nomen inveniſſe regionem mediterraneam regioniſque dominos crediderunt, ac utriſque Delphinum piſcem pro inſigni attribuerunt, nominum ſimilitudine decepti. *Dalfinum Alvernia* video à Iohanne Pariſienſi memorari.

Dalfinatus ex IV. provinciis non totis totus eſt compoſitus, nimirum ex Viennenſis provinciæ urbibus Vienna Allobrogum, Valentia Segalaunorum, Dea Vocontiorum, & Gratianopoli ſeu Cularone Allobrogum; ex metropoli Alpium Maritimarum Ebroduno, ex Vapinco civitate provinciæ Aquenſis ſeu Narbonenſis II. & ex provinciæ Arelatenſis civitate Tricaſtina: cujus regionis Domini *Dalfini Viennenſes & Albonis Comites* primùm vocitari ſoliti.

Hæc regio partim Sapaudiæ, partim Provinciæ nomine olim continebatur: quæ paullò antequam ad Reges noſtros tranſiret, ejus dominus *Dalfinus agri Viennenſis*, Princeps Brigantionenſis, Dux Campiſauri, (*Champſor*) Marchio Ceſanenſis, Comes Palatinus Viennæ, Albonis, pagi Gratianopolitani, Ebroduni & agri Vapincenſis, Baro Turris Pinus, Medullionis (*Meüillon*) & Montis Albani dicebatur: quibus titulis Comitatus Valentinus & Deenſis poſtea acceſſere, Ludovico tum Dalfino, Caroli VII. Fr. R. filio majori legati.

Holſtenius ait, in Dalfinatu ſupra Vocontios ad ortum habitare *Meminos* vel *Mimenos*, ubi locus nomen Gentis ſervet, *Mens en Trieves* dictus; & eis vicinos eſſe *Tricorios*, in quorum finibus ſint loca *Corpum*, & *Campus Sori*, & *Digueria*, ex quibus *Corp* vel *Cors* Tricoriorum appellationem ex parte retineat. Addunt alii, Medullorum ſeu Medulorum eſſe *Medullionem* caſtrum vel opidum cum agro ſuo, *Meuillon*; Sicoriorum qui Iconii & Siconii aliis vocantur, eſſe locum *Sigoiers* dictum cum agro ſuo; Veenorum *Oiſans* opidum; Garocelorum *Goncelinum*, IV. à Gratianopoli lapide; Caturigum Caturigas cum Ebroduno: in eadem provincia eſſe Caſſenaticum, *Saſſenage*; Veriacum aut Viriacum, *Virieu*; Clariacum *Cleriea*; Altam Ripam *Hauterive*; Montemferratum, *le Chaſteau de Montferra*; Podiumcraſſum vel *groſſum*, *Puigros* corruptè pro *Puy gros*; Montem Canoſum vel Canutum *Montchenu*, Antonem *Anton*; Caſtrum S. Georgii de Vandanis, *S. Ioirt*; Caſtrum Crepulum *Crepol*; Caſtellum S. Eulaterii *S. Latier*; caſtrum Veteriſvillæ *Virevilla*; Vrſolis *Roſſillon* Comitatum, *Roſſilionem* in veteribus litteris dictum.

DAMFRONS.

Damfrontem caſtellum vocat Ordericus in libro VIII. Hiſtoriæ, *Danfrontem* in libro XIII. poſitum in Cenomanis ad amniculum Varennam in Meduanam effluentem: vulgò *Domfront*, vel *Danfront en Paſſau*. *Damfrons in Paſſaio* à quibuſdam cognominatur: *caſtrum Danfrontis* in veteribus tabulis, ibidem *Donnifront*, & *fluvius Varenna, qui diſcurrit ad radicem Donnifrontenſis caſtri*: *Domnifrons* in aliis litteris meliùs, & *caſtrum Domnifrontis in Paſſeio*; *Domnofrons* Rigordo. Verum ergo & incorruptum caſtelli nomen, *Dominifrons*, vel *Domnifrons*, aut *Donnifrons*. Nemo enim neſcit, ex Domino Domnum & Donnum factum eſſe, atque apud Latinos ſcriptores linguâ degenerante invaluiſſe. Sed quoniam dominum vulgus apud nos *Dam* aut *Dan* appellabat: Latini ſcriptores ex vulgari ac patria appellatione *Damfrontem*, & *Danefrontem* ſeu *Danfrontem* fecerunt: quod quibuſdam perſuaſit, Danifrontem vel Danorum frontem, hoc eſt Normannorum limitem nuncupatum primò fuiſſe, atque eo nomine appellari oportere. Ita autem dictum eſſe mihi videtur hoc caſtrum, quòd eſſet in confinio Normanniæ & Cenomaniæ conditum à Comitibus Cenomanorum, & *Domino Regi* Anglorum ac *Duci Normannorum* oppoſitum in limite, atque frontis adverſæ inſtar objectum.

DANGUTUM.

Dangutum in Veliocaſſibus caſtrum olim clarum fuit prope Giſortium ad Ittæ fluminis ripas poſitum, quod Noſtri hodieque *Dangu* appellitant. VVillelmus Britto in libro V. ejus meminit, de Philippo Auguſto loquens.

Dangutum multis legionibus obſidet.

DANUM PORTUS.

Rigordus ejus in Flandria loci mentionem fecit. *Anno* MCCXIII. *Claſsis quam Gravaringis dimiſerat, ſecuta eſt eum per mare in portum famoſiſſimum qui dicitur Dam, diſtantem à Brugiis duobus milliaribus tantum.* Ibidem *portum miræ amplitudinis* fuiſſe ait, & *portum ac villam* bis vocat. VVillelmus Britto nunc *vicum & portum Dan*, nunc *Danum* appellat in libro IX. Philippidos.

Portum læta ſubit à damno nomen habentem:
Qui tam latus erat tantæque quietis, ut omnes
In ſe ſufficiat noſtras concludere naves.
Quò valdè ſpecioſus erat Dan nomine uicus,

Leni-

Leniſluis jucundus aquis, atque ubere glæbæ,
Proximitate maris, portuque ſituque ſuperbus.

Et infra.

Nuntius ecce ferens à Dano ſcripta, citato
Caſtra ſubit greſſu.

Item

Spe citiùs Danum pervenit luce ſecunda.

Idem in libro II.

Dan quoque villa nocens, Dan verè nomine, Dan re,
Dan olim noſtris damnoſa futura carinis.

Nunc locus ille *Dam* dicitur, quo nomine & Noſtri damnum deſignant.

DAURATUM.

In tabulario Eccleſiæ Pictavenſis legi litteras datas anno MCXC. in quibus *caſtrum & burgus Daurati* in Marchia Lemovicenſi memoratur. Hoc caſtrum nunc *le Dorat* vocatur, eſtque non procul à fluvio Vartimpa, *Gartempe*: quod olim *Deauratum* dictum eſſe puto, deinde ſublatâ unâ litterâ *Dauratum*. In Vita S. Bernardi *Duratum* vocatur, diciturque *Ramnulfus Duratenſis Abbas* (aliàs *Doratenſis*, à Girardo Lemovicenſi Epiſcopo & Legato Petri Leonis in Lemovicenſem Cathedram intruſus eſſe, ac lapſu equi miſerè periiſſe.

DEA VOCONTIORUM.

Profert inſcriptionem lapidis Arelatenſis Sirmundus in ſuis ad Sidonium adnotationibus, in quo *colonia Dea Auguſta Vocontiorum* appellatur, urbs vetus, ac nihilo magis priſcis Geographis quod miror nota. Itinerarium Burdigalenſe *Deam Vocontiorum* vocat, ponitque inter manſiones *Auguſtam* & *Lucum*, quem Lucum *Vocontiorum* alterum *caput* eſſe ait Plinius; *municipium Vocontiorum* Tacitus in libro Hiſt. I. Tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana eam ſimiliter inter Auguſtam & Lucum collocat, & u in b mutato *Ad Deam Bocontiorum* nuncupat, id eſt ad templum Deæ Vocontiorum. *Valentiâ*, *Auguſtam*, *Ad Deam Bocontiorum*, *Luco*. Æthico dicitur quoque *Dea Bocontiorum* in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam; eſtque inter Lucum & Auguſtam ſic. *Luco* M. P. XXVI. *Dea Bocontiorum* XII. *Auguſta* XXII. *Valentia* XXII. Apud Stephanum de Urbibus Δία πόλις Ἰταλίας περὶ τὰς Ἄλπεις: ubi legendum exiſtimo Γαλλίας pro Ἰταλίας, & hancce *Deam urbem Galliæ ad Alpes*, Deam eſſe Vocontiorum arbitror. Sic eidem *Nemauſus urbs Italiæ* pro *Galliæ* dicitur; *Deciatum* Δεκίητον *urbs Italiæ* pro *Galliæ*.

Ut Lucus Auguſti municipium fuit in Vocontiis Auguſto dicatum: ſic in ejuſdem Gentis finibus Dea Vocontiorum vel Ad Deam Vocontiorum urbs fuiſſe mihi videtur, Liviæ ſeu Juliæ, ejus uxori, in Divas relatæ conſecrata. Nam ut ille *Divus Cæſar Auguſtus*; ſic hæc *Diva Iulia Auguſta*, necnon *Livia Auguſta Dea* dicta. Veteris nummi ab Occone, Goltzio, Nonioque ac Triſtano refertus inſcriptio, quæ talis eſt. Θεὸν Καίσαρα Σεβαστὸν, Θεὰν Ἰουλίαν Σεβαστήν: & in priſco marmore apud Galtherum legimus, *Livia Aug. Dea municipium*. Falſò Maſſonus *Deam* noſtram *Deæ Fortunæ oppidum* appellat.

Ea urbs in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. quinto loco ponitur, vocaturque *civitas Deenſium* nomine incorrupto, aliàs *civitas Dienſium* vel *Deinſium*, aliàs *civitas Detenſium* & *Dicienſium* corruptè pro *Deenſium* & *Dienſium*. In quadam Notitia ex una eademque civitatem duæ fiunt, quarum altera quinto loco ponitur in provincia Viennenſi, & vocatur *civitas Dienſium*; altera decimo, & vocatur civitas *Decenſium*: quod miror ab Andrea Cheſnio ejus Notitiæ editore animadverſum non eſſe. Roberto & Viennenſis provinciæ quinta *civitas Dia* eſt; Gervaſio Tilleberienſi & recentioribus Notitiis quarta.

In libri IV. Gregorii capite XXXIX. Zaban unus è III. Langobardorum Ducibus *per Dienſem* (aliàs *Deinſem*) *deſcendens urbem, uſque Valentiam venit*. In vetuſtiſſimorum Gregorii codicum altero legitur, *per Verdunenſem deſcendens urbem*; in altero *Verdunenſim*. Quæ ſi ſcriptura ſincera eſt, hujus urbis duo fuiſſe nomina putandum, Latinum *Deam* Vocontiorum, Gallicum *Verdunum*.

Poſita eſt ad Drunam flumen Auſonio celebratum, vulgò dictum *la Drome*, quod Rhodanum auget: & à Noſtris *Die* appellatur; Ager Deenſis, *le Diois*.

Valentinam Deenſemque Diœceſes, tametſi ſeparatas neque confuſas, diu unus Epiſcopus rexit.

Vocontiorum civitatis Fœderatæ duo capita Vaſio & Lucus Auguſti: uti ait Plinius in Narbonēſi Provincia, cujus inter urbes opulentiſſimas Vaſio Vocontiorum à priſcis omnibus Geographis memoratur ac primas tenet. Deam autem Vocontiorum veteres Geographi ignoraverunt: quam tamen antiquæ Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ Vaſioni præponunt. Nam *civitatem Deenſium* in provincia Viennenſi v. loco ponunt; *civitatem Vaſenſium* octavo: ſive quòd pridem degeneraverat Vaſio, & in ejus locum Dea ſucceſſerat, caputque Gentis præcipuum erat; ſive quòd Dea Vocontiorū Romana colonia olim fuerat, Vaſio non item, quod quidem conſtet: Si tamen Principatu Honorii Aug. & poſtea etiam, quo tempore Notitiæ iſtæ Galliarum ſunt compoſitæ, Coloniarum Romanarum aliqua adhuc ratio habebatur.

Fuit Marcellus *Deenſis urbis Epiſcopus magna ſanctitatis*, uti ait Gregorius. Epaonenſi Concilio ſubſcripſit *Sæcularius* vel Sæculatius *Epiſcopus civitatis Deenſis*: Aurelianenſi v. & Pariſienſi II. ac IV. *Lucretius Epiſcopus Eccleſiæ Deenſis*. Decretis Concilii Matiſconenſis II. interfuit miſſus vel vicem gerens *Pauli Epiſcopi à Dea*.

DECECIA.

Dececia aut *Deceтia* opidum eſt in inſula fluminis Ligeris poſitum, vulgò *Deziſe*, aut potiùs *Deſize*. Ejus meminit Æthicus in Itinerario, in itinere ab Auguſtoduno Luteciam Pariſiorū, & eam inter Aliſincum ac Nivernum mediam ponit his verbis. *Aliſincum* M. P. XXII. *Dececia* M. P. XXIIII. *Nivernum* M. P. XVI. in tabula Peutingeri *Degena* pro Dececia, & *Ebirno*

pro Nevirno vel Nivèrno ſcribitur. Innocentius Papa III. in epiſtolis *Diceſiam* eam nuncupat: quidam *Deciſam* vocant. Diſtat ab urbe Niverno leugis VII. & S. Aregii (*S. Are*) Nivernenſis Epiſcopi corpus ſervat in Eccleſiola, quam Euphraſius & Auxilius eremitæ condidere. Sita eſt Dececia in inſula fluminis Ligeris, in inſulâ inquam ſaxeâ ac velut ſcrupeâ & in rupem elatâ, cùm inſulæ amnicæ totæ plerumque ſint planæ. Guido Coquillius opere humano abciſam & continenti ablatam, inſulamque factam ait in libro III. Hiſtoriæ Nivernenſis, & inde *Deciſam* eſſe dictam. Sed utrumque falſum eſt. Nam & ſemper qualis eſt nunc, fuit, & *Decetia* olim appellata eſt, ac poſtea corrupto ab indoctis & mutato in nomen Latinum Gallico nomine veteri *Deciſa*, aut *Deciſia*: quæ nominis priſci corruptio huic fabellæ locum haud dubiè dedit.

DECEM PAGI.

Duodecim circiter millia paſſuum à civitate Mediomatricorum abeſt opidum vetus, quod *Decem Pagos* dixere, quoniam decem pagi vel vici in unum conjuncti erant. Vulgò *Dieuze* appellamus: Germanicæ linguæ populi *Duoſe i · Lorringen* nomine *ad Duodecimum* magis referente vocant. Hujus loci meminit tabulâ Theodoſiana; *Divodurs Mediomatricorum*, *Cavanuſcs. Riccsaco*, *Addnodecimũ*, *ad Decem Pagos*, *Ponte Saravi*, *Tabernis*, *Argentorato*: meminit & Itinerarium quod Æthici nuncupatur, ac inter Tabernas & Divodurum Decempagos ponit, à Tabernis XX. à Divoduro totidem millibus paſſuum diſtantes. Paullus Langobardus in libro de Epiſcopis Mettenſibus tradit, Hunnos ductu Regis Attilæ cùm perveniſſent ad *opidum* nomine *Decem Pagos*, ibi quodam miraculo mitiores eſſe factos, & Auctorem Mediomatricorum Epiſcopum captivoſque omnes Mettenſes ſolviſſe.

DENEGONTIVM.

Denegontium, vulgò *port de Digoins*, aut *Digoine*, Baronatûs titulo inſigne, eſt in pago Quadrigellenſi, ad Arotii (*Aron*) Auguſtodunenſis fluvii & Ligeris confluentes. Denegontii, quod truncato nomine *Degontum* & *Digoniam* plerique appellant, meminit auctor Appendicis Chronici Fredegarii pervetus, apud quem hæc legimus. *Rex Pippinus iterum ad Denegontium cum magno exercitu Francorum ad Ligerim veniens, inde per pagum Auguſtudunenſem ad propriam ſedem remeavit.*

DEONANTVM.

Deonanti ante annos octingentos mentionem fecit Diviſio Regni Lotharii, Capitulis Caroli Calvi Francorum Regis & Chronico S. Bertini inſerta hiſce verbis. *Calmontis*; *S. Mariæ in Deonant*; *Echa*. *Deonantum* opidum eſt ad dextram Moſam, Monulfi Tungrorum Epiſcopi donatione ad Leodicenſem Eccleſiam pertinens, *Dinant* vulgò dictum, oppoſitum & contrarium caſtello Bovinæ, (*Bovingne*) ſiniſtræ ripæ fluminis adſidenti.

A *Deonanto* nomen accepiſſe videntur circumcelliones quidam potiuſquàm Religioſi, qui capite operto, barbâ tortâ, nigro birro talari tecti, ac nudipedes incedebant, & à Noſtris *Deonandi* vulgò vocitabantur, quòd ex opido Deonanto & finitimis Tungrorum vel Leodicenſium locis venire ſolerent in Franciam. Guibertus Abbas Novigenti in libro II. de Vita ſua, de his ita retulit ante annos DL. *Duo dæmones inſtar Religioſorum illorum quos Deonandos vulgò appellant, ſcamno quod ejus ſubſidebat lectulo inſederunt. Erat autem alter qui præſidebat*, capite retecto, barbâ non promiſſâ, ſed tortulâ rutus, ut ſolent hujuſmodi *circumcelliones*, *nudipes incedens*: *alter birro talari & nigro*, *capite adoperto*. Hos ibidem *laicas & ignotas perſonas*, *exterum genus hominum*, *& incognitam Gentem* Guibertus appellat. Hinc Dæmones qui ſæpe Deonantorum ſpeciem induebant, etiam *Deonantos* Noſtri à ſimilitudine circumcellionum ac gyrovagorum iſtorum nuncupavere, ac ſic hodieque nuncupant vulgò *Diantres*.

DERVENSIS SALTVS ET DERVENSE MONASTERIVM.

Saltus Dervenſis vaſta ſolitudo in Vita S. Bercharii Abbatis memoratur, qui aliàs *Dervus* dicitur, *Der*: qua in ſilva exciſa & culta Dervum Monaſterium eſt ſtructum. Eſt autem cella Dervus, vel Monaſterium Dervenſe (*Monſtier en Der*) in Diœceſi Catalaunica & pago Pertenſi non longè ab amne Vigera, *la Voire*. Ab quibuſdam duobus in unum junctis nominibus corruptè nuncupatur *Montirendel*: & hic error invenitur in tabulis Campaniæ Gallicæ pleriſque. Aiunt Monaſterii Dervenſis à Berchario conditi poſſeſſiones ab Rege Childerico immunitate eſſe donatas.

In libro de Miraculis S. Bercharii Criſpiacus villa (*Creſpi*) dicitur *ſita in confinio caſtri Breonenſis* (*Brienne*) *& ſilva Dervenſis*. In litteris Imper. Ludovici Pii datis anno Imperii ejus XIX. *Haudo* vocatur *Abbas Monaſterii*, *cujus vocabulum eſt Dera*, *quod conſtat eſſe conſtructum in pago Pertenſe ſuper fluvium Ivera*, *quod olim vocabatur Puteolus*. Fluvius *Ivera* vel *Viera* heic eſt Vigera, *la Voire*.

S. DESIDERII OPIDUM.

S. Deſiderii opidum, *Saint Diſier*, nomen accepit à Deſiderio Lingonum Epiſcopo, quem cum Vincentio Archidiacono multiſque opidanorum à Vandalis principatu Honorii Aug. Galliam depopulantibus jugulatum eſſe, Uſuardus in Martyrologio, Sigebertus in Chronico aliique memoriæ tradidere. Ibi Matrona ponte jungitur.

DICASMVTA.

Litteræ anno MCXIX. datæ *Dicaſmutam* memorant, locum in Flandria, nunc *Dixmude* dictum.

DINANNUM.

Vetera monumenta Dinanni mentionem faciunt, nec unquam aliter quam *Dinannum* appellant; in primis Hamelini Redonum Epiſcopi litteræ, in quibus hæc reperio. *Cumque die conſtituto ventum eſſet in campum, & factis iuramentis, pugiles hinc & inde fortiter dimicarent in prato Epiſcopi iuxta fluvium Iſolam, præſentibus nobis, & Comite Conano, & Roberto Vitreienſi, (de Vitré) Oliverio de Dinanno, & Hamone de Guirchia, (de la Guerche) & aliis proceribus multis, tractatum eſt de concordia.* Legi Polyptychon plerorumq; Franciæ Monaſteriorum, in quo *Prioratus S. Maclovii de Dinanno, in diœceſi Macloviensi* collocatur. *Dinanum* recentiores ſublatâ unâ litterulâ vocitant: qui locus in Britannia minori à III. ſedibus Epiſcopalibus, Maclovienſi vel Aletenſi, cui attribuitur, Dolenſi, ac Redonenſi non multum abeſt. Ager Dinannenſis vocatur *le Dinannois*.

DINIA BODIONTIORUM VEL SENTIORUM.

Primus ejus urbis meminit Plinius in libri III. capite IV. Luteciæ editus anno MDXVI. *Adiecit Formula* (id eſt Narbonenſi provinciæ) *Galba Imperator ex Inalpinis Avanticos atque Bodionticos, quorum opidum Dina.* In recentioribus Plinii editionibus non *Bodionticos*, ſed *Ebroduntios*, & pro *Dina Dinia* reperio. *Bleduntios* vel *Bledontios* mavult legi Gaſſendus à *Bleduna* vel *Bledona* fluvio, vulgò *Bleone*, qui Diniam alluit ac in Druentiam delabitur: cujus ſententiæ vel potiùs levi conjecturæ, nulla cujuſquam veteris ſcriptoris aut codicis auctoritate nixæ, accedere non poſſum, præſertim cùm fluvium hunc in actis anni MCCXXCII. *Blethonam* vocatum inveniam, & à Bletona *Bletonii* vel Bletonenſes dici poſſint, *Bledontii* non poſſint. Et Avantici quidem apud Plinium qui ſint nemo ſcit, cùm à nemine alio quàm à Plinio memorentur. Nam ab Avantione (*Avançon*) opidulo Dalfinatûs Caturigis proximo, & Caturigibus utique eam ob cauſam attribuendo, *Avantici* iſti nequaquam nomen accepere, nec a Vantio fluviolo, qui ſupra Bletonam in Druentiam effluit. At *Bodiontici* iidem ſunt omnino, qui in capite XIX. libri III. Plinii de Gentibus Alpinis, in inſcriptione è tropæo Alpium *Brondiontii* vel *Bodiontii* nuncupantur his verbis. *Nantuates, Seduni, Veragri, Salaſſi, Acitavones, Medulli, Vceni, Caturiges, Brigiani, Sontiontii, Brondiontii*, aliàs *Bodiontii*, alias etiam, ſed malè *Ebroduntii*. *Bodiontici* vel *Bodiontii*, qui corruptè *Brondiontii*, & corruptiùs *Ebroduntii* in quibuſdam libris editis appellantur, Diniam urbem primariam & caput Gentis habuerunt: quorum Bodiontiorum nomen videtur ſervare vicus *Baions*, ſeu *Bodiontium*, à Dinia V. leugis Provincialibus diſtans. Claudius Ptolemæus à Plinio diſſentit. Quippe apud eum in Gallia Narbonenſi *Vocontiis & Mimenis magis ortivi ſunt Sentii*, Σέντιοι, *quorum urbs mediterranea Dinia*, Δίνια. *Sentii* iſti Ptolemæi, alii quàm *Sontiontii*, in recentioribus editionibus *Sogiontii*, *Bodiontii* proximi apud Plinium eſſe non videntur. Cùm igitur Bodiontii vel Bodiontici, & Sontiontii vel Sentii populi confines alteri alteris fuerint, Diniam utrique pro capite habere potuerunt, uti non raró accidit: atque ita fiet, ut Ptolemæus cum Plinio non pugnet. Eſt urbs inter Ebrodunum & Diniam medio itinere, Bodiontio proxima, *Seine* vulgò dicta; cui propinqui montes Dalfinatum ab Inalpina regione dividunt: ſed ea Sentiis nomen dare non potuit, ut credidit Gaſſendus, cùm Latinè non *Sentia*, ſed *Sedena* nuncupetur, & ſit in Ebrodunenſi Diœceſi, non in Dinienſi; ſit Caturigum, non Sentiorum. Qui apud Plinium pro Bodionticis *Ebroduntios* legi, & pro Ebrodunenſibus accipi volunt, Diniam magno errore attribuunt Caturigibus imprudentes, quorum Caturigum caput eſſe Ebrodunum Ptolemæus docet.

In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nunc *civitas Dinienſium* vocatur, & inter VIII. provinciæ Alpium Maritimarum civitates II. loco ponitur: nunc *civitas Dinienſium Dinia* nuncupatur; in quibuſdam *civitas Dinienſium, id eſt Dina*; in aliis mendoſè *civitas Dienenſium, id eſt Dina*; in Chronico Roberti etiam *civitas Dina* Alpium Maritimarum tertia. Ex quo apparet promiſcuè *Dinam* & *Diniam* olim dictam eſſe, nec pro *Dina* apud Plinium legendum eſſe *Dinia*, ut Critici contendunt, cùm plurimi veteres Plinii unius exemplo *Dinam* quàm cum Ptolemæo *Diniam* appellare maluerint. Recentiores, in his Gervaſius Tiſleberienſis, *Digniam* nuncupant; Notitiæ ante CCCC. aut CCC. annos compoſitæ *Dignam*: & ſub Ebrodunenſi metropoli primum Coepiſcopum *Dignienſem* aut *Dignenſem* collocant.

Concilio Agathenſi Meſſalla V. C. Conſule habito ſubſcripſit *Pentadius Epiſcopus de Dinia*; Concilio Aurelianenſi V. *Hilarius Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis*, ac Concilio Arelatenſi V. *Heraclius E. E. Dinienſis* Synodis Pariſienſi IV. & Matiſconenſi I. ac II. interfuit, regnante Guntchramno nepote Clodovei Magni.

Fuit Dinia, quam *Digne* vocitant, ſi non ſemper, ſaltem ante annos DCCC. in *Civitatem & Burgum* diviſa. *Burgum* nominant alteram ferè urbem. *Civitas* ſita eſt ad radicem montis, tres portas habet, ac tria ſuburbia, mœnia quadratis ornata turribus. *Burgus* ſitus in convalle, quam Mardaricus fluviolus præterlabitur, non procul à Civitate Bledonam aucturus, vix ducentis paſſibus fuit Civitate minor, uti indicant mœnia ejus ſemiruta ac ferè ſolo æquata, quæ ambitu collegere paſſus circiter DC. Muros igitur ſuos ſicut Civitas, portas etiam tres Burgus habuit, portam ſuperiorem, portam inferiorem, & portam Laurentiam. Porta ſuperior Sedenam, Ebrodunum, ac in Subalpinam regionem ducit hodieque. Portæ Laurentiæ proximum erat ſacellum S. Iohannis Chryſoſtomi. *Eccleſiam S. Mariæ Dignenſis in Burgo conſiſtere* ait Alexander PP. III. ſuis in litteris. Et nunc quoque in Burgo eſt major Eccleſia, titulo B. Mariæ Virginis, non ut ait Maſſonus Domnini Epi-

ſcopi inſignis, ac circum eam cœmeterium. Duæ vetuſtiſſimæ nundinæ quotannis celebrari ſolebant in Burgo, quas Rex Renatus anno MCCCCXXXVII. è Burgo in Civitatem tranſtulit. Anno MCCXCVII. tribus Burgenſibus data eſt facultas Conſulum eligendorum. Ut Bledonæ ad Civitatem pons ligneus impoſitus, paſſus CCCXXX. longus; ſic Mardarico amni ad Burgum. Burgo Dinienſi cum majore Eccleſia à Calvinianis quater direpto, in primis anno MDLXII. & MDXCI. Canonici cum Reliquiarum ſuarum ac ornamentorum reliquiis ex Burgo in Civitatem, ex Eccleſia S. Mariæ in Eccleſiam S. Hieronymi commigraverunt anno MDXCI. Eccleſiæ S. Mariæ in Burgo nihilominùs jure ſuo ſervato, ut pro majore Eccleſia vel pro Cathedra Epiſcopi hodieque habeatur. Ante annos centum Burgenſibus in Civitatem migrantibus, Burgus deſertus nunc vix tres vicos reliquos habet. Hæc de Dinia Gaſſendus ſcripſit, quæ apertè indicant *Burgum veterem Diniam*, ſive urbem ſūt civitatem Diniam olim fuiſſe, cùm ſua mœnia, ſuas ſibi pridem portas, ſuas ſibi nundinas, ſuas ſibi molas aquarias ad Mardaricum duas haberet, ipſam denique majorem Eccleſiam ſedemque Epiſcopi contineret: quales Eccleſiæ poſt Conſtantini Maximi Principatum non in Burgis, ſed intra muros civitatum exſtrui conſueverant: miror que Gaſſendum cùm de Dinia ſcriberet, id non animadvertiſſe.

Alexander PP. III. in litteris datis anno MCXXC. inter poſſeſſiones Eccleſiæ Dinienſis numerat *Oſidam*, (*Oiſe*) *Aglenium* vel *Agledunum*, vulgò *Aiglun* dictum, *caſtrum Dromonem*, *caſtrum Beliocum* vel *Bellum jocum*, *Gavedam*, aliàs *Gaucam*, (*la Jave*) & *vicum Gandulos* (*Chaudoul.*)

Ad urbem Diniam IV. ſunt Monaſteria virorum, duo puellarum: quam urbem peſtilentia anno MDCXXIX. adeo exhauſit, ut ex incolarum millibus X. vix mille & quingenti ſuperfuerint.

Continet Epiſcopatus Dinienſis Eccleſias quas vulgò *Curas* vocitant, non ampliùs XXVII. Cellas ſive Prioratus XII. adeò anguſti ſunt ejus Diœceſeos fines, hinc Glannateva & Sanitio, inde Seguſterone & Ebroduno premen- tibus.

DIVA FLUVIUS ET LOCUS.

Divam fluvium memorat in Neuſtria Ordericus Vitalis in libro V. Hiſtoriæ, & VVillelmus Gemeticenſis in libri IV. capite VII. his verbis. *Corbonis ſalina litora appulit, quà rapido meatu ſe procelloſo mari Diva infundit.* In Geſtis Guillelmi Ducis Nortmannorum & Regis Anglorum *portus Diva* & *oſtium Divæ* memorantur; in litteris ejus *Pons Divæ*, & *Calvus mons ſuper Divam.* Hic fluvius vulgò vocatur *Dive*, & Lexovios à Baiocaſſibus dividit, alluitque Cambovium *Chamboy*, & Thronum *Trun*, *Burgum Divæ*, ſeu *S. Petrum ad Divam*, (*S. Pierre ſur Dive*) municipium S. Barbaræ, *Sainte Barbe en Auge*, Pontem Divæ, & habet ad oſtium locum nominis ſui, Monaſterio veteri illuſtrem, in Algia, *S. Servatoris ad Divam*, vulgò *S. Sauveur de Dive* dictum, portum exiguum ad mare.

Non dubito autem, quin Deva olim dictus ſit fluvius ille cum loco cognomine: cùm Devas veteres urbes videam in inſula Britannia coloniis Gallicis plena. Præterea eſt in Vardulia regione Tarraconenſis Hiſpaniæ flumen *Deva*, Melæ & Ptolemæo notum: quod Tritium Toboricum id eſt Nageram attingit, & non procul à Deva ſui nominis opido in eumdem quem Diva noſtræ Nortmanniæ Oceanum effluit. Eſt & Diva fluvius, *Dive* aut *la Dive*, qui in Toedum effluit in confinio Pictonum & Andicavorum, poſtquàm Moncontorium alluit.

DIVIO LINGONUM CASTRUM.

In marmore Romano noſtra ætate effoſſo memorantur fabri ferrarii DIBIONE CONSISTENTES. Divio *Dijon*, caſtrum fuit in finibus Lingonum ad Oſcaram flumen, ab Imper. Aureliano non exædificatum, ſed novis mœnibus cinctum. Gregorius noſter in libri Hiſtoriæ III. capite XIX. deſcribit ſitum *loci Divionenſis* his verbis, auctoritate duorum vetuſtiſſ. codicum emendatis; & Aimoinus in libri II. capite XXIV. *Eſt autem caſtrum firmiſſimis muris, in media planitie & ſatis jocunda compoſitum. Terra valde fertilis atque fecunda, itaut arvis ſemel ſciſſis vomere ſemina jactantur, & magna fructuum opulentia ſubſequatur. A meridie habet Oſcaram fluvium piſcibus valde prædivitem. Ab aquilone verò alius fluviolus venit, qui per portam ingrediens, ac ſub pontem decurrens, per aliam rurſus portam egreditur, totum munitionis locum placidâ undâ circumfluens: ante portam autem molinas mira velocitate divertit. Quatuor portæ à IV. plagis mundi ſunt poſitæ: totumque ædificium triginta tres turres exornant. Murus verò illius de quadris lapidibus uſque in XX. pedes, deſuper à minuto lapide ædificatus habetur: habens in altum pedes XXX. in latum pedes XV. Quæ cur non civitas dicta ſit ignoro. Habet enim in circuitu pretioſos fontes. A parte autem Occidentis montes ſunt uberrimi vineiſque repleti, qui tam nobile incolis Falernum porrigunt, ut reſpuant Cabillonum. Nam veteres ferunt ab Aureliano hoc Imperatore fuiſſe ædificatum.* Hæc Gregorius ex Paſſione MS. S. Benigni Mart. accepit, in qua hæc reperio. *Benignus ad locum cui Divion vocabulum eſt, Spiritu ſancto plenus acceſſit, ubi tunc caſtrum ejuſdem nominis præcepto Imperatoris Aureliani ſummo ſtudio ingentique manu conſtruebatur.* Et infrà. *Interea Aurelianus Imperator pervenit tandem ad prædictum caſtrum Divionem: quod ingreſſus, cùm videret novi opidi operoſa mœnia ſurgere, & ingenti curâ turrium munimina præparari, lætus admodum ſibi placere dixit operis elegantiam, juſſitque ilico ut ædificarent templa Jovi, Saturno, & Mercurio.* In Paſſione S. Symphoriani Mart. quam & ſcriptam in veteri codice legi, hæc invenio. *Eo quòd Divionem caſtrum quod ipſe conſtrui juſſerat, expeteret,* (Aurelianus Imper.) *ad Auguſtodunenſem dirigit urbem Heraclium quemdam profani ſpiritus Conſularem.* Ex quibus colligo, Divionem ab Aureliano auctum potiùs ornatumque templis, & novis

muris munitum, quàm à fundamentis extructum extitiſſe, & qualis Aureliani juſſu à militibus Romanis reparatus fuerat, talem ætate Gregorii noſtri poſt annos ccc. & ampliùs fuiſſe, muroſque ejus turritos cum portis, ſicut à Gregorio deſcribuntur, etiam tum duraviſſe. Idem Gregorius in libris Hiſtoriæ Franc. paſſim *caſtrum Divionenſe* nuncupat, item *caſtrum cui Divione nomen eſt ſuper Oſcaram fluvium*; Geſta Francorum *Divionem caſtrum ſuper Oſcaram fluvium*, aliàs *Heſcaram*. Fredegarius in libro IV. Chronici *caſtrum Divionenſe*, in V. & ultimo *Divionem* vocat, & Eccleſiam S. Benigni *in ſuburbano Divionenſi*. Regino *caſtrum Divionem*. Hæc fuit ſedes Ducum Burgundiæ, qui ob id *Duces Divionenſes* ſæpe ſunt dicti. Ob id Hugo Pictavinus in Chronico Viceliacenſi Divionem *Palatium Ducis Burgundiæ* appellavit. Ab eo *pagus Comitatuſque Divionenſis* nomen habuit, memoratus à Carolo Rege Francorum in Capitulis apud Silvacum anno D. DCCCLIII. editis; & inter pagum Matiſconenſem Cabillonenſemque poſitus, vulgò *le Dijonnois*.

A fontibus iſtis pretioſis, quos circa ſe habebat, Divio nomen accepit. *Div* enim Gallis fontem fuiſſe indicant nomina Gallica urbium fontes habentium, Divodurum, Divio, & Divona Cadurcorum caput, ac Divona fons Burdigalenſis, de quo Auſonius.

Divona Celtarum linguâ fons addite Divis.

Id eſt, Divona Gallicâ linguâ fons divinus, fons ſacer. *Ona* quippe Celticè Dea dicebatur: & Eponam equorum Deam Galli veteres nuncuparunt, & Eporedoricas bonos equorum domitores, uti ait Plinius in libri III. capite XVI. *Ep* ergo Gallis equus, *Ona* Dea. Certè eſt Divione fons, qui oppidum irrigat, & in Oſcaram defluit, v. fons Ranarum dictus, *la fontaine des Raines*.

Oſcara qui Divionem alluit, *Ouſche* vulgò dictus accolis, nomen dedit *pago Oſcarenſi*, vel *Comitatui Uſcarenſi*, in priſcis monumentis ſæpe memorato, & augetur *Suſione* rivo vel amniculo, *Suſon*, de quo veteres tabulæ.

DIVODURUM MEDIOMATRICORUM.

Tacitus in libro I. Hiſtoriarum *Divodurum Mediomatricorum oppidum* memorat. Ptolemæo in Gallia Belgica Mediomatrices, quorum urbs Divodurum, Μεδιοματρικῶν πόλις Διουόδουρον: in tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana *Divodurum Mediomatricorum*. Æthicus mſ. in Itinerario provinciarum nunc *Divodurum*, nunc *Divodorum* vocat, & inter Decem pagos & Treveros illud ponit, nec non inter Treviros & Pontem-Saravi; ab Iblioduro VIII. millibus paſſuum, à Scarponna XII. diſtans. Hieronymus Surita *Divodoro* in priſcis codicibus ſcriptum eſſe obſervat. Divodurum autem dictum videtur à Gallis, quaſi aqua fontis. Durum enim vel Dur linguâ Gallicâ aquam ſignificaſſe in Autiſſioduro docuimus, & Divonam Cadurcorum caput, Divionem quoque caſtrum in Lingonibus conſtat à fontibus nomen inveniſſe: ut omittam Divonam, fontem ſacrum Burdigalæ, Auſonii carmine celebratum. Aliis Divodurum Belgicâ linguâ dictum quaſi divina aqua, vel ſacrum oſtium. Poſitum eſt enim ad os fluminis Saliæ. Os autem vel oſtium *Durum* etiam olim Gallis dici conſueviſſe; in Autiſſioduro obſervavimus. Divodurum certè Dei aquam Blondellus interpretatur, & *Div* Deum, *Dur* aquam Celtis fuiſſe ait. Hæc *Divina aqua* Salia erat, Mettenſis fluvius, ſale & ſalinis ſuis celeber, ſic olim à Gallis nuncupatus, quòd ſalinas & aquas ſalſas inter ſumma Deorum beneficia olim Galli Germanique numerabant.

Hæc urbs poſtea more multarum Galliæ urbium, Gentis cujus caput erat appellationem ſuſcepit, ac dici cœpit *Mediomatrici*, ut Augusta Trevirorum Treviri, Lutecia Pariſiorum Pariſii, Durocortorum Remorum Remi. Sic certè Ammianus in libris XV. & XVII. *Mediomatricos* nuncupat in Belgica I. Treviriſque metropoli ſuæ præponit, ut Ambianos & Catelaunos Remis Belgicæ II. Cabillonum Senonis & Biturigis. Notitiæ *civitatem Mediomatricorum* appellant, ac nonnumquam *civitatem Mediomatricûm* per contractionem, vel *civitatem Mediomatricum* à nominativo plurali *Mediomatrices*, quo Cæſar ſemel ac Ptolemæus præter ceteros uſi ſunt. Quod cùm non animadverterent quidam, ex genitivo plurali nominativum ſingularem neutri generis fecere, uti ſæpe aliàs accidit, & *Mediomatricum* hanc urbem vocavere; quos recentiſſimi ſcriptores ſequuntur. Eo in numero fuit auctor libri de Vita Ludovici Pii Aug. qui ante DCCCXX. annos floruit: cujus hæc ſunt verba. *Mediomatricum quæ altero nomine Metis vocatur, pervenit.* Fuere & Aimoinus ac Hugo Floriacenſes Monachi in Hiſtoria, quibus inter *urbes Belgicæ provinciæ inclytas* quarta Mettis, *quæ & Mediomatricum*.

Tertium hoc eſt urbis Mediomatricorum capitis nomen, ante annum Chriſti CCCC. natum. Nam in Notitia provinciarum & civitatum Galliæ, Honorii Auguſti Principatu condita, & in altera quadam recentiore, in provincia Belgica prima *civitas Mediomatricorum Mettis* ponitur ſecundo loco: in aliis Notitiis *civitas Mediomatricorum, id eſt Mettis*; in una *civitas Mediomatricum, id eſt Metas*. In Notitia Imperii Rom. *Procurator Gynæcii Auguſtoduni tranſlati Metis*, hoc eſt Auguſtodunum tranſlati Divoduro, aut certè Divodurum tranſlati Auguſtoduno. Ibidem reperitur *Procurator Gynæcii Iuvarenſis rei privatæ, Meti tranſlata Anbelas*, vel (ut ſcripti codices præferunt) *Anbelata*: necnon inter legiones Pſeudocomitatenſes, intra Gallias cum V. I. Magiſtro equitum Galliarum conſiſtentes, numeratur *prima Flavia Metis*, id eſt legio Pſeudocomitatenſis prima Flavia, quæ præſidet Mettis. Hydatius in Chronico de Attilæ in Gallias adventu ſcribens, *civitatem Mettis* appellat; Gregorius Turonicus Epiſcopus in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſeu Francica *Mettenſem urbem, ſedem Mettenſem*, & *Mettenſem civitatem*; Jonas in libro de Vita S. Columbani *Mettenſe oppidum*. Venantius Fortunatus Gregorii æqualis *Mettim* vel *Mettim* nuncupat, ac declinat *Mettis, Mettim*, ut Græca nomina Daphnis Daphnin, Thyrſis Thyrſin, Ibis Ibin, Paris Parin: urbemque clariſſimam po-

ſitam ad Saliæ & Moſellæ confluentes in libri III. Carmine XIV. ad Villicum Epiſcopum Metenſem deſcribit his verſibus,

Gurgite cæruleo pelagus Muſella relaxat,
Et movet ingentes molliter amnis aquas.
Hinc dextra de parte fluit qua Salia fertur,
Flumine ſed fluctus pauperiore trahit.
Hic ubi perſpicuis Muſellam curſibus intrat,
Alterius vires implet, & ipſe perit.
Hoc Mettis fundata loco, ſpecioſa, coruſcans,
Piſcibus obſeſſum gaudet utrumque latus.
Vrbs munita nimis, quam cingit murus & amnis.

Idem in libro VI.

Venimus ut Mettin.

In libri VII. Carmine IV. ad Gogonem, Saliam fluvium (*Seille*) à ſale dictum eſſe ait:

Seu qui Mettin adit de ſale nomen habens.

In libro X. demum eam urbem Mettica mœnia vocat.

Regibus occurrens, ubi Mettica mœnia pollent.

In priſcis Regum noſtrorum nummis legitur *Theodericus Mettis*; item *Teudericus* ; in V. aliis *Mettis*; in uno *Metis*. Fredegarius Scholaſticus in libro IV. Chronici *ſedem Mettis*, in libri V. capite LXXV. *Mettis urbem*, & *Mettis civitatem* nomine indeclinabili nũcupat, ſicuti auctor Geſtorum Francorum in capite V. Paulus in epiſtola ad Deſiderium Cadurcorum Epiſcopum, Capitula Caroli Calvi, aliique. Vbi notandum eſt, *Mettis* in veteribus Fredegarii codicibus cum duobus t ſcriptum ſemper reperiri, necnon in vetuſtis Gregorii membranis; atque ita ſcribi oportere. Quamquam diſſentit à nobis Paulus Diaconus Forojulienſis, qui in præfatione libri de Epiſcopis Mettenſis Eccleſiæ unum ſolummodò t eo in nomine retinet, alterum rejicit: cùm à *Metio* quodam Romano *Metis* urbis appellationem deducat, quemadmodum & Chronicon de Epiſcopis Mettenſibus, à Luca Acherio vulgatum. In quo ſanè Paulus nugatur atque errat, qui & Gallico nomini Romanam ſeu Latinam originem tribuat, & ſine cauſa à veteribus codicibus, ubi Mettis ſcribitur, recedat. Aimoinus in libris Hiſtoriæ nunc *Mettis* more plurimorum, nunc & *Mettos* appellat; vetus Notitia ſuprà laudata *Mettas* aut *Mettae*. Malè *Metis* quidam malunt, & *magnum* interpretantur; quoniam Fortunatus in libro I. Carm. *Vernemetis fanum ingens Gallicè vocari* ait. Vulgò *Mets* Noſtri vocitant; agrumque ſeu pagum Mettenſem, *le pays Meſſin*, *Metingovv* Germanis, *territorium Mettenſe* Fredegario dictum in libri V. capite XXVIII. Ejus pars inter Moſellam & Saliam, à ſitu appellatur Inſula, *Liſle de Mets*: pars trans & ad Moſellam, Vallis Mettenſis, *le Val de Metz*: pars denique inter amnes Saliam & Nitam (*le Nied*) Salinenſis ager, *le Sannoy*, vel *le Sannois*, Salnenſis aliàs.

Ab ea urbe eccleſiaſtica cantilena dicta eſt *Mettenſis* vel *Metiſca*, Teutonicâ linguâ *Mete*, ut in Vita Caroli Magni invenio.

Non dubito, quin clariſſima & maxima urbs Amphitheatrum olim ſuum ſibi habuerit ſtante Imperio Romano: cùm multo minores & obſcuriores urbes tali ornamento non fuerint deſtitutæ, Sueſſionæ, Pariſii, Meldi. In MS. libro Mettenſis cœnobii S. Symphoriani Mart. Vitam B. Clementis, Mett. I. P. legi, in qua hæc reperi. *Cùm perveniſſet B. Clemens Mediomatricum civitatem, in tavernis ut ferunt Amphitheatri quod extra eamdem urbem ſitum eſt, hoſpitium habuit.* Ibidem *fluvius Salia juxta decurrere* dicitur, nimirum juxta Amphitheatrum.

Palatium certè more multarum Imperii Romani urbium habuit, in quo Imperatores & Cæſares, dum provincias ſuas obibant, aut in reprimendis Germanis erant occupati, ac poſtea Reges noſtri habitaverunt. Fuit enim hæc urbs ſedes Regum Auſtraſiorum undecim, quos vulgò *Mettenſes* vocant, à morte Chlodovei Magni ad obitum Dagoberti junioris, per annos circiter CLXX. Mettenſis Palatii, quæ domus eſſet Childeberti Auſtraſiorum Regis, meminit Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri Hiſtoriæ Francicæ VIII. capite XXXVI. *Stante intra Mettenſis urbis Palatium Rege Childeberto, & ludum ſpectante qualiter animal catervà canum circumdatum fatigabatur, Magnovaldus arceſſitur.* Meminit & VValafridus Strabo Abbas Augienſis in Vita S. Galli, ubi de Sigiberto Auſtraſiorum Rege Theoderici filio, & Frideburga ejus ſponſa ita ſcribit. *Poſt hæc vocavit eam, & juxta ſe fecit in Palatio reſidere in Mettenſium civitate.* Eadem fuit & Regia Lotharii atque Zuventibaldi Regum, qui Regnum Lotharii obtinuerunt.

Mettenſem metropolim Johannes Diaconus in libri II. de Vita B. Gregorii capite IX. urbem metropoli provinciæ Belgicæ primæ, civitati Treviris ſubjectam appellat impropriè, non ob aliud, quàm quia Vrbicium XV. Antiſtitem, & alios quatuor Epiſcopos ferè continua ſerie habuit ea urbs Pallii honore gaudentes, Chrodegangum, Angelramnum, Drogonem & Rotbertum; quos omnes in vetuſtiſſimo catalogo Epiſcoporum Mettenſium ante annos ſeptingentos confecto *Archiepiſcopos* vocatos eſſe video, quòd more Archiepiſcoporum ſeu Metropolitanorum Antiſtitum Pallium tulerint non jure ſedis ſuæ, ſed merito ac dignatione perſonarum. *Drogonem* quidem *Mettenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum* Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Sergii Papæ II. non ſemel eamdem ob cauſam nuncupavit.

Pagum Mettenſem, aut totum, aut ex parte, *Metingovv* dictum eſſe à Germanis accolis, docent me litteræ Sigifridi Comitis, datæ anno DCCCCLXIII. *Caſtellum Luſilinburch in pago Metingouv ſuper ripam Alſuntiæ fluminis* memorantes. Ex quibus cognoſcitur, pagum iſtum non Ornam modò fluvium, ſed etiam Alſuntiam quem Auſonius *Aliſontiam* vocat, olim attigiſſe. Quippe Luciliburgus vel *Luſilinburch caſtellum* appoſitum eſt Alſuntiæ ſeu Aliſontiæ fluvio, vulgò *Alſitz* dicto: & ab urbe Mettis capite pagi cognominis abeſt leugas non ampliùs octo vulgares ſeu minores. *Metingouvam* ait Broverus ab urbe Mettis quam ſinu amplectatur, nomen habere: ampliùs eum pagum eſſe, & Arduennenſi pago, ac Luciliburgenſi Ducatu, atque valle Alſontienſi quam Alſontia Luciliburgenſis fluviolus irrigat, terminari.

In Numidia fuit & civitas Metæ, Epiſcopatûs ſedes: à qua Gratianus *Metenſis Epiſcopus* dicitur, item Fortunatianus Donatiſta *Metenſis Epiſcopus*, & *Felicianus Metenſis* in Notitia Africæ, necnon apud Victorem Vitenſem Epiſcopum in libro IV. de Perſecutione Africana.

DOLA SEQVANORVM.

Hugo Pictavinus in Hiſtoria Viceliacenſis Monaſterii, ad annum MCLXVII. deducta, Dolæ meminit ante annos D. his verbis. *Fredericus autem Imper. ædificaverat ſibi Palatium miræ amplitudinis in loco qui dicitur Dola, in finibus Imperii ſui.* In Hadriani Papæ IV. litteris anno MCLV. datis *obedientia de Dola*, *obedientia de Ponte Arleti*, (*Pont-Arly*) & *Eccleſia de Blaterans* (*Bleterans*) memorantur. Nomen hodieque retinet. Dicitur enim *Dole*, eſtque ad fluvium Dubim qui ibi inſulam efficit, poſita. Dolum aliàs nuncupatum reperio. Certè in Miraculis S. Prudentii memoratur *caſtellum, quod Dolum vocant.*

DOLENSIS VICVS BITVRIGVM.

Dolenſis vicus in Biturigibus, qui & *Doli*, Gregorio noſtro in libri II. capite XVIII. memoratur, Riothimi Brittonũ ciſmarinorum Reguli clade, Monaſterioque nobilis: *Deols*, vel *Bourg de Deols*, quibuſdam & *Bourgdieux*. *Britanni de Biturica à Gothis expulſi ſunt, multis apud Dolenſem vicum peremtis:* inquit Gregorius, quem & Fredegarius tranſſcripſit ad verbum. Dicitur Ebo Bituricenſis inchoaſſe cœnobium Dolenſe in honore B. Mariæ Dei matris, quod poſtea Radulfus ejus filius perfecerit, ubi & magnam Monachorum cohortem congregaverit. Ebo autem hic vocatur *Abo nobiliſſimus princeps partium Biturigenſium* in Vita S. Genulfi, *Dolenſis Cœnobii ædificator.* Hugo Pictavinus in Hiſtoria Viceliacenſis Monaſterii, *Alexander* (inquit) *Papa tranſiit in Aquitaniæ metropolim urbem Bituricorum, & in Dolenſe Monaſterium quod eſt apud Caſtrum Radulfi*: id eſt, quod proximum eſt Caſtro Radulfi Andriâ interfluente. *Caſtrum Dolenſe*, *vicum Dolenſem*, *Dolos*, *vicum Dolos*, & *villam* Dolos (quod idem eſt) appellari paſſim video, ponique *in territorio Bituricenſe*, *in Vicaria Brivenſe*, quæ à loco vulgò *Brivez* dicto nomen accepit.

DOLVS BRITANNIÆ MINORIS.

Hic locus ex Monaſterio factus eſt Epiſcopi thronus. Uſuardus in Martyrologio ejus meminit his verbis. V. *Kal. Aug. In Britannia minori, Dolo Monaſterio Natalis* S. *Sampſonis Epiſcopi & Confeſſoris.* Dicitur Nomenoius Princeps Britannorum *apud Dolum Monaſterium Epiſcopum conſtituiſſe, quem Archiepiſcopum fieri decreverit*, & Epiſcopis ſuis congregatis, ſe ibidem Regem ungui curaviſſe. Quam Dolenſis Epiſcopatûs vel Archiepiſcopatus originem ampliùs examinandam judico. Nam quibuſdam videtur eſſe multo vetuſtior. Si Frodoardo in Chronico creditur, *Anno* DCCCCXLIIII. *civitas Brittonum* Dolus *nomine à Nordmannis capta, & Epiſcopus ejuſdem confugientis in Eccleſiam multitudinis ſtipatione oppreſſus & enecatus eſt.* Baldricus Abbas Burguliensis Johannem Dolenſem Archiepiſcopum verſibus laudat, & *Metropolitanæ ſedis cui Dolus eſt nomen, Præſulem* vocat. Poſita eſt urbs inter Abrincatuorum & Aletenſium ſeu Macloviensium fines, ac vulgò *Dol* dicitur. Dolenſes autem, & Aletenſes Maclovienſeſve Redonibus à quibus non multum abſunt, Samſon gratis attribuit, itaut ex una Diœceſi tres factæ ſint.

Si auctori libri de Vita S. Samſonis Dolenſis Epiſcopi fides habetur, *Samſon Monaſterium in loco ſerpentis a ſe fugati conſtructum, cui Penetale eſt vocabulum, loco primo à ſe antea conſtructo, cujus nomen eſt Dol*, (id eſt Monaſterio Dolo) *licentiâ & permiſſione Regis Childeberti in ſubjectionem uſque in perpetuum commendavit.*

D O M A.

Doma caſtrum nobile & fortiſſimum, ſuper Dordoniam fluvium in amœniſſimo loco ſitum, turrim habens altiſſimam & pulcherrimam, & pene ad ſummum munitum, dicitur à Petro in Hiſtoriæ Albigenſium capite LXXX. vulgò à Noſtris *Dome*, qui locus eſt ad Duranium, à Saclato flumine interfluente diviſus.

DOMBENSIS PAGUS.

Vita S. Triverii Monachi docet *pagum Dombenſem* ad flumen Ararim jacuiſſe, uti hodieque jacet, & aut Brexiam ei, aut ipſum certè Brexiæ contribui conſueviſſe. *Duo puereli de pago Dombenſi, ubi Breſſia dicitur, juxta fluvium Araris ſive Sagonnæ*, &c. *Dombas* alii hunc pagum appellant, *le pays de Dombes*: qui eſt pagus ſilvis & ſtagnis abundans, atque ex parte montoſus. *Dombarum* Gallici nominis veteris, unde pago nomen, ſignificatio incognita eſt.

DOMINIUM MARTINI.

Lambertus Ardenſis Presbyter qui de Comitibus Giſnarum ante annos CCCCL. ſcripſit, *Dominium Martini* vocat, & *Albertum de Dominio Martini Comitem.* Alii *caſtrum Domni Martini* nuncupant, *Dammartin.* Noſtri enim ex Domino Domnum, ex Domno *Dom* & *Dam* fecere. In polyptychis Monaſteriorum *Prioratus de Domno Martino in Goëla* memoratur, ac Diœceſi Meldenſi adſcribitur. In libro IIII. Philippidos *Domni Martini Comes Reginaldus* appellatur à VVillelmo Brittone, & in libro II. *Domni Martini Comes Albericus*, & locus ipſe *nobile caſtellum.*

Nobile caſtellum rebus ſpoliatur opimis.

DONINCUM AMBIANORUM.

Frodoardus in Chronici anno DCCCCXXXI. hujus caſtelli meminit. Rodulfus *Rex juncto ſibi Hugone, quoddam caſtrum Heriberti Donincum nomine capit ac diruit; deinde Atrabatem obſi-*

det. *Donengium* in quibuſdam Sigeberti Chronici codicibus anno MLXXVI. nuncupatur, i in e, & c in g ex more commutatis; *Dulencum*, ni fallor, à Meiero, caſtrum ad flumen Alteiam. Picardi *Doulens* nuncupant, aliàs, ſed corruptè *Dourlens*. Ex Doninco vel Donenco *Doulens* factum eſt n in l, c in ſ converſis: ſicut unicornem *licorne* dicimus, Caſtrum Nantonis *Chaſteaulandon*, nanpredam *lamproye*; racemum *raiſin*, Ticinum flumen *Teſin*, S. Licinium *S. Leſin*, vicinum *voiſin*, Saracenum *Saraſin*. Hoc caſtrum, vel certè municipium eſt in finibus & Diœceſi Ambianorum, ut & Lehunum *Lehons*, ac Mons Deſiderii *Mondidier*.

DONONIUM.

Dononium priſcæ tabulæ commemorant: qui locus eſt in Hainoo, vulgò *Denain*, non longè ab opido Valentianis diſtans. Ex Dononio factum eſt *Denain*, ut ex *Lovonio* vel Lovonnio *Louvain*.

DONZIACVM, ET DOMITIACVM.

Guillelmus Comes Nivernenſis in epiſtola ad Sugerium Abbatem Monaſterii S. Dionyſij *Gaufredum de Danzeio* bis cōmemorat. *Danzeium* illud eſt *Donzi*, à quo pagus Donziacenſis appellationē trahit, cum pago Nivernenſi jungi ſolitus, *le Donziois*. In Chronico Viceliacenſi Eugenius Papa locum hunc *Donzeium*; Anaſtaſius *Donziacum* corruptis ambo, ſed uſitatis jam tum nominibus nuncupavere. Ex quibus Eugenius epiſtolam quamdam ſcribit *ad Nobiles viros Odonem D. B. Archimbaldum de Burbone, Guillelmum Comitem Cabilonenſem, R. Comitem de Iovinniaco, G. de Donzeio*, id eſt Gaufredum: quem Anaſtaſius PP. paullo pòſt ad eoſdem Nobiles ſcribens, *G. de Donziaco* vocat. Poſitum eſt *Donzeium* ad amnem, qui apud Condate (*Coſne*) in Ligerim defluit.

In eodem Chronico invenitur epiſtola Eugenii PP. ad Epiſcopum Lingonenſem, in qua *R. de Domitiaco & I. de Chora Presbyteri* memorantur: quod Domitiacum à Donziaco vel Donzeio X. aut XII millibus paſſuum diſtat, Icaunâ interfluente, vocaturque *Domecis* ſive *Dommecy*, vicuſque eſt proximus Choræ (*Cure*) vico, cognomini flumini inſidenti. Sunt autem ambo hi vici etiam in pagi Ducatuſque Nivernenſis finibus, quâ Autiſſiodorenſem pagum attingunt.

DORDINGVM.

Dordingum ad Vrbiam, *Dourdan ſur Orge*, memorant noſtri Hiſtorici, qui eo in loco Hugonem Magnum, Ducem & Principem Francorum, Rotberti Pſeudoregis filium, patrem Hugonis Regis deceſſiſſe tradūt anno DCCCCLVI. Gerbertus in epiſtola XCIV. *Laudunenſis Epiſcopus conſilio Ottonis & Heriberti ſibi faventium, Ducem adiit eo loci quem dicunt* Dordingum. In libro II. Chronici Mauriniacenſis Monaſterii, quod in anno MCXLVII. deſinit, *Apud Dordinchum, quod Regium municipium eſt, Eccleſiam B. Petri adepta eſt vinea Domini.*

DORMANVM.

Locus eſt ad flumen Matronam dictus *Dormanum* in veteribus tabulis, vulgò *Dormans*, inter Sparnacum & Caſtrum Theoderici: qui nobili quondam familiæ originem ac nomen ſuum dedit. Guibertus Abbas Novigenti de Vita ſua album vicum ejuſdem nominis agnoſcit, quem *Durmantias villam* vocat.

DRACHONVS FLVVIVS.

Drachonum numerat Auſonius inter fluvios in Moſellam influentes, quem & *tenuem* cognominat.

> Prætereo exilem Leſuram, tenuemque
> Drachonum.

Eumdem Fortunatus haud dubiè *parvum Rhodanum* appellat, ac in Moſellam decurrere aſſerit in libri III. Carmine XII ubi deſcribit *caſtellum Nicetii Epiſcopi Treviricі ad Moſellam*, nomine *Mediolanum*, poſitum in ſaxeo colle, quem Nicetius muro & XXX. turribus cinxit, aulâque marmoreis columnis fultâ ornavit, ſummo monti impoſitâ. Addit Fortunatus, eum collem aut montem cui Mediolanum caſtellum inſidet, Moſella magno, & parvo Rhodano ambiri ac circumdari.

> Quem Muſella tumens, Rhodanus quoque parvulus ambit,
> Decertantque ſuo paſcere piſce locum.
> Diripiunt dulces alibi vaga flumina fruges:
> Hæc tibi parturiunt Mediolane dapes.

Ex *Drachono* vel *Drahono* tranſpoſitis litteris *Rhodanum* fecit Fortunatus, quem & *parvum* cognominavit, ut diſtingueret à Rhodano, ingenti flumine, in mare Gallicum effluente: uti *parvum Rhenum* Silius Bononiæ Æmiliæ amnem appellavit in libro VIII eo cognomine à maximo Galliæ flumine Rheno diſtinguens. Vulgo *Die Draon*, alias *Traon* dicitur, nec procul a Noviomago (ut aiunt) in Moſellam devolvitur. Quanquam Fortunato malo accedere, qui Mediolanum caſtellum ad confluentes Moſellæ & parvi Rhodani ſeu Drachoni poſitum eſſe apertiſſimè indicat. Mediolanum autem *Bergcaſtel* vulgò nuncupatur, hoc eſt montanum caſtellum a ſitu. *Berg* enim Germanicâ linguâ montem ſignificat.

DRIENCVRIA.

Driencuria mentionem fecit VVillelmus Britto Armoricus in libro VI. Philippidos his verſibus.

> Præterea Comitis Augei nobile caſtrum,
> Quod populi indigenæ Driencuria voce vocatur,
> Obſidet, atque ipſum domino fallaciter aufert.

Nunc *Dancourt* vocatur hoc nobile quondam caſtrum Comitum Augenſium, eſtque locus ad flumen Earam, ab Auga V. leugis diſtans.

DRUENTIA FLUVIUS.

Livius in libro XXI. Silius Italicus in libro III. & quotquot de Hannibalis in Italiam adventu

ventu

ventu ſcripſerunt, *Druentiam Alpinum amnem* commemorant, *longè omnium Galliæ fluminum difficillimum tranſitu*. Quem præter ceteros Livius & Silius fusè deſcribunt, & navium patientem eſſe negant: cùm tamen in veteri marmore *Navicularioꝛum Druenticorum* fiat mentio, & in Notitia Imperii, *claſſis Barcariorum* vel *Barcariorum Ebruduni Sapaudiæ*: ut appareat Romanorum induſtriâ Druentiam navigabilem tandem factum eſſe. Strabo *Δρουεντίαν* Druentiam vocat; Plinius *non minùs Rhodano torrentem Druentiam*; Auſonius in Moſella *incertum* eum cognominat, quod nullis coerceatur ripis, & pluribus ſimul alveis fluat.

Te Druna, te ſparſis incerta Druentia ripis,
Alpinique colent fluvii.

Caſſiodorus Senator *caſtella ſuprà Druentiam conſtituta* libri III. Variarum epiſtolâ XLI. memorat. *Durentiam* Vita Conſortiæ Virginis nominat, & Vita S. Cæſarii Arelatenſis, aliique; *Larentiam* Monachus in Vita Odilonis Abbatis Cluniacenſis, cujus æqualis fuit; Noſtri *la Durance*.

Oriri Druentiam in Alpibus Cottiis è monte Veſulo, *Mont Viſo*, Virgilii carminibus celebrato, ut & Padum affirmat Caſaubonus. De Pado quidem Plinius id aſſerit, è gremio Veſuli montis celſiſſimi eum profluere: Druentiam verò tabulæ docent è colle Crucis (*col la Crois*) monti Veſulo proximo defluere. Falsò igitur Maſſonus Druentiæ caput quærit in monte Matrona, ſive monte Genebra, *Mont Genevre*.

Alluit Druentia Villam veterem *Ville vieille*, Montem Bardonis *Montbardon*, vicos S. Clementis, & S. Andreæ, Ebrodunum Caturigum, Talartium *Talard*, Ventavonem vel Vaſtavonem, Secuſteronem *Ciſteron*, Caſtellum Arnulfi *Chaſteau Arnoult*, Montemfortem, Manoſcam, Captarias *Cabrieres*, ad quem locum Virdonem amnem accipit, *Verdon*. Attingit deinde Pertuſum *Pertuis*, Villam lauream *Villelaure*, Roccam *la Roque*, Lauretum *Lauris*, Mirandulum *Mirandol*. Ibi Druentia duos in alveos ſe ſcindit: majorem cui Orgo adſidet *Orgon*, Druentiam vocant accolæ, *la Durance*; minorem Druentiolam *Durenſole*: in media hac inſola monti inſidet Cabellio Cavarum *Cavaillon*. Poſtquam rurſus coiit Druentia, Calvum montem *Caumont*, Bonum paſſum, & Novas *Noves* præterlabitur, & apud Barbantanam caſtrum monti impoſitum in Rhodanum devolvitur inter Avenionem Cavarum & Taraſconem Salyorum, multo tamen propius Avenionem, quàm Taraſconem. Ab urbe Maſſilia ſive à mari Gallico uſque ad Druentiam ſedes habere Salyos vel Salves ſcribit Strabo, quo fluvio à Cavaribus dividantur.

DRVNA FLVVIVS.

Drunæ primus meminit Auſonius in Moſella inter fluvios Alpinos:

Te Druna, te ſparſis incerta Druentia ripis,
Alpinique colent fluvii.

Druna hic vulgò *Droma* dicitur, *Drome* aut *Droume*, *Troſne* in quibuſdam tabulis mendosè; ut *Iculiſna* ab eodem Auſonio celebrata, *Ecoliſma* pòſt vocata eſt, litterâ n in m mutatâ, & nunc *Engouleſme* appellatur. Oritur Druna in Alpibus Vocontiis ex ingenti fonte vel potiùs lacu, alluitque Bellummontem, & vicum S. Deſiderii *S. Diſier*, nec procul à Bellagarda & à monte in quo Lucus municipium Vocontiorum fuit, lapſus, mox Aquas *Aix*, tum Deam Vocontiorum attingit, (*Die*) Salientes *Saillans*, Criſtam *Creſt*, Laureolum *Lauriol*, Vallem Drunæ *Vau-Drome*, ac demum in Rhodanum defluit inter Valentiam Segalaunorum & Montilium Ademari, tribus leugis ab urbe Valentia. Laureolum porro quidam *Aureolum*, alii *Aureolos* vocant, & *Prioratum S. Iohannis de Oreolis* in Polyptychis reperio: quibus ſi accedimus, *l'Auriol* aut *l'Oriol* ſcribi convenit.

Eſt alter ejuſdem nominis fluvius in Aquitania, *Druna* & *Drona* Latinis ſcriptoribus dictus, accolis *Dronne*: qui Corteràte alluit *Coutras*, & ab Ella *l'Ile* in Duranium defertur. Eſt & Druma *Drome*; quem Aura *Aure*, in tabulario Eccleſiæ Baiocaſſinæ Aurea nuncupatus accipit.

DUAGIUM ATREBATIUM.

Frodoardus ante annos ſeptingentos opidi ejus meminit in Chronico non ſemel. *Anno* DCCCCXXX. *Lotharienſes in Franciam cum Giſleberto obviam veniunt Hugoni, & opidum quoddam nomine Duagium quod Arnoldus tenebat, adactum obſidione capiunt. Anno* DCCCCXXXI. *Lotharienſes interea Duagium capiunt, & Hugo illud Rotgario filio Rotgarii concedit. Anno* DCCCCXLI. *Rotgarius Comes datis obſidibus dimittitur à Rege Ludowvico, Duagium caſtellum reddens Arnoldo.* Rigordus, VVillelmus Britto, & litteræ Philippi eo nomine primi Franc. Regis *Duacum*; recentiores ſcriptores Latini *Duacum* quoque; alii *Duacum* appellant; Noſtri *Doüay*. Opidum eſt Diœceſeos Atrebatenſis ad flumen Scarpam. Scarpa autem vel Scarpus, *Scarbus fluvius* Hugbaldo in Rictrudedictus, vulgò *Scarpe*, Albiniacum, Atrebatas, Duagium, & Marcianas *Marchienes*, Monaſterio S. Rictrudis illuſtres alluit, & ad vicum Confluentem *Conflan* Scaldi recipitur. Cùm igitur caſtellum vel opidum Atrebatium ſemper fuerit Duagium, & hodie etiam ad Eccleſiam Atrebaticam pertineat; apparet graviter Marlianum errare, quum *Aduaticos* Cæſaris, *Doaci* vel Duagii *opidi incolas* interpretatur, aliqua nominis ſimilitudine deceptus; quos Aduaticos procul ab Atrebatibus abfuiſſe conſtat, Scaldi & Sabi interfluentibus.

DUBIS FLUVIUS.

Quod C. I. Cæſari in libro I. Cõmentariorum belli Gallici corruptè vocatur *flumen Alduabis*, aliàs *Alduadubis*, *Alduaſduſius*, *Alduaſdalis*; ſincero & incorrupto nomine vocari debet *Dubis*, atque ita à Strabone ac Ptolemæo ceteriſque Geographis ac Hiſtoricis appellatur. *Dubim*, ut & Ararim, Ptolemæus ait *fluere ex Alpibus*, *Alpes* communi nomine quoſvis montes appellans. Conſtat enim Ararim ex monte ac ſaltu Voſago dejici, Dubim ex Jura monte demitti. Verba Ptolemæi ſunt, *αἱ μὲν τοῦ Ἄραρος πηγαὶ ἀπὸ τῶν Ἄλπεων ῥέουσι: αἱ δὲ τοῦ Δούβιος ποταμοῦ ἀπ' αὐτῶν ῥέοντος ἐπέχουσι*, &c. Ejuſdem fluminis

meminit & Strabo, quum Seguſianos inter Rhodanum & Dubim, *μεταξὺ τοῦ Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Δούβιος*; Æduos inter Dubim & Ararim *μεταξὺ τοῦ Δούβιος καὶ τοῦ Ἄραρος* ſedes habere ait: quæ verba Strabonis de ambarum Gentium ſitu alibi examinavimus.

Doua hic fluvius vocatur à Fredegario Scholaſtico in capite XXXVI. libri ultimi Chronici, & à Jona in libro de Vita Columbani Abbatis, ſitum Veſontionis deſcribentibus. Auctor Dagoberti æqualis qui libellum de Vita Salabergæ Abbatiſſæ ad Anſtrudem ejus filiam compoſuit, *Duvium* eum amnem appellat: quum ſcribit *Varaſcos partem Sequanorum provinciæ & Duvii amnis fluenta ex utraque ripa incolere*. Ex Dubi recentiores fecerunt *Duvium* b in u converſo, & nominis terminatione mutata: fecerunt & *Douam* litterâ u in o ut ſæpe accidit tranſlatâ. *Duber* dicitur à VVillelmo Brittone. *Dubium nunc vocari* ait Marlianus, & circa Juram ac caput ſuum *Sequanos ab Helvetiis dividere*: quod planè verum eſt. Nam *mons Jura altiſſimus eſt inter Sequanos & Helvetios*, ut Cæſar in libro I. tradit.

Dubis, Noſtris *le Dou* dicitur. Errant qui *le Doux* ſcribunt, (plerique autem ſcribunt) quaſi *Dulcis* Latinâ linguâ appellaretur. Alluit Dubis Francicummontem, *Franchimont*, opidum S. Hippolyti, Clarummontem, Epomanduodurum *Mandeure*, non procul à Monte Piligardæ, Caſtellum *Chaſtelet*, Inſulam *l'Ile*, & Claramvallem *Clervaux*, caſtella non obſcura, Balmam Monacharum ſive Nonnarum, *Baume les Nonnes*, Caſtellionem: tum Veſontionem interluit; Rupemfortem deinde & Dolam opidum præterlapſus, non longè ab urbe Cabillono & Latona caſtro apud Viredunum caſtrum ſeu Verodunum (*Verdun*) Ararim auget, atque in eum ſeſe exonerat. Excipit præ ceteris infra Dolam caſtrum amnem *Lupam*, in Vitis Sanctorum veteribus memoratum, *la Louve*, alias *le Louve*, qui *Loa flumen* dicitur in Tranſlatione Reliquiarum Gorgonii Mart. ad Majuſ-Monaſterium facta anno DCCCXLVI.

DULCUMENSIS PAGUS.

Pagus Dulcumenſis in Diœceſi parœciave Remenſi, ubi vicus celebris Sindunum ſit, Frodoardo memoratur in libro I. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis: cui & *Dulcomenſis pagus*, atque etiam *Dolomenſis*, & *Dulmenſis* dicitur; *Dulminſe* quoque, id eſt Dulmenſis in Diviſione Regni Lotharii: haud dubiè *le pays de Dormois*, in quo opidum Sanctæ Manechildis, & Cernacum, *Cernay en Dormois*, Baroniæ titulo illuſtre, ubi unus ex XVII. Decanatibus Remenſis Eccleſiæ. Frodoardus *Altmontem caſtrum* vel *Altummontem caſtrum* à ſitu ita dictum, à Moſa & Axona æqualibus ferè diſtans intervallis, quod Fulco Archiepiſcopus Remenſis exſtruxiſſe fertur, ac Noſtri *Aumont* appellant, *in Dulcomenſi pago* ponit. *Dulcumenſis* autem aut Dulcomenſis *pagus*, vulgò *le Dormois* nuncupatur à Noſtris, u in o ex more & l in r commutatis: ut factum videmus in ululare, in luſciniola, in ulmus, & in Culmiſciacum. Dicimus enim *urler*, *Roſſignol*, *orme*, *Cormicy*: quæ fuit villa Epiſcopatus Remenſis, nunc eſt opidulum aut municipiolum. Hic pagus à Cernaco ad Moſam flumen promittebatur, caſtellumque Dunum ad Moſam, *Dun*, & villulam *Dulcon* totius olim pagi caput, unde & pago nomen, vicumque Sindunum ad Axonam continebat, *Senuc* vulgò dictum, cellâ ſeu Prioratu S. Oriculi nobilem.

DUNKERCA.

Dunkyrkam, nonnumquam & *Dunckercam* vocant veteres litteræ, ante annos D. datæ, necnon *Mardic* una commemorant, locum ei proximum. Dicta eſt *Dunkerca*, quòd Eccleſiam in monte vel Duno poſitam haberet, incolis *Duynkercke*, Noſtris *Dunkerque*, inter Gravenengas & Novumportum Flandriæ nobiliſſimus portus. Certè totum ejus maris litus collibus arenaceis aſſurgit, vel (ut loquuntur Annales Bertiniani in anno DCCCXXXIX.) *aggeribus arenarum quos Dunos vocitant*, à Duno ut arbitror, quo nomine veteres Galli montem & collem deſignavere. *Kerca* autem vel *Kercke* veteri Germanicâ linguâ Eccleſiam ſignificat: ſicut Græci *Κυριακὸν*, Latini *Dominicum* Eccleſiam vocavere, quòd Chriſto Domino Eccleſiæ conſecrari conſueverint: à quo vocabulo Græco nomen Germanicum deductum videri poteſt. Hermannus Monachus, qui de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis ad Bartholomæum Epiſcopum tres libros ante annos DL. compoſuit, in libro II. ſic ſcribit. *De VVintonienſi civitate venimus ad villam, quæ dicitur Chriſtikerca, id eſt Chriſti Eccleſia.*

DUNSTANI VILLA.

Ordericus Vitalis in libri XIII. Hiſtoriæ Dunſtanivillam in pago Conſtantino ponere videtur his verbis. *Rainaldus de Dunſtanivilla provinciam Conſtantini turbabat.*

DVNVM CARNVTVM, ET DVNVM BITVRIGVM.

Caſtellum Dunum Gregorio Turonico memoratur. *Caſtrum Dunenſe* alii; quidam *Caſtrum Duni* appellant, *Chaſteau-Dun*: qui eſt locus in Carnutino agro ad flumen Ledericum, nomen nanctus à ſitu. Nam in edito monte poſitus eſt. Dunum autem Galli veteres montem appellabant. Ager ejus *pagus Dunenſis* nuncupatur, *le Dunois*: *Duniſus* dictus in Capitulis Caroli Calvi inter *Durcaſinum* & *Ebricinum* pagos, ſeu Durocaſſinum & Ebroicinum. Incolæ *Dunenſes* Gregorio in libro IV. & VII. nominantur.

Lacûs Dunenſis, in quem flumen Arula influit, Fredegarius, Aimoinus, aliique in anno III. regni Theodeberti ac Theodorici, Chriſti DXCVIII. meminere: quem Caſtello Duno proximum eſſe, atque ab eo nomen habere Falcetus hiſtoricus & Maſſonus exiſtimant: cùm nullus ibi lacus exſtet, nullus ibi Arula amnis appareat. Quare lacûs Dunenſis nomine lacum Ebredunenſem vel Novoburgenſem à Fredegario Aimoinoque deſignari puto, quòd caſtrum Ebredunenſe ſeu Eburodunum ad caput ejus eſt poſitum: ut in libro XVI. Rerum

Francicarum obſervavi.

In Caſtro Dunenſi Promotus Presbyter regnante Sigiberto Epiſcopus eſt ordinatus, ut queritur Pappolus Carnotinæ civitatis Epiſcopus in libello Synodo oblato anno DLXXIII. ubi & locum vocat *parœciam ſuam cui vocabulum eſt Duno*: Synodus Pariſiaca in epiſtola ad Ægidium Remorum Epiſcopum, qui Promotum Epiſcopum conſecraverat, & in litteris ad Regem Sigibertum *Caſtrum Dunenſe*, *parœciam Carnotinam*. De Promoto Epiſcopo Dunenſi quid factum ſit, refert Gregorius.

Eſt & in finibus Biturigum Cuborum *Dunum Regis*, quibuſdam aliis *Dunum* abſolutè & ſimpliciter dictum, vulgò *Dun le Roy*, poſitum ad Vrionem fluvium, *Orron*, qui apud Avaricum in Avaram labitur. Ejus Duni meminere litteræ anno MLXIV. datæ, in quibus *Odo de Albiniaco* (*Aubigny*) *Gofredus de Lamaniaco*, & non ſemel *Arnulfus Tortus de Duno* memorantur.

DVRANIVS FLVVIVS.

Duranii primus omnium meminit Auſonius Burdigalenſis in ſuo Moſella.

Concedet gelido Durani de monte volutus
Amnis, & auriferum poſtponet Gallia Tarnem.

Ita enim verſum Auſonii mutatione unius litteræ emendandum arbitror, cùm in exemplaribus editis legatur

Concedes gelido Durani de monte volutus
Amnis.

Quaſi Auſonius Duranium alloquatur, & *amnem de gelido monte volutum* eum appellet: quod à me probari leges Grammaticæ non ſinunt. Nam *volute* ſcribendum eſſet in V. caſu, non *volutus*. Omitto Auſonium in toto Idyllio de Moſella nullum uſquam fluvium alloqui præter Moſellam, & Rhenum in quem Moſella devolvitur. Senſus ergo verborum Auſonii eſt. *Concedet amnis Durani, de monte gelido volutus*: Vel certè ita conſtruenda ſunt ejus verba. *Concedet amnis, de gelido monte Durani volutus*. *Amnem Durani*, aut *montem Durani* vocavit Auſonius amnem Duranium, & montem Duranium unde oritur: ſicut idem ibidem *lata Moſella flumina* appellat flumen Moſellam, Virgilius *urbem Patavi* urbem Patavium. Apollinaris Sidonius Burgum Pontii deſcribens in Carmine XXII. Duranii ac Garumnæ ortum, amborumque confluentes à Burgo parum diſtantes ita exponit.

Eſt locus, irriguâ qua rupe Garumna rotate,
Et tu qui ſimili feſtinus in æquora lapſu
Exis, turbatâ Durani muſcoſe ſaburra;
Iam pigreſcentes ſenſim confunditis amnes.

Si Garumna *rupe irrigua rotatur*; rotatur & Duranius, cujus *ſimilis lapſus* ortuſve eſſe dicitur: & ambo, ille ex Pyrenæo monte, hic ex Cebennis demittuntur dejiciunturve præcipites. Mons autem Cebennicus, ex quo Duranius exoritur, & à quo nomen accepit, eſt mons *Duranius* in Aruernia, vulgò *Montdor* truncato nomine appellatus, *Mons Dor* ante annos DCL. dictus Aimoino *in finibus Aruernorum*, fonte nobiliſſimi fluminis inſignis.

Duranium recentiores Auſonio & Sidonio ſcriptores corrupto nomine *Dorononiam fluvium* appellavere, in primis Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VII. capite XXVIII. & XXXII. Iſidorus Pacenſis Epiſcopus in Chronico *Dornoniam fluvium* nuncupat: Eginhardus, & Vita Karoli Magni *Dornoniam*. Ceteri *Dordoniam* vocant; quidam etiam *Dordonam*: Noſtri *la Dordogne*, vel *la Dourdonne*. Duranium *unum ex præcipuis non ſolùm Aquitaniæ, ſed & totius Galliæ fluminibus* rectè forſitan nominat Scaliger, ſed à Gregorio Turonico Epiſcopo *Dordoniam* dictum eſſe falsò affirmat. Ceterùm notanda ſunt de Duranio verba Aimoini. *Dordonia* (inquit) *ex monte qui Dor dicitur, & eſt in finibus Aruernorum, duobus ſcaturiens fontibus, quorum uni nomen eſt Dor, alteri Donia, qui haud procul à monte ipſo conjunguntur, in Garumnam influit.* Verum quidem eſt, quod ait Aimoinus, ex *monte Dor in finibus Aruernorum* delabi Dordoniam, ſed à duobus ibi fontibus qui *Dor* & *Donia* dicantur, & non procul à monte conjungantur, nomen eum accepiſſe, falſiſſimum: licet plerique recentiores, in his Samſon Geographus Regius, Aimoinum ſequantur auctorem. Quippe fluvius iſte ex Monte Dor uno tantùm fonte, uno alveo deſcendit: & mons Dor primùm Duranius dictus eſt, quemadmodum ſuprà docuimus, amnique ut ortum ſic & nomen ſuum dedit. Vocatus enim eſt primo *Duranius* ante annos minimùm MCCC. poſt *Doronoņia*, deinde *Dornonia*, ac demum circa annum Chriſti DCC. nuncupari cœpit *Dordonia* vel *Dordona*. Quomodo igitur à duobus fontibus appellationem ſuſcepit, cùm unum tantummodò habeat? aut ut duos habuiſſe concedam Dor, & Doniam, *Dor* & *Donne*, cur non ſemper, cur nonniſi noviſſimè ab his dictus eſt Dordonia, ſed antè Duranius, Doronoņia, Dornonia? An quoties fluvius nomen mutavit, fontes ejus pariter mutavere, & nunc *Dur* & *Anius*, nunc *Dor* & *Ononia*, poſtremò *Dor* & *Donia* ſunt appellati? Sed has nugas pluribus refellere non eſt operæpretium, præſertim cùm unicum eſſe Duranio fontem in monte Dor, tabulæ Aruerniæ exactiùs ac diligentiùs confectæ nos doceant.

Ortus ut diximus in Aruernis Duranius alluit Balnea *Bains*, Muratum *Murat*, Bortum Lemovicum, Valetam *la Valette*, Auriacum, Argentadum *Argentat*, Bellumlocum, *Belleue* incolis, Noſtris *Beaulieu* dictum, veteri Monaſterio illuſtrem, Podium nigrum *Pechrun* ad Saræ *Sere*, & Bavæ confluentes, Carennacum Cadurcorum, Variacum *Vayrac*, Solliacum Petrocoriorum *Souillac*, Montemfortem, Caſtellum novum *Caſtelnau*, caſtrum Limolium *Limeil* aut *Limeüil*, ubi Viſerâ augetur *Veſere*, de quo fluvio aliàs. Tum Brageracum vel Bragaracum in Petrocoriis attingit, *Bergerac*, opidum S. Fidis, *Sainte Foy*, in Nitiobrigibus, Gentiacum *Genſac*, Caſtellionem *Caſtillon*, caſtrum S. Æmiliani *S. Emilien*, Liburniam *Libourne*, olim Condate dictam ad Ellæ & Duranii confluentes, vicum S. Parduſfi *S. Perdoul*, vel *Pardoul*, Cavernas, Cuſacum, & *Burgum* Pontii *Paulini*, caſtrum Sidonio memoratum ac deſcriptum, *Bourg*: infra quem locum Garumnâ recipitur, jam antea ob æſtus Oceani

quibus augetur Maris nomine honoratus: unde agrum inter Garumnam & Duranium vocitant pagum inter duo Maria, *le pays d'entre deux Mers*, & Burgum ad Mare multi cognominant, *Bourg ſur mer*, cùm ſit poſitus ad Duranium. Duranius ad Limolium recepto Viſerâ navigabilis redditur.

DURIA.

Duria vel *Dura* villa Regia fuit in pago Ripatienſi, regnantibus Caroli Martelli poſteris notiſſima. In Chronico S. Arnulfi, quod Andreas Cheſnius cùm ederet, Annalium Metenſium titulo donare maluit, anno DCCXLVIII. Pippinus Dux & Princeps Francorum *in villa Duria* Conventum Gentis egit: & anno D. I. DCCLXI. *Pippinus Rex Conventum Francorum habuit in Duria villa publica.* De eodem generali Conventu Francorum anno X. regni Pippini habito in villa Duria cum omnibus Optimatibus Gentis, Appendix Chronici Fredegarii, *Duram in pago Ripuarienſe* vocans, veteres noſtrarum rerum Annales, Regino, aliique. Anno DCCLXXV. & DCCLXXIX. Carolus Pippini filius Conventum vel Synodum habuit in villa Duria. Eam veteres *Marcodurum* Ubiorum vicum appellavere: quo de nomine truncato *Dura* eſt facta vel *Duria*, & vulgare vocabulum *Duren*.

DURNOMAGUS.

Æthicus in Itinerario inter Coloniam Agrippinam & Burunguin *Durnomagum* ponit, ubi *legionis* VII. *ala. Durnomagum* vicum, nunc *Durſmagen* aut *Dourmagen* vocari tradit Cluverius: at Altamerus *Duromagum* ſcribit, & *Durmegen* appellari ab incolis ac finitimis ait. Equidem *Druſomagum* magis quam Durnomagum aut Duromagum olim à Romanis & Gallis nuncupatum eſſe arbitror voce Latino-Gallica, compoſita ex Druſo & mago, quaſi Druſi magum. Conſtat enim, quod ait Florus in capite XII. & ultimo libri IV. Druſum per Rheni ripam quinquaginta ampliùs caſtella erexiſſe.

DUROCASSÆ CARNUTUM, ET DUROCASSINUS PAGUS.

Durocaſſas aut Durocaſas veteres vocavere, quas poſtea nomine mutilato Drocas. In tabula Theodoſiana quam plerique Peutingerianam appellant, *Condate* inter & *Briviſaram* ſeu Brivam-Iſaræ ponitur *Durocaſſis*. In Itinerario provinciarum Æthici inter Mediolanum Aulercorum & Diodurum *Durocaſis*: & iter à Juliobona Durocaſis M. P. LXVIII. per Brevodorum, Noviomagum, & Condate. Vulgò *Dreux*. *Durcaſas* quidam; *Drogas caſtrum* Glaber Rodulfus in libro III. alii, ut Robertus de Monte, *Durcaſinum caſtrum* nuncupavere, quod eſt in finibus Carnutenis; *Drocenſes* Ordericus Vitalis in libro VIII. ejus incolas. *Druis*, & *cacumina Druenſis caſtri*, *Palatii Regis* Rotberti, commemorat Odorannus in Chronico anno MXLV.

Ab Durocaſſis Durocaſſinus pagus nomen accepit, *le Drengeſin*; *Durcaſinus* dictus in Capitulis Caroli Calvi inter *Carentinum* ſeu Carnutinum & *Dunſium* ſeu Dunenſem; *Dorcaſſinus* alias, necnon tranſpoſitis litteris *Drocaſſinus*.

DUROCORTORUM REMORUM.

Julius Cæſar omnium primus in fine libri VI. ejus urbis mentionem fecit his verbis. *Exercitum Cæſar Durocortum Remorum reducit, Concilioque in eum locum Galliæ indicto, de conjuratione Senonum & Carnutum quæſtionem habere inſtituit, & de Accone* (Senone) *qui Princeps ejus conſilii fuerat, graviore ſententiâ pronuntiatâ, more majorum ſupplicium ſumpſit.* Ubi *Durocortum* mendosè legitur pro *Durocortorum*. Quod mendum ortum exiſtimo ex notis compendioque litterarum. Cùm enim in codicibus Cæſaris ſcriptum reperiretur Durocortum; legentium inſcitia vel negligentia non animadvertens t litteram tráſversâ virgulâ trajectam *tor* deſignare, *Durocortum* à Cæſare dictum credidit, non *Durocortorum*, atque ita edendum curavit.

Apud Strabonem vocatur nobiliſſima Gens Remi, (Ῥῆμοι, *les Remois* vulgò) & *metropolis eorum Duricortora*, Δουρικόρτορα, *quæ habitatur frequentiſſimè, & Magiſtratibus Romanis hoſpitium præbet.* Metropolis ergo jam ætate Strabonis erat Durocortorum, quæ urbs poſtea provinciæ Belgicæ II. caput & metropolis fuit, mater XI. civitatum.

Claudio Ptolemæo in Belgica *poſt Sueſſones ad flumen Remi, & urbs eorum Durocottorum.* Μετὰ Οὐέσσονας παρὰ μὲν τὸν ποταμὸν οἱ Ῥῆμοι, καὶ πόλις αὐτῶν Δουροκόττορον. Ut eſt magna τ cum σ cognatio, & magna ambarum litterarum ſimilitudo; exiſtimo σουέσσωνας ſcriptum apud Ptolemæum fuiſſe, & ab ignaris Geographiæ ſigma σ parvum in ο micron converſum, atque ex σουέσσωνας οὐέσσονας factum eſſe. Appellatione autem fluminis, quod minimè nominat, & ad quod Remos eſſe Ptolemæus ſcribit, Axonam potiùs deſignari arbitror, quàm Matronam, Vidulam, aut Moſam. Nam Matrona quidem & Moſa ſunt majora flumina Remorum, ſed in extremis eorum finibus; Vidula autem licèt Durocortorum Remorum caput alluat, minor eſt amnis quàm ut Claudio Ptolemæo notus eſſe potuerit. At Axona flumen clarum & nobile, longo ſpatio per medios fines Remorum præceps fertur.

Priſcianus Gramm. (ſi bene memini) quem *Praſcianum* in veterrimo codice appellatum eſſe reperio, vel certè Conſentius hæc ad Belgam aliquem verba Frontonis jocantis laudat: *Athenæ veſtra Durocortoro*: ex quibus intelligitur ætate Frontonis inſignis Oratoris, ſive Trajani, Hadrianique Principatu litterarum ſtudia rocortori floruiſſe. Nomina autem urbium ſcriptores non recentiores modò, ſed etiam veteres in III. & in VI. caſu ac nonnumquam in IV. tamquam indeclinabilia uſurpare conſueverant: ne quis à Frontone *Durocortoro* pro *Durocortorum* dictum eſſe miretur.

Claudium Ptolemæum ſequitur in appellatione ejus urbis Stephanus Grammaticus, de

Vrbibus, ſive potiùs Stephani Epitome, & *Dorocottorum* vocat *urbem Gallorum Septemtrionalium*; *incolam Dorocottorium*. Δοροκόττορον πόλις Γαλλίας τῶν ἀρκτῴων : ὁ οἰκήτωρ Δοροκοττόριος. Ambo *Durocottorum* & *Dorocottorum* ex Durocortoro feciſſe mihi videntur, ad molliendum leniendumque aſperum ſonum, ne in vocabulo quinque ſyllabarum aſpera & fauces radens, ac blæſis inſuperabilis littera ter rugiret. Sincerum enim & incorruptum ac verum nomen eſt urbis *Durocortorum*, compoſitum ex *Durum* quod aquam oſtiumque Gallicâ linguâ ſignificat, uti in Autiſſioduro notavimus, & ex *cortorum*. De *cortoro* vocabulo Gallico ſignificationis incertæ factum *Cortoriacum*, municipium Belgicæ ſecundæ nobile, in Notitia Imperii Romani & in Vita Eligii Epiſcopi memoratum. Certè in tabula Theodoſiana *Durocortoro* ſcriptum reperimus : & in Itinerario provinciarum Æthici paſſim *Durocortoro* ſimiliter ſcriptum impreſſumque invenimus, ſemel *Durocordorum* vel *Durocordoro Remorum*; & in ejuſdem Æthici Coſmographia *Dorocordoros* in IV. caſu plurali; ſicut u in o, & t in d commutari, ac invicem ſuccedere IV. hæ litteræ conſuevere. Apud Magnonem legimus, *Remus*, *Durocordurum*, id eſt Remus, cujus caput Durocortorum. Nicolaus Bergerius *Dure* aut *Duren* turrim apud veteres ſignificâſſe gratis ait, *cort* villam aut prædium : quibus ex II. nominibus *Durocortorum* factum ſit, id eſt Turriſvilla. At chors vel cohors pars villæ Latinis fuit; nomen autem Gallicum urbis Belgicæ ex vocabulis altero Latino, altero ignoto componi non potuit; nec ex *cort cortorum* fieri.

Hæc urbs, more multarum Galliæ urbium, etiam nomen Gentis cujus caput erat accepit, ac communi nomine vel Gentili dicta eſt *Remi* pro Durocortoro, propria appellatione depoſita. Certè ita eam Tacitus in libro IV. Hiſtoriarum appellat, quum ait *ad mitiora inclinantes Galliarum civitates, in Remos conveniſſe*. Ita Ammianus Marcellinus cùm alibi, tum in libro XV. *Remos* in *ſecunda Belgica* memorat: quæ *Remorum urbs præpotens* in epiſtola ad Agerochiam Hieronymo nuncupatur. In libris V. ac VII. Codicis Theodoſiani reſcriptum Valentiniani & Valentis AA. legimus ad Jovinum Magiſtrum equitum, *Datum Remis*: & in libro IX. eorumdem Principum ad Maximinum Correctorem Tuſciæ, *Datum Remus*. Ex quo apparet Valentinianum Majorem Aug. præter ceteros ea in urbe aliquamdiu manſiſſe, & Palatium ibi ſuum habuiſſe. In Notitia provinciarum Imperii Rom. *Præfectus Letorum Gentilium Remos & Silvanectas Belgicæ ſecundæ*: item *Præfectus Sarmatarum Gentilium inter Remos & Ambianos provinciæ Belgicæ* II. Ergo milites, *Læti Gentiles* dicti, principatu Honorii cum ſuo Præfecto Remis & Silvanectis in præſidio fuerunt; *Sarmatæ* item *Gentiles* unà cum Præfecto ſuo inter Remos & Ambianos. In Notitiis veteribus provinciarum & civitatum Galliæ, primas tenet in provincia Belgica ſecunda *Metropolis civitas Remorum*; *Remis civitas* Gregorio, caput *Campaniæ Remenſis*, & *urbs Remenſis*; Fredegario *Remiciana urbs* vel *Remetiana* mendosè. Alii *Remus* velut nomine indeclinabili aut in III. caſu appellant; alii *Remus* pro Remos, ut *Pariſius* pro Pariſios. Vulgò *Reims* Noſtri, nomine à Remis deducto, duabus litteris tranſpoſitis nuncupant; quam urbem Geſta Regum Francorum & Roricο Auſtraſiorum Regum, Theodorici, Theodeberti, ac Theodebaldi, necnon Sigiberti ſedem ac Regiam fuiſſe prodiderunt. Annales Bertiniani in rebus anni DCCCLXVI. *Romanam civitatem* mendosè pro *Remanam* vocant. Idem mendum reperio in Homilia Alcuini de Natali S. VVillibrordi, & in Vita S. Vedaſti, quam idem Alcuinus elegantiorem fecit, & quam in Thuanea Bibliotheca MS. vidi : *Hunc verò* (Vedaſtum) *ad B. Remigium Chriſti Sacerdotem Romanam properans civitatem, ſibi ſocium aſſumſit Ludovicus Rex Francorum*, id eſt Chlodoveus.

Notitia Imperii Rom. docet ſub diſpoſitione V. I. Magiſtri Officiorum *Fabricam Remenſem ſpathariam*, unam ex octo Gallicanis Fabricis fuiſſe; ſub diſpoſitione V. I. Comitis ſacrarum largitionum, *Procuratorem Gynæcii Remenſis Belgicæ* II. tertium inter ſex Procuratores Gynæciorum locum tenuiſſe; & *Præpoſitum Barbaricariorum ſive Argentariorum Remenſium* inter tres medium. Libri editi pro *Gynæcio* vel *Gynæceo Cynegium* mendosè nobis obtrudunt; ſicuti in Arelato, Lugduno, Turnaco, Treviris, Auguſtoduno, aliiſque.

Portæ Remis fuere celebriores, ad ortum porta *Trevirica*, eadem *Cereris*, & *Regalis*, & *porta Carceris*, *Porte-chartre* vulgò dicta : ad occaſum Solis, *porta Sueſſionica*, eadem & *Valeſia* Johanni Sareſberienſi nuncupata, *porta* etiam *Veneris*, & *porta Vidula*. Hæc Sueſſionas in urbem & in pagum Valeſium ducebat, ut Trevirica porta Auguſtam Trevirorum; vulgò nunc *Porte aux Ferrons* a mercatoribus *ferri* vocatur. Tertia porta *Collaticia* ad Auſtrum, quæ & *Baſilicaris*, ad quam arcus triumphalis ex parte ſupereſt. Quarta ad Aquilonem *porta Martis* appellabatur à templo Martis proximo, ut *porta Cereris* & *porta Veneris* à templis Dearum : hæc nomen hodieque ſervat, juxta quam alter arcus triumphalis cernitur.

Extra portam Martis ſunt *Arenæ* ſeu *Mons Arenarum*, Amphitheatri ſeu duplicis hemicycli figurâ. *Arenæ* autem tota in Gallia Amphitheatra vocitantur à potiore parte, atque ea plurimum extra urbes fuerunt : ex quo intelligitur Remos Amphitheatrum ſuum quondam habuiſſe. Cur autem hoc ornamento careret Metropolis Belgicæ ſecundæ, quod Auguſtæ Sueſſionum Remis ſubjectæ, quod Meldis aliiſque minoribus urbibus non defuit? Palatium ibidem fuiſſe docet Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis hiſce verbis. *Cum in Palatio ejuſdem civitatis* (Remorum) *cum Joſleno Sueſſionenſi Epiſcopo conſediſſet* Bernardus ad conciliandos Archiepiſcopum & populum Remenſem diſſentientes.

Anno DCCCCXL. *Dedit Rex* Francorum Ludovicus Tranſmarinus cognominatus *Artaldo Remenſi Archiepiſcopo ac per eum Eccleſiæ Remenſi, per præceptionis Regiæ paginam, Remenſis urbis monetam jure perpetuo poſſidendam : ſed & omnem Comitatum Remenſem eidem contulit Eccleſiæ* : ut ſcribit Frodoardus in Chronico. Sic Artaldus ejuſque ſucceſſores Remorum Antiſtites

& Comites facti ſunt, atque ita ſe ipſi appellaverunt, jure etiam percutiendæ monetæ ad ipſos tranſlato. Unde & anno Incarnationis Dominicæ MLIX. Indictione XII. regni Henrici Regis anno XXXII. X. Kal. Junii, Philippus ejus filius ſeptennis, mox Rex eligendus & conſecrandus, *fecit præceptum, ſicut anteceſſores ſui fecerant, de rebus S. Mariæ & Remenſi Comitatu*, ut legimus in codice Petaviano. *Res* autem *S. Mariæ*, poſſeſſiones majoris Eccleſiæ Remenſis ſunt, ad quam & Remenſis Comitatus donatione Ludovici Tranſmarini pertinebat: quæ omnia Philippus iſte ſuis litteris confirmavit. Quippe majorem Eccleſiam Durocortori, matremque ceterarum, ab origine titulo ac patrocinio S. Mariæ ſemper eſſe gaviſam atque gloriatam, Annales Bertiniani & Hincmarus præ ceteris docent. Hæc Remenſis Comitatûs donatio, origo Ducatûs ac Pariatûs Remenſis fuit in Epiſcopis Remenſibus: qui poſtea, uti Lingonici ac Laudunenſes Antiſtites, ex Comitibus Duces & Pares evaſerunt, ac eum ſibi titulum arrogaverunt: quod quando aut quomodo factum ſit, incertum eſt. Ubi notaſſi convenit, quemadmodum provinciæ Belgicæ II. Metropolitanus Epiſcopus, Dux & Par Franciæ fuit, atque inter Duces & Pares Eccleſiaſticos primas tenuit; ſic reliquos Eccleſiaſticos Pares, Duces aut Comites, ejuſdem provinciæ Epiſcopos & eidem metropoli ſuffragantes exſtitiſſe, uno Antiſtite Lingonico excepto, qui non Belgicæ, ſed Celticæ, atque adeo provinciæ Lugdunenſi primæ attribuitur. Duces Pares, Remenſis, Laudunenſis, Lingonicus Epiſcopi; Comites Pares, Bellovacenſis, Noviomagenſis, & Catalaunenſis Antiſtites. Exemplum Regum noſtrorum ſequuti ſunt non Duces modò, & Comites, atque adeò Epiſcopi, ſed etiam parvorum opidorum nonnumquam, & ut ita loquar caſtellorum domini, & ſuos ſibi Pares, plerumque numero ſimiliter duodecim habere voluerunt. Qui Ducibus aſſidebant in privatis judiciis aut in conventibus publicis, *Pares Ducatus*, aut *Pares Curiæ* Aquitanicæ vel Burgundicæ ſimiliumve appellabantur: qui Comitibus aderant Barones aut Proceres, *Pares Comitatus Flandriæ* verbi gratiâ, aut *Pares Curiæ Flandrenſis* nuncupari conſueverant: qui in conſilio erant Epiſcopis Barones, hujus aut illius *Epiſcopatus Pares* vocabantur. Certè apud Lambertum, qui de Comitibus Giſnenſibus Chronicon compoſuit, XII. *Flandrenſis Curiæ Pares & Barones* fuiſſe legimus, & Comitatum Giſnenſem *duodecim Pariatus* ac *Baronatus* à priſcis temporibus habuiſſe, atque etiam *duodecim Pares* vel *Barones*, caſtro Ardæ Arnoldoque Ardenſi domino fuiſſe ſubjectos. Sed & Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum Optimates Germaniæ qui Imperatorem eligunt, & præſentes aut ſaltem per litteras Epiſcopo Romano offerunt conſecrandum coronandumque, numero duodecim eſſe more noſtro ait, *Pareſque* ſimiliter appellari. *Eligitur autem Imperator & præſentatur* (inquit) *ſaltem per litteras à duodecim Proceribus Alemanniæ, qui vulgariter Pares appellantur.* Conſtat tamen non duodecim, nec uti nunc ſeptem Optimatium, ſed omnium Franciæ Orientalis ac Germaniæ Epiſcoporum ac Procerum ſuffragatione Reges Germaniæ tum eligi conſueviſſe, eoſque poſtea non à Germanis in Germania, ſed à Papa & à Senatu populoque Romano Romæ Imperatorio nomine honorari, & ungui ſacro oleo, iterumque coronari ſolitos eſſe.

DUROICOREGUM AMBIANORUM.

In tabula Theodoſiana *Teucera, Sammarobriva, Setucis, Rodium, Lura, Auguſta Sueſſonum* ordine commemorantur: ex quibus *Teuceram Tieure*, Rodium *Roye* Cluverius exponit. Eſt autem *Teucera* ad Alteiam flumen. Ibidem *Luttomagi, Adlullia, Duroicoregum* cùm legiſſet Cluverius, *Luttomagum, Monaſteriolum aut Stapulas Briannorum vel Oromanſacorum* eſſe credidit; *Adlulliam*, vicum *Argoulles* ad ripam Alteiæ poſitum; *Duroscoregum, Rue*, locum ad oram Galliæ Belgicæ non incelebrem aut ignotum.

Duroscoregi nomen eſt compoſitum ex *Durum*, quod oſtium aut ſecundùm alios aquam Gallicâ linguâ ſignificat, & ex *icoregum* vel *icorigum*, cujus vocabuli ignota mihi ſignificatio eſt. Inter vicos Auſavam & Marcomagum eſt *Icoriguum* vel *Egoriguum vicus*, ab Auſava leugis XII. à Marcomago XXVIII. diſtans, ut Æthicus & tabula Theodoſiana docent: quo in loco *Icoregi* nomen agnoſcimus.

DUROSTALLUM ANDIUM.

Duroſtallum vel Durſtallum, *Durtal*, vel *Duroſtail*, in Andibus ad Lidericum flumen, Franciċâ ſive Germanicâ linguâ dictum videtur, quaſi aquæ manſio, vel aquatica manſio & ſedes. *Durum* enim aquam, *ſtallum* manſionem Francis olim Germaniſque ſignificabat. Loci hujus meminit Britto in libro X. Philippidos.

Durſtallumque, vadis ubi Sarta adjutus Hienæ
Te miſtum Liderice ſibi rapit in Meduanam.

Non eſt tamen poſitum, ut ait Britto, ad Liderici & Sartæ confluentes *Duroſtallum*, ſed ab confluente IV. aut ampliùs leugas abeſt; & Sarta Lidericum recipit ad vicum Confluentes, *Ecoſlans*. *Duriſtallum caſtellum* vocat Fulco Richinus, in rebus majorum ſuorum Comitum Andecavenſium, nuper à Luca Acherio vulgatis, & præter cetera in pago Andecavino à Fulcone Nerra Comite Andecavorum, avo ſuo materno, exſtructum eſſe ſcribit. *In Andegavino pago ædificavit Baugiacum, Caſtrum Gunterii, Duriſtallum, & multa alia.*

DUSIACUM REMORUM.

Duſiacum in pago Moſomagenſi ad fluvium Charem, Frodoardus in Chronico & in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis *Duodeciacum* Latino nomine numerali; quidam *Duodeciacum vicum*; alii *Duciacum* & *Dociacum*; alii *Duſicam villam* appellant, vulgò *Douzi les Prez*: quem locum Chlodoualdus Regis Chlodomeris filius Remenſi Eccleſiæ legavit; uti ſcribit Hincmarus in libro de Vita Remigii. Synodi ibi duæ Epiſcoporum ſunt habitæ, prior anno Chriſti DCCCLXXI. poſterior

anno DCCCLXXIV. in quibus *Duſiacum villam provinciæ Remenſis*, & corruptè *Duzsacum villam ſecus municipium Moſomum Remenſis parœcia* vocati animadverto; in Chartulario Cluniacenſi, quod Bibliotheca Thuanea ſervat, in litteris datis anno DCCCCXXXIX. *Dociacum villam. Actum in Querceto juxta Dociacum villam ſuper fluvium Carum*, XII. *Kal. Jul. Indictione* XII. *anno* IV. *regnante Ludovico Rege*, nimirum Tranſmarino. Quidam *Tuſiacum* audacter pro *Duſiaco* vocant, locum ubi Synodus ab Hincmaro habita eſt, & *Tuiſy* interpretantur: qui eſt vicus ad flumen Vidulam, III. ab urbe Durocortoro leugis diſtans, à Monaſterio S. Baſoli interfluente amne diviſus. Quos errare vel ex eo apparet, quod *Duſiacum* vel *Duciacum* ubi Synodus habita eſt, conſtat ad flumen Charem,& in pago Moſomagenſi poſitum fuiſſe: qui ſitus vico *Tuiſy* non convenit. Eſt quidem *Tuſiacum* Tullo proximum, ubi Concilium anno DCCCLX. habitum eſt, vulgò *Touſy* dictum: ſed ad *Duſiacum* noſtrum in Remis, & ad vicum *Tuiſy* nihil attinet.

DUSMENSIS PAGUS.

Pagus Duſmenſis, *le Duesmois*, memoratur in Capitulis Caroli Calvi, apud Silvacum promulgatis anno DCCCLIII. his verbis. *Miſſi in Auguſtduno, & in Belniſo, & in Duſmiſo.* Leguntur litteræ Rotberti Francorum Regis, datæ anno MV. in caſtris ante Aballonem, quibus Odonis Vicecomitis Belnenſis, qui *villam Ampeliacum ſiccum, ſitam in Comitatu Duſmenſi*, & Belnenſem Eccleſiam S. Stephani Divionenſi Baſilicæ S. Benigni dederat, donatio confirmatur: *Ampilly le ſec au Comté de Duesmois.* Sunt & *Vilenna in pago* Duſmenſi, & ab eo cognominatæ, *Vilennes*, aliàs *Villaines en Duesmois*: ubi Hugo Dux Burgundiæ, eo nomine quartus, teſtamentum fecit anno MCCLXXII.

In pago Duſmenſi (*le Duesmois*) poſitam eſſe Aleſiam Mandubiorum ait Samſon, & Mandubios pagum Duſmenſem interpretatur: quaſi pagus Aleſienſis, (*l'Auxois*) in quo ſita eſt haud dubiè Aleſia, pagi Duſmenſis pars haberi debeat: quod forſitan verum eſt. Certè quidam caſtellum *Duſmum*, à quo *pagus Duſmenſis* nomen accepit, vocant *caſtrum Duſmum in Aleſienſi pago*, *le Chaſteau de Duesme en Auxois.* Quod ſi rectè faciunt, pagum Duſmenſem Aleſienſis pagi portionem eſſe, & ei nonnumquam attribui credendum eſt.

E

EBOROLACUM ARVERNORVM.

QUOD Sidonio *Eborolacum* dicitur, idem Vita Imper. Ludovici Pii quæ ab æquali auctore ſcripta eſt, nuncupat *Eurogilum* in rebus anni DCCXCVI. quatuor præcipuis Ludovici hujuſce, tum Aquitaniæ Regis, Palatiis villiſve publicis illud adnumerans. Erant autem hæc IV. majora Palatia Regis Regnique Aquitaniæ, *Teotuadum*, *Caſſinogilum*, *Iucundiacum* & *Eurogilum*: ex quibus tertium ibi corrupto & truncato nomine *Andiacum* vocatur; at in rebus anni DCCCXXXII. *Iocundiacum Palatium, in territorio Lemovico ſitum* rectiùs dicitur. Caſtrum eſt *Eurogilum* poſitum in Arvernis ad Sicaulam flumen, *Sioule*; vulgò *Ebreule* appellatum, litterâ o in eu mutatâ ex more.

EBRODVNVM HELVETIORVM.

Eburodunum vocat Tabula Theodoſiana vel Peutingeriana, & inter Veſontionem Sequanorum & Aventicum Helvetiorum ponit ſic. *Veſontione, Dubris, Filomuſiaco, Abiolica* vel *Ariorica, Eburoduno, Aventicum Helvetiorum.* Veteres Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ in provincia Maxima Sequanorum ſexto id collocant loco, & pars *caſtrum Ebredunenſe*, pars *caſtrum Ebridunenſe*, atque etiam *civitatem Ebridunenſem* impropriè, (numquam enim ſedes Epiſcopatûs fuit, id quod civitatis nomine deſignatur) aliæ *caſtrum Ebrodunenſe*, aliæ *caſtrum Ebrudunenſe* appellant. Quædam Notitia in VII locum rejicit, poſtponitque Veſontioni, Lauſannæ ſeu Aventico, Baſiliæ, Belicæ, civitati Equeſtri, caſtro Vindonenſi, ac deſignat his verbis. *Caſtrum Ebrodunenſe juxta Vrbam ſuper lacum.* Ex quibus intelligitur huncce locum variè à variis nuncupari conſuevisse, modò *Eburodunum*; modò eliſâ u litterâ *Ebrodunum*, atque etiam o in u cõverſo *Ebrudunum*; nonnumquam *Ebredunum* ac *Ebridunum*: ut o & u, e & i invicem permutantur. Sic Metropolis Alpium Maritimarum Ptolemæo *Eborodunum* Caturigum, Æthico *Eburudunum* & in tabula Theodoſiana, *Ebrudunum* in Notitia Imperii, ab aliis *Ebrodunum*, *Ebredunumque* ac *Ebridunum* vocatur. Ebrodunum noſtrum in provincia Maxima Sequanorum vulgò *Iverdun* dicitur, aliàs *Iverdon*, & VII. millibus paſſuum ab Urba caſtello fluvioque diſtat, eſtque ad caput lacus, qui eo in loco *Ebrodunenſis* ab ipſo cognominatur; *lacus Dunenſis* Fredegario in capite XVIII. libri V. & ultimi Chronici. *Eo anno aqua calidiſſima in lacu Dunenſi, in quem Arola fluvius influit, ſic validè ebullivit, ut multitudinem piſcium coxiſſet.* Hic lacus nunc vulgo vocitatur *lacus Novoburgenſis Nuvvenburgerſee*, à Novoburgo ei adjacente quem *Nuvvenburg* appellant, gignitque Biennenſem lacum, *Bielerſee*, & Murtenenſem *Murtenſee*; & Vrbam fluvium recipit, antequàm in Arolam, *Ar* vulgò dictum effluat. Malè itaque à Fredegario dicitur *Arola in lacum Dunenſem* ſeu Ebrodunenſem *influere*; cùm lacus ipſe potiùs unà cum Vrba flumine partem aquarum ſuarum in Arolam emittat. *Noviburgi* autem & *Murtena* primus meminit ante annos ſexcentos Hermannus Contractus in Chronico, tamquam caſtellorum poſterioris Regni Burgundiæ: ex quibus Novumburgum *Nuenburg* vocat, Noſtri *Novum Caſtrum* nuncupant, *Neufchaſtel*, at *Murtena* caſtrum, cujus idem non ſemel mentionem facit, *Murten* hodieque incolis dicitur, Noſtris *Morat*, locus Caroli Burgundiæ Ducis clade & cæde nobilis, in Comitatu Rotundomontenſi.

EBVROBRICA.

Eburobricam inter Auteſiodorum & Tricaſſas memorat Æthicus in Itinerario provinciarum, Antoninus Auguſtus falsò aliis dictus & creditus; *Eburobrigam* tabula Peutingeriana vel Theodoſiana ſimiliter proxime *Auguſtobonam* Tricaſſium: quam Cluverius in Antiqua Germania interpretatur *Brimont* ad fluvium Hormentionem, *Armançon*: deſignans haud dubiè locum, quem tabulæ noſtræ nunc *Brinon*, nunc *Brignon*, nonnumquam ſed corruptè *Bernon* appellant, nuſquam ac numquam *Brimont*. Nomen autem *Eburobrica* compoſitum eſt ex duobus

duobus vocabulis Celticis ſeu Gallicis *Eburo* & *brica*: quorum alterum *Eburones*, gens apud Cæſarem inferioris Germaniæ, & Aulerci *Eburovices*, Gens Galliæ Lugdunenſis tulerunt; alterum, nimirum *Brica*, idem eſt quod *Briva* & *Bria*, pontemque apud veteres Gallos ſignificabat. Hodieque Germani pontem *Brucken* & *Bruck* vocitant, nomine haud dubiè à *Brica* deducto: & opidum Ad Duoſpontes, *Zweibrucken*; Saravi pontem, *Sarbrucken* nominant, Noſtri *Sarbruc*.

EDERA FLUVIUS.

Edera fluvius, *Ierre* vulgò, nonnullis contractiori nomine *Ter* dictus, nomen videtur ab edera inveniſſe, cujus more modoque ſerpit flexuosè potiuſquam decurrit. Hic ortus in ſaltu Briegio, & quatuor rivis aut fluviolis auctior factus, vicos attingit Ebulum *Ieble*, Solurram (*Soulare*) Ciconiolas, nonnullis corrupto Latino nomine Ceognolas dictas, *Soegnolles*, Nucetum *Noiſy*, Cons, aliàs Combiſvillam (*Con-la-ville*) Quintiacum majus *Quincy le Grand*, Quintiacum *Quinſy*, Bouci vicum, priſcum nomen totum & integrum hodieque retinentem, quibuſdam tamen *Boſſy* nuncupatum. Tum amnem recipit ex Capriaco *Chevry*, Attiliaco *Atilly*, Ferrolis *Ferolles* aut *Fareilles*, Liciniaco *Leſigny*, & Ambaella *Emboille* venientem: poſtea Ederam vicum Monaſterio Virginum ſacrarum inſignem, *Ierre*, cui nomen ſuum dedit, Bronacum vel Bronai, *Bruney* vulgò, *villam Brunnadum* in Geſtis Dagoberti dictum, & Cronam *Crone* alluit, atque apud Villamnovam, Sancti Georgii Patroni ſui cognomine nunc inſignem (*Villeneuve S. George*) in Sequanam evoluitur.

Eſt & *Edera* fluvius, *Yerre*, in pago Dunenſi, qui alluit Fontanas *Fontaines*, & vicum S. Hilarii, ac in Lidericum defluit.

EDOBOLA SILVA.

Silvam Edobolam in pago Petrocorico memorat in rebus geſtis Pippini Francorum Regis auctor ejus æqualis, quum bellum Aquitanicum accuratè deſcribit: *VVaifarius cum paucis per ſilvam quæ vocatur Edobola, in pago Petrocorreco latitans, huc illucque vagatur incertus.* Hanc ſilvam eſſe aiunt *la foreſt de Ver* in Petrocoriis.

EFLIA.

Quam Marlianus *Eſliam* vocat, & inter Limburgenſem Ducatum ac Namucenſem Comitatum ponit, eamdem alii *Eiſliam* appellavere, & Tolbiacum ei attribuere, caſtrum ab Agrippina civitate leugis XVI. diſtans. Brouverus qui Fortunatum Notis illuſtravit, *Eiſliam regionem Treviris & Agrippinenſibus confinem* eſſe ait, meliùs facturus, ſi inter Treviros & Agrippinenſes eam jacere, ſed Agrippinæ tamen quam Auguſtæ Trevirorum propiorem eſſe dixiſſet. Hunc Pagum tabulæ collocant circa Monaſteria Prumiam, Malmundarium & Stabulaus, non longè à Proneæ ſeu Prumiæ & Celbis fluminum fontibus: cujus recentioris nominis cauſſa ignoratur.

ELAVER FLUVIUS.

Notiſſimum eſt flumen *Elaver*, quod non ferè ante autumnum vado tranſiri ſolere ſcribit Julius Cæſar in libro VII. belli Gallici: *l'Alier*. *Elavaris quem Elaurem vocitant*, in libri VII. Hiſt. capite XXXIV. Gregorio Turonico Epiſcopo dicitur; *Elauris* Sidonio Aruernorum Antiſtiti, & Theodulfo in Parænesi ad Judices; *Hileris* Suggerio in Vita Ludovici Craſſi F. R. Hic fluvius ſurgit in Cebennis, in confinio Gabalorum & Vellauorum: & attingit Caſas Monaſterium, *les Chazes*, Langiacum, (*Lanjeac*) Petrociam *Peyruſſe*, Volutam *la Volte*, Brivatem veterem *Brieude vieille*, Brivatem, *Brioude*, Iciodorum, *Iſſoire*, Pontem-Caſtelli, *Pont du Chaſteau*, Viciacum *Vichi*, opidũ S. Germani de Foſſis, *S. Germain des Foſſez*, Varennas, *Varennes*, & Molinas *Moulins* alluit, & infra Nivernum in Ligerim influit. Oſtium ejus vulgò *os Elaveris*, ſeu Bucca Elaveris dicitur, *le Bec d'Alier*. *Alerem* & *Alarem* recentiores ſcriptores appellant; Pippinus gratiâ Dei Rex Aquitanorum in litteris ſuis *Helerium* & *Helarium*: *de VI navibus, quæ per alveum Ligeris, Helerium, Carim,* (*le Cher*) *Vincennam* (id eſt Vingennam *la Vienne*,) *diſcurrunt.* Item: *per Ligerem, Helarium, Carim, Dordoniam, Garonnam*, & per cetera diverſa flumimina Regni noſtri. Iotſaldus in Vita Odilonis Cluniacenſis Abbatis, *in confinio* (inquit) *Auguſtidunenſi Molinis eſt caſtrum, ſuper Aleris fluvium ſitum.* Odo in Collationum libro III. *Alerium* vocat, ut Iotſaldus *Alerim*. *Eſt* (inquit) *Eccleſia S. Aventini in Arverno, ſuper fluvium qui vocatur Alerius.* Accipit Elaver præter ceteros Alanionem *Alamion*; Dorium *Dore* vel *Dore*; Cicaulam, aliàs Seulum, *Siole* vel *Sioulle*, qui Bubulâ augetur *Bouble*. Apud Mabringas, *Mabringues*, qui locus eſt inter Pontem Caſtelli atque Viciacum, incipit navigari; Ligerimque auget ad III. lapidem à Niverno, poſtquàm pagum Nivernenſem à Burbonenſi diviſit per leugas X.

ELBOTVM.

Elbotum Latini ſcriptores etiam recentiores vocant, *Elbeuf*, ab altitudine fluminis Sequanæ, quod infra Elbotum nullius præterquàm Riſelæ aut Ridulæ fluvii aquas accipit, memoratu dignas. *Bot* autem & *Bod* veteri linguâ Gallicâ & Liguſticâ altitudinem ſignificat, unde & *bout* noſtrum deducitur, quo nomine extremum deſignamus. Certè ut Galli olim *Bod* vel *Bot*, ſic hodieque Germani *Boden* & *Bodem*, Angli *Bottom* fundum appellant. Fundum porrò cujuſque rei, ut ſacci, partem ejus eſſe omnium extremam ac maximè altam nemo neſcit. *Elebotum* quidam appellant non malè. Nam aliqui vulgo *Ellebeuf* ſcribunt. *Albotum* & rectè Polyptychon Monaſteriorum Franciæ nuncupat, & *Prioratum S. Ægidii juxta Albotum* in Rotomagenſi diœceſi memorat. Hoc municipium, in Ducale faſtigium evectum, Maſſonus & plerique alii *Elbovinum* ineptè vocitant, poſteriore vulgaris vocabuli

ſyllabâ decepti: cùm hic locus nomenque ejus nihil ad *boves* pertineat. Elbotum enim vel Elbodum dictum à Noſtris *Elbeuf*: ut Guellebotum vel Guellebodium *Quillebeuf*; *Dalbuth* villa, ſeu *Dalbodium*, aut *Dalbued* Baronia, in litteris Richardi II. Normannorum Ducis & Alexandri PP. III. memorata, *Daubeuf*, o in eu ex more converſo. Meliùs quidem proferretur ac ſcriberetur *Elbeu*, ut & *Quillebeu*, & *Daubeu*. Noſtri enim nec D nec T Latinum in F mutare conſueverunt.

ELECTA, ET TOMERIÆ.

Notitia Epiſcopatuum Galliæ paullo poſt annum MCCCXXII. compoſita in Gothia ſub ſede Narbonenſi decem Epiſcopatus collocat ſuffragantes Metropoli, quos inter *Sancti Pontii Tomeriarum*, & *Electenſem novos*, ex priſcis Monaſteriis factos.

Et Monaſterium quidem S. Pontii poſitum erat in vico *Tomeriis*: unde poſteaquàm in Epiſcopatum evectum eſt, oppidum à Monaſterii quondam, tum autem ſedis Epiſcopalis Patrono, & à loco *S. Pontii Tomeriarum* nomen accepit. *S. Pons de Tomieres* Noſtri vocant. Hæc civitas adjacet fonti magno, qui vicos aliquot præterlapſus in Obrim effluit, & à prima origine molas agit. Diœceſis S. Pontii Tomeriarum continet Tomerias, Volutam *la Voute*, Rivulos *Riols*, Aquas Sanas *Aigues Saines*, Minervam *Menerbe*, Oppianum, Calvariam *la Calviere*, Angulos *Angles*, Salvitatem *la Salvetat*.

At *Electa*, ante annos D. aut etiam DC. ita nomine Latino nuncupata, vulgò *Alet*, flumine Atace alluitur. In litteris *Beringarii Narbona urbis Proconſulis*, id eſt Vicecomitis, datis anno MLVI. memoratur *Eccleſia S. Mariæ, Cœnobium loci Electi, ubi mirificum habetur lignum Dominicum. Locus Electus Alet* eſt haud dubiè. *Epiſcopatus Aletenſis* vocatur à Joſepho Scaligero: & in Notitia provinciarum Galliæ, quam ope veterum codicum emendatam à ſe ait, ego recentem ac mendoſam eſſe non dubito, *civitas Aletenſium* appellatur, & IV. loco ponitur in provincia Narbonenſi poſt Narbonem, Toloſam & Agatham, ac V. veteribus civitatibus nova civitas abſurdè præfertur. *Alectam* Maſſonus vocat, & ſedem Epiſcopatûs, cui priùs Limoſium caſtrum proximum deſtinatum fuerat, à Johanne Epiſcopo urbis Romæ ibi collocatam eſſe tradit.

Diœceſi Electenſi continentur præ ceteris Electa, Limoſium *Limoux*, Tonantium *Tonens*, Maceriolæ *Mazerolles*, Villa longa, Mons Ferrandus balneis inſignis, Lucus, pagus Saltûs *le païs de Sault*.

Electa & Tomeriæ hodieque Narbonenſem primam pro provincia, Narbonem Martium pro metropoli habent, ex quo à Iohanne Epiſcopo Romano Antiſtites acceperunt. Petrarcha in libro II. Rerum memorandarum de Johanne PP. XXII. novorum in Gallia Epiſcopatuum inſtitutore ſic refert. *Gallia adhuc queritur, Epiſcopatus plures ab eo diviſos, locatoſque parum idoneis locis: cùm antè in longè optimis opulentiſſimiſque urbibus Epiſcopos tantùm haberet.*

ELENA BELGICÆ II.

Vicum Elenam in primis Atrebatium finibus quà Camaracenſes attingunt, ab Apollinare Sidonio in Panegyrico Majoriano Aug. dicto memoratum, eſſe forſitan Lenſium ad Deulam, (*Lens*) *Lenenſe caſtrum* Balderico in Hiſtoriæ libro II. dictum, ſcripſi in libro III. Rerum Francicarum. Quam conjecturam meam Davidi Blondello gaudeo placuiſſe, qui adverſus Chifletium ſcribens, vel potiùs Chifletii libris reſpondens, *Helenen caſtrum ſive Lens* non ſemel appellat: gaudeo & placuiſſe multo antea Gottefrido VVendelino in legibus Salicis illuſtratis anno Domini MDCXLIX. cujus in pagina CI. hæc ſunt verba. *Quando etiam ad vicum Elenam quod eſt Lenenſe caſtrum, (vulgò Lens) turbata ſunt nuptiæ, quas deſcribit Sidonius, optimeque interpretatus eſt Hadrianus Valeſius.* In Capitulis Caroli Calvi *Lens* vocatur nomine hodieque uſitato, & inter villas Regias ſilvis proximas numeratur.

ELENA CIVITAS NARBONENSIS I.

In libello de Vita & moribus Imperatorum ad Theodoſii majoris filios deducto reperio, Conſtantem Aug. filiorum Conſtantini Maximi natu minimum, *apud Helenam oppidum Pyrenæo proximum à Gaiſone cum lectiſſimis miſſo interfectum eſſe* anno XIII. imperii, ætatis XXVII. *Obiit* (inquit Eutropius) *non longè ab Hiſpaniis, in caſtro cui Helena nomen eſt.* Qui Princeps paullo antè viſus erat in ſomnis, in gremio aviæ ſuæ confodi. Paterna autem Conſtantis Aug. avia *Helena* vocabatur, & in oppido ejuſdem nominis juvenis Imperator, cùm recèns ablutus & adhuc in albis eſſet, à Magnentianis miſerabiliter eſt jugulatus. *Elenam* tamen plerique ſine adſpiratione ſcribunt; *Elnam* recentiores: ut hodieque Hiſpanis *Elna* dicitur, Noſtris *Elne*, ac nonnumquam *Eaune*. Sita eſt Elena ad rivum aut amniculum qui in mare effluit, priſcis Geographis Straboni, Mellæ, Plinio ac Ptolemæo incognita.

Facta eſt Sedes Epiſcopatûs eodem quo Carcaſſo tempore, videlicet poſt Veſigothos à Chlodoveo Aquitaniæ finibus expulſos & Toloſâ Vcetiaque ſpoliatos: itaut ne ſuum Septimaniæ nomen non conveniret à numero civitatum Narboni metropoli attributarum; Toloſæ & Vcetiæ Septimaniæ urbibus Carcaſſo & Elena ſubſtitutæ eſſe videantur. Hoc Concilia Hiſpaniæ docent, regnantibus ibi Veſigothis habita, quibus Epiſcopi Narbonenſis, Beterrenſis, Agathenſis, Magalonenſis, Nemauſenſis, Luteuenſis, & *Carcaſſonenſis* ac *Elenenſis* aut *Elnenſis* adſunt atque ſubſcribunt. Docet hoc & deſcriptio Eccleſiarum Hiſpaniæ ac Septimaniæ vel Gothiæ, à VVamba Rege facta ante annos circiter mille, in qua *Beterra, Agatha, Magalona, Nemauſus, Luteba, Carcaſona, Elna Narboni* metropoli jubentur ſubjacere. Ante Concilia Toletana nullam uſquam invenio Carcaſſonis & Elenæ tamquam Epiſcopalium ſedium fieri mentionem, ne in veteribus quidem Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ. In Chronico Roberti

Narbonenſis provinciæ nona ac pænultima eſt *civitas Carcaſſonenſium*; *civitas Elenenſium* ultima, quod ſcilicet ceteris Septimaniæ urbibus Epiſcopalibus ambæ antiquitate cederent. Quare & Gervaſius Tiſleberienſis, & Notitia Epiſcopatuum Galliæ circa annum MCCXCV. ſcripta inter Epiſcopos Narbonenſi Archiepiſcopo ſuffragantes *Elnenſem* nonum ac noviſſimum numerant. Apud Rogerium de Hoveden *in terra quæ* dicitur *Ruſſilun eſt civitas bona Alna*, hoc eſt in pago Ruſcinonenſi Comitatuve eſt civitas Elna. Notandum eſt, quod ſcribit *A. Helenenſis Epiſcopus* in epiſtola *ad Ludovicum Glorioſum Francorum Regem*, ejus nominis VII. Eccleſiam Helenenſem à Francorum Regibus expulſis Saracenis Hiſpanienſibus in integrum reſtitutam, & prædiis villiſque fiſcalibus auctam fuiſſe. *Glorioſa recordationis prædeceſſores veſtri perennem memoria ſuæ titulum nobis reliquerunt, Eccleſiam noſtram expulſis Agarenis in priſtinum ſtatum reformando, & eam ex fiſcis Regalibus augmentando. Unde & omni eorum poſteritati obnoxii effecti, grates ipſas quas patres noſtri in veſtros effuderunt, nos quoque & in vos refundimus*, &c.

Hæc igitur diu civitas provinciæ Narbonenſis primæ vel Septimaniæ fuit in Comitatu Ruſcinonenſi: ſed poſtea ſedes Epiſcopatûs inde tranſlata eſt Perpiniacum, quod Guillelmus Nangiacenſis *Perpegniacum*; *Parpinianum* Chronicon Symonis Comitis Montisfortis; quidam ridicule tamquam à Perpennâ *Perpennianum* vocant, Noſtri *Perpignan* vel *Parpignan*; Hiſpani *Perpinnan* aut *Parpinha*. Rorico quum ait Chlodoveum; *Pyrenæos montes uſque Perperanum ſubjeciſſe* cæſo Alarico, Perpenaum vel Perpiniacum videtur deſignaſſe. Ager ejus urbis in priſcis tabulis quas legi, nunc *pagus Helenenſis*; nunc *pagus Elnenſis* & *Helnenſis* appellatur, nonnumquam & *Comitatus Helnenſis* in litteris ante annos D. datis.

ELLA FLUMEN.

Ellæ fluvii meminit Aimoinus de Vita Abbonis Floriacenſis Abbatis ante annos DCLX. his verbis. *Eadem die quâ de Albaterra caſtro promovimus, tranſmeato Ella flumine, una cum B. Abbone in villa quæ ad Francos dicitur hoſpitati ſumus.* Villa ad Francos eſt *Villefranche*, inter Ellam & Duranium amnes. Ella, *Lila* Scaligero & Vineto dictus, articulo cum nomine conjuncto, *Lille* in multis tabulis *Iſle* & *l'Iſle* mendosè, cùm *Ile* aut *l'Ile* ſcribi debeat, alluit Macerias *Mazieres*, ubi ponte jungitur, deinde ſuperiorem Viſeram vel altum Viſeram accipit, *Haute-Vezere*, vel a ſitu vel ab altitudine aquarum ſuarum ita cognominatum Tum Veſunnam Petrocoriorum attingit, caſtrum S. Carterii, Petrocoricæ urbis quondam Epiſcopi, *S. Chaſtier*, Mulcedonum *Mucidan*, Beneventum, Vallem Claram *Vauclere*; inde Drunam accipit, *Drone* aut *Dronne*, *fluvium Dronam* in veteribus noſtris Annalibus dictum, qui Monaſterium Brantoſmenſe in Petrocoriis, & Corterate *Courtras*, in tabula Peutingeriana memoratum, Henrici Magni victoriâ nobilem locum irrigat. Ella demum infra Frontiacum caſtrum, *Fronſac*, in Duranium labitur ad Liburniam vel Condate, *la Ille* Vaſconibus nuncupatus. Liburniam *Libourne*, ait Maſſonus dici nonnumquam *Ella limitem* ſive *bonnam*, quòd ab Eduvardo Rege Anglorum ad confluentes Ellæ & Duranii ſit condita: & nuncupatam eſſe *Libourne* aut *Liberne*, quaſi *la bourne* aut *la berne*.

ELNO.

Amandus Trajectenſis Epiſcopus in loco Cœnobioque *Elnone* quod ædificaverat, admodum ſenex deceſſit ac ſepultus eſt: quod Monaſterium Turnaco proximum, & à fluvio *Elnone* cognominatum, nunc ex nomine auctoris ſui appellatione tractâ, vulgò *S. Amandi Cella* nuncupatur, *S. Amand*. *Monaſterium S. Amandi Helnonenſis in Epiſcopatu Tornacenſi* vocat Hermannus Monachus in libro III. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis. *Elnonem* Johannes Triſtanus in Conſtante Aug. nominis aliqua affinitate deceptus, *Elenam* eſſe exiſtimavit, locum Pyrenæo proximum, cæde Conſtantis Aug. infamem, vulgo Elnam dictum: quem tantum errorem viro docto & amico olim noſtro excidiſſe miror.

ELUSATES ET ELUSA AC ELUSO.

Cæſar in Commentario III. belli Gallici *Eluſates* ponit inter Taruſates & Garites. Marlianus neſcio an primus, certè non ſolus nomen iſtud apud Cæſarem corrupit, & pro *Eluſates* legit *Fluſtates*, & *Fluſtates* ſuos pro incolis Comitatûs Fuxenſis in Vaſconia conſiſtentis habet; cùm Comitatus Fuxi non in Vaſconia, ſeu in Novempopulana provincia, parte Aquitaniæ, ſed trans Garumnam in provincia Narbonenſi I. ſive Septimania jaceat. Quidam apud Cæſarem *Fluſſates* legunt mendosè, & eodem errore Fuxenſes interpretantur. Certè & Plinio memorantur *Eluſates* in Aquitania inter *Auſcos* & *Sottiates*; Sulpicio in libro II. Hiſtoriæ Sacræ *Eluſana plebs*; *Eluſani* Sidonio in epiſtola VI. libri VII. in veteribus Notitiis ſæpius *Eloſates*.

Caput Eluſatium *Eluſa* patria Rufini, qui Magiſter Officiorum & Conſul, deinde Patricius & Præfectus Prætorii, Imperium affectaviſſe dicitur, ut Claudianus in libro I. in Rufinum ſcribit.

Invadit muros Eluſæ.

In veteribus Notitiis duabus vocatur provinciæ Novempopulanæ *Metropolis civitas Eluſatium*, vel *Eloſatium*, inter XI. civitates ſibi ſubjectas *civitatem Auſciorum* noviſſimam habens. In aliis priſcis Notitiis Galliarum contrà prov. *Novempopulana metropolis civitas Auſciorum* eſt, & ultima provinciæ *civitas Eloſatium*, ubi corruptè legitur *civitas Eloſaticum*. Robertus in Chronico inter Novempopulanæ civitates eam pænultimo loco ponit. Gervaſius qui anno MCCX. floruit, & recentiores ipſo Notitiæ Eluſam omittunt, propterea quòd non ſolùm Metropolis, ſed etiam Epiſcopatûs ſedes eſſe pridem deſierat. Ab Ammiano in Narbonenſi *Eluſa* collocatur cum Narbone & Toloſa; in tabula Peutingeriana in provincia Narbonenſi *Cluſa*. Sed *Eluſa* in Narbonenſi lo-

cum habere non poteſt, cùm ſit urbs Novempopulanæ, quæ eſt tertia Aquitaniæ provinciæ: nec *Cl-ſa*, locus obſcurus, inter claras provinciæ Narbonenſis urbes meretur numerari. In Itinerario a Burdigala Hieruſalem uſque inter Vaſatas & Auſcos *civitas Eluſa*. Vulgo nunc *Euſe*, alias *Eauſe* dicitur: quam urbem eſſe in Armaniacenſi Comitatu ait Oihenartus, *Harmannacenſi* potiùs dicendo ab Harmanno, *ſ Armigrac.*

Concilio Arelati juſſu Conſtantini Maximi habito interfuit & ſubſcripſit *Mamertinus Epiſcopus de civitate Eloſatium*; Concilio Agathenſi *Clara Epiſcopus de civitate Eluſa Metropolis* Concilio Aurelianenſi I. *Leontius Epiſcopus Eccleſia Eluſana Metropolis*; Conciliis Aurelianenſibus IV. & V. *Aſpaſius Epiſcopus Eccleſia Eloſâ*, aliàs *Eluſa*, vel *Epiſcopus Eloſenſis* dictus, inter Archiepiſcopos ſive Metropolitanos conſenſit atque ſubſcripſit, ut & Concilio Arvernenſi II. *Laban Epiſcopus Eccleſia Eloſana* Synodo Pariſienſi IV. adfuit, & inter Archiepiſcopos Senonum ac Biturigum medius decretis ſubſcripſit: qui *Laban Epiſcopus ab Eluſa* in Concilio Matiſconenſi II. appellatur; *Laban Heloſenſis Epiſcopus* à Gregorio in libri VIII. capite XXII. Concilio Remenſi ſubſcribit cum Metropolitanis à Turonico proximus *Senocus Eloſanenſis*: *Sidocus*, aliàs *Seducus Epiſcopus Æ-ſanus*, *rebellionis Vaſconum conſcius* anno XLIII. regni Chlotharii junioris, in Fredegarii priſcis codicibus dictus. Sed poſtea Eluſa jus ſuum metropolitanum Epiſcopo Auſcorum tranſmiſit, & in opidulum redacta, paret civitati cui antè imperavit, uno ex duobus veteribus Epiſcopatibus facto, & Auguſtâ Auſcorum vice Eluſæ in Novempopulanæ ſeu Vaſconiæ metropolim evectâ. Eluſæ hodieque Archiepiſcopus Auſcorum domum habet, quæ inſtar arcis eſt ad flumen Geliſam.

Ceterùm miror Strabonem & Ptolemæum *Eluſatium* ac *Eluſa* non meminiſſe, Gentis olim urbiſque clariſſimæ: cui urbi cognominis fuit Eluſa urbs Syriæ.

Ab Eluſa *pagus Eluſanus* vel Eluſenſis nomen habet, ſeu *territorium Heluſanum*: quod in Vita S. Filiberti Abbatis corruptè *Heliſanum territorium* dicitur.

Eſt & *Eluſio manſio* inter *civitatem Toloſam & caſtellum Carcaſſonem*, *à Carcaſſione diſtans* XXXIII. *millibus paſſuum*: cujus Itinerarium à Burdigalâ Hieruſalem uſque, aliique ſcriptores meminere. *Eluſonem* vocat Paulinus in epiſtola ad Severum; paſſio S Saturnini & vetera acta *Elyſonam*. Eluſonem quidam aiunt vulgò nunc *Alzonne* vocitari, ut Narbonem *Narbonne*, Carcaſſonem *Carcaſſone*, Barcinonem *Barcelone*: proptereà quòd de Narbone, Carcaſſone, & Barcinone Narbonam, Carcaſſonam, Barcinonam recentiores fecere; de Eluſone Elyſonam: ſed Eluſo à Carcaſſone aberat XXXIII. millia. *Alzonne* locus eſt proximus Carcaſſoni, *Alzona* dictus Guilelmo de Podio Laurentii & in Geſtis Albigenſium, poſitus in Diœceſi Carcaſſonenſi. Hoc ideo notavi, ne quis cum Catello & Maſſono Eluſonem vel Elyſonam pro Eluſa haberet: neu quis Scaligero accederet, *Eluſionem* Itinerarii Hieroſolymitani & *Eluſonem* Paulini interpretanti *Lauſun opidum cum arce veteri in finibus Nitiobrigum, quà amne Dragno* (Drot) *à Petrocoris dividuntur*. Quam conjecturam tabulæ omnes refellunt, & Itinerarium ipſum, Eluſionem Toloſæ & Carcaſſioni medium interponens. Inter Toloſam autem & Carcaſſonem provinciæ Narbonenſis urbes Nitiobriges vel Aginnenſes ac Petrocoros Aquitanicæ Gentes reperiri non poſſe vel Scaliger ipſe fateretur ſi viveret. Medio ferè ſpatio Toloſam inter & Carcaſſonem vicus eſt *Luz*, & alter ei proximus *Luzes*: quibus ex vicis alterū, ſed priorem magis quàm poſteriorem, *Eluſionem* aut *Eluſonem* veterum eſſe exiſtimo, qui truncato nomine *Luz* dictus ſit, & ex vocabulo triſyllabo aut etiam tetraſyllabo ad unam ſyllabam tamquam ad incitas redactus.

ENGERIACUM SANTONUM.

Baldricus Abbas Burgulienſis *Odonem Abbatem Engeriacenſem* appellat in titulo epigrammatis decaſtichi, quo in epigrammate de eòdem ſic refert.

Qui pietatis amans, Monachorum forma; decenter
Ingeriacenſi præfuit Eccleſiæ.

Ex quo apparet, ante annos DLXX. aut etiam DC. *Engeriacum* & *Ingeriacum* promiſcuè dictum eſſe locum in Santonibus, Monaſterio & Reliquiis S. Johannis Baptiſtæ inſignem ad flumen Vultinnam. Liber II. de Vita S. Geruliſ *Ingeriacum* etiam vocat, & Pippinum Regem Aquitaniæ, filium Imperatoris Ludovici Pii, *Cœnobia Ingeriacum atque Brantoſmum, & apud Pictavos Monaſterium S. Cypriani ædificaviſſe* prodit. Alii *Angeriacum*, & *Palatium Angiriacum non longè à Vulturni fluminis* (id eſt *Vultunnæ*) *litore*; nonnulli, ſed corruptè *Angeliacum* appellant. Vulgò Noſtri & à Monaſterio Regio & à nomine veteri loci S Johannem Angeriacenſem vocitant, *S. Jean d'Angely*; litterâ r in l converſâ: ſicut de peregrino pelerinum, de temporibus capitis parte templa fecimus.

ENGILINHEMIUM.

Engilinhemium vel *Engilinheimum*, *Ingelheim*, villa olim Regia vel publica fuit, Mogontiaco proxima, regnantibus Caroli Magni poſteris notiſſima. *Engilinheimenſe* Palatium centum columnis innixum & ampliſſimum; ejuſque Baſilicæ æreos poſtes & aurea oſtia fuiſſe tradit Hermoldus Nigellus, ex milite Clericus, Ludovici Pii æqualis, cujus de vita IV libros verſibus compoſuit. Quibuſdam *villa Ingelenhaim* dicitur; Poëtæ Saxoni

Ingelenheim, ſedes ubi Regia fulget:

In Vita Ludovici Pii *Ingelnheim*; aliis *Ingilenhaim*; in veteribus Annalibus Francorum *Ingelinhaim*, & truncato nomine *Ingelhaim*; Eginhardo & multis aliis *villa Ingelheim*, & *Ingelheim Palatium*; *Engulenheim Palatium Regale* Frodoardo in Chronico: quod *Palatium operis egregii haud longè à Mogontiaco juxta villam Ingelheim* à Karolo Magno *inchoatum*, à Ludovico Pio ejus filio abſolutum eſſe ſcribit Eginhardus.

EPUSUM.

Epuſum, Germanis *Ipſch*, Noſtris *Ivoy*, caſtrum eſt veterrimum in finibus Trevirorum. *Epoiſſium vicum* vocat Æthicus in Itinerario provinciarum, in itinere à Durocortoro Treviros, atque inter vicos Vongum & Orolaunum ponit, à Vongo leugis XXII. ab Orolauno XX. diſtantem. *Epuſum* nuncupatur in Notitia Imperii Romani; *Præfectus Letorum Actorum Epuſo Belgicæ primæ*: *Epoſium caſtrum* à Gregorio Turonico Epiſcopo in libro Hiſtoriæ Francicæ VIII. ubi ſcribit Vulfilaicum Diaconum natione Langobardum ad VIII. lapidem à caſtro in vertice montis Monaſterium & magnam Baſilicam B. Martini Reliquiis & nomine illuſtrem exſtruxiſſe. Alluitur Chare vel Caro fluvio, *le Chier*, qui apud Duodeciacum Duciacumve (*Donzi*) Moſæ confunditur. Auctor eſt Hieronymus Surita, in II. veteribus Æthici exemplaribus nunc *Epoiſſius vicus*, nunc & *Epoiſſio vicus* ſcriptum repetiri; aliàs ſed mendosè *Sepoiſſum vicum* pro *Epoiſſum*. Sigibertus in Chronico de Imper. Heinrici & Rotberti Regis Francorum colloquio ſcribens, *Evoſium ſuper Charum fluvium* vocat; *Ivoſium* Anſelmus Abbas Gemblacenſis; *Ivocham* aliqui corruptè. Nam littera ſ in d mutari nec poteſt nec debet. Lamberto Schafnaburgenſi dicitur *villa Civois, in confinio ſita Regni Francorum & Teutonorum*, *Civois* inquam mendosè pro *Ivois*.

Ex *Epuſo* Epoſum & *Epoſium*, et Epoſio *Evoſium* ac *Ivoſium* factum, p in u converſo: ſicut Noſtri opera *euvres* dicunt, Vendoperam *Vandeuvre*, aperire *ouvrir*, Aprilem *Avril*, cooperire *couvrir*, recuperare *recouvrer*.

ERCHERECUM.

Villam Regiam Ercherecum memorant Geſta Francorum, & Appendix Chronici Fredegarii: quò ad Regem Francorum Theodoricum Ebroinumque Majorem domus Regiæ venit Martinus Auſtraſiorum Dux, perjurio duorum Epiſcoporum ac Ebroini deceptus, ibique mox cum omnibus ſuis interfectus eſt. *Ercherecum*, aliàs *Erchariacum*, vicum eſſe puto inter Ribodimontem & Faram poſitum ad ripam Iſaræ, vulgò *Achers* aut *Acherie* dictum. *Erchregum villam*, & *Erchrecum* vel *Ercrecum*, *Ærchecum* quoque in libris & codicibus ſcriptum reperimus.

ERNAGINUM.

In marmore Arelatenſi fit mentio *Utriclariorum* (id eſt Utriculariorum) *corporatorum Ernaginenſium*. Ernaginum inter Cabellionem & Arelate ponit Æthicus in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Arelate. *Cabelione* M. P. XV. *Clano* M. P. XVI. *Ernacino* M.P. XII. *Arelate* M.P. VII. Idem in tabula Peutingeriana reperias, in qua *Ernagina* ſcribitur pro Ernagino, *Manſio Arnagine* inter Arelate & Avenionem civitates in Itinerario à Burdigala Hieruſalem uſque. Vulgo dicitur *Eragnac*, eſtque locus inter Cabellionem Cavarum & Taraſconem Salyorum. Clanum autem vel Glanum videtur eſſe *Lanſac*, vicus ad Rhodanum Taraſconem inter & Arelatum. Ernaginum Ἐρναγινον, & Glanum Γλανὸν Ptolemæus commemorat, ac utrumque Salyis attribuit; Glanumque inter Taraſconem & Arelatum collocat, Æthicus in Itinerario & tabula Peutingeriana Cabellionem inter & Ernaginum: quod Plinius *Glanum Livii* cognominavit. Mella (niſi tamen corrupta ſunt ejus exemplaria, ut quibuſdam videtur) *Glanon* aliud nobis obtrudit Olbiam inter & Cithariſtam Promuntorium.

ERNODORUM BITURIGUM.

Æthicus in itinere à Burdigala Auguſtodunum inter *Agrantomagum* vel Argantomagum & *Avaricum* Biturigum *Ernodorum* ponit, ab Agrantomago *millibus paſſuum* XXVII. ab *Avarico* XIII. diſtans. *Ernotrum* vocari obſervo in Vita S. Ambroſii Cadurcenſis Epiſcopi, quam MS. legi, ubi dicitur *Ambroſius Caturcis civitatis Epiſcopus in Ernotro vico non longè ab urbe Biturica* obiiſſe & ſepultus eſſe. *Ernodorum* autem, quod recentiores d in t converſo & ſublatâ litterâ o *Ernotrum* vocavere, ita dictum exiſtimo quaſi *Ernonis aquam*. Poſitum enim eſt ad *Ernonem* fluvium, vulgò *Arnon* nuncupatum, qui Linerias *Linieres*, Condate *Condé*, Cellam *la Celle*, Caſale Benedicti *Cheſau Benoiſt*, Marogilum *Mareul*, vicum S. Ambroſii *S. Ambrois*, ab Ambroſio ſupralaudato Epiſcopo nomen nanctum, Carrocium *Charrois*, Ruliacum *Ruelli* alluit, & non longè à Virſione in Carim labitur. *Durum* porrò vel *Dorum* aquam linguâ Gallicâ ſignificavit, ut in Autiſſioduro docui. *Ernodorum* vel *Ernotrum* poſteà nomen mutavit, & à S. hujus Ambroſii ſepulcro haud dubiè vocari cœpit *ad S. Ambroſium*, *Saint Ambrois ſur Arnon*. Ex *Ernodoro Ernotrum* factum; ut ex *Tornodoro* vel *Tornedoro Tornedrum* & *Tornetrum* à Carolo Calvo, & à Lampagia in litteris anno II. poſt obitum Rodulfi Regis Francorum datis.

EVENA TURONUM.

Vicus urbis Turonicæ cui nomen eſt Evena, in quo Medardi Sueſſionici Confeſſoris Reliquiæ continentur, memoratur à Gregorio noſtro in libri de Vita Patrum capite XIX. id eſt vicus in Turonibus poſitus, vulgò *Vigne*, ad Angerem fluvium inter Montem Baſonis & Cormaricum. In eo vico præter ceteros Perpetuus Turonicus Epiſcopus ædificavit Eccleſiam: ut idem Gregorius tradit in libro X. Hiſtoriæ Francicæ.

EVORIACÆ MELDORUM.

Burgundofara vel Fara Franca, Chagnerici, Regis Auſtraſiorum Theodeberti Convivæ & Conſiliarii, ex Landegunda filia, Chagnoaldi Laudunenſis Antiſtitis ſoror; in fundo paterno nomine Eboriaco apud Meldos, inter fluviolos amœnos Mugram & Albam, in ſaltu pagoque Briegio clariſſimum Monaſterium ſacrarum Virginum ædificavit, adjutoribus uſa Chagnoaldo fratre & VValdeberto Luxovienſibus Monachis, à quibus & B. Columbani Regulam edocta eſt. Locum hodieque ab auctore

vulgò *Fara-Monaſterium* appellant, *Faremonſtier*, vel *Fre-Moutier*: antea *Evoriacas*, vel *Eboriacum* vocabant: uti in libro XVIII. Rerum Francic. ſcripſimus. Beda à pago *Monaſterium* illud *Brigenſe* appellat, & *Brige* in capite VIII. libri II. Hiſtoriæ Anglicanæ: *Evoriacas* auctor libri de Vita S. Faræ, Bedæ vulgò attributi & operibus ejus inſerti, cùm ab aliquo Faræ ipſius æquali haud dubiè ſit compoſitus, & (ut quidam credunt) à Jona. Eboriacum nuncupat Fara in teſtamento ſuo, quod MS. legi, & quod falſum mihi ac ſuppoſiticium nulliuſque auctoritatis videtur. Hoc Monaſterium eſt hodieque, ſicut à Jona deſcriptum eſt, inter fluvios Mucram majorem & Albam: quorum alterum *le Grand Morin* nominant; alterum qui in ipſum defluit, deminutivo nomine *Aubetin*, aliàs *Aubete*.

EXAUDO LEMOVICUM.

Chartularium Bellilocenſe in Lemovicibus ſæpe commemorat *villam Exandonenſem in Comitatu Lemovicino ſecus fluvium Viſera*; item *in Comitatu Lemovicino Vicariam Exandonenſem ſecus fluvium Viſeram*. Ita litteræ Caroli Calvi & Oddonis Comitis ſcriptum præferunt. *Vallem Exandonenſem* Privilegia Frotharii Epiſcopi Biturigum & Odonis Regis memorant, ab ea villa dictam. Auctor æqualis qui de rebus Pippini Regis Francorum ſcripſit, *Hiſandonem* appellat. *Uſque ad* Lemodicas *acceſſit, totam regionem illam vaſtans, uſque* Hiſandonem *veniens*, &c. *Hiſando* vel *Iſſando*, & *Exando* (ſic enim potiuſquàm *Exando* legendum crediderim,) unius ejuſdemque loci nomen eſt, nimirum *Iſſandon*.

EXCALFURNUM LEXOVIORUM.

Ordericus Vitalis in libro XII. Hiſtoriæ *Excalfurnum* memorat, ab excaldando furno (ut videtur) dictum: quod ſæpe vocat & *Eſcalfoium opidum in pago* Lexovienſi; *Eſcalfoium municipium* VVillelmus Gemeticenſis Monachus in libri VII. capite XI. Vulgò *Eſchaufour* vocatur, quaſi Excalfurnum: Alii *Echaufou* ſcribunt, nomine deducto ab Eſcalfoio. Legi veteres litteras, in quibus *Scalfou* nuncupatur, quæ tales ſunt. *Notum ſit omnibus fidelibus, quòd VVillelmus de Scalfou & VVillelmus filius ejus dederunt Guiardi villam cum omnibus appendiciis ſuis Monachis S. Trinitatis Rotomagenſis, quæ villa ſita eſt in Epiſcopatu* Liziacenſi. *Signum VVillelmi Ducis Normannorum, ſignum Mathildis Comitiſſæ, ſignum VVillelmi de Scalfou.* Quibus ex litteris, vel potiùs quæ ex epitome litterarum etiam diſcimus, pagum Lexovienſem, nonnumquam corrupto nomine *pagum Epiſcopatumve* Liziacenſem appellari: cùm *Guiardivilla*, hoc eſt *Guierville*, *ita* eſſe dicatur *in Epiſcopatu* Liziacenſi, quam hodieque in Lexovienſi Diœceſi poſitam eſſe conſtat. Certè & litteræ Roberti Marchiſi vel Normannorum Ducis circa annum Domini MXXX. datæ *in pago Liziacenſi Brandevillam* ponunt, quæ hodieque *Branville* vocatur, & in finibus Lexoviorum eſt conſtituta.

EXOLIDUNUM BITURIGUM.

Exolidunum, *Iſſoudun*, aliàs *Exoldunum*, vetus eſt opidum Biturigum Cuborum, Gallico nomine ita dictum à ſitu. Ivo Carnutum Epiſcopus ejus meminit: meminit Chronicon Monaſterii Dolenſis, *Exoldunum* vocans; meminit & Rigordus de Geſtis Philippi Auguſti anno MCXXCVII. *in pago Bituricenſi caſtrum quod dicitur Eiſoldunum* memorans; in rebus anni MCXCV. *ſuburbium Eiſolduni & munitionem*. Guillelmus Armoricus *opidum florentiſſimum nomine Vſellodunum, quod vulgò dicitur Eſſodunum*, appellat, alias, idque meliùs *Eſoldunum*; Hermannus Monachus in libro I. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis ad Bartholomæum Epiſcopum *Iſuldunum*. *In pago Bituricenſi caſtellum quoddam vocatur Iſuldunum. Hujus caſtelli dominus, vir ditiſſimus Gaufridus*, &c. De *Exolduno Eſſoldunum*, *Iſoldunum*, & *Iſſuldunum* factum, e in i, x in ſſ. & o in u commutatis. Litteram autem x in duo ſſ ab Noſtris converti docent verba *laxare* & *exauriculare*, quorum ex altero fecerunt *laiſſer*, ex altero *eſſoriller*: ut omittam *examen*, ex quo *eſſay* & *eſſain* fecimus; *exartum*, ex quo *eſſart*; *Exaquium* Monaſterium Normanniæ, quod *l'Eſſay* nuncupamus.

EXONA PARISIORUM.

Exona, *Eſſone*, uti obſervo, notiſſimus eſt vicus noſtris ſcriptoribus, vetuſtiſſimuſque ad flumen Junnam, quod ibi Exona vocari incipit. Primus omnium quos legerim, meminit ejus Fortunatus Presbyter in libri de Vita S. Germani Pariſiorum Epiſcopi capite XV. his verbis. *Quidam in Exona vico de Fiſcalibus famulis, Chuldomerus nomine.* *Axonem Burgum S. Dionyſii ſuper fluvium Iſſonam, antiqua Regum liberalitate Sanctis Martyribus collatum* vocat Suggerius in libri de rebus in adminiſtratione ſua geſtis capite XVII. in capite XVIII. *Axonam*, ac matrem Eccleſiã Axonæ memorans: quem vicum pagi Pariſiaci Monaſterio B. Dionyſii legaviſſe dicitur Chlotharius junior, Dagoberti nepos. De *Exona* vel *Axona* fuſiùs in *Pariſiis* dicemus.

F.

FALEMANNIA

CHRONICON Valciodorenſe, ante annos ccccxxx. ſcriptum, ſæpe meminit *Falemanniæ*, quam nunc *Falemanniam*, & *Falemanam*; nunc *Flamenniam* mendosè pro *Falmenniam*; nonnumquam pagum *Famenensem*, *Falmennam* quoque & *Famennam* appellat: *Falmennam* ſimiliter litteræ Ottonis Aug. ejus nominis primi. Hic pagus vulgò dicitur *Famenne* aut *Faminne*, proximuſque eſt pago vel provinciæ Arduennenſi, ad Vrtam *Ourt*, & Letiam, *Leſche*, flumina poſitus. Ibidem memoratur *Falemannenſium ſtemma*, & *Anſelmus de Falemannia*: ex quo apparet caput Falemanniæ Falemannum familiæ nobili loci dominorum nomen ſuum dediſſe. In Falemannia ſunt Marca in Falemannia, *Marche en Famenne*, caſtrum ad amniculum quo Vrta augetur ſitum, & vicus *Hour en Famenne* cognominatus, Heidra quoque, vulgo *Haidre en Famenne*.

FALESIA.

Faleſiæ meminit Ordericus Vitalis cùm in libro Hiſtoriæ xi. tum alibi paſſim. Opidum eſt nobile, à Cadomo diſtans leugis vii (uti aiunt) à civitate Saiorum cujus Diœceſi attribuitur, x. Vulgò *Falaiſe*. De ea VVillelmus Britto in libro viii. Philippidos ſic refert.

Vicus erat ſcabra circumdatus undique rupe,
Ipſius aſperitate loci Faleſia vocatus,
Normannæ in medio regionis: cujus in alta
Turres rupe ſedent & mœnia, ſic ut ad illam
Jactus nemo putet aliquos contingere poſſe.

Ab ardua igitur & alta rupe quà circumdatur, & cui ex parte eſt impoſita, Faleſia Germanicum nomen invenit. Idem auctor Geſta Philippi Aug. Francorum Regis ſoluta oratione ſcripſit, ubi ait. *Anno* mcciii. *Philippus Magnanimus venit uſque ad opidum, quod Faleſiam vocant propter firmitatem rupis quâ ſedet* (id eſt, cui inſidet) *& circumdatur tota villa. Licet multorum judicio inexpugnabilis videretur, cives voluntati Regis ſe & caſtrum totum* (*arcem* ibidem dictum) *dederunt, conniventibus ſatellitibus qui in eo erant.* Tradit Rigordus, Philippum Aug. *Faleſiam caſtrum fortiſſimum* cum *Donnofronte* & *Cadumo* ſeu Cadomo recepiſſe. Dicta eſt ergo Faleſia à *rupe firmiſſima, in qua ſedet*, ut Johannis Pariſienſis verbis utar, à rupe inquam quæ Germanicâ linguâ *Fels* vocatur, uti docent vocabularia FrancicoGermanica. Certè *Normanni hodieque maris editiores margines, & rupes mare claudentes Faleſas appellitant*, inquit Hadrianus Turnebus in Adverſariorum libri xxi. capite xxiii. qui Normannis Pictones & Santones debuit adjungere. Quamquam obſervatio Turnebi parum ad rem facit. Nam remotiſſima eſt a mari Faleſia noſtra. Joſephus Scaliger in librum iii. M. Varronis de Re Ruſtica ait, *Saxones & Germanos, & quoſvis ex illis partibus unde originem trahunt Normanni, Fales aut Fels vocare rupem: nec aliud eſſe niſi id quod Normanni vocant Faleſe aut* Falaiſe. Itaque haud dubiè nomen accepit ſuum Faleſia à *Fales* aut *Fels*, id eſt à monte ſaxeo, ſive à dura, ſcabra & celſa rupe cui eſt indita. Nortmanni à ſimilitudine canarum iſtarum rupium ſaxeorumve montium Faleſias etiam nuncupant (*des Falaiſes*) tumulos nivium à ventis coacervatarum. Sed cur Saxones ſuprà à Germanis diſtinguit Scaliger? aut cur a Nortmannis dictam credere videtur Faleſiam, potiuſquàm à Francis origine quoque Germanis, à quibus omnino & conditam & appellatam eam puto. Litteris datis anno mxxcii. Stigandus *Eccleſias Faleſiæ & Eccleſiam VVibreti cum decima* donavit Cadomenſi Monaſterio S. Trinitatis, quæ eſt Abbatia Virginum Benedicti inſtituta ſequentium. Litteras legi datas anno mccxxxi. in Chartulario Fiſcamnenſi, quibus Samſon, filius Heliæ de Argentiis, remittit Eccleſiæ Fiſcannenſi S. Trinitatis præter cetera *pro Feria de la VVibrai duos ſolidos*, quos ab ea quotannis accipere conſueverat: item alias ibidem litteras legi datas anno mccccxxxi. quibus Hugo Robiket de Argentiis remittit Eccleſiæ S. Trinitatis Fiſcannenſi præter cetera *pro Feria de VVibrai duos ſolidos.* Ex quibus vici VVibreti vel VVibraii Faleſiæ proximi, & nundinarum ibi ſingulis annis haberi ſolitarum antiquitas intelligitur. Vicus iſte *la Guibray* vulgò; nundinæ ſeu Feriæ Auguſtales *la Foire de la Guibray*, atque etiam ſimpliciter & abſolutè à loco *la Guibray* dicuntur.

FANIA SILVA ET PAGUS.

Auctor libri de Vita B. Vrſmari Abbatis Laubienſis, quam ſcriptam legi, Faniæ meminit hiſce verbis. *Cum in partibus Galliæ, in Fania ſcilicet & Theoracia multi per eum converſi fuiſſent, & conſtructa quæ adhuc ſuperſunt Eccleſiæ, ſe ad prædicandum Flandriæ contulit verſus Menapum fines.* Fulcuinus in Geſtis Abbatum Laubienſium ejuſdem meminit ante annos ferè DCC. *Monaſterium quoque dictum VVaſlare verſus Teoraciæ ſaltum in finibus Faniæ ædificavit Vrſmarus, cui & Dodonem præfecit, virum admodum ſanctum: qui aliquantiſper ibi demoratus, eremum concupivit, exſtructaque in eodem Faniæ ſaltu cellulâ, vitam in ea vixit theoricam.* Ambo ſcriptores Teoraciam Faniamque conjungunt, ut ſaltus pagoſque vicinos. Nam utraque ſilva pago circumjacenti nomen ſuum dedit, uti ſaltus Briegius, ſaltus Brexius, Perticus, Arduenna: utraque ſilva pars ſilvæ Carbonariæ fuit, quod à VVendelino, viro docto miror non animadverſum eſſe. Silva & pagus *Teoracia, la Tierache*, Picardiæ attribuitur, ac Parœciæ Laudunenſi: ſilva & pagus *Fania* adſcribitur Hainoo, ac Diœceſi Camaracenſi, non procul à municipio Melbodio ac fluvio Sabi, atque vulgò *Faigne* nuncupatur. Et VVaſlare quidem, *VVaſler*, Monaſterium conditum in ſilva Fania, & à fluviolo præterfluente dictum, quod Dodonis Monachi, rectoris quondam ſui corpus ſervabat, pridem intercidit: unde ejus Reliquiæ tranſlatæ ſunt in Cellam Laubienſi Cœnobio ſubjectam, atque Faniæ finibus incluſam, quam Monaſterium in Fania cognominant, *Mouſtier en Faigne*.

FANUM JOVIS.

Guillelmus de Podio Laurentii in capite XXI. *caſtrum Fanum Iovis* commemorat, quod hodieque *Fan-Iaux* vocatur, ut Fanum Martis in Hainoo *Fan*; & Diœceſi Mirapicenſi in Volcis Tectoſagibus attribuitur. Hoc caſtrum à Fano Jovis celebri nomen acceperat, ut alterum à templo Martis. Sic *Fanum Minervæ* à Durocortoro XIV. millibus paſſuum diſtans, *Fanum Fortunæ* Piſauro proximum, aliaque loca originem ſuam Fanis acceptam retulere, uti poſtea opida & caſtella plurima Monaſteriis.

FANUM MARTIS, ET PAGUS FANOMARTENSIS.

Fanum Martis in Belgica II. locus fuit vetus, veterrimo Fano Martis, à quo nomen habuit, illuſtris. In Notitia Dignitatum & provinciarum Imperii Rom. *Præfectus Latorum Nerviorum Fano-Martis Belgicæ* II. Vita S. Gangerici Camaracenſis Epiſcopi *Fanum Martis* commemorat. In libro IV. de tranſlatione SS. Mart. Marcellini & Petri, quem Eginhardus Abbas compoſuit, *Monaſterium S. Salvii Martyris in pago Fanomartenſi, in vico Valentianas appellato, in ripa Scaldis fluvii ſitum* eſſe dicitur. Fanum ergo Martis pago Fanomartenſi nomen dedit. Fanum Martis ait Cluverius eſſe *Fan*, qui vicus XI. millia paſſuum à Valentianis abſit, alii *Fammars*. Fulcuinus Abbas qui de Geſtis Abbatum Laubienſium ſcripſit, & anno DCCCC. obiiſſe dicitur, pagum Fanomartenſem, poſtea *Hainou* à fluvio Haina appellatum eſſe tradit his verbis. *Eſt locus intra terminos pagi, quem veteres à loco ubi ſuperſtitioſa Gentilitas Fanum Marti ſacraverat, Fanomartenſem dixerunt; juniores à nomine præterfluentis fluvii Hainou vocaverunt.* Certe pagi Fanomartenſis fuere Valentianæ, ut ſupra docet Eginhardus, quæ nunc ſunt pagi Hainoenſis. Sed *pagus Hainoenſis* major & latior videtur eſſe, quam olim fuerit *Fanomartenſis*.

FARA.

Fara, *la Fere en Picardie*, ad ripas Iſaræ fluminis poſita in pago Laudunenſi, à Frodoardo memoratur in Chronico ante annos DCC. & ante eum à Carolo Calvo in Capitulis *Varæ* nomine videtur mihi deſignari, ubi inter villas Fiſcales vel Regias *Vara* numeratur in Capitulis apud Cariſiacum anno DCCCLXXVII. conſtitutis. *In Lens, & Vvara*, (Vara potiùs) *& Aſtenido filius noſter & feramina & porcos capere poteſt*. Frodoardi verba ſũt hæc. *Anno* DCCCCLVIII. *Homines Teibaldi munitionem quamdam quæ vocatur Fara, tradentibus eam ſibi quibuſdam proditoribus capiunt*: quam & infrà *caſtrum* vocat. Guibertus de Novigento *Feranos* ejus incolas appellat, *Monnacutanos, Petripontenſes, Feranos, & Codiciacenſes* memorans: ex quo intelligitur, jam tum, hoc eſt ante annos DL. Faram (ſicuti hodieque dicitur) *Feram* nuncupari cœpiſſe a in e mutato. Haud dubiè, uti obſervo, colonia Francica eſt, cùm nomen Germanicum habeat, à Francis Gente Germanica ſibi impoſitum: id quod & de ceteris Faris (multa enim ſunt ejus nominis loca in Gallia) dicendum atque credendum eſt. *Faram* autem dixere Franci, Langobardi, & ceteri Germaniæ populi cunctos unius ejuſdemque generis ac familiæ homines, ut Paulus Langobardus docet: qui ſi in aliquem locum ſimul omnes, non admiſſis alienis, commigrâſſent, ibique ſtructis ac conjunctis caſulis vicatim habitare cœpiſſent, locus ab habitatoribus *Fara* appellabatur.

FARÆ TARDANENSIS ET CAMPANENSIS.

Fara alia eſt in Sueſſionibus, pagoque Tardanenſi, *la Fere en Tardenois*, vel *Tartenois*: alia Fara Campanenſis cognominata, *Fere Champenoiſe* ad rivulum in Albam defluentem: alia item Fara Briengia, *Fere Briange*, inter Faram Tardanenſem & Campanenſem poſita, ſed Faræ Campanenſi multo propior quam Tardanenſi: quæ *Briengia* cognominata eſſe, quòd in extremis finibus Briegii pagi poſita ſit, eoque cognomine à Fara Campanenſi diſtingui mihi videtur.

FASIANA VILLA.

Villa Faſiana vel Phaſiana, fortè à multitudine Phaſianorum ita dicta, poſita erat ad ripam fluminis Rhodani Lugdunum inter & Viennam, ſed Lugduno propior: quam Deſiderius

derius Viennenſis Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ matricularüs teſtamento legaviſſe dicitur: ut ſcripſit Ado Viennenſis Epiſcopus in libro de Vita & morte S. Deſiderii, ante annos ferè octingentos. Hæc villa vulgò nunc vocatur *Feiſin*.

FAURINIACUM.

Villam Fauriniacum memorat Fredegarius Monaſterio illuſtrem, in qua Vulſus Patricius juſſu Theodorici Burgundiæ Regis occiſus eſt. Hic locus eſt ad Lantanam amniculum, non procul à Confluentibus & Luxovio, *Faverney* vulgò nunc dictus. Statutum Ludovici Pii de Monaſteriis Regni Francorum *Monaſteriũ Fariniacum* nominat: ubi *Fauriniacum* legi convenit. *Favernacum* appellat Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, & prope Polemniacum locat: itaut *Faverney* Abbatia illuſtris in Comitatu Burgundiæ diœceſique Veſontionenſi poſita, paullo ſupra Lantanæ (*Lantaine*) & Araris confluentē, omnino deſignari videatur. Bernardi Claræ Vallis Abbatis epiſtola CCCXLVII. eſt ad *Abbatiſſam Faberniacenſem* Nimirũ Faverniacum vel Faberniacum primò Virginum fuit, deinde circa annum MCXXXII. Monachorum inſtituta Benedicti ſequentium. Eſt & *Favernach* non procul a Friburgo Helvetiorum oppido: necnon vicus inter opida Divionem & Auſonam, ſeu inter Oſcaram & Ararim fluvios poſitus, *Faverney* vocatus: quæ ambo loca alio etiam quàm *Favernaci* ſive *Fabernaci* nomine donari non poſſunt.

FERRARIÆ.

Ferrariæ à re nomen videntur inveniſſe, *Ferrieres*: qui locus in Senonibus Monaſterio nobili nomen ſuum dedit, quod *Monaſterium Ferrarias*, vel *Ferrarienſe Cænobium*, aliàs *Bethlehem* appellant. Vita Imper. Ludovici Pii *Monaſterium S. Mariæ & S. Petri de Ferrariis, quod antiquitus Bethleem vocabatur; in cujus curia* (id eſt curte) *pater ejus Pippinus occidit leonem*: quod quomodo & quando à Rege Pippino factum ſit, pluribus docet, omiſſo loci nomine, Monachus Sanctigallenſis in libri II. Rerum Caroli Magni capite XXIII. Eam ob rem Pippinus leoni inſidens olim depingebatur, ac ſculpebatur, ut in fronte Eccleſiæ Pariſiacæ cernimus: & ita in Palatio antequàm conflagraret, factum è lapide Caroli Magni patrem pueri videre meminimus. Hanc de leone a Pippino occiſo obſervationem meam, duorum ſcriptorum veterum auctoritate ſtatuſque confirmatam, Johanni Triſtano de Nummis Romanis ſcribenti pridem aperui: quam ille ſuæ de Hadriani Aug. venatione adnotationi inſeruit.

Statutum Imper. Ludovici Pii anno DCCCXVII. *Monaſterium Ferrerias* mendosè vocat pro *Ferrarias*, numeratque inter Monaſteria, quæ Imperatori dona & militiam debent; *Monaſterium Ferrarienſe* nuncupat Lupus, qui ei Abbas præfuit; *Ferrarias Monaſterium* Annales Bertiniani, in quo Ludovicus & Carolomannus Ludovici Balbi filii anno DCCCLXXIX. ab Anſegiſo Senonum Epiſcopo Reges conſecrati ſunt ac coronati. *Ferrarias Abbatiam Regalem eſſe* Teulfus prodit in Chronici Mauriniacenſis libro II. fortè quòd illud Cœnobium Monaſterus ab Imper. Ludovico Pio reparatis, & a fundamentis extructis auctor libri de Vita ejus adnumerat.

Eſt in Gratianopolitano Epiſcopatu locus, in venis ſubterraneis plurimum ferri habens, quod multo incolarum & ruſticorum ſudore aſſiduè eruitur, ac fornacibus coctum & expurgatum, per circumjacentes terras fabris ferrariis vel quibuſlibet venditur. Inde & villa, quam iidem homines incolunt, Ferraria nuncupatur: ut ſcribit Petrus Mauricius Cluniacenſis Abbas in libri II. de Miraculis capite XI. Vulgò *la Ferriere* dicitur hic in finibus Allobrogum vicus, trans Iſaram in Alpibus poſitus non procul à caſtro Baiardo. Multa alia ſunt in Galliis ejus nominis loca.

FIDEMIUM.

Fidemium locus eſt in pago Camaracenſi; ſilvaque Fidemienſi, veteri Monaſterio illuſtris, à quo & Monaſterium, & ſilva circumſita nomen habent. Accolæ *Femy* vel *Fimy* vocant. *Cænobii Fidemenſis* meminit Hermannus in libro III. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis: ubi *Fidemienſis* legi malim. Nomen enim loci vulgare *Femi* apertè docet, *Fidemium* olim, non *Fidemum* dictum eſſe.

FIDENTIACUM ET PAGUS FIDENTIACENSIS.

Fidentiacum, vulgò *Vic Feſenſac* nunc dicitur, id eſt vicus Fidentiacenſis, propterea quod bellis civilibus ut pleraque Vaſconiæ opida atque caſtella everſum eſt, & in vicum abiit. Caput fuit veteris pagi Comitatuſque Fidentiacenſis in Vaſconia: cui pago (ſi quibuſdam creditur) etiam civitas Auſcorum metropolis attribuebatur. Auctor æqualis & gravis, qui de Geſtis & Vita Imper. Ludovici Pii ſcripſit, *Comitatum Fedentiacum* appellat, Vaſconiæque eum attribuit. *Burgundione mortuo, Comitatus ejus Fedentiacus Liuthardo eſt attributus: quam rem Vaſcones moleſtè ferentes*, &c. Pagum Fidentiacenſem *territorium* Fidenciacum nuncupat libellus Miraculorum S. Fauſtæ Virginis & Mart. cum ejus Reliquiæ *ex territorio Fidenciaco* in Sollemniacenſe Monaſterium tranſlatæ ſunt; uti ſuprà Vita Ludovici Pii *Comitatum Fedentiacum*, non Fedentiacenſem. Quare videtur *Vic Feſenſac* olim *Fidentia* vel *Fedentia* potius quam *Fidentiacum* vel *Fedentiacum* dictus eſſe. Nam à Fidentiaco *Fidentiacenſis* fieri debet, ac ſolet; à Fidentia *Fidentiacus* vel *Fidentinus*.

FIELNÆ.

Lambertus Ardenſis Presbyter, qui ante annos CCCCL. de Comitibus Giſnenſibus ſcripſit, *Fielnarum* mentionem fecit, & earum incolas *Fielnenſes* vocavit. Fielnæ, in litteris anno MCCVII. datis *Fielnes* nuncupantur *Fielnas* & Picardi vocant *Fiennes*, litterâ l in n mutatâ: quod eſt opidulum vel municipiolum in Comitatu Giſnenſi, Giſnis proximum.

FILICERIÆ.

Filicerias Guillelmus Armoricus de Geſtis Philippi Auguſti quem *Philippum Magnanimum* cognominare ſolet, cõmemorat his verbis. *Eodem anno* (MCCII.) *Johannes Rex habebat Arturum in carcere, & cepit Dolum, & vaſtavit Filicerias, & totam terram illam.* Filiceriæ vel Filicariæ à filice haud dubiè nomen habent, quæ circa caſtrum Filicerias plurima naſcebatur. Certè non longè abſunt à ſilvis & filictis, quas *Landas* Noſtri vocitant, proximæque ſunt duobus vicis inde cognomen nanctis, quorum alter S. Servatoris in Landis, *S. Sauveur des Landes*, alter S. Ægidii in Landis *S. Gilles des Landes* nuncupatur. Filicerias Britanni vocant *Fougeres*, caſtrum in Britanniæ cui attribuitur Normanniæque confinio: ut filicem appellant Noſtri nunc *fougere*, nunc *feuchere*, tamquam *filicariam*.

FINES, QVÆ ET FIMMÆ.

Villam Fimmas) *Fimes*) *ſuper Vidulam* Frodoardus commemorat in Chronici anno DCCCCXXII. quam in Itinerario Æthici, in itinere à Taruenna Durocortorum, conſtat *Fines* vocari, inter Auguſtam Sueſſonum & Durocortorum mediam, quoniam in confinio pagi Remenſis & Sueſſionici erat. Celebre eſt nunc opidum Martyrio & cultu S. Macræ Virginis, ac duobus Conciliis, altero anno DCCCLXXXI. altero anno DCCCCXXXV. habitis. In actis prioris Synodi hæc legimus. *Synhodus que fuit acta apud S. Macram, in loco qui dicitur Finibus Remenſis Parœcie anno I. D.* DCCCXXCI. *Apud S. Macram*, inquam, vel (ut ibidem vocatur) *apud Martyrium S. Macræ. Martyrium* autem Baſilica Martyris appellari ſolet: quemadmodum omnes ſciunt. *Fines* ergo dictus eſt locus, quod fines Remorum eouſque pertinerent. Locus enim Remenſi Diœceſi continetur. Sic inter *Virodunum* vel *Verodunum* & *Divodurum Fines* erant, ut Æthicus docet in itinere ab urbe Durocortoro Divodurum uſque, locus nimirum Mediomatricos à Verodunenſibus dividens, atque à re nomen habens. Apud eumdem eſt ejuſdem nominis locus in cõfinio Rætiæ & Galliæ, inter Arborem Felicem & Vitodurum, nunc *Ad Fines*, nunc *Fines* dictus, quem vulgò *Pfin* vocitãt, vel *Pfin an der Thur*. Alii ſunt item apud Æthicum *Fines*, inter Aptam Juliam & Cabellionem æquali intervallo ſiti, in confinio Vulgentium & Cavarum, in tabula Peutingeriana *Ad fines* dicti: necnon *Fines* inter *Lemonum* vel Limonum Pictonum & Argantomagum Biturigum Cuborum: inter Uſſubium quoque & Aginnum Nitiobrigum *Fines* alii; *Fines* etiam inter Veſunnam Petrocoriorum & Auguſtoritum Pictonum. In tabula Peutingeriana notantur & *Fines* inter *Toloſam* Volcarum Tectoſagum & *Bibonam* ſeu Divonam Cadurcorum: item inter eamdem Toloſam & *Eburomagum Carcaſſionemque Fines* alii, in confinio pagi Toloſani & Carcaſſonenſis agri. Nam & Toloſa & Carcaſſo ſunt Volcarum Tectoſagum, ut Ptolemæus & alii docent.

FIRMITAS.

Ordericus Vitalis in libro XII. Hiſtoriæ memorat *Firmitatem*, & inter *Gornacum* ac *Goſleni Fontem* eam ponit: eodem in libro *Braium* ac *Firmitatem* ceu vicina loca conjungit. Firmitatem in Braio nunc cognominant, *la Ferté en Bray*: quæ poſita in monte, ac in medio ſaltu pagoque Braio (*la foreſt & pays de Bray*) inter *Gornacum* & *Goſleni Fontem*, Diœceſeos Rotomagenſis finibus continetur. *Firmitates* autem Noſtri vocavere loca firma & natura atque opere munita, muriſque validis cincta atque clauſa, parvorum inſtar caſtellorum: qualia Ammianus Marcellinus & quidam alii *Munimenta*, recentiores *Fortia* ac *Fortalicia* dixere. *Firmitates* ergo à re nomen habuerunt, quòd & firmæ eſſent ſeu validæ, & clauſæ. Nam firmare corrupta degenerque Latinitas dixit pro claudere. Certè *munitiones Brittonum*, noſtri Annales in DCCXCVI. modò *Firmitates*, modò *loca firma* vocant.

Multa ſunt eo nomine loca in Galliis, ut *Firmitas in Braio*; *Firmitas Adelhaidis*, *la Ferté Alais*; Firmitas Milonis vel Mellonis in Sueſſionibus, *la Ferté Millon*; Firmitas ſub Iotro in Meldis ad flumen Matronam, *la Ferté ſous Ioüerre*; Firmitas Galtherii in Meldis, *la Ferté Gaucher*; Firmitas Auculfi, *la Ferté Aucoul*, Firmitas Bernardi, *caſtrum Feritas Bernardi* Brittoni dicta, ad flumen Idoneam in Cenomanis poſita, *la Ferté Bernard*, cujus ager dicitur Firmitatenſis, *le Fertois*; *Firmitas opidum proximum Monaſterio* Claræ Vallis, ut Vita Bernardi docet, *la Ferté ſur Aube*; Firmitas Vicedomini, *la Ferté au Vidame*, ita dicta quod ad Vicedominum Carnutinæ Eccleſiæ pertineret; Firmitas S. Albini, *la Ferté Saint Aubin*, non procul ab urbe Aurelianis, & ſi quæ aliæ: quæ loca quidam indocti & illiterati, ac veterum noſtrorum ſcriptorum ignari pro Firmitatibus *Feritates* inepte ac ſine ullo ſenſu quaſi ad litteram vocavere: cùm Firmitas truncatâ à Noſtris ex more mediâ nominis ſui ſyllabâ *Ferté* nuncupetur, quaſi *Fermeté*, quo nomine eſt vicus in pago Brigenſi inter Roſetum & Nangiacum, *la Fermeté*.

Firmitatem Balduini memorat Sugerius in Vita Ludovici Craſſi Francorum Regis, quod caſtrum Comes VVido vel Guido Rubeus de Rupe Forti, Hugonis Creciacenſis pater, frater Odonis Comitis Corboilenſis, ductâ in matrimonium Adelaide Comitiſſâ uxorio jure obtinuit, ac poſtea repudiatâ conjuge retinere perſeveravit. Hoc caſtrum mihi videtur dictum eſſe alio nomine & uſitatiore *Firmitas Adelaidis*, vel ab Adelaide iſta Comitiſſa, ad quam jure hereditario pertinuit, ut Sugerius docet; vel certè ab Adelaide Regina, Ludovici VII. conjuge, matre Philippi Aug. quem Ludovicum Regem cum uxore Adelaide & Philippo communi filio ibi ſæpe ſediſſe, litteræ ipſius datæ anno MCLXXVII teſtãtur; necnon litteræ Ludovici IX. datæ anno MCCLXII. quibus in litteris *Firmitas Aaleis* nuncupatur: *Firmitas Adelhaidis* & *Firmitas Aalidis* in Chartulariis MSS. Eccleſiæ Pariſiacæ. *Adelhaidis* autem & *Adela* unum idemque nomen eſt, necnon *Adela* & *Adalais*, vulgo *Aaleis* olim Noſtris, poſt *Alis*. Forſitan ergo à Regina Adelaide caſtrum Firmitas Adelai-

dis nomen accepit, quòd eo admodum delectaretur, & caſtrum ad ipſam aut doteaut donatione propter nuptias pertineret. Vulgo nuncupatur *la Ferté Alais*, inter Corbolium & Stampas poſitus locus in finibus Senonum: quem à Sugerio *Firmitatem Balduini* dictum eſſe puto, (quicumque hic Balduinus fuerit) propterea quòd & ſitus convenit, & nuſquam apparet nunc Firmitas cognominata Balduini. Ejuſdem loci fit mentio in Chronico Maurimacenſi, ubi dicitur dimidium Stripiniacenſis Eccleſiæ Maurimaco dediſſe *Haimo de Firmitate Bauduini, & Eccleſias ipſas de Firmitate Bauduini Guido Troſſelus, concedentibus uxore ſua Adelaide, & patre ſuo Milone Vicecomite.* Stripiniaco autem, & Maurimaco Cœnobio proxima eſt Firmitas Adelaidis, ſeu Firmitas Balduini. Firmitatis Balduini dominus haud dubiè fuit Guido iſte Troſſellus, cùm Eccleſias loci Maurimacenſi Monaſterio donaverit. Adelaidis Guidonis Troſſelli uxor, fortè eſt *Adelaidis Comitiſſa*, cujus poſteriorem virum Guidonem Rubeum Firmitatem Balduini uxorio jure obtinuiſſe ſcribit Sugerius.

In Secalonia eſt Firmitas Hucberti *la Ferté Hubert*, & Firmitas Aureni *la Ferté Aurain*, & ſub Archidiaconatu Solliacenſi Firmitas S. Albini, *la Ferté S. Aubin*, & Firmitas Naberti, *la Ferté Nabert*: quæ quatuor loca finibus Carnutum & Diœceſi Aurelianenſi continentur. Litteris Gaufridi Andecavorum Comitis de Monaſterio Vindocinenſi datis anno ML. Indictione III. Nithardus de Monte Aureo, (*Montoire*) Landericus de Balgentiaco, (*Baugency*) *Hubertus de Munitione* ſubſcripſerunt, id eſt omnino *Hubertus de Firmitate*: à quo Munitio vel Firmitas ſuum cognomen accepit, & *Munitio Huberti*, vel *Firmitas Huberti* cognominari ante annos DC occœpit. Ex quo intelligitur, verè nos ſupra ſcripſiſſe, *Munitionem* & *Firmitatem* unam rem eſſe, & in Annalibus noſtris *Munitiones*, ac *Firmitates*, ac *loca Firma* in rebus anni DCCXXCVI. ante annos nongentos promiſcuè uſurpari.

FISCAMNUM.

Vvaningus vel Vvaringus inter proceres Palatii Conſiliarioſque Chlotharii ejus nominis tertii Francorum Regis floruit, vir pius & locuples: qui Vvandregiſilum Abbatem in Cœnobio Fontanella exſtruendo adjuviſſe, eique plurimas poſſeſſiones ac Deſideratum etiam filium ſuum tradidiſſe dicitur, ac Monaſteria non pauca in agris ſuis ædificaviſſe: & quem quidam cuſtodem ſilvarum pagi Caletici ipſi à Chlothario commiſſarum fuiſſe ſcribunt. Habebat hic in Caletis magnas poſſeſſiones, è quibus una *Fiſcamnum* vocabatur: ubi hortante Audoeno Rotomagenſi Epiſcopo, permiſſu Principis Monaſterium puellarum condidit, ac per Audoenum ceteroſque Lugdunenſis ſecundæ Epiſcopos baſilicam ejus ſanctæ Trinitati dicavit, atque ſacris Virginibus quas ampliùs trecentas ibi conſtituerat, res omnes ſuas ac latifundia dedit, nobiliſſimamque & piiſſimam Virginem nomine Childemarcam ſuadente Vvandregiſilo eis Abbatiſſam præfecit. Rex ipſe Chlotharius qui Dedicationi Baſilicæ aderat, Cœnobium Regiá gazâ & prædiis liberaliter donavit: ut in libro Rerum Francicarum XXI. ſcripſimus. *Fiſcamnum* in Caletis, Orderico in libro XII. aliiſque *Fiſcannus*, *Fiſcanum* in Vita S. Leodegarii, locus eſt ad mare, vulgò *Feſcam en Caux*: qui locus valli, & ſaltui Fiſcamnenſi nomen olim dedit, nec Monaſterium modò, ſed etiam opidum continet ad amnis oſtium. Monaſterium pridem pro puellis Monachi occupaverunt.

FLADIRTINGA.

Fladirtinga pervetus opidum eſt Hollandiæ infra Roterodamum, ad oſtium Moſæ in Oceanum influentis, Comitum olim ſedes: à qua Theodericus, ejus nominis quartus, Hollandienſium Comes, Hermanno Contracto in Chronico vocatur *Marchio Fladirtingæ*. Ipſe Theodericus Comes Hollandienſium in litteris datis anno MXXCIII. *Fladringam* vocat; alii *Flardingam*. Incolæ *Vlaerdingen* nuncupant, uti Muræus ſcribit.

FLAICVS INSVLA.

Vrbanus PP II. in litteris datis anno MXCVIII. *inſulam Flaici* vocat, quæ mediis ex paludibus eruta in Santonibus, unà cum Eccleſia B Mariæ de Surgeriis (*Sugeres*) ad Monaſterium Vindocinenſe pertinet. Vulgo dicitur *l'iſle de Flaiz*. Gaufridus Abbas Monaſterii Vindocinenſis, qui anno MCXX. floruit, in epiſtola XXXVII. ad Rannulfum Santonenſium Epiſcopū queritur, ſuum Monaſterium hac inſulâ iterum ab ipſo ſpoliatum exutumque eſſe. *De inſula Flaici nunc iterum nos deinveſtitos habetis.*

FLANDRIA, AC FLANDRENSES.

Flandrenſes à municipio Flandrenſi mihi videntur nomen habuiſſe. Ejus municipii urbiſve Flandrenſis primus omnium quos quidem legerim mentionem feciſſe Audoenum animadverto in libri II. de Vita S. Eligii Noviomagenſis ac Turnacenſis Epiſcopi capite II. cujus hæc ſunt verba de Eligio. *Hoc ergo modo aurificem invitum detonſum, conſtituerunt cuſtodem urbium ſeu municipiorum his vocabulis, Vermandenſi ſcilicet, quæ eſt Metropolis urbs, Tornacenſi, quæ quondam Regalis exſtitit civitas, Noviomagenſi quoque, & Flandrenſi, Gandenſi etiam, & Cortoriacenſi. Ob hoc itaque eum vel maximè in his locis dederunt Paſtorem, quòd &c.* Apparet heic ab Audoeno non regionum, ſed urbium & municipiorum aut locorum utriuſque Eligii Diœceſeos præcipuorum fieri mentionem, & cùm Auguſta Veromanduorum, vetus Epiſcopatûs ſedes, Noviomagus, Turnacum, quondam ut aiunt Regum noſtrorum Regia, Ganda quoque & Cortoriacum opida heic nominatim referantur, *Flandrenſi* inter hæc opida locum dari, & *Flandrenſe municipium* vel *opidum*, non autem regionem aut pagum deſignari. Idem docet in capite III. ejuſdem libri his verbis: *Luſtrabat urbes vel* (id eſt, &) *municipia circumquaque ſibi commiſſa. Sed Flandrenſes atque Andouerpenſes primò eum hoſtili animo & averſa mente ſuſceperunt.* Et in capite VIII. *Multum præterea in Flandris laboravit, jugi inſtantiâ Andouerpis pugnavit.*

Flandrenſes ergo propriè dicti ſunt primùm *Flandrenſis municipii* vel opidi incolæ, quod & *Flandras* vocavere veteres, in primis Audoënus: recentiores *Bruzzias*, *caſtrumque Bruzzienſe*, *Brudgas* ac *Bruggas*: nunc ſcriptores Latini *Brugas* appellant. Hoc me docet Vita Eligii, quam in veteri codice optimæ notæ ſcriptam & in epitomen coactam reperi, hiſce verbis. *Hoc ergo modo aurificem invitum detonſum, conſtituerunt cuſtodem urbium ſeu municipiorum his vocabulis, Veromandenſi ſcilicet quæ eſt metropolis urbs, Tornacenſi à quâ quondam Regalis exſtitit civitas, Noviomagenſi à & Brugenſi, Gandenſi etiam & Corturiacenſi, ſed & pene totius Flandriæ.* Pro *Flandrenſi municipio*, quo nomine uſus erat Audoënus, vetus auctor qui ex Audoëno epitomen fecit, poſuit *Brugenſi*, propterea quòd Flandrenſe municipium & Brugenſe, ſive Flandras & Brugas unum idemque eſſe opidum noverat: unde vulgò hodieque *Brugæ Flandrorum* cognominantur, & ſic à Ræuardo præter ceteros dicuntur. Nam qui veteribus Flandrenſes, recentioribus Flandri.

A Flandris ſeu Flandrenſi municipio, hoc eſt à Bruzziis Brugiſve Flandra vel Flandria regio nomen accepit. *Flandriæ* meminit auctor libelli de Vita Vrſmari Laubienſis Abbatis, qui Vrſmarum *in Fania, Teoracia, Flandria atque Menapia* multos ad Chriſtianam religionem adduxiſſe, & complures Eccleſias exſtruxiſſe tradit, Flandriæque & Menapiæ incolas *Flandrenſes* & *Menapes* appellat.

Ludovicus Pius Imper. in Diviſione Regni ſui quam inter filios feciſſe dicitur, regionis ejus mentionem facit, ac *Franderes* vocat, atque inter *Bragbentum* & *Menpiſcum* ponit, hoc eſt inter Bracbantum & Menapiam vel Menapicum pagum. *Flandram* appellant Capitula Caroli Calvi Ludovici A. filii in Silvaco edita anno DCCCLIII. *I. E, A. A, VV, O. miſſi in Noviomiſo, Vermendiſo, Adertiſo, Curtriciſo, Flandra.* Quibus verbis *Curtriciſus* id eſt Curtricenſis pagus ſive Cortoriacenſis à Flandria diſtinguitur, cùm nunc Cortoriacenſes Flandriæ finibus contineantur: ex quo apparet Flandriam minorem tum quàm nunc eſt exſtitiſſe. Patronam Veromanduorum Flandriæ impropriè accenſet Gaufridus in libri IV. de Vita Bernardi magiſtri ſui capite III. his verbis: *De partibus Flandriæ multi aliquando Nobiles, multi ſapientes & litterati viri ſub ipſius magiſterio ſacram profeſſi ſunt ſervitutem. Quorum primus videbatur Gaufridus ille de Perona, qui poſtmodum in Claravalle Prioris officio functus eſt.* In epiſtola cujuſdam ad Ludovicum Regem Francorum ejus nominis VII. *Sciatis, quòd Comes Flandriæ conqueſtus eſt de vobis Regi Angliæ, quòd ei aufertis terram Radulfi Comitis de Peruna.* Nicolaus Trivetus in Chronico quod ad annum MCCCVII. deduxit, Caleſium portum Morinorum Flandriæ attribuit, *Anno MCCXVI. Ludovicus apud Caleſium Flandriæ portum claſſem coadunari præcepit pro exercitu in Angliam tranſportando.* Guillelmus quoque Abbas Andrenſis in Chronico, quod in anno MCCXXXIV. deſinit, *Comitatum Giſnenſem & Taruennenſem Epiſcopatum*, Morinorum partem majorem, in Flandria non ſemel ponit, Flandriæve adſcribit: & inter Milites Flandriæ Vexillarios Principatu Philippi Aug. Francorum Regis *Comes Giſnarum* id eſt Giſnarum numeratur.

Maritimam ex parte regionem Flandriam, qualis hodie eſt, olim fuiſſe, docent verba Eginhardi in Annalibus, quæ talia ſunt. *Anno DCCCXX. de Nordmannia XIII. piraticæ naves egreſſæ, primò in Flandrenſi litore prædari molientes, ab his qui in præſidio erant repulſæ ſunt.* Docet idem & Chronicon Fontanellenſe in anno DCCCL. *Nec mora, Dani de Vualo* (id eſt Vacali) *fluvio recedentes abſque ulla præda, Flandrenſem adorti regionem, variis depradationibus populati ſunt.* Frodoardus quoque in Chronico *Arnulfum Comitem de Flandris* maritimis Francis adnumerat.

Flandria incolis dicitur *Vlanderen*, F litterâ in u mutatâ; Noſtris *Flandres*, ac in numero etiam ſingulari *la Flandre*, Hiſpanis *Flandes*.

Incolæ Flandriæ *Flandrenſes* à veteribus ſcriptoribus noſtris nuncupantur; à Niceta autem Choniate ante annos circiter CCCCLXX. *Flamiones ex inferiore Gallia*, Φλαμίονες ἐκ τῶν κάτω Γαλλιῶν; à recentioribus, ut à Marliano aliiſque nunc *Flamingi*, nunc *Flamenci*; à Noſtris vulgò *Flamans* aut *Flamens*. A Flandria autem vocabulum *Flamiones*, *Flamingine*, aut *Flamenci* deduci non poteſt. Itaque ejus nominis ethnici originem penitus mihi ignotam eſſe profiteor: cùm ut Flandria Noſtris *Flandre*, aut *Flandres* dici ſolet; ſic Flandrenſis *Flandrois* potiuſquàm *Flaman* vocari debere videatur.

FLAVIACVM.

Geremarus principatu ac permiſſu Chlodovei tonſus ab Audoeno Rotomagenſi Epiſcopo, in loco pagi Bellovaci quem *Flaviacum* vocant, Cœnobium ædificavit, & bona omnia, quæ præſente ac conſentiente Rege Dagoberto Amalberto filio ſuo donaverat, ac poſt ejuſdem obitum receperat, Flaviaco donavit, primuſque loco Abbas præfuit, ac ibi ſepultus eſt: ut in libro Rerum Francicarum XIX. ſcripſimus. Vulgo nunc & locum & Monaſterium ſimul à Patrono appellitant *Saint Germair*, hoc eſt S. Geremarum; nonnumquam & addito veteri loci nomine, *l'Abbaye de S. Germer de Flay*, id eſt S. Geremarum de Flaviaco. *Flaviacum Monaſterium* dicitur in Chronico Fontanellenſi.

FLAVINIACVM.

Flaviniacum Æduorũ à Flavino nomen habere videtur, ut Flaviacum Bellovacorum à Flavio. Eſt autem Flaviniacum in Auguſtodunenſi Diœceſi, veteri Monaſterio ejuſdem nominis clarum, ac *Flavigny* vulgò dictum. In rebus geſtis Ludovici Pii Auguſti inter Miſſos Dominicos anno DCCCXXXVII. numeratur *Adrebaldus Flaviniacenſis Monaſterii Abbas.*

FLECCHIA.

Ordericus Vitalis *Flecchiam caſtrum* ſemel atque iterum vocat in libro IV. Hiſtoriæ; *Flechiam caſtrum* in libro X. quam recentes ſcriptores noſtri *Flexiam* Latinè appellitant: vul-

gò *la Flèche*. Opidum eſt non ignobile in finibus Andicavorum, ad ripam Liderici fluminis poſitum. Sagittam autem Noſtri *Flechiam* vulgò aut *Flecchiam* (*une fleche*) dicunt à flectendo, quòd è ligno lento flexilique fieri ſoleat. Quin & ſi qua ſunt ſicut ſagittæ longa, directa, & anguſta, ſed in ſumma ſui parte quaſi alis utrimque expaſſis latiora, flechias metaphoricè appellitamus, ut fulmentum carrucæ, *la fleche d'un train de carroce*; lardum in longitudinem anguſtam cæſum, *une fleche de lard*; Campanarium excelſum, rotundum, & anguſtum ac rectum, *la fleche d'un clocher*. Quare non ſine cauſa videri etiam poſſit, caſtrum *Flechiam* à ſagitta ſeu flechia nomen ſuum accepiſſe: ſive quòd turrim aliquam habebat ſtructura ſagittæ erectæ ſimilem; ſive quòd totum caſtri corpus, & locus ipſe ſagittam referebat.

Fiſcam tamen ab aliis appellatam reperio: Geſta Conſulum Andegavenſium, quæ in Gaufrido Comite, Henrici Regis Anglorum patre deſinunt, notant *Heliam de Fiſca*, adjutore Gaufrido Barbato Andegavorum Comite, Cenomanos à Guillelmo Rege Anglorum ſibi ablatos recepiſſe. In litteris quibuſdam priſcis hæc lego. *Hujus rei teſtes, Albericus de Monte-Aureo*, (*Montoir*) *Malgerius filius Amalrici de Fiſco*. Ibi pro *Fiſco Fiſca* ſcribi malo, & Flechiam deſignari non dubito. Guillelmus Major, Andicavorum Epiſcopus circa annum MCCCXVI. de vita ſua ſcripſit, qui *Fixam* vocat, & duos *fratres Leproſaria de Fixa* ad reddendas litteras quas domui iſti furto ſubduxerant, compellit: quæ res indicat Fixam ſeu Flecchiam Andicavenſis Diœceſeos finibus, uti nunc, ſic tum attributam fuiſſe. Idem *Priorem Eccleſia B. Maria de Fixa* commemorat, & *Procuratorem fabrica eius eccleſia*. Vetuſtius eſt Guilelmo Majore Chronicon Monaſterii S. Albini Andicavenſis, ab anno DCCCCXXIX. ad annum MCC. deductum, in quo nunc *caſtrum Fixe*, ut apud Guillelmum, nunc *caſtrum Fiſſa* appellatur, *caſtrum Fiſſa* ſimiliter in alio Chronico.

FLEVVM OSTIVM RHENI ET LACVS.

In Rheno inſulæ *cernuntur inter* Helinum *&* *Flevum. Ita appellantur oſtia, in qua effuſus Rhenus à Septemtrione in lacus, ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargit, medio inter hac ore modicum nominis ſuo cuſtodiens alveum*: ut ait Plinius in libri IV. capite XV. Ejuſdem nominis eſt lacus, in quem Rhenus ſe ſpargit; qui *iam non amnis, ſed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur*. *Flevum* igitur ſive *Flevo*, (quemadmodum Mella vocat) & oſtium Rheni fluminis, & lacus, communi nomine *Het Flie* vulgò appellatur. Cluverius notat *Vliet* vel *Fliet*, & *Flee* *Belgis* maritimis dici campos maris æſtibus modò inundari, modò nudari ſolitos, & opida ac loca quò Oceanus accedere conſuevit: hinc Flevi veterem alveum in lacu ſinuve Zuiderzeo *Het-Vlie* ſeu *Het-flie* nuncupari inter inſulas Schelling & Vlielant; intuſque in ipſo ſinu *Het oude Vlie* inter duo brevia. Vide quæ de Amſleot & de Gutefleda ſupra diximus.

S. FLORENTINI OPIDVM.

Opidum eſt in Senonibus ad flumen Ormentionem quo Icauna augetur poſitum, à Patrono ſuo dictum *opidum S. Florentini*, vulgò *S. Florentin*, cujus vetus nomen ignoratur. Ejus fit mentio in Vita S. Bernardi ante annos D. *In territorio Senonico, in opido quod S. Florentini nomine vocant.*

FLORIACVM.

Floriacum vicus ad Ligerim in Carnutibus Diœceſique Aurelianenſi, nomen ſuum dedit nobiliſſimo ac veterrimo *Monaſterio Floriacenſi* vel *Floriaco*, quod & ante annos DCCCC. dici cœpit *Monaſterium S. Benedicti*, *Fleury ſur Loire*, vel *S. Benoiſt ſur Loire*. Leodebodus vir pius & nobilis, Abbas Monaſterii S. Anniani extra muros Aurelianorum poſiti, Floriacum vicum fiſcalem dato invicem paterno prædio Attiniaco ad Axonam comparavit à Rege Chlodoveo juniore Dagoberti filio, ubi mox duas baſilicas S. Mariæ ac B. Petri, ac Monaſterium condidit, congregatiſque Monachis Abbatem nomine Rigomarum, ac poſt quinquennium eo mortuo Mummolum præpoſuit. Cœnobium illud, poſt tranſlatas eò B. Abbatis Reliquias, ex Monte Caſſino, *Monaſterium S. Benedicti* appellavere: ut in libro XX. Rerum Francic. ſcripſimus. *Caſtri Floriacenſis porta Septemtrionalis & Auſtralis* memorantur in libro IV. de Miraculis S. Benedicti, & *Floriacenſis burgus*.

Floriacum *Vallem Auream* primò nomen habuiſſe, ſcribit Aimoinus de Miraculis S. Benedicti. Apud Helgaldum aut quemlibet alium Monachum Floriacenſem invenio, Leodebodum res omnes quas Monaſterio Floriacenſi contulerat, Francorum Regis Chlodovei poteſtati ſubmiſiſſe: quod tamen teſtamentum Leodebodi, ab eodem Monacho ſuppoſitum aut ſaltem interpolatum, non dicit. Diedericus Monachus in libello de relatione corporis S. Benedicti ex urbe Aurelianis Floriacum capite IV. ait, Floriacenſe Monaſterium *à Septemtrione Franciam*, id eſt Neuſtriam, *ab Oriente Burgundiam, ab Auſtro Aquitaniam tangere, & in confinio trium regionum naturali ordine primatum obtinere.*

Eſt & Floriacum ad Oſcaram flumen in Lingonibus, *villa in Divionenſi territorio Floriacus* Gregorio in libro III. ad Sigivaldum olim, pòſt ad Monaſterium Cabillonenſe S. Marcelli pertinens, vulgò *Florey*: & plurima alia ejus nominis loca in Gallia, à floribus (ut videtur) potiuſquàm à Floro aliquo conditore vel domino dicta.

Ceterùm uti Floriacum *S. Benedictum ſuper Ligerim* Noſtri vocavere; ſic *in territorio Tricaſſino quoddam habetur prædium juris ejuſdem Patris ſuper Sequanam fluvium, ob oratorium in eius honore ibi conſtructum*, S. *Benedictus ſuper Sequanam nuncupatum*: ut in libro IV. de Miraculis S. Benedicti reperio.

FONS BLIAVDI.

Fons Bliaudi, *Fontaine-bleau*, in ſilva Bie-

ria pagoque VVaſtinenſi villa Regia nobiliſſima atque cultiſſima eſt: quæ à nomine vici & à fonte ibi oriente appellationem traxit. Locus (ſi qua Maſſono fides) *caſtrum de Blaudiaco* in tabulis Eccleſiæ Senonicæ cui ſubeſt vocatur. Guido Senonenſis Archiepiſcopus in litteris datis anno MCXCI. multique alii *Fontem Blaudi* appellant. In veteribus Regum noſtrorum litteris nunc *Fons Bleaudi*, nunc *Fons Bliaudi*, nonnumquam & *Fons Blaaudi* nuncupatur, & ut jam diximus, *Fons Blaudi*, nomine loci variante: ex quo fecere Noſtri *Fontaine-bleau*. Errat ergo Henricus Stephanus, qui in epiſtola ad Nannium *pagum Callirhoen* vocat: errat & Philander in Vitruvium, qui dubitat an *Fontem Bleriam* vocet; an potiùs *Fontembellum aut Callirhoen*. Nec melius Thuanus & Ramus *Fontem Bellaqueum*, alii *Fontembellaquenſem*, alii, in his Genebrardus, *Fontenablaum* appellavere; Poſſevinus *Fontembellum*, vel *Bellaum*; Foeſius *Regiam Fontanobellam*.

Hoc Palatium magnificentiſſimum, & Regibus noſtris digniſſimum, ſitum eſt in *ſilva Bieria, la foreſt de Biere*, quæ à Palatio vulgò cognominatur ſilva Fontis Bliaudi, *la foreſt de Fontainebleau*. *Silva Bieria* ante annos DCXXX. meminit Helgaldus in Vita Rotberti Francorum Regis: de *Fonte Bliaudi* quæ mentionem fecerint, litteras Philippi Auguſti principatu vetuſtiores legere non memini.

FONS EBRALDI.

Illuſtre eſt Monaſterium, à loco dictum *Fons Ebraldi*, in Pictonibus Diœceſique Pictavenſi, anno MCVI. conditum à Roberto de Arbriſello in confinio Andium, Turonum & Pictonum. Petrus Abbas Cluniacenſis in epiſtola XVII. libri II. Epiſt. *Fontem Ebraudi* vocat. Hoc Monaſterium vulgò dicitur *Font-Evraud*, in quibuſdam tabulis & libris corruptè *Frontevaux*: caputque eſt Ordinis miſti, in quo Abbatiſſa Fontebraldenſis non ſolùm Virginibus Deo devotis, ſed etiam Monachis ſuis imperat, etiam Presbyteris, etiam Theologis.

FONS ROGI.

In pago Autiſſiodorenſi, in loco qui Fonsrogi vocatur, (*Fontrouge*) Monaſterium à Romano quodam Monacho ædificatum eſſe dicitur in Vita S. Mauri, ſed corruptiſſima ac nullius auctoritatis.

FONTANÆ.

Guillelmus Abbas Monaſterii S. Theoderici, urbi Remis proximi, in libro I. de Vita Bernardi, cujus æqualis fuit, capite I. *Bernardus* (inquit) *Burgundiæ partibus Fontanis opido patris ſui oriundus fuit. Pater eius Tecelinus Miles. Fontanæ* Bernardi natalibus celebres, vulgò dicuntur *Fontaines*. Vicus nunc eſt ad Albæ ripam poſitus inter Claram Vallem & Barrum-Albenſe, ſed Barro quam Claræ valli multo propior.

Eſt & *opidum* nomine *Fontana* in finibus Tungrorum ſeu Leodicenſium, cujus meminit Gaufridus Monachus Claravallenſis in libro III. de Vita B. Bernardi. Natus erat in opido iſto Fontanis Philippus, qui librum de Miraculis S. Bernardi compoſuit, ob id *Philippus Leodicenſis* dictus.

FONTANELLA.

Vvandregiſilus cognomine Vvando, natus in pago Verodunenſi, regnante apud Francos Dagoberto majore, exactionem tributorum exercuit: ac demum fontem uberrimum præfluentem Fontanellam dictum, qui locus in eremo Gemeticenſi agroque Rotomagenſi fiſci erat, Regio Chlodovei junioris dono conſecutus eſt: ubi Monaſterium & quatuor Baſilicas ædificavit: quemadmodum in Rerum Francicarum libro XIX. ſcripſimus. Vulgò Monaſterium à loco Fontanella *Fontenelle*; à Vvandregiſilo conditore & Abbate primo Monaſterium S. Vvandregiſili, *Saint Vandrille* appellatur. In Chronico Fontanellenſi, quod Lucas Acherius V. C. edidit, dicitur Fontanella à Septemtrione, ab Occaſu & Meridie montes habere frugiferos vinique feraciſſimos, ac denſas ſilvas; ab Oriente fontem uberrimum, loco nomen dantem, qui paſſus MCCC. emenſus, decurrat in Sequanam; fluvium item mirabilem, qui in Aquilonali Cœnobii plaga oriatur, atque ad meridiem in Sequanam efluat: inter hæc duo flumina prata Monachorum amœna eſſe ac irrigua. Maximus fluviorum Sequana & piſcoſus inprimis abeſſe dicitur à Cœnobio paſſus octingentos; Rotomagus millia ferè XVIII. circa quod pro vepribus & ſpinis ac paludibus nunc pometa, & hortos amœnos, irriguos, ac virentes, & valles nemoroſas cernere liceat. Eſt & Fontanella altera in Hainoo, Monaſterio puellarum celebris, *l'Abbaye de Fontenelle en Hainaut*: quo in Monaſterio Johanna Philippi VI. Francorum Regis ſoror, Imperatoris Ludovici Bavari & Edvvardi ejus nominis tertii Anglorum Regis ſocrus, amiſſo viro ſuo Vvillelmo Bono, Comite Hanoenſium, Hollandenſium & Zelandenſium ſacrum velamen aſſumſit, ibique octogenariâ major obiit atque ſepulta eſt. In Vita S. Vvandregiſili omnium vetertima quam legi, dicitur Vvandregiſilus *in eremo Gemetico ad Fontem uberrimum* Fontanellam Monaſterium extruxiſſe. Certè hodieque à Gemetico Monaſterio abeſt Cœnobium Fontanella leugas circiter duas, ſeu VI. paſſuum millia. Fontanella porro dictus eſt locus cum Monaſterio, quaſi parva fontana, hoc eſt parvus fons, fonticulus: dictus inquam eſt Fontanella ſeu fonticulus per antiphraſin ut puto: cùm fontem uberrimum maximumque præfluentem habeat in ſaltu eremoque Gemeticenſi.

FONTANETUM.

Nithardus in libro II. *locum Fontanetum*; Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus in epiſtola ad Ludovicum Francorum Regem *Fontanidum*; Annales Fuldenſes *villam Fontinatam in regione Alcedronenſe* nuncupant, id eſt in pago Autiſſiodorenſi: *locum Fontanidum* Annales Bertiniani; Annales Mettenſes

villam Fontaniacum in regione Alcedronenſe; Adelerius & Vita S. Genulſi optimè *Fontanetum*. Hic eſt locus, in quo Lotharius cum Ludovico & Carolo fratribus de Regno pugnavit, & victus eſt acie anno DCCCXLI. Vulgò *Fontenay* appellant. *Fontanidum* dictum pro *Fontanetum*, ut *Alnidum* pro *Alnetum*, *Fagidum* pro *Fagetum*, *Fraxinidum* pro *Fraxinetum*, *Caſtanidum* pro *Caſtanetum*, *Caſnidum* pro *Caſnetum* à caſnis vel quercubus.

Eſt & Fontanetum vel Fontaniacum in Pictonibus, in rebus Ludovici IX. Francorum Regis *caſtrum Fontenaium* à Guillelmo Nangiacenſi dictum, qui & *Frontenaium caſtrum fortiſſimum, duobus paribus murorum muratum, fortiſſimiſque turribus & groſſis firmatum in Pictavia* memorat: quorum caſtrorum alterum Malliaco proximum vocatur *Fontenay*, alterum non procul à Niortio dicitur *Frontenay*, nunc vici magis nomine quàm caſtri dignum, poſtquam a Ludovico IX. deſtructum eſt funditus & everſum anno MCCXLII.

FORMISELA.

Formiſela locus fuit in Morinis ſeu in Diœceſi Taruennenſi, Collegio Canonicorum inſignis. Vulgò *Vormeſeele* vocitant. Quippe Germani f in u, & u in f promiſcuè commutant, & alterum pro altero efferunt quum loquuntur.

FORUM DOMITII.

Apud Æthicum in itinere ab Arelato Narbonem, quod eſt millium paſſuum centum, occurrit Forum Domiti, inter Sextationem & Ceſeronem, à Sextatione XV. à Ceſerone ſive Araura XVIII. millibus diſtans. In Itinerario Burdigalenſi *Mutatio Forum Domiti* ſimiliter Narbone Arelatum petentibus obvia eſt, inter manſionem Ceſſaronem & civitatem Nemauſum: in tabula Peutingeriana quoque *Forum Domitii* eſt inter Ceſſeronem & Sextationem, dictum ut puto à Cn. Domitio Ahenobarbo, abavo Domitii Neronis Aug. qui in Conſulatu Allobrogibus Arvernisque ſuperatis, elephanto per provinciam vectus eſt. Sextatio autem, *Sotantio* in Itinerario Hieroſolymitano, vulgò dicitur *Souſtantion*, vicus Montipeſſulano proximus, & ruinoſus: Araura ſive Ceſero in agro Agathenſi, à Tiberio Martyre, qui cum Modeſto & Florentia Diocletiani & Maximiani Principatu cæſus eſt, nomen accepit, & ejuſdem Monaſterio inſignis fuit, à quo & locus dicitur hodieque S. Tiberii, *S. Tuberi*, ac corruptè omiſsâ primâ litterâ nominis *Saint Uberi* ad fluvium Araurim inter quæ duo loca eſt Frontiniacum *Frontignan*, vino ſuo illuſtre, ad ſtagnum maritimum: quod *Forum Domitii* eſſe non dubito, *Frontignan* truncato nomine appellatum quaſi *Forum Domitianum*. Frontiniacum autem in priſcis tabulis dictum reperio *Frontignan*; ut Liciniacum in Pictonibus caſtrum *Lezignan*.

FORVM IVLII.

Col. Iulia Octavianorum, id eſt Colonia Iulia Octav. in nummo Auguſti, *Col. For. Iul.* in nummo Domitiani, id eſt Colonia forum Iuli; Melæ & Plinio in Narbonenſi provincia *Forum Iulii Octavianorum colonia* vocatur. Addit Plinius, *quæ Pacenſis appellatur & Claſſica: amnis in ea Argenteus*. Certè in nummo Neronis dicitur *Col. Pacenſ. Claſſ.* hoc eſt, Colonia Pacenſis Claſſica. Et Pacenſis quidem à pace dicta eſt; Claſſica autem à claſſe Auguſti Cæſaris, cujus navale fuerat. Vnde Strabo *navale Auguſti Forum Iulium* vocat, τὸ ναύσταθμον τοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ ὃ καλοῦσι Φόρον Ἰούλιον inter Olbiam & Antipolim. *Nam roſtratas naves Auguſtus in oppidum Foroiulienſe miſerat valido cum remige* ad Galliæ litus tuendum, uti ait Tacitus in libro Ann. III. qui & nunc *Forum Iulii*, nunc *Foroiulienſem coloniam clauſtraque maris*, nunc *veterem & illuſtrem Foroiulienſium coloniam*, interdum & *Forum Iulium, Galliæ Narbonenſis coloniam* nuncupat; & Cnæi Iulii Agricolæ viri Conſularis, ſoceri ſui, ac Valerii Paullini, Veſpaſiani Aug. Procuratoris ac Ducis patriam fuiſſe tradit. A Ptolemæo, ſicut à Strabone & Tacito dicitur *Forum Iulium Colonia*, Φόρος Ἰούλιος Κολωνία. Plancus apud Ciceronem in libri X. epiſtola XVII. *Forum Iulii à Foro Voconii quatuor & viginti millia paſſuum abeſſe* ſcribit. At ex tabula Peutingeriana Forum Iulii à Foro Voconi XVII. *tantùm millibus* p. diſtat; XII. tantùm ex Æthici uno codice vel exemplari; ex altero tamen emendatiore XXIV. quem locum *Forum Voconium* Lepidus in epiſtola ad Ciceronem vocat. Idem Æthicus inter Leronem & Lerinum inſulas & ſinum Samblacitanum plagiam (*Golfe de Grimaut*) *Forum Iulii portum* ponit, ab inſulis millibus XXVII. à ſinu XXV. diſtantem, necnon inter Forum Voconi & Antipolim, ab Antipoli XXX. millibus, aliàs XXII. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Forojulienſium*, & *civitas Foroiulienſis* IV. ut & nunc locum obtinet inter provinciæ Narbonenſis II. ſeu Aquenſis civitates VII. in nonnullis *civitas Foroiulenſium* corruptè dicta. Recentiores Notitiæ inter Epiſcopos *Aquenſi Burgundiæ Archiepiſcopo* ſuffraganeos *Foroiulienſem* tertio loco numerant. *Freius* vulgò nuncupatur: in quibuſdam tabulis & libris *Freiuls* ſcriptum reperitur. *Feruls* Scaliger mendosè appellat; Hiſpani & Itali *Freio*.

Fluvius Argenteus hanc urbem alluit, vulgò Provincialibus *Argence* dictus, alias *Argens*, qui à colore aquarum ſuarum argenteo ſive albo nomen videtur accepiſſe: uti eamdem ob cauſam nonnulli in Gallia amnes dicti ſunt *Albæ*. Hunc amnem Lepidus in epiſtola ad Ciceronem *flumen Argenteum* nuncupat, datâ *ex Ponte-Argenteo*: qui locus ita appellatus eſt à ponte amni Argenteo impoſito. Arenæ Argentei fluvii Forojulienſem portum illũ tam eximium olim, & Auguſti claſſis ac roſtratarum navium receptorem, implevere ac obſtruxere: ut arenæ Rhodani oram Gothiæ importuoſam reddidere: ac poſt Ludovici IX. Fr. R. principatum abhinc annos CCCC. ab Aquis Mortuis portu antè celeberrimo receſſit mare III. aut IV. millibus paſſuum.

Forum Iulii videtur fuiſſe caput *Suelterorum* vel *Selterorum*, de quibus nos alibi.

Ceterùm Pincianus & Iof. Scaliger, & Lipſius, ac Sirmundus, aliique *Octavanos* pro *Octavianis* ſcribi volunt apud Mellam & Plinium, & Forum Iulii *Octavanorum Coloniam* nuncupant: quaſi à militibus Veteranis VIII. legionis ibi collocatis, non autem ab Octavio Auguſto coloniæ auctore, qui eam urbem pro navali habuit & claſſe valida munivit, hoc nomen habeat. At in veteribus inſcriptionibus Primani, Secundani, Tertiani, Quartani, Quintani, Sextani, Septimani vel Septumani, Nonani, Decimani vel Decumani vocantur milites I, II, III, IV. V. VI. Septimæ, Nonæ, & Decimæ legionum; Octavæ autem legionis milites *Octaviani*, non *Octavani*, ut videtur exigere lex analogiæ. Itaque etſi ab Octavæ legionis veteranis & emeritis Forojulienſis Colonia cognomen ſuſceperit, quod non puto: tamen *Octavianos* apud Mellam & Plinium retineri oportet, non in *Octavanos* mutari.

Amphitheatrum Forojulienſe Provinciales numerant inter Romana opera & antiquitates ſuæ Provinciæ: ut Viam Aureliam, *le Chemin Aurelien*; Amphitheatri Arelatenſis reliquias; arcus triumphales cùm apud Arauſionem, tum circa vicum S. Remigii; (*San Remo*) tres turres in Aquiſextienſi Palatio adhuc ſuperſtites.

FORVM SEGVSIANORVM ET FORENSIS PAGVS.

Seguſiani liberi, in quorum agro colonia Lugdunum ponitur à Plinio in Lugdunenſi Gallia, duas ad Ligerim flumen urbes habent, Rodumnam & Forum Seguſianorum. Ambæ à Ptolemæo memorantur in Gallia Lugdunenſi, Σεγυσιανῶν Ῥοδούμνα, καὶ Φόρος Σεγυσιανῶν: *Seguſianorum urbes Rodumna, & Forum Seguſianorum.* Vtraque memoratur & in tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana, ſed altera *Roidomna* pro Rodomna, altera *Furoſeguſtanarum* pro Foroſeguſianorum corruptè vocatur & ſcribitur his verbis: *Roidomna, Mediolano, Furoſeguſtanarum.* Et *Rodumna* quidem vel Rodomna vulgò *Roane* aut *Roans* appellatur, à nonnullis cum adſpiratione *Rohanne*, heic ubi Liger navigia tolerare incipit. Forum autem Seguſianorum Noſtri *Feur* nuncupant, o in eu mutato de more, nonnumquam & *Furs*: quod à Romanis ita dictum videtur, quoniam eò Seguſiani convenirent ibique diſceptarent. Idem enim eſt Forum Seguſianorum, quod Conventus Seguſianorum. *Forum Seguſianorum* in nummo Galbæ reperitur: & vetus lapis cujus inſcriptionem Maſſonus refert, fabrorum tignariorum Foroſeguſ. conſiſtentium meminit. *Fabri Tignuar. Qui For. Seguſ. conſiſtunt.*

A Foro Seguſianorum nomen accepit *pagus Forenſis*, in noſtris hiſtoriis veteribuſque monimentis ſæpe memoratus, Comitibus quondam ſuis illuſtris, à quibuſdam recentiſſimis ſcriptoribus *pagus Foroſeguſianus* nova & nimis anguſta appellatione deſignatus. Noſtri eum pagum *le Foreſt* nuncupant, rati à ſiluis quas Germanico nomine Foreſtes dicimus, cognominatum eſſe. Nam ſiluis abundat & montibus. At eo ex nomine eradenda eſt t littera, quæ in *Forenſis* minimè reperitur, & ſcribendum *le Forés*, aut *le Forais.* Certè & pagi Forenſis incolæ ſive Forenſes vulgò *Foréſiens* vocitantur ſine littera t.: cùm ex nomine *Foreſt Foreſtiens* componi oporteret.

Pagus Forenſis in ſuperiorem inferioremque dividitur. Pagus Forenſis ſuperior, *le haut Fores*, inter Aruernam Lemanem) *la Lemagne*) & fluvium Ligerim jacet: ſi tamen jacere dici poteſt, qui montibus Cebennis & ſiluis totus aſſurgit. In eo ſunt caſtella & opida, *S. Bonniti*, *S. Ragneberti* ad Ligerim, (*S. Rambert*) *Mons Bruſo*, vel *Mons Bruſonis*, caput regionis, in litteris Comitum Forenſium ante annos CCCCLX. memoratus, (*Montbriſſon*) Mons Maurilionis, (*Montmorillon*) & Rodumna. Pagus Forenſis inferior, vulgò *le Fores* abſolutè dictus, trans Ligerim jacet, ubi ſunt opidum S. Stephani; S. Anemundi vel Chanemundi caſtrum, *S. Chaumont* corruptè dictum vulgò, pro *S. Chamond*; Caſulæ aut Caſellæ *Chaſelles*; opidum S. Valdomeris *S. Galmier*; Forum Seguſianorum.

FRACTA VALLIS CARNUTUM.

Inter Caſtrum-Duni & Vindocinum municipium eſt in Carnutibus non obſcurum, ad ripas Liderici vel Ledi poſitum, *Fracta Vallis* à re cognominatum: quod vulgò Noſtri *Freteval* vocitant a in e converſo. Fractam Vallem veteres Regum Francorum & Principum litteræ paſſim commemorant. Litteris Goffridi Andecavorum Comitis anno MLX. datis teſtis præter ceteros Proceres ſubſcripſit *Nivelo de Fracta valle.*

FRANCIA EJUSQVE NOMINIS VARIÆ SIGNIFICATIONES.

Franci, omnium Germaniæ gentium clariſſimi, primas trans Rhenum flumen ſedes habuerunt. Eorum regio *Francia* nomine nationis appellata, nonnumquam communi vocabulo *Germania*, *Sicambria* quoque, atque *Barbaria.* Nam Romani exemplo Græcorum populos omnes liberos, aut ſaltem ditioni ſuæ non ſubjectos *Barbaros* nuncupabant. Hæc regio ab Oriente Toringiam & Saxoniam habebat, ab Occidente Rhenum & Oceanum, à Septemtrione item Oceanum Germanicum vel Septemtrionalem, a Meridie Alamanniam & Sueviam, ſive amnem Lonam. Cluverius Franciam ab Ortu Solis Albi & Sala terminari jubet, & Albi eam à Saxonia, Salâ à Toringia dividit, corruptis Claudiani de Rheno verbis deceptus, quæ talia ſunt.

Vt jam trans fluvium, non indignante Cayco,
Paſcat Belga pecus, mediumque ingreſſa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Quæ in libro II. Rerum Francicarum ita emendanda eſſe docui,

mediumque ingreſſa per alueum.

Non igitur Albis, qui amnis CCCC. millia paſſuum abeſt à Rheno, ſed Viſurgis Franciam à Saxonia dividebat. Hieronymus in Vita Hilarionis ſcribit, *inter Saxones & Alamannos regionem*

regionem non tam latam quàm validam, apud hiſtoricos Germaniam, nunc verò Franciam vocari, propterea quod ab Oriente Saxonia, à Meridie Alamanniâ terminabatur. Ex Franciæ populis Rhenum accolebant Attuarii, Bructeri & Chamavi ad oſtium fluminis politi, ac Salii: Oceani litora tenebant Friſii, & Cauci, *Cauci* Poetis dicti. Interiora terrarum habitabant Amſivarii, Catti, aliique, omnes in unum Franci vocati, & nonnumquam Sicambri, quòd agrum veterum Sicambrorum poſſiderent: ut in Præfatione Rerum Francicarum ſcripſi. Quare in tabula Theodoſiana hæc de Francia Tranſrhenana ad ripam Rheni prope litus Oceani reperiuntur. *Chauci, Ampſivarii, Cheruſci, Chamavi, qui & Franci, Bructeri:* quos inter & Chamavos majoribus litteris poſitum regionis nomen, *Francia.* Hæc eſt *Francia*, cujus Eumenius in Panegyricis ſuis, Auſonius in Moſella, Ammianus Marcellinus, Tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana, Sulpicius Alexander apud Gregorium noſtrum, Claudianus, Hieronymus, aliique meminerunt. Proſper in Chronico qualis à Pithœo editus eſt, quum *Faramundum, Clodium & Meroveum regnaſſe in Francia* tradit, de Tranſrhenana quoque ſeu vetere Francia locutus videri poteſt, cùm Faramundus nihil terrarum in Gallia, Chlodio & Meroveus pleraque trans Rhenum, pauca cis flumen in Galliis obtinuerint.

Belgicam, Lugdunenſem vel Celticam, & Aquitaniam, tres Galliarum provincias cùm Franci occupaviſſent, bifariam eas diviſere, & partem quæ ad orientem Solem ſpectat, & Rheno ac Moſa atque Scalde continetur, *Auſtriam*; partem quæ ad occaſum Solis vergit, & à Moſa ad Ligerim pertinet, *Neuſtriam* appellaverunt. *Burgundia* & *Aquitania* ſua nomina ſervata. *Septimania* quoque vel *Gothia*, atque *Provincia*, poſtquàm utraque regio Regno Francorum acceſſit, vetera vocabula ſunt relicta: ut Aimoinus in Præfatione Hiſtoriæ Francicæ capite IV. ante annos DCL. Hugo Floriacenſis Monachus in libro II. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Sigebertus in Vita Sigiberti junioris Auſtraſiorum Regis, aliique ſcribunt. Quæ etſi ab auctoribus paullo recentioribus dicta ſunt, tamen vera nihilominùs eſſe ex eo apparet, quod Gregorius Turonicus Epiſcopus, ſuppar Hiſtoricus, & Geſta Francorum *Auſtraſios* non ſemel commemorant; Fredegarius *Neuſtraſios* & *Auſtraſios*. Quare licèt de hac diviſione à Francis facta locuti non ſunt, eam tamen haud dubie notiſſimam habuerunt, cùm vocabulis inde ortis utantur. Auſtria & Neuſtria communi nomine ſæpe *Francia* appellatæ cùm junctim, tum ſeparatim, propterea quòd Franci has in Gallia ſedes primas obtinuerant, & ante Aquitaniam ac Burgundiam occupaverant. Certè ita à Nicetio Epiſcopo Trevirorum, ita a Gregorio, à Fortunato aliiſque ambæ appellantur. Nicetius in epiſtola ad dominam Chlodoſuindam Reginam, priorem Alboini Regis Langobardorum uxorem, Chlotharii majoris Francorum Regis filiam, Chlodovei neptem ita ſcribit. *Audiſti ab avia tua, domina bonæ memoriæ Rodhilde, qualiter in Franciam venerit; quomodo dominum Chlodoveum ad legem Catholicam adduxerit.* Gregorius in libro de Gloria Confeſſorum *Franciam* quoque commemorat. *Tempore* (inquit) *Theudechilda Regina Nanninus* (fortè *Nannienus*, aut *Nantinus*) *quidam Tribunus ex Arverno, de Francia poſt reddita Reginæ tributa revertens, Antiſiodorenſem urbem adiit.* Theodechildis autem Regina, quæcumque illa fuit, tum habitabat in urbe Senonum, apud quam Monaſterium Apoſtolorum exſtruxit, & ubi ſepulta eſt: & Agedincum Senonum ac Autiſiodorum Neuſtriæ ſive Franciæ urbes erant; Arverni Aquitaniæ, à Francia nomine finibuſque diſtinctæ. Tribunus ergo ille fiſci, profectus ex urbe Aquitaniæ Arvernis, venit in Franciam ad Theodechildem Reginam, Agedinci Senonum habitantem, & redditis ei tributis, Auguſtonemetum Arvernorum repetens, per urbem Franciæ Autiſſiodurum iter fecit. Idem Gregorius in libro I. Miraculorum S. Martini *Franciæ* iterum meminit his verbis. *Quidam Aquilinus nomine dum venationem cum patre ſuo in ſilvis Franciæ exerceret, pavorem peſſimum Inimico inſidiante incurrit.* Neuſtria igitur & Auſtria à Francis victoribus dictæ ſunt *Francia*: ut in eadem Gallia Novempopulana à Vaſconibus nuncupata *Vaſconia* eſt, à Britannis dominis *Britannia minor* nomen accepit, à Nortmannis *Nortmannia*, à Burgundionibus vel Burgundiis *Burgundia*, à Gothis *Gothia*. Fortunatus in libri de Vita Radegundis capite XVI. Neuſtriam, vel certè Auſtriam ſimiliter *Franciam* nuncupavit, & quemadmodum Gregorius noſter, à *Pictavis*, id eſt ab Aquitania, cujus inter urbes Pictavi eminent, eam diſtinxit. *Matrona Giſlabadi Proceris nomine Bella rogavit, ſe de Francia Pictavos duci.* In verſibus tumulo Chlotharii, filii Guntchramni Regis inſcriptis *Francica Regna* vocat Fortunatus Regnum Francorum ad Guntchramnum pertinens. Gregorii Papæ I. in epiſtola XXXI. libri IV. verba talia ſunt. *Plaga gravior fuit adventus Agilulfi, itaut cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales.* Sed nomine *Franciæ* heic non Auſtria, aut Neuſtria, aut ambæ ſimul provinciæ tantummodò deſignantur, at totum Francorum Regnum, ſive omnis Gallia Francicæ ditioni ſubjecta; ut in Pactione Guntchramni & Childeberti Regum apud Gregorium, in libri IX. Hiſtoriæ Francicæ capite XX. quum *Gaileſuinda in Franciam veniens V. civitates tam in dote quàm in morganegiba adquiſiviſſe* dicitur.

Heic notare cõvenit, licet Auſtraſii & Neuſtraſii ex æquo Franci eſſent atque vocarentur, Auſtria & Neuſtria ex æquo Francia eſſet atque vocari ſoleret; tamen in Geſtis Regum Francorum & in Appendice Chronici Fredegarii Neuſtraſios ſæpiſſimè *Francos* appellari, & ab *Auſtraſiis* eo nomine diſtingui: quaſi Francorum appellatio Neuſtraſiis magis quàm Auſtraſiis conveniret. Geſta Francorum à capite XXXVI. uſque ad quinquageſimum tertium ac ultimum paſſim Francorum nomen Neuſtraſiis attribuunt, Chlothario juniori, Chlodoveo minori, ejuſque filiis Chlothario ac Theodorico ſubjectis. In capite XXXVI. *Cum viduſ-*

ſet (Fredegundis) *quòd nimius eſſet exercitus Auſtraſiorum, conſilium dedit Francis qui cum ea erant.* Item: *Cum cuſtodes hoſtium Auſtraſiorum ramos ſilvarum, quaſi in montibus, in agmine Francorum cernerent.* Ibidem: *Irruerunt Franci cum ſtrepitu tubarum ſuper Auſtraſios & Burgundiones dormientes.* In capite XL. *Burgundiones & Auſtraſii cum Francis pace facta, Chlotharium Regem in totis III. Regnis in Monarcham ſuper ſe ſtabilierunt*: id eſt in Neuſtria ſeu Francia, in Auſtria, atque Burgundia. In capite XLIII. *Chlodoveum filium ejus* (Dagoberti) *Franci ſuper ſe Regem ſtatuunt*: cujus frater Sigibertus jam in Auſtria regnabat. In capite XLV. *Theudericus Rex elevatus eſt Francorum; Childericus frater ejus in Auſtria Regnum ſuſcipere perrexit.* Plura tranſſcribere opus non eſt. Tantùm obſervo in XVIII. Geſtorum capitibus Neuſtraſiis tricies aut ampliùs *Francorum* nomen dari, Auſtraſiis vix VII. nimirum in capite XXXVIII. *Cumque ſacramenta ab ipſis Francorum ſublimibus accepiſſet in Baſilica S. Gereonis Mart.* id eſt Auſtraſiorum in urbe Colonia habitantium. In capite XLI. *Auſtraſii Franci ſuperiores Dagobertum ſuper ſe Regem ſtatuunt.* *Auſtraſios Francos ſuperiores* heic & in capite XXXVI. vocant Geſta Francorum, quos in capite XXVII. *ſuperiores Francos in Auſter.* Ibidem, *Dominus Chlotharius Rex venit, & ob hoc lætantur Franci*, videlicet Auſtraſii, ob auxilium Dagoberto Regi ſuo latum. In capite XLIII. *Franci itaque commoti Grimoaldo inſidias præparant, eumque eximentes, ad condemnandum Regi Francorum Chlodoveo deferunt.* In capite LI. *Franci denuo in Cotia ſilva in Francos invicem irruunt*, id eſt Neuſtraſii in Auſtraſios. In Appendice Chronici Fredegarii eadem ferè, quæ in Geſtis Francorum leguntur, & eiſdem ſæpe verbis, & ibi *Francorum* nomine multo ſæpius Neuſtraſii quàm Auſtraſii deſignantur. Quod ideo obſervo, ut omnes intelligant jam ante annos mille *Franciæ* appellationem Neuſtriæ magis quam Auſtriæ adhærere cœpiſſe. In libro IIII. de Chronographia, quem ante annos CCCC. ſcriptum legi, *Neuſtriam Franciam inferiorem*, *Auſtriam* alio nomine *ſuperiorem Franciam* dictam eſſe reperio.

Circa principatum Caroli Magni cùm Neuſtria quæ a Moſa ad Ligerim hactenus pertinuerat imminuta, & Sequanâ ac Ligeri clauſa eſſet; regio inter Sequanam & Moſam jacens, quæ Neuſtriæ portio extiterat, *Francia* dici occœpit. Carolus Magnus in litteris de diviſione Regni ſui inter III. filios, quum *Franciam & Burgundiæ* atque *Alamanniæ* partem, *Auſtriam & Neuſtriam* præter cetera Karolo filio ſuo ſe conceſſiſſe ait, nomine *Franciæ* à *Neuſtria Auſtriaque* diſtinctæ hanc (ni fallor) veteris Neuſtriæ portionem deſignavit. Eamdem Ludovicus Pius Aug. ejus filius, in Diviſione Regni inter filios, *mediam Franciam* videtur vocaviſſe, quòd media jaceret inter veteris ac propriè dictæ Franciæ ambas provincias, Neuſtriam jam imminutam, & Auſtriam: ubi ita loquitur. *Ad Alamanniam totam Burgundiam, totam Provinciam, & totam Gothiam: & de iſta media Francia VVarenſis, Vongenſis, Caſtrenſis, Portiano, Remenſis, Laudunenſis.* Pagi autem Varenſis, Vongenſis, Caſtrenſis, Portianus, Remenſis, & Laudunenſis hodieque ſunt inter Sequanam & Moſam; ut & pagi Catalaunicus, Melrianus ſeu Meldicus, Ambianenſis, & Pontivus, de quibus eadem diviſio ſic refert. *Ad Aquitaniam totam inter Ligerim & Sequanam, & ultra Sequanam pagi* XXVIII. *id eſt Catalonis, Meltianum, Ambienſis, & Pontium uſque in mare.* Heic *inter Ligerim & Sequanam* eſt Neuſtria, quæ jam erat imminuta; *ultra Sequanam* media Francia, pars veteris Neuſtriæ. Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXC. tradunt, Ludovici Balbi filios Regnum paternum inter ſe diviſiſſe, & Ludovico *quod de Francia ſupererat ac Niuſtriam*, id eſt Neuſtriam; Carolomanno *Burgundiam & Aquitaniam* ceſſiſſe. Tum autem Ludovicus Rex Germaniæ totum Regnum Lotharii, quod antea Auſtria nuncupabatur, obtinebat: cùm alteram Regni ejus partem inter hereditarias provincias haberet; alteram dimidiam portionem à Ludovici Balbi filiis priore anno oblatam accepiſſet. Quare nomine *Franciæ* a *Neuſtria* diſtinctæ nihil aliud in iſtis Annalibus deſignari poteſt, quàm tota regio à Sequana ad Moſam pertinens, quæ antequàm Neuſtria imminueretur, pars ejus fuerat. Abbo quoque in libro II. de obſidione Luteciæ *Franciam, Neuſtriam*, & *Burgundiam* tres Regni Francorum provincias, aut (ut ejus verbis utar) *ternum Regnum* appellat, & bis *Franciam* à *Neuſtria* diſtinguit.

Francia lætatur, quamvis is Neuſtricus eſſet.

Hæc autem apud Abbonem *Francia*, à Neuſtria diſtincta, alia eſſe non poteſt quam regio Moſam inter & Sequanam, Neuſtriæ veteris portio, Regibus Francorum Occidentalium parens unà cum Neuſtria imminuta, & cum Burgundia atque Aquitania. Quotieſcumque igitur *Francia* à *Neuſtria Auſtriaque* diſtinguitur apud noſtrarum rerum ſcriptores, ab eis deſignatur pars priſcæ Neuſtriæ jam imminutæ, à Sequana ad Moſam pertinens: ubi hodieque eſt *Inſula Franciæ*, *l'Iſle de France*, & regiuncula circa Monaſterium S. Dionyſii & Argentoilum *Francia* nuncupata, *la France*, veteris totius provinciæ nominis certiſſimum argumentum.

Poſt mortem Ludovici Pii Aug. anno DCCCXLIII tres ejus filii, Lotharius, Ludovicus & Carolus Regnum paternum inter ſe diviſere. Et Carolo quidem Occidentalia Regna ceſſerunt, hoc eſt vetus Neuſtria ſeu Occidentalis Francia, à Moſa ad Ligerim & Oceanum Britannicum, cum Aquitania tota, Septimania, & parte Burgundiæ; Ludovicus Orientalia Regna obtinuit, nimirum totam uſque ad Rhenum Germaniam, Norico ſeu Baioariæ ſuæ adjungendam, & citra Rhenum Nemetas, Vangionas, ac Mogontiacum urbes cum ſuo quamque pago propter vini copiam: Lotharius qui major natu ac Imperator erat, & Regnum Langobardorum atq; Romam jam tenebat, medium inter utroſque Regnum ſortitus eſt, partem Burgundiæ, atque Provinciam. Provinciæ quas accepit, ab Oriente Rheno & Alpibus, ab Occidente Scaldi & Moſa, Arari & Rhodano, à Meridie mari Gallico terminabantur.

Tum Auſtriæ & Neuſtriæ nomina paullatim aboleri cœpere, & in uſu eſſe deſiere. Carolus cognomine Calvus ejuſque ſucceſſores *Reges Francorum Occidentalium* dicti; eorum Regnum, *Francia Occidentalis*; eorum ditioni ſubjecti, *Franci Occidentales*: Ludovicus ejuſque ſucceſſores, etiam poſt occupatū Lotharii Regnum, *Reges Francorum Orientalium* nuncupati; eorum regio, *Francia Orientalis*; incolæ, *Franci Orientales*, multo latius *Francia Orientalis* quàm veteris *Auſtria*, & *Francia Occidentalis* quam priſcæ *Neuſtria* appellatione diffuſà. In pacto quod anno DCCCCXXI. Carolus & Heinricus Reges iniere, *Rex Francorum Occidentalium Karolus*, *Rex Francorum Orientalium Heinricus*, & à Carolo ipſo *Rex Orientalis* vocatur. Vvitichindus quoque in libro I. Annalium eumdē Carolum *Regem Occidentalium Francorum* appellat, & *Carolos*, ſeu *Francos Galliam habitantes* a *Francis Orientalibus* Germaniæ incolis diſtinguit; & Regnum Francorum Occidentalium *regionem Caroli* nuncupat, id eſt Regnum Caroli Calvi, Caroli Magni nepotis: à quo Carolo Magno Franci Occidui, etiam poſt tranſlatum ad Hugonis familiam Regnum *Caroli*, *Carlingi* vel *Carlovingi*, ac *Carolini Franci* ſunt dicti, quòd Caroli Magni poſteris parerent. Certè Coſmas Pragenſis, qui de Vita Adalberti Pragenſis Epiſcopi ante annos DXXX. ſcripſit, tradit Ottonem juniorem cum maximo exercitu *congreſſum cum Carolinis Francis*; id eſt cum Lothario Rege Francorum Occidentalium: & Hermannus Contractus in anno MXXXVII. Odonem Comitem Campaniæ vocat *Ottonem Principem Carlingorum*, hoc eſt unum è Principibus vel Optimatibus Francorum Occiduorum. Carlingos iſtos Germanice *Kerlingen* dictos eſſe ait Sigfridus in Chronico. Idem Vvitichindus *ultimum Carolorum apud Orientales Francos imperantium Lothovvicum Arnulfi filium* nuncupat, id eſt ultimum poſterorum Caroli Magni. Liutprandus in libri I. capite VI. Franciam Occidentalem ſemel atque iterum vocat *Franciam Romanam*, & abſolute *Franciam*; Vvippo in Vita Chunradi Aug. *Franciam Latinam*, de Erneſto ad Odonem Comitem confugiente loquens. Bruno quoque de bello Saxonico, Philippum ejus nominis primum, Francorum Occidentalium Regem, *Latinæ Franciæ* Regem appellavit, id eſt Franciæ Romanæ ſeu Gallicæ, linguâ Romanâ ſeu Latinâ corruptâ vulgative, nimirum Gallicâ utentis. *Linguam* autem *Romanam* Nithardus opponit *linguæ Teudiſcæ*, vel ut Frodoardus loquitur *Teotiſcæ linguæ*: & *linguam Romanam* Francis Galliam incolentibus tribuit; *linguam Teudiſcam*, id eſt *Teutonicam* Germanicamve Tranſrhenanis: & in Vita S. Bernardi Franci noſtri ſive Occidentales *populus linguæ Romanæ* appellantur. In Chronico Laureshamenſi eadem ratione *Gallicana Francia* dicitur noſtra, & *Rutpertus Rex Gallicanæ Franciæ*, Heinrico Saxone apud Ortivos Francos Germanoſque regnante, hoc eſt Rotbertus Regis Caroli æmulus, pater Hugonis Magni, avus Hugonis Regis. Appendix Reginonis Regnum Occidentalium Francorum in anno DCCCCXXI. *Franciam ſuperiorem*, in anno DCCCCXXXIX. *Galliam Romanam* vocat, id eſt Galuvaliam ſeu Galliam linguâ Romanâ ſeu Gallicâ corruptâ utentem; cùm Franci Ortivi intra Gallias plerique Germanicè loquerentur. Hermannus Contractus in anno MXXXIII. *Occidentalem Franciam* commemorat, quam in anno DCCCLXXVII. *Gallias*, & *Franciam* nuncupat: quum *Carolum* qui cognominatus eſt Calvus, *Galliarum Regem* nominat, ut Annales Fuldenſes *Galliæ tyrannum*, Liutprandus *Regem Galliæ*; & *Iohannem Papam in Franciam veniſſe* ad Ludovicum ejus filium tradit. Carolomannū Caroli Calvi ex Ludovico filio nepotem *Francorum Occidentalium Regem* vocat Aſſer Menevenſis. Marianus Scotus Franciam Occidentalem *Galliæ* quoque nomine deſignavit, in rebus anni DCCCCXXXIX. Ludovicum Tranſmarinum *Regem Galliæ* nuncupando. At Frodoardus more ceterorum ſcriptorum noſtrorum Franciam Occiduam ſeu noſtram ſemper *Franciam* abſolute vocat, & in anno DCCCCLIV. *Burgundiam* & *Aquitaniam* partes ejus facit; Reges vero Orientalis Franciæ ſive Germaniæ Heinricum & Ottonem, *Reges Tranſrhenenſes* appellat, licèt Regnum Lotharienſe amplum & nobile citra Rhenum obtinerent. Everhelmus in Vita Popponis Abbatis Stabulenſis capite XV. Conradum *Romanis*, & *Francis Orientalibus* imperaviſſe prodit, Heinricum ejus nominis primum *Francis Occidentalibus*. *Conradum* (inquit) *atque Heinricum Reges in concordiam revocavit: quorum unus Romanorum, ſive Orientalium, alter verò Occidentalium populis Francorum imperavit.* Otto Friſingenſis Epiſcopus in Chronicis Franciam noſtram nunc *Occidentale Regnum* & *Occidentalia Regna*, nunc *Occidentalem Franciam* vocat; nonnumquam & *Celticam*, hoc eſt Galliam, *Regem Celticæ qui Francorum dicitur*, *Philippum* appellans ejus nominis primum. Idem Ludovicum juniorem, *Lodovicum Francorum Regem* vocat, & *in Occidentali Francia regnaviſſe* tradit. Fulcherius Carnutenſis Francos qui Hieroſolymā profecti ſunt & ceperunt, *Francos Occidentales* nuncupat. Inter Hiſtoricos Carolo Calvo vetuſtiores Eginhardus in Annalibus Auſtriam & Neuſtriam Galliarum provincias modo *Franciam* abſolutè, modò *Galliam* appellat, & in anno DCCCXIX. *partes Occiduas*: *Burgundiæ & Aquitaniæ* ſua nomina relinquit. Auctor etiam libri de Vita Ludovici Pii Aug. in anno DCCCXXIX. *Franciam Germaniæ*, & *Francos Germanis*; in anno DCCCXXXIII. *Franciam* unà cum Burgundia & Aquitania Germaniæ opponit his verbis. *Populi tam Franciæ quàm Burgundiæ, necnon Aquitaniæ, ſed & Germaniæ coëuntes, de Imperatoris infortunio querebantur.* Ubi *Francia* dicitur Neuſtria & Auſtria; nomine *Germaniæ* omnes Tranſrhenanæ regiones ditionis Francicæ deſignantur. Heic notanda ſunt verba Sigeberti. *Anno* DCCCXLIV. *Karolus accepit Occidentalia Regna, à Britannico Oceano uſque ad Moſam fluvium: in qua parte ex tunc & modò nomen Franciæ remanſit.* Notanda & verba Stephani Cluniacenſis Abbatis in epiſtola ad Francorum Regem Ludovicum ejus nominis ſeptimum. *Non ſola Francia de Regno veſtro eſt, licèt ſibi nomen Regium ſpecialius retinuerit. Eſt & Burgundia veſtra. Nihil magis illi quàm iſti debetis.* Sed & Vvillelmus Malmesburienſis tradit, *ex Caroli* Martelli ge-

tore regnaviſſe in illa regione quæ nunc propriè Francia dicitur, uſque ad Hugonem cognomine Capet. Pars ergo Regni Francorum quæ Carolo Calvo obtigit, abhinc annos DCCCXXVIII. propriè, abſolute, & ſimpliciter *Francia* dicta eſt; ejus incolæ ſimpliciter & abſolute *Franci* nuncupati: & qui in ea regnaverunt non ſolùm Caroli ſed etiam Hugonis poſteri, *Reges Francorum* propriè & abſolutè appellati. Hoc ipſimet in edictis & legibus, hoc in epiſtolis ad ſuos & ad exteros, hoc in nummis titulo ſunt uſi, ac etiamnum utuntur. Plurimæ ſuperſunt litteræ Epiſcoporum Romanorum, Patriarcharum, Imperatorum ipſorum, & Regum externorum, aliorumque, in quibus non aliter quàm *Francorum Reges* appellantur, quoniam aliter appellari nec poterant, nec debebant aut ſolebant. Omitto veteres Hiſtoricos noſtros, qui Caroli Calvi Hugoniſque poſteros ſimiliter *Reges Francorum* nuncupare conſueverunt: interdum ſed rarò *Reges Franciæ*, rariſſime *Reges Galliæ* nuncupant: nec ſine cauſſa, cùm totâ Galliâ minimè potiantur. Prætereo & quod ſuprà jam dixi, Neuſtralios ſeu Occidentales Francos ſub Merovingis *Francorum* nomine ſæpiſſime deſignatos, atque hac appellatione ab Auſtraſiis, qui & ipſi Franci ſed Orientales erant, jam diſtinctos fuiſſe. Scriptores igitur Germani Reges noſtros nunc *Reges Francorum Occidentalium*, nunc *Reges Franciæ Romanæ, Franciæ Latinæ, Franciæve Gallicanæ* non ob aliud appellitavere, quàm ut Principes ſuos, qui poſt ſupradictam diviſionem partem Regnorum Francorum obtinebant, *Reges Francorum Orientalium*, aut *Reges Franciæ Teutonicæ* nuncupare poſſent, & eos à Regibus noſtris hac ratione diſtinguere.

Certè qui in Germania rerum potiti ſunt, clariſſimum & toto in orbe notiſſimum ac vetuſtiſſimum *Francorum Regum* nomen diu multumque affectaverunt, non ſolùm poſt diviſa inter tres Ludovici Aug. filios Regna Francorum, ſed etiam poſt Regiam Caroli Magni progeniem in Germania exſtinctam, ſive poſt Regis Ludovici Arnulfi Aug. filii obitum: & ſcriptores Germani ut Principes noſtros *Reges Francorum Occidentalium*; ſic Dominos ſuos *Francorum Orientalium Reges*, ſæpe & *Reges Francorum* abſolutè appellaverunt. In Antiquitatum Fuldenſium libro I. *Dominus Ludovicus Francorum Orientalium Rex* paſſim vocatur Ludovici Pii filius, Rex Germaniæ, Lotharii Aug. & Caroli Calvi frater; Otfrido in Odario *Ludovvicus Orientalium Regnorum Rex*; in Annalibus Bertinianis paſſim *Ludovicus Rex Germaniæ*. Regino in anno DCCCXXC. & Annales Mettenſes *Arnulfum*, Ludovici hujus ex Carolomanno filio nepotem, *Imperii Francorum ſceptra ſuſcepiſſe* ſcribunt, id eſt Franciam Orientalem, ſeu Regnum Germaniæ Regnumque Lotharii. VVitichindus in libro I. *ultimum Carolorum apud Orientales Francos imperantium Lothovicum Arnulfi filium* fuiſſe ait, cujus jam verba laudavimus. Heinricus Ottonis pater, cognomine Auceps, in Pactione ſuprà memorata *Magnificentiſſimus Rex Francorum Orientalium* nuncupatur. Otto ipſe in Chronico Laureshamenſi *Dei Gratiâ Regem Francorum & Langobardorum, & Patricium Romanorum*, ſicut olim ante Imperium Carolus Magnus, ſe ſe appellat, Otto *Francorum Rex*, ὅ'τως ὁ τῶν Φράγγων βασιλεὺς, à Cedreno dictus in Conſtantino Porphyrogenneto; à Conſtantino ipſo Aug. Otto *Magnus, Rex Franciæ*, Saxoniam complexæ: quum ait, partem Chrobatorum ſedes cepiſſe prope Franciam, & Ottoni Magno, Regi Franciæ parere: ὑπακούουσι δὲ Ὄτῳ τῷ μεγάλῳ ῥηγὶ Φραγγίας καὶ τῆς Σαξίας. Apud VVitichindum in libro I. dicitur Heinricus moriens *Oddonem filium fratribus & omni Francorum Imperio præfeciſſe*: quod & libri II. initio *Imperium Francorum* appellat, id eſt Regnum Franciæ Orientalis vel Germaniæ, unà cum Regno Lotharii in Gallia. Idem de Ottone iſto Rege electo, ab Antiſtite unguendo coronandoque ſic loquitur. *Procedit Pontifex cum Rege, tunicâ ſtrictâ more Francorum induto.* Nimirum Regem Francorum Orientalium, cùm coronaretur, Franciâ veſte uti oportebat. Anguſta autem veſtis veterum Francorum erat, & ſingulos artus exprimebat, ut Sidonius docet.

Strictiùs adſutæ veſtes procera coërcent
Membra virûm.

Liutprandus Cremonenſis Epiſcopus in legatione ſua ad Nicephorum Phocam Aug. Ottonem Magnum, qui ejus nominis primus apud Germanos regnavit, *Regem Francorum* ſæpius vocat, & *Francorum* nomine *Latinos*, & *Teutones*, hoc eſt populos linguæ Latinæ vel Romanæ, Francoſve Occidentales; ac populos linguæ Teutonicæ, ſive Francos Ortivos deſignari teſtatur hiſce de Nicephoro Aug. verbis. *Ex Francis, quo nomine tam Latinos quàm Teutones comprehendit, ludum habuit.* In VVitichindi libro III. Liudulfus *toti Francorum Imperio reliquiſſe ſuo funere vulnus durum* dicitur, id eſt Regno Francorum Ortivorum, quod ab Ottone ejus patre tenebatur: quod in libro I. *Francorum Regnum*, libri II. initio *Imperium Francorum* vocat. Hroſvitha de Geſtis Ottonum, *nobile Regnum Francorum ad claram Gentem Saxonum tranſlatum* eſſe ſcribit, hoc eſt, à Caroli Magni poſteris ad Heinricum Saxonem & Ottones. Ottonis Magni filium *Ottonem juniorem Francis Imperatorem præfuiſſe*, tradit Notgerus Leodicenſis Epiſcopus in Vita S. Landoaldi. De filio Ottonis junioris Ottone III. nondum Aug. Coſmas, in Vita S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi, ante annos DXXX. ſic refert. *Iter agit Romam Rex Francorum Otto tertius.* Item: *In purpura natus Otto Rex III. cauſſà ſcandendi culmen Imperii, ut mos eſt à Magno Carolo Regum Francorum, multo comitatu Romam intravit.* Otto igitur III. Rex Francorum erat & vocabatur, qui morem Regum Francorum jaminde a Carolo Magno cœptum ſervare, & Romæ Imperator ſalutari concupivit. Conſtantinus Porphyrogennetus Ottonis Magni æqualis, quum *Chrobatos* qui in Dalmatia habitant, *Francis ſubjectos* eſſe ait; quum Chrobatos Albos ultra *Turciam* (id eſt Vngariam) proxima *Franciæ* loca incolere, & Magnam Chrobatiam ſive Albam incurſionibus *Francorum* vexari ſcribit, atque *Turcis* Vngariſve ab Occidente *Francos* eſſe confines: nomine *Francorum* Francos Ortivos; nomine *Franciæ* Franciam Orientalem, totumve Regnum Germaniæ, & quaſi

libet ejus provincias deſignat. Auctor Apologiæ Heinrici IV. eo nomine Germaniæ Regis, Imperatoris III. eum paſſim *Regem Francorum* appellat, & *in toto Francorum Regno*, (id eſt, in Francia Orientali ei ſubjecta) *aptiorem Imperio Romano perſonam* negat *inveniri*. Lambertus quoque Schafnaburgenſis qui in eodem Heinrico deſinit, ejus Regnum abſolutè *Regnum Francorum* nuncupat. Iam à Gunthero in libro I. Ligurini Optimates Friderici Ahenobarbi vocantur *Francorum Proceres*; in libro VII. *Teutonici Proceres*; & in libro IV. ejuſdem Imperatoris milites *Francorum lecta juventus*: & in libro I. *Carolo Magno Regi Francia utraque ſerviiſſe* dicitur, Orientalis nimirum & Occidentalis. Otto Friſingenſis Epiſcopus modò *Orientale Regnum* & *Orientalia Regna*; modò *Orientalem Franciam* appellat Regnum Germaniæ; ejus incolas nunc *Teutonicos Orientales Francos*, nunc *Teutonicos Francos*, ac abſolutè *Francos*; & Ludovicum Ludovici Pii filium *Orientalium Regem*: ac de Arnulfo ejus nepote ita ſcribit in capite XI. libri VI. Chronicorum. *Arnolfus totam Orientalem Franciam, quæ modò Teutonicum Regnum vocatur, id eſt Baioariam, Sueviam, Saxoniam, Turingiam, Friſiam, Lotharingiam rexit; Occidentalem verò Odo ex ejus auctoritate habuit.* Idem Ludovicum, filium Arnulfi, *Orientalis Franciæ Regem, ultimum Carolorũ*; ſimiliter *Conradum*, Ludovici ſucceſſorem, *Orientalis Franciæ Regem* nuncupat, atque *Heinricum* qui Conrado ſucceſſit, *in Orientali Francia regnaviſſe, Occidentalem Carolo* (Simplice) *tenente*. Ejuſdem in libri VI. Chronicorum capite XVII. verba digna ſunt quæ notentur. *Mihi videtur Regnum Teutonicorum, quod modò Romam habere cernitur, partem eſſe Regni* Francorum. Tum adjicit, *Diviſo inter Caroli Magni nepotes regno* Francorum, *quod totam Galliam & Germaniam à Rheno ad Illyricum continebat; alterum Orientale, alterum* Occidentale; *utrumque tamen Francorum dicebatur* Regnum. Et vere utique dicebatur, cùm utrumque ex Francorum Regnis, quanta & qualia à Carolo Magno & à Ludovico Pio poſſeſſa erant, conflatum eſſet atque compoſitum. Sic in libro I. Chronici Valciodorenſis ante annos CCCC. ſcripti *totum utriuſque Franciæ Regnum* dicitur Francia Orientalis & Occidentalis. Certè ſcriptores noſtri atque Græci non ſolùm totum Francorum Regnum, ſed etiam ſingulas ejus partes ac provincias *Franciam*; & earum incolas *Francos*, earum Tetrarchas *Francorum Reges* paſſim appellavere. Hoc & priſcorum edictorũ & legum, hoc & veterum epiſtolarum atque nummorum inſcriptiones docent: quod qui ſubjectis auctorum teſtimoniis probare velit, tota ferè Francica Hiſtoria ei ſit tranſcribenda. Omiſſis ergo noſtris Hiſtoricis, ad externos Græcoſque venio. Conſtantinus Porphyrogennetus in libri de adminiſtrando Imperio capite XXVIII. *Franciam* & *Francos* circa *Aquileiam* & alia loca provinciæ Venetiæ ponit, & quaſi vivo Attila Rege Hunnorum, hæc Italiæ regio à Francis obtineretur, eam *Franciam* velut per anticipationem vocat, & *Attilâ totam Franciam vaſtante*, (πάσαν τὴν Φραγγίαν) *Francos ex Aquileia & aliis Franciæ caſtris fugiſſe* prodit. Idem in capite XXIX. Ludovicum Aug. Lotharii Aug filium, Imperatoris Ludovici Pii nepotẽ, Caroli Magni Aug pronepotem, qui Regnum Langobardorum & Provinciam partemque Burgundiæ cum urbe Roma obtinebat, *Lodoicum* & *Doloicum Ducem Franciæ* appellat; Λοδοΐχον τὸν Δοῦκα Φραγγίας, necnon *Regem Franciæ*; Δολόιχον τὸν Ῥῆγα Φραγγίας. Ex quo apparet, Langobardiam in Italia, Provinciam & Burgundiam in Gallia *Franciæ* nomine ab eo deſignari. *Langobardiam* tamen à *Francia* diſtinxit Carolus Magnus; quum *Regem Francorum & Langobardorum* ſe ipſe ſuis in epiſtolis appellavit, atque ita ab Epiſcopis urbis Romæ in litteris eſt nuncupatus; & quum apud Eginhardum theſauros ſuos, veſtes & ſupellectilem diviſiſſe dicitur *anno Domini* DCCCXI. *regni ſui in Francia* XLIII. *in Italia* XXXVI. *Imperii* XI. *in Italia*, id eſt in Langobardia, quam Carolus à *Francia*, id eſt à Gallia Germaniaque diſtinguit. Idem autem Imperator Conſtantinus quum in capite XXVI. ſcribit, *Carolum Magnum regnaſſe in Magna Francia*. Κάρουλος ὁ μέγας ἐβασίλευσεν εἰς τὴν μεγάλην Φραγγίαν: quum ait Ludovicum, Regem Provinciæ ac partis Burgundiæ, R. Boſonis filiũ, *ex magna Francia profectum, Papiam obtinuiſſe*, id eſt Langobardiam Francicæ ditionis Regnum, cujus caput & ſedes Regni Ticinum vel Papia erat: quum in capite XXIX. tradit, Ludovicum Aug. ejus nominis ſecundum, Imper. Lotharii filium, quem *Lodoechum* Regem vocat, quoſdam *in Magnam Franciam relegare voluiſſe*, quam & *Franciam* nuncupavit: nomine *Magnæ Franciæ* Galliam præcipuam ac nobiliſſimam Regni Francorum partem, Regumque ſedem, ac Galliæ provincias Burgundiam & Provinciam haud dubiè deſignat. Zonaras in Baſilio Macedone eumdem Ludovicum Auguſtum, Imperatoris Lotharii filium, *Francorum Regem* vocat; Cedrenus *Dolichum Regem Franciæ*, Δολίχον τὸν Ῥῆγα Φραγγίας, tranſpoſitis nominis litteris, pro Λοδΐχον aut Λοδόιχον. Zonaras & Cedrenus in Romano Hugonem qui Provinciam, & Langobardiam, à Carolo Magno Francorũ Rege anno DCCLXXIV. ſubactam obtinebat, *Francorum Regem*, & *Regem Franciæ* appellant. Zonaras in Alexio Comneno Robertum VViſcardum Nortmannum, qui ex Neuſtria in Italiam profectus erat, *Francum Rompertum* nominat, hoc eſt Robertum natione Francum. Ut appareat Langobardiam Francicæ ditionis Regnum, & Provinciam, atque Burgundiam, Neuſtriam quoque ſive Nortmanniam Gallicam, Regni Francici provincias omnes uno nomine *Franciam* appellari conſueviſſe. *Franci* ergo abſolutè, & *Franci Orientales* dicti ſunt, poſt diviſum inter Caroli Magni nepotes Regnum, per annos circiter CCCC. Lotharienſes, & Germani Tranſrhenani cum finitimis populis: & qui apud eos regnabant, nunc *Reges Francorum*, nunc *Francorum Orientalium Reges* nuncupati uſque ad Fridericum Ahenobarbum Aug. qui anno MCXC. periit. Quo mortuo, *Francorum & Franciæ* appellatio paullatim apud Germanos, deficiente Imperio exolevit, ut ſolis Principibus noſtris, quorum ſemper jaminde à Chlodoveo fuerat, nobiliſſimus Regum Francorum titulus conſtanter inhæreret. Hinc notare inprimis conſ-

venit, quod VVillelmus Malmesburienſis gravis auctor, qui circa annum MCXL. floruit, de Francis Orientalibus & Occidentalibus ſcribit. *Lotharingi*, (inquit) *Alamanni, & cæteri Transrhenani populi, qui Imperatori Teutonicorum ſubjecti ſunt, magis propriè ſe Francos appellari jubent: & eos quos nos putamus Francos, Galuvalas antiquo vocabulo quaſi Gallos Romanos nuncupant*: quod ſcilicet (ut ibidem ait) Franci primùm Germaniæ maximam partem, deinde totam Galliam occupaverint. *Lotharingos* ſeu Lotharienſes vocat VVillelmus populos, Rhenum inter & Scaldim, Moſam ac Ararim, uſque ad lacum Lemanum habitantes, ſive incolas veteris *Regni Lotharii*, cujus nunc exigua portio Ducatus Lotharingiæ eſt. Ex VVillelmi verbis intelligitur, Lotharienſes, & Germanos, ceteroſque trans Rhenum populos non ſolà *Francorum Orientalium* appellatione fuiſſe contentos, ne & *Francis Occidentalibus* locum darent; ſed abſolutè *Francos* dici voluiſſe, & clariſſimum hoc nomen, tamquam propter antiquitatem ſibi ſolis jure debitum ac propriè conveniens, vindicaviſſe & ſibi impudenter arrogaviſſe, Noſtriſque illud invidiſſe: quibus nihilominùs invitâ totâ Germaniâ tum propriè attribuebatur, ut præter Sigebertum ac Stephanum, multoſque alios, VVillelmus ipſe teſtatur his de Francis Occidentalibus verbis: *Eos quos nos putamus Francos*. Nimirum tota Europa, immò totus orbis, exceptis Germanis & Lotharienſibus, Noſtros pro Francis habebat, & una voce parique conſenſu Francos vocabat. Adjicit VVillelmus, *Ex ejus* (Caroli Martelli) *genere regnavere in illa regione, quæ nunc propriè Francia dicitur, uſque ad Hugonem cognomine Capet.*

Heic obſervo, regionem Germaniæ *Franconiam*, quæ pars veteris Alamanniæ fuit, circa ripas Nicri & Mæni jacens, olim *Franciam Orientalem* quoque, & ſæpe abſolutè *Franciam*, ac nominibus Germanicis *Auſtriam* & *Oſtrofranciam*, necnon *Franciam Teutonicam*, quod in Germania poſita eſſet, nuncupatam fuiſſe. Ejus provinciæ Ducatuſque Geſta B. Kiliani Scoti, Theodorici Regis æqualis, primùm meminere, in quibus *Gozbertus nobiliſſimus Dux Orientalium Francorum*, ibidem & *Auſtralium* vocatorum, apud quos caſtellum erat VVirtziburgum, fuiſſe dicitur: ut in libro XXII. & XXIV. Rerum Francicarum docui. Eginhardus in Annalibus, quum in anno DCCLXXVIII. *Francos Orientales*, quos & *Francos* appellat, *Alamannis*; in anno DCCXCII. & DCCCXVI. *Saxonibus* conjungit; & quum *trans Rhenum Orientales Francos* in anno DCCXCV. collocat, Francones deſignat. Idem Faſtradam tertiam Caroli Magni uxorem, *de Orientalium Francorum, Germanorum videlicet gente fuiſſe* ait. De qua in anno DCCXCIII. ſic refert: *Inde reverſus in Franciam, duxit uxorem, filiam Radolfi Comitis, natione Francam, nomine Faſtradam.* Nimirum Faſtrada in Francia Orientali ſive Franconia nata erat. In anno DCCCXX. hanc *Orientalem Franciam Saxonia & Alamannia* mediam interponit; in anno DCCCXXIII. adjungit *Saxoniæ*, ſicuti Annales Bertiniani faciunt. *Franciam* autem ſuam *Orientalem* Saxonià, Danubio, Rheno & Salà terminari prodit Eginhardus in Vita Caroli Magni; itaut ei non Francones modò, ſed etiam Cattos & Toringos, finitimoſque populos attribuere videatur. Verba Eginhardi talia ſunt. *Nam cum prius pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam & Danubium, Rhenumque & Salam fluvium, qui Toringos & Sorabos dividit, poſita, à Francis qui Orientales dicuntur, incolitur; & præter hæc Alamanni atque Baioarii ad Regni Francorum poteſtatem pertinerent*, &c. Emendavi *poſita*, cùm vulgò legatur *poſtea*, nullo ſenſu, nullo verborum contextu. Auctor Annalium Mettenſium *Orientales Francos* vocat Francones, quum in anno DCCCXL. ait *Ludovicum*, Ludovici Pii Aug. filium, *Orientales Francos, Alamannos, Saxones, & Turingos ſibi fidelitatis jure confirmaviſſe*: quæ verba & in Annalibus Fuldenſibus reperiuntur: & in anno DCCCLXXVI. *Franconofurt principalem ſedem Orientalis Regni* appellat, hoc eſt Ortivæ Franciæ ſive Franconiæ: atque ibidem Ludovicum, unum de tribus Ludovici Regis Germaniæ filiis, *exercitum ex Saxonia, Turingia, & Orientali Francia*, id eſt Franconia adverſus patruum Carolum Aug. *congregaviſſe* ſcribit, ac eodem anno *Orientalem Franciam, Turingiam, Saxoniam, Friſiam, & partem Regni Lotharii ſortitum eſſe*. Annales Fuldenſes in anno DCCCLII. *Orientalem Franciam* vocant Franconiam, & *Baioaria Saxoniaque* jungunt: in anno DCCCLXV. & DCCCLXVI. *Franciam* abſolutè nuncupant regionem, in qua eſt *villa Regia Franconofurt*, id eſt Franconiam: in anno DCCCLXIX. *Francos*, id eſt Francones, *Alamannoſque* connectunt: in anno DCCCLXXIV. & in anno DCCCLXXIX. *Franconofurt* & *Mogontiacum Franciæ*, id eſt Franconiæ attribuunt. Appendix Fuldenſium Annalium in anno DCCCXCIX. *Curtem Regiam*, id eſt chortem ſeu villam Fiſcalem, *Franconofurt Franciæ* ſimiliter adſcribit; & in anno DCCCXCI. *Mogontiacum Franciæ*; & ibidem Francones paſſim *Franci* vocantur; & *Francis pedetentim certare inuſitatum eſſe* dicitur, nec ſine cauſſa. Nam *Alamanni Mæni* accolæ *ex equo mirificè pugnabant*, ſicuti ait Aurelius Victor in Antonino Caracalla; pedeſtria prœlia inire non ſolebant. Veteris autem Alamanniæ partem Franci Orientales vel Francones obtinebant. Regino in annis DCCCLXXVI. & DCCCCV. Hermannus quoque paſſim, & Vita Adelaidis Aug. *Orientalem Franciam* vocant Franconiam. Appendix Reginonis in anno DCCCCLXV. *VVormatiam* in *Francia* collocat, hoc eſt in parte Franconiæ Ciſrhenana; & in anno DCCCCLXIII. *Maguntiam* ſimiliter *Metropolim Franciæ Regiamque civitatem* facit; uti VVitichindus in libro III. Annalium hiſce verbis. *Mogontia poſt annum & dimidium Regi tradita cum omni Francia*, hoc eſt, cum tota Franconia. Ubi notandum eſt, Francorum Orientalium, ſeu Auſtraſiorum Franconumve unum ab origine prima Ducatum fuiſſe, eumque Tranſrhenanum: ſed poſtea diviſis inter Ludovici Pii tres filios Francicis Regnis, cùm Ludovico Regi Germaniæ Nemetæ, Vangionæ, atque Mogontiacum in Gallia propter vini copiam una cum tota Germania ceſſiſſent, Franciam Orientalem Franconiamve in duos Ducatus eſſe diviſam, Tranſrhenanum unum, alterum Ciſrhenanum, utrumque *Ducatum Francorum* dictum.

Unde VVippo de Vita Chunradi Salici, *Cunonem VVormatienſem Ducem Francorum* vocat, nimirum Ciſrhenenſium, apud quos Mogontiacum, Vangiones ſeu Vormatienſes, & Nemetes erant; & quos à Tranſrhenanis Francis apertè diſtinguit, quum ſcribit, *Ex parte Germaniæ Saxones cum Sclavis, Francos Orientales, Alamannos conveniſſe; de Gallia verò Francos qui ſupra Rhenum habitant, Ribuarios, Lutharingos coadunatos eſſe.* Ubi *Franci* illi *de Gallia ſupra Rhenum habitantes*, ſunt Franci Franconeſve Ciſrhenani: *Franci Orientales ex Germania* inter *Saxones* & *Noricos* ſive Baioarios, ſunt Franci Franconeſve Tranſrhenani, quos auctor Appendicis Lamberti Schafnaburgenſis, homo Germanus trans Rhenum ſcribens, in anno MCCIV. *Oſtrofrancos* & *Auſtraſios* appellat, ac citra Rhenum ponit, domicilii ſui habitâ ratione. Bruno quoque de bello Saxonico Francones, quos modo abſolutè *Francos*, modò *Orientales Francos*, & quorum regionem *Orientalem Franciam* vocat, *Francos utrumque litus Rheni tenentes* nuncupat, id eſt & in Gallia cis Rhenum, & in Germania trans idem flumen ſedem habentes, ac utramque fluvii ripam accolentes. Hæc obiter de II. Ducatibus Franciæ Ortivæ ſeu Franconiæ. Ad rem revertor. Marianus Scotus in Chronico Hiſtoricos noſtros imitatur, & in anno DCCCCXXVI. *Francia* nomen pro Franconia, *Orientalium Francorum* pro Franconibus uſurpat. VVitichindus *Conradum Francorum Ducem*; & Francones ſæpe *Francos*, Franconiam ſæpe *Franciam* nuncupat. Auctor Apologiæ Imperatoris Heinrici ejus nominis tertii in *Orientali Francia VVirtzburgum* collocat, quod Vita Kiliani *opidum Orientalis Franciæ VVirtzburg* appellat. Otto Friſingenſis Epiſcopus in Chronicorum libro VI. & in rebus geſtis Friderici Ahenobarbi cùm Regnum Germaniæ, vel ſicut loquitur *Teutonicum Regnum* Lotharingiam Germaniamque complexum, *Orientalem Franciam* non ſemel vocet; nihilominùs partem hujus *Orientalis Franciæ Regnive Teutonici* Franconiam *Orientalem Franciam*, aut abſolutè *Franciam* paſſim nuncupat, nunc inter *Alamanniam & Saxoniam Franciam* ponens, nunc Adelbertum Bavenburgi dominum *Albertum nobiliſſimum Francorum Comitem* vocans. Idem Conradum Aug. Imperatoris Heinrici ſucceſſorem, qui *Salicus* plerumque cognominatur, *natione Francum* fuiſſe prodit, videlicet in Francia Orientali ſeu Franconia natum. Qui autem nobilitate inter Francos cum Orientales tum Occidentales excellebant, lege Salica Francicave utebantur, eamque jampridem exoletam, ac ferè ubique abolitam, ambitiosè ſervabant, tamquam certum originis ſuæ & vetuſtatis familiæ argumentum, & eam ob rem *Salici* cognominabantur. *Nobiliſſimi Francorum, qui Salici dicuntur, hodieque lege Salica utuntur*; ut Otto Friſingenſis in libro IV. ante annos D. tradidit. Certè in Chartario S. Petri Carnutenſis, quod ſcriptum legi, invenio litteras Eldegardis Comitiſſæ, VValeranno Comite Mellenti caſtri, viro ſuo orbatæ, in quibus ita loquitur. *Ergo conſentiente VValterio Comite, filio meo, cedo ad locum S. Petri Carnotenſis alodum iuris mei, quem Senior meus ſupra nominatus* (VValerannus) *ſecundum legem Salicam, & ſecundum conſuetudinem qua viri propriæ uxores dotant, michi in proprium conceſſit, nomine Guntheris villam; & de dominatione mea in dominationem Monachorum ibidem ſervientium perpetualiter transfundo atque tranſcribo.* Sugerius in Vita Ludovici Craſſi Francorum Regis ſcribit, *dominum caſtri S. Severæ nobiliſſimi*, in Biturigum Lemovicumque confinio, *virum Nobilem Hunbaldum aut ad exſequendam iuſtitiam cogendum* à Rege, *aut iure pro iniuria caſtrum lege Salica amiſſurum* fuiſſe. Multa alia ejus rei exempla poſſem afferre. *Salicus* igitur inter Francos *Nobiliſſimum*, & lege Salica ob id utentem ex æquo deſignabat; quod obiter monuiſſe ſufficiat: ne quis aſſentiatur Chifletio, qui *Salicorum* nomine omnes Auſtraſios vel Lotharienſes ab Ottone deſignari arbitratur. Idem Otto *Mogontiam Francis*, id eſt Franconibus attribuit; & *civitatem Orientalis Franciæ Herbipolim*, ſeu VVirtzburgum vocat; & *opidum Orientalis Franciæ Franconefurt, quod Latinè Vadum Francorum dici poteſt.* Bernardus Claravallenſis Abbas epiſtolam CCCXXII. inſcribit *Venerabili Epiſcopo Spirenſi, & univerſo Clero ac populo*: at apud Ottonem Friſingenſem Epiſcopum in libri I. de Geſtis Friderici Aug. capite XLI. inſcribitur ea epiſtola, *Dominis & Patribus cariſſimis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & univerſo Clero & populo* Orientalis *Franciæ & Baioariæ*: rectiùs omnino. Quippe ad expeditionem Hieroſolymitanam unius tantùm urbis, ejuſque non admodum validæ Epiſcopum ac incolas hortari abſurdum eſſet. Nomine autem *Orientalis Franciæ* Franconia heic à Bernardo deſignatur.

Annales rerum Francicarum veterrimi anno DCCXCVI. factam contra Carolum Magnum Regem in partibus Auſtriæ conjurationem referunt, auctore Hardrado, qui *Dux Auſtriæ* Thegano dicitur: quod *trans Rhenum apud Orientales Francos* contigiſſe ſcribit Eginhardus in anno DCCXCV. item *in Germania.* Nimirum *Orientalis Francia*, quæ nunc Franconia, Germanicè tum & *Auſtria*, id eſt Ortiva dicebatur. Et Eginhardus ipſe in epiſtola ad quemdam Comitem, quum commemorat *Comites* conſiſtentes *in Auſtria*, quam Baioariæ proximam facit, nomine *Auſtriæ* Franconiam deſignavit. Annalium quoque Mettenſium auctor anno DCCCLXXIX. Ludovicum, Ludovici Regis Germaniæ filium, *Auſtraſiis imperaviſſe* ait, quem anno DCCCLXXVI. *Orientalem Franciam*, id eſt Franconiam præ ceteris ſortitum eſſe dixerat. Annales Bertiniani non modò *Orientales Francos*, ſed etiam nomine Germanico Orientales ſignificante *Auſtraſios* nuncupavere Francones, & *Auſtriam* Franconiam. Quippe in anno DCCCXXXVIII. *Heliſatiam, Saxoniam, Toringiam, Auſtriam, & Alamanniam* conjungunt; in anno DCCCXXXIX. *Auſtraſios, Toringos, & Alamannos* connectunt; & ibidem *Ducatum Auſtraſiorum* inter *Ducatum Alamanniæ & Ducatum Toringiæ* ponunt. Anno DCCCXLI. Hludouvicus *Saxonum complures, Auſtraſiorum, Toringorum & Alamannorum ſuæ omnes ſubjugat ditioni.* Vita Johannis Gorziæ Abbatis ab auctore æquali ſcripta *Franciam Auſtraſiam* eam regionem nuncupat: *Sub quo* (Ottone ejus no-

nimis primo) *Giſlebertus Ducatum Regni Lotharii, Eucradus Franciæ Auſtraſiæ, & quorumdam trans Rhenum tenebat locorum.* Sigebertus in Chronico compoſito nomine Germanico *Oſtrofranciam* vel *Auſtrofranciam*, hoc eſt exortivam Franciam appellat. *Anno* DCXCVII. *apud VVirziburch caſtrum Oſtrofranciæ S. Chilianus cum diſcipulis Colomanno & Tolmanno clam martyrizatur à Geilana, uxore Gozberti Principis VVirziburgenſium.* Idem in anno DCCCCXXXVIII *Auſtraſiam* eam nuncupat. Richerius in Chronici Senonienſis libri III. capite ultimo ſimiliter *Hoſterfrank* Germanicè vocat, id eſt Auſtrofranciam, de Duce Lotharingiæ Theobaldo & de ſe ita ſcribens. *Quem cum diu quæſiviſſem, eum cum Rege Friderico in Herbipoli, quæ Teutonicè VVerſeberch vocatur, in Hoſterfrank inveni.*

Liutprandus Francones iſtos in libri I. capite II. *Francos Teutonicos* nuncupat, id eſt Francos Germanos ſeu Tranſrhenenſes; eoſque *Suevis* & *Lotharingis*, alibi *Lotharingis* atque *Saxonibus* medios interponit; in libri II. capite II. *Baioariis Sueviſque* conjungit, *Francoſque* abſolutè appellat, necnon *Francos Orientales*, quum in capite I. libri II. *Auguſtam* Vindelicorum *civitatem eſſe in Suevorum, Baioariorum, & Orientalium Francorum confinio* poſitam ſcribit, & quum in ejuſdem libri capite VI. *Franciam* inter *Sueviam* & *Saxoniam* collocat, & in capite VII. *Enrardum Comitem potentiſſimum in Francia* appellat, id eſt in Franconia. Vita S. Kiliani Franconiam ſimiliter *Teutonicam Franciam* nuncupat, hoc eſt Franciam Germanicam, quòd in Germania Tranſrhenana majore ex parte ſit poſita. VVippo quoque de Vita Chunradi Salici *Franciam Teutonicam* vocat, ut & Lambertus Schafnaburgenſis in rebus anni MLXXVI. VVippo item provinciam hanc Germaniæ modò *Orientalem Franciam*, modò *Franciam* abſolutè vocat, & *Chunonem Ducem Franciæ* appellat, ac *Baſileam civitatem Burgundiæ, ſitam in confinio triviali Burgundiæ, Alamanniæ & Franciæ* eſſe ait: quam regionem Germaniæ à Monacho Sanctigallenſi in libri I. de Vita Caroli Magni capite XXV. & in libri II. capite XVI. *Antiquam Franciam* dici exiſtimo, Rætiiſque ac Saxoniæ interjici ſub ditione Ludovici Regis Germaniæ, itaut eidem *Francia Nova* in libri I. capite XXIII. ſit Francia Orientalis, quæ Regnum Lotharii, ac totam Germaniam poſt annum DCCCXLIII. deſignare cœpit. *Francia* porrò dicta eſt ea provincia à Francis, ut à Franconibus *Franconia*, quod *Frãckonia* nomen Appendix Lamberti in anno MCCLXXI. uſurpat. *Francus* autem & *Franco* jam ante annos DCCCL. unum idẽque nomen erat. Unde apud Alcuinũ in Grammatica ſcholaſticus puer à natione nunc *Francus*, nunc *Franco* dicitur, & *Saxoni* opponitur: quod in uſu antea fuiſſe non dubito; ſicut *Friſii* & *Friſiones*, *Burgundii* & *Burgundiones*, *Æbii* ac *Æbiones* promiſcuè ſunt nuncupati, & in veteribus litteris donationum *S. Gallus*, & *S. Gallo*. In libello de inventione SS. Diodori & Mariani Martt. qui circa principatum Caroli Craſſi vel Arnulfi ſcriptus eſt, quum *vir quidam illuſtris, genere & nomine Franco* memoratur, & apud VVitichindum quum *Hildibertus Franco genere*, item *Hermannus Franco* cognominantur, eo cognomine nati in alterutra Francia Orientali, hoc eſt aut in Regno Lotharii Germaniave, aut in Franconia deſignantur. Quare Guibertus Abbas in libro II. Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ falſo ſcribit, *Magontinum Archidiaconum* neſcio quem, *Regem noſtrum cum populo intantum parvipendiſſe, ut eos non modò Francos, ſed irriſoriè Francones vocaverit.* Quippe *Francus* & *Franco* promiſcuè uſurpabantur, & tam Francis Occidentalibus quam Orientalibus utrumque nomen conveniebat ex æquo: nec Francus, ſi *Franco* appellatus eſſet, contumeliæ cauſsâ aut per contemtum appellatus videri potuit. Nimirum Franci olim in commune vocabantur à Germanis *thi Frankon*, qui nunc *die Franken*. A *Frankon Francones* dicti pro *Franci*. Inde *Franco* Tungrorum Epiſcopus nomen accepit, qui Caroli Calvi æqualis fuit. Inde etiam ad Mænũ fluvium villa Regia vel publica *Franconofurt*, aliàs *Franchonofurth*, *Franconoford*, *Francnofort*, *Fracanfort*, *Franckenefurt*, & *Frankenoford* alibi aliter in veteribus noſtris Annalibus ac Chronicis nuncupata eſt, tamquam *Franconum furtũ* vel *fordum*, id eſt *Francorum vadum*. A Francis quoque derivata nomina propria, *Francio*, quod nomen vetus Francorum Rex, (ut aiunt) & Dux quidam in Cantabria Fredegario memorati tulerunt; *Francilio*, quod fuit præter ceteros nomen Epiſcopi Turonici ſub Chlodovei liberis, *Francolus*, quod eſt nomen Abbatis, qui Concilio Autiſſiodorenſi ab Aunachario habito interfuit, atque ſubſcripſit; ac demum *Franciſcus*, corruptum vocabulum pro *Francicus*: ſicuti *Franciſca* dicta eſt ſecuris vel bipennis pro *Francica* in Geſtis Francorum, & in Hincmariana Vita Remigii; *equi Hunniſci* pro Hunnici, *Daciſci* pro Dacici, *Threciſci* pro Thracibus. Ceterùm ſi quis ſcire cupit, cur regio Germaniæ ad Mænum & Nicrum jacens, dicta ſit ante annos fere mille *Francia Orientalis*, aut etiam abſolutè *Francia*, cùm pars fuerit veteris Alamanniæ, non autem priſca ſedes Francorum, ut quidam Hiſtoriæ ignari, nudo nomine decepti exiſtimaverunt: Equidem hoc nomen ei provinciæ impoſitum puto propter colonias Francicas eo deductas. In quibus eminuit *Franconofurtum*, aut Francofordia, originem ſuam vel unâ appellatione præferens, villa Regia ad Mæni ripas poſita, Carolo Magno, Ludovico Pio Aug. Ludovico Regi Germaniæ, filio ejus Ludovico, Carolo Craſſo Aug. Imperatori Arnulfo, Ludovico Regi, aliiſque gratiſſima ſedes; eorum Principum hibernis, venationibus, magnificentiſſimo Palatio, generalibus Francorum Conventibus, & Conciliis Epiſcoporum clariſſima, hodieque Regum Germaniæ, qui *Reges Romanorum* dici affectant, electionibus celeberrima.

Tota hæc obſervatio, quæ mihi præter ceteras maximo labore conſtitit, legentibus ut ſpero facem præferet ad vitandam confuſionem, ad agnoſcendos ac fugiendos errores, & ad intelligendos hiſtoricos noſtros atque Germanos, aperteque oſtendet à veteribus auctoribus, atque ſæpe ab uno eodemque ſcriptore plures provincias uno nomine, & unam provinciam pluribus nominibus deſignari conſueviſſe. Et hactenus de Francia.

FRANCI IMMUNES, GALLI TRIBUTARII.

Franci poſt ſubactam Galliam exemplum ceterarũ Gentium, quæ in provinciis Imperii Romani ſimiliter conſederant, ſunt ſecuti, & diviſione terrarum cum Gallis factâ, ſuam quiſque agri partem accepere, liberis ſuis heredibuſque ceſſuram. Hi omnes ſimul ac juſſi convocatique erant, ad bellum proficiſci conſueverant, nec ullus militiæ vacationem habebat. Qui ſine legitima cauſa à bello abfuerant, pecuniâ multabantur. Hinc in veteribus Chronicis Annalibuſque Rerum Francicarum, *Exercitûs Francorum* ſæpe fit mentio. Legi veterrimas Litanias, Ludovici Regis Germaniæ principatu factas, & alias regnante Arnulfo, ejus nepote, in Eccleſiis cantari ſolitas, in quibus poſt Regem & Reginam ac Regiam ſubolem, *exercitus Francorum* nominatim Domino commendatur. Eum exercitum deſignat Gregorius Turonicus Epiſcopus initio libri v. Hiſtoriæ, ubi homo Gallus Reges noſtros ita ad concordiam hortatur. *Cavete bella civilia, quæ vos populumque veſtrum expugnant. Quid aliud ſperandum erit, niſi cùm exercitus veſter ceciderit, vos ſine ſolatio relicti, atque à Gentibus adverſis oppreſſi, protinus corruatis.* Heic *populus veſter, exercitus veſter*, & *ſolatium*, eſt exercitus Francorum. Idem in libri x. capite III. *Francorum exercitum* commemorat; *exercitum Francorum* commemorat & Fredegarius in libri v. ac ultimi Chronici capite LXXVIII. ac ceteri noſtri Hiſtorici: propterea quòd Regum noſtrorum exercitus ex Francis præcipuè conſtabat; penes Francos Regni vires & copiarum erant; Franci bellantum pars melior & major habebantur: itaut etiamſi omnes Franciciæ ditionis populi ſæpe unà militarent, & ad militares ac civiles Palatinaſque dignitates nullo diſcrimine promoverentur, Galli, Burgundiones, Alamanni, ceterique; non ab aliis tamen quàm à victrice & rerum domina ac ſemper ad bellum parata natione *Francorum exercitus* diceretur. Ob id igitur Franci tributorum ac vectigalium habebant immunitatem: quod docet Gregorius in libri VII. capite XV. hiſce de Regina Fredegunde vidua verbis. *Habebat tunc* (Fredegundis) *ſecum Audonem Iudicem, qui ei tempore Regis* (Chilperici) *in multis conſenſerat malis. Ipſe enim cum Mummolo Præfecto multos de Francis, qui tempore Childeberti Regis ſenioris ingenui fuerant, publico tributo ſubegit. Qui poſt mortem Regis* (Chilperici) *ab ipſis ſpoliatus ac denudatus eſt: domos etiam eius incendio ſubdiderunt: abſtuliſſent utique & ipſam vitam, ni cum Regina Eccleſiam expetiſſet.* Nimirum Franci quotquot ingenui & liberi erant, immunes erant; ſervi non item, quorum in ſingula capita tributum imponebatur. Quare Audonem qui Regi Chilperico perſuaſerat ut ipſos pro ſervis haberet, & ab ipſis tamquam à mancipiis tributa exigeret, ſpoliavere fortunis, & interficere conati ſunt. Sic Franci antea Parthenium, qui Regi Auſtraſiorum Theodeberto auctor fuerat, ut ipſis tributa quæ pendere non ſolebant imponeret, Rege mortuo ſaxis obruerant. At Galli quos Romanos vocabant, quales ſtante Imperio Romano fuerant, qualeſque à Sidonio, à Salviano, aliiſque deſcribuntur, dominantibus in Gallia Francis tributarii permanſere: eorumque, ſicut antea, ſub Francis agri cenſebantur. Itaque quoties apud Gregorium Turonicum Epiſcopum ceteroſque veteres noſtros Hiſtoricos tributorum exactionis fieri mentionem vides; id de Gallis, non de Francis dictum puta, de cenſu ex agris, non de capitatione. Legi MSS. *libros Chronographiæ ſeptem*, ad Ricardi Anglorum Regis obitum ſeu ad annum MCXCIX. deductos: quos tituli tranſſcriptoris in libros XI. perperam dividunt; cùm auctor ipſe in corpore operis ſui *ſeptem* ſolummodò *Chronographiæ libros* agnoſcat. *Chronographiam* autem ſuam, *excerpta & epitomas diverſarum Hiſtoriarum* eſſe ait. In libro igitur IV. de Chronographia, qui malè *octavus* inſcribitur, poſteaquam auctor anonymus Geſta Francorum, Roriconem, Aimoinum, & Sigebertum ſecutus, Francis tributa in decennium à Valentiniano majore remiſſa eſſe ſcripſit, quòd eorum operâ Alanos in Mæotide palude ad internecionem cecidiſſet, (id quod alibi reprehendimus) de Francis primò, ac pòſt de Gallis ſeparatim hæc ſubjicit. *Sic à tributo ſoluti, nullum vectigal ulteriùs ſolvere voluerunt, nec quiſquam jure belli poſtea potuit eos redigere ſub jugo tributi. Unde Gens illa quos liberos eſſe conſtat, Francos etiam nunc propriâ linguâ vocat: & quos apud ipſos hujuſmodi vincula conſtringunt, non Francos liquet eſſe, ſed Gallos, quos Franci ſibi iure Gentium ſubiecerunt.* Ea verba memoratu digniſſima, qualia nuſquam alibi reperire memini, diſertè aperteque docent, ætate ſcriptoris, nimirum circa annum MCC. Francos qui in Gallia dominabantur, adhuc immunes tributorum exſtitiſſe: ſolos Gallos inter ipſos tributa pependiſſe. Hinc Francum alodem (*Franc-aleu*) vocavere fundum omnem, omnem agrum, quem homo Francus à majoribus ſibi tranſmiſſum, optimo jure & ſumma immunitate poſſidebat: ex quibus aliquot etiamnum ſuperſunt, eo nomine atque ea immunitate gaudentes, cùm majores, qualis Vicecomitatus Torinnæ eſt, tum minores. Hinc libertum ſeu ſervitute liberatum *Adfrancitum* dixere, *Affranchi*; in libertatem aſſerere, *Adfrancire*, *Affranchir*: cuniculorum foſſores, & ſagittarios, ob magnas immunitates quibus fruebantur, alteros *Francos Talparios*, *Francs Taupins*; alteros *Francos Sagittarios*, *Francs Archers*; & eamdem ob cauſſam ut Francos vel Franciscos alodes, *les Francs aleus*, ſic Franca feuda, *les Francs fiefs* nuncupavere. Qui creditam pecuniam ſolvit, *Francus* & *quietus* eſſe dicitur, *Franc & quitte*, id eſt liber ac ſecurus. Ipſi Reges Pompelonenſium & Aragonenſium in litteris datis anno MXC. & anno MCXXIX. aliiſque *Francos*, necnon *Francs* pro liberis hominibus & ingenuis immunibuſque accipiunt. *Francitates* Hiſpani pro immunitatibus hodieque habent, & cum privilegiis libertatibuſque conjungunt, quas ipſi *Franquezas*, Angli *Franchiſez* & *Fraunchiſes*, Noſtri *Franchiſes* vocitant. Francicè loqui, *parler Franchement*, idem etiamnum Noſtris eſt, quod liberè loqui: & Francitas vel Francicia, *Franchiſe* dignam ingenuo viro libertatem ſim-

plicitatemque apud nos ſignificat. In Germania quidem nemo eſt qui ignoret, *Frank* idem ſignificare quod *frey* ſive *fry*, id eſt liberum. Hodieque Germani vulgò dictitant, *die freye Franken*, id eſt Franci liberi, ut Cluverius in libri III. de antiqua Germania capite XX. ſcribit. Franci ergo, hoc eſt liberi dicti ſunt, quòd præ ceteris Germaniæ nationibus libertatis ſuæ & immunitatis patriæ eſſent amantiſſimi ac tenaciſſimi. Nam à *Francione*, Rege vel Duce ignoto aut potiùs ficticio, originem nominis Francorum deducere, inſanire eſt: & qui *Francos Atticâ linguâ* a Valentiniano Aug. appellatos dixere, nomine *feroces* ſignificante; meliùs feciſſent, ſi *Hatticâ*, ſive *Chatticâ linguâ* Francos P. Licinii Valeriani principatu vocatos eſſe ſcripſiſſent: cùm Chatti, ſeu Hatti, Haſſive Germani inter Francorum gentes primarias fuerint, uti Sulpicius Alexander in libro Hiſtoriæ IV. & vetus interpres Juvenalis ad Satyræ IV. verſum CXLVII. aliique disertè affirmant. Dicet aliquis: Quâ ratione poterant anno MCC. Franci à Gallis, Galli à Francis, poſt ſeptingentos annos quàm ſeſe alteri alteris domicilio connubiiſque conjunxerant ac miſcuerant, ſecerni atque diſtingui? Facillimè utique id fieri potuit, cùm libri deſcriptionum, quos & *libellos computorum Fiſci*, & *polyptycha*, ac *capitularia* noſtri Hiſtorici appellant, adhuc in Chartario Regio ſervarentur principatu Philippi Aug. anno MCXCIV. Docebant autem hi libri, ſicut ait VVillelmus Britto,

> Qui ſint exemti, vel quos angaria damnet.

Et eiſdem in libris ſolorum Gallorum utpote tributariorum ſcripta erant nomina, ſcripti agri ac poſſeſſiones. Sua igitur tum adhuc Francis erat immunitas, jaminde à Gentis in Galliam adventu ſervata. Salvianus poſt indictiones tributarias apud Romanos, acerbiſſimaſque ac crudeliſſimas exactiones publicas, ac improbitates Judicum damnatas, de immunitate Francorum, Vandalorum, Gothorum & Hunnorum in libro V. ſic refert. *Ubi, aut in quibus ſunt, niſi in Romanis tantùm, hæc mala? Franci enim hoc ſcelus neſciunt: Hunni ab his ſceleribus immunes ſunt: nihil horum eſt apud Vandalos; nihil horum apud Gothos. Tam longè enim eſt, ut hæc inter Gothos Barbari tolerent, ut ne Romani quidem qui inter eos vivunt, iſta patiantur.* Hoc eſt, tam longè abſunt Gothi præter ceteros à pendendis tributis, ut ne Romanos quidem qui in Aquitania inter ipſos vivunt, tributorum causâ vexari ſpoliarique patiantur.

A Francis deductum verbū Francire, *Franchir*, pro tranſſilire: Francire paſſum vel paſſagium, *Franchir le pas*, hoc eſt, difficilem locum ſaltu ſuperare; Francire foſſam, *Franchir le foſſé*, id eſt foſſam tranſſilire; Francire ſaltum, *Franchir le ſaut*; quod eſt, ſaltum perículoſum atque arduum non tentare modò, ſed exſequi Francicâ alacritate. Nimirum Gens Francorum, ut fortis, audax & aſpera; ita velox inprimis, pernix atque agilis erat, quemadmodum Præfatio legis Salicæ docet. Apollinaris Sidonius in Panegyrico Imper. Majoriano dicto ſcribit, *ludum* eſſe Francis, in hoſtem intortam haſtam ſaltu prævenire.

> Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes;
> Et plagæ præſciſſe locum, clypeoſque rotare
> Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas,
> Inque hoſtem veniſſe priùs.

Apud Caſſiodorum Senatorem in libri Variarum XI. epiſtola I. dicuntur *Franci præcipitatis ſaltibus prœlia ſemper Gentibus intuliſſe.* Omitto Salios, qui Francorum populis ab Ammiano Marcellino aliiſque ſcriptoribus adnumerantur, à ſaltu & agilitate artuum, exemplo Saliorum apud Romanos, nomen inveniſſe, quos Salios noſtros *pede* valere, hoc eſt curſu & ſaltu ait Sidonius.

In libro VII. Chronographiæ MS. qui falsò XI. inſcribitur, hæc legimus. *O quantus dolor & planctus Chriſti cultoribus, quòd jugo Gentilium ſubiiciantur colla Fidelium; tyrannis Turcorum virtus olim victorioſa Francorum. Dicuntur enim Franci quarumcumque Gentium ibi degentium Chriſtiani.* Loquitur auctor de captis à Salahadino Hieroſolymis cum Rege Guidone de Liciniaco. Nimirum & Saraceni, & Turci, & Orientales ferè omnes, Chriſtianos Occiduos qui in Syria ſedem ceperant, cujuſcumque Gentis eſſent, promiſcuè *Francos* appellitabant, & eorum maximè viribus Regnum Hieroſolymitanum ſubactum ac Turcis ereptum fuerat. Hinc Pirrus qui Noſtris Antiochiam tradidit, cùm paucos ſe ad rem exſequendam habere quereretur, dixit: Μικρὸς Φράγκους ἔχομεν, paucos Francos habemus, id eſt paucos milites ex Occidentalium exercitu, paucos adjutores.

FRANCISCOPOLIS SEU PORTUS GRATIÆ.

Franciſcopolis ad oſtium Sequanæ à Franciſco ejus nominis primo Rege Francorum exſtructa eſt, & ab auctore nomen habet. Noſtri neſcio quam ob cauſſam *Portum Gratiæ* appellitant, *le Havre de Grace*; aut abſolutè Portum, *le Havre*: Angli Novum Portum, vulgò *Nevv Haven*. Nimirum Noſtri *havre*, Angli *haven* nuncupant portum maritimum ad os fluminis conſtitutum: & apud Britannos inſulares *aber* oſtium fluminis ſignificat, ut Camdenus teſtatur. Ex *aber* Noſtri fecere *havre* b in u mutato, & r ante e poſito. Giraldus Cambrenſis qui circa annum Domini MCC. floruit, & quem Camdenus tranſſcripſit, in Itinerarii Cambriæ libri I. capite II. *Aber* (inquit) *linguâ Britannicâ dicitur locus omnis, ubi fluvius in fluvium cadit*: & in deſcriptionis Cambriæ capite V. caſtrum quoddam *Aber Hodni dici* ait? *id eſt caſum Hodni in Oſcam. Aber enim Britannicè dici locum omnem, ubi aqua in aquam cadit.* Nos non confluentes amnium ſeu loca ubi fluvius fluvio majore recipitur, ſed tantùm oſtia fluminum in mare effluentium eo nomine deſignare conſuevimus.

Quem Britanni *aber*, Angli *haven*, Noſtri *havre* vocitant, *habulum* Latinè appellari obſervo, & cum portu junctim nominari. In Chartulario Fiſcamnenſi legi litteras datas anno MCCXXXIX. quæ tales ſunt. *Ego Robertus de Nevilla Clericus relaxavi quietum & omnino dimiſi domino Abbati & Conventui Fiſcannenſi,*

quidquid juris habebam & clamabam, vel clamare poteram aut debebam in portu & habulo & villa ſua de S. VValarico. Remiſi etiam & conceſſi eiſdem omnes domos & omnia ædificia, quæ feceram prope habulum verſus S. Leodegarium: ita quòd ego vel aliquis ex parte mea in dictis portu & habulo, domibus, ædificiis, ſive firma nihil omnino de cetero poterimus reclamare, calumniari, vel exigere. Legi & in litteris *Henrici Malconduit Vicecomitis Bloſſevillæ*, datis anno inſequenti, hæc verba. *Ego in portu ſive habulo ſuo de S. VValarico nullum jus ſive libertatem aliquam habeo emendi vel petendi per me vel per alium allectia, vel makerellos, vel aliquos alios piſces, niſi tamquam aliquis alius extraneus.* Sermo eſt de villa S. Vvalarici in Caletis, *S. Valeri en Caux*, non longè à Bloſſevilla *Bloſville*, & a Fiſcamno diſtante, & Talæ vel Duni fluvii oſtio propinqua; cui villæ portum & habulum hæ litteræ aſſignant, ut Franciſcopolim quoque in Caletis *Habulum* vocant, *le Havre*. Ex habulo factum eſt *havre* Noſtrum, litteris b in u & l in r converſis, ut labra *levres*, abrotonum *avroſne*, Aballonem *Avalon*, Abrincatas *Avranches* dicimus; necnon luſciniam *roſſignol*, ulmum *orme* nuncupamus.

FRAXINETUM.

Opidum Fraxinetum in Italorum Provincialiumque confinio ſtare, & mari ex uno latere cingi, ex ceteris partibus denſiſſima & pæne invia ſpinarum ſilva muniri, ſcribit Liutprandus in libri I. capite I. ubi & *villam* Fraxinetum vocat, ac *Montemmaurum villulæ cohærentem* memorat. Hæc fuit ſtatio, hoc receptaculum Saracenorum, oram Galliæ & Italiæ depopulantium ab Arnulfi regno uſque ad Ottonis Magni Principatum. *Fraxinidum ſaltum* refugium Saracenorum appellat Frodoardus, quos à Græcis anno DCCCCXXXI. protritos ac inde dejectos eſſe tradit in Chronico. *Caſtrum Fraſcenedellum* appellatur in Chronici Novalicienſis libro V. ubi à Robaldo Comite Provinciæ ope Arduini & Aimonis transfugæ dolo caſtrum illud receptum expugnatumque eſſe dicitur principatu Ottonis majoris. Fraxinetum caſtrum vocatum puto, quòd in fraxineto poſitum eſſet ſive in ſilva fraxinea, quam ſpineam ſilvam nuncupat Liutprandus. *Fraſeneto* hodieque appellatur, niſi nos tabulæ decipiunt, ſitumque eſt ad mare inter Forum Julii Provinciæ civitatem, & Cannetum vicum, *Canedo* vulgò dictum: nomenque ſuum dat *Valli Fraxineti*, quam vulgò *Vallem Freineti* appellitant pridem.

FRISIA CISRHENANA, SEU CITERIOR, AUT OCCIDENTALIS.

Friſii, quos vulgò Friſones & Friſiones vocabant, cùm à Francis ſub Chlodovei junioris filiis deſciviſſent, proximis etiam Francicæ ditionis pagis manus adjecere, Rhenumque flumen tranſgreſſi, in parte inſulæ Batavorum conſedere, ac ibi præter cetera loca Doreſtate ac Trajectum Batavorum ad Rhenum obtinuere: quæ regio à Gente & à ſitu Friſia citerior, vel Friſia Occidentalis dicta eſt. Ibi autem conſediſſe Friſios ante Pippini Ducis principatum, docet Audoenus de Vita S. Eligii, qui Andouerpenſibus confines eos facit: uti in libro XXIII. Rerum Francic. obſervavimus. Huic Friſiorum Genti VVillibrordus à Sergio PP. Epiſcopus eſt præpoſitus, ac mutato nomine Clemens appellatus: qui Pippini Ducis Francorum juſſu Trajectum inferius pro Epiſcopatus ſede habuit. Beda in capite XI. libri V. Hiſtoriæ de Friſia citeriore à Pippino Duce Francorum occupata ſic loquitur. *Et quia nuper Citeriorem Freſiam pulſo inde Rathbedo Rege ceperat, illò eos ad prædicandum miſit*, nimirum VVilbrordum Presbyterum cum XI. ſociis. *Citeriorem Friſiam* vocat Beda, ut diſtinguat ab ulteriore vel Tranſrhenana Friſia, regione magnæ Germaniæ, Friſia propriè dicta. Annales Bertiniani totam Friſiam uſque ad Moſam proferunt. Nam in rebus anni DCCCXXXIX. hæc de Friſia uls & cis Rhenum reperio. *Regnum Saxoniæ cum marchis ſuis; Ducatum Freſiæ uſque Moſam; Comitatum Batavorum.* Eginhardus Annalibus Bertinianis multo vetuſtior Friſiam Ciſrhenanam ſeu citeriorem trans Moſam uſque ad flumen Scaldim promovet. Ejus enim in capite XIX. libri IV. de tranſlatione SS. Martt. Marcellini & Petri verba hæc ſunt. *Villa Schaldheim, (* aliàs *Schaldheim) quæ juxta oſtium Scaldis fluminis in maritima Friſiorum regione poſita eſt.* Ab Scalde vulgò tum *Scalt* dicto, nunc *Scheld*, villa *Schaltheim* nomen accepit, id eſt Scaldiſvilla, ſeu Scaldishammus. Hammus enim vel *Heim* Germanis vicus eſt, aut ut loquuntur, villa. Quin & *VValacriam* inſulam, quæ nunc Zelandiæ adſcribitur, Friſiæ huic citeriori attribuunt Annales Bertiniani, quum produnt *anno* DCCCXXXVII. *Nordmannos Friſiam irruentes, in inſula quæ VValacria dicitur, multos trucidaviſſe.* Ut appareat partem Friſiæ citerioris à recentioribus Zelandiam nuncupatam eſſe.

Certè jamtum ætate Plinii, Imperatore Veſpaſiano, in inſulis Rheni qui terminus eſt Galliæ, *Friſii* erant & *Friſiabones*, & aliæ erant præ ceteris inſulæ Friſiorum, aliæ Friſiabonum: ut docent ejus verba in capite XV. libri IV. *In Rheno autem ipſo nobiliſſima Batavorum inſula & Cannenefatum, & aliæ Friſiorum, Caucorum, Friſiabonum, Sturiorum, Marſacorum, quæ ſternuntur inter* Helinium *ac Flevum oſtia Rheni.* *Friſiabones* iſtos, quorum ut appellatio ſic & origo à Friſiis petenda eſt haud dubiè, idem capite XVII. ponit in Belgica inter *Tungros*, *Rinucos*, vel potiùs *Sunucos*, & *Betaſos*.

FRONTIACUM.

Frontiacum caſtrum Carolus Magnus exſtruxit, ut Hunoldum qui poſt mortem VVaifarii filii ſui Aquitaniam iterum occupare tentabat, & ad Lupum Ducem Vaſconiæ ſeu Novempopulanæ pulſus confugerat, Aquitaniæ ingreſſu & Duranii tranſitu prohiberet. Veteres Annales Rerum Francicarum qui in anno DCCCVIII. deſinunt, de ea re ſic referunt. *Anno* DCCLXIX. *Domnus Rex Karolus iter agens partibus Aquitaniæ, eo quod* Hunoldus *voluit rebellare totam Vaſconiam & Aquitaniam: & cum*

paucis Francis diſſipata iniqua conſilia ſupradicti Hunoldi. Karolus Rex ivit ad Ecoleſmam civitatem, & inde ſumſit plures Francos cum omni utenſilio, & preparamenta eorum; & ivit ſuper flumen Dordoniam, & ædificavit ibi caſtrum quod dicitur Frontiacus; inde Miſſos ſuos mittens poſt Hunoldum & uxorem ſuam ad Luponem Vaſconem. (id eſt Lupum Vaſconum Ducem) *Et dum ibi moram feciſſet unà cum Francis, adductus eſt Hunoldus, & uxor ſua: & caſtro preparato, & Hunoldo recepto, reverſus eſt in Franciam.* Idem ceteri rerum noſtrarum Annales uno velut ore concinunt. Eginhardus in Vita Karoli *caſtrum Frontiacum*; in Annalibus *caſtellum Francicum* vocat; & *donec legati*, *quos miſerat* Rex ad Lupum, *reverterentur, caſtellum juxta Dornoniam fluvium nomine Francicum ædificatum* eſſe ait. Conditum eſt ergo *Frontiacum*, ut Vaſconibus qui Hunoldum perfugam receperant, ſi quando res novas molirentur, aut incurſiones in Aquitaniam facere vellent, Frontis & obicis eſſet loco: unde & nomen accepit. *Caſtellum Franciſcum* etiam a nonnullis forſitan dictum, ſi non Eginhardus eo in nomine corruptus eſt, quoniam colonia Francica erat, & Caroli Magni militum opus. Errat Nicolaus Ægidius in Annalibus, qui *Frontiacum* ait quaſi *Frontem Saracenorum* appellatum eſſe, tum trans Garumnam & Duranium fluvios habitantium: cùm Saracenos nec Novempopulanam ſeu Vaſconiam, nec ullas alias in Gallia terras tenuiſſe conſtet, ex quo Pippinus Caroli Magni pater Narbone eos depulit. Nec multo meliùs Bellaforeſtius Frontiacum à Carolo Magno pro fronte Saracenis oppoſitum eſſe exiſtimat, quum ipſo bellis Saxonicis occupato Pyrenæum tranſiere, & Novempopulos uſque ad Garumnam incurſione vaſtavere: cujus incurſionis nullum uſquam veſtigium reperio. Tantùm Septimaniam anno DCCXCIII. Carolo Magno regnante Saracenos ſemel ingreſſos eſſe, & circa Narbonem atque Carcaſſonem agros devaſtâſſe, vicos diripuiſſe ac incendiſſe, docent veteres noſtri Annales: qui cùm de tempore ſtructuræ Frontiaci, & de cauſſa condendi nobilis caſtri conſentiant, ab eis temerè recedere Bellaforeſtius non debuit.

Frontiacum nunc caſtellum Ducale, impoſitum eſt monti, uti Blavia; & licèt *juxta fluvium Dornoniam*, aut *ſuper flumen Dordoniam* conditum eſſe dicatur in noſtris Annalibus, & ab Eginhardo; Ellæ tamen flumini propius eſt, quàm Duranio vel Dorononiæ Ellam jamjam accepturo, niſi nos tabulæ decipiunt. Vulgò dicitur *Fronſac*, & ager Frontiacenſis, *le Fronſaguez*. Eſt autem hoc caſtrum, uti Burgus & Blavia, in finibus Biturigum Viviſcorum, ſeu in Burdigalenſi Diœceſi.

FURONI.

Conventio inter Glorioſos Reges Hludowicum filium Karoli Imper. & Hludowicum filium Hludowici Regis, in loco qui vocatur Furonis, Kal. Nov. facta eſt anno I. D. DCCCLXXIX. Inditione XII. *Furoni* vel *Furonenſis* villa non multum abeſt ab Hariſtallio & Maſina. *Forum Comitis* recentiores dixere, propterea quod Comites Dalemienſes eam ſedem habebant. Vulgo *Foron* nuncupatur, eſtque nunc amplum municipium, à Trajecto & ab Aquiſgrani parum diſtans. Feruntur ibi ſupereſſe etiamnum foſſæ, & aggeres; & rudera fundamentorum veteris caſtri in proximo colle *Opde ſaele* dicto, ut Miræus ait: quas eſſe reliquias exiſtimo veteris Palatii Furonenſis. Furoni enim villa Regia vel publica erant, nec alibi fermè quàm in villis publicis ſeu Fiſcalibus Reges Francorum Conventus habere, & Palatia ædificare conſueverant.

FUSNIACUM.

Fuſniacum alii, alii *Fuiſniacum* vocant, vicum in ſilva Teoracia Laudunenſique Diœceſi, aquis & paſcuis, ſed multo magis veteri Monaſterio illuſtrem: qui hodieque *Foigny*, alias *Foiſny* dicitur, adſidetque amni paullo poſt Iſaram aucturo. Ejus meminit Hermannus Monachus in libri III. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis ad Bartholomæum Epiſcopum Laudunenſem capite III. his verbis. *Bartholomæus oſtendit ei* (Norberto) *illam maximam Diœceſis ſuæ ſilvam, quæ vocatur Terraſcea. Duxit ergo eum ad locum, qui vocatur Fuiſniacus, demonſtrans ei aquarum & paſcuarum, ſilvaque & terrarum congruam opportunitatem.* Idem in capite XI. ejuſdem libri *locum qui Fuiſniacus vocatur in Teraſcea ſilva*, Claravallenſibus Monachis dediſſe Bartholomæum Epiſcopum Laudunenſem ſcribit. Guillelmus Abbas Theodericenſis in libri I. de Vita S. Bernardi capite XI. *Fuſniacum* rectiùs appellat: *Fuſniacum,* (inquit) *quæ eſt Abbatia una de primis, quam ipſe* (Bernardus) *ædificavit, in Laudunenſi territorio ſita.*

FUXUM.

Fuxum Petrus Monachus & Guillelmus de Podio Laurentii ſæpe in rebus Albigenſium memorant, & *Comites Fuxi*, ſive *Fuxenſes*. Idem faciunt recentiores noſtri Hiſtorici. Guillelmus Nangiacenſis malè *caſtrum Fuxinenſe* non ſemel nuncupat: cùm ceteri *Fuxum* & *caſtrum Fuxenſe* appellent. Noſtri *Foix* vocant, & Fuxenſes *les Foixiens*. Ex vulgari nomine *Fuxiam* & *Foxium* Joſ. Scaliger fecit; qui Latinos ſcriptores Hiſtoriæ Franciæ non legerat.

G

GABALI

ET ANDERITVM GABALORVM, AC MEMMATE.

GABALOS Cæſar in libro VII. *Nitiobrigeſque* conjungit ut confines: & *Cadurcos, Gabalos, atque Vellavos ſub imperio Aruernorum eſſe conſueviſſe* ibidem ſcribit; atque Vercingetorigem *Gabalos proximoſque pagos Aruernorum in Helvios miſiſſe.* Gabali ergo & Vellavi inter pagos Aruernorum erant, ſeu Aruernis attribuebantur. Unde Memmate vel Memmates caput Gabalorum nonnumquam à noſtris ſcriptoribus *Memmate in Aruernia* nuncupatur, *Mende en Auvergne*; Anicium quoque ſeu Podium caput Vellavorum appellitatur *Podium in Aruernia, le Pui en Auvergne.*

Strabo Γαβάλεις hoc eſt *Gabales* vocat; aitque Rutenos & Gabales Galliæ Narbonenſi propinquos eſſe, & argenti metalla apud ſe habere. Vocat & *Gabales* Plinius, & inter *Aruernos* ac *Rutenos* Narbonenſi provinciæ conterminos in Aquitania eos ponit. Et videri poſſent in veteribus Notitiis non aliter nuncupari, in quibus *civitas Gabalum* vel *Gavalum* appellatur: niſi *civitas Gabalûm* per contractionem dici poſſet pro *Gabalorum*; ut ibidem *civitas Abrincatûm, civitas Venetûm, civitas Morinûm* dicitur pro Abrincatorum, Venetorum & Morinorum civitatibus. Sequitur Cæſarem Ptolemæus, *Gabaloſque* nuncupat, & in Aquitania collocat. Dicti promiſcuè Gabales & Gabali, ſicuti Turones & Turoni ac Turonii; Ædui & Æducs; (Æducs enim Auſonio vocantur) Carnutes ac Carnuti, Mediomatrici & Mediomatrices; Viromandui & Viromandues; Triboces & Triboci; Santones & Santoni; Salyes & Salyi; Bigerrones & Bigerri; Tectoſages & Tectoſagi. Gabalos nunc Noſtri *les Gevaudans* appellitant, hoc eſt (ut Sidonius in libri VI. epiſtola VII. loquitur) *Gabalitanos*, a in e, b & l in u, ac t in d converſis. Gabali, Lemovices, aliique confines & montani Aquitaniæ populi, incolæ Cebennarum, quotannis ſtato tempore Hiſpaniam petunt, aut etiam ibidem perpetuam ſedem capiunt, & ad vilia miniſteria arteſque ſordidas ac contemnendas mercede conducuntur: quos omnes Hiſpani in commune *Gavachos* quaſi Gabalicos vocitant, etiam ad puſilli hommes animi, væcordes ac malè veſtitos appellatione tranſlata.

Ptolemæo *Gabalorum urbs Anderidum*, Γάβαλοι, ἧ πόλις Ἀνδέριδον; in tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana *Anderitum* uſitatiùs hiſce verbis: *Segoduni, Ad Silanum, Anderitum, Condate.* Sic in Notitia Imperii Rom. in litore Saxonico per Britannias *Anderidos* vel *Anderida* poſita reperitur. *Anderitum* autem duo Gallica nomina ignotæ ſignificationis componunt, *ande*, & *ritum*: quorum alterum Andethannale, Andeſagina, Andecavi, Andelaum, Andematunum Lingonum ſervant; alterum Auguſtoritum Pictonum. Apud Magnonem *Gabal, Anderetum*, id eſt Gabalus, cujus caput Anderitum. Ab Anderito nomen habent *Anderitiani*, in Notitia Imperii Rom. ſcripta ita nuncupati, in edita mendosè *Andereciani*. *Sub diſpoſitione V. S. Ducis Mogontiacenſis Præfectus militum Anderitianorum Vico-Iulio* fuit, inter Tabernas & Nemetes; *in provincia Lugdunenſi Senonia Præfectus claſſis Anderitianorum Pariſiis: intra Gallias cum V. I. Magiſtro equitum Galliarum Anderitiani* præter ceteros, *Anderenitiani* corruptè in editis Notitiis ſupervacante ſyllaba appellati.

Poſtea Anderitum depoſita propria veteriſque appellatione, nomen Gentis cujus caput erat ſuſcepit, exemplo plurimarum Galliæ urbium, & dici cœpit *civitas Gabalum*, ac *Gabali*. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nunc *civitas Gabalum*, aut *civitas Gabalorum*, nunc *civitas Gavalum*, interdum ſed mendosè *civitas Gavallum* nuncupatur, & inter provinciæ Aquitanicæ primæ civitates octo pænultimum locum obtinet. Concilio Arelatenſi primo interfuit *Genialis Diaconus de civitate Gabalum, provincia Aquitanica*; Agathenſi *Optimus Diaconus, miſſus à Leonico Epiſ-*

copo Gabalum civitatis ; Concilio Aruernenſi poſt Conſulatum Paulini Junioris V. C. *Hilarius Epiſcopus Eccleſiæ Gabalitanæ* ; Synodo Aurelianenſi IV. *Evanthius Epiſcopus civitatis Gabalitanæ* ; Remenſi *Agricola Gabalenſis Epiſcopus*. Ex quibus intelligitur non modo *civitatem Gabalum*, ſed etiam *civitatem Gabalitanam* atque *Gabalenſem* dici conſueviſſe. Certè & Gregorius Turonicus Epiſcopus modò *urbem Gabalitanam*, modò, inprimis in libri II. Miraculorum S. Martini capite XXX. *Gabalos* nomine Gentis appellitat: quæ Aimoino *Gavalis* dicitur inter urbes egregias Aquitaniæ. Gabalos autem recentiores Geographi aliique, ſimilitudine nominis adducti, putant eſſe opidulum *Iavouls*, IV. leugis diſtans à Mimate, quem in locum ſedes Epiſcopatûs ex urbe Gabalis tranſlata eſt. *Iavols* alii vocant; quidam mendosè *Gave* vicum, in his Savaro. Sidonius in Propemptico ad libellum, veteris civitatis Gabalum ſitum ſic deſcribit.

Tum terram Gabalum ſatis nivoſam,
Et quantum indigenæ volunt videri,
Sublimem in puteo videbis urbem.

A Gabalis pagus Gabalicus nomen accepit, cujus Plinius meminit in capite XLII. libri XI. *Laus* (ait) *caſeo Romæ, ubi omnium Gentium bona indicantur comminus è provinciis, Nemauſenſi præcipua, Leſuræ, Gabalicique pagi: ſed brevis ac muſteo tantùm commendatio.* Leſura altiſſimus mons eſt, vulgò dictus *Loſere*, Sidonio *Leſora*, portio Cebennarum in Gabalis, fluvii Tarnis fonte nobilis.

Hinc te Leſora Caucaſum Scytharum
Vincens accipiet, cituſque Tarnis.

Gregorius in libri X. Hiſtoriæ Franc. capite VIII. *terminum Gabalitanum*, in capite XXV. *Gabalitanam regionem* nuncupat: Annales rerum Francicarum à morte Caroli Majoris domus ad obitum Caroli Magni deducti, in anno DCCLXVII. *Gavaldanum* pagum; Annales Bertiniani & Mettenſes, atque Eginhardus in ejuſdem anni rebus *Gavuldanum pagum*; Uſuardus *territorium civitatis Gavalitanæ*; Regino *territorium Gavelitanum*. *Gavaldanum* & *Gavuldanum* ſuprà laudati Hiſtorici noſtri recentiores, aut potiùs mediæ ætatis, corruptè dixere pro *Gabalitanum* b in u, & t in d converſis, atque litterâ e eliſâ. Ex *Gavaldano* Noſtri fecerunt *le Gevaudan*, priore a in e, & l in u commutatis. Alii *Gevoudan* appellitant nomine deducto à *Gavuldano*, u poſteriore in ou converſo; *Givoudan* alii, quidam *Givaudan*. Noſtris pagus *Gabalitanus* eſt *Gevaudan*; ut *pagus Gratianopolitanus* in Allobrogibus *le Greſivodan*; pagus *agerve Emporitanus l'Empourdan* in provincia Hiſpania Tarraconenſi; ager Gabarretanus, cujus caput eſt Gabarretum inter Eluſam & Vaſatas, *le Gabardan*.

Nunc agendum paucis de loco, in quem Epiſcopatus Anderitiani vel Gabalici facta tranſlatio eſt. Gregorius in libri I. capite XXXII. ejus loci primus omnium meminit. *Irruentibus* (inquit) *Alamannis in Gallias, S. Privatus Gabalitanæ urbis Epiſcopus in crypta Memmatenſis montis ubi jejuniis orationibuſque vacabat reperitur, populis Gredonenſis caſtri munitione concluſis.* Privatus igitur ex urbe Gabalis in montem Memmatenſem, metu Alamannorum confugerat; incolæ urbis in munitiſſimum caſtrum Gredonem ſeſe contulerant. Et illi quidem Alamannorum ductu Regis Croci Aquitaniam vaſtantium manus evaſerunt; at Privatus à Barbaris in ſupradicto monte fuſtibus cæſus, & in vico cognomine ibidem ſepultus eſt Valeriani Gallienique principatu, ubi Baſilica S. Privati Martyris Abbatem ſuum habuit, quemadmodum Gregorius docet, qui in libri X. Hiſtoriæ Francicæ capite XXIX. de loco tumuli B. Privati Mart. ſic loquitur. *Ecce adeſt Iulianus à Brivate, Privatus ex Mimmate, Martinus à Turonis, Saturninus à Toloſa, Dionyſius ab urbe Pariſiaca.* Regino in Chronico ſcribit, Gallieni principatu *in territorio Canelitano, vico Mitanenſi Privatum Epiſcopum paſſum* eſſe: Vbi legendum eſt, *in territorio Gavalitano* vel *Gavelitano, vico Mimatenſi*. Legimus & Concilium, à loco ubi habitum eſt, dictum *Concilium Mimmatenſe*. Concilio Lemovicis habito anno MXXXII. *Ragamundus Mimatenſis Epiſcopus* præter ceteros interfuit atque ſubſcripſit. *Mons* igitur *Memmatenſis* vel Mimmatenſis *vico Memmatenſi* vel Mimmatenſi contiguo nomen ſuum dedit: hoc enim veriſimilius mihi videtur, quàm montem à vico nomen accepiſſe. Montis autem & vici nomen eſt indeclinabile *Memmate* aut *Mimmate*, ut Condate, Arelate, Bibracte, Carpentoracte: aut certè *Memmas*, *Memmatis* veteres declinavere, ut Arelas Arelatis, Brivas Brivatis in Aruernis, *Brioude*. Potuit & *Memmates* dici, ſicuti a Ptolemæo *Brivates* portus inter Ligeris & Herii fluminum oſtia, *Breſt* vulgò appellatus: quare & à Scaligero vocatur *Mimates vicus Gabalorum*. Igitur *vicus Memmatenſis* Mimmatenſiſve, ſive Memmate, ſive Memmates, ſive Mēmas aut Mimmas nuncupari debet, adſitus imo monti ejuſdem nominis, portioni Cebennarum, & Privati Epiſcopi ſui ſanguine ſepulcroque conſecratus, tandem poſthabitis Gabalis ſedes Epiſcopatûs evaſit, atque ex vico civitas factus eſt: quod non multo ante annum Domini milleſimum accidiſſe puto, cùm ante hoc tempus *civitatis Gabalitanæ Epiſcoporum* mentionem ſæpe fieri videam; *Memmatenſium* ſive *Mimmatenſium Epiſcoporum* numquam. Certè Gervaſius Tiſleberienſis qui circa annum MCCX. floruit, & aliquot Notitiæ eo recentiores Epiſcopatum *Mimatenſem* commemorant, & inter Bituricenſi metropoli ſubjectos V. loco ſtatuunt.

Memmate vel Mimmates *Mande* à Noſtris vocatur, m in n, ac t in d converſis: quam urbem Olite fluvio allui Maſſonus aſſerit: ſed pleræque tabulæ aliquot paſſuum millibus ab eo removent; quædam contrà cum Catello apponunt Oliti. Non procul abeſt ab urbe Memmate *Gredonenſe caſtrum* vel *Gredo*, vulgò *Greze*, radicibus montis adjacens, quo perfugio uſos eſſe Gabalorum urbis incolas irruentibus in Aquitaniam Alamannis tradidit Gregorius.

Diœceſi Memmatenſi continentur Memmate, *Mende*; Gabali, nunc *Iavols*, ut putant, aliqui; Gredonenſe caſtrum *Greſe*; Thermæ, aliàs Termini, *Termes*; Fabia *la Fage*, Lucus; Caſtellum novum Randonenſe, *Chaſteau neuf de Rendon*; Salvia vel Salices *Salgues*.

Ceterùm Vivarienſem ſeu Helvicum pagum,

Vellavum, Gabalicum, Aruernum, Cadurcinum & Rutenum Cebennæ montes dividunt in ſuperiorem ac inferiorem: quibus montibus Helvii Narbonenſes ab Aquitania; Vellavi, Gabali, Aruerni, Cadurci & Ruteni Aquitaniæ populi à Gallia Narbonenſi dividuntur. Pagus ſuperior vocatur, qui in Cebennis montibus poſitus eſt; inferior, qui in plano vel in vallibus. Igitur Vivarienſem pagum ſuperiorem *le haut Vivarez* Noſtri vocitant; pagum Vellavum ſuperiorem *le haut Velay*; pagum Gabalitanum ſuperiorem *le haut Gevaudan*; Aruerniam ſuperiorem *la haute Auvergne*, aliàs pagum ſuperiorem *le haut Pays* nomine communi appellant, item *Montes Aruerniæ*; pagum Cadurcinum ſuperiorem *le haut Querci*; pagum Rutenum ſuperiorem *la haute Rouergue*. Idem de Lemovicibus eorumque Marchia plerique dicunt, apud quos ſuperiores Lemovicẽs *le haut Limoſin*; ſuperior Marchia *la haute Marche de Limoſin*. Idem & de Albigenſibus dicunt.

Leſura & Margarida montes ſunt pagi Gabalici inſignes, hic Triobris fluminis fonte, (*Trouyre*) ille Tarnis: ambo tradux & portio Cebennarum. Et de Leſura quidem jam diximus. Margarida autem vel Margarita Triobris genitrix, vulgò vocatur *la Mariaride*, aliàs *Margeride*.

GABRO.

Gabro locus eſt in Cenomanis, inter Meduanam & Sartam fluvios poſitus, ſed Meduanæ propior, vulgó *Iauron* dictus: à quo ager Gabronenſis nomen habet. Eo in agro Conſtantianus Aruernus cellulam ſibi condidit, qui nunc eſt Prioratus, ut loquuntur. *Gabronium* recentiores ſcriptores, & Polyptycha Monaſteriorum appellant.

GALARDO.

Galardo notum eſt in Belſæ pagique Carnutini confinio caſtrum, vulgo *Gallardon* dictum. Hildeburgis, cujus de Vita libellum edidit Lucas Acherius, *in pago Carnotenſi caſtro Galardone exorta*, & *ejus pater exſtitiſſe Herveus caſtri Galardonis dominus* dicitur, Philippo apud Francos regnante, ante annos ferè DC. *Gualardo* aliis vocatur. In Chronico Maurinıacenſi *anno* MCXX. dedicationi Eccleſiæ Mauriniacenſis Cœnobii dicitur adfuiſſe præter ceteros Francorum Proceres *Guido de Gualardone*. Poſitus eſt Galardo ad ripas amniculi, qui in Auturam defluit inter Carnutas urbem ac Novigentum Regis.

GALLARDUM.

Rigordus in rebus anni MCCII. *Guallardum* vocat *caſtrum fortiſſimum, in rupe excelſa à Rege Ricardo ſuper fluvium Sequanæ ædificatum juxta inſulam Andeliaci*, quod Philippus Auguſtus menſibus ampliùs v. oppugnavit, ac demum cepit. *Richardus Rex firmavit in fluvio Sequana, in loco qui Portus Gaudii vocatur, munitiunculam, & in inſula juxta vicum Andeliacum aliam fortelitiam firmavit, & ædificavit ibidem ſuper ripam Sequanæ villam amœniſſimam in loco munitiſſimo. Imminebat villæ rupes excelſa, in qua ædificavit arcem, & circumcinxit muro altiſſimo & foſſis profundiſſimis, totamque munitionem illam vocavit Gaillardum, quod ſonat in Gallico petulantiam*; inquit Guillelmus Armoricus de Geſtis Philippi Aug. qui & *caſtrum Gaillardum*, & in libro VII. Philippidos *Gaillardica mœnia*, & *Rupem Gaillardam* vocat, ac obſidionem expugnationemque ejus fusè deſcribit. Gaillardum vulgò nunc *Chaſteau Gaillard* dicitur, proximumque eſt Andeleio, in vici formam redactum. Ex Brittonis verbis apparet ante annos CCCCLXXX. guallardum vel gaillardum à Noſtris vocari conſueviſſe petulantem hominem ac gaudii intemperantis, ut hodieque *gaillard* petulans dicitur, ac *gaillardiſe* petulantia.

GALLIACUM.

Petrus in Hiſtoriæ Albigenſium capite LIV. memorat *caſtrum Rabaſtenſe in territorio Albigenſi*, (*Rabaſtins*) & *ſex alia caſtra nobilia, Montem acutum, Galliacum, Cauſacum, S. Marcellum, Gueſpiam, & S. Antoninum*. Ex quibus Galliacum Tarni fluvio adſidet, ac dicitur *Gaillac*; S. Marcellus *S. Marcel* vocatur; Gueſpia *la Guepie*. Idem in capite LXII. *caſtra nobilia Rabaſtenx*, ſuprà *Rabaſtenſe* dictum, *Montem acutum*, & *Galliacum* refert.

GALLICVM MARE, ET EIVS VARIA NOMINA, VARII SINVS.

Mare quod Narbonenſem provinciam, hoc eſt Gothiam vel Septimaniam, atque Provinciam à Pyrenæo ad Varum flumen alluit, Livius in libro XXVI. *Gallicum ſinum* appellat, ponitque inter *Tuſcum mare* & *Pyrenen* hiſce verbis. *P. Cornelius Scipio Oſtiis Tiberinis profectus, præter oram Tuſci maris, Alpes, atque Gallicum ſinum, & deinde Pyrenes circumvectus promontorium. Emporiis urbe Græca copias expoſuit.* Idem in libro XXXIIII. *Prætervecti Liguſtinos montes, ſinumque Gallicum, ad condictum convenerunt*, id eſt *ad portum Pyrenæi*, ut ibidem ait. Inter Pyrenæum autem & Alpes Liguſtinas vel Maritimas eſt mare Gallicum, ſinuſve Gallicus: cujus ſinus partem, quà Provinciam pulſat inter Ligures Italos & Maſſiliam ac Rhodanum, Livius in libro XXI. *oram Salyum* nuncupat. *P. Cornelius Scipio præter oram Etruriæ Ligurumque, & inde Salyum, mox pervenit Maſſiliam, & ad proximum oſtium Rhodani caſtra locat.* Annæus Florus in capite VI. libri III. Rerum Romanarum *Gallicum ſinum* ſimiliter appellat: Gratidius *Liguſticum ſinum*, *Pompeius Gallicum obſedit*, *Torquatus Balearicum*. Solino in capite XXVI. *ſinus Gallicus* eſt, *qui Narbonenſem provinciam perfundit*.

Strabo mare quod Narbonenſem Galliam allatrat, *mare Narbonenſe* nuncupat à clariſſima olim totius ejus oræ urbe Narbone: quum ſcribit, apud Toloſam iſthmum eſſe anguſtiſſimum, qui Oceanum à mari Narbonenſi ſubmoveat. In libro IIII. Chronographiæ ſeu diverſarum Hiſtoriarum quem in codice ſcriptum legi, *Narbonicum mare* ſimiliter vocatur, & dicitur Pippinus, Ludovici Pii A. filius, *Regnum Aquitaniæ à Rhodano ad Pyrenæum, à litore Narbonici maris ad Ligerim extenſum obtinuiſſe*.

Pomponius Mella *mare Noſtrum* vocare conſuevit mare Mediterraneum ſeu internum, quod Hiſpaniæ partem & Galliæ Italiæque alluit; & *partem Galliæ Noſtro mari appoſitam, Narbonenſem* nominat *Galliam*.

Plinius in libri III. capite V. *mare Gallicum* ante Narbonenſem provinciam ponit inter *mare Hiſpanum Ibericumve* aut *Balearicum*, & *Liguſticum*, hoc eſt inter Hiſpaniam Tarraconenſem & Liguriam Italiæ regionem. Idem in capite IIII. *Narbonenſem provinciam appellari* ait *partem Galliarum, quæ interno mari alluitur*. At *maris Gallici* appellatio non ſinui tantùm Gallico Narbonenſem alluenti provinciam, ſed etiam Oceano Gallico, oram Aquitaniæ Galliæque Lugdunenſis & Belgicæ pulſanti videtur poſſe convenire. *Mare* autem *internum*, Floro *inteſtinum* dictum, propriè totum mare Mediterraneum eſt: & ſinus Gallicus parva admodum ejus portio haberi debet, à ſummo Pyrenæo ad Alpem ſummam vix in longitudinem millia paſſuum DX. patens, ut Æthicus docet: quare partem exiguam totius appellatione parum aptè deſignaveris. Marcianus tamen in Periplo Galliæ Gallicum ſinum *mare noſtrum* & *internum* duobus ſimul nominibus appellat. *ὁ Ναρβωνήσιος ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς ἢ ἐντὸς λεγομένῃ θαλάσσῃ.* Claudius Ptolemæus exemplo Plinii mare Galliæ Narbonenſis *mare Gallicum* nuncupat, quum in libro VIII. ſcribit, Galliam *à meridie Gallico mari terminari*, *τῇ Γαλλικῇ θαλάσσῃ*. Ambos ſcriptores plerique ſequuntur. Inprimis Ammianus in libro XV. & Oroſius in libri I. capite II. *qui Alpes à Gallico mari ſuper Liguſticum ſinum exſurgere*, & *mari Gallico Rhodani flumen accipi* tradit, & *mare Gallicum eſſe inter Sardiniam & inſulas Baleares*. Oroſium Æthicus in Coſmographia, Robertus in Chronico, aliique ad verbum transſcripſere. Idem Oroſius eodem in loco, mare quo Hiſpania Tarraconenſis & Gallia Narbonenſis alluuntur, *mare Tyrrhenum* appellat haud dubiè. Quippe ſcribit, *Hiſpaniam circumfuſione Oceani Tyrrhenique pelagi pene inſulam effici*, & *ex Gaditano Oceani freto mare Tyrrhenum emitti*: quem imitatus Iſidorus in libri XIII. capite XXI. mare Gothiam & Provinciam pulſans, quo Rhodanus accipitur, *Tyrrhenum æquor* vocat, nimis lata & libera appellatione. *Mare* enim *Tyrrhenum* vel *Tuſcum*, pleriſque *Inferum* dictum, inter mare Liguſticum & Auſonium Siculumve medium exſtitiſſe Plinius docet. Mella tamen primus ita locutus eſt in libri I. capite III. quum ait, *inter Adriaticum & Tuſcum Italiam procurrere*: *in Tuſco intimo Galliam eſſe, ultrà Hiſpaniam eſſe*. Ita Galliam Narbonenſem ad mare Tuſcum vel Tyrrhenum intimum ponit: & in capite V. libri II. *Galliam altero latere Tuſcum pelagus attingere, altero Oceanum* ait.

Gervaſius Tiſleberienſis & Bernardus Guidonis quum produnt Rhodanum *in Mediterraneum mare decurrere*, apertè indicant ſe *maris Mediterranei* nomine *ſinum Gallicum* deſignare. Sed hæc nimis laxa vagaque appellatio eſt; nec magis propriè ſinus Gallicus *mare Mediterraneum* dicetur, quàm *mare Internum*.

Mare Gallicum, ob colonias Græcorum Maſſilienſium terra marique ſparſas, *mare Græcum* Angli ſcriptores dixere. Certè Matthæus VVeſtmonaſterienſis ita loquitur. *Anno MCCCII. Rex Franciæ congregavit exercitum multum nimis à mari Græco uſque ad Oceanum.* Thomas quoque VValſinghamius in anno MCCCLV. ſic ſcribit. *Carcaſon & Nerbon juxta mare Græcum.* Nunc mare Maſſilienſe *Mer de Marſeille* dicitur pars maris Gallici circa Maſſiliam & Stoechadas, totamque hanc oram Provinciæ.

Noſtri mare Gallicum vulgò appellant mare Ortivum, *Mer de Levant*, ac nonnunquam etiam maria Orientalia, *les Mers de Levant*. Et tamen *mare Meridianum* dici potiùs deberet quàm Ortivum, cùm Gothiam atque Provinciam à meridie terminet.

Strabo ſcribit, Setium promuntorium (*Sigium montem* appellat) *duos* maris Gallici *ſinus diſterminare*, *majorem* unum, alterum *minorem*: ex quibus minor à templo Veneris Pyrenææ tropæiſque Pompeii ad Setium montem pertineat, & inſulam Blaſconem complectatur; major à Setio incipiat, & promuntorio portuque Cithariſtâ finiatur, proprio ac peculiari nomine *ſinus Gallicus* dictus, in quem Rhodanus evoluatur. Cithariſta autem eſt inter Maſſiliam ac Taurentum.

Sed apud alios Geographos & apud Hiſtoricos, multo plures in mari Gallico ſinus reperiò, verùm minores.

Primus occurrit *ſinus Salſus* ab Hiſpania Galliam Italiamque mari petentibus, memoratus à Mella, qui eum ad Pyrenæi promuntorium ſeu Caput Crucis, *Cap de Creus*, & in eo portum Veneris *Port Vendres* ponit. *Colonia* (inquit) *Ruſcino, vicus Eliberris: tum inter Pyrenæi promuntoria portus Veneris eſt in ſinu Salſo, & Cervaria locus, finis Galliæ.*

Tum alius ſinus eſt inter promuntoria duo Leucatam & Setium: de quo Rogerus Houedenius qui ante annos CCCCL. ſcripſit, ita refert. *Dein tranſierunt per quamdam arenam protenſam in mare, quæ dicitur Caput Leucatæ, faciens ſinum magnum, in quo prope litus maris eſt bona civitas Epiſcopalis, quæ dicitur Narbona, & Monaſterium quod dicitur S. Maria de mari: deinde tranſierunt per quamdam terram protenſam in mare quæ dicitur Briſcou. Tum intraverunt terram Comitis de Agda.* Illa *terra protenſa in mare* nomine *Briſcou*, eſt inſula Blaſco, quæ hodieque *Briſcou* nuncupatur, & Agathæ ſeu Agdæ urbi proxima atque adverſa eſt. Hi duo ſinus minore ſinu, à Strabone ſuprà memorato continentur: quos non malè Strabo in unum conjunxit.

Sequitur *ſinus ad Gradus*, à VI. gradibus quos Rhodanus effluens facit, ita cognominatus: qui à Setio incipit, & oſtiis Rhodani finitur, & *ſinus Gallicus* à Strabone dicitur. Et Strabo quidem quò ſinus ille pertineat, (ni fallor) non dixit; at Caſaubonus eum terminat promuntorio Cithariſta ultra Maſſiliam XXX. millibus. *Sinûs ad Gradus* meminit Ammianus Marcellinus in libro XV. hiſce de Rhodano verbis. *Finitis intervallis quæ ei natura preſcripſit, ſpumeus Gallico mari concorporatur per patulum ſinum quem vocant ad Gradum, ab Arelate XVIII. ferè lapide diſparatum.* In quibuſdam codicibus reperitur *ad Gradum*, quemadmodum excudendum curavi. Quam lectionem ſi admittimus, *ſinum*

ſinum ad Gradum dictum eſſe credemus, quòd eſſet ad *Gradum Maſſilianorum*, maximum omnium ibi graduum, tertio eidemque ampliſſimo Rhodani ori Maſſaliotico adjacentem: quem *Gradum Maſſilianorum* à Foſſis Marianis millia paſſuum xvi. abeſſe Æthicus ſcribit. Cùm tamen ſex gradus in tribus oſtiis Rhodani reperiantur hodieque, exiſtimo huncce *ſinum ad Gradus* potiuſquam *ad Gradum* nuncupari oportere.

Sinum ad Gradus excipit *ſinus Maſſilienſis*, in quo conſtructa Maſſilia eſt. Eum Trogus, & qui ex Trogo epitomen fecit Juſtinus *ſinum Gallicum*, necnon *remotum ſinum, velut angulum maris*, & *ultimos Galliæ ſinus*, id eſt, unum ex ultimis appellant. Juſtini in libro xliii. verba ſunt hæc. *Phocenſium juventus ex Aſia in ultimos Galliæ ſinus navibus profecta, Maſſiliam inter Ligures & feras Gentes Gallorum condidit. Phocenſes in ſinum Gallicum oſtio Rhodani amnis devenere: cujus loci amœnitate capti, plures ſollicitavere. Condita igitur Maſſilia eſt prope oſtia Rhodani amnis, in remoto ſinu velut in angulo maris.* Sinum Maſſilienſem Eumenius in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto *Meridianum ſinum* videtur appellare, quòd eum Maſſilia à Meridie habeat. *Maſſilia* (inquit) *in profundum mare prominens, & munitiſſimo accincta portu, in quem anguſto aditu Meridianus reſinat ſinus, ſolis mille quingentis paſſibus terra cohæret.*

Maſſilienſem ſinum excipit alius non obſcurus, *ſinus Samblacitanus* Æthico dictus, vel (ut in quibuſdam membranis ſcriptum reperitur) *ſinus Samblacetanus*, & *ſinus Sambracitanus*, ac nonnumquam ſed mendosè *Sabricitanus*. Æthicus in itinerario portuum & poſitionum navium ab Urbe Arelatum uſque, eum ſinum, quem non portum ſed, ſicut Nicæam & alia loca, *plagiam* tantùm appellat, hoc eſt plagam *une plague*, inter *Forum Julii* & *Heracliam Caccabariam* vel perdicariam ponit, à foro Julii xxv. ab Heraclia xvi. millibus paſſuum diſtantem. Nunc ſinus Samblacitanus habet ab Occidente portum *S. Tropeſii*, Amelio memoratum in navigatione Gregorii PP. xi. anno mccclxxvi. *Saint Tropez*; ab Oriente portum S. Maximi, *S. Maixime*; à Meridie promuntorium Caput Caninum, *Teſte de Can*, cum inſula ejuſdem nominis; Grimaldum à Septemtrione, *Grimaud*, quem idem Amelius Epiſcopus Senogalliæ *locum de Grimaldo* nuncupat: & modò à Grimaldo ipſi proximo dicitur ſinus Grimaldenſis, *Golfe de Grimaut*; modò à portu S. Tropeſii, vel (ut alii loquuntur) Torpetis ſinus Tropeſianus vel Torpetianus, *le Golfe de S. Tropés*.

Proximus eſt ſinui Samblacitano ſinus Forojulienſis, aut potiùs eum attingit, itaut ſinus Samblacitani bifariam diviſi portio haberi poſſit. Utrumque *Fori Julii pelagus* videtur Amelius appellâſſe. In ſinu Forojulienſi eſt promuntorium S. Vincentii, (*Cap de S. Vincent*) & duæ inſulæ *Leones* dictæ, Forojulienſis Diœceſeos, ab Amelio memoratæ; atque Forum Julii. Eumdem in ſinum amnis Argenteus devolvitur.

Poſtremus maris Gallici & Provinciæ ſinus à promuntorio Rubeo, *Cap Roux*, ad promuntorium Gallupe, *Cap Garouppe* pertinet, & duo alia promuntoria, ac Lerinum & Leronem inſulas complectitur, duoſque fluvios; Beneonem, & Cyaneum, *Siagne* recipit.

Circa Telonem & ii. lapide à promuntorio dicto *Cerchiec* corallium naſci affirmant Provinciales: quod olim *laudatiſſimum in Gallico ſinu circa Stœchadas inſulas* fuiſſe, Plinius in libri xxxii. capite ii. ſcripſit, *Gallici ſinus* nomine ſinum Maſſilienſem, ut videtur, deſignans. Abeſt autem Telo Martius ab urbe Maſſilia millia tantùm xxxii. ſicuti Æthicus docet.

Pæne omiſeram, ab Eginhardo in Vita & rebus Karoli Magni mare noſtrum *mare Balearicum* impropriè vocari: quum ait, *partem Galliæ inter Rhenum & Ligerim, Oceanumque ac mare Balearicum jacere*, mare Balearicum quod Hiſpanias alluit, Septimaniæ ac Provinciæ impropriè attribuens, & à freto Gaditano ad ultimos Galliæ Narbonenſis fines illud promovens.

Quidam Geographi, in his Samſon, mare Gallicum Septimaniam & Provinciam alluens, *mare Leonis* aut *ſinum Leonis* vocari putant, *mar di Lione*, aut *Golfe du Lion*; & ita in tabulis ſuis ſcribunt. Quos Guillelmus Nangiacenſis, Monaſterii S. Dionyſii Monachus, erroris convincit his verbis, in Geſtis Ludovici ix. Francorum Regis. *Die Mercurii paullo poſt ortum Solis velum fecerunt* (*ont fait voile*) *iſta* iv. *naves, & tota die illa cum die Jovis ſubſequente, cum vento ſatis proſpero ſiglaverunt.* (*ont ſinglé*) *Die verò Veneris ſubſequenti circa mediam noctem ventorum turbinibus procelloſos fluctus exagitans mare diſcutitur in maris Leonis introitu; quod ideò ſic nuncupatur, quòd ſemper eſt aſperum, fluctuoſum, & crudele. Mari igitur Leonis præterito cum magno periculo, die Sabbati mitius invenitur*, &c. Quibus ex verbis intelligitur, *mare Leonis* Septimaniam ſaltem non attingere, & ab Aquis Mortuis tridui itinere abeſſe: cùm Ludovicus Rex Francorum qui in ultimo portu Septimaniæ Aquis Mortuis non longe ab oſtiis Rhodani die Mercurii claſſem conſcenderat, & Caraleis Sardiniæ petebat, die Veneris, ſeu tertio navigationis die mare Leonis intraverit. Nec magnum eſſe potuit aut debuit illud ipſum *mare Leonis*, quod brevi & intra paucas horas Ludovicus emenſus dicitur. Videtur tamen partem aliquam oræ Provinciæ *mare Leonis* allatrare atque pulſare circa Areas, Pergantionem *Brigançon*, & Bromum *Bormes*, inſulaſque Areenſes. Quippe in relatione ante annos cl. facta hæc reperio. *Cùm ingreſſi fuiſſent ſinum ſeu gulfum Leonis, maximis agitati fluctibus, coacti ſunt litori appellere.* Et infrà. *Dictum Leonis gulfum vel ſinum pertranſiere Provinciam verſus ad opida Bromo & Brigantii vulgò nuncupata.* Igitur *mare Leonis* appellatum eſt, quoniam ut leo dentibus ac unguibus, ſic ipſum tempeſtatibus atrociter ſævit, ac ventis maximè commovetur: quàm breve, tam atrox atque fluctuoſum, verè *mare Leoninum*, aut *ſinus Leoninus*. Sunt duæ reſides in mari Provinciali contra Forum Julii, *Leônes* dictæ, *les Lions*, vel *inſulæ Leonum*, à quibus *mare Leonis* appellationem accepiſſe videri non poteſt. Nam ſi his ii. inſulis nomen ſuum deberet, *mare leonum* utique appella-

retur, non *Mare Leonis*.

Oram æquoris Gallici illuſtrant Caucoliberi, *Colioure* vel *Colibre*; Helena civitas, *Elne*, Epiſcopatûs olim ſedes; Cannetum *Cannet*; Perpiniacum *Perpignan*, nunc Cathedrâ Epiſcopali illuſtre, caput Comitatus Ruſcinonenſis, ruinis Ruſcinonis Coloniæ proximum; Ripa alta *Ribehaute*; Salſuſæ vel Saltulæ, *Sauſſes* noſtris, Hiſpanis *Salſes* dictæ; Leucata *Lecate*; Rupes fortis *Roquefort*; Palma *la Palme*; Narbo Martius, Decumanorum olim colonia, non procul ab oſtio Atacis; Biterræ *Beziers*, ad fluvium Obrim; Caſtellum novum *Caſtelnau*, ori ejus proximum; Villa nova *Villeneufve*, Agatha ad Araurim effluentem *Agde*; mons Setius *Mont de Sete*, Magalona *Maguelone*; oſtium fluminis Ledi, *Lez*, cui Monſpeſſulanus, à Sextatione loco olim illuſtri non multum diſtans, & caſtellum Latara *Tour de Latte* adſident; Aquæ Mortuæ *Aiguesmortes*; oſtia Rhodani; Maritima Avaticorum *Martegue*; Maſſilia Græcorum; Citharista portus & promuntorium; Civitas *la Ciotat*, vino ſuo nobilis; Carſici, Taurentum, Telo Martius *Toulon*; Areæ *Hieres*; Pergantio *Breganςon*, Bromum *Borme*; ſinus Samblacitanus vel Grimaldenſis ſupra memoratus; Forum Julienſe ad Argentei amnis oſtium, *Freius*; Canoæ *Canes*; Antipolis *Antibe*; Villa nova *Villeneufve*; municipium S. Laurentii, *S. Laurens*; Vari amnis oſtium, quo flumine Gallia ab Italia dividitur. Multi alii amnes ignobiles & obſcuri in mare Gallicum decurrunt, memoratu indigni, cùm in Septimania, tum in Provincia. Multa ſunt & in eadem ora promuntoria, ſed ſi Leucatam & Setium Septimaniæ, & Citharistam Provinciæ excipias, cuncta veteribus indicta.

In mari Gallico ſunt inſulæ plurimæ, ſed pleræque parvæ admodum & incultæ ac deſertæ. Quas inter eminent quædam majores, nobiliores, atque cultiores, ſuo quæque loco à nobis enarratæ. In primis Blaſco contra Agatham, vulgò *Briſcon*, Rogero Houedenio celebrata, aliàs *Briſcon*, litteris a in i, & l in r converſis, ut in Luſciniola *Roſſignol*, ululare *urler*, ulmo *orme*: Anguillaria *l'Anguillare*, *Anguillade* in quibuſdam tabulis dicta, non longè ab oſtiis Rhodani; forſitan *Metina* Plinii in Rhodani oſtio. Tum Odur ad ejuſdem amnis oſtia, *inſula quæ dicitur Odur, quæ eſt ad introitum Rhodani*, Rogero Houedenio nuncupata ante annos cccci. vulgò *Oder*. Sequuntur tres Stocchades, *Protę*; *Meſe* quæ & *Pomponiana*, Rogero Houedenio *Pambone* appellata inter Maſſiliam & inſulam S. Stephani, vulgò *la Pomegue*; tertia Hypæa, *If*. Inſulæ Areenſium numero item tres, contra Areas opidum, *les iſles d'Hieres*, vel *les iſles d'or*. Inſulæ duæ, *Leones* dictæ Amelio in navigatione Gregorii xi. Papæ ante annos ccc. vel inſulæ Leonum, *les Lions*, Foro Julii adverſæ, cujus Diœceſi contribuuntur: demum Lerinus & Lero, prior S. Honorati nomine ac Monaſterio illuſtris, poſterior S. Margaritæ.

GALLICVS OCEANVS, ET EIVS PARTES.

Oceanus Gallicus à Rheno ad Pyrenæum uſque promittitur; Æthico *Oceanus Occidentalis* dictus, in quem *Rhenus*, *Geobonna*, id eſt *Sequana*, & *Garumna* influunt: Noſtris quoque *mer du Ponant*, id eſt mare Occiduum: Solino in capite xxvi. *Oceanus Gallicus*, inter *Germanicum* & *Atlanticum*. *Maria* (inquit Plinius in libri iv. capite xix.) *circa oram ac Rhenum Septemtrionalis Oceanus; inter Rhenum & Sequanam Britannicus; inter Rhenum & Pyrenæum Gallicus*. At idem Plinius *Septemtrionalem Oceanum* vocat, qui Germaniam alluit in capite lxix. libri ii. his verbis. *Septemtrionalis Oceanus maiore ex parte navigatus eſt auſpiciis D. Auguſti, Germaniam claſſe circumvecta ad Cimbrorum promuntorium*: & in capite xvi. libri iv. *mare Germanicum* nuncupat, quo Germania pulſatur; Claudius Ptolemæus aliique *Oceanum Germanicum*; auctor libelli de Vita Salabergæ *Oceanum Barbaricum*, quum ſcribit Moſam *Oceano Barbarico latè ingeri*. Marcianus in Periplo Galliæ impropriè admodum *Septemtrionalem Oceanum* vel Arctoum, quo Lugdunenſis alluitur, vocat, τὸν μετ' ἐκείνην ὠκεανὸν ἀρκτῷον. Eginhardus Germaniæ, & parti etiam Galliæ arctoæ *Septemtrionalem Oceanum* attribuit, quum memorat *flumina, quæ de Gallia & Germania Septemtrionalem influunt Oceanum*.

Inter oſtia Rheni & os Sequanæ eſt *Oceanus Britannicus*, ut Plinio placet. *Britannicus* autem *Oceanus* dictus eſt ab inſula Britannia, quam inter & Galliam Belgicam Lugdunenſemque funditur; Mellæ in libri i. capite iii. Plinio, Ptolemæo, Oroſio, Æthico, tabulæ Peutingerianæ, ceteriſque memoratus. Quidam Oceanum Britannicum ulterius oſtio Sequanæ promovêre, & uſque ad Oſiſmios protulere. Certè Mella in libri iii. capite vi. *Senam in Britannico mari Oſiſmicis adverſam litoribus* eſſe ſcribit: quæ inſula, vulgò *l'iſle de Sain* dicta, & in ultima Britannia minore longè ultra Sequanæ oſtium poſita, eminùs Ligeris oſtium proſpicit. Ionas quoque in libro de Vita Columbani Abbatis tradit, *ad Nivernenſe opidum veniſſe Columbanum, ut Ligeris ſcaphâ reciperetur, Britannicóque ſinui redderetur*. Ex quibus apparet, Oceanum Britannicum, vel mare Britannicum, quod Ionas *ſinum Britannicum* nuncupat, propè ad os Ligeris uſque pertinuiſſe. Hoc *mare Anglicum* recentiores appellavere ab inſula Britannia, quæ maxima ex parte ab Anglis eam obtinentibus dicta eſt Anglia. Vnde Rigordus *Gravaringas villam ſuper mare Anglicum ſitam* nominat; Guillelmus Armoricus *villam Deppam ſuper mare Anglicum*. Noſtri nunc *Canalem*, nunc, idque ſæpiùs *Manicam*, *la Manche*, vocitant à figura. Eſt enim Oceanus Britannicus inter Gallias & Britanniam inſulam, manicæ modo longus, rectus, & anguſtus: & inſula Britannia grandi angulo Rheni ora proſpicit, atque uno latere Galliæ Belgicæ, ac provinciæ Lugdunenſi ii. ac tertiæ adverſa eſt: cujus lateris extrema extremæ Britanniæ minori, nimirum Vxanti inſulæ, & promuntorio Gobæo vel S. Matthæi reſpondent. Oceanus igitur Britannicus, ſive mare Anglicum hinc Britanniam inſulam vel Angliam, inde Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, Picardiam, Nortmanniam, ac Britanniam minorem aut ciſmarinam alluit: & ad Oceanum Britannicum ſunt Gallorum populi, Batavi, Menapii,

Morini, apud quos fretum Gallicum, *fretum Morinûm* Gratio dictum, Ambiani, Caleti, & trans Sequanam Lexovii, Baiocaſſes, Conſtantienſes, Abrincatui, Dolenſes, Aletenſes, ac Oſiſmii. Claudius Ptolemæus ut Mellam ſequitur, ſic recedit à Plinio, & Gobæo promuntorio Oſiſmiorum ac tribus Rheni oſtiis Oceanum Britannicum terminari prodit. Oram Galliæ Oceano Britannico adſitam ſic Mella deſcribit. *Ab illis enim* (Oſiſmiis) *iterum ad Septemtriones frons litorum reſpicit, & longo rectoque tractu ad ripas Rheni amnis expanditur.* Partes Oceani Britannici ſunt *Fretum Gallicum*, vel *Fretum Morinûm*; *Fretum Britannicum* quibuſdam nuncupatum: tum *mare Rotomagenſe*, quo Sequana, Rotomagum provinciæ Lugdunenſis II. metropolim, Butilam *la Bouille*, Gemeticum, Caldebeccum, Guellebotum *Quillebeuf*, Tancredi villam *Tancarville*, Rupemque Riſelæ *Roque-de-Rille* præterlapſus, recipitur. Venantii Fortunati in libri VI. Carmine VII. de Geleſuintha Regina tale diſtichon eſt.

Pervenit, quà ſe piſcoſo Sequana fluctu
In mare fert juncto Rotomagenſe ſinu.

Mare Rotomagenſe vocavit Fortunatus ab urbe nobiliſſima partem Oceani Britannici circa oſtium Sequanæ, & qua Sequana paullo antè Rotomagum præterlapſus accipitur: ſicut Strabo *mare Narbonenſe* appellat mare Gallicum vel internum à Narbone clariſſima urbe, quæ XII millibus paſſuum à mari diſtat; liber MS. Chronographiæ ſeu diverſarum Hiſtoriarum *Narbonicum mare*: in quo libro Oceanus Britannicus nuncupatur *Oceani ſinus, qui maiorem dividit à minori Britanniam.* Oceani Britannici portio inter oſtia Sequanæ & Ligeris, *Armoricus Oceanus* ætate Auſonii vocabatur: cujus in epiſtola XIII. hic eſt verſus

Sunt &, Aremorici qui laudent oſtrea ponti.

Hic *Armoricus ſinus* in ſuprà laudata Chronographia nominatur. Nimirum Armorici Sequana & Ligere claudebantur.

In Oceanum Britannicum influunt Rhenus, Moſa, Scaldis, Agnio, Quantia, Alteia, Summina, Aucona, Eara, Deppa, Sequana, Diva, Olina, Viria, Seva & Senuna, Arduus, Rintius *Rance*, aliaque flumina. In eo Oceano ſunt inſulæ VValacria *VValcheren*, Vectis, *Guith* Britannis, Anglis *VVight* dicta, XX. millia paſſuum patens: Cæſarea *Gerſey*, & Sarmia aut Sarnia *Garnſey*: hæc X. parœciis conſtans, illa XII. ambæ quondam Epiſcopatus Conſtantienſis portio, & olim Francorum, nunc Anglorum Regi ſubjectæ, à Nortmannis & Brittonibus Francicâ linguâ utentibus habitatæ, ambæ Æthico memoratæ: Ebodia *Alderney*, à Paullo Langobardo celebrata, Sarniæ proxima, quæ vicum habet: Arme; & cautes eminentes veriùs quam inſulæ, Caſcatæ vel certè Cacatæ, numero circiter XIII. vulgò *Caſquettes* aut *Quaſquettes* dictæ: Liga, alias Iga apud Æthicum, *Ligon*: inſula Brehalia, *L'iſle de Brehal* aut *Brehat*; inſula Viridis *l'iſle Verte*; Septem inſulæ *les ſept Iſles* Noſtris nuncupatæ; Batha *iſle de Bas* Noſtris, Anglis *Baſepole* vocata: Andium ab Æthico aliiſque non omiſſum, vulgò *Andio*; Vxantis vel Axantos, *l'iſle d'Oüeſſant*, & Sena oræ Oſiſmicæ adverſa.

Sequitur Oceanus Aquitanicus, à Gobæo promuntorio ad Pyrenæos montes longè lateque diffuſus, ut Ptolemæo placet: licèt oſtio Ligeris & promuntorio Pyrenæi veteribus Aquitaniæ terminis propriè terminetur. Hunc Ptolemæus nunc *Aquitanicum Oceanum* Ἀκυϊτάνιον ὠκεανὸν, nunc *Aquitanicum ſinum* Ἀκυϊτανικὸν κόλπον appellat. Marcianus *Aquitanum Oceanum*, & *Aquitanium*, Ἀκυϊτανὸν ὠκεανὸν; *Aquitanicum ſinum* & Plinius in libri IV. capite XIX. *ſinum Aquitanicum* tabula Theodoſiana nuncupat. Iulius Honorius, Æthicus in Coſmographia, & Oroſius in libri I. capite II. Robertus, ac Gervaſius Tiſleberienſis ſcribunt *Aquitanicam provinciam à circio Oceanum habere, qui Aquitanicus ſinus dicitur.*

Ad ſinum Aquitanicum poſt Gobæum Oſiſmiorum promuntorium claros olim portus Vindanam & Brivatem ponit Ptolemæus. Ad eum ſinum ſunt populi Curioſolites, Veneti, atque Namnetes: tum Aquitanicæ Gentes Pictones, Santones, Bituriges Viviſci, Meduli, Boii, atque Tarbelli. Partes ſinûs Aquitanici ſunt *Pictonicus Oceanus*; & *Oceanus Santonicus* a Tibullo in Carmine ad Meſſallam memoratus: *Santonici ſali* & *Pictonici litoris* oſtrea laudat Auſonius. A Medulis *Medulicus Oceanus* nomen accepit, Auſonio in epiſtola VII. *Medulorum Oceanus* dictus.

Sed mihi præ cunctis ditiſſima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalenſia nomen, &c.

Extrema pars Aquitanici ſinus eſt *Oceanus Tarbellicus*, Auſonio in Parentalibus *Tarbellus Oceanus* appellatus.

Tarbellique furor perſtrepit Oceani.

Mella oram ſinus Aquitanici ita deſcribit. *Sequitur Galliæ latus alterum, cuius ora primò nihil progreſſa in altum,* (ſcilicet per Novempopulanam) *mox* (à Garumnæ nimirum oſtio) *tantumdem pene in pelagus excedens, quantum retro Hiſpania abſceſſerat, Cantabricis fit adverſa terris, & grandi circuitu inflexa, ad Occidentem litus advertit.* & iterum. *A Garumnæ exitu latus illud incipit terra procurrentis in pelagus, & ora Cantabricis adverſa litoribus, aliis aliiſque populis media eius habitantibus, ab Santonibus ad* Oſiſmios *uſque deflexa.* Hic *grandis circuitus* aut flexus *Cantabriæ* Occidentique *adverſus*, eſt in ora Britanniæ minoris, Curioſolites, Venetos, Namneteſque complexa. In ſinum Aquitanicum devolvuntur fluvii Blavitta vel Blavetum, Vicinonia, Liger, Separis, *Sevre Niortoiſe* vulgò dictus, Carantonus, Garumna, Leria, Atur aut Aturrus.

Sunt in ſinu Aquitanico inſulæ, Grana, *Grane*; Caput equi *Pen-mark*; *inſula complures Venetorum, quæ & Venetica appellantur*, ut ait Plinius, ſeptem majoris ſoli quam nominis, in quibus eminet Pulcra inſula *Belle-iſle*, à re cognominata, oſtio Ligeris adverſa; ceteræ incultæ ferè CC. Herius, à Nigro Monaſterio dicta *l'Iſle de Nermonſtier*, aliàs *Heys*: Oia; Radis *Ré*; *Vliarus* in Aquitanico ſinu, Plinio memorata inſula, Sidonio *Olario* nuncupata, *Oleron*: & ei adverſæ inſula *Aia*, vel *Agia*; *Iſle d'Ais*; Denepus *Denep*, Varenna *la*

Garanne, Oria *l'Iſle d'Oire*, & Inſulæ Medulicæ.

GALLIO.

In enumeratione militum Normanniæ Vexillariorum *Caſtellanus de Gallione* memoratur Principatu Philippi Aug. Francorum Regis : quod ſincerum eſt loci nomen. Videtur autem *Gallio* dictus eſſe à Gallione aliquo, qui caſtrum condiderit ac poſſederit. Gallionem porrò nomen viri proprium apud Romanos fuiſſe, nemo neſcit. Tamen *Caſtrum Gaillonis* vocat Rigordus in anno MCXCV. & VVillelmus Brito Armoricus *Gaillonem caſtrum* in libro V. Philippidos his verſibus,

> Nec multo poſt hæc Gaillonis cingere [illegible]
> Obſidione volens, ibat prope mœnia caſtri:
> Explorando vias, quibus adſcenſu leviori
> Difficilique minùs arcem penetrare valeret.
> Quem dominus caſtri ſumma de turre Cadocus
> Intuitus,

Ex his intelligitur Gallionem caſtrum celſo in loco poſitum fuiſſe. Idem in libro VII. *Gaillonis* meminit. In Chartulario Fiſcamnenſi *Gaillum* vocatur. Ibi enim invenio *Calducum Caſtellanum de Gaillum*, qui ſuprà à Brittone *Cadocus dominus caſtri Gaillonis* nuncupatur. Vulgò dicitur *Gaillon*, à Sequana II. millibus paſſuum diſtans, Cartuſienſium Monaſterio, & Rotomagenſium Antiſtitum domo nobilis, in Eburovicibus.

GAMAPIUM.

Gamapium & Sterpiniacum ſunt trans Ittam flumen in Veliocaſſibus, qui Normanni cognominantur. Audoënus in capite XXVII. libri I. de Vita S. Eligii Noviomagenſis Epiſcopi meminit Gamapii vici & Sterpiniaci villæ Regiæ ei proximæ his verbis. *Alio quoque tempore ſub laicali adhuc habitu carpebat iter cum pueris ſuis de villa Regali quæ vocatur Sterpiniacus. Cumque perveniſſet Gamapia vico*, (alias *Gamappie*,) *ingrediens ibi in Baſilicam, invenit quemdam pauperem claudum, pro foribus jacentem.* Gamapium vel Gamapius vicus ille eſt hodieque in Veliocaſſino pago inter Danguttum ac Sterpiniacum *Eſtrepigni*, nomenque vetus ſervat. Vocatur enim *Gamache*, p Latina in ch mutato : uti apium *ache* vocamus, ſuperu *roche*, prope *proche*, Attipiacum *Atichy*, Gamapiam *Gamache*, propinquum *prochain*, ſepiam *ſeche*, ſpinam dorſi *eſchine* dicimus. Hujus vici nomen multis in tabulis Geographicis corruptum reperi : in quibus ſcriptum legimus *Garnache* pro *Gamache*. Sunt & alia eodem nomine loca in Gallia, inprimis Gamapium ad Auciam vel Aucum flumen, inter Blangiacum & Aucum opida poſitum in pago Vimmaco, Diœceſique Ambianenſi, Marchiæ titulo illuſtre, *Gamache en Vimeu* Monſtreletio cognominatum, ut diſtinguatur à Gamapio Veliocaſſino, *Gamaches en Vexxin*.

Utriuſque Gamapii meminit Chronicon Fontanellenſe, Gamapii quidem in Veliocaſſibus capite II. ubi *Gamapium villam, quæ ſita eſt in pago Vilcaſino*, alias *Velocaſſino*, vocat : Gamapii verò in Caletis capite IX. quod *Gammapium villam pulcherrimam ſuper fluvio Sedanna* appellat non rectè, cùm à Sedana fluvio longè abſit, & ad ripam Auciæ vel Breſlæ ſit poſitum.

GANDA

Baudemundus, auctor libri de Vita S. Amandi Trajectenſis Epiſcopi, qui ex ejus diſcipulis & ſectatoribus pleraque ſe accepiſſe aſſerit, *Gandæ* primus mentionem facit *pagique Gandenſis* : aitque eum Gandenſes feroces ac barbaros, arborum ſimulacrorumque cultores, partim volentes, partim etiam petito à Rege commeatu invitos baptizaviſſe, & fano ſimulacroque Mercurii ſubverſo Monaſteriū Blandinium, à monte in quo ſitum eſt ita dictum, Petri A. Reliquiis illuſtre in caſtro veteri Gandæ; Marcianas ad Scarpum flumen, (*Marchiennes*) & Lutoſam à ſitu cognominatam (*Leuſe*) exſtruxiſſe. *Ganda* ad Scaldis & Lætiæ confluentes, vulgò incolis *Ghent*, noſtris *Gand* nuncupatur, Flandriæ caput, & ante annos CXIII. Epiſcopi ſedes. Audoënus in Vita B. Eligii libro II. *municipii Gandenſis* etiam circa ætatem Baudemundi meminit his verbis. *Hoc ergo modo aurificem inuſtum detonſum conſtituerunt cuſtodem urbium ſeu municipiorum his vocabulis : Vermandenſi ſcilicet, quæ eſt Metropolis urbs, Tornacenſi verò, quæ quondam Regalis exſtitit civitas, Noviomagenſi quoque, & Flandrenſi, Gandenſi etiam & Corturiacenſi.* Eginhardus in libro IV. de tranſlatione & Miraculis SS. Martyrum Marcellini & Petri ſcribit, *Monaſterium S. Bavonis ſitum eſſe juxta Scaldim in loco Ganda vocato, ubi idem amnis Legia flumini conjungitur.* Locus *Gand* ad Scaldim fluvium, item *locus Gant* in veteribus noſtris Annalibus dicitur, in rebus anni DCCCXI. Eginhardo in Annalibus, *locus qui Ganda vocatur.* Ibi S. Bavonis Monaſterium, quod à loco *Gandum Monaſterium*, & *Gandavum Monaſterium* Noſtri appellant. Ibi & Monaſterium à monte Blandinio *Blandinium* dictum. Rigordus *opidum opulentiſſimum Gandavum* vocat ; VVillelmus Brito etiam *Gandavum* ; incolas ejus *Gandavos*, & *Gandavios* nuncupat in libro II. Philippidos.

> Communia Gandaviorum,
> Turritis domibus, Gazis, & gente ſuperba,

Vicum Gandavum, ubi Legia & Scaldis flumina confluunt, vocat Lotharius Franc. Rex, ejus nominis ultimus, ambobus multo vetuſtior. Recentiores ſcriptores Latini, hos ſecuti, *Gandavum* quoque appellant.

Pagi Gandenſis fit mentio in quibuſdam litteris Caroli Calvi, qui *le Gantois* vocari poteſt, ut Gandenſes *les Gantois* dicuntur. Sunt tamen, qui Gandenſes appellant *Gandois* ; in his Olivarius de Marca : ut analogia ex *Gand Gandois* fieri jubet.

Comitatui Gandenſi fuere contributæ atque ſubjectæ cum tota VVaſa IV. villæ, opidorum nomine dignæ, *Quatuor Miniſteria* cognomi-

natæ, *les Quatre Meſtiers*, quòd Gandam pro domina haberent, eique parere conſueviſſent. Villarum nomina ſunt, *Aſneide* vulgò dicta *Aſneda*, Bocholtum *Bochout*, Axla *Axel*, Hulſta *Hulſt*. Pagus autem eſt in Flandria ad flumen Scaldim, VVaſa & VVaſda in priſcis tabulis appellatus, vulgò VVaſia, *VVaes*, aut *le pays de VVaes*.

Gandam porrò *in Bracbando* litteræ Caroli Magni; *in pago Brachbatenſi* litteræ Ludovici Pii Aug. etiam ſimiliter collocant, id eſt in pago Brachbanto. Ex quo cognoſcitur Flandriam non tam latè olim quam nunc patuiſſe: cùm Ganda quæ nunc Flandriæ urbs eſt clariſſima & maxima, caſtrum olim Bracbanti fuerit: quod Bracbantum ipſum minus erat, quàm Brabantia poſtea exſtitit.

Gordunos Nerviorum clientes, à I. Cæſare cum *Centronibus* in libro v. memoratos, Marlianus Gandenſes interpretatur, *les Gantois*: quos Samſon *Centrones* eſſe mavult. Utriuſque conjectura nulla ratione nititur, ſed ſola nominum ſimilitudine: ſi tamen aliqua *Gordunos* inter & *Gandenſes*, aut inter *Centrones* & eoſdem *Gandenſes* ſimilitudo poteſt obſervari in duabus tantùm aut III. litterulis.

GARGOGILUM.

Gargogilum vetus eſt ac nobile caſtrum ad Ligerim, in finibus Carnutum Diœceſique Aurelianenſi. Carolus Calvus & Hugo Reges Francorum in ſuis litteris, atque Leo PP. VI. in litteris anno III. Pontificatus ſui datis, petente Anſelmo Epiſcopo Aurelianenſi, inter res Eccleſiæ Aurelianenſis S. Crucis *Monaſterium S. Crucis Gargogilenſis* numerant. *Eccleſiam S. Verani Iargogilenſis*, necnon *caſtrum Gargogilenſe* memorant Eugenii PP. III. litteræ, datæ anno D.MCL. Pontificatûs ejus anno VI. *Gargogilum* igitur vel *Iargogilum* primò dictum eſt, deinde *Gargoilum* vel *Iargoilum*, ac poſtremò *Gargolium* vel *Iargolium*: ſicuti ex *Argentogilo Argentoilum* & *Argentolium*, ex *Vernogilo Vernoilum* & *Vernolium*, ex *Corboilo Corbolium* Noſtri ſcriptores fecere. Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodurenſium *caſtrum Iargolium* recentiore nomine appellat, ibique *Magdunum caſtrum*, *Pitueris caſtrum*, *& Iargolium ſuper Ligerim, tria eſſe caſtra Aurelianenſis Eccleſiæ* dicuntur. Qui Latinè nunc ſcribunt, *Iargolium* ſimiliter nuncupant. Vulgò vocatur *Iargeau*, g litterâ in i conversâ: ut de gaudio *joye*, de ganza vel ganta, id eſt anſere *jars* fecimus. Quædam tabulæ litteram g ſervant, ac *Gergeau* appellant. Si qua ratio veteris ejus nominis haberetur, Gargogilum aut Jargolium vocari deberet *Iargeuil* aut *Gergueuil*: ſicuti Argentolium *Argenteüil*, Vernolium *Verneüil*, Corboilum *Corbeuil* vel *Corbeil*, Nantolium *Nanteüil* nuncupamus o in eu mutato.

GARITES ET GARUMNI.

Garites ſolus Cæſar numerat inter Aquitaniæ ſuæ Gentes in libro III. & Eluſatibus atque Auſcis notiſſimis populis medios ac ignotos interponit: quos eſſe incolas Comitatûs Gaurenſis (*Comté de Gaure*) exiſtimat Samſon Geographus Regius, cùm propter aliquam amborum nominum ſimilitudinem, tum quia Comitatus Gaurenſis inter urbes Eluſam & Auguſtam Auſcorũ jacet Lactoram verſus, & Diœceſi Auſcenſi continetur; ſicuti Cæſar Garites ſuos inter Eluſates atque Auſcos collocavit: quos Marlianus tamen pro Lactoratibus accipere maluit. Gaura Comitatus inter Fidentiacenſem Comitatum & Leomanienſem Vicecomitatum ac agrum Condomienſem poſitus, opida habet, Florentiam novum municipium; Simpodium, *Sampui*; & Salvitatem, *la Sauvetat de Gaure*.

Garumnos in Commentario ſuprà laudato memorat & Cæſar ſolus, atque inter Auſcos & Sibutſates collocat. Hos Samſon Bituriges Viviſcos ſive Diœceſin Burdigalenſem interpretatur, propterea quòd Cæſar nullam faciat nec inter Celtas nec inter Aquitanos mentionem Biturigum Viviſcorum, Gentis nobiliſſimæ ad confluentem Durani & Garumnæ, & ad oſtium Garumnæ. Sed hæc ratio nulla eſt. Ego non ad oſtia ſed ad fontes Garumnæ *Garumnos* Cæſaris poni malim. Eſt in Convenarum finibus inter opida S. Bertrandi & S. Gaudentii, ad utramque fluminis Garumnæ ripam poſita regio, & inde dicta *Riparia*, *Riviere*, diviſa in ſuperiorem, & inferiorem, *Riviere Baſſe*, urbibus Monte Regali (*Montregeau*) & Valentiâ inſignis; cujus tractus incolas ſive Ripavienſes, Garumnæ naſcenti appoſitos, *Garumnorum* appellatione à Cæſare deſignari arbitror. Certè Riparia attingit fines Provinciæ Narbonenſis, quam Garumna ab Aquitania dividit: & Cæſar quum ait Sotiatibus, Vocatibus & Taruſatibus debellatis, Tarbellos, Bigerrones, Eluſates, Garites, Auſcos, Garumnos unà cum his ſe Craſſo dedidiſſe, obſideſque ultro miſiſſe, non ſitum ſervat, aut ordinem oppugnationis, quæ nulla fuit, ſed numerum tantùm init dedititiorum Aquitaniæ populorum.

GARUMNA FL.

Hic fluvius Straboni Γαρούνας, Ptolemæo Γαρούνα dicitur, id eſt *Garuna*: ex quibus Strabo Garumnam tribus auctum fluminibus, inter Bituriges Viviſcos & Santones effluere in Oceanum ſcribit. Tres fluvii præcipui & navigabiles qui Garumnâ recipiuntur, ſunt Tarnis, Olitis, atque Duranius. Garumnam optimè Albius Tibullus in Carmine ad Meſſallam *Magnum* cognominat.

Teſtis Arar, Rodanuſque celer, magnuſque
Garumna,
Carnuti & flavi cærula lympha Liger.

Ubi legendum exiſtimo mutatis II. litterulis

Teſtis Atur, Doranuſque celer.

Atur enim & Doranus vel Duranius cum Garumna & Ligere conveniunt Aquitaniæ, à Garumna quo Duranius accipitur ad Ligerim uſque Auguſti ordinatione promotæ: Arar & Rhodanus non conveniunt, cùm Aquitani ab Arari procul abſint, & Cebennæ obſtent ne Rhodani ripam attingant. *Magnus* inquam verè à Tibullo appellatur Garumna, cùm Fortunatus in libri I. Carmine XV. Pado eum ac Rheno etiam Danubioque comparandum putârit. Pomponius Mella in libri III. capite II.

Garumnæ ortum, curſumque & navigationem tam exactè deſcripſit, ut videatur ſecundo flumine navigaviſſe. In tabula Peutingeriana vocatur *fluvius Garunna*, Sidonio quoque *Garunna*, & VVillelmo Brittoni *Gerunna*: at in Itinerario Burdigalenſi *Garonna* his verbis. *Civitas Burdigala, ubi eſt fluvius Garonna, per quem facit mare Oceanum acceſſa & receſſa per leugas plus minus centum*: id eſt, per quem accedit Oceanus leugis centum: de quibus acceſſibus æſtuantis Oceani Mella, Auſonius, Claudianus, Sidoniuſque referunt. Gregorius quoque Turonenſis Epiſcopus, Eginhardus, Vita Ludovici Pii, Annales Metteuſes, ac Regino *Garonnam* nuncupant: Geſta Pippini Francorum Regis ab auctore æquali ſcripta *Garonnam* ſimiliter, alias *Geronnam*; veteres rerum Francicarum Annales nunc *Garonnam*, nunc *Garonam*; Iſidorus Pacenſis Epiſcopus in Chronico & *Garonam*; *Garomnam* Aimoinus; Hugo & Robertus Floriacenſes Monachi *Varumnam*; Noſtri *la Garonne*.

Joſephus Scaliger Garumnam *nomen integrum retinere* ſcribit *à capite ad Blaviam caſtrum*, ubi pro *Garonne* dici incipiat *Geronde* & *Gironde* uſque ad oſtium. Olivarius vero qui Mellam notis brevibus illuſtravit, ait *Garumnam nomen amittere paullo ante Burdigalam, eo loco ubi confluunt ipſe & Gerunda, & Gerundam dici*. Sed ambo falluntur. Nam nec à *Gerunda* fluvio imaginario, qui nuſquam ibi apparet ac reperitur, appellationem accipere Garumna potuit, ac *Gerunda* nuncupari: nec Garumna ad Blaviam aut circa Burdigalam incipit dici *Gerunda*, ſed ſupra Blaviam ipſamque Burdigalam, videlicet ad *Gerundam* vicum & ad Regulam. Gerunda (*Gironde*) vicus eſt ad Garumnæ & Drotii confluentes, Regulæ loco Monaſterioque proximus: quem *Garundam* olim dictum eſſe puto, & ab eo Garumnam *Garundam* primùm, deinde & *Gerundam* appellatum eſſe. Lurbæus quidem & Maſſonus negant Garumnam à vico iſto Gerunda, nomine mutato, *Gerundam* dici à Burdigala uſque ad Oceanum, & hunc *inſanum vulgi errorem* vocant ac irrident, irridendi ipſi. Quippe Symmachus in libri IX. epiſtola XXCIII. ad Auſonium Burdigalenſem ſcripta, Garumnam noſtrum quà Burdigalam alluit, *Garundam* jamtum ætate ſua vocatum eſſe docet, quum ait *præcepta Rhetoricæ pectori ſuo ſenem olim Garundæ alumnum immulſiſſe, & eſſe ſibi cum ſcholis ejus* (id eſt cum ſcholis Burdigalenſibus) *per Doctorem juſtam cognationem; & ſe auditorem quondam popularis ejus exſtitiſſe*. Annales quoq; Bertiniani in rebus anni DCCLXVII. & DCCLXVIII. *Garondam* nominant. Henricus Knigton qui de eventibus Angliæ ante annum MCCCC. ſcripſit, non Caſtellionem modò vicum in Medulis Garumnæ adſitum, ſed etiam Burdigalam Garundæ Gerundæve apponit his verbis. *Applicuerunt* (Angli) *in Vaſconia apud Caſtellon, quæ ſituatur in litore fluminis de Gerunde: dediteque ſe eis dominus urbis, & profecti ſunt uſque Burdeux.* (Burdigalam) *quæ diſtat per V. leucas ab urbe Blaive*, (Blavia) *manſeruntque in oppoſito civitatis illius in flumine de Gerunde per II. dies.* Noſtri Annales in rebus Philippi Pulchri Francorum Regis Reontium & Regulam, quæ ſunt caſtella Garumnæ appoſita, ad Gerundam collocant, vocantque alterum *Rions ſur Gironde*, alterum *la Reolle ſur Gironde*. Cùm igitur à Gerunda vico & Regula Garumna uſque ad oſtium pridem dicatur Gerunda: apparet Regulam, Gerundam, caſtellum S. Macarii, Alingonem *Lengon*, Catullacum *Cadillac*, Potentiacum vel Pudentiacum *Podenſac*, Reontium *Rions*, Burdigalam, Cantum Merulæ *Chantemerle*, Paulliacum, Caſtellionem, & Solliacum aut Solacum *Soulac*, necnon in ripa dextra vel Santonica Blaviam *Blaye*, Condate *Cone*, Tamnum *Mortagne* aut potiùs *Talmon*, Novioregum *Royan*, propriè ad Gerundam eſſe, & ea omnia loca propriè dici *ad Gerundam* poſita, impropriè *ad Garumnam*.

Mella ſcribit Garumnam *obviis Oceani exæſtuantis acceſſibus adaugeri, & quanto magis procedit, eo latiorem fieri: poſtremò magni freti ſimilem, non majora tantùm navigia tolerare, verùm etiam more pelagi ſævientis exſurgentem, jactare navigantes.* Non igitur mirum videri cuiquam debet, cùm Oceani æſtibus retroagatur, & *magni freti ſimilis* ſit, ac *more pelagi ſævientis exſurgat*, *Garumnam æquoreum* ab Auſonio in Moſella nuncupari, atque etiam à recentioribus *Mare* cognominari. Certè non Garumna ſolùm, ſed etiam Duranius, fluvius maximus, & æſtibus quoque obnoxius, mox eum aucturus, *Maria* ex æquo à Noſtris dicuntur, & ager ambobus fluminibus circumdatus à villa Reontio uſque ad Duranii & Garumnæ confluentes, *pagus inter duo maria* nuncupatur, *Pays d'entre deux mers.* Philippus Pulcher in litteris ſuis Garumnam, ſeu potiùs Gerundam *mare* appellat. *Boca Iala, ubi Iala cadit in mare dictum Gironda*: item *boca Eſterii, ubi Eſterium cadit in mare vocatum Gironda.* Iala autem vel Gala Garumnâ recipitur inter Burdigalam & Duranii ac Garumnæ confluentes. Similiter Henricus Knigton in libro III. de Eventibus Angliæ Burgum qui eſt ad Duranium, Garumnæ mox acceſſurum, *Burgum ſuper mare*, hoc eſt ſuper Duranium nominat. Anno MCCXCIII. *Ancoraverunt Angli cum tota claſſe ante Burgum ſuper mare, qui antiquitus dicebatur Mons Albani.* Vivebat autem Knigton ante annos CCLXX. In noſtris quoque Annalibus patriâ linguâ ſcriptis Burgum ad mare, *Bourg ſur mer* cognominatum reperire memini: ſicut à noſtris ſcriptoribus Monaſteriolum ad mare ſæpe cognominatur, *Monſtreuil ſur mer*, cùm tamen poſitum ſit ad Quantiam, qui infra Stapulas & Monaſterium S. Iudoci in Oceanum effluit, & apud Monaſteriolum æſtu maritimo augetur.

Non immerito & Mella ſuprà *latum & magni* demum *freti ſimilem* Garumnam facit, & Auſonius *lata fluenta Garumnæ* celebrat. Eſt enim ad Burdigalam latus Garumna paſſus ampliùs quadringentos, & poſt receptum Duranium multo latior. Mella in libri III. capite II. *Garumnam*, unaque *Sequanam* & *Rhenum*, *fluvios ingentes* vocat.

Garumna *Garumnis* nomen ſuum dedit: quos Cæſar in Commentario III. Auſcis & Cocoſatibus medios interponit, & qui Garumnam ex Pyrenæo delapſum primi vel inter primos vi-

dentur accoluiſſe, Gens Aquitaniæ Iulianæ ſeu Novempopulanæ provinciæ, ſoli Iulio Cæſari nota.

Oritur in Convenis Garumna, & ex Pyrenæo monte delapſus, alluit Caſtellum Leonis *Caſtel Lion*; opidum S. Beati, Montem Regalem *Montreal*, ad Nigellæ (*la Neſle*) & Garumnæ confluentes poſitum; ac Rupem fortem. Tum Salatum recipit *Sale*, amnem è Conſorannis & ex opido S. Licerii *S. Lezer* venientem. Pòſt Longâ augetur, *la Longe*, deinde etiam Areiâ vel Aregiâ, *l'Ariege* aut *l'Arieze*: qui à nonnullis corruptè *l'Aurege*, & Latinè *Aurigera* dicitur, ac Taraſconem *Terraſcon*, Fuxum *Foix*, Rivos *Rieux*, Apamiam *Pamies*, Savardunum caſtrum, opidum S. Gavellæ, & Altam ripam præterlapſus, cōtra Rupes *Roqs* accedit Garumnæ: qui mox Toloſam Volcarum Tectoſagum, Granatam, & Virdunum attingit, & Caſtellum Saracenum; atque ad opidum Muſciacum Monaſterio veteri illuſtre (*Moiſſac*) Tarnem accipit, ac paullo pòſt Ægircium vel Egirtium, *Gers* vulgò vel *l'Egers* dictum, ex Auguſta Auſcorum & Florentia Lacturaque venientem. Inde Valentiam, Aginnum Nitiobrigum, Portumque, & Aquinonem *Aiguillon*, ubi Oltem admittit navigabilem fluvium, Tonantii villam *Tonnens* vel *Tonins*, Manſum Aginnenſium *le Mas d'Agenois*, Marmandam, Regulam *la Reole*, Gerundam *Gironde* præterlabitur. Ad Gerundam vicum Drotius *le Drot* in Garumnam defluit. Aimoinus in Vita Abbonis Floriacenſis Abbatis ait, inter *Dornoniam* fluvium & *Monaſterium Regula Arot ſeu Codrot torrentem* aut *fluviolum* occurrere: qui *Arot ſeu Codrot torrens aut fluviolus*, debet eſſe *le Drot*. *Dragunum* Scaliger vocat, & eo Nitiobriges à Petrocoriis dividi tradit. Alluit Drotius Caput Drotii *Capdrot*, Bironem, Villam Regalem *Villereal*, Caſtelliones *Caſtillones*, Salvitatem *la Salvetat*, Duratium *Duras*, Montemſecurum *Montſegur*, & inter Gerundam & *Caudrot* vicos in Garumnam devoluitur. Apud Aimoinum legendum videtur *Drot ſeu Codrot torrens*: ſtaut *Drot* ſit nomen fluvii; *Codrot* appellatio vici ad ejus oſtium poſiti, & ita dicti quaſi Cauda Drotii: quæ duo, nimirum flumen & vicum Aimoinus in unum confudit. Tot auctus aquis Garumna alluit caſtrum S. Macarii *S. Macari*, Alingonem *Langon* vel *Alengon*, & Sirionem vel Serionem *Barſac*, ad Sirionis *le Siron* & Garumnæ confluentes ſitum, ab eoque fluviolo haud dubiè cognominatum. Inter Burdigalam & Uſſubium vel Veſubium *Sirionem* aut Serionem ſtatuunt Æthicus & tabula Theodoſiana, à Burdigala xv. ab Uſſubio xx. millibus paſſuum diſtantem. Itinerarium Burdigalenſe *Sirionem* collocat inter *civitatem Burdigalam* & *Vaſatas*. Sequuntur ad ripas Garumnæ Potentiacum *Podinſac*, Reontium *Rions*, Burdigala Biturigum Viviſcorum, infra quam Gala amniculus *la Ialle* decurrit, moxque Duranius accedit Garumnæ, omnium fluviorum qui in eum devoluuntur maximus. Garumnæ ad Oceanum properanti adſident Cantus Merulæ *Chantemerle*, Paulliacus villa Auſonio celebrata *Paulliac*; Caſtellio in Medulis *Caſtillon*, Solliacum *Soulac* in ſiniſtra ripa; in dextra Santonicave Blavia *Blaye*, Burdigalenſis Diœceſeos, Condate *Coſne*, Tamnum *Mortaigne*, aut potiùs *Talmon*, Novioregum *Royan*; quæ IV. loca ſunt Santonum. In ejus oſtio tres ſunt paſſus graduſve, navigantibus noti, nimirum paſſus Arenoſus *le pas de Grave*; paſſus Aſinorum *le pas des Aſnes*; & Foramen Malidumi *le Pertuis de Maubuſſon*, aliàs tranſitus Malmuſſonenſis ſive malæ latebræ, *le paſſage de Maumuſſon*. Medio in oſtio quod os Garumnæ vocitant, *la bouche de Garone*, ſcopulo cuidam inſidet turris admirandi operis, à Rege Chriſtianiſſimo Ludovico Adeodato ſemper Auguſto refecta magnificentiſſimè ac reſtituta, cum Latina inſcriptione, qualis à nobis me & fratre meo conſcripta eſt. Heic noctu ignis accenſus Garumnam intrantibus egredientibuſque allucet, & navigantium dirigit curſum: ut olim in inſula Pharo Alexandriæ adjacente, in urbe Callæciæ Brigantio vel Brigantia, quam Plinius & Ptolemæus Flaviobrigam, recentiores Compoſtellam vocant, in Morinorum urbe Geſoriaco vel Bononia factum eſſe novimus. Turris autem hæc *la Tour de Cordan* nuncupatur, hoc eſt turris Cordubenſis vel Cordubana: quod vetus ejus nomen fuiſſe arbitror, quoniam ea ex ſpecula procul deſpiciebatur & latè accolis ſignificabatur adventus Saracenorum Hiſpanienſium, maria noſtra oraſque furtivis prædationibus infeſtantium, quorum Reges Cordubæ ſedem habebant. Fluvium Garumnam currere millia CCVII. ait Æthicus in Coſmographia.

Garumna Aquitanos à Celtis primùm diremit; deinde provincias Narbonenſem primam & Aquitanicam ſecundam à provincia Novempopulana ſeu Aquitania III. diviſit.

GASNAPIA.

In litteris G. Militis ad Henricum Anglorum Regē ante annos D. ſcriptis *Gaſnapia* fit mentio. *Comes Nannetenſis iram ſuam graviſſimè mihi oſtendit. Siquidem Petrum de Gaſnapia, proditorem utique ſummum, adverſum me ſuſtentat.* *Petrum de Gaſnapia* idem memorat in epiſtola ad Conanum Britannorum Ducem, & ad B. amicum ſuum. Gaſnapia vulgò dicitur *la Ganache*, p in ch converſo, uti Gamapium *Gamache*, apium *ache*. Locus eſt in Pictonibus inter Montem acutum & Bellumvidere ad mare.

GAVARCIACVM.

Regis prædium Gavarciacum vocat Vulfinus Boëthius, qui de Vita S. Iuniani Imperatore Ludovico Pio libellum compoſuit; & *Fiſcum Regis Gavarciacum* in pago Pictavenſi: ex quo intelligitur eam villam Regiam ſeu Fiſcalem fuiſſe, quales villæ propterea quòd ad Fiſcum pertinebant, ſæpe à noſtris ſcriptoribus *Fiſci* appellabantur. Vulgò nunc vocatur *Iavarçay*, g in i converſo: uti de gaudio *joye*, de ganza *jars* fecimus, de S. Gengulfo *S. Iangou*, de Gargogilo *Iargeau*, de Gabrone *Iauron*.

GAVERA.

Gavera caſtellum in Flandria vetus eſt, & in priſcis tabulis ſæpe memoratur, vulgò *Gaure*.

GELDONIA.

In veteribus tabulis ante annos ferè quingentos datis *Geldonia* & à Latinis ſcriptoribus dicitur, quæ vulgò Flandrenſibus *Geldenaken* aut *Geldernaken*; *Iodoigne* verò Noſtris vel *Iudoigne*, urbs vel municipium Brabantiæ Gallicæ. Haud procul ab eo opido Monaſterium Orpenſe extruxiſſe dicitur Alpais, mater Caroli Martelli, eoque ſeſe ad expiandam B. Landeberti cædem incluſiſſe, ubi obierit, ac in Baſilica loci ſepulta ſit. Vulgò *Orp le Grand* vocatur. Addunt quidam, Alpaidem in vico Antio (*Ans*) Leodico proximo natam eſſe: Monaſteriumque alterum in loco Hugardis condidiſſe. Hugardæ autem, vulgò *Hugarden*, vicus eſt proximus Geldoniæ.

GELDVBA, ET GELRA.

Geldubam Plinius commemorat in libri XIX. capite V. his verbis. *Siſer & ipſum Tiberius Princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis à Germania. Gelduba vocatur caſtellum Rheno impoſitum, ubi generoſitas præcipua: ex quo apparet frigidis locis convenire.* Commemorat & Tacitus, inter *Noveſium* & *Gugernorum pagos*: Æthicus quoque ponit inter Noveſium & Calonem *Geldubam*, cui *legionis* IX. *ala* præſideret. Ioſias Simlerus qui Æthicum ſcholiis illuſtravit, *Gelb* ad Rhenum exponit, ſeu *Gelb am Rheyn*. Idem facit A. Miræus. Cluverius quoque *Geldubam* ait eſſe vicum nomine *Geldub*, ad ripam Rheni poſitum nono lapide infra Noveſium, arguitque eos, qui *Gelram* caput Gelriæ eſſe putaverunt: & meritò arguit. *Geldubam* enim *caſtellum* fuiſſe *in* provincia inferiore *Germania* ſeu Germania ſecunda, ad Rheni fluminis ripam poſitum, ſupra docet apertiſſimè Plinius: *Gelra* verò, caput Ducatûs Gelriæ, poſita eſt ad amnem Nerſam, vulgò *Neers* dictum, qui in Moſam effunditur; & nunc *Gelre*, nunc *Gelra* nuncupatur. *Comes de Gelre* in litteris Friderici I. Imper. datis anno MCLVII. memoratur; in litteris anni MCXLV. nunc *Comes de Gelre*, nunc *Comes de Gelra*; *Gerardus Comes Gelrenſis* in litteris anni MCCXVIII. Germani *Gelre* aut *Gelder* opidum hoc Ducale vocant, Noſtri *Gueldres*; Gelriam, ſeu totum agrum Gelræ opido ſubjectum, Ducatumve Gelrenſem, *Geldre* aut *Gueldres*, incolaſque Gelrenſes, *Gueldrois*.

Chronicon Hildensheimenſe ab anno DCCXIV. ad annum MCXXXVII. deductum in anno MCVI. de Colonienſibus & Geldunis pro Heinrico ejus nominis tertio Imperatore adverſus Heinricum ipſius filium pugnantibus ſic refert. *Colonienſes ut boni milites ſtabant imperterriti, fortiter ei reſiſtentes, & ſtrenuiſſimè decertantes; & quoddam genus hominum qui vocantur Gelduni, quos Dux Heinricus eis in auxilium miſerat, viri bellatores & ſtrenui, & nimis docti ad prælia.* Hi *Gelduni* ſunt omnino Gelrenſes, infra Coloniam ſiti: quos *Geldunos* pro Geldubenſes auctor Chronici corruptè vocavit, ratus Geldubam & Gelram unam eamdemque rem eſſe.

GELLO.

Gello locus eſt non obſcuro Monaſterio clarus ad flumen Araurim, ab urbe Leuteva cui contribuitur II. leugis diſtans. Ardo, qui & Smaragdus, de Vita Benedicti Abbatis, magiſtri ſui libellum compoſuit. Huic libello præfixa eſt epiſtola Monachorum Indæ ad Ardonem, ipſum ad ſcribendum hortantium: qua in epiſtola affirmant, Benedictum duodecim Monaſteria, inprimis *Anianam* & *Gellonem* rexiſſe juſſu Imperatoris Ludovici Pii. Loci ergo in quo ſitum erat, nomine donatum eſt illud Cœnobium ex more, & dictum eſt *Gello*, ac *Gellonenſe Monaſterium*, nonnumquam à ſitu & *Vallis Gellonis*. Nunc *S. Guillelmi deſertum* nuncupatur, aut *S. Guillelmi in deſerto*, vulgò *S. Guillem le Deſert*, à Guillelmo Caroli Magni Comite conditore, qui anno DCCCVI. ibi ex Comite Monachus, ex divite pauper factus eſt: uti ſcribit Ardo, qui & *Vallem Gellonis* nuncupat, & *à Benedicti Abbatis Monaſterio* Aniano aut Aniana, Aniano amni adpoſito, *ferè IV. millibus diſtare* ait: locum amœnum quidem eſſe vineis, hortis, arboribus; ſed undique cinctum celſiſſimis montibus, ac *ita ſecretum eſſe, ut ſolitudinem non deſideret habitator.* Ex quo apparet, non ſine cauſſa Monaſterium hoc cognominari *S. Guillelmi in Deſerto*.

GEMETICVM.

Gemeticum, aliis *Gemedium* & *Gemiticum* dictum, *Gemiege* vulgò vel *Iumiege*, locus eſt in pago Rotomagenſi ad ripam fl. Sequanæ: quem cùm Filibertus à Chlodoveo juniore Francorum Rege petiiſſet ac obtinuiſſet, nobile ibi permiſſu ejus Monaſterium ædificavit octingentorum Monachorum, quinque partim baſilicas partim oratoria complexum, ac mœnibus quadratis turritiſque cinctum. Dudo *Gemegias*; quidam *Gimeſias*; Recentiores Cœnobium S. Petri *de Gemellis* mendosè appellant. Monachus quidam Gallus de Vita S. Vvandregiſili Abbatis, cujus æqualis fuit, librum compoſuit, in quo *eremi Gemeticenſis* & Fontanellæ Monaſterii, ibi à Vvandregiſilo conditi mentionem fecit. Certè utrumque Monaſterium, cùm Gemeticum, tum Fontanella eſt hodieque in ſaltu eremove Gemeticenſi, quam Sequana ferè totam cingit ac peninſulam facit.

GEMINIACVM.

Geminiacum haud dubiè à Gemino loci conditore vel domino nomen accepit. *Geminiacum* memorat Æthicus in itinere à Caſtello Coloniam, & inter *Vodgoriacum* (*Vuodray*) ac *Perniciacum* ponit, à Vodgoriaco X. à Perniciaco XXII. millibus paſſuum diſtans. Tabula Theodoſiana, quæ & Peutingeriana, *Geminicum vicum* corruptè pro *Geminiaco* nuncupat, & *Vogodorgiaco* ſicut Æthicus ac *Pernaco* ſive Perniciaco medium interponit. A Geminiaco nomen accepere *Geminiacenſes* in Notitia Imperii Romani, Magiſtro peditum ſubjecti: & ibidem inter legiones Comitatenſes XXXII. *Cortoriacenſes* XXII. *Geminiacenſes* XXIII. locum tenent *intra Gallias cum V. I. Magiſtro equitum Galliarum*: *Germaniacenſes* in quibuſdam Notitiis editis mendosè dicti, *Geminacenſes* in ſcriptis pro Geminiacenſes.

Ex Geminiaco recentiores ſcriptores fecere *Gemelacum*, i in e & n in l ex more converſis, ac ſæpe geminatâ m litterâ *Gemmelacum*; ac demum euphoniæ cauſsâ in locum e poſterioris ſubſtitutâ b litterâ, pro *Gemelaco* dixere *Gemblacum*. Locus eſt in Bracbanto vel Brabantia, vulgò dictus *Geblou*, *Gemblours*, aut *Gemblou*, Tungricanæ ſive Leodicenſis Diœceſeos finibus incluſus, illuſtris Monaſterio, quod à loco nunc *Gemmelacum*, nunc ſed rariùs *Gemblacum Monaſterium* Sigebertus Geminiacenſis Monachus appellat in Chronico. Idem auctor eſt Vvicbertum inter Nobiles Lotharienſes clarum anno DCCCCXXI. *Gemmelacenſe Cœnobium fundaviſſe*; Monaſterium *Gembolium*, vel potius *Gemblosium* dictum Gaufrido in Miraculis S. Bernardi. *Perniciacum* autem apud Æthicum, & *Pernacum* in tabula Theodoſiana, locum Geminiaco vicinum, in *Perviciacum* ſine cauſa mutat Cluverius, & *Pervis* exponit, inter Geminiacum & Aduacam Tungrorum vicum Brabantiæ Gallicæ. At apud Æthicum Perniciacum à Geminiaco XXII. millia paſſum abeſt, ab Aduaca Tungrorum XIIII. tantummodò: quæ diſtantia minimè convenit *Pervis* vel *Pervves* vico, qui Geminiaco quidem vel Gemblaco proximus eſt, ab Aduaca verò plurimum diſtat.

GENABVM CARNVTVM SEV AVRELIANI.

Iulius Cæſar in libro VII. Commentariorum belli Gallici *Genabin* vocat, *&* *cives Romanos negotiandi cauſsâ ibi conſtitiſſe*, ac *C. Fuſium Cottam Equitem Romanum rei frumentaria ſuo juſſu præfuiſſe* ſcribit. Idem eodem in libro *Genabum Carnutum* appellat, incolaſque *Genabenſes*: & *opidum* (inquit) *Genabum pons anguſtus fluminis Ligeris contingebat*: quod opidanis noctu fugientibus direptum à Cæſarianis atque incenſum. Anno inſequenti, belli Gallici VIII. *Cæſar in opido Carnutum Genabo caſtra poſuit, & C. Trebonium cum duabus legionibus in hibernis Genabi collocavit*, quemadmodum Hirtius tradit. Strabo eſt auctor, ferè ad medium fluminis Ligeris curſum conditum eſſe Genabum emporium Carnutum, quod Liger præterfluat, Γήναβον τὸ τῶν Καρνούτων ἐμπόριον. Claudius Ptolemæus duas urbes Carnutum memorat, primam Autricum caput Gentis, cujus nunc appellatione cenſetur; alteram *Cenabum*, Κήναβον. Æthicus in Itinerario provinciarum, in itinere ab Auguſtoduno Lutiam *Canabum* appellat pro *Cenabum*: atque ita in omnibus veteribus codicibus Æthici ſcriptum reperitur. In tabula Theodoſiana vel Peutingeriana rectiùs *Cenabum* dicitur, ſicuti apud Ptolemæum & in priſcis Hirtii exemplaribus: *Cenabum* inquam prope *Belcam*, ut apud Æthicum *Canabum* inter *Beleam* vel potiùs *Belcam* & *Salioclitam* medium ponitur. Oroſius in libro VI. *Cenapum* nuncupat b in p mutato; Hiſtoria Miſcella MS. *Cenapum*, ac *Cenapium*; alii *Genapum*. Inter verſus Lucano ſubjectos iſte eſt notiſſimus,

Inclyta Cæſareis Genabos diſſolvitur alis.

Qui verſus poetæ mediocris recentioriſque ac parum docti videtur eſſe. Nam Genabum is feminini generis facit, quod ſuprà Græci præ ceteris Geographi neutro genere donavere: & primam Genabi ſyllabam corripit, quam iidem docent longam eſſe oportere, cùm per η efferunt, non per ε, Γήναβον, Κήναβον. Denique quis umquam Latinæ linguæ gnarus dixit præſidio militari *diſſolvi*, *diſſolvi* hoſtili exercitu, aut hibernis, pro levari, exonerari, liberari præſidio, exercitu vel hibernis? Exiſtimo autem Cenabum primò dictum eſſe, quod poſtea in Genabum tranſierit: ut ex Cebenna Gebenna facta, ex Andecavis Andegavi. Genabum videtur & vocari poſſe opidum Brabantiæ ſeu Lotharingiæ inferioris, (*Lothier*) *Gennep* aut *Genepe* vulgò nuncupatum.

Genabum aut Cenabum poſtea nomen mutavit, & ab Aureliano Aug. reſtitutore ſuo *Aurelianorum* appellationem accepit. In priſcis notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ, quarum vetuſtiſſima Honorii Aug. principatu deſcripta eſt, *civitas Aurelianorum* nuncupatur, & in provincia Lugdunenſi Senonia vel IV. ponitur quinta numero civitas ante Pariſios ac Meldos. Sidonio in epiſtola XV. libri VIII. & in Conciliis ſub filiis Chlodovei ibidem habitis, Gregorio etiam nonnumquam ac Audoëno *Aurelianenſis urbs*; eidem Gregorio, & in Capitulis Caroli Magni *Aurelianenſis civitas*; Thegano *Aurelianenſium civitas* dicitur. At à Iordane qui Iuſtiniano imperante floruit, vocatur *Aureliana civitas Galliæ*. item *Aureliana civitas* in Vita Ludovici Pii: ſimiliter Glabro Rodulfo & Helgaldo *urbs Aureliana Galliarum* Nonnulli, inprimis Rorico Monachus in libro IV. & ſcriptor Vitæ Eucherii Aurelianenſis Epiſcopi *urbem Aureliam*, & abſolutè *Aureliam* appellant, truncato haud dubiè nomine. Alioquin credere nos oporteret non ab Aureliano Aug. ſed ab Imperatore M. Aurelio Antonino cognominatam eam eſſe. Secutus eſt nihilominùs Roriconem Maſſonus, & *Aureliam urbem Carnutum ad Ligerim* vocavit. Quem præter ceterós à Ioſepho Scaligero deſignari & irrideri in Notitia Galliæ exiſtimo his verbis. *Genabum Aurelianorum ineptè vocant Aureliam*. Gregorius Turonicus Epiſcopus, Hiſtoricorum noſtrorum princeps, plerumque urbem ipſam ſincero vocabulo appellat *Aurelianos*, & incolas ejus atque adeò totius pagi Aurelianenſis, *Aurelianenſes*: nonnumquam nomine indeclinabili *Aurelianis*, ſicuti Marius, Fredegarius, plurimique alii. Nonnulli *Aurilianos*, & *Aurilianis* corruptè nuncupant; Vulgò *Orleans*. In veteribus nummis Regum noſtrorum *Aurilianis civita* ſæpiùs legimus, quàm *Aurelianis civi.* vel *civita*, aut *Aurelianis fit*.

Glaber Rodulfus in libri II. capite V. de nominis Aurelianorum origine in libri II. capite V. ſic refert. *Ex Ligere quippe ſibi congruo etiam flumine agnomen habet inditum, diciturque Aureliana quaſi oraligeriana, quòd in ora ejuſdem fluminis ripa ſit conſtituta: non ut quidam minùs cauti exiſtimant, ab Aureliano Aug. quaſi eam ipſe ædificaverit ſic vocatam. Quin potiùs ab amne ut diximus, quod rectius veriuſque illi congruit.* Ridiculum eſt Aurelianos ab ora, aut etiam ab aura Ligeris deducere, & omnibus analogiæ regulis contrarium. Itaque malo *minùs cautis*

minuſque Glabro ingenioſis accedere, qui ut ipſemet teſtatur, Aurelianos ab Aureliano Aug. conditore cognominatos exiſtimaverunt, idque ante annos ſexcentos perſuaſiſſimum ac velut per manus à majoribus ſuis traditum habuerunt. Nomen ipſum urbis quod uſque ad noſtram ætatem pervenit, certiſſimum rei argumentum, & vel unum ac ſolum mihi inſtar eſt cujuſvis auctoritatis. Quamquam Aurelianum fuiſſe tantæ urbis reſtitutorem potiuſquàm conditorem puto, & maximum Principem magnumque ædificatorem, poſt Germanos Galliâ expulſos & cæſas in campis Catalaunicis Tetrici legiones, Genabum Carnutum operibus ornaviſſe, auxiſſe incolis, muris, ædificiis, immunitatibus, ac depoſito veteri nomine Gallico, à ſe Aurelianos dici voluiſſe: uti veteres teſte Gregorio referunt caſtrum Divionem ab eodem Imperatore fuiſſe ædificatum. Certè nuſquam reperio, Genabum Carnutum dirutum eſſe aut æquatum ſolo, ita ut ab Aureliano Aug. ejus in veſtigiis nova urbs ædificanda fuerit, & novo Latinoque ac Imperatorio nomine honoranda.

Genabum autem Carnutum & Aurelianos unam eamdemque urbem eſſe, docet Cæſar ipſe, uti ait Ioſ. Scaliger; docet Æthicus in Itinerario, iter à Genabo vel Cenabo quod *Canabum* vocat, per Salioclitā Luticiam milium paſſuum XLVIII. faciens: docet diſertis verbis Aimoinus, qui ante annos XL. atque ſexcentos regnante apud Francos Rotberto floruit, & de Galliæ Celticæ claris urbibus ita refert. *Vrbes in ea multæ ac opulentæ. Sed ex his præcipuæ ſunt noſtroque ævo plus cognitæ, Lugdunum, Carnotum, Gennabus ubi nunc Aurelianis.* Aimoinum Floriacenſem Monachum ſequitur Hugo ejuſdem Cœnobii Monachus in Hiſtoria Eccleſiaſtica quam anno MCIX. compoſuit. *Urbes* (inquit) *in Lugdunenſi provincia multæ & opulentæ: Lugdunum, Senonis, Carnotum, Gennabus quæ & Aurelianis.* Corruptè *Gennabum* ambo dixere pro *Genabo*. Utrumque imitatur Robertus Gaguinus in libro I. Hiſtoriæ Francicæ, qui *Aurelianum Genabum olim dictum* eſſe affirmavit ante annos CXXC. Quos ſecutus Maſſonus in Notitia Epiſcopatuum Franciæ, *Aurelia* (inquit) *urbs Carnutum ad Ligerim, ubi Genabus fuit. Sidonius in epiſtolis Aurelianenſem urbem primus dixit.* At ante Sidonium tamen *civitatem Aurelianorum* Notitia civitatum Galliæ Honorio Imperante deſcripta nuncupaverat. Joſephus Scaliger in Notitia Galliæ Genabum quidem & Aurelianos eamdem urbem facit: ſed cùm Maſſonum alioſque ſcriptores irrideat, qui *Aureliam* appellavere, ipſe novo more *Genabum Aurelianorum* vocat, quod Genabum Carnutum, aut *Aurelianos urbemve Aurelianorum* debuit nuncupare. *Genabum* (ait) *Aurelianorum*, Orleans. *Inepti vocant Aureliam. Temporibus C. Cæſaris hæc urbs Carnutibus accenſebatur, & Autrico parebat.* Hæc Scaliger de Genabo Carnutum Autrico ſubjecto à Ptolemæo mutuatus eſt: & in diſcuſſione quorumdam locorum in Commentariis Cæſaris, adjecit quæ ſubjiciam. *Genabum qui negant Aurelianenſium urbem eſſe, habent oppoſita veri veſtigia apud Cæſarem, & multa alia argumenta. Nam quo nomine vocandi ſunt, qui Gian eſſe putant?* Stultos vocat Scaliger Paradinum, Vigenerium, & alios, qui levi aliqua ſimilitudine nominis adducti, Genabum credunt eſſe Giemacum *Gien*: quod falſum eſſe ante annos ampliùs XX. obſervavi, cùm animadverterem Genabum ſine dubitatione opidum eſſe Carnutum; Giemacum autem in Autiſſiodurenſi Diœceſi, hoc eſt in Senonum finibus poſitum. Quare Nicolaus Samſon Aimoinum, Hugonem, Scaligerumque, ac ceteros doctiores Geographos ſequitur minimè nominatos, negatque Genabum eſſe poſſe Giemacum, propterea quòd cùm veterum Carnutum finibus duæ tantùm Diœceſes ſed magnæ contineantur, nimirum Autricenſis & Aurelianenſis; veterum Senonum finibus duæ ſimiliter Diœceſes, Agedincenſis & Autiſſiodurenſis: Giemacum nec Autricenſis nec Aurelianenſis eſt Diœceſeos, ſed Autiſſiodurenſis, ac proinde non in Carnutibus ſed in Senonibus eſt poſitum: ita ut Genabum haberi nequeat, quod Julius Cæſar, Strabo atque Ptolemæus opidum emporiumque Carnutum appellaverunt. Adde, quod Æthicus in Itinerario *Canabum*, id eſt Genabum ſeu Cenabum inter Luticiam & Bribodorum ponit, à Bribodoro XXXVII. millibus paſſuum diſtans, à Luticia XLVIII. tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana Cenabum inter Cæſarodunum & Brivodurum vel Bribodorum: qui ſitus cum menſuris itinerum conjunctus docet, Genabum in Aurelianos cadere; Giemaco minimè convenire: quod opidulum a noſtris ſcriptoribus non aliter quàm Giemum ac Giemacum dictum eſſe conſtat. Nam ætate patrum noſtrorũ habitatores loci, ut patriæ ſuæ nomen Genabi vindicarent, ejus ſuburbano Genabiæ nomen impoſuere. (*Genabie*) Quòd ſi quis miretur Genabum à Lutecia XLVIII. tantùm millia paſſuum abeſſe: miretur idem apud eumdem Æthicum à Durocortoro Divodurum milliaribus modò LXII. diſtare, à Rotomago Luteciam XLVI. cùm à Lutecia Rotomagum, & Genabum ſeu Aurelianos XXX. nunc leugæ numerentur. Sed mirari deſinet, poſtquam intellexerit apud ſcriptores Romanos Romanis milliariis, quæ noſtris utique multo majora erant, itinera metiri oportere: & mille ac quingentorum paſſuum ſeu unius tantùm ſeſquimiliaris Romani fuiſſe tum leugam Gallicam per Celticam & Belgicam: quales nunc minores leugas noſtras eiſdem in regionibus haberi conveniat. Aimoino & Hugoni de Genabo ſeu Aurelianis accedit tertius Ægidius Pariſiacus, qui opus Carolinum inſcriptum anno circiter MCXCVIII. in V. libros diviſit,

> Obvius adveniens urbem, cui Genabus olim
> Nomen erat, noto quod deinde receſſit ab uſu,
> Diverſumque illi nunc Aurelianis habetur:
> Heic ſtetit, à Karolo lætè occurrente receptus.

Mortuo Chlodoveo, inter ejus filios diviſa Francia, & ex uno quatuor Regna ſunt facta. *Sortitus eſt ſedem Thendericus Mettis, Chlodomeres Aurelianis, Childebertus Pariſius, & Chlotharius Sueſſionis*: ut Fredegarius ſcribit in libri IV. Chronici capite XXX. & in capite LV. de diviſione regni Chlotharii inter IV. ejus filios ita refert. *Dedit ſors Chariberto regnum Childeberti,*

Pariſiis ſedem habens; Guntramno regnum Chlodemeris, ſedem habens Aurelianis: Chilperico regnum Chlotharii patris ejus, cathedram habens Sueſſiones: Sigiberto regnum Theuderici, ſedem habens Mettis. Idem in libri v Chronici capite XVI. E Childeberti filiis *Theudebertus ſortitus eſt Auſter, ſedem habens Mettenſem: Theudericus accepit Regnum Guntramni in Burgundia, ſedem habens Aurelianis. Sedem* autem vel *cathedram* appellat Fredegarius caput Regni: ut in capite LXIV. *Conſtantinopolim ſedem Imperii.* Sed Chlodomeres anno regni XIII. Chriſti DXXIV. Iuſtino II. & Opilione Coſſ. Indictione II. à Burgundionibus eſt interfectus, regnumque ejus Childebertus & Chlotharius jugulatis fratris filiis inter ſe diviſere. Itaque Regnum Aurelianenſe non ampliùs annis XIII. duravit, & in Chlodomere Francorum Rege cœpit ac deſiit; & Aureliani unius tantùm Regis ſedes aut Regia, caputque regni cognominis per annos ſolummodò XIII. fuit. Quippe Guntchramnus unus è IV. Chlotharii Magni filiis & ſucceſſoribus, cui patre mortuo Regnum Chlodomeris ſorte obveniſſe, & qui exemplo patrui Aurelianos Regiam habuiſſe dicitur, cum tota Burgundia Aurelianos & Regni Chlodomeris partem tantùm obtinuit, & poſthabitis Aurelianis, Cabillonum Æduorum in Burgundia Regiam delegit, Regnumque ejus totum à majore & potiore parte dictum eſt Burgundia. Cabillonum ſedes regia fuit regnantibus in Burgundia Guntchramno ac Theodorico Childeberti filio per annos XLVIII. quo mortuo anno DCXII. Chlotharius, Chlotharii majoris ex Chilperico filio nepos, Neuſtriæ ſuæ Burgundiam ac Auſtriam adjunxit, & tria regna Francorum in unum conjunxit, filiumque Dagobertum non multo poſt Regem Auſtraſiorum fecit, Neuſtriâ Burgundiaque contentus. Atque ex eo tempore Neuſtria & Burgundia conjunctæ, uni Regi paruere, Luteciæ Pariſiorum in Neuſtria ſedem habenti. Reges Francorum qui in Neuſtria Burgundiaque regnaverunt, & in urbe Neuſtriæ Pariſiis habitaverunt, fuere Chlotharius junior, poſt Dagobertum Auſtriæ præpoſitum, Dagobertus poſt Sigibertum filium Regem Auſtriæ conſtitutum, Chlodoveus Dagoberti minornatu filius, Sigiberti frater Auſtraſiorum Regis; Chlotharius maximus Chlodovei filius, & Theodoricus fraterni regni ſucceſſor, quem Pippinus Præfectus Palatii in ordinem coëgit. Ex quo apparet verum eſſe quod diximus, poſt obitum Theodorici Childeberti filii Burgundiam ſuos ſibi ac domeſticos Reges habere, & Cabillonum Regiam eſſe deſiiſſe. Quod ad Auſtriam ſive Regnum Mettenſe attinet, conſtat Auſtraſiorum Reges Theodoricum, Theodebertum ac Theodebaldum Mettis habitaviſſe, eamque Regni ſedem ac caput habuiſſe per annos XLIV. idem feciſſe Sigibertum unum è IV. Chlotharii majoris filiis, Childebertum Sigiberti, Theodebertum Childeberti per annos L. idem feciſſe Dagobertum, vivo patre Chlothario in Auſtria regnantem, idem Sigibertum, Dagoberti filium, idem Childericum, antequàm Neuſtriam & Burgundiam occuparet, ac poſtremum omnium Dagobertum filium Sigiberti, qui circa annum DCXXC. obiit: quo mortuo, Pippinus Major domus regiæ poſtpoſitis Mettis, Coloniæ Agrippinæ habitavit. Hic finis regni Auſtraſii fuit ſive Mettenſis, per Galliam & Germaniam olim ſub Merovingis latè diffuſi. At Luteciæ Pariſiorum Chlodoveus ipſe, victis Veſigothis ac ſubacta Aquitaniâ, cathedram regni conſtituit: quem imitati ſunt Francorum Reges, Childebertus, ob id Pariſiorum Rex Gregorio dictus, Charibertus, & poſt Chariberti Sigibertique fratrum mortem Chilpericus, cujus Sueſſionæ erant, tum Chlotharius junior, deinde Dagobertus, Chlodoveus, Chlotharius, Childericus, ac Theodoricus: è quibus Chlotharius minor, Dagobertus, Chlodoveus ac Childericus aliquamdiu totâ Francia potiti ſunt. Theodoricum Pippinus anno DCXXCVII. cum urbe Lutecia Pariſ. recepit, & omnium Francorum principatum obtinuit: quo ex tempore Lutecia ſub Ducibus & Principibus Francorum, ac ſub Caroli Magni poſteris raro ſedes Regum fuit: donec Hugo à Comitibus Pariſiorum deducens genus, morem diu intermiſſum repetivit, ac exemplo Merovingorum Luteciæ regni ſedem ſtatuit, & Hugonem poſteri ſunt ſecuti. Regnum Pariſiorum ſub duobus tantùm Regibus duravit, Childeberto ac Chariberto annis LVI. Mortuo enim Chariberto, regnum ejus fratres inter ſe partiti ſunt, Guntchramnus, Chilpericus, ac Sigibertus: & Francia in tria Regna dividi cœpit, Neuſtriam, Auſtriam atque Burgundiam; Guntchramno Burgundiam obtinente, Chilperico Neuſtriam, Auſtriam Sigiberto. Regnum Sueſſionicum, cujus caput Auguſta Sueſſionum & ſedes Regia fuit, primum Regem habuit Chlotharium majorem, Chlodovei IV. è filiis unum ac minimum, ſecundum eumdemque ultimum Chilpericum, qui ambo LXXIII. annos regnavere. Sed Chlothario ante ſexennium quàm decederet, morte Theodebaldi ac Childeberti duo regna obtigerant Auſtraſiorum & Pariſiorum; Chilperico ante XIV. annum quam periret, pars tertia regni Pariſiaci obitu Chariberti fratris obvenerat: itaut vix LIII. annis regnum Sueſſionicum, quale initio & à prima ſui origine fuerat, duraviſſe verè dici poſſit. Nam Chlotharius junior Chilperici filius habitavit Luteciæ, Auguſtam Sueſſionum, regni patris ejus caput ac ſedem, obtinente Childeberto Auſtraſiorum Rege, filio Sigiberti; ac poſtea maxima finium ſuorum parte à Theodeberto ac Theodorico ſpoliatus eſt: ſed ambobus demum mortuis felix tria in unum Francorum Regna conjunxit. Hæc fuſiùs diſſerui, ut oſtenderem errare Gregorium, quum ait *dediſſe ſortem Guntchramno Regnum Chlodomeris, ac tenere ſedem Aurelianenſem*; errare & Fredegarium, quum ſimiliter ſcribit *dediſſe ſortem Guntramno regnum Chlodemeris, ſedem habens Aurelianis*; & minorem Childeberti filium *Theudericum accepiſſe regnum Guntramni in Burgundia, ſedem habens Aurelianis*: errare & auctorem Geſtorum Francorum, quum tradit, *Guntrannum regnum Chlodomeris accipientem, Aurilianis ſedem inſtituiſſe.* Nam Guntchramnus non *Regnum Chlodomeris* patrui ſui, ſed ſolùm ejus portionem ſortitus eſt cum tota Burgundia: ac *ſedem* quidem *Aurelianenſem tenuit*, hoc eſt ſedem patrui quondam ſui Chlodomeris; ſed

eam pro ſede non habuit, Cabillonumque in Burgundia Regiam delegit. *Regnum* quidem *Chlodomeris ſedem* ac caput *habuit Aurelianos*, ſed vivo tantummodò Chlodomere: Guntchramno Regnum planè aliud, alia etiam ſedes fuit, nimirum Cabillonum in Burgundia: *Aurelianis ſedem* non *ſtatuit* Guntchramnus, ſed Cabilloni: *Regnum Guntchramni ſedem habuit* non *Aurelianos*, ſed Cabillonum. Theodoricus Childeberto patre mortuo, Regnum Guntchramni majoris patrui cùm ſortitò obtinuiſſet, Cabilloni quoque habitavit.

Fredegarius capite xxcix. libri ultimi Chronici Aurelianos in Regno Burgundiæ ponit his verbis. *Cumque Nanthildis Regina cum filio ſuo Chlodoveo Rege Aurelianis in Burgundia Regnum veniſſet.* Aurelianos Burgundiæ Fredegarius attribuit, non quòd ea urbs ad vetus Regnum Burgundionum quidquam pertinuerit; ſed propterea quòd cum portione Regni Chlodomeris totâque Burgundiâ obtigerat Guntchramno tetrarchæ, cujus Regnum nomine majoris partis Franci Burgundiam appellaverunt: quale & quo nomine à Childeberto poſtea, à Theodorico, à Chlothario, aliſque Francorum Regibus eſt poſſeſſum. Audacior Fredegario Aimoinus *caput Regni Burgundiæ Aurelianos* vocavit in libri iv. Hiſtoriæ capite xxxix. *Anno* (inquit) iv. *regni ſui Chlodoveus cum Nantilde matre Aurelianis caput Regni Burgundiæ petiit.* Mendosè omnino. Nam civitas Aurelianorum, Regia quidem & caput Regni Chlodomeris, ſed nihil de Burgundia obtinentis fuit: eadem ſub Guntchramno qui Aurelianis & in tota Burgundia regnavit, Cabillonique habitavit, ac ſub Theodorico magni patrui imitatore, Regni Burgundiæ ſedes caputve non fuit; ſub Chlothario juniore, ſubque Dagoberto & Chlodoveo minore multo minùs, qui Francorum Reges cùm in Neuſtria ſimul Burgundiaque regnarent, ſemper tamen in Neuſtria, ac exemplo Chlodovei Magni plerumque in urbe Pariſiorum Lutecia habitavere. Quare ſine dubio errat Glaber Rodulfus, quum in libri ii. capite v. Aurelianos olim, ut ſua ætate *Regum Francorum præcipuam ſedem Regiam* fuiſſe aſſerit: quæ ſemper clara quidem urbs fuit, ſed unius Chlodomeris regni ſedes & caput per annos xiii. fuit. Glabri verba de Aurelianis ſubjiciam, quæ talia ſunt. *Fuit prædicta civitas antiquitus, ut eſt in præſentiarum, Regum Francorum principalis ſedes Regia, ſcilicet pro ſui pulcritudine, ac populi frequentia, & telluris ubertate, perſpicuique irrigatione fluminis. Perſpicuum flumen* appellat Glaber Ligerim non falsò: cujus *aquam vitream* & Fortunatus, hoc eſt vitri more perſpicuam commendat in libri vi. Carmine vi.

Excipit inde repens vitreâ Liger algidus undâ:
Quo neque vel piſcem levis arena tegit.

Ætate igitur Glabri Hugo, Rotbertus, & Heinricus Francorum Reges in civitate Aurelianorum præ ceteris nonnumquam ſunt commorati. Ea urbs ad Reges iſtos propriè & peculiari jure pertinuit; non alios dominos quam Reges Francorum ſupradictos habuit: una tum de ſedibus Regiis, unum è Regalibus Palatiis quibus hi Principes delectarentur fuit: Regni ſedes unica aut propriè dicta non fuit; caput denique Regni non fuit, ſed Lutecia. Quare Helgaldus in Vita Rotberti Regis inter Regni ejus ſedes primam numerat civitatem Pariſiorum, quòd primaria ac præcipua ſedes Regni, & unicum Regni caput eſſet: ceteras autem ſedes regias, hoc eſt Palatia regia, Silvanectas, Aurelianos, Divionem, Autiſſiodurum, Abbalonem, Melodunum, Stampas, Compendium, Pinciacum poſt Luteciam ponit.

Incolas Aurelianorum Gregorius Turonicus Epiſcopus paſſim *Aurelianenſes*, Noſtri Guepinos vocant, *Guepins*: quod nomen pro convicio à pleriſque habetur; origo nominis ab omnibus ignoratur. An *Guepini* vel Gepini dicti quaſi *Genabenſes*, aut (ut Oroſius loquitur) *Cenapenſes*, vel *Genapini*, ſublatâ ſecundâ ſyllabâ? An potiùs quaſi *Veſpenſes* aut *Veſpini* à veſpis, quarum advolantium moleſtos ictus, importunos bombos, ac pungendi libidinem vino ſuo inflati clamoribus, rixis & conviciis imitantur? Apud Matthæum Pariſienſem in rebus anni MCCLI. verum iſtud Aurelianenſium nomen una cum cauſſa nominis haberemus, niſi eſſet librariorum incuriâ depravatum. *Caninos* enim appellatos eſſe aſſerit, corruptè forſitan pro *Cavinis* aut *Capinis*. Verba Matthæi ſunt. *Paſtores armati, qui civibus bene acceptantibus civitatem Aurelianam intraverant, conniventibus oculis diſſimulante populo civitatis, ſed veriùs conſentiente, (unde Caninus meruit appellari) multos Clericos trucidarunt, multoſque in Ligerim demerſerunt.*

Pagus Aurelianenſis in Caroli Calvi Capitulis Silvacenſibus memoratur, & in Chronico S. Bertini, in rebus anni DCCCLVIII. *pagus* etiam *Aurelianus* dictus à nonnullis ſcriptoribus noſtris, uti *urbs Aureliana* pro *urbe Aurelianenſi*: *l'Orleanois*.

Sed an pagi Aurelianenſis nomine tota Diœceſis aut Parœcia Aurelianenſis deſignetur, an tantùm ager ſuburbanus, incertum eſt. Sunt autem in Diœceſi Aurelianenſi Archidiaconatus vi. nimirum Archidiaconatus major ſeu Aurelianenſis, ad Decanum Aurelianenſem pertinens, in quo Clariacum, Mitiacum, ac Floriacum præ ceteris cum urbe Aurelianis: Archidiaconatus Pitiverenſis, in quo Lauriacum & Vitriacum caſtrum: Archidiaconatus Belſæ, in quo Puteolus, *Puſſet*, Janvilla, Tauriacum: (*Touri*) Archidiaconatus Secalauniæ, à Ligeri ad Carum fluvium uſque pertinens, in quo Montolium ad Carum, *Montou* vel *Monetou ſur Cher*, Caſtellio ad Carum, *Chaſtillon ſur Cher*, Rivus Morentini: Archidiaconatus Balgentiacenſis, in quo Balgentiacum, Ucellus vicus, (*Vceau*) Magdunum, Oratorium fori: (*Oroir le marché*) Archidiaconatus demum Solliacenſis, Solliacum præ ceteris, (*Sully*) Oratorium ad Ligerim, (*Oroir ſur Loire*) curtem Leonis ad Ligerim, (*Lion ſur Loire*) Caſtrum novum ad Ligerim, Oratorium in Campis, (*Ouvroir les Champs*) Gargogilum, Germiniacum, Noviacumque (*Neufvi*) complexus. Cùm igitur duæ ſint in Carnutibus Diœceſes, nimirum Autricenſis & Aurelianenſis, Aurelianenſis autem parœcia Belſam non totam, pagum Aurelianenſem, & Secalauniam

complectatur : apparet portionem Pertici, pagos Vindocinenſem, Bleſenſem, Dunenſem, Carnutinum propriè dictum, Durocaſſinum, Madricenſem, Pinciacenſem, partemque Belſæ ad Autricenſem Diœceſin pertinere, coſque omnes ambarum Diœceſeon pagos atque regiones, veterum fuiſſe Carnutum.

Aurelianenſes diem octavum Maii ſeu VIII. Idus Maias, quo die anno MCCCCXXVIIII. obſidionis Anglicæ periculis ſunt liberati, annua ſupplicatione celebrant, atque inter feſtos ſollemneſque habent : diem quo Attilæ ac Hunnorum immanium manus evaſere, non celebrant, ac profeſtum vel potiùs ignotum habent. Quem ſi quando fortè celebrare voluerint, ſciant anno CCCCLI. XVIII. *Kalendas Julii*, qui eſt *Junii dies quartuſdecimus*, armis Aëtii & Gothorum atque Francorum Hunnos urbe expulſos, ac majores ſuos captivitate miſera ac vinculis eſſe liberatos. Hoc in Vita S. Anniani Aurelianenſis Epiſcopi veteri manu ſcripta, & in II. aut III. codicibus reperi obſervavique : cùm Andreas Cheſnius qui eam Vitam excerpſit, VIII. *Kal. Julias* legerit ediderit que pro XVIII.

GENAPIA.

Genapia in veteribus monumentis nuncupatur, nonnumquam & *Geneppia*, vulgò *Gheneppe* aut *Gennep*. Noſtri *Guenepe* proferunt & ſcribunt; quidã *Geneſpe*. Hoc opidum arce munitum in Brabantia, Ludovici qui poſtea ejus nominis undecimus apud Francos regnavit, diuturno ſeceſſu nobilitatum eſt.

GENEVA ALLOBROGUM.

Extremum opidum Allobrogum eſt, proximumque Helvetiorum finibus Geneva : ex eo opido pons ad Helvetios pertinet ; ut ait Cæſar in libro I. Commentariorum belli Gallici, qui bello Helvetico *pontem qui erat ad Genevam reſcindi juſſit*. Tabula Theodoſiana *Gennavam* vocat, & inter *Condate* ac *Coloniam Equeſtrem* collocat; *Cenavam* Æthicus MS. quæ & in quadam Notitia *civitas Gennavenſium* appellatur, *à Gundobado Rege Burgundionum reſtaurata*; in Roberti quoque Chronico *civitas Gennava*: in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ pleriſque *civitas Genavenſium*, inter provinciæ Viennenſis civitates XIII. ſecundum obtinens locum; in paucis *civitas Genevenſium, eadem & Paluſtria* à lacu Lemano vel palude; Ennodio in Vita Epiphanii, Mario in Chronico aliiſque ſimiliter *Genava*. Gregorius Turonicus Epiſcopus MS. in capite XXXI. libri IV. *Jenubam* & *Jennvam* nuncupat, in libro de Vita S. Patrum *Janubam*, in Nicetio *Genabenſem Galliarum urbem* : Fredegarius (ſi codices ſequimur) & *Januvam* in capite XVIII. libri IV. Chronici. Hic tamen in ejus urbis appellatione ſibi non conſtans, in capite XXXIV. & alibi *Genavenſem urbem*; Genuam autem Liguriæ caput *Genavam maritimam* vocat, poſteriorem à priore cognomine iſto diſtinxiſſe contentus. Aimoinus in libri III. Hiſt. capite XC. u litterâ in b mutatâ *Genabenſem urbem* appellat. Geſta Pippini *Januam*; veteres geſtorum Caroli Magni ſcriptores in rebus anni DCCLXXIII. nunc *Genuam* eodem quo Liguriæ celeberrimum portum nomine; nunc *Jenuam civitatem*, G in i ut ſuprà apud Gregorium Fredegariumque converſo; nonnumquam etiam *Januam* & *Januenſem civitatem* nuncupavere. *Gennam* porrò, aut *Jenuam*, aut *Januam* nomen eſſe diſyllabum credo, ex *Geneva* eliſo pænultimo e brevi formatum; cùm Genuæ Ligurum nomen triſyllabum ſit. Ante annos circiter CCCCCLX. Noſtri, inter hos Paſchalis PP. in litteris anni MC. atque Gervaſius Tiſleberienſis, *Gebennam* dicere cœperunt, nomine corrupto & utcumque confecto ex *Gennava*, tranſpoſitis duabus poſterioribus ſyllabis, & u in b, a in e de more commutatis.

Joſephus Scaliger in Geneva mediam ſyllabam brevem eſſe aſſerit, ut in Eluſa; idque Helvetios indicare qui *Genff* vocent, e medio eliſo, & u in f verſo; indicare & agreſtes ſuburbanos ac reliquos Sapaudos, qui *Zénevam* enuntiando, accentum in prima ſyllaba ponant : at Noſtros qui medias ſyllabas breves producere conſueverunt, *Genéve* dicere accentu in pænultimam dejecto. Sed idem falsò affirmat *provinciam Maximam Sequanorum, in qua civitas Equeſtrium eſt, ad ſiniſtram ripam Lemani eſſe; Genevam ad dextram in provincia Viennenſi*. Nam contrà Sequani & civitas Equeſtrium ſunt ad dextram Rhodani ac Lemani lacus ripam; Viennenſis ac Geneva ad lævam.

A Geneva lacus Lemanus nomen accepit, diciturque lacus Genevenſis, Helvetiis *Genffer-zee*, Italis *el lago di Gineva*, Noſtris *le lac de Genéve*. Poſita enim eſt Geneva ad egreſſum flum. Rhodani è lacu : quem lacum *longum* LX. *millia, latum* XX. eſſe affirmat Marius Aventicenſis Epiſcopus in Chronico : Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro de Gloria Martyrum *Limannum lacum* vocat, & eum patere *in longitudinem ſtadia* CCCC. *in latitudinem* CL. ait, additque : *in hoc ſtagno ferunt tructarum piſcium magnitudinem uſque ad centum librarum pondera trutinari*. *Cavum* autem *Lemanum* meritò vocat Lucanus : tanta enim ejus eſt contra Lauſanam & Bibiſcum altitudo, ut à Nautis D. orgyis comperiri non potuerit.

Ceterùm Genevam cur ſui *Aureliam*, aut *Coloniam Allobrogum* vocent, equidem neſcio. A quo enim Aurelio *Aurelia* umquam nomen apud veteres accepit? Opidum eſt Allobrogum Geneva, & quidem extremum, auctore C. I. Cæſare; ſed non ideò *Colonia Allobrogum* appellari poteſt aut debet. Alioquin urbes omnes Biturigum Cuborum exempli causâ (ſunt autem ampliùs XX.) *Colonia Biturigum* ſingulæ ceu proprio nomine vocabuntur. Sed fortè his nominibus urbem ſuam celant potiuſquàm deſignant, ne Catholici ſacros libros aut Sanctos Patres, editos in urbe hæretica, reſpuant ac emere dedignentur.

Regnantibus in parte Galliæ Burgundionibus, ſedes aliquot tetrarcharum fuit Geneva. Suos & olim Geneva Comites, ſuoſque Epiſcopos habuit : ſed Epiſcopatûs ſedes diſceſſione Catholicorum tranſlata eſt Aniciacum Sapaudiæ, (*Anicy*) lacu cognomine illuſtre, *le lac d'Anicy*, itaut tamen Epiſcopus veteris

ſedis ſuæ nomen ſervet, appelleturque *Epiſcopus & Comes Genevenſis*.

Genevenſes vocant Noſtri *les Genevois*, quidam *Genois* aut *Genovois* ambiguo nomine: pagum autem Genevenſem *le Genevois*. Dux Sapaudiæ *pagi Genevenſis Ducem*, & *Geneva Comitem* in titulis ſuis inſcribi ſe jubet appellarique. Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXIX. *Comitatum Genavenſem in Burgundia* memorant.

S. GENGULFI OPIDUM.

S. Gengulfi opidum eſt in Burgundia non procul à Graona fluviolo pagoque Matiſconenſi, vulgò *S. Iangoul* dictum: pro quo quædam tabulæ & nonnulli Hiſtorici nunc *S. Iean Gou*, nunc *S. Iengou* corrupta nomina nobis obtrudunt. Legere memini, hunc locum olim *Varennas* appellatum eſſe. *Gengulfus Martyr* vocatur in Chronico Divionenſis Monaſterii S. Benigni, quem uxor mœcha dicitur interimendum curaviſſe. Memini Vitam *S. Gengulfi* legere ſcriptam in veteri codice, in qua regnante apud Francos Pippino vixiſſe traditur.

GERARDI MONS.

Geraldi mons in litteris anni MXCVI. vocatur, aliàs *Gerardi mont*, opidum Comitatûs Aloſtani in Flandria. Vulgò *Geersberghen* nuncupant incolæ; Noſtri ni fallor *Gramont*.

GERARDI VILLA.

Quæ *Gerardi villa* à ſcriptoribus rerum Normannicarum nuncupatur, vulgò *Graville*, eadem à Iohanne Pariſienſi in Memoriali Hiſtoriarum dicitur *Grandis villa*: quum ait *Fratrem Radulfum de Grandi villa, natione Normannum, de Ordine Fratrum Prædicatorum, mandato Cæleſtini Papæ Pariſius Patriarcham Hieroſolymitanum conſecratum, Romæ auctoritate Bonifacii Papæ VIII. deſtitutum eſſe*. Eſt autem Gerardi villa non longè à flumine Sequana ejuſque oſtio, inter Hareflotum & Portum Gratiæ poſita in Caletis Rotomagenſique Diœceſi. In Chartulario Fiſcamnenſi legi *concordiam inter Fiſcannenſem & S. Georgii Abbates de terra Matthæi de Gerardi villa, in cauda Novavilla, & de terra Hugonis de Grumnare*. Gerardi villa, *vicus eſt vicinus mari, ubi Sequana finem facit*, ut vetera ejus loci Prioratus monumenta referunt.

GERBOREDDUM.

Caſtellum Gerboreddum ait Antonius Oiſelius in Chartulario Eccleſiæ Bellovacenſis paſſim vocari, in primis in litteris datis anno MXX. quod poſtea *Gerboredum* ſit nuncupatum, ſublatâ unâ litterâ. Hoc caſtrum vulgò dicitur *Gerberov*, impoſitumque eſt monti Taram fluvium deſpicienti in finibus Bellovacorum.

GERMANIA SUPERIOR ET INFERIOR IN BELGICA.

Germania Superior, & Germania inferior in provincia Belgica, nomen habet à Germaniæ Gentibus, quæ in parte Belgicæ Rhenum tranſgreſſæ conſederunt. Certè Cæſar in libro II. ſcribit, *pleroſque Belgas eſſe ortos à Germanis, Rhenumque antiquitùs traductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſque qui ea loca incolerent expuliſſe*: ac ibidem inter Belgas numerat *Condruſos*, Trevirorum clientes, *Eburones, Ceræſos, Pemanos, qui uno nomine Germani appellantur*: eoſdem eodem in libro *Germanos qui ripas Rheni incolunt*; initio libri VI. *Ciſrhenanos Germanos* vocat, ut à Germanis Tranſrhenanis diſtinguat; *Segnoſque & Condruſos, ex Gente & numero Germanorum qui ſunt citra Rhenum* memorat. Cluverius in libro II. de antiqua Germania, auctoritatem Cæſaris ſecutus, affirmat & probat, Eburones, Condruſos, Segnos, Cereſos, & Pemanos, omnes uno & communi nomine primùm *Germanos*, deinde *Tungros* eſſe appellatos.

Plinius in capite XVII. libri IV. *Rhenum* (inquit) *accolentes Germaniæ Gentium in eadem provincia* (Belgica) *Nemetes, Triboci, Vangiones, Vbii, Gugerni, Batavi, & quos in inſulis diximus Rheni.* (Cannenefates nimirum, & *Friſii, Friſiabones*, aliique.) Et Tacitus in libro de moribus Germanorum, de Germanis Ciſrhenanis ſic refert, *Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci, Nemetes, Vbii, Batavi*: qui tres priores populi hodieque ſunt in provincia Germania prima vel ſuperiore; *Vbii*, & Eburones vel Tungri, ac *Batavi* in Germania ſecunda vel inferiore. Apud Tacitum in libro IV. Hiſt. *Viribus cohortium abductis (ex inſula Batavorum) Vitellius è proximis Nerviorum Germanorumque pagis ſegnem numerum armis oneraverat*; Germanorum nimirum Ciſrhenanorum ipſi parentium. Et Triboces quidem, Vangiones, ac Nemetes unà cum Harudibus aliiſque Germaniæ populis Arioviſtus Rex Germanorum, paullo ante Iulii Cæſaris adventum, in Galliam fineſque Sequanorum ad centum & viginti millium numerum tranſportavit. Ubios autem à Germanico Principatu Auguſti in Galliam tranſlatos eſſe conſtat Segnos, Condruſos, Eburones, Cereſos, Pemanos, *qui uno nomine Germani appellabantur*, cùm Cæſar ipſe *Rhenum antiquitus traductos* prodat in libro II. multo ante ejus ætatem in Gallia conſediſſe credendum eſt. Tiberius privignus Cæſaris Octaviani Auguſti, ac poſtea ſucceſſor, victis Germanis, *quadraginta millia captivorum ex Germania tranſtulit, & ſuper ripam Rheni in Gallia collocavit* Auguſti juſſu: ut ſcribit Eutropius in Breviario Hiſtoriæ Romanæ. Hoc eſt forſitan, quod ait Suetonius in capite XXI. Auguſtum Cæſarem *Suevos & Sygambros deditos in Galliam traduxiſſe, atque in proximis Rheno agris collocaviſſe*.

Plinius à Rheno ad Scaldim pertinuiſſe Germanos Ciſrhenanos aſſerit in capite XIII libri IV. *Toto autem hoc mari ad Scaldin uſque fluvium Germaniæ accolunt Gentes*: & in capite XVII. *A Scalde* (inquit) *ad Sequanam Belgica*. Item, *A Scaldi incolunt Toxandri*, &c.

Ab his Germanis Ciſrhenanis circa Auguſti Principatum Germaniæ nomen accepit portio Galliæ Belgicæ Rheno proxima: quæ Germania Ciſrhenana duas diviſa eſt in partes, nimi-

rum in provinciam Germaniam ſuperiorem vel primam, & in provinciam Germaniam inferiorem vel ſecundam. Ptolemæus in Germania ſuperiore, aliis prima dicta, Nemetes, Vangiones, Tribocos, & urbes Mogontiacum Tribocorum, Borbetomagum & Argentoratum Vangionum, Noviomagum Nemetum ponit; in Germania inferiore aut ſecunda Coloniam Agrippinenſem Ubiorum: cui Tungri cum urbe ſua Atuaca ſunt adjungendi præ ceteris. Hinc Cornelio Tacito in Hiſtoriarum libro I. *ſuperior Germania*, & *inferior Germania*, atque in plurali numero *Germaniæ* memorantur; Suetonio in Vitellio altera *inferior Germania*, altera *ſuperior provincia*, id eſt ſuperior Germania nuncupatæ. Idem Tacitus eodem in libro nunc *Germanos exercitus*, nunc *Germanicos exercitus* appellat: quos Suetonius in Tiberio *exercitus Germanicianos in Germania* vocat. Ex quo cognoſcitur verum eſſe quod ſuprà aſſeruimus, circa tēpora Auguſti cui Tiberius ſucceſſit, parti Galliæ Belgicæ ad ripam Rheni jacenti appellationem provinciæ ſuperioris Germaniæ & provinciæ Germaniæ inferioris imponi occœpiſſe. Tacitus in libro I. Annalium alterum in ſuperiore Germania apud ripam Rheni conſtitutum, *exercitum ſuperiorem*; alterum in inferiore Germania poſitum, *inferiorem exercitum* vocat; in Hiſtor. libro I. hunc, *inferioris Germaniæ legiones*; illum, *ſuperioris Germaniæ legiones*: hiberna utriuſque exercitûs, Plinius in capite ultimo libri IV. *caſtra legionum Germaniæ* nuncupavit; Eumenius in oratione pro reſtaurandis ſcholis Auguſtoduni, *alarum & cohortium caſtra toto Rheni limite reſtituta*. Notitia Imperii Rom. ſub Comite rei militaris *tractum Argentoratenſem*, ſub Duce Germaniæ primæ, & ſub Duce Mogontiacenſi præfectos militum, Nemetis, Vangionibus, Mogontiaci, & in octo aliis Germaniæ locis conſiſtentium ponit. Suetonius in Iulio quum ait, Q. Titurium Sabinum & L. Aurunculeium Cottam legatos Cæſaris per inſidias cæſos *in Germanorum finibus*; & Eutropius quum refert, *abſentem in Germania I. Cæſarem malè pugnâſſe, legatoſque ejus duos Titurium & Aurunculeium cæſos eſſe*: (quod Cæſar libro V. factum ſcribit in Eburonibus à Rege Gentis Ambiorige) ambo cum Cæſare apertè declarant Eburones eſſe Germanos, ac provinciæ Germaniæ inferiori attribuendos.

GERMANICUM CASTRUM.

Sugerius de Vita Ludovici Craſſi Francorum Regis *Germanicum Haimonis Burbonenſis domini munitiſſimum caſtrum in partibus Bituricenſium* appellat, quo Rex oppugnato, ad deditionem caſtellanos cum Haimone compulit. *Germanicum* illud *caſtrum* eſt *Germigny*, inter Dunum Regis & Nivernum poſitum in pago Burbonenſi, à Burbone Erchembaldi V. aut VI. leugis diſtans. Quod ſi incorruptum eſt apud Sugerium caſtri nomen, à Germano deductum videtur. Sin menda aliqua ſubeſt, *Germiniacum* vocare ac reſtituere convenit. Nec mirari quiſquam debet, caſtrum hoc à Sugerio *in partibus Bituricenſium* poni, cùm nunc pagi ſit Burbonenſis: quippe notum eſt viris doctis, pagum Burbonenſem partim ex Biturigibus, partim ex Aruernis eſſe conflatum.

Eſt & Germaniacum ad Vidulam fluvium, *Germiniacum* aliàs, vulgò *Germigni*, non longè à Durocortoro Remorum, quod Theodoricus Auſtraſiorum Rex Theoderico Abbati donaviſſe dicitur. *Villa* quoque *Germiniacus*, *Germigni*, Letaldo in Miraculis Maximini Abbatis Mitiacenſis memorata, à Monaſterio Floriacenſi non multum abeſt.

GERMANORVM OPIDVM, NVNC S. GOARIS

Goar natione Aquitanus, Presbyter admodùm hoſpitalis, in *opido Germanorum*, quod in finibus Trevirorum pagoque Trigorio vel Trecarenſi ad lævam ripam Rheni rivuliquę VVocharæ erat poſitum, oratorium cellulamque exſtruxit Sigiberti junioris Auſtraſiorum Regis Principatu, ibidemque pridie Nonas Iunii ſepultus eſt. Locus nomen mutavit, & pro *opido Germanorum* opidum S. Goaris & *ad S. Goarem* cœptus eſt vocari, *S. Gevver*. Hoc opidum *in provincia* quidem *Trigoria*, ſed *intra terminos VVaſaliacenſes*, id eſt in finibus Vvaſaliacenſium ſeu in agro Vaſaliacenſi poſitum eſſe docet Rabanus, ex Abbate Fuldenſi Mogontiacenſis Epiſcopus, in Martyrologio his verbis. II *Nonas Iulii depoſitio B. Goaris Conf. qui in ultimos Galliæ fines, in provinciam quæ Reno contigua Trigoria vocatur, & ad Diœceſin pertinet Treverorum, intra terminos VVaſaliacenſes pervenit, & ibi Deo liberè ſervire delegit.* Certè hodieque Vaſaliaco ſuperiori proximum eſt opidum S. Gaoris, & Vaſaliacum inter ac Bobardum ſitum, vulgò *S.Gevver Gwern*, id eſt S. Goaris Germanorum nuncupatum. Fortè hunc locum Auſonius in Moſella *Germanorum portuum* nomine deſignavit hoc verſu in Moſella.

> Vel quà Germanis ſub portubus oſtia ſolvis.

Germanus portus, ſub quo vel infra quem Moſella & Rhenus confluunt, eſt ut exiſtimo, *opidum Germanorum*, vulgo S. Goaris dictum, ſub quo & à quo non procul ſunt Confluentes Moſellæ & Rheni.

GESORIACVM SEV BONONIA MORINORVM.

Suetonius ſcribit, Claudium Aug. *à Maſſilia Geſſoriacum uſque pedeſtri itinere confecto*, inde tranſmiſiſſe in Britanniam: quod & Caius Caligula petiiſſe antè dicitur, & turrim ſeu pharum ibi condidiſſe: & ſunt qui *Icium portum* ex quo Julius Cæſar in Britanniam navigavit, Geſoriacum eſſe exiſtiment. Quare Pomponius Mella qui Claudii Aug. principatu florebat, in ora Galliæ extima ad Septemtriones converſa notiſſimum eſſe ac celeberrimum portum Geſoriacum docet his verbis in libri III. capite II. *Ab illis enim* (Oſiſmiis) *iterum ad Septemtriones frons litorum reſpicit, pertinetque ad ultimos Gallicarum Gentium Morinos, nec portu quem Geſoriacum vocant quidquam habet notius*: quòd nimirum Britanniam petentes Galli atque Romani ex eo portu ſolvebant. Unde & Plinius

in libri IV. capite XVI. ſcribit *Britanniam inſulam abeſſe à Geſoriaco Morinorum Gentis litore proximo trajectu* L. *millia*: & Æthicus *à Geſoriaco* vel *à portu Geſoriacenſi* ad portum Britanniarum Rutupias quem *Ritupis* vocat, *ſtadia* nunc CCCCI. nunc CCCCL. numerat. Nec aliam ob cauſam Plinius in capite ultimo libri IV. Geſoriacum *portum Morinorum Britannicum* appellavit, quam quòd Geſoriacum portus eſſet poſitus in Morinis ad fretum Gallicum ſive Britannicum: quo ex portu commodiſſimus & breviſſimus Galliſque & Romanis tritiſſimus erat in Britanniam trajectus. Florus & Geſoriaci meminit ceu nobiliſſimi ſua ætate portus ſub Principe Trajano in libri I. capite XI. *Idem tunc Feſulæ, quod Carræ nuper: idem nemus Aricinum, quod Hercynius ſaltus; Fregellæ, quod Geſoriacum; Tiberis, quod Euphrates.*

Idem in capite ultimo libri IV. de Druſo Germaniæ victore ſic refert. *Bononiam & Geſoriacum pontibus junxit, claſſibuſque firmavit.* Hæc verba corrupta ſunt. Nam *Geſoriacum* & *Bononia* unius ejuſdemq; urbis duo ſunt nomina: ſed *Bononia* nomen recentius, nec ætate Flori in uſu erat. In codicibus priſcis ſcriptum legimus, *Bonnam & Genoſiam*; in veteri editione *Bonnam & Geſoniam*, teſte Cluverio, qui in capite XIII. libri II. de antiqua Germania emendat *Bonnam & Mogontiacum*, infelici plane conjecturâ: cùm nomen *Genoſiæ* à nomine *Mogontiaci* ſupra quam dici poteſt recedat. Ego *Genoſiam* & *Geſoniam* in veteribus membranis ſcriptum eſſe puto pro *Nogeſiam*, tranſpoſitis ut ſæpe accidit duabus prioribus ſyllabis. *Nogeſiam* autem idem eſſe quod *Noveſiam* vel *Noveſium* nemo non videt, u in g converſo: quemadmodum Vaſco Noſtris eſt *Gaſcon*, vaſtare *gaſter*, vagina *gaine*, nives *neiges*, Vardo fluvius *le Gard*. Sic ergo verba Flori ſunt corrigenda. *Bonnam & Noveſiam pontibus junxit, claſſibuſque firmavit.* Abeſt autem Noveſium a Bonna XXVII. millia paſſuum ex Æthico, in itinere à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum. *Noveſia* M. P. XVIII. *Colonia Agrippina* M. P. XVI. *Bonna* M. P. XI. vel ex tabula Peutingeriana *Noveſio* XVI. *Agrippina* XI. *Bonna* VIII. *Antunnaco* M. P. XVI. Druſus apud Bonnam & Noveſium pontibus Rhenum junxit: ſicuti Iulius Cæſar in Treviris circa Antunnacum Rheno pontem priùs impoſuerat, & poſtea Conſtantinus Maximus Coloniæ Agrippinæ pontem fecit in eodem flumine, ad traducendas in Franciam copias idoneum.

Claudius Ptolemæus in Morinis Geſoriacum non omiſit, quod *Giſorriacum navale Morinorum* vocat, Γησοριακὸν ἐπίνειον Μορίνων, & inter *Icium promunturium* ac portum, & oſtium Tabudæ id eſt Scaldis ponit: in tertia Europæ tabula idem *Geſoriacum* meliùs nuncupat, & inſignibus ac claris Belgicæ urbibus adnumerat cum Durocortoro, ut Lugdunenſis Galliæ illuſtribus urbibus Auguſtodunum & Lugdunum. Γησοριακὸν καὶ Δουροκόρτορον τῆς Βελγικῆς Γαλλίας πόλεις ἐπίσημοι: ut τῆς Λουγδουνησίας Γαλλίας τὸ Αὐγουστόδουνον καὶ τὸ Λουγδοῦνον. Æthicus in itinere *à Mediolano per Alpes Cottias Viennam* M. P. CCCCVIIII. *inde Durocortorum* CCCXXXII. *inde Geſoriacum* CLXXIV. item *à portu Geſoriacenſi Bagacum Nerviorum uſque* M. P. LXXXIII. & *à Geſoriaco Rutupias ſtadia* CCCCL. numerat. Eumenius in panegyrico dicto Conſtantio Cæſari qui Geſoriacum expugnavit, *Geſoriacenſes muros* & *alluentem portas Oceanum* memorat, & *ſinum portûs quem ſtatis vicibus æſtus alternat*, ac *mare reciprocum* Ibidem hæc de Conſtantio Chloro Cæſ. ſubjicit. *Prior ſiquidem à Geſoriacenſi litore quamvis fervidum invectus Oceanum, etiam illi exercitui tuo quem Sequana invexerat, irrevocabilem injeciſti mentis ardorem.* Ex quibus apparet Fl. Conſtantium Cæſarem ex portu Geſoriacenſi ſolviſſe in Britanniam, quod & poſtea fecit Imperator. Nec alio ex portu ſolviſſe Hadrianum, Severum Pertinacem, Conſtantinum Maximum, & ejus filium Conſtantem, Conſtantii Chlori vel Pauperis nepotem, quum in Britanniam navigaverunt, exiſtimo. Idem Eumenius in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto *Bononienſis oppidi litus* vocat, quod ſupra *Geſoriacenſe litus*.

In Notitia Imperii Rom. *ſub diſpoſitione V. S. Ducis Belgicæ ſecundæ, Præfectus militum Nerviorum portu Æpatiaci* reperitur: ubi emendandum puto vel potiùs credo *portu Geſoriaci*, mutatis IV. litterulis A in G, P in S, A in O, T in R. Certè nuſquam alibi in ea Notitia fit mentio portûs nobiliſſimi ac celeberrimi, & nulla omnino in tota Notitia fieret, ſi heic non fieret in provinciæ Belgicæ ſecundæ ora. Æthico in Coſmographia *Ceſuriacum* dicitur pro Geſoriacum. In quibuſdam priſcis codicibus Eumenii ac Æthici *Geſorigiacenſibus muris*, *Geſſerigiacenſibus muris*, *Giſorigiacenſi litore*, *Geſorigiacenſi litore*, *portu Geſſorigiacenſi* ſcriptum invenio: ex quo intelligitur pro Geſoriaco *Giſorigiacum*, *Geſorigiacum*, & *Geſſorigiacum* nonnumquam ſed corruptè dictum eſſe, nomine ad Giſortium Veliocaſſium & ad Origiacum Atrebatum accedente.

Geſoriacum Galli circa Conſtantini Maximi principatum mutato nomine *Bononiam* vocare cœperunt. Docet id ſuprà Eumenius: docet id tabula Theodoſiana Theodoſii Magni Principis ætate facta, quæ & ab editore Peutingeriana dicitur vulgò: in qua hæc leguntur. *Geſoriaco, quod nunc Bononia.* Docet & Vita Conſtantini Maximi, à fratre meo vulgata, hiſce verbis. *Conſtantinus properans ad patrem Conſtantium, venit apud Bononiam, quam Galli prius Geſoriacum vocabant.* Feſtinabat nimirum ad patrem ſuum Imperatorem, in urbe inſulæ Britanniæ Eboraco graviter ægrotantem. Ut autem nomen Gallicum urbis Gallicæ Geſoriacum; ita & Bononia: quæ fuit etiam appellatio coloniæ Gallorum in octava regione Italiæ, *Bononia ad parvum Rhenum* nuncupatæ. Ex ſupradictis colligitur, graviter errare Hadrianum Turnebum, virum alioquin doctiſſimum, quum *Geſoriacum* noſtrum ſimilitudine aliqua nominis ductus credit eſſe *Soſiacum*, vicum neſcio quem in finibus Morinorum, neſcius Geſoriacum à recentioribus dictum eſſe novo nomine Bononiam. Eutropius in libro IX. Breviarii Hiſtoriæ Rom. Bononiæ noſtræ meminit Valentiniano & Valente Imperatoribus, ſcribitque *Carauſium apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepiſſe, quod Franci & Saxones infeſtabant* Diocletiani principatu. Oram hujus maris per tractum Ar-

moricanum & Nervicanum, ſeu per Lugdunenſem II. & tertiam & per Belgicam ſecundam, à Saxonibus piraticis latrociniis ac prædationibus ipſam infeſtantibus vocavere Romani *litus Saxonicum*. Unde Notitia Imperii Rom. *Tribunum cohortis primæ novæ Armoricæ Grannona in litore Saxonico* ponit, & ſub Duce Belgicæ ſecundæ *equites Dalmatas Marcis in litore Saxonico*; ac *Tribunum militum Nerviorum portu Æpatiaci*: ubi *Geſoriaci* emendandum eſſe docui. Ammianus in libro XXVII. *orbis extrema Bononiæ litus* appellat, indicans ab ea parte portum Bononienſem extrema eſſe continentis. Eamdem urbem *Bononiam* ſemper, *Geſoriacum* nuſquam nuncupat, ex eaque ſolvere in Britanniam trajecturos ait: ut appareat tum vetus nomen urbis exoleviſſe, & novam Bononiæ appellationem ſolam in uſu eſſe cœpiſſe. Olympiodorus & Bononiam vocat, Βονωνίαν: veteres Notitiæ *civitatem Bononienſium*; quædam & *civitatem Bononenſium* mendosè appellant, & ultimam ſtatuunt inter XII. civitates provinciæ Belgicæ ſecundæ. Robertus in Chronico *civitatem Boloniam* civitatibus metropoli Remis ſubjectis extremam adnumerat. Noſtris *Boulogne ſur mer* dicitur, Germanis accolis *Buenen*. In nummo veteri legitur *Bononia civ.* id eſt *Bononia civitate*. Cambdenus Britannis *Boveling Ling*, Belgis *Beunen*, Anglis *Bolen* dici ait. Bononia in duas partes dividitur: pars in monte poſita eſt, & vocatur urbs ſuperior, *la haute Ville*, ac abſolutè Bononia, *Boulogne*; hæc vetus civitas habetur, Epiſcopi ſedes: pars ad Lianam flumen jacens, & ab altera parte D. aut DC. paſſibus diſtans, inferior Bononia nuncupatur, vel urbs inferior, *baſſe Boulogne*, & *la baſſe ville*. Hic amnis *Liana* vulgò, Latinè *Elna* dicitur non ſemel in Vita S. Audomari.

Ager ejus à Plinio vocatur *pagus Geſoriacus*, in capite XVII. libri IV. nomine veteri civitatis; in Diviſione regni Ludovici Pii inter filios, *Bolenſis* trunco nomine pro Bolonienſis nuncupatur, & inter *Teruanenſem* & *Quentovicum* ponitur; *Boninſis* aliàs. De pago Bononienſi in Morinis dicemus fuſiùs, quem Noſtri *le Boulonnois* appellitant, quidam *le Boulenois* non ſervatâ analogiâ. Incolæ pagi Bononienſis Monſtreletio dicuntur *les Boulonnois*.

Notandus eſt obiter error in Bononia Zoſimi, qui in libro VI. Hiſtoriæ Romanæ quam circa Anaſtaſii Aug. principatum ſcripſiſſe creditur, *Bononiam* maritimam quidem ſed *Germaniæ inferioris urbem* vocat, cùm ſit civitas provinciæ Belgicæ ſecundæ. Sic idem Pariſios vel Luteciam *Pariſium Germaniæ urbeculam* vel opidulum appellat, cùm eſſet jamtum nobilis civitas provinciæ Lugdunenſis quartæ. Verba Zoſimi ſubjicere convenit, quæ talia ſunt. Βονωνίας. Πρώτη δὲ αὕτη παρὰ τῇ θαλάσσῃ κεῖται, Γερμανίας οὖσα πόλις τῆς κάτω.

Eginhardus *Bononiam Gallicam* cognominat, ut diſtinguat à Bononia Italiæ civitate, & à Bononia Mœſiæ ſuperioris, proxima Ratiariæ, & à Bonnoia Pannoniæ*, de qua in rebus geſtis Caroli Magni Aug. ſic refert. *Anno* DCCCXI. *Ipſe autem* (Carolus Aug.) *propter claſſem quam anno ſuperiore fieri imperaverat videndam, ad Bononiam Gallicam, civitatem maritimam, ubi eâdem naves congregatæ erant, acceſſit; pharumque ibi ad navigantium curſus dirigendos antiquitus conſtitutam reſtauravit, & in ſummitate ejus nocturnum ignem accendit.* Eadem verba in Vita Caroli Magni una & altera, eadem in Annalibus rerum Francicarum plebeio ſermone compoſitis, atque ad annum DCCCXIII. deductis, eadem in Annalibus Bertinianis, & in Annalibus Mettenſibus, quorum alteri anno DCCCXCII. alteri DCCCCIII. terminantur, reperias. In Miraculis S. VVandregiſili ab auctore Caroli Calvi æquali relatis *Gripho Præfectus emporii Quentovici*, revertens ex inſula Britannia, *adſpexit pharum ſupra litus maris, antiquorum induſtriâ ad curſum navigantium olim ibidem ædificatam*. Quæ Philippo Cluverio perſuaſerunt, adjuncta Suetonii & Oroſii auctoritate, à Caio Caligula turrim hanc ſeu pharum conditam eſſe: cùm nec Suetonius nec Oroſius in libri VII. capite V. locum turris deſignent, & cùm noſtri auctores qui locum deſignant, auctorem tamen & conditorem turris non nominent, *antiquitùs conſtitutam* tantùm dixiſſe contenti. Cluverii nihilominùs conjectura mihi non diſplicet, quæ & ingenioſa, & veriſimilis admodum ac probabilis nemini docto non poteſt non videri. Ea turris ſeu pharus, licet faſtigio imminuta, Bononienſe litus uſque ad noſtram ætatem quâ diruta eſt illuſtravit; Noſtris turris Ordinis dicta, *la tour d'Ordre*, Flandrenſibus proximis linguâ Germanicâ utentibus *D'oude-man*, Anglis *The Old man*.

Jonas in Vita S. Euſtaſii A. *Audomarum Bononiæ & Taroanenſis opidi præſulem* appellat: ut appareat Bononiam & Teruannam Morinorum urbes, ſedes Epiſcopales ex æquo fuiſſe, quæ tum ambæ conjunctæ ab uno Epiſcopo occuparentur; ut ab Achario Viromandui, Noviomagus ac Turnacum, à Rachnacario Auguſtodunum & Baſilea, ab alio Camaracum & Atrebatæ. Certè in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, inter provinciæ Belgicæ ſecundæ civitates duodecim *civitas Bononienſium* poſt *civitatem Morinûm* ſive Teruannam ultima numeratur. Et noſtri Hiſtorici qui de Pharo Bononienſi ante annos octingentos referunt, *Bononiam civitatem maritimam* omnes appellant. Robertus in Chronico quod in anno MCCX. deſinit, in Remenſi provincia poſt *civitatem Morinûm civitatem Boloniam* ponit extremo loco. Civitates autem non alias urbes appellitabant, quàm quæ ſedes Epiſcopatûs erant, aut ſaltem aliquando fuerant, cathedrâ aliò tranſlatâ: quales urbes à Burgundionibus noſtris aliiſque *civitatum* nomine hodieq; deſignari ſolent *Citez*. Poſtea videtur Bononienſis portus Epiſcopo caruiſſe. Nam & Gervaſius Tiſlebertenſis Roberti fere æqualis, & Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ ante annos CCCC. & CCCL. compoſitæ, ſub Remenſi quidem metropoli *Morinenſem* ſive *Teruanenſem* ponunt, Bononienſis mentionem nullam faciunt. Quo faciliùs ignoſcendum eſt Joſ. Scaligero, *Teruannæ Epiſcopalem ſedem Bononiam tranſlatam* aſſerenti; & Petro Maſſoni, qui ex Teruannæ ruinis tres Epiſcopatus conſtitutos eſſe ait, Bononienſem, Iprenſem & Audomarenſem, & Bononienſem *anno* MDLXVI. *Epiſcopum habere cœpiſſe.* Meliùs tamen & veriùs ambo dixiſſent, vete-

rem Epiſcopatus ſedem reſtitutam Bononiæ, quam novam tum primùm ibi conſtitutam.

Cluverius in libri II. de Antiqua Germania capite XXVIII. *Icium portum*, quo nomine Cæſar utitur, primùm dictam fuiſſe eam urbem putat, deinde *Geſſoriacum*, ac demum *Bononiam*: quæ vulgò *Bolonia* vocatur, ut caſtrum Nantonis *Chaſteaulandon*, nanpreda *lamproye*, unicornis *licorne*. Samſon Cluverium ſequitur, ne nominatum quidem, & *portum Icium*, *Geſoriacum*, ac *Bononiam* unius loci tres eſſe appellationes affirmat, à variis auctoribus pro varietate temporum uſurpatas. Sed Cluverio & Samſoni de Icio portu nimimè aſſentior.

GETVRNICVM.

Urbem Geturnicenſem memorat auctor II. librorum de Vita S. Genulfi Conf. & *Dioſcorum* quemdam *Principem civitatis*, quem & *Ducem* vocat. Eam autem urbem extra Aquitanicam quidem ponit in capite XVI. libri I. non longè tamen à pago Biturico: quam mihi incognitam eſſe profiteor.

GIEMVM.

In Hiſtoria Epiſcopotum Autiſſiodorenſium ante annos aliquot publicata *Giemus* memoratur, necnon *feodum Giemi*, & *Giemum caſtrum nobiliſſimum Hervei de Donziaco*, priſci Comitatus caput. *Giemum* & ſcriptores noſtri ac veteres tabulæ, nonnumquam etiam *Giemacum* appellant. Vulgò *Gien* a Noſtris dicitur, eſtque in Diœceſi Autiſſiodorenſi ad flumen Ligerim poſitum, opidum nunc potiuſquàm caſtrum, in Senonum & Aurelianenſium Carnutumve confinio. In Aurelianis refellimus eos, qui Genabum Carnutum *Gien* eſſe affirmant. In veteribus conſuetudinibus Floriacenſis Monaſterii *Præpoſitus de Everavilla, Prior de Stampis, Prior de Giemo, Præpoſitus de Villa Abbatis* commemorantur: ubi *Giezno* corruptè impreſſum reperitur pro *Giemo*.

Proximum eſt Giemo Giemum vetus, *Gien le Vieil*, inter Solliacum & Giemum, ſed Giemo multo propius. Niſi ſi *Gien la ville* potiùs vocari debet & ſcribi, hoc eſt *Giemus villa*, ut à Giemo caſtro eo cognomine diſtinguatur.

S. GISLENI CELLA.

Giſlenus regnante apud Auſtraſios Francos Sigiberto juniore, Dagoberti filio, non lapidibus modò ſed etiam legibus inſtitutiſque fundavit Monaſterium, *Cellam Apoſtolorum* à Patronis olim dictum, nunc *Cellam S. Giſleni*, vulgo *S. Ghiſlain* vel *Guilain*: quod & loci & Cœnobii ſimul nomen eſt. *Gillini Monaſterium* vocant Annales Bertiniani in rebus anni DCCCLXX. id eſt ut puto *Giſlini* vel *Giſleni*: quod Diviſio Regni Lotharii anno eodem facta in Capitulis Caroli Calvi *Culdini Monaſterium* nuncupat, nomine prorſus ignoto atque corrupto. Locus antea *Urſidongus* appellabatur, ad Hainam aut Hagnam flumen, proximus Caſtriloco ſive Montibus Hanoi pagi in Diœceſi Camaracenſi. Ghiſlenus quippe in Urſidongo ſtruxiſſe dicitur oratorium & Monaſterium in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quod eam ob rem *Cellam Apoſtolorum* vocaverit Hæc nunc ab auctore *Abbatia S. Ghiſleni* appellatur, eſtque prima totius Hanoi; Haſnonium ſecundum locum tenet.

GISNÆ MORINORVM.

Lambertus Ardenſis Eccleſiæ Presbyter qui de Comitibus Giſnenſibus ante annos CCCCXL. Principatu Philippi Auguſti Francorum Regis ſcripſit, quæ Hiſtoria in Bibliothecis nonnullis ſcripta ſervatur, nunc *Giſnas*, nunc *Ghiſnas* & *Ghiſnenſe opidum* appellat, & *Ghiſnenſis opidi munitionem ſive Dunionem* commemorat, traditque Thomam Archiepiſcopum Baldvino Comiti Giſnenſium *in ſignum Militiæ gladium lateri, & calcaria ſui militis pedibus adaptaviſſe, & alapam collo ejus inflixiſſe*. Giſnæ vel Ghiſnæ vulgò dicuntur *Guines*: ſicuti Gelra *Gueldres*, Genapia *Guenepe*. Eſt autem opidum ſtagno impoſitum, hinc aquis, inde ſilvis & montibus cinctum atque circumdatum: à quo nomen accepit pagus Comitatuſve Giſnenſis, *Comté de Guines*: cui Comitatui Arda vel Ardea caſtellum *Ardre*, Fielnæ *Fiennes*, loca Lamberto memorata, VVirſane, Andria, Bredenarda, Sangata, & Colemude caſtella, aliaque attribuuntur. Guillelmus Abbas Andrenſis qui Chronicon Monaſterii ſui compoſuit, in anno MCCXXXIV. deſinens, *Giſnenſem Comitem*, & *Giſnes* opidum commemorat; quod opidum & *Giſnas* & *caſtrum Giſnenſe* appellat: & Comitatum Giſnenſem quem *Giſniam* a capite ejus vocat, unà cum Epiſcopatu Teruannenſi *Flandriæ* attribuit. Idem fluvium Giſnarum *Ledam* videtur nuncupare, eumdem modò *fluvium de Gines*, modò *Ledam de Gines* ac *Ledam de Giſnes* vocans, item *fluvium inter Giſnas & Coloniam* (Couleine) *fluentem*. Idem ſtagnum Giſnarum *mareſcum de Gines*, necnon *ſtagnum de Giſnes*, & *mareſcum Comitis* appellat. Iperius in Chronico Monaſterii S. Bertini ita de Comitatus Ghiſnenſis origine ac inſtitutione refert. *Poſt converſionem Normannorum, quidam de Danorum reliquiis nomine Sifridus Danus, qui hoc Monaſterium & patriam cum Danorum exercitibus frequenter affligendo deſtruxerat, cum ſua turma huc rediit, & Ghiſnas villam & patriam occupans, nobis abſtulit*, (Monachis Sithienſibus ſeu Bertinianis) *& ſibimet uſurpans, ſedem ſuam in ea poſuit, tuitionem & caſtrum conſtruxit, & ſe Ghiſnarum dominum appellavit: quem Comes Flandriæ Arnulfus in facto ſuo ſuſtinuit, & ad fidelitatem & hominagium de terra Ghiſnenſi recepit*: fratre Arnulfi Adalulfo, qui Comes Bononienſis & Ternenſis, ac nihilominùs Abbas Sithienſis erat, nequidquam repugnante, ac auxilium à fratre petente.

GISORTIVM.

Giſortium, Sugerio, Rigordo, & Guillelmo Brittoni Armorico, cunctiſque adeò poſt Ludovicum VII. Francorum Regem rerum Nortmannicarum ſcriptoribus notiſſimum celebratiſſimumque caſtrum, in Veliocaſſibus ad flumen Ittam poſitum, *Giſors*: à Rigordo *caſtrum Giſortium*, *Giſortis* ab Orderico in libro Hiſtoriæ XII. dicitur, & Rodbertus de Candos *Mu-*

nio Regi Dangionis Giſortienſis, hoc eſt præfectus Regiæ arcis turriſve Giſortienſis ac munitionis. Dangionem hodie vocamus (*le Donjon*) non totam arcem, aut turrim munitionemve totam, ſed ſummam arcis præcipuæve turris partem, ſeu ſupremum ejus tabulatum: quo in loco olim Nobiles vel Caſtellanos habitare conſueviſſe alibi obſervavi.

GLANNAFOLIVM.

Prædium in pago Andecavenſi *Glannafolium*, *Glanfeuil*, ad Ligerim poſitum, nomen ſuum dedit Monaſterio Glannafolio vel Glannafolienſi, quod quatuor olim eccleſias habuiſſe, & multitudine ac pietate Monachorum plurimum floruiſſe dicitur. Nunc depoſitâ loci appellatione *Cœnobium S. Mauri* à conditore (ut ferunt) ſuo Benedicti diſcipulo nuncupatur, *S. Maur ſur Loire*, & parvas quidem opes, ſed Abbatem Regulæ ſubjectum habet. *Monaſterium Glannafolium in Andegavenſe territorio* vocat Glaber Rodulfus ante annos DCXX. in libri III. capite V. quidam *Glandifolium*. Hoc Cœnobium Rex Pippinus Gaidulfo cuidam Ravennati beneficii loco donavit. Quare Glannafolienſes Monachi rerum omnium inopiâ preſſi, depoſitis indumentis Monaſticis, habitum Canonicorum aſſumſere: ut ait Odo in libro Miraculorum S. Mauri. Sed poſtea ex Canonicis iterum Monachi ſunt facti, quales hodieque ibi perſeverant, ordinis Monaſtici ſervantes.

GLANNATEVA.

Ea urbs nec à Plinio, nec à Strabone aut Ptolemæo uſquam memoratur, ſed in veteribus tantùm Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ: in quibus nunc *civitas Glannatina & Glannatica*; nunc *civitas Glanatena*; modò *civitas Glannateva*, modò *civitas Glamnateva* appellatur, atque inter VIII. provinciæ Alpium Maritimarum civitates VI. loco ponitur. In Roberti Chronico corruptè *Civitas Glandis* Alpium Maritimarum ſexta dicitur. Quædam recentiores Notitiæ, ante annos CCCC. ac CCC. compoſitæ, *Glandetum* nuncupant, & Sanitio Vintioque præponunt, ac Ebrodunenſis provinciæ quintam civitatem faciunt. Nonnullæ *Glandacum* & *Glandatum* vocant, & in ultimum locum rejiciunt. Concilio Aurelianenſi IV. Indictione IV. Baſilio V. C. Conſule interfuit atque ſubſcripſit, *Benenatus P. miſſus à Domino Claudio Epiſcopo civitatis Glannatenſis*: Concilio Aurelianenſi V. *Indictione* XIII. *anno* XXXVIII. *regni Childeberti Regis*, Chriſti DXLIX. *Baſilius Epiſcopus Eccleſiæ Glannatenſis* adfuit; Concilio Pariſienſi IV. *Promotus Epiſcopus Eccleſiæ Glannatena*; Synodo Matiſconenſi II. *Agrœcius Epiſcopus Eccleſiæ Glannatina*. Ego & ſubſcriptiones iſtas, & Notitias veteres mendoſas eſſe credo, & pro *civitas Glannatina*, *Glannatica* & *Glanatena*, *civ. Glannativa* & *Glanateva*; pro *Eccleſia Glannatina*, *Eccleſia Glannativa*; pro *civitatis* vel *Eccleſiæ Glannatenſis*, *civitatis* aut *Eccleſiæ Glannateūſis*, id eſt *Glannatevenſis* ſcriptum fuiſſe, & ita emendari oportere arbitror. Vulgò enim ea urbs *Glandeve* vocatur, aut *Glandevez*. T autem in D mutari poteſt, n in u mutari nec poteſt nec ſolet. Nec eſt, quòd quis dicat Noſtros ex Conventu, Monaſterio, ſponſa *Convent*, *Mouſtier*, *eſpouſe* facere, ex conſtare *couſter*, ex conſuere *coudre*. Non enim heic n in u, ſed littera o quæ n præcedit, in ou mutatur: cui rei argumento ſunt Toloſa, totum, mori, Ecoliſma, Toarcis, nos, vos, rota, rotula, Columbaria, Molinæ, bodium vel botum, ac mille alia, quæ Noſtri ita reddunt, *Toulouſe*, *tout*, *mourir*, *Angouleſme*, *Touars*, *nous*, *vous*, *rouë*, *rouelle*, *Coulomiers*, *Moulins*, *bout*. Quibus in nominibus negare nemo poteſt o in ou apertiſſimè converti.

Sincerum itaque nomen urbis eſt *Glannativa*, vel *Glannateva* aut *Glamnateva*, ut quædam Notitiæ ſcriptum præferunt. Nam *Glandis*, *Glandacum*, *Glandatum* atque *Glandetum* recentiora ac trunca corruptaque vocabula haberi convenit.

Poſita eſt ad ripam dextram Vari fluminis Glannateva, cujus incolæ ſe a Glannatevenſibus dominis pecuniâ redemerunt, Regibuſque noſtris ſubjecerunt. Fuit autem forſitan caput *Velaunorum*, qui apud Plinium *Neruſiis* ſeu Vintienſibus, & *Suetris* vel Salinenſibus medii interponuntur; aut certè *Oxybiorum*, qui unà cum Salyis & Deceatibus *Ligurum celeberrimi ultra Alpes* à Plinio vocantur.

A V. C. Gaſſendo accepi, nihil nunc de Glannateva ferè ſupereſſe, ſive montis alicujus ruinâ obruta, ſive incenſa ac bellis everſa eſt: in opido igitur cui à ſitu nomen eſt Intervalles, (*Entrevaux* vel *Entervals*) majorem Eccleſiam & domum Eccleſiæ ſedemve Epiſcopi è ſapino eſſe ad II. lapidem à Glannateva. Inter Glannatevam autem & Intervalles Varus ponte ſtratus interfluit.

GOBÆVM PROMVNTORIVM.

Ptolemæus poſt Brivatem portum, Herii fluminis oſtium, & Vindanam portum ponit in Gallia Lugdunenſi Gobæum promuntorium, Γόβαιον ἄκρον. Quod Noſtri promuntorium vel caput S. Matthæi vocant, *le Chef de S. Mabé*, à caſtro Britanniæ minoris maritimo, quod S. Matthæi Apoſtoli nomine gloriatur, *S. Mabé*. Alii promuntorium vel caput Fagi appellare malunt (*cap du Fou*) à caſtro *Fago*, *le Fou*.

GORZIA.

Chrodegangus Mettenſis Epiſcopus *conſtruxit Monaſterium quod Gorzia vocitatur, ubi non modicam multitudinem adunavit Monachorum*, & corpus S. Gorgonii Mart. à Paulo Epiſcopo Romano impetratum, in Baſilica Gorziæ Monaſterii anno DCCLXVIII. collocavit, atque ibi ſepultus eſt, ut Paulus in libro de Epiſcopis Mettenſis Eccleſiæ aliique ſcribunt. *Cœnobium Gorziam, eſſe ſitum in confinio Mettenſis civitatis* ait Hariulfus. Frotharius Tullenſis Epiſcopus in epiſtola ad Drogonem Eccleſiæ Mettenſis Epiſcopum *Cœnobium Gorzenſe* appellat. Hoc Monaſterium nomen à loco ubi ſitum eſt, accepit, locus autem à fluviolo Gorzia, qui Gorziam monti impoſitam præterlapſus, ſupra Mettos in Moſellam defluit apud Novientum vel Novigentum, *Noviant*. Locus unà cum

Monaſterio vulgò dicitur *Gorze*, poſituſque eſt in Comitatu pagoque Scarponnenſi.

GOSLENI FONS.

Ordericus Vitalis in libro Hiſtoriæ XII. *Goiſlevi fontem* memorat, & cum Gornaco, Giſortio, ac Firmitate velut locis proximis conjungit: quem *Goiſleni fontem*, vel potiùs *Goſleni fontem* vocandum eſſe nemo non videt, & ita Ordericum emendari oportere. Locus eſt in Diœceſi Rotomagenſi, Gornaco ac Firmitati in Braio vicinus, proximus finibus Bellovacorum, quibus & à nonnullis attribuitur, vulgò *Gaillefontaine*: quem recentiores corruptè Galionis fontem appellant.

GRADICUM.

Illuſtre eſt in Sequanis ad flumen Ararim caſtrum Gradicum olim dictum, nunc *Grey*. Johannes Beſuenſis Monachus, qui circa annum MCXL. de Monaſterii ſui Abbatibus ſcripſit, ejus loci non ſemel meminit, quum ait Hugonem Præpoſitum *conceſſiſſe S. Petro unum manſum in vico Villari prope Gradicum caſtellum*. Ibidem memoratur *villa quæ dicitur Neronis juxta Gradiacum caſtrum*. Ex IV. Archidiaconatibus Eccleſiæ Veſontionenſis ſecundus eſt Gradicenſis.

GRANCEIUM.

Guillelmus Abbas Monaſterii S. Theoderici in libri I. de Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis capite III. *caſtri Grancei* meminit ante annos D. his verbis. *Cùm ad fratres pergeret, in obſidione caſtri quod Granceium dicitur, cum Duce Burgundiæ conſtitutos*. Vulgò *Grancay* dicitur, caſtrum nunc Comitivæ titulo gaudens. Chronicon Beſuenſis Monaſterii S. Petri in anno MCXL. definit, in quo nunc *Granceium*, nunc *Granciacum* caſtrum illud vocatur.

GRANDISSILVA.

Grandiſſilva locus eſt in Septimania Diœceſique Toloſana, magnæ ſilvæ adjacens, atque à ſitu nomen habens, veteri Monaſterio ejuſdem nominis inſignis, *Grand'ſelue*. Bernardus Claravallenſis in epiſtola CCXLII. *Coabbatem ſuum Bernardum de Grandiſilva* commemorat. Gaufridus Monachus in libro III. de Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis *Guilielmus*, (inquit) *qui olim Montiſpeſſulani dominus, nunc humilis Monachus degit in Cœnobio, quod Grandiſſilva vocatur*. Guillelmus de Podio Laurentii in Chronici capite XXXIX, *Abbatem Grandiſſilvæ D. Heliam Garini* nuncupat. Eadem ratione Noſtri *Grandem campum* à magna planitie dixere unum è XLV. Prioratibus aut cellis Cluniaco ſubjectis; & *Grandemmontem*, *Grammont*, qui locus *Ordini Grandimontenſi* nomen ſuum dedit atque originem anno MLXXVI. & *Grandem Vallem* in Sequanis Diœceſique Veſontionenſi, locum Monaſterio clarum, *Granvelle* vulgò dictum & *Granfel*.

GRANNONA ET GRANNONVM.

Notitia Imperii Romani *Grannona* & *Grannoni* ceu diverſorum locorum in tractu Armoricano vel in provincia Lugdunenſi II. & III. Ligerim inter & Sequanam ſitorum meminit hiſce verbis. *Sub diſpoſitione V. S. Ducis tractus Armoricani & Nervicani Tribunus cohortis primæ novæ Armoricæ Grannona in litore Saxonico*: & paullo infrà. *Præfectus militum Grannonenſium Grannone*. Grannona hæc, videtur mihi eſſe *Garande* vel *Guerande*, caſtrum in Britannia minore, promuntorio impoſitum inter oſtia fluminum Ligeris & Vicinoniæ. Grannonum, à Grannona ſola terminatione differens, quid ſit haud facilè dixerim. Tantùm conſtat, in ora Galliæ Lugdunenſis inter Ligerim & Sequanam quærendum eſſe. Reperio quidem *Gravinum* prope Venetos in tabula Peutingeriana: nomen ad Grannonum accedens: ſed idem obſervo, in Notitia Imperii Rom. ſæpe unius loci nomen bis repeti, ſeu ex uno duo loca fieri.

A Grannona ſeu Gueranda non multum abeſt vicus S. Nazarii, *S. Nazare*, Reliquiis Nazarii Martyris, & veteri Monaſterio aut (ut vulgò loquuntur) Abbatiâ inſignis ad Ligerim in pago Namnetico, non procul ab oſtio fluvii, ſive a vico Cruciaco *le Croiſic*. Ejus loci mentionem fecit Gregorius Noſter in libro de Gloria Martyrum his verbis ante annos MLXXX. *In territorio urbis Namneticæ, in vico quodam ſupra alveum Ligeris B. Nazarii Reliquiæ continentur*, &c. Ibi & Abbatem commemorat: ut appareat ibi Monaſterio Reliquias Martyris ſervanti Abbatem jamtum præfuiſſe.

GRASSA.

Graſſa civitas nova eſt, quò ſedes Epiſcopatûs Antipoli tranſlata propter cotidianas prædonum incurſiones & cædem Epiſcopi Antipolitani. Nam Antipolis portus eſt ad mare Gallicum; Graſſa autem arce munita & à mari remota paullulum. Et Robertus quidem in Chronico quod circa annum MCCX. cōpoſuit, inter Arelatenſis provinciæ civitates ante ætatē ſuam ait ultimam fuiſſe *civitatem Graſſam*; ac nihilominùs *Alpibus Maritimis civitatem Antipolim* adſcribit ſub Ebroduno metropoli. Quod ſi verè à Roberto dictum eſt, Graſſam ex Arelatenſi provincia in provinciam Alpium Maritimarum tranſlatam poſtea eſſe credendum eſt, & in locum Antipolis ſubſtitutam. Nam quem Gervaſius Tiſleberienſis Roberti æqualis, & Notitia circa annum MCCXXCV. ſcripta Epiſcopatū *Antipolitanum* vocant, & Burgundiæ provinciæ Ebrodunenſi quarto loco adſcribunt; eumdem Notitia poſt annum MCCCXXII. compoſita in Provincia ſub Archiepiſcopatu Ebrodunenſi *Gracenſem* Epiſcopatum appellat. In Itinerario Gregorii XI. *Graſſa Provinciæ* nuncupatur, vulgò *Graſſe*, & tres leugas abeſt ab urbe Antipoli, Alpibus proxima civitas, *Graca* etiam nonnumquam dicta, quæ hodieque Ebrodunum caput Alpium Maritimarum pro metropoli habet, & Leronem ac Lerinum inſulas ſibi ſubjectas ac parentes. *Caſtrum Graſſæ, & Conſules ac populus ibi commorantes* memorantur in litteris Hadriani PP. IV. datis anno MCLIV.

Anno MCCCC. *Iacobus Gilli Vicarius Graſſæ*

fuit. *Honoratus Bonifatii Caſtellanus Palatii ejus civitatis, Ludovicus Bonifatius Syndicus Graſſe.*

GRAVENENGÆ.

Theodoricus Flandriæ Comes cum filio ſuo Philippo in parochia S. VVillebrordi villam novam & portum novum fecerunt, quem nominaverunt Nieuportum: nunc dicitur Graveringas: ut ſcribit Johannes Iperius in Chronico Sithienſi. Hæc eſt origo Gravenengarum circa annum MCLX. Nam Theodoricus Comes Flandrenſium, Philippi Comitis pater, anno MCLXVIII. deceſſiſſe dicitur à Meiero. Thomam Cantuarienſem anno MCLXV. cùm in Galliam transfretaſſet ob perſecutionem Regis, *veniſſe Gravelingas. & Gravelingis Clarum mariſcum* prodit Iperius, & anno MCXXCIV. Abbatem Sithienſem Simonem ab Alexandro PP. III. privilegium accepiſſe, *ut reſtitueretur numerus Monachorum in Cura de Neoportu, id eſt Gravelingas*. *Gravenenghe* idem appellat. Locus ergo ille dictus eſt primùm *Novus portus*, vel *Neoportus*, aut *Nieuport* Iperio creditur; poſtea *Gravenenga* vel *Grevenenga* vulgo *Grevelinghe* Flandrentibus, Noſtris *Gravelines*. Guillelmus Abbas Andrenſis in Chronico quod ad annum MCCXXXIV. deduxit, *Greveninghes* ſæpe appellat, id eſt Greverengas; *Greveningam* ſemel *Anno MCCXIV. per Greveninghes & terram de Merch tranſitum facientes, miſeram terram de Giſnes iterum intrant Flandrenſes.* Gravenengæ poſitæ ſunt ad Oceanum, & ad Agnionem fluvium, *Aa* vulgò dictum, & litterà n in l mutatà Gravelinga poſtea ſunt nuncupatæ; ut Caſtrum Nantonis *Chaſteaulandon*, unicornem *licorne*, Bononiam *Boulogne*, nanpredam *lamproye* Noſtri dictitant. Rigordus in anno MCCXIII. *Gravaringas villam opulentam in finibus Flandriæ, ſuper mare Anglicum ſitam* vocat, portum *Gravelingam*; VVillelmus Britto in libro II. & IX. *Gravenenghes* veteres litteræ.

Philippus Comes Flandriæ in litteris datis anno MCLXX. *Parochianos ſuos de Calais, Graveninghes, Neoportu* memorat. Quibus verbis malè intellectis deceptus forſitan Iperius, Graveningas primò *Neoportum* vel Novum portum appellatas eſſe credidit tradiditque: cùm in litteris Philippi tria diverſa loca deſignentur, Caleſium, Gravenengæ, & Neoportus ſive Novusportus, *Nieupoort*, in Flandrenſi ora poſitus Dunkircam inter & Oſtendam. Quidquid ſit, Theodericum Alſatium Flandriæ Comitem pro conditore Gravenengarum habent omnes & agnoſcunt.

GREDONENSE CASTRVM.

Gredo vel *Gredonenſe caſtrum* à Gregorio Turonico Epiſcopo in libri I. Hiſtoriæ Francicæ capite XXXII. memoratur. *Irruentibus Alamannis in Gallias, S. Privatus* Gabalitanæ *urbis Epiſcopus in crypta Memmatenſis montis ubi jejuniis orationibuſque vacabat, reperitur, populi* Gredonenſis *caſtri munitione concluſus*. Quæ verba ſub finem mendoſa eſſe nemo non videt, ac nihil boni ſenſus habere: quæ ego additâ unâ litterulâ, & alterâ mutatâ ſic emendo; *populis Gredonenſis caſtri munitione concluſis*. Indicat igitur Gregorius Privatum Epiſcopum relicta urbe Gabalis, quoniam Barbaris reſiſtere infirma non poterat, in cryptam Memmatenſis montis confugiſſe ibique latuiſſe: at incolas urbis Gabalorum in Gredonenſe caſtrum ſeſe recepiſſe, quod munitiſſimum erat, & à monte vicoque Memmatenſi parum aberat. *Gredonem* vel *Gredonenſis caſtri munitionem* olim exiſtimavi eſſe *Monredon*, qui locus Gabalis attribuitur: ſed poſtea acceſſi Catello, qui Gredonem *Greze* interpretatur. Eſt autem Greze nunc ex caſtro vicus radicibus montis adpoſitus, ab urbe ac monte Memmate vel Mimate non multum diſtans. Animadverto tamen *Credonis* (*Credon*) & *Vicecomitatus Credonenſis* apud Gabalos fieri mentionem.

GRENTONIS MANSIO VEL MANSIONILE.

Apud Ordericum Vitalem in libro VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Normannorum hi leguntur verſus, tumulo Hugonis de Grentemaiſnilio inſcripti.

Manſio Grentonis munitio dicitur ejus:
Unde fuit cognomen ei, multis bene notum.

Ergo *Grentemaiſnil*, vel ut vulgo dicitur *Gratemeſnil* eſt Grentonis manſio, vel manſionile ſeu parva manſio: itaut à Grentone domino locus nomen acceperit: quod nomen fuiſſe præ ceteris cujuſdam Divionenſis Monaſterii S. Benigni Abbatis, docet in libro laudato Ordericus.

GVADER.

Ordericus Vitalis in libro XII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Normannorum *Guader* & *Montemfortem* in regione *Brittonum opida* commemorat: quorum alterum haud longè à civitate Redonum *Monfort la Canne* vocatur; alterum contracto nomine *Guer* nuncupatur, nec procul abeſt à Monteforti.

GVARENNA VEL VARENNA FLVVIVS ET LOCVS.

Guarenna ſeu Varenna *Varenne* locus in Caletis fuit, Comitatûs olim titulo illuſtris, a fluvio nomen ſuum nanctus. Utriuſq; cùm loci tum fluvii meminit Ordericus Vitalis in libro XII. Hiſtoriæ: ubi G. *de Guarenna* memorat, & *Guarennam* numerat inter IX. Normanniæ fluvios cis Sequanam, Rotomago Lugdunenſis ſecundæ metropoli attributos.

GVATEVILLA.

Guatevilla Guellebodo proxima, poſita eſt ad ripam ſiniſtram fluminis Sequanæ contra Calidumbeccum; turremque olim habuit adverſus incurſiones piratarum. Certè *turrim de Guatevilla* memorat Ordericus in libro XII. Hiſtoriæ ſuæ, proximamque huic loco *Brotonam ſilvam*. Guatevilla vulgo nunc vocatur *Vatteville*; Brotona autem ſilva *Routot*: à qua vicus quidam Haga Brotonæ cognominatur, *la Haye du Routot*. Aliis *Bretot* dicitur, & vicus ibidem ſitus Capella Brotonæ, *la Chapelle de Bretot*.

GVELLEBOD.

Guelleboth & *Guellebod*, hoc eſt *Guellebotum* vel *Guellebodum* vocat Richardus Normannorum Comes, Richardi pater in litteris ſuis his verbis. *Piſcatoriam in flumine Tolca, in Sequana verò tractus octo ſaginarum, duarum ſcilicet in portu Danes, & quatuor in Guelleboth,* (*Guellebod* ibidem dicitur) *duarum in foſſa Herluini.* Vulgò *Quellebeuf* nunc dicitur, vicus appoſitus Sequanæ ad Oceanum properanti; *Quellebot* ſeu *Quellebotum* in aliis veteribus litteris vocatus. Incolas loci Guellebodios ſeu Guellebotenſes, *les Quellebois* appellitant accolæ, & eodem nomine naves eorum nuncupant. Altiſſimus heic eſt Sequana atque latiſſimus, & maris quàm fluminis ſimilior; adeò ut multi Guellebotum ad verum oſtium Sequanæ poſitum ſibi videri aſſerant, cetera eſſe maria uſque ad Portum Gratiæ, inſinuante ſe terris Oceano, & obvium Sequanam excipiente. Locus haud dubiè à re nomen accepit. *Bot* enim vel *bod* altum ac profundum linguâ Gallicâ ſignificat: ibi autem maximæ eſt altitudinis Sequana. Sic & *Elbotum*, *Elbeuf*, Galli nuncupavere, quòd ibi præcipua altitudo inciperet fluminis Sequanæ, nullum ampliùs fluvium memoriâ dignum præter Riſelam accepturi. *Melbodium*, *Maubenge*, iidem vocavere ab incipiente ibi altitudine Sabis. Metrodorus apud Plinium in libro III. ſcribit, *Ligurum linguâ amnem* Padum *Bodincum vocari, quod ſignificet fundo carentem*, & apud opidum *Bodincomagum præcipuam* ejus *altitudinem incipere.*

GVENORICVM.

Loci hujus mentionem facit Hugo de Cleeriis in libello ſeu commentario de Majoratu & Seneſcalcia Franciæ, in quo ita de ſe refert. *Ego itaque Hugo de Cleeriis perrexi Pariſius; dehinc ad Guenoricum inveni Regem* (Ludovicum cognomine Craſſum, Philippi filium) *& Comitem Bellimontis. Eo itaque invento apud Guenoricum inter Ponteſiam & Bellummontem & Calvummontem, locutus ſum cum domino Rege. Guenoricum* ergo inter Pontemeſiæ vel Brivam Iſaræ & Calvum montem Veliocaſſium ac Bellum montem Bellovacorum poſitum, eſt haud dubiè *Vigneri* in Bellovacis ad amniculum, qui poſtquàm Merucum, Guenoricum & Camliacum alluit, apud Bellummontem in Iſaram effluit..

GVGERNI.

Plinius in Belgica inter *Rhenum accolentes Germaniæ Gentes* ponit *Ubios* cum Colonia Agripp. *Gugernos, Batavos.* Apud Tacitum *Bonna, Colonia Agrippinenſis, Noveſium, Gelduba, Gugernorum pagi* ordine commemorantur in libro IV. Hiſtor. itaut Gugernos à Gelduba, Noveſio & Colonia Agrippinenſi parum abeſſe, ex eo colligi poſſit. Eoſdem in libro V. bis *Cugernos* vocat, ac Batavis cõjungit. *Tredecim millibus paſſuum infra opidum Geiram* Neriſio amni appoſitũ, *Gelre* aut *Gelder*, Noſtris *Gueldres* dictum, *eſſe Goch opidum*, ſitum ad ejuſdem fluminis ripam, quod *Gugernorũ nomen retineat*, ſcribit Cluverius in Germania antiqua. Tolbiacum quidem *vicum Superorum* aut *Supernorum* quum apud Æthicum reperio, inter Belgicam vicum & Agrippinam, pæne adducor ut credam pro *vico Supernorum vicum Gugernorum* mutatis duabus litterulis legi oportere: idque ſitus locorum & Gentium videtur perſuadere. Certè nemo negaverit Gugernos multo magis ad Superiorum aut Supernorum nomen quàm Sunicos aut Sinucos accedere. Neriſius autem fluvius, vulgò *Neers*, *Nerſa* veteribus dictus, VVachtenduncam, Gelram caput Ducatus Gelriæ, Goch, aliaque Clivenſium opida & municipia attingit, & ad Gennapiam in Moſam devolvitur, poſtquàm inter Rhenum & Moſam medius effluxit.

GVISVM CASTRVM.

Frodoardus loci ejus mentionem fecit in Chronico. Anno DCCCCXXXVIII. *Ludowicus Rex maritima loca petens, caſtrum quoddam portumque ſupra mare, quod dicunt Guiſum, reſtaurare niſus eſt: dumque cum Arnulfo moratur*, &c. Arnulfum Flandriæ Comitem intelligit. Hoc caſtrum maritimum, Flandriæ proximum & portu inſigne, debet eſſe *Viſan*, vel *Vitſan* inter Amblitolium & Caletium poſitus portus, ſed Amblitolio propior, nunc obſtructus.

Lambertus tamen Ardenſis in Hiſtoria MS. Comitũ Ghiſnenſium, quam Philippo Auguſto regnante ante annos CCCCLX. ſcripſit, *VVit-ſant* appellat, & ab alba arena nomen accepiſſe ait his verbis. *Apud Stronas Britannicum ſecus portum qui ab albedine arenæ vulgari nomine appellatur VVit-ſant, Monachorum conſtruxit Monaſterium.* Idem ibidem *VVitſandum portum.* & *VVichſandum* nuncupat, ut ſuprà *portum Britannicum*, id eſt, ex quo navigatur & trajicitur in inſulam Britanniam. *VVith* ergo vel *VVich* album, *ſant* aut *ſand* arenam tum apud Morinos ſignificabat. Vulganius Anglus, vir ſanctus, ex Anglia in Gallias navigans, *appulit ad portum VVitſam appellatum: qui videlicet locus ex albentis ſabuli interpretatione tale ſortitur vocabulum*: ut in Vita S. VVlganii reperio, ubi legendum eſt *VVitſant.*

GVNDVLFI VILLA.

Anno DCCCLXXIII. *apud Gundulfi villam* Glorioſus Rex Karolus cognomine Calvus conventum generalem omnium Regni ſui Epiſcoporum Procerumque habuit, ut Capitularia ejus docent: quod Annales Bertiniani anno DCCCLXXII. factum eſſe tradunt, & Gundulfi villam Arduennæ & Moſæ propinquam faciunt. Ejuſdem villæ Regiæ vel publicæ meminit Concilium Duciacenſe his verbis. *Quamvis has litteras in Gundulfi villa ſuſcepiſſetis.* Meminere & Annales Fuldenſes. Anno DCCCLXXX. *Hludouvicus quoſdam ex fidelibus ſuis obviam legatis nepotum ſuorum ad villam Gundolfi tranſmiſit.* Frotharius Tullenſis Epiſcopus in epiſtola ad Hilduinum Abbatem, *Palatium Gundunvilla* vocat, & ibi ſolarium ac parietem è lapide ſe ab Imperatore Ludovico Pio ſtruere juſſum eſſe ait. Aubertus Miræus (quem VVilthemius ſequitur) hoc Palatium Regium ſeu villam Dominicam ad Moſellam collocat prope Tullum

Leucorum, haud dubiè Frotharii auctoritate adductus: itaot vicum Moſellæ ſilvæque adjacentem ac Tullo proximum, qui *Contrevilie* nunc dicitur, pro *Gundulfi villa* planè habere videatur. Quod ut incertum eſt, ita certiſſimum, vicum *Contreville* dici in Vita S. Bernardi *locum Gundervillam prope Leucorum urbem*. Blondellus Campanenſis *Gundulfi villam* putat eſſe *Gondreville*, vicum non obſcurum, ab Axona II. leugis, ab opido S. Manichildis IV. ab urbe Durocortoro Remorum cujus Diœceſi continetur, XIV. diſtantem. Cellotius qui Concilium Duciacenſe publicavit, Gundulfi villam *Houldicourt* interpretatur, planè infelici conjecturâ, & à Latino nomine recedente: nec qua in parte terrarum ſit *Houldicourt*, nobis aperit. Eſt vicus *Gondecourt* in pago Vabrenſi ac Epiſcopatu Tullenſi, ſilvæ proximus inter Moſellam & Carem fluvios: quod nomen ad *Gundulfi curtem*, id eſt Gundulfi villam proximè accedit. Curtis enim & villa, una eademque res eſt. Ceterum *Gundulfi villa* à Gundulfo, Majore domus Theodoberti junioris Auſtraſiorum Regis, nomen mihi & originem videtur accepiſſe ante annos MLXX.

GUNTHERII CASTELLUM.

Opidum, quod caſtellum Guntheris nuncupatur, ſuper Olnam fluvium ad Curbam conſtruxit Robertus Beleſmenſis, (circa annum Domini MXC) *per quod Holmetiam regionem ſibi ſubjugare putavit*: ut ſcribit Ordericus Vitalis in libro VIII. Hiſtoriæ. Hoc caſtellum Guntherii ad Olnam vel Olnam flumen, eſt omnino, nî fallor, *Gontel*, inter Argentomum & Scoceium Olinæ impoſitū: *Gontel* inquam, r in l tranſlato, ut in peregrinus, & in tempora. *Pelerin* enim & *temples* dicimus r Latino in l tranſeunte. Holmetia autem regio, vel potiùs Ulmetia Olmetiave nomen accepiſſe videtur ab Ulmeto vel Olmeto *Ormoy*, loco ſeu vico à Caſtello Guntherii & ab Olina fluvio aliquot paſſuum millibus diſtante. Niſi ſi fortè ab Olina vel Olna flumine Olinetia aut Olnetia dicta eſt hæc regiuncula circum ripas fluminis jacens, atque pro Holmetia apud Ordericum Vitalem ſcribi debet Olinetia ſive Olnetia.

GURTO.

Monaſterium Gurtonenſe in Diœceſi Cabillonenſi memorat Gregorius noſter in libri de Gloria Confeſſorum capite LXXXVI. à nomine loci ubi ſtructum erat appellationem trahens: qui locus Gurto dicebatur, vulgò etiamnum *Gourdon*.

GUSIA.

Guſia, *Guiſe*, caſtellum olim, nunc opidum eſt ad flumen Iſaram Ducatûs titulo illuſtre, in Diœceſi Laudunenſi finibuſque Remorum poſitum. Chartularium Monaſterii Clarifontis, ſeu Eccleſiæ Clarifontenſis B. Mariæ & S. Nicolai, Præmonſtratenſis Ordinis, legi, in quo litteræ Bartholomæi Laudunenſis Epiſcopi anni MCXXXV. *Rainerũ de Guiſia* memorãt, litteræ anni MCLXVI. *Goyſiam* ter vocant, & *Godefridi de Goyſia*, ac *Rainaudi Decani de Goyſia* mentionem faciunt. In litteris datis anno MCLV. *Burchardus dominus Guiſia*, conſenſu conjugis Aelidis & Godefridi fratris, *concedit Fratribus Eccleſiæ Clarifontis, piſcationem ab Irecton uſque ad Guiſiam*. In litteris anni MCLXXVII. *R. Decanus de Guiſia, H E. A. Canonici Guiſienſes*, & *modius frumenti annuus ad menſuram Guiſienſem* memorantur; in litteris anni MCLXXIX. *Bulcardus de Guſia, & Canonici Guſienſes*; in litteris anni MCXXCIX. *Adelvia domina Guſiæ & Leſkeriarum* (*Lecries*) *Gualterus dominus Guſia, Leſkeriarum & de Atuednis*, (id eſt Aveſnis) necnon *Verricus de Guſia*: in litteris Rogeri Laudunenſis Epiſcopi anni MCXXCIX. bis aut ter *Guſia* vocatur. In ejuſdem Monaſterii tabulario reperi litteras *Iacobi domini Guſiæ, Leſcheriarum, & de Aveſnis*, anno MCXXCIX. datas. Guibertus Abbas Novigenti *Guſiam* vocat ante annos DL. *Guſia* (inquit) *hujus Laudunenſis pagi caſtellum eſt*. Hermannus Monachus, Guiberti æqualis, qui de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis libros tres ad Bartholomæum Epiſcopum Lauduni compoſuit, modò *Guſgiam*, modò *Guiſiam* nuncupat, & in libro I. *Hilduini Comitis Rocienſis* (*de Rouci*) *filiam Adam* memorat, *quam duxit Godefridus de Guſgia, & ex ea genuit Guidonem patrem Burcardi*: & in capite XI. libri III. dicitur Bartholomæus Epiſcopus Claravallenſium Monachorum *Cœnobium in Diœceſi ſua prope Guiſiam, quod Spinetum vocatur conſtruxiſſe*. Hoc ergo caſtrum nunc *Guſiam*, nc *Guſgiam*, nunc *Goyſiam* & *Guiſiam* vocavere ſcriptores noſtri: ſed rectius & ſincerius nomen eſt *Guſia*. Vulgò *Guiſe* dicitur. Monſtreletius eam in Teoracia ponit, & *Guiſe en Terrace* cognominat, id eſt *en Tierache*.

HAINOUM.

HAINOVM memorant Annales Bertiniani in rebus anni DCCCLXX. & inter *Camaracenſem* ac *Lomenſem* pagos ponunt. *Hanoium* corruptè vocant, aliàs *Hanioum* Capitula Caroli Calvi in Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta. Ludovicus Pius Imperator Aug. Caroli hujus pater, in Diviſione Regni ſui inter filios, ſi non vera certè tamen vetere, *Amau* mendosè appellat haud dubiè pro *Ainau*, & inter *Medenenti* (*le Melantois*) ac *Auſterban* collocat; *Hainau* quoque Auctarium Aquicinctinum. Aigradus Monachus Fontanellenſis de Vita S. Ansberti Rotomagenſis Epiſcopi, *Altummontem Monaſterium* ait *eſſe ſitum in territorio Hagnau vo juxta Sambra fluvium; & villam Solemnum* (*Solem*) *eſſe poſitam ſuper fluvium Save in territorio Hagnau.* *Haginoum* Sigeberto videtur dici in Chronico, anno DCCCCLIII. *bellum fuiſſe ſuper Moſam inter Conradum Lotharienſium Ducem & Raginerum Haginoenſium Comitem* referenti. Nam ab *Hagina* fluvio *Haginoum*, ab *Haginoo Haginoenſis* ethnicon deducitur. *Haginoiam* quidam vocant. Idem Sigebertus pro *Haginoo* in anno DCCCCLXXVI. *Comitatum Montenſem* nuncupat à *Monte Caſtriloco*, capite Comitatûs Hainoenſis.

Hic pagus à fluvio qui mediam regionem ſecat, nomen accepit. Fluvius autem is aliis *Haina* vel *Aina*, aliis *Hagina* & *Hagna* dicitur, aliis aliter. Ex Haina autem vel Aina fit *Hainoum*, *Hanau*, & *Ainau*; ex Hagina *Haginoum* & *Haginoia*; ex *Hagna Hagnaum* vel *Hagnau*. Germani *Henegau* vel *Haunegovv* appellitant, id eſt Hainæ adjacentem pagum; Noſtri *le Hainau* vel *Hainou*. In tabulis geographicis corruptè *Henaut* & *Hainaut* excuſum reperitur, cum *Hainau* aut *Henau* ſine littera t ſcribi oporteat.

Recentes ſcriptores Latini *Hannoniam* nuncupant, atque etiam veteres nonnulli. Sed hoc nomen apud auctores veteres ſiquando reperitur, recentiorum criticorum audaciâ mutatum & corruptum eſſe arbitror.

Incolæ Hainoi nunc *Hainoenſes*, nunc *Hainoarii* dicti, ut hodieque *Hannuiers*, aut *Hennuiers*. Fulco qui circa annum MC. ſcripſit, *Nervios* olim vocatos eſſe tradit in libro I. qui ſua ætate *Heinoarii* nuncuparentur.

Rector Montenſis, populus quem nomine priſco
Nervius aſſequitur, Heinodariuſque moderno.

Vbi legendum eſſe *Heinoarius*, nemo non videt. Idem enim eſt *Hainoum* ac *Heinoum*, idem *Hainoarius* & *Heinoarius*. Nervios autem veterum, noſtros *Hainoarios* ſaltem ex parte eſſe, indicat Bagacum Nerviorum, quod nunc Bauacum vocari, & in Hainoo eſſe omnes ſciunt. *Hainoenſes* tamen & *Hainoium* vocat non ſemel Philippus in paſſione MS. S. Salvii Mart. ad dominum Hugonem, Eccleſiæ S. Salvii Priorem, & in Hainoio *oppidum Valentianas* ac *Condatum* ponit; quæ loca hodieque ſunt Hainoi.

HAMATICVM.

A loco nomen accepit Monaſterium *Hamaticum*, quod Gertrudis avia materna Adalbaldi Rictrudis viri ædificavit, & ubi ſepulta eſt. Hoc Monaſterium Euſebia, ſacra Virgo, Adalbaldi & Rictrudis filia, Gertrudis proneptis, poſt obitum proaviæ rexit, vix XII. tranſgreſſa annum; ut ſcribit Hugbaldus Monachus Elnonenſis in libello de Vita Rictrudis, quem ad Stephanum Camaracenſem Epiſcopum compoſuit. *Hamaticum Cœnobium* memorat & Vita Amati Senonenſis Epiſcopi, atque hæc ſubjicit. *Ea duo Cœnobia, Marcianenſe & Hamaticum, opportunâ ſibi vicinitate conjuncta, ſub uno canone & amica ſocietate degebant.* Nunc utraque ad Scarpi fluminis ripas poſita ſunt in Flandria, utraque Diœceſi Attrebatenſi continentur. Hamaticum vulgò *Hamay* locus unà cum Cœnobio nuncupatur, alias *Hamaige*.

HAMMVS.

Non obſcurus eſt locus ad ripam fluminis Suminæ poſitus, à Francis conditoribus nomine Francico ſeu Germanico dictus *Ham*, à Frodoardo Latiniſque ſcriptoribus noſtris *Hammus*. Frodoardi verba ſubjiciam. *Heribertus Comes* Hammo *caſtro recepto, Hebrardum fratrem Herluinum qui illud tenebat, anno* DCCCCXXXII. *capit.* *Ham* autem Germanis veteribus & Francis Genti Germanicæ vicus vocabatur: & hodieque Germanis *Ham* vicus eſt. Quare Cluverius in ſua Germania *Hameau* & *Hamel* ſeu viculum à voce Germanica *Ham*, id eſt vico deducit, ſive hammulum aut hammellum ab hammo: Ubi videtur irridere eos, qui ab *han* quod vocabulum apud Germanos gallum gallinaceum

gallinaceum ſignificat, hoc nomen deducunt. Cambdenus Anglis, qui ut Franci origine Germani erant, *Ham* domum, manſionem & locum ſignificare ait, & *Bretenham* exempli cauſſâ domum eis eſſe vel manſionem ad Bretonum; *Kirkham* locum Eccleſiæ. Sed quidquid dicat Cambdenus, *Hem* vel *Ham* ut apud Francos, ſic & apud Anglos (qui ejuſdem regionis erant, & eadem lingua majore ex parte utebantur) vicum deſignabat. Certè Ordericus Vitalis in libro XI. Hiſtoriæ ſic ſcribit. *Angli quemdam tranſitum per ſilvam Hunelgehem dicunt, quem Latini malum callem vel vicum nuncupare poſſunt.* Vicum ergo huncce ad Suminam Franci condidere, & *Ham* ſive Hammum, hoc eſt vicum patriâ linguâ à re dixere, qui paullatim è vico opidum evaſit; ut quibuſdam aliis Hammis videmus accidiſſe, veteri nomine nihilominùs permanente. Vulgò *Han* nunc vocant: Picardi pronuntiant *Hen.* Ad idem flumen eſt minor Hammus, *Petit Hen*; Hammi item, ſeu *Hams*: Hammulus quoque, *Hamel*, ad amnem apud Corbeiam in Suminam effluentem. *Eſt* & Hammus ad Sabim, *Han ſur Sambre.* Sunt & Hammi, *Hames*, locus Caleſio proximus, *Hammenſi cænobio* ante annos DC. exſtructo nobilis; & in Bononienſi Comitatu atque Giſnenſi multi vici, quorum nomina in *hem* deſinunt aut *hen*, itaut vocabuli ſui extrema parte vicos ſe eſſe teſtentur: uti *Tarding-hen*, *Baſinghen*, *VVaquing-hen*, *Leuling-hem*, *Baing-hem*, Heling-hem, *Baling-hem*, *Rodeling-hem*, *Torne-hem*, aliis *Tournehan*, & plures alii, qui conditi & appellati creduntur ab Anglis, qui Caleſio & Giſnis per annos CCX. ſunt potiti. In Nortmannia eſt Stratæhammus ad Olinæ oſtium, *Eſtrehan*, hoc eſt vicus in via militari vel Regia poſitus: ſicut Argentoratum Gregorius noſter ceterique Stratæburgum vocavere, quòd in aggere publico ſit poſitum: Hammulus item, *Hamel du bois*, vicus ſilvæ Litenſi proximus; in Retteſtino Ducatu Hammus, *le Han*, vicus poſitus ad amnem in Moſam apud Macerias influentem. Eſt quoque ad Vrtam flumen in pago Leodicenſi ſive in Tungris Hammus major, *Grand-Han*; & Hammus minor, *Petit Han*, uterque à re nomen habens, à domorum numero cognomen: Magnus Hammus ad Axonam inter duo Condate, *Grand Han*: in Campania Hammus altus, *Henaut*, in monte ad Moſam poſitus Satanacum inter & Moſomagum. Hammus, *Ham*, in Brachanto vicus, arce munitus non procul ab Aloſto opido: Hammus, *Ham*, inter Ariam & Lilarium Atrebatum opida, Hammenſi Monaſterio illuſtris. Sunt & alii ejuſdem nominis in Gallia vici, quos omnes Francorum colonias haberi oportere, & à Francis conditos ac Francico Germanicove vocabulo appellatos eſſe non dubito.

HARECORTIS.

In litteris datis anno MCXCVIII. *Harecort* vocatur, id eſt Harecortis vel Harecurtis. *Cortem* autem & *curtem* recentiores dixere, quam veteres cohortem & chortem, id eſt partem villæ in qua aves domeſticæ, boveſque, & oves ac ſues aluntur, *la baſſe court* Noſtris appellatam. A chorte igitur, membro villæ non obſcuro, nec contemnendo villas omnes, etiam Fiſcales & publicas, in quibus Reges noſtri hiemare conſueverant, *cortes* aut *curtes* Noſtri nuncupavere. Vnde hodieque Aula vel Regia *Cortis* dicitur, *la Court*: & qui aulam petunt, Cortem petere, *aller en Court*; qui in Regia verſantur, in Corte eſſe, *eſtre en Court* dicuntur; & Aulici ipſi nuncupantur *Cortiſani*, *Courtiſans.* Inde etiam deducta nomina, *courtiſer*, *courtois*, *courtoiſie*, *accort*, *accortiſe.* *Cortem* porrò Noſtri pro vico uſurpaverunt, ut *villam* Latini ſcriptores etiam veteres. Quicumque igitur locus apud nos *Cortis* appellatur, vicus eſt, aut ſaltem vicus olim fuit. *Harecort* itaque vicus quondam exſtitit: at nunc caſtellum eſt inter Auturam & Riſelam fluvios, ſive inter Luparias *Louviers*, & Tetboldi villam *Tibouville* poſitum: quod Philippus ejus nominis VI. Francorum Rex anno MCCCXXXVIII. in Comitatum evexit. Alii *Herecort* vocant; alii *Herecuriam*; multi *Haricuriam*; Guillelmus Nangiacenſis in Geſtis Philippi III. Francorum Regis *Hardicuriam*; quidam *Harcuriam.* Nam pro *curte* ſeu vico nonnumquam Noſtri *curiam* impropriè uſurpant. Legi in Chartulario Fiſcamnenſi litteras, anno MCCVII. datas, in quibus *Ricardus de Herecuria* memoratur; alias, in quibus idem *Ricardus de* Herecort vocatur. Vulgo *Harcour* appellatur, nomine ab *Haricuria* vel *Herecuria* deducto. Alii *Harecourt*, & *Harcourt* nuncupare malunt, vocabulo ab *Harecort* deducto. Quippe ſincerum loci nomen eſt *Harecortis*, vel *Herecortis.* Scriptores Angli *Harecourt* appellare ſolent.

HAREFLOTVM ET HVNEFLOTVM.

Hæc duo caſtella ad os fluminis Sequanæ hinc & inde poſita ſunt, Hareflotum in Caletis ad dextram ripam, Huneflotum in Lexoviis ad ſiniſtram: ex quibus Hareflotum *Harfleu* vulgò dicitur, alias *Harfleur*; Huneflotum *Honefleu*, aliàs *Honfleur.* *Hareflotum* in litteris Ricardi Normannorum Ducis, datis *anno I. D.* M. XXVII. *Indictione* VIII. *regnante Rotberto Rege anno* XXXVI. quas in Chartulario Fiſcannenſi ſcriptas legi, *Harefloth* nuncupatur. *Apud Harefloth hoſpitia* VI. *&* LX. *penſas ſalis.* Ibidem reperi litteras Reginaldi & Idæ Comitũ Bononiæ, datas anno MCC. quæ *Hareflou* vocant, & in inſcriptione *Hareſluum*: *Traverſum vel paſſagium apud Hareflou in Vicecomitatu Caleti.* In Chronicis MS. quibus Caroli VI. res geſtæ deſcribuntur, *Heriflotum*, necnon *Herifloreum* dictum reperio, atq; etiam *Aurifloreum.* *Huneflotũ* veteres litteræ commemorãt; quædam *Honeflou* appellant. Litteræ anni MCCXL. *villa de Honeflou* ſemel atque iterum mentionem faciunt: recentiores *Honflutum* & Hunflutum *opidum* vocitant; quædam litteræ *Honneflen*, *Eccleſiam S. Stephani de Honnefleu* memorando. In *Amfleot* ſcripſi, *fleat* vel *fleot* ſinum maris, & locum ad ſinum poſitum olim deſignaviſſe, idemque eſſe Belgis *Vliet* vel *fleet*, Germanis *fleet*: ob idque Huneflotum & Hareflotum primùm *Hunefleotum* & *Harefleotum* dicta eſſe mihi videri, quod ad ſinum maris ſint poſita; cujus *ſinus* ad oſtium Sequanæ meminit Fortunatus his in libri VI. Car-

mine VII. verſibus,

> Pervenit, quà ſe piſcoſo Sequana fluctu
> In mare fert juncto Rotomagenſe ſinu.

HARISTALLIUM.

Erat *Hariſtallium* villa publica haud procul à Leodico Jopilaque ad Moſam flumen poſita, cujus amœnitate loci delectatum Pippinum, ibi & Palatium exſtruxiſſe, & ſæpe commoratum eſſe aiunt: nec deſunt qui ibidem natum atque nutritum credant. Quare plerique recentiores rerum noſtrarum ſcriptores Pippinum Hariſtallienſem cognominant: ut in libro Rerum Francicarum ſcripſi. *Ariſtallium cum foreſte* in Capitulis Caroli Calvi inter villas Regias numeratur. Qui villam hanc condidit Rex Francorum, patriâ linguâ nomen ei Germanicum impoſuit *Hariſtallium* vel *Heriſtallium*, aut *Hariſtalium*: quo nomine militaris manſio deſignabatur. Eſt & altera ejuſdem nominis villa in Saxonia ad fl. Viſurgim, à Carolo Magno exſtructa.

Vulgò nunc *Herſtal* vocatur. Quidam *Hariſtallium* vel *Heriſtallium* Domini ſeu Regis ſtabulum interpretantur. *Her* enim dominus, *ſtall* Germanis atque etiam Tuſcis ſtabulum hodieque eſt. Nunc Hariſtallium Baroniæ titulo clarum eſt.

HASBANIA.

Paullus Langobardus in libro de Epiſcopis Mettenſis Eccleſiæ *pagum Hasbanienſem* vocat, & *Chrodegangum ex pago Hasbanienſi oriundum* eſſe tradit. Qui de Vita Imperatoris Ludovici librum compoſuit, auctor æqualis *pagum* quoque *Hasbanienſem* appellat his verbis. *Anno* DCCCXXXIV. *Lotharius patre aſſumto per pagum Hasbanienſem iter arripuit, & Pariſiorum urbem petiit.* Ludovicus ipſe in Diviſione Regni ſui inter filios *Asbaniam* ſine adſpiratione nuncupat, & *Ardenna* atque *Bragbento* mediam interponit: qui hodieque ſitus eſt Hasbaniæ. *Pagum Hasbanicum* commemorant Annales Fuldenſes in rebus anni DCCCXCI. & inter *Trajectum* ac *Ripuariam*, id eſt inter Trajectum Tungrorum ad Moſam ac Ripariam collocant.

Carolus Calvus in diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. inter pagum *Lomenſem* & *Maſau* ſeu Moſanum pagum *Hasbanium* ponit, & *in eo Comitatus quatuor*: ex quo intelligitur Hasbaniam non mediocris amplitudinis regionem tum exſtitiſſe, cùm quatuor Comitatus pagoſque contineret. Notgerus de Vita Remacli *Harbanium* etiam appellat; *Hasbaniam* ſcriptor Vitæ Eucherii Aurelianenſis Epiſcopi, qui & Eccleſiam S. Trudonis in Hasbania ponit: ſicuti Molanus ait *in Hasbania ac in Diœceſi Leodicenſi ad torrentem Ciſindriam* eſſe opidum Monaſterio S. Trudonis inſigne ac nomine, *olim vicum Sarchinium* vel *Sarcinium* dictum: quamquam aliqui Sarchinium à S. Trudonis Monaſterio opidoque diſtinguunt. *Beliſiam* idem Molanus *opidum* eſſe *Hasbaniæ* prodit, Epiſcopo Leodicenſi ſubjectum; quod vulgò *Bilſen* aut *VVilſen* nuncupatur. Adjicit *Hasbaniam fuiſſe olim Comitatum in Brabantia, & nunc adhuc ei ex parte ſubeſſe.* Certè Tenas, vulgò *Tienen*, Noſtris *Tillemont*, opidum Hasbaniæ Brabanticæ dici reperio. Sed tamen Hasbaniam olim Comitatum in Brabantia exſtitiſſe non credo, cùm IV. ipſa Comitatus contineret, totidem ſcilicet quot Bracbantum vel Brabantia. Hasbaniam Germani *Haſpen-gouv* vocitant, id eſt Hasbanienſem pagum; Noſtri nunc *Haſbaigne*, ut Hiſpaniam *Heſpaigne*, Britanniam *Bretaigne*, Alamanniam *Alemaigne*; nunc *Haſbain* vel *Hesbain*. Hinc villa in Hasbanio *Ville en Hesbain* vulgò dicitur, locus non procul ab Hoio, inter Moſam flumen & Brabantiam Gallicam. Ab quibuſdam vocatur & *la Hesbaye*: quam Latinè à fluvio Hasba cognominatam eſſe aiunt Hasbaniam, ſicut Hainoum ab Haina, Indiam ab Indo, Bæticam à Bæti, Iberiam ab Ibero. Hasba autem ſeu Hasbana inter Landas & Tenas medius decurrit, & vulgò *Haſpen* nuncupatur, aliàs *Heſpen*, alluitque vicos præ ceteris duos, alterum *Cisbasbam* à ſitu dictum, Germanicè *Neer-Heſpen*, alterum *Trans-Hasbam*, German. *Over-Heſpen*. Legi litteras Henrici III Imper. datas anno Domini MXL. in quibus *Haſpinga* appellatur, nomine ad *Haſpengauu* vel *Heſpengou* proximè accedente: qua in regione frumenti ferace Tenas, opidum S. Trudonis, ac Trajectum ſuperius ſive Trajectum Tungrorum ad Moſam nonnulli collocant.

HASNONIUM.

Haſnonium, *Haſnon*, vetus eſt Cœnobium ac illuſtre, ut ferunt, ante annos mille conditum ad fluvium Scarpum in Atrebatibus, pagoque Auſtrebanto, qui olim Comitatu Atrebatenſi continebatur, ſed poſtea Comitatui Hainoenſi eſt attributus. Carolus quem Calvum cognominant, in litteris ſuis *Cœnobium Haſnon dictum, ſitum in Comitatu Atrebatenſi, in pago Oſtrebanto ſuper fluvium Scarpin* commemorat. Hermannus Monachus in libro II. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis *Cœnobium Hanonienſe* mendosè appellat; Anſelmus Gemblacenſis Abbas in Chronico Eccleſiam *Hannonienſem* pro *Haſnonienſem*: quod Monaſterium nunc inter Hainoi Abbatias ſecundum locum tenet. Anno MCXXII. *Eccleſia Hannonienſis* (inquit Anſelmus ſupralaudatus) *cum omnibus appendiciis ſuis ſeditione Advocati ſui cum tota villa crematur, ſalvo tamen theſauro & bibliothecâ.* Nimirum Haſnonienſe Monaſterium à vico vel villa Haſnone aut Haſnonio ubi ſitum erat, appellationem traxit ex more, & ſuum ſibi *Advocatum*, ſuum *theſaurum*, ſuam bibliothecam habuit. Ab eo cœnobio cui forſitan multa & magna contulit, cognomen accepit Balduini Inſulani, Comitis Flandrorum filius & ſucceſſor, Balduinus Comes Flandrenſium & Hainoenſium, in Chronico Aquicinctino anno MCXCIV. & inſequenti *Balduinus Haſnonienſis* ſæpe cognominatus.

HELELLUS, VEL HELVETUS.

Tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana *Helellum* inter Argentoratum & Argentuariam collocat: *Brocomagus* VII. *Argentorato* XII. *Helellum* XII. *Argentuaria* XII. *Cambete* VII. *Hel-*

vetum vocat Æthicus ſemel atque iterum in itinere a Mediolano per Alpes Graias Argentoratum, & inter Montem Briſiacum atque Argentoratum utrubique ponit, à Montebriſiaco XX. aliàs XXVIII. ab Argentorato XXIX. aliàs XXX. millibus p. Hic locus videtur eſſe *Helcebus* Ptolemæi, Ἔλκηβος. Rhenanus *Helellum Sletſtat* exponit, quod eſt opidum in Aleſatia ſuperiore. Joſias Simlerus quoque *Helvetum* Æthici *Schletſtatt* eſſe ait, Helellum & Helvetum haud dubiè pro uno eodemque habens. At Cluverio *Helellus* eſt vicus *Elle*, locus à fluvio Ello vulgò *Ill* dicto, Scladiſtadium alluente, & apud Argentoratum in Rhenum decurrente nomen habens.

Hieronymus Surita in Æthici codicibus modò *Elcebum*, (quod loci vetus & incorruptum nomen eſt) modò *Elvetum* ac etiam *Helveto* ſcriptum reperiri obſervat: ex quo intelligitur Elcebum, ac Elvetum vel Helvetum pro eodem haberi oportere.

Schletſtatt autem, quam Helellum & Helvetum veterum eſſe Rhenanus ac Simlerus aiunt, in veteribus noſtris Annalibus vocatur villa *Scladiſtat*. *Anno* DCCLXXVI. *domnus Rex Karolus celebravit Natalem Domini in villa Scladiſtat.* Alii Annales *villam Scladdiſtad*, & *Scladiſtad* in eodem anno; Annales Bertiniani *villam Scaldiſtat*; Annales Mettenſes *villam quæ dicitur Sclezſtat in Elſatio* nuncupant; litteræ Caroli Craſſi, datæ anno DCCCLXXXVII. *Sclenſtat Palatium.* Ex quibus intelligitur, Scladiſtate aut Scladiſtadium villam olim Regiam Regum Noſtrorum fuiſſe, quæ nunc à Noſtris *Scleſtad* aut *Sleſtad* dicitur.

HELVETII.

Cæſar in libro I. ſcribit, Helvetios una ex parte flumine Rheno à Germanis, altera ex parte monte Jura à Sequanis, tertiâ lacu Lemano & flumine Rhodano à Gallia provincia ſeu à Gallia Narbonenſi dividi; & eorum *fines in longitudinem millia paſſuum* CCXL. *in latitudinem* CLXXX. *patere.* Ubi Cluverius rectè obſervat, pro CCXL. emendari oportere CXL. pro CLXXX. LXXX. Floro quoque in libri III. capite X. *Helvetii Rhodanum inter & Rhenum ſiti* dicuntur, ut Cæſari. Helvetios autem unà cum Sequanis ibidem Celtis ſive Gallis propriè dictis accenſuit Cæſar, quos ambos populos poſtea Belgis attributos eſſe conſtat, ut in Sequanis docebimus.

Helvetii reliquos Gallos virtute præcedere, omnibuſque præſtare, & *totius Galliæ plurimum poſſe* Cæſari dicuntur, *homines bellandi cupidi*: ipſique, & Sequani ac Ædui, *tres potentiſſimi ac firmiſſimi populi totius Galliæ* eidem appellantur: & *opida numero ad* XII. *vicos ad quadringentos* feruntur habuiſſe. *Omnis civitas Helvetia in* IV. *pagos diviſa eſt, ex quibus unus appellatur Tigurinus*, alius *Verbigenus*: ex quibus Tigurini L. Caſſium Conſulem prœlio interfecerunt & L. Piſonem legatum, ac ejus exercitum pulſum ſub jugum miſerunt. Helvetiorum quum de finibus ſuis exierunt, eorum qui arma ferre poſſent, item puerorum, ſenum, mulierumque fuere capitum millia CCLXIII. ut idem Cæſar ſcribit in libro I. Commentariorum belli Gallici. Tacitus in Hiſtoriarum libro I. *Helvetios Gallicam Gentem, olim armis viriſque, mox memoriâ nominis claram* vocat.

Strabo Helvetios Ἐλουηττίους *Helvettios* nuncupat, ac proximos Sequanis facit; & primos quidem omnium Nantuates, qui *Nantuatæ* Ναντουᾶται ei dicuntur, fontem Rheni amnis accolere tradit, poſt Helvetios, tum Sequanos, & Mediomatricos, ac Tribocos gentem Germanicam eò tranſlatam ad ripam fluminis ſedes habere, deinde Treviros, quos Nervii Gens Germaniæ contingunt: ultimos omnium Menapios ex utroq; oſtiorum Rheni latere continentes paludes & ſilvas habere. In quo Strabo Cæſarem more ſuo ſecutus eſt, qui in libro IV. memoriæ prodidit, Rhenum *longo ſpatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Tribocorum, Trevirorum citatum ferri, multiſque capitibus in Oceanum influere*, & *Menapios ad utramque ripam fluminis agros, ædificia, vicoſque habere.* Conſtat tamen utrumque ſcriptorem in Nantuatibus errare. Quippe Nantuates multum abſunt à Rheno: adeò per eos fluere Rhenus, & quod ſolus ait Strabo, in eorum finibus oriri non poteſt.

Plinius in Belgica *Helvetios* ponit, & in capite I. libri XII. prodit, *Alpibus coërcitas Gallias hanc primum habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſeſe Italiæ, quòd Elico ex Helvetiis, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam & uvam, oleique ac vini promiſſa remeans ſecum tuliſſet.* Ptolemæus à Plinio non recedit. Ab eo enim in Belgica Gallia ad Rhenum collocantur *Elvetii*, Ἐλουήτιοι, quorum urbes *Ganodurum*, & *Forum Tiberii*, vulgò *Keiſerſ-ſtuel* Germanis dictum, hoc eſt *Cæſaris* aut Imperatoris *tribunal*, aliis *Keiſerſtoul* ad Rhenum. Plutarchus in Iulio Cæſare atque Appianus Helvetios Tigurinoſque conjungunt, Ἐλβηττίους καὶ Τιγυρίνους.

Cùm Eutropius in libro VI. ait Cæſarem *primò viciſſe Helvetios, qui nunc Sequani appellantur*, non vult intelligi, Helvetios amiſſo nomine veteri Sequanorum appellationem ſuſcepiſſe, ſed Sequanis ſeu provinciæ Maximæ Sequanorum ſua ætate contribui.

Aimoinus in libro I. Hiſtoriæ & Hugo Floriacenſis Monachus in Chronico pagum *Helvetiorum Alamannos incolere ſua ætate* ſcripſere: quod Guillimannus non de tota Helvetia, ſed de parte tantùm ejus, nimirum de pago Tigurino inter Rhenum & Vrſam fluvios jacente interpretatur, quem ab Alamannis occupatum fuiſſe aſſerit.

Helvetii, in Notitiis veteribus Galliæ IV. *Elvitii*, in aliis *Elvetii*, ac *Helvitii*, in Hiſtoriæ Miſcellæ libro VI. MS. *Helvitii* nuncupantur. Eorum regio vocatur Helvetia in priſca inſcriptione apud Golezium, in qua quidam dicitur *exactor tributorum in Helvetia*; Germanis nunc *Schuvitſer-land*, vel *Suitſcherlant*, Noſtris *la Suiſſe* aut *la Soüiſſe*: ipſi Scaligero *Suizeri*; *Suiceri* aliis; pleriſque (ut ait Marlianus) *Suitenſes* aut *Suitii* appellitantur; Germanis *Schuvitſer* aut *Suitſcher*, Noſtris *les Suiſſes*, à pago quodam vel Cantone Helvetiæ clariſſimo Suitio, *Suits* aut *Schuuits* vulgò dicto.

Ceterùm cùm Cæſar & Florus ceterique Rhodanum inter & Rhenum ponant Helvetios, tamen *inter Hercyniam ſilvam, Rhe-*

numque & Manum amnes Helvetios Gallicam Gentem tenuiſſe aſſerit Tacitus in ſua Germania: quæ regio (ni fallor) à Claudio Ptolemæo *Eremus Helvetiorum* vocatur, ἡ τῶν Ἐλουητίων ἔρημος, & trans Rhenum Galliæ terminum collocatur in magna Germania: quam Eremum Helv. quidam recentiores Geographi à Rheno ad ſuperiores Danubii & Nicri partes pertinere falsò aiunt, & Ammiano *ſilvam Marcianam* dici, vulgò ſilvam Nigram, *der Schwartzwald*. Eſt etiam in Helvetia cis Rhenum inter Lucernenſem lacum atque Tigurinum locus monti impoſitus, vulgò à Patrona dictus *S. Mariæ in Eremo*, *S. Marie de l'Hermitage*.

Helvetii, Belgica gens, olim provinciæ Maximæ Sequanorum attributi, poſtea ſub Merovei poſteris amiſſo priore nomine duas in partes diviſi, duobuſque dominis ſubjecti fuerunt. Partem regionis, hoc eſt (ut quibuſdam placet) pagum Tigurinum inter Rhenum & Vrſam flumina jacentem *Alamanni* pridem occupaverant, & ſuo nomine appellaverant, atque Auſtriæ Regibus parebant, *Ducatui Alamannico* adſcripti. Pars altera ab Vrſa ad Rhodanum & montem Iuram pertinens, Burgundiæ Regibus attribuebatur: cujus habitatores à Sequanis ceteriſque Gallis *Tranſiurenſes* vocabantur, credo quòd Alamannis, qui & ipſi trans Iuram incolebant, eſſent monti propiores. Certè Iuræ deſerta Aventico adjacuiſſe conſtat: quod opidum unà cum Lauſana, Saloduro & Vindoniſſa Tranſjurenſium erat. Pagus ipſe Tranſiurenſis dicebatur: ut in libro xvii. Rerum Francicarum obſervavimus.

HELVII ET ALBA HELVIORVM.

Helvios ab Arvernis mons Cebenna diſcludit, id eſt a Gabalis ac Vellavis Arvernorum pagis, ut I. Cæſar in libro vii. de bello Gallico ſcribit: qui & eos aperte provinciæ Romanorum attribuit ſive Galliæ Narbonenſi. Nam & Carnutibus, Arvernis & Biturigibus rebellantibus, *partem copiarum ex Provincia delectam in Helvios qui fines Arvernorum contingunt, convenire juſſit*, tamquam apud eos à quibus nihil timendum eſſet, cùm hæc civitas in Provincia eſſet: & tranſito monte Cebenna *ad fines Arvernorum pervenit*, ipſoſque inopinantes oppreſſit. Præterea Vercingetorix Æduos & Seguſianos in Allobroges, Gabalos, proximoſque pagos Arvernorum, id eſt Vellavos alioſque in Helvios, item Rutenos Cadurcoſque in Volcas Arecomicos miſiſſe dicitur, cùm Gallos in libertatem aſſerere conaretur, & Cæſari Romaniſque bellũ inferret. *Helvii ſua ſponte cum finitimis*, id eſt cum Gabalis & Vellavis, *congreſſi pelluntur, & C. Valerio Donotauro, Caburi filio, principe civitatis compluribuſque aliis interfectis, intra opida muroſque compelluntur*. Ex quo apparet ut Allobroges & Volcæ Arecomici provinciæ Romanorum erant ſeu Galliæ Narbonenſis populi, ita & Helvios ejuſdem provinciæ fuiſſe. Quare miror quòd Scaliger aſſerat *Cæſarem dicere, Helvios extra Provinciam Romanam eſſe*. Helvios Plinius in Narbonenſi provincia ponit, & inter ejus provinciæ civitates *Albam Helvorum* numerat. *Helvos* Plinius Helvios appellat, ut Cæſar ipſe in Commentariorum de bello Civili libro i. ſine adſpiratione *Ilvos* e in i mutato: quum ait *Cn. Pompeium Patronum civitatis* Maſſiliæ *agros Volcarum Arecomicorum & Ilvorum publicè Maſſilienſibus conceſſiſſe*. Helvios autem ſive Vivarienſes Volcis Arecomicis, nimirum Uceтienſibus & Nemauſenſibus confines extitiſſe nemo neſcit. Apud Ptolemæum locantur quoque in Gallia Narbonenſi ſub Vocontiis Helvii, corruptiſſimo nomine appellati *Helicoci* Ἐλίκωκοι pro Ἕλουοι, quorum urbs *Alba-Auguſta* vel *Albauguſta*, Ἀλβαύγουστα. Sed Vocontii ſunt ad lævam Rhodani, Helvii ad dextrã. Cæſari, Plinio atq; Ptolemæo accedunt Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ veteres, quæ inter provinciæ Viennenſis civitates xiv. quarto loco *civitatem Albenſium Vivarium* numerant, ut & Robertus in Chronico. *Albenſes* autem dicti ſunt non ſolùm Albæ Helviorum capitis incolæ, ſed etiam ipſa Gens Helvii; & provincia Viennenſis una erat ex provinciis Galliæ Narbonenſis. Solus è veteribus Geographis Strabo falsò Helvios xiv. Gentibus inter Garumnam & Ligerim ſitis, & Aquitaniæ Iulianæ ab Auguſto adjunctis adnumeravit omnium primos: cui Ἕλουοι dicuntur ſive Helvii, à flumine Rhodano capientes initium. Errare Strabonem vel ex eo uno apparet, quòd montes Cebennici Gabalos atque Vellavos, Arvernorum clientes, & Aquitaniæ populos ab Helviis, ſive provinciam Aquitaniam à provinciæ Narbonenſis latere Septemtrionali diſcernunt, ut Pomponius & Plinius docent. Et Albenſes ſeu Vivarienſes, hoc eſt Helvii, licèt ad dextram ripam Rhodani fines ſuos habeant, adſcripti ſunt provinciæ Viennenſi, parti Galliæ Narbonenſis toti ad ſiniſtram fluminis ripam jacenti, non ob aliud quàm quòd erant à Gabalis atque Vellavis Aquitaniæ Gentibus monte Cebenna diſcluſi.

Helvios ſeu Albenſes Marianus & non pauci alii pro Albienſibus vel Albigenſibus accepere, ſimilitudine nominum decepti, magno errore: cùm Albigenſes ſint in Aquitania ad fluvium Tarnem; Albenſes vel Helvii in Viennenſi Gallia ad Rhodanum.

Caput & urbs primaria Helviorum Alba, *Alba Helvorum* Plinio vocata, Ptolemæo *Albaugusta Helicocorum* corruptè pro Albauguſta vel Alba-Auguſta Helviorum: in priſcis Notitiis civitatum Galliæ *civitas Albenſium* inter prov. Viennenſis civitates quartum locum tenet; in quibuſdam *civitas Albenſium Vivaria*; in aliis *civitas Albenſium Vivarium*; nonnumquam *civitas Albenſium, nunc Vivarium*; Roberto in Chronico *civitas Albenſis, quæ & Vivarium*, quarta Viennenſis provinciæ urbs; Sidonio in epiſtola xii. libri vi. ad Patientem *Albenſis urbs*. In recentioribus Notitiis Gervaſii Tilleberienſis aliorumque, inter ſedes vi. Viennæ metropoli ſubjectas a *Valentina* proxima recenſetur *Vivarienſis*, & *Dienſi, Gratianopolitanæ, Maurianenſi, Gebennenſique*, id eſt Genevenſi præfertur: qui hodieque ordo ſervatur. Concilio Epaonenſi interfuit atque ſubſcripſit *Venantius Epiſcopus civitatis Albenſium*: addit codex Pithœanus, *ſive Vivarienſis*: necnon Synodo conſenſu Regis Theodeberti in urbe Arverna ha-

bitæ poſt Conſulatum Paulini junioris V. C. ubi *Venantius Epiſcopus Eccleſiæ Vivarienſis*, alias *Epiſcopus de Vivaria* appellatur. Concilio Aurelianenſi v. ſubſcripſit *Cantinus Archidiaconus, directus à domino Melanio Epiſcopo Eccleſiæ Albenſis*.

Caput igitur Helviorum, & urbs clariſſima ac præcipua totius Gentis ad Rhodanum, quæ *Alba* primùm dicta eſt, poſtea dici cœpit *Vivarium*, aut *Vivaria* in numero plurali, ante annos DC nonnumquam in feminino genere *Vivaria* mendosè: & incolæ Albæ Helviorum, atque adeò tota gens pro *Helviis* aut *Albenſibus Vivarienſes* nuncupati. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri x. capite xxiii. *Vivarienſem urbem* vocat. An à re, nimirum à vivariis Latinum nomen acceperit, incertum eſt, quod hodieque retinet. Quippe à Noſtris *Viviers* appellatur, nomine vulgari à *Vivariis* deducto. Vivarienſes, hoc eſt incolæ non Vivarii modò ſed etiam totius Helvici pagi, nuncupantur *les Vivarois*. *Helvico vino* à Plinio in libri xiv. capite i. memorato olim nobiles.

Pagus Helvicus ſive Albenſis, Adoni in Chronico *Vivarienſis parœcia* dicitur; Uſuardo in Kal. Maii *territorium Vivarienſe*; aliis *pagus Vivarienſis*, vulgò *le Vivarais* aut *le Vivarez*. Diviſio Regni Lotharii inter Reges Ludovicum & Carolum facta anno DCCCLXX. & urbem Vivarium aut Vivaria, & pagum Vivarienſem uno eodemque nomine communi appellat *Vivarias*; idemque de Ucetia urbe & pago Ucetico facit his verbis: *Hæc eſt portio quam Karolus de eo Regno ſibi accepit: Tullum, Viridunum, Cameracum, Vivarias, Ucetia.* & infrà. *Tullenſe, aliud Odornenſe, Barrenſe, Portenſe, Lugdunenſe, Viennenſe, Vivarias, Ucetiam.* Ibi in primo loco urbes Vivaria & Ucetia deſignantur, & inter urbes numerantur: ſecundo loco deſignantur inter alios pagos Vivarienſis pagus & Uceticus. Aimoinus de tranſlatione Georgii & Aurelii Martyrum modo *pagum Vivarienſem*, modò *pagum Belnenſem*, ſed corruptè bis nuncupat pro *Helvenſem*, & circa *Vivarias civitatem* ponit *pagum* hunc *Belnenſem*, ac *pago Uzecenſi* ſive Ucecienſi, qualis eſt, proximum facit.

Quidam ſolâ nominum ſimilitudine adducti Albam Helviorum a Vivariis diſtingunt, inprimis Joſephus Scaliger in Notitia Galliæ *Albam Helviorum* apud Plinium, & *Albaugustam Helicocorum* apud Ptolemæum *Aubenas* ſive Albanaſium ſine dubitatione eſſe ait. Petrus Maſſonus Albam Helviorum aſſerit eſſe *Albs*, aut *Alb*, opidulum ſive vicum à Vivariis parum diſtantem, & in Diœceſi Vivarienſi poſitum: ſed Albâ à Chroco Alamannorum Rege eversâ, ſedem Epiſcopatus Albenſis aut Helvici tranſlatam ait eſſe Vivaria: quas conjecturas nullâ veterum ſcriptorum auctoritate fultas facilè rejicimus, cùm everſionis Albæ, & tranſlationis ſedis alium in locum nemo priſcorum meminerit: ut appareat Albam Helviorum & Vivaria vel Vivarium duas eſſe unius urbis appellationes.

Diœceſi Vivarienſi ſeu Helvica continentur præ ceteris Vivarium; Rupes Maura *Rochemaure*. Rupes Morenata Theodulfo dicta; Albanaſium, Salvia *Sauve*; Gaudioſa *Ioyeuſe*, Ducatûs titulo illuſtris; locus S. Michaelis *S. Miel*; Manſus Maurorum *Mas de Maures*; Privatium *Privas*, Turno *Tournon*; Paucinum *le Pauzin* vel *le Pouzin*; Inter aquas *Antraygues*; Ad S. Privatum *S. Privas*; Petra curta *Pierre gourde*.

HERBATILICVM ET PAGVS HERBATILICENSIS.

Alanus *in pago Herbatilico non longè à litore Oceani Gallici à catholicis parentibus traxiſſe originem* dicitur. Armentarius qui de S. Filiberto ſcripſit, hunc pagum *Herbidilicam tellurem* vocat: alii *pagum* vel *Comitatum Herbatilicum*, necnon *Herbedilicum* & *Herbidilicum*, nonnumquam & *Arbatilicenſem* nuncupant. Vitæ S. Viventii, & S. Domnini Mart. & S. Martini Abbatis Vertavenſis caput pagi ejus commemorant *Herbadillam urbem* & *Herbedilam, Namnetenſi civitati contiguam*, quæ circa annum DLXXX. terræ hiatu & maritimis æſtibus periérit. Sublato opido, à quo pagus cognominabatur, diu tamen *pagi Comitatuſve Herbatilici* nomen remanſit, *le Comté d'Herbauge*, vel *Arbauge*: qui pagus in Namnetum Pictonumque confinio jacet.

Deas Monaſterium *in tellure Herbidilica* ponit Armentarius, quod Monaſterium S. Filiberti recentiores dixere, & de Grandilacu cognominavere, *S. Filibert de Grand lieu*.

Franciſcus Chifletius qui de Trenorchienſi Monaſterio ſcripſit, affirmat pagum Herbatilicum fuiſſe olim quidem Pictonum, nunc tamen eſſe Namnetũ, & Comitatui Diœceſique Namnetenſi attribui: quod equidem non facile crediderim. Nam Gregorius Turonicus Epiſcopus qui primus ejus pagi meminit in libro de Gloria Martyrum, & *Arbatilicum* abſolutè vocat, *termino Pictavo*, id eſt Pictonum finibus eum includit his verbis. *Apud terminũ Pictavum vicus eſt in Arbatilico nomine Becciaco, in quo Vincentii, vel Levitæ, vel Martyris Hiſpanienſis habentur Reliquiæ.* Si ergo Arbatilicum territorium, vel pagus Arbatilicus, ab Ademaro quoque in Chronico memoratus, erat in finibus ſeu in agro Pictonum, ad Pictones utique, non ad Namnetes pertinuit, & Diœceſi Pictavenſi, non Namneticæ attribuebatur: quem pagum poſtea Pictava Eccleſia facilè amittere non potuit, & ſibi eripi paſſura non fuit.

HERIVS INSVLA.

Adjutus liberalitate Anſoaldi Pictavorum Epiſcopi Filibertus, genere clarus & nobilis, in Herio inſula maris Pictonici nobiliſſimum Monaſterium virorum ſtatuit, evocatiſque è Gemetico Monachis illud implevit: quod ab Anſoaldo opibus magnis prædiiſque ditatum eſt: quod pullatorum atratorumve Monachorum, ſtatuta Columbani primùm, deinde Benedicti ſequentium fuit, Nigrumque Monaſterium ob id dictum eſt, & majori inſulæ vico in quo erat, nomen ſuum dedit: poſtea tranſlatis aliò metu Nortmannorum pleriſque Monachis cum opibus ac Reliquiis, in cellam mutatum eſt, quam hodieque vulgò Prioratum Nigrum à colore veſtium Monacho-

rum appellitant, *le Prieuré noir*. Herius igitur vel Herus inſula, vulgò *Heis*, depoſita veteri appellatione à nigro Monaſterio iſto inſula Nigri-Monaſterii dici cœpta eſt, *l'isle de Nermonſtier*, vel *Nermonſtier* in Pictavenſi Diœceſi. Ibi eſt & Abbatia alba, *l'Abbaye Blanche*, quam Monachi Bernardi regulæ ſubjecti albatique incolunt. Errat Petrus Franciſcus Chiffletius, qui in Tinurtio ſuo Abbatiam Albam à Nigro Monaſterio S. Filiberti differre non putat, ſed unum idemque eſſe cœnobium exiſtimat: dictam autem Abbatiam albam à nautis, quoniam inter proceras populos quarum folium ex parte album eſt, navigantibus alba appareat. Papirius Maſſonus aſſerit Herium patere circuitu leugas IV. latitudine unam implere, opidulum habere octingentarum domorum. Fides ſit penes auctorem.

HESDINIVM.

Heſdinium vetus Quantiæ flumini adpoſitum eſt, in Morinorum Ambianorumque confinio, & pars ejus caſtri vel municipii ad Ambianenſem Diœceſim pertinet; pars altera Boloniæ Morinorum urbis Antiſtitem pro ſuo habet. Nunc caſtellum eſt Atrebatenſis quidem Comitatûs, Diœceſeos non item. *Heſdinium* vetera Chronica vocant, Noſtri *Heſdin*; *Hedinum* VVillelmus Britto in libro II. Philippidos: quod Savaro *Helenam vicum* in Atrebatibus à Sidonio dici, falsò exiſtimavit.

HOIVM.

Hoium olim vicus, nunc opidum, vulgò *Hui* dicitur, & dextræ ripæ fluminis Moſæ adjacet in Diœceſi Leodicenſi. Imper. Otto, ejus nominis tertius, *Comitatum Hoienſem*, & quidquid habebat *in vicis Trajecto, Hoio, Deonanto*, Eccleſiæ Leodicenſi donavit; ut litteræ ejus docent. In libro de Miraculis S. Bernardi *opidum, cui nomen Hui*, vocatur. Sigebertus in Chronico *Hoium opidum* vocat, & anno MLIII. à Balduino Comite Flandrenſi Lotharingiam invadente incenſum eſſe ſcribit.

HOLMETIA REGIO.

Robertus Belliſmenſis circa annum Domini MXC. *opidum quod caſtellum Gunterii nuncupatur, ſuper Olnam fluvium ad Curbam conſtruxit; per quod Holmetiam regionem ſibi ſubjugare putavit*: ut ſcribit Ordericus Vitalis in libro VIII. *Caſtellum* illud *Gunterii* ad Olnæ vel Olinæ fluminis flexum, quem *curbam* id eſt curvaturam Ordericus vocat, eſt *Gontel* locus inter Argentomum & Scoceium ad fluvium Olinam haud dubiè, r litterâ in l commutatâ: ut ex peregrinus & tempora Noſtri fecerunt *Pelerin*, & *temples*. *Holmetia* autem *regio* vel Holmetius pagus hodieque nomen ſuum ſervat, diciturque *le Pays du Houlme*, aut *le Houlme*, ut in Vaſſoris tabulis recentiſſimis exactiſſimiſque reperio, qui & hunc pagum uſque ad Damfrontem pertinere ait, & majores vicos, quales burgos vocitant, complecti hoſce, Ferrariam, Brioſam, *Brieuſe*, Ranam *Rane*, Quadrugias *Carouges*, Firmitatem *la Ferté Maſié*. Equidem non dubito, quin *le pays du Houlme* in Vaſſoris Normannia, ſit Orderici *Holmetia regio*: cùm & nomina conveniant, & ſitus locorum. Nam ab Olina fluvio & à caſtello Gunterii et appoſito parum abſunt Brioſa & Quadrugiæ, atque Damfrons. Non igitur (ut alibi ſcripſi) pro *Holmetia Olinetia* ſcribi debet.

Eſt quidem *caſtellum quod dicitur Holmus*, à Richardo Duce Nortmannorum III in donatione propter nuptias Adelæ facta anno M. XXVI. memoratum. Sed nihil ad Holmetiam regionem ſive pagum Holmetium pertinet: cùm à Richardo *Holmus* ponatur in Comitatu Conſtantienſi, à quo procul abeſt Holmetia, ad Olinam fluvium jacens.

HORMENTIO FLV.

Hormentio fluvius, *l'Armançon* vel *Armençon*, ab Adrevaldo Floriacenſi Monacho in libri de Miraculis S. Benedicti capite XXXII. primo omnium ante annos DCCC. memoratur; memoratur & à Rodulfo Glabro in libri V. capite I. qui *Armentionem flu.* vocat. Oritur in finibus Aleſienſium, & Nucetum, caſtrum Sinemurum, Ternodorum, Germiniacum, ac caſtrum S. Florentini poſtquàm alluit, apud opidum S. Juliani de Saltu in Icaunam labitur. Hormentio *Armençon* dicitur o in a mutato, ut Vicus Domni Martini, *Dam-Martin*, Domnus *Dam*, Domni Petra vel Domna Petra *Dampierre*: *Urmuntio* in libro Miraculorum S. Bercharii; *Ormentio* ſine adſpiratione in Geſtis Epiſcoporum Autiſſiodorenſium à Labbeo editis. Recipit Armantiam fluv. *Armance*, in Miraculis S. Bernardi celebratum.

HOSDENCVM.

Hoſdencum ſæpiùs, interdum & *Houdenc*, atque etiam *Hoſdanum* veteres dixere, quod vulgò *Houdan* nunc vocatur. Amalricus de Monteforti in litteris datis anno Domini MCV. *Hoſdench* appellat. In litteris Gaufridi Epiſcopi Carnutenſis datis anno MCXX. fit mentio præ ceteris *Eccleſia de Houdenc*, vel (uti aliæ litteræ habent) *de Hoſdenc*, in Carnutibus, ad Monaſterium Columbenſe pertinentis. Goſlenus Epiſcopus Carnutinus *Eccleſiam S. Iohannis & S. Iacobi de Hoſdench* in quadam charta memorat; *caſtrum Hoſdench* appellat & Symon Comes Ebroicenſis, Comitis Amalrici filius; *Hoſdanum* aliæ litteræ anni MCV. Symonis de patre ſuo Amalrico Comite Montisfortis, caſtri Hoſdenci conditore, verba notare convenit, quæ talia ſunt. *Pater meus Amalricus in caſtro Hoſdench quod ædificaverat, Eccleſias duas fieri voluit, quas Columbenſibus Monachis donavit: & ad ſupplementum Columbenſium apud* Hoſdench *in Eccleſia B. Iohannis Baptiſta Domino ſervientium, duas nundinas in eodem caſtro inſtituit.*

HVBEN CASTELLVM.

Chronicon de Comitibus Nivernenſibus quod ſcriptum legi, *Malliacum & Huben duo nobilia opida* commemorat. Auctor incertus qui de Miraculis S. Benedicti librum compoſuit, ejuſdem loci meminit in capite XXXVI. his ver-

bis. *In territorio Nivernenſi habetur caſtellum Huben nuncupatum in prærupti collis cacumine. Hujus dominus Hugo dicebatur.* Huben, ſive olim *caſtellum* ſive *opidum nobile* fuit, nunc ferè vicus eſt, *Yban* vulgò dictus, non longè ab amne qui in Icaunam decurrit.

HVMOLARIÆ.

Heinricus Abbas Humolarienſis coronationi Philippi Heinrici filii præter ceteros Epiſcopos & Abbates interfuit anno MLIX. *Humolaria* ergo dicebantur ante annos DC. necnon *Humularia*, quæ poſtea *Humbleria* ſunt dictæ, locus veteri Monaſterio inſignis. In libro de Miraculis S. Bernardi memoratur *Monaſterium, quod Humblerias vocant.* Vulgò *Homblieres* locus, & à loco Cœnobium dicitur in Epiſcopatu Noviomagenſi.

HVNVLFI CVRTIS.

Quæ à priſcis ſcriptoribus Latinis *cohors* & contracto nomine *chors* dicebatur, à Noſtris vocabulum corrumpentibus, & de genitivo ſingulari nominativum facientibus *Chortis* vel etiam *Curtis* eſt appellata. Cohors autem vel Chors pars erat villæ ea, quam vulgò hodieque inferiorem Chortem appellitant, *la baſſe-court*, in qua aves domeſticæ & pecora aluntur. Et quoniam chors villæ membrum non contemnendum erat, ſæpe à Noſtris villa *curtis* nomine eſt deſignata. Hinc *curtes Dominica* in noſtris hiſtoriis non rarò appellantur villæ publicæ vel Regiæ. Quinetiam ſicut villam pro vico, ſic & curtim noſtri ſæpe dixere. Curtem quoque dixere pro Regia, propterea quòd Reges noſtri in villis Regalibus aut publicis hiemare, & ibi palatia magnificentiſſima habere conſueverant.

Hunulfi igitur *Curtis*, id eſt Hunulfi villa vel vicus, ab Hunulfo domino ſuo & conditore nomen accepit; *Hunulf-curt* dicta in Annalibus Bertinianis, in rebus anni DCCCLXX. *Hunul-curt* truncâ appellatione in diviſione Regni Lotharii eodem anno factâ, & Capitulis Caroli Calvi inſertâ; *Villa Hunol-curt* aliis. Vulgò *Honnecourt* vel *Huncourt* vocitatur, eſtque locus in Diœceſi quidem & pago Camaracenſi ad Scaldim, ſed in ditione Regis Chriſtianiſſimi poſitus, Monaſterio S. Petri à Vindiciano Epiſcopo exſtructo, veteri Benedictinorum Abbatiâ, ac pugnâ anno MDCXLII. inter Noſtros Hiſpanoſque commiſſâ nobilitatus, ab urbe Camaraco IV. leugis Francicis diſtans. S. Valeria, Virgo ſacra, ei Monaſterio præfuiſſe ac ibi ſepulta eſſe dicitur: quod poſtea ejectis puellis Monaſterium Canonicorum, ac demum Monachorum Benedicti ſectam ſequentium evaſit.

Hunulfi curtis locus hic vocatur optimè in Martyrologio Atrebatenſis Eccleſiæ & in Chronico Iperii: aliis *villa Hunulcurt* ineptè, cùm *villa* & *curt* unum idemque ſit, & *Hunulf curt* villam ſe eſſe, aut ſaltem ab origine prima fuiſſe, nomine ſuo apertè indicet. Nugatur Molanus, quum *Hunonis curiam* appellat. *Hunoldi curtem* appellant Calliſtus PP. in litteris anno MCXX. datis, & Lucius PP. in litteris anni MCXLIV. ubi inter Abbatias Cluniacenſis Abbatis diſpoſitioni ſubjectas, *in Epiſcopatu Cameracenſi Hunoldi curtis* numeratur; *Abbatia Hunelcurt* dicta Honorio PP. in litteris anni MCXXV. ut in Diviſione Regni Lotharii *Hunulcurt*. Alii igitur Hunulfo, alii Hunoldo eum vicum attribuerunt, modò *Hunulfi curtem*, modò *Hunoldi curtem* appellando.

I

IALGEIUM.

IALGEIVM, ab Orderico Vitale in libro VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Rupes de Ialgeio* vocatur, quum ſcribit, Talvatios validiſſima caſtella poſſediſſe, *Belliſmum*, *Iuberciorem*, *Axeium*, (*Iſsé*) *Alencionem*, *Danfrontem*, *S. Cenericum*, *Rupem de Ialgeio*, *Mamercias & Iunacium*, vel potiùs *Vivacium*, aliàs *Vivonium*. (*Vivain.*) Ex his *Rupem de Ialgeio*, ſeu Rupem Ialgeii, *la Roche d'Igé*, aut *Montiallu* prope Novum Caſtellum in pago Sagonenſi Cleigerius in libro de Pertico interpretatur: alii *Iauſe* exponunt.

IARNIACVM CASTRVM.

Ex conſenſu judicum, Abbatis Clariacenſis, & Archipresbyteri de Iarniaco, & aliorum, Angeriacenſe Monaſterium dominio, ſi quod fuerat, Cluniacenſis Monaſterii exemtum eſt anno I. D. MCCXVII. Chartularium Ecoliſmenſis Monaſterii S. Eparchii ſcriptum legi, in quo ſæpe ejus caſtri fit mentio. Ibi enim reperio *in pago Equaliſmenſe* (id eſt Ecoliſmenſi), *Aiarniacum caſtellum*; *Aiarniacenſe caſtrum*; *turrem caſtri Aiarniaci*; *caſtrum Aierniacum*; *Eccleſiam B. Petri de Aiarniaco*; *Agerniacum* quoque & *Agernac*, ac *Gernac*. Ibidem *Ramnulfum de Aiarnac* invenio, & *P. Iarniacenſem Archipresbyterum*, *Baudrant dominum de Iarnac*, ſupradictam *Eccleſiam S. Petri de Iarniaco*, *A. Priorem de Iarniaco* in litteris anni MCCXII. *Gaufridum de Leſigniaco, dominum Iarniaci & de Caſtro Novo, caſtrumque & caſtellaniam de Iarniaco* in litteris anno MCCL. datis, & *Iarniacum ſuper Carantonem*, quod & ibidem *Iarnacum* & *Iarnac* nuncupatur. Caſtrum illud hodieque dicitur *Iarnac*, & poſitum eſt ad flumen Carantonum inter Caſtrum Novum & Conniacum (*Congnac*) in pago Ecoliſmenſi: quod non *Iarniacum* modò, ſed etiam *Aiarniacum*, vel *Aierniacum Agerniacumve* ante annos ferè DC. appellari conſueviſſe, ex ſuperioribus intelligitur.

IBREIVM.

Ibreium memorat & appellat primus omnium, aut unus è primis Robertus Abbas Montis S. Michaëlis in periculo maris, in appendice Chronici Sigeberti: *Ibream* Britto Armoricus in libro IV. Philippidos; *caſtrum quod Ibreia dicitur*, idem in Geſtis Philippi Aug. ſoluta oratione compoſitis, in anno MCXCVIII. opidulum vel municipiolum ad flumen Auturam inter Anetum & Paceium, Henrici Magni clarâ de conjuratis ac rebellibus victoriâ nobile: quod etiamnum *Ivry* nuncupatur. Ordericus Vitalis in libro V. Hiſtoriæ non modò *Ibreium* illud vocat arce validum, ſed etiam *Ivereium*, atque in libro VIII. *Ibericum*, *ubi arx fortiſſima eſt*. Plurimi nunc *Ibriacum* appellant, quod eſt caſtrum in Aulercis Eburovicibus.

ICAVNA FLVMEN.

Icauna, *Ionne*, flumen eſt Galliæ Lugdunenſis non obſcurum, Conſtantio Presbytero in Vita S. Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi ante annos mille ducentos, Errico item, & Giſleberto in Vita S. Romani memoratum. Oritur in montibus Morvinnicis, ut tabulæ & Hiſtorici docent: alluit Caſtellum Caninum *Chaſteau Chinon*, in Morvinno pago *le Morvan*, quà Diœceſim Auguſtodunenſem à Nivernenſi dirimit. Tum attingit Marcelliacum *Marcilly*, Mariniacum *Marigny*, Silviniacum *Sauvigny*, Tanacum *Tanay*, Alnetum *Aunoy*, Climiciacum *Clamecy*, ubi primùm navigia tolerat, Colonicam *Coulange*, Caſtrum Cenſorium *Chaſtel Cenſoy*, Malliacum Caſtellum *Mailly le Chaſteau*, Malliacum villam *Mailly la Ville*, Crevennum *Crevan*: dein accepto Chorâ (*la Cure*) Autiſſiodurum, Caſtellum Novum, Eponiacum *Eſpogny*, opidum S. Iuliani de Saltu cognominatum, *S. Julien du Saut*, ubi Hormentione augetur, Iovíniacum *Joigny*, Villam novam Regis, Agedincum Senonum, Pontes Icaunæ *Pons ſur Yonne*, Villam novam Guiardi: demum apud Monaſteriolum in Sequanam effluit. Dicitur in pago montoſo troctis abundare, piſce aquam torrentem amante. Aſſer Menevenſis in Vita Ælfredi Anglorum Regis *flumen Ionam* vocat; Chronicon de Geſtis Normannorum in anno DCCCXCVI. *Hionam fluvium*, in anno DCCCLXXXVIII. *Iunam*; Annales Mettenſes & Regino in eodem anno *Hionnam*; quidam *Iuniam*; *flumen Itumnam*, aut potiùs *Icumnam* VVillelmus Britto in libro X. Philippidos his verbis,

> At Senones, & terra ferax à flumine
> Itumna
> Vſque locum, quo Sequanio Lupa
> confluit amni,

Et

Et quæ Moretum Montémque interjacet Argi,
Herveo Comiti volo dimittatur habenda.

Sincerum & vetus ac incorruptum fluvij nomen eſt *Icauna* : ut docent Conſtantius, & Erricus in libro II. de vita S. Germani his verſibus

Fluvio tamen interiecto,
Cui priùs Icaunæ nomen largita vetuſtas,

ICIODORENSIS VICUS ARVERNORUM.

Per S. Stremonium (ait Gregorius in libro de gloria Confeſſorum) *& ipſum à Romanis Epiſcopis directum, primum Arverna civitas verbum ſalutis accepit. Huius ſepulcrum apud Iciodorenſem vicum habetur. Cantinus juſſit tumulum eius cancellis vallari, ac palliolis nitentibus obvelari.* Iciodorú ſeu Iciodorenſis vicus in Arvernis ad flumen Elaver, hodiéque nomen priſcum retinet : *Iſſoire* enim nuncupatur. Præiectus Arvernorum Epiſcopus, genere claro in Arvernis natus, in *Schola Iciodorenſi* litteras didiciſſe dicitur. Veteres codices alij *Iciodorum*, alij *Iciodoram*, & *Iciodrum*, quidam recentiores & deterioris notæ corruptiùs *Iſſiodorum* ſcriptum habent, & *Iſiodorum*. *Iciodorenſe Cœnobium* memoratur in libello de II. Tranſlatione S. Auſtremonij : in litteris Iciodorenſis Abbatis *ad Excellentiſſimum Regem Francorum Ludovicum*, eo nomine VII. *Iciodorenſis Eccleſiæ & Comitis Montisferrandi* fit mentio.

ICIODORUM TURONUM.

Vicus eſt nomine *Iciodorum* in finibus Turonum, Gregorio Turonico Epiſcopo notus, de quo in libro X. ita refert. *Hunc* (Euſtochium Turonenſem Epiſcopum,) *ferunt ædificaſſe Eccleſias per vicos Brixis, Iciodorum, Luccas, Dolus* : & in lib. VI. capite XII. *Graviter tunc pagi Iciodorenſis ac Berravenſis urbis Turonicæ devaſtati ſunt.* *Iciodorum vicus*, vel *pagus Iciodorenſis* in Turonibus confinis Biturigibus Cubis, eſt *Iſerre*, aliàs *Iſeure*, ad Croſam flumen poſitus : *Lucca*, *Loches* ad flumen Andriam ; *Brixis*, aut *Brixa*, fortè *Broſſes*. *Dolus* nomen retinet vetus. Nam hodiéque dicitur *Dolus*, niſi nos tabulæ Geographicæ decipiunt. *Vicus Berravenſis*, *Berrans* nuncupatus Gregorio in fine libri X. videtur eſſe *Baron*, non longè remotus ab Iciodoro, & ad eiuſdem fluminis ripam ſitus.

ICIUS PORTUS.

J. Cæſar in libro IV. portum ex quo ſolvit in Britanniam non nominat, ſed tantùm in Morinis fuiſſe cum ait. *Ipſe cum omnibus copiis in Morinos proficiſcitur, quòd inde erat breviſſimus in Britanniam traiectus. Huc naves undique iubet convenire.* & infrà. *Tertiâ ferè vigiliâ ſolvit, equiteſque in ulteriorem portum progredi, & XVIII. onerarias naves conſcendere ac ſe ſequi iuſſit. Poſt diem IV. quàm eſt in Britan. ventum, naves XVIII. quæ equites ſuſtulerant, ex ſuperiori portu leni vento ſolverunt* : & de reditu ſuo in Galliam. *Ipſe paullo poſt mediam noctem naves ſolvit : quæ omnes incolumes ad continentem pervenerunt. Ex his onerariæ duæ eoſdem portus quos reliquæ capere non potuerunt.* Duo videlicet erant in Morinis portus, unus portus Icius, ex quo Cæſar ſolverat in Britanniam; quem Florus in libri III. capite X. *Morinum portum* impropriè vocat ; alter, ex quo equites ſolverant, quem Cæſar ſuprà à ſitu *ulteriorem portum*, ac *ſuperiorem portum* appellat, ego Geſoriacum fuiſſe exiſtimo. At in libro V. Cæſar, quum in Britanniam iterum tranſiit, *ex portu Icio* ſolviſſe ſe non ſemel ait : *Omnes ad portum Icium convenire iubet, quo ex portu commodiſſimum in Britanniam traiectum eſſe cognoverat, circiter millium paſſuum XXX. Cæſar ad portum Icium pervenit cum legionibus ; & Labieno in continente cum III. legionibus & equitum millibus II. relicto ut portus tueretur, ipſe cum legionibus V. ad Solis occaſum naves ſolvit. Portus* iſti in Morinis non alij deſignantur à Cæſare, quàm portus Icius, ex quo ſolverat ſecundò in inſulam Brit. & *ulterior portus*, vel *ſuperior portus*, à Cæſare memoratus, hoc eſt, ni fallor, portus Geſoriacenſis. Strabo in Morinis qui Menapiis ſunt finitimi, ait eſſe τὸ Ἴτιον, Itium, eóque navali vel potiùs portu uſum J. Cæſarem, ut in inſulam Britanniam traijceret. Ptolemæus *Icium promuntorium*, Ἴκιον ἄκρον, inter *Frudis* vel Sumnæ *oſtium* & *Geſoriacum navale Morinorum* collocat : in quo Icio promuntorio haud dubiè *portus Icius* erat, à Cæſare celebratus.

Guilelmus Cambdenus Icium portum *Vitſan* vel *Wiſan* interpretatur ; quem nunc portum obſtructum ait. Raimundus Marlianus *Icium portum* apud Cæſarem, aſſerit eſſe nuncuparique *Caletum*, opidum frequens, *Calais* vulgò dictum. Marliano accedit Hadrianus Iunius in capite I. libri III. Animadverſionum his verbis, *Icium portum hodie Caletum vocant.* Ita ſentiunt & alij non pauci : quos ita impugnat Joſephus Scaliger. *Itium eſt promuntorium prope Bononiam maritimam ſeu Geſſoriacum navale. At qui Itium opidum Caleſium eſſe putant, nullo negotio refelluntur à Ptolemæo, priùs ponente Itium, dein Geſſoriacum, à quo opidum Caleſium diſtat plus XX. millibus paſſuum, hoc eſt leugis Belgicis* VII. Cluverius & Samſon unum eundémque portum primò *Icium*, deinde Geſoriacum, ac demum Bononiam dictum eſſe credunt : qui haud dubiè falluntur, cùm Ptolemæus *Icium promuntorium*, in quo erat portus Icius, à *Geſoriaco navali Morinorum* apertè diſtinguat. Equidem *Icium portum*, cum promuntorio cognomine, à Cæſare & Strabone, ac Ptolemæo commemoratum, arbitror eſſe Stapulas, *Eſtaples en Boulonnois*, qui eſt portus in Morinis ad os Quantiæ fluminis, adverſus cellæ S. Iudoci, ex eoque portu Icio bis ſolviſſe in Britanniam Cæſarem : cum autem portum quem *ulteriorem portum*, & *ſuperiorem portum* Cæſar vocat, & ex quo in priore navigatione ſolviſſe equites ſuos docet, eſſe Geſoriacum ſive Bononiam portum locumque ultra & ſupra Stapulas poſitum, ita ut eam ob cauſam *ulterior portus*, & *ſuperior portus* à Cæſare rectè nuncupari potuerit.

Icij nomen videntur dediſſe huic loco, qui pars Morinorum fuerint : à quibus nomen

acceperit *venta Icıorum*, vrbs inſulæ Britanniæ, in itinerario Æthici memorata, Colonia Iciorum à portu Icio huc profectorum; in quibuſdam libris *Venta Icinorum* dicta.

JCVLISNA VEL ECOLISMA.

Geographi veteres cùm Græcorum Latini, in his Strabo, Ptolemæus, & Plinius, nullam Jculiſnæ mentionem faciunt. Primus eius vrbis meminit Auſonius in Epiſtola XVIII. his verſibus.

Iculiſna cùm te abſconderet,
Et invidebam devio ac ſolo loco
Opus Camenarum tegi.

Jculiſna vulgò *Engoleſme*, aut *Angouleſme* dicitur, i. in e, c in g, u in o, & n in m commutatis: ut Noſtri de *Druna*, fluvio ab ipſomet Auſonio celebrato *Drome* fecere, de Vindocino *Vendoſme*: etſi *Eculiſmam* apud Auſonium Scaliger; alij *Iculiſmam* legunt, repugnante codicum fide. Miratur Scaliger Iculiſnam ab Auſonio *devium ac ſolum locum* dici, cùm ſit vrbs vetus ac celebris, antiqua Epiſcopatûs ſedes, in colle altiſſimo poſita ad Canentelum vel Carantonum flumen Ptolemæo & Auſonio memoratum. Sed admirandi cauſſa nulla eſt. Vocavit enim Auſonius Iculiſnam *devium ac ſolum locum* non quòd malè ſita vel in agro ſterili & iniucundo, ſed quòd extra viam militarem, quam ſtratam & ruptam nuncupamus, condita ac ſecreta eſſet: unde quidquid dicat Scaliger, nec in itinerarijs Æthici & à Burdigala Hieruſalem uſque, nec in tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana eius nomen uſquam aut umquam occurrit. Sic Cicero in libri VII. epiſtola XX. ad Trebatium Veliam *remoto, ſalubri amœnoque loco* eſſe ait; & in Piſonem *opidum devium Berœam*, vel Berrœam vrbem Macedoniæ nominat. Idem in Philippica II. *Quid* (inquit) *Anagnini? qui cùm eſſent devij, obviam ei* (M. Antonio) *deſcenderunt, ut iſtum tamquam ſi eſſet Conſul, ſalutarent.* Sic apud Suetonium Veſpaſianus prohibitus contubernio & publica ſalutatione Neronis, *ſeceſſiſſe* dicitur *in parvam ac deviam civitatem, ibique latuiſſe.* Eiuſmodi vrbes *abdita opida* vocant Valentinianus & Valens A A. ad Mamertinum P. P. in libro XV. Codicis Theodoſiani. Quibus opponuntur vrbes in via militari publicave poſitæ, quales à Plutarcho in Æmilio πόλεις ἐνόδιοι, ab Ammiano in libro XIV. *civitates pervia* appellantur.

In priſcis Notitijs Provinciarum Galliæ, tertium obtinet locum civitas Iculiſna inter Provinciæ Aquitanicæ II. ſex civitates, civitatibus Santonum, Pictonumque clariſſimarum validiſſimarúmque gentium præpoſita: & nunc *civitas Ecoliſmenſium* rectè, nunc *civitas Aquelinenſium Aquiliſma*, vel *Aquiliſima*, modò *civitas Engoliſmenſium*, modò *civitas Aqualiſinenſium* dicitur: Paullino Preſbytero *Ecoliſna* apud Gregorium, Hugoni Floriacenſi *Engoliſma*; Roberto in Chronico *civitas Engoliſma*. Burdigalenſis Provinciæ civitatum poſt Burdigalam Metropolin & Aginnum tertia. Apud Gervaſium Tiſleberienſem, & in recentioribus notitijs Epiſcopatuum Galliæ ſub Burdigalenſi Metropolitano poſt Pictavenſem & Santonenſem tertius eſt Epiſcopus *Engoliſmenſis*. Aurelianenſi Concilio I. Lupicinus Epiſcopus Eccleſiæ Ecoleſimenſis interfuit atque ſubſcripſit; item Aurelianenſi II. ubi *Lupicinus Epiſcopus Eccleſiæ Ecoliſmenſis* dicitur: Synodo Aurelianenſi IV. adfuit *Egerius, miſſus ab eodem Lupicino Epiſcopo civitatis Ecoleſima*; Concilio Aurelianenſi V. *Aphthonius Epiſcopus Eccleſiæ Ecoliſnenſis*; Matiſconenſi II. *Nicaſius Epiſcopus Eccleſiæ Aquilinenſium*; Remenſi Concilio *Namatius Ecoleſmenſis Epiſcopus*.

Dicta eſt igitur ea vrbs *Iculiſna* primùm & *Ecoliſna* veris incorruptiſque nominibus; deinde *Ecoliſma* vel *Ecoleſma*; vocabulo ad ſincerum nomen civitatis proximè accedente. Dicta eſt & *Ecoleſima*: item *Aquelina*, *Aquilina*, *Aquiliſma*, & *Aqualiſina*. *Ecoliſmam* veteres Gregorij codices & *Ecoloſinam* vocant. Idem Epiſcopus Turonicus *Ecoliſinam*, *Ecoleſinam*, *Ecoleſenam*, necnon *Egoliſmam* appellat; *Ecoleſinam civitatem* Rorico; *Equoliſinam* & *Ecoloſinam* Geſta Francorum, *Equoleſinam* Magno; *Egoliſenam Aquitaniæ civitatem* Eginhardus in Annalibus. Ex *Ecoliſma* factum eſt *Egoliſma* ſolitâ c in g converſione: ex *Egoliſma* demùm insertâ litterâ n *Engoliſma*: quo vocabulo Aimoinus ante annos DCL. Hugo, Robertus, Gervaſius, ceterique recentiores utuntur.

Pagus Iculiſnenſis vel Ecoliſmenſis, inter Pictones, Santones, Lemovices, & Petrocorios iacens, *pagus Ecoleſimus* vocatur in Chronico S. Bertini, in anno DCCCXLIV. Vulgò *l'Angoumois*, vel *l'Engoumoiſin*: incolæ Ecoliſmæ, totiuſque pagi Ecoliſmenſis, Ecoliſmenſes nuncupantur, *Angoulmoiſins*.

Cuius gentis caput fuerit Ecoliſma, (ſi tamen caput Gentis alicuius fuit) aut ſaltem ad quam Aquitanicæ Gentem pertinuerit, haud facile dictu eſt. Id unum conſtat, tam Gentem cuius vrbs fuit Ecoliſma vel Iculiſna, quàm Ecoliſmam ipſam Geographis Grajis & Romanis ignotam, aut ſaltem indictam exſtitiſſe. Apud Plinium in libri IV. capite XIX. *Aquitanica ſunt Camboleƈtri, Ageſinates Pictonibus iuncti, Bituriges Liberi qui Cubi appellantur.* Hoſce *Ageſinates Pictonibus iunctos*, eſſe Ecoliſmenſes noſtros quidam arbitrantur, & Iculiſnam vel Ecoliſmam, olim dictam eſſe *Ageſinam*; eius vrbis pagique totius incolas, *Ageſinates*. Certè *Ecoliſina* & *Ecoleſina*, atque *Egoliſena*, vetera apud Gregorium & Eginhardum, aliosque Ecoliſmæ nomina, ab *Ageſina* non multum recedunt.

IDONEA FLU.

Idonea fluvius, Theodulfo Epiſcopo Aurelianenſi in epiſtola ad Moduinum Æduorum Epiſcopum memoratus, Condate, Novigentum Rotroci, & Firmitatem Bernardi, Pontémque Longum alluit, & in pratis infra vrbem Cenomanos in Sartam influit, vulgò *Huine* vel *Huigne* dictus. Ordericus Vitalis *Egueniam flumen* in libro X. Hiſtoriæ non ſemel vocat, nomine Latino jam tum corrupto. Quippe *ad Planchias Godefridi vadum Egueniæ fluminis prope Cenomanos* vrbem ibi commemorat, necnon *Eguenia flum.* bis poſtea mentionem facit. Theodulfi in carmine ad Mo-

doinum Epiſcopum de fluvio Sarta qui ſiccatus eſt, verba ſunt hæc.

Tale quid adſeverant te flumen Idonea paſſum :
Hac quod ab vrbe fluens ſat propè Sarta bibit,

id eſt, quod prope vrbem Cenomanos caput Gentis in Sartam effluit. Ex quo diſticho apparet non alium fluvium quam Huinam ab Theodulfo *Idonea* appellatione deſignari. Clergerius obſervat in veteribus tabulis nunc *Iognnam*, nunc *Iogniam* & *Hioginam*, *Encaniam* quoque & *Encanium*, hunc fluvium nuncupari. Eumdem Guillelmus Britto *Hienam* vocavit poſt Theodulfum annis quadringentis.

Durſtallúmque, vadis ubi Sarta adiunctus Hienæ,
Te miſtum Liderice ſibi rapit in Meduanam.

Quippe Sarta Idoneam vel Hienam, Huinam v. dictum, apud Cenomanos, deinde v. leugis infra Durſtallum Lidericũ accipit, paullo pòſt apud Andicauos Meduanam flumen aucturus. Obſervo & *Odanam* bis vocari nomine ad Idoneam accedente, in litteris datis *anno* I. *regni Regis Chlotharij*, penultimi Carolorum, in quibus dicitur *villa Condatum nomine ſuper Odanam fluvium in territorio Corbonenſi*. Condatum autem illud ad Odanam in pago Corbonenſi, eſt Condate, *Condé* vulgò dictum, in maiore Pertico ad fluvium Idoneam *Huigne* poſitum, à Corbone, *Courbon*, IIII. leugis diſtans : qui Corbo olim pago Corbonenſi nomen ſuum dabat, partem Pertici continenti.

IGORANDIS.

Auctor gravis & vetus, qui librum de vita & virtutibus B. Leodegarij Auguſtodunẽſis Epiſcopi ad Ermenarium eius ſucceſſorem ante annos ferè mille compoſuit, *vicum Igorandem* in confinio Turonum & Pictonum, intra fines tamen Pictonum ponit his verbis. *Cùm verò hoc ſanctum corpus* (B. Leodegarij) *introiſſet intra Pictavenſe ſolum, ad quod erat deſtinatum, requievit paullulùm in quodam viculo vocato Igorande*. Hic vicus vulgò dicitur *Ingrande*, poſitúſque eſt inter Caſtellum Heraldi & Croſæ ac Vingennæ confluentes. Ibidem ad *villam Gelnacum* Anſoaldus Pictavorum Epiſcopus cum Clericis & populo veniſſe dicitur, B. Leodegarij corpori occurſurus, quam villam eſſe exiſtimo *Iaunay* ad Clennum flumen, ab vrbe Pictavis octo circiter millibus paſſuum diſtantem : vt ibidem *villa Gaudiacus* in Carnutibus eſt *Ioüy*, viculus *Solnacus* in Turonibus *Sonay*. Eſt & *Igorandis* in Biturigibus Cubis, *Aguranda* recentioribus nuncupata, vulgò *Aigurande*, cellâ ſeu Prioratu, & Eccleſiâ B. Mariæ clara.

ILLIBERIS OPIDUM ET FLUMEN.

Livius in libro XXI. eius opidi meminit, quum Hannibalem ex Hiſpania in Italiam per Gallias contendentem, Pyrenæum ſalcum tranſiſſe, & per *opida Illiberim & Ruſcinonem* iter feciſſe tradit. Strabo *Ilybirrim* Ἰλύβιρριν appellat : Ptolemæus *Illiberim* Ἰλλιβερίν, vel Ἰλλίβεριν, quemadmodum Polybius nuncupat, ac Volcarum Tectoſagum vrbem mediterraneam cum Ruſcinone facit : cùm Mella & Plinius Sardonibus ambas vrbes attribuant; ex quibus Mellæ dicitur *vicus Eliberri, magnæ quondam vrbis tenue veſtigium*, Plinio Mellam tranſſcribenti *opidum Illiberis, magnæ quondam vrbis tenue veſtigium*. Tabula Peutingeriana, quam ab Imperatore Theodoſio Magno cuius principatu compoſita creditur, Theodoſianam multi vocant, inter *Summum Pyrenæum & Ruſcionem*, id eſt Ruſcinonem *Illiberrim* collocat.

Huic opido vel vico idem contigit quod Ruſcinoni, ut Græci Strabo, Ptolemæus, atque Athenæus fluvium ei cognominem attribuerent, qui à Polybio & Strabone ὁ Ἰλύβιρρις *Ilybirris*, Galliæ Narbonenſis fluvius; à Ptolemæo Ἴλλερις corruptè pro Ἰλλίβερις; ab Athenæo Ἰλλίβερρις *Ileberis* nuncupatur. Hic fluvius, ſicuti amnis Ruſcinonenſis, à Latinis ſcriptoribus alio nomine appellatur, nimirum à Mella *Thicis*, vel potiùs *Ticis*, parvum flumen, verùm ubi accrevit perſævum; à Plinio *Tecum*. Vulgò *Tec* hodiéque incolæ vocitant. Eſt & in Hiſpania *Thicis*, aut *Tichis* ad Rhodam opidum, fluvius Mellæ & Plinio celebratus, *Ter* ab incolis dictus.

Illiberis autem vel Eliberris ea vrbs eſt, (ut cum Vaſco Mendoza Holſtenio, Sãtone, aliiſque exiſtimo) quam *Caucoliberim* poſteriores ſcriptores vocavere, parte veteris nominis maiore ſervatâ. Inter caſtra Pyrenaica *caſtrum Caucoliberi* bis memorat Iulianus Toletanus Antiſtes de Expeditione Gallica Vvambæ, quod caſtrum nunc tranſpoſitis litteris *Colivre* Hiſpanis aut *Colibre* dicitur, Noſtris *Colioure*, poſitúmque eſt ad os fluvij, de quo ſuprà retulimus. Vſuardus in Martyrologio quod ante annos octingentos principatu Caroli Calvi compoſuit, non iam caſtrum, ſed *civitatem Caucoliberim* vocat, XIII. *Kal. Maias civitate Caucoliber. paſſio B. Vincentij Martyris*. Rogerus de Hoveden qui in anno MCC. deſinit, *caſtellum bonum ſitum in litore maris, dictum Cocꝛolivre* memorat, *ubi* (id eſt, prope quod) *eſt portus bonus, qui dicitur portus Veneris, port-Vendres*. Litteræ Mariæ dominæ Montis Peſſulani *Quoquoliberum* vocant. Datæ enim ſunt in *Quoquolibero Anno Domini M.CC.V*. Litteræ anni MCC.LXII. *Cauquoliberum*, & *Cauqulibrum*. Quidam recentiores Illiberim Elenam interpretantur : quibus ego aſſentiri non poſſum. Iohannes Olivarius *Cervariam locum, finem Galliæ* non feliciore coniecturâ *Colioure* eſſe arbitratur.

ILVRO.

Primus omnium, aut ſaltem unus è primis *Ilurонem* memorat Æthicus in itinere à Cæſaraugusta Beneharnum, & inter Aſpalucam opidum citra Pyrenæum in Aquitania ſitum, vulgò *Aspe* dictum, ac Beneharnum ſive Lakurrim ponit ſic. *Foro Gallorum* M.P. XXX. *Summo Pyrenæo*, XLVI. *Foro Ligneo* V. *Aſpaluca* VII. *Ilurone* XII. *Beneharnum* XII. Surita in omnibus Æthici codicibus *Ilurонem* & *Ilurone* ſcriptum reperiri affirmat : quam vrbem à veteribus Geographis Græcis, ac Latinis omiſſam miror.

In priſcis Notitiis Provinciarum & civitatum Galliæ inter Prov. Novempopulanæ civitates XII. undecimo loco ponitur *civitas Elloronenſium*, vel *civitas Elleronenſium*, in quibuſdam *civitas Lurunenſium Elarona*, & *civitas Loronenſium Helaronna*, in aliis *civitas Elloronenſium*, *id eſt Elinia* corruptè nuncupata pro *civitas Elurunenſium Elurona*, *civitas Eloronenſium Elorona*, vel *Elarona*. & *civitas Elloronenſium*, *id eſt Elarona*. Robertus Prov. Novempopulanæ ultimam facit *civitatem Elloronenſium*. In Notitia Iſidoriana, quam Simlerus & Scaliger pro integerrima & optima habuerunt vulgaveruntque, Provinciæ Aquitaniæ III Novempopulanæ penultima eſt *civitas Eloronenſiũ*.

In Conciliis Galliæ antiquioribus nunc *Olero*, nunc *Eloro* nuncupatur. Concilio Agathenſi *Gratus Epiſcopus de civitate Olorone* ſubſcripſit; Concilio Pariſienſi IV. *Licerius Epiſcopus Eccleſiæ Eloronenſis*; Concilio Matiſconenſi II. idem *Licerius*, aliàs *Lucerius Epiſcopus Eccleſiæ Eloronenſium*. Recentiores truncato nomine *civitatem Olorenſem* vocant. Gervaſius Tiſleberienſis & Notitiæ eo recentiores Epiſcopatum *Olorenſem*, vel *Olerenſem* in Vaſconia ſive Novempopulis ſeptimum ponunt inter Metropoli Auſcitanæ ſuffraganteſ.

Sincerum & incorruptum nomen vrbis *Iluro*, vel *Illuro*, ex quo poſtea factum eſt *Eloro*, ſeu *Elloro*, nonnumquam & *Oloro*: ex *Eloro* factum *Elorona*, & Elarona, ut ex Narbo Narbona, ex Barcino Barcinona. Noſtri vulgò *Oleron* nuncupant, vrbem commercio Hiſpanorum divitem.

Eſt & in Hiſpania Tarraconenſi Illuro, à Mella memoratus his verbis. *Inde ad Tarraconem parva ſunt opida, Blanda, Illuro, Betullo.* Blanda, alias Blandæ, vulgò *Blanes* dicitur, Illuro *Oleron*, Betullo vel potiùs Betulo ad cognominem fluvium *Beſon*. Apud Plinium in Hiſpania citeriore *opida civium Romanorum Betulo, Illuro, Larnum, Blanda*: Ptolemæo *Iluro Laetanorum* appellatur, ac inter Bætulonem & Blandam collocatur, Ἰλουρὼν Λαιετανῶν. Altera alterius colonia videtur eſſe; ſed utra, incertum eſt.

Iluro, vel Illuro noſter, in pago Benearnenſi poſitus inter duos amniculos confluentes Oſſavum & Aſpam, *Oſſeau* & *Aſpe*, cuius populi caput fuerit, ignoratur. Nam alicuius gentis caput exſtitiſſe non dubito: cùm pleræque vrbes Galliæ, quæ veteres Epiſcopatuum ſedes ſunt, ſuæ quæque gentis capita fuerint. Nomen dedit Gavo cui adſidet, ſeu Gabero Iluronenſi, *le Gave d'Oleron*; ut Benearnum Gavo Benearnenſi, *le Gave Bearnois*, qui Gavum Iluronenſem in Aturum defert cum aliis.

INCRA.

Incra nuncupatur locus opidulo dare nomen idoneus in vita vetere Caroli Flandrẽſium Comitis ante annos DXL. compoſita, qui *Ancora* dicitur Orderico Vitali, in libro XII. Hiſtoriæ *Carolum de Ancora* memoranti. *Encre* vulgò appellatur, vicus Marchiæ titulo illuſtris, Parronam inter & Corbejam poſitus ad amnem eiuſdem nominis, in flumen Sumenam apud Corbejam Ambianorum effluentem. In libro II. Miraculorum S. Richarii, quem Auctor circa annum DCCCLX. compoſuit, *Eſt vicus in pago Ambianenſi nomine Incra, pertinens ad Monaſterium B. Richarii*: & nunc ad Cluniacum pertinet. In litteris Ambianenſis Epiſcopi datis anno M.C.XXXVIII. *Encra* nuncupatur, & *Eccleſia S. Gervaſii de Encra* Monachis S. Martini de Campis confertur. Hariulfus Monachus in libri III. Geſtorum Centulenſis Eccleſiæ capite XXVII. *Abbatis villam, & Incram, & domnum Medardum, villas S. Richarii*, ab Ingelardo Abbate Centulenſi datas, venditas, & oppoſitas eſſe ſcribit: & in libri IV. capite XXI. *ablata Monaſterio Centulo tria opida, Abbatis villam, S. Medardum, & Incram, & caſtella effecta, in eorumque ſtipendia multas alias S. Richarii villas* ab Hugone Rege erogatas eſſe tradit.

INDA LOCUS ET FLUVIUS.

Indam memorat Diviſio Regni Lotharii inter Reges Hludovicum & Karolum fratres anno DCCCLXX. facta, atque inter Caſtellum Menapiorũ & Epternacum locum eum ponit. Annales Fuldenſes in Riparia ponere Indam videntur hiſce verbis. Anno DCCCXXCI. *Nordmanni plurima loca vaſtaverunt, Cameracum, Trajectum, & pagum Haſbanicum totamque Ripuariam, præcipua etiam in eis Monaſteria, id eſt Prumiam, Indam, Stabulaus Malmundarium, & Aquenſe Palatium.* Ludovicus Pius *pro amore Benedicti Abbatis iuxta Aquas Palatium ſuper fluvium Indam ei Monaſterium ædificavit, & fiſcis Regalibus ditavit. Vallis à Palatio Aquiſgrani VI. non ampliùs millibus diſtabat, ubi Imperator iuſſit conſtrui miro opere Monaſterium, quod vocatur Inda, mutuato de rivulo eiuſdem vallis nomine.* ut Ardo in libro de Vita Benedicti Abbatis Anianæ & Indæ tradit. Sancti Cornelii Monaſterium vulgò dicitur, *S. Cornelis Munſter*, & eſt proximum Aquiſgrani.

INDELLA FL.

Indella amnis, quaſi parvus Inda, vulgò *Andelle*, oritur in Veliocaſſium finibus, & Carolivallem, *Charleval*, Floriacum, *Fleury*, Radepontem, *Ratepont*, ac Pontem S. Petri alluit, ac in Sequanam effluit paullo ſupra Pontem Arquatum. *Andellam* vocant Annales Bertiniani in rebus anni DCCCLXII. quum memorant *locum qui Piſtis dicitur, ubi ex una parte Andella, & ex altera Audura Sequanam influunt*; *Andelam* recentiores, qui ante annos D. ſcripſere.

INDIS FLU.

Indis fluvius eſt non ignobilis Brexiæ, qui Pontem Indis *Pontdain*, Vatambonem, Bellamgardam, Caſiacum *Chaſey*, Gurdanumque alluit, & è regione Antonis in Rhodanum effluit. Hunc veteres tabulæ *Indim* rectè nuncupant, Noſtri *Dain* corruptè pro *Din*: ex quo recentiores ſcriptores Latini *Idanum* fecerunt, veteris eius appellationis ignari.

INSULA FLANDRENSIUM.

Balduinus Comes Flandriæ Inſulam foſſa & muro cinxit arce munivit, & Collegio Canonicorum ornavit, & ibi in Eccleſia S. Petri

quam exſtruxerat, anno MLXVII. ſepultus eſt, à qua & cognomen accepit. Rigordus in geſtis Regis Philippi Aug. eius loci meminit. Anno MCC.XV. *movit Rex de Tornaco, ut iret ad caſtrum, quod Inſula nuncupatur.* Vuillelmus Britto in libro II. Philippidos etiam Inſulam vocat.

> Inſula villa placens, gens callida lucra ſequendo:
> Inſula, quæ nitidis ſe mercatoribus ornat;
> Regna coloratis illuminat extera pannis.

Ibidem *domos* eius *turritas*, ut & Gandavi celebrat: & in libro IX. Inſulam à Philippo Aug. triduo obſeſſam atque ad deditionem compulſam eſſe tradit.

Quidam *Inſulas* nominant, Noſtri *l'Iſle*, Germani *Ryſſel*. Dicta autem eſt Inſula à ſitu, quòd ſit inter duos fluvios poſita, ac eorum aquis ferè circumdata: ſicut Inſulam Iordanis, Inſulam Dodonis, aliaque loca eamdem ob cauſſam Galli vocaverunt. Fluvij inter quos Inſula eſt, ſunt Letia, *la Lis*, & Deula, qui in Letiam ad Deulæmundam effluit, & Inſulam interſecat. *Iſlam* nuncupant, & *territorium Iſlenſe* litteræ Baldeuvini Flandrenſium Comitis, datæ apud *Iſlam* anno M.LXVI. Nunc urbs eſt clara, & frequens, caput Flandriæ Gallicanæ, mercatu celebris: quam cum Turnaco, Cortoriaco & Duagio, aliiſque nuper Rex Chriſtianiſſimus uxoris nomine ſuo adiecit imperio. Eius incolæ Latinè Inſulenſes vocantur, vulgò *l'Iſlois*: ager Inſulæ ſubiectus, *Caſtellania Inſulenſis*, longè ac latè patens. Quidam pro Inſula *Lilam*, pro Inſulenſibus barbaro vocabulo ex vulgari nomine *l'Iſle* compoſito *Lilenſes* dixere. Certè in Chronico Aquicinctino, quod Miræus Sigiberti & Anſelmi Chronicis ſubiecit, dicitur *Philippus Rex Francorum*, anno MCXCIII. *S. Audomarum, Ariam*, (Aire) *Atrebatum, Bapalmas*, (Bapaume) *Comitatum Heſdinienſem & Lenſenſem*, (Lens) *Hominagium Boloniæ, & S. Paulli, & Giſnenſe*, (de Guines) *& Lilenſe*, facta cum Balduino Comite Flandriæ pace poſſediſſe.

INSULA BARBARA.

Arar, qui & Sauconna, prope Lugdunum rupi impactus in duos ſe alveos findit, & inſulā efficit longam paſſus mille ducentos, latam trecentos, quam veteres *inſulam Barbaram*, nonnumquam & *inſulam Barbarenſem* appellavere. Noſtri *L'Iſle-Barbe* vocitant nomine truncato, uti equos *Barbaricos* ſive ex Africa, *Barbes*, Barbaram Martyrem, *S. Barbe*. Ibi vetus Monaſterium fuiſſe ferunt ante annos MCC. cuius meminerit Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus in epiſtola ad Philonem Presbyterum, (ſi tamen ſuppoſiticia non eſt) *Maximum Abbatem Monaſterij Inſulæ Barbaræ* memorans. Auctor æqualis in Vita Boniti Arvernorum Epiſcopi *Barbaram inſulam* vocat, quaſi ab aliqua matrona Barbara dicta hoc nomen acceperit, & Monaſterij eius meminit. Ceteri omnes, & Cœnobij ipſius litteræ ac monumenta non aliter quàm *Inſulam Barbaram* nuncupāt, forſitan à ſolo eius arido atque ſaxoſo, ſpiniſque, rubis & ſilveſtribus arboribus horrido. Veterrimum hoc Monaſterium exſtitiſſe facilè crediderim, cùm in inſula conditum ſit: qualia S. Honorati in inſula Lerino, S. Margaritæ in Lerone, Cœnobium Gorgonenſe, Monaſterium in Radi inſula, item in Herio, & in Olarione.

INTERAMNIS.

Locus eſt veteri Monaſterio clarus in confinio Britanniæ minoris & Cenomaniæ, poſitus ad Coëtnum flumen inter Filicarias vel Filgerias & Pontem Viſionis, à ſitu dictus *Interamnis*, quòd ſit poſitus inter duos amnes, Coëtnum nimirum, & alterum ignobilem amniculum in eum defluentem. Vulgò nuncupatur *Entrain*. Eius meminere Annales Bertiniani in anno DCCCLXIII. his verbis. *Carolus Rex Conomannis civitatem adit, indeque uſque ad Monaſterium quod* Interamnis *dicitur, procedit: ubi Salomon Dux Brittanorum cum Primoribus ſuæ gentis illi obviam venit.*

Eſt & Interamnis vel *Interamna*, locus in finibus Senonum Diœceſique Autiſſiodurenſi, Noſtris *Antrain* quoque dictus: qui *Interamnis* corruptè vocatur in Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodurenſium. *Interamnum* Robertus Autiſſiodurenſis in Chronico mendosè etiam vocat pro *Interamnium*: quum ſcribit Peregrinum Valeriani Principatu Autricum perveniſſe, (ſic Autiſſiodurum vocat) *& ibi parvâ Eccleſiâ conſtructâ, & omni paganitate deletâ, Interannum expetiſſe, ubi tunc Gentiles ad feſta Iovis celebranda ſummopere concurrebant.*

JOCUNDIACUM.

Iocundiacum, vicum in pago Turonico, urbi Turonis proximum memorat Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri Hiſtoriæ v. capite XIV. his, de Meroveo & Guntchramno Boſone, qui in Turonicā Baſilicam S. Martini confugerant, verbis. *Egreſſi itaque de Baſilica, ad Iocundiacenſem domum civitati proximam progreſſi ſunt* cum accipitribus & canibus, ut ibi venarentur. *Iocundiacum* illud vulgò dicitur *Ioüay*, locus ad flumen Carum poſitus contra Turonos.

Eſt & Iocundiacum *Palatium, in territorio Lemovico ſitum*; cuius meminit auctor æqualis in vita & rebus Imper. Ludovici Pij anno DCCCXXXII. quod idem auctor in anno DCCXCVI. corrupto & truncato nomine *Andiacum* appellat, & unum è quatuor Ludovici, tum Regis Aquitaniæ hibernis fuiſſe docet: ex quo apparet villam publicam vel fiſcalem exſtitiſſe: qualibus in villis Reges ac Imperatores noſtri plerumque hiemabant. Iocundiacum in Lemovicibus, nunc vocatur *Ioac*. *Iogunciacum Palatium* corruptè in Vita S. Genulfi. Uterque locus à ſitu & ab amœnitate magis quàm à Iocundo aliquo conditore aut domino nomen videtur accepiſſe.

JOPILA.

Iopila, quæ & *Iopilum*, & *Iupila* noſtris auctoribus; *Iobij villa* in Appendice Fredegarij, id eſt Jovij villa; vulgò *Iupile* aut *Iopil* dicitur. Erat autem Iopila villa publica è regione Heriſtallij poſita ad flumen Moſam, in Diœceſi Leodicenſi, & à vico Leodico non ampliùs (ut aiunt) quingentos paſſus aberat, Moſâ interfluente,

ubi Pippinus Dux & Princeps Francorum, anno DCCXIV. in morbum incidit, & cùm utcumque convaluiſſet, recidiſſe in graviorem febrem, ac obiiſſe creditur.

JOTRUM.

Ado Audoëni frater Monaſterium non procul à ripa fluminis Matronæ in ſaltu Jotrenſi fundoque ſuo nomine *Iotrum* ex Columbani diſciplina conſtruxit, dotavitque: ubi omnibus voluptatibus abdicatis reliquam vitæ partem piè religioſéque exegiſſe ab Aimoino dicitur: quod ſcriptores antiqui Monaſterium puellarum vocant. *Iotrum Nonnarum* hoc eſt Monacharum cognominatur, *Iouarre les Nonnains*: à quo & *Firmitas* proximum opidum Matronæ impoſitum cognomen accepit. Nuncupatur enim Firmitas ſub Jotro, *la Ferté ſous Ioüarre*. Plerique *Iotrum* nuncupant; Vita Balthildis, & Annales Bertiniani in anno DCCCLXXIX. *Iodrum*; Aimoinus in libri IV. capite XLI. & *Monaſterium Iodrum in ſaltu Iodrenſi ſuper Matronam flu.* Quidam & *Iodarum* vocant locum hunc atque Cœnobium. Certè in Vita B. Audoëni Epiſcopi Rotomagenſis *Monaſterium Iodarienſe ad Matrona fluvium* appellatur. Obſervo *Iuranum ſaltum* à Jona in Vita B. Columbani Abbatis, *Ioranum ſaltum* in Vita B. Agili Abbatis corruptè ac mendosè dici, pro *Iotrano ſaltu* vel Iotrenſi. *Iotrum* vel *Iodrum Ieurre* primò dixere Noſtri, deinde *Joüarre*; ut *Iodrum* vel *Ioderum Ieurre* priùs nuncupavere, deinde *Ioüarre*. Certè in Teſtamento Margaritæ de Dampetra, quod anno M.CCCVIII. ſcriptum eſt, Jotrum *Ieurre* appellatur his verbis. *Aux pouvres de l'oſtellerie Noſtre Dame de Ieurre*, id eſt, *aux pauvres de l'Hoſpital de Noſtre Dame de Iouarre.*

JOVINIACUM.

Jouiniacum, *Ioigni*, à Flavio Jovino natione Gallo, viro Conſulari, genere, honoribus, opibus, ac rebus geſtis inclyto; qui Magiſter Equitum apud Catalaunos VI. Alamannorum millia in acie cecidit, ut tradit Ammianus Marcellinus, & quem Remis in Baſilica S. Nicaſij ſepultum eſſe Frodoardus ſcribit, nomen videtur inveniſſe. In Hiſtoria Viceliacenſi invenitur epiſtola Anaſtaſij Papæ, ante annos D ſcripta ad *Nobiles viros, Odonem Ducem Burgundiæ, Archembaldum de Borbone, Guillelmum Comitem Cabilonenſem, R. Comitem de Ioviniaco.* Eſt hodiéque hoc opidum Comitatûs titulo inſigne. Ibidem legitur & epiſtola Eugenij Papæ ad eoſdem *Odonem, Archembaldum, Guillelmum, R. Comitem de Ioviniaco.* Malè itaque & mendosè Maſſonus hoc opidum *Inveniacum*; alij truncato nomine *Iuniacum* appellant: quod nundinis ſuis menſe Januario haberi ſolitis (vulgò ferias nuncupant) gloriatur. Certè & Gaufridus Monachus, Bernardi diſcipulus & Notarius, qui libros III. & IV. de eius vita compoſuit, *Ioviniacum* appellat ante quingentos annos, & in Senonibus poſitum fuiſſe docet. Nam poſtquàm *in pago Senonico caſtrum Triangulum, & Monaſteriolum ubi Iona & Sequana confluunt*, commemoravit, ſubiicit continuò: *Eiuſdem Diœceſis caſtrum Ioviniacum*, &c. In libro de Miraculis Bernardi, quem præ ceteris Henricus de Clara-Valle ad Remenſem Archiepiſcopum ſcripſit, vocatur *opidum cui Ioviniacum nomen eſt.*

Eſt & *Ioviniacum* in Campania Remenſi vicus, qui Frodoardo in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis *villa Ioviniacum* vocatur.

JOVIS VILLA.

Iovis villa à templo & cultu Jovis nomen videtur accepiſſe. Ita certè in veteribus tabulis nuncupatur, vulgò *Ioinville*. Locus nunc Principatûs titulo inſignis, inter Calvum Montem & S. Deſiderij opidum poſitus, pontem habet Matronæ impoſitum. Dominum quondam habuit Johannem, rebus geſtis ac ſcriptis ſuis non minùs quam genere clarum & nobilem: qui Ludovici IX. Orientalis expeditionis comes, librum de eius vita ſcripſit. Quidam *Ionavillam*, tamquam à Iona loci poſſeſſore aut conditore malè appellant; *Iunvillam* & *Iunivillam* litteræ ad Ludovicum Francorum Regem, eius nominis VII. *Iovis villam* præ ceteris auctarium Sigeberti Aquicinctinum his verbis. Anno MCCXXV. *Ludovicus Rex Francorum profectus eſt adverſus Albigenſes cum multis Nobilibus, videlicet Archiepiſcopo Remenſi, Guilielmo de Iovis villa, & Gareno Silvanectenſi Epiſcopo*, &c. Jovisvilla à Noſtris dicitur *Ioinville* pro *Iou-ville*, ut Iovis barba *Ionbarbe* pro *Ioubarbe*, u litterâ in n mutatâ.

IPRA.

Ipram peroptimum caſtrum Flandriæ vocat Sugerius in Vita Ludovici Craſſi Francorum Regis ante annos DXXX: Rigordus in geſtis Philippi Aug. & Vvillelmus Britto in libro IX. Philippidos *Ipram* quoque appellant; & in libro II. ab eodem Brittone dicitur

Ipra, colorandis gens prudentiſſima lanis.

Ab Ipra fluvio qui *Ipere* vulgò dicitur, & in Oceanum Britannicum devolvitur, nomen accepit, & *Iperen* Germanis, *Ipre* Noſtris nuncupatur. Hanc Paullus Papa IV. petente Philippo Hiſpaniæ Rege & Belgarum Principe, anno MD.LIX. in ſedem Epiſcopalem evexit. Qui Latinè ſcribunt, *Ipras* nunc appellant: quos à veteribus auctoribus nequaquam recedere, & Ipram potiùs dicere oporteret.

IRITIO.

Evolui Chartularium Præmonſtratenſis Monaſterij Clarifontis: in quo Bartholomæi Laudunenſis Epiſcopi litteræ datæ anno M.C.XXXVI. *Rogerum de Iritione* ſemel atque iterum, & *Arnulfum de Iricione* commemorant. In aliis ibidem litteris *Ericio* vocatur, in aliis *Iritio*; in litteris anni M.C.LXXXIX. *Trechon*, alibi *Trizun*. *Rogeri de Iricione ſoror Bertrada* ibidem reperitur. Noſtri *Herſon*, aut *Hierſon* nuncupant & ſcribunt, cùm *Erçon*, aut *Ierçon* ſine adſpiratione ſcribi conveniat. Quippe ut ex Brigantione fit *Briançon*, ex Alentione *Alençon*, ex lectione *leçon*, ex Mactione *Maçon*, ex Brictione *Briçon*, ſic ex Iritione *Eriçon*, vel *Ierçon*. Caſtrum fuit, vel etiam

municipium Iritio ad ripam Iſaræ poſitum in diœceſi Laudunenſi : quod noviſſimis nos inter & Hiſpanos bellis eſt dirutum.

ISARA FLUMEN PROVINCIÆ VIENNENSIS.

Plancus in epiſtolis ad Ciceronem. *Iſaram flumen maximum eſſe in finibus Allobrogum* ſcribit, ciuſque ſæpius meminit. *Iſar* Straboni & Ptolemæo dicitur, ut Arar, Liger; declinaturque *Iſar*, *Iſaris*, ὁ Ἴσας, τοῦ Ἴσαρος, ut Arar, Araris; Liger, Ligeris. Dion ſimiliter τὸν Ἴσαρα nominat, id eſt Iſarem. Ab Livio vocatur & *Iſar* in libro XXI. his verbis : *Ibi Iſar Rhodanuſque amnes diverſis ex Alpibus decurrentes, agri aliquantulum amplexi, confluunt in unum.* Nam *Iſar* legendum eſſe, non *Arar*, nemo è doctis nunc dubitat, iter Hannibalis obſervans. *Iſaram & Druentiam non minùs Rhodano torrentes* Plinius in libri III. cap. IV. vocat, & in capite I. libri VII. Allobroges & Arvernos à Q. Fabio Maximo apud Iſaram flumen ingenti prœlio ſuperatos eſſe prodit. De quo Lucanus magnificentiùs quàm veriùs ita cecinit :

> Hi vada liquerunt Iſaræ, qui gurgite ductus
> Per tam multa ſuo, famæ maioris in amnem
> Lapſus ad æquoreas nomen non pertulit undas.

Iſara notus & Floro, notus & Vibio ceteriſque. Gregorius Noſter in libri IV. capite XXXIX. *Iſeram* nuncupavit. Noſtri *Iſere* vocitant. Fallitur Iulius Scaliger, qui *Arsum* ab indigenis appellari affirmat.

Oritur *Iſara* in Centronicis Alpibus ſive Darantaſienſibus apud Sapaudos. Alluit autem loca & caſtella aliquot Sapaudiæ, tum Gratianopolim, Fontanetum *Fontany*, Teglinas *Tulins*, Caſtellum-Novum *Chaſteauneuf*, *Ventiam urbem Allobrogum* Dioni memoratam, *Vinay*; Solonem, *Solonium oppidum Allobrogum* à Dione dictum, *la Sone*; Balmam, *la Baume*, Iuncariam *la Ionchere*, Romantium *Romans* : demum apud Confluentes, *Confulens*, Rhodano paullo ſupra Valentiam miſcetur, fluvios Arcum *Arch*, & Dracum *Drac* præ ceteris deferens. Hic medium Dalfinatum aquis ſuis ſecare dicitur.

ISARA FLUVIUS BELGARUM.

Iſara vocatur hic fluvius in Itinerario Æthici, iter à Cæſaromago Luteciam uſque ſic deſcribentis. *Petromantalum* M. P. XVII. *Brivam Iſara* M. P. XIV. *Luticiam* M. P. XV. *Iſura* in Tabula Peutingeri, ſi tamen mendoſa non eſt in qua *Briviſura*, hoc eſt Brivaiſaræ prope *Luteciam* ponitur. Fortunatus quoque ac Fredegarius & Frodoardus idem flumen veteri nomine deſignaverunt : è quibus Fortunatus in libri VII. Carmine IV. *Iſaram* vel *Eſaram*; Fredegarius in libro V. ac ultimo Chronici *Iſaram* quoque & *Iſeram* appellat; *Iſſam fluvium* Fredegarij vetus Appendix. *Iſeram* etiam Aimoinus; quidam *Iſram*; Geſta Francorum *Hiſſeram fluvium* non ſemel; alij *Iſſaram* : nonnulli truncato nomine *Iſram*; *Hiſam* Chronicon de geſtis Nortmannorum.

At Vibius Sequeſter *Eſiam* hunc fluvium vocat, ut nos *Oiſe* : *Eſia* (inquit) *Galliæ in Sequanam fluit.* Cuius auctoritate haud pauci adducti & ſupradictorum ignari, in primis Maſſo, ſolum flumen Allobrogum in Rhodanum decurrens Iſaram dici oportere; noſtrum autem non Iſaram, ſed Eſiam nuncupandum eſſe falsò exiſtimavere. Oritur Iſara in ſilva Carbonaria, ſeu in Theoracia ad Laudunenſem diœceſim pertinente; & Guſiam, Faram, Calniacum, Compendium Sueſſionum, ubi Axonâ augetur, Pontem ad Sanctam Maxentiam dictum, Credilium Bellovacorum, Bellum Montem Bellouacorum, Brivam Iſaræ ſeu Pontem-Eſiæ in Veliocaſſibus attingit, atque ad Confluentes in Sequanam influit. Recipit Saram *Sere*, Axonam, *Eſne*, Aronam *Aronde*, Taram *Terin*.

ISLERÆ CASTELLUM.

Iſleræ, *Illiers*, locus in Carnutibus ad Ledericum flumen, non longè ab Avallocio, Bona-Valle atque Caſtroduno. Fulberto Carnutum Epiſcopo in epiſtolis memoratus; *Iſlaris cella* in Vita S. Emani à veteri auctore ſcripta. Fulberti in epiſtola ad Rotbertum, quem *Dominum ſuum Regem Rotbertum Sereniſſimum* vocat, verba ſunt : *Gaufridus Vicecomes nec Dominum, nec Excellentiam veſtram ſe revereri indicat, quum & caſtellum de Galardone à vobis dirutum reſtituit, & alterum ædificare præſumſit apud Iſleras intra villas S. Mariæ* : id eſt intra villas maioris Eccleſiæ Carnutinæ, quæ B. Mariæ Virginis titulo patrociniόque gloriatur. Idem in alia epiſtola ad Dominum ſuum Rotbertum Regem & Reginam Conſtantiam, queritur *Gaufridum* iſtum, *Vicecomitem de Caſtro Dunenſi, refeciſſe ante Natalem Domini caſtellum de Galardone, à Rege olim deſtructum; & III. die poſt Epiphaniam Domini cœpiſſe facere alterum caſtellum apud Iſleras, intra villas S. Mariæ.*

ITTA FL.

Itta fluvius in Vita S. Geremari Flaviacenſis Abbatis, Frodoardo in Chronico, multiſque aliis memoratus : Roberto Abbati Montis & Suggerio in Vita Ludovici Craſſi *Etta*; Orderico in libro XII. & Guillelmo Armorico in Philippidos libro V. corrupto jam tum nomine *Epta. Epte* : Gornacum, Novum mercatum, Giſortium, Nelfam, Dangutum, & S. Clari opidum, Braiam ac Fabricas attingit, atque inter Rupem Uvidonis ſeu Guidonis, ac Vernonem in Sequanam labitur. Oriri dicitur in Bellovacis è fonte cognomine.

ITTONA FL.

Ebroas urbem ſuper Ittonam fluvium ſitam vocavit Ordericus Vitalis in libro V. ante annos ferè quingentos. Ittonam igitur fluvium appellat, quem recentiores ſcriptores Itonem, *Iton* : qui Britolium vel Bretolium, *Breteüil*, Condate, *Condé*, Alnetum, *Aunay*, Nucetum, *la Noüe*, Ebroïcas, & Plancas præterlabitur, atque in Auturam influit. Veteres tabulas legi, in quibus hic fluvius *Itum* nuncupatur: *Ebroicæ ſuper fluvium qui vocatur Itum.* Chronicon Fontanellenſe *fluvium Ittonem* nuncupat in capite VII.

S. JUDOCI CELLA ET DE QUENTOVICO.

Judocus Juthaëli Regis Brittonum Ciſmatinorum filius, Judacailis Regis frater natu minor, relictâ olìm Britanniâ Armoricâ, per vrbem Luteciam Pariſiorum Pontivum petiit, pagum Morinorum ſilvis horridum, & magna ex parte incultum atque deſertum: ubi Chlodovei principatu Preſbyter factus, in vaſta eremo mari proxima habitavit, atque ab Haimone regionis Duce ſeu Præfecto è lapide quadrato B. Martino ædificatam Baſilicam accoluit, ibique demum cum poſt vitam religiosè actam Idibus Decembris obiiſſet, ſepultus eſt: cuius Monaſterium ab auctore & à ſitu loci *Cellam S. Iudoci ad mare* poſteri cognominavere, *Saint Ioſſe ſur Mer.* Poſitum enim eſt contra Stapulas ad oſtium Quantiæ in mare Britannicum effluentis, ut in libro xix. Rerum Francicarum ſcripſimus. Quare quidam cellam S. Iudoci olim *Quentovicum* vel *Quentovvicum* dictam eſſe putant, id eſt *Vicum Quenti*, vel *vicum ad Quentum*. *Quentum* autem, vel *Cuentum* recentiores nuncupavere fluvium, quem veteres *Quantiam*. *Cuentauvic* Vvilibaldus; Chronicon Fontanellenſe *Quentauvich portum*; Alcuinus in epiſtolis nunc *Vicum*, nunc indeclinabili vocabulo *Vvicus* locum iſtum nominant. Eſt non procul à Stapulis & Quantiâ fluvio locus ad mare, *Cannel* aut *Connel* dictus, nomine ad Quentovicum accedente.

JULIACUM.

Juliacum à Julio ſeu Cæſare, ſeu quo alio nomen videtur accepiſſe, ſitum in pago Ripariensi inter Coriovallum & Tiberiacum, ut Itinerarium Æthici docet: ubi à Coriovallo xii. à Tiberiaco viii. millia paſſuum abeſſe dicitur, à Colonia Agrippina xviii. In tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana eiuſdem loci fit mentio his verbis: *Pernaco, Cevelum, Blariaco, Catualium, Fereſne, Atuaca, Coriovallio, Iuliaco.* Ibi maiuſculis litteris adſcriptum reperitur nomen gentis *Pariſi*: quod haud dubie corruptum eſt tranſpoſitione ſyllabarum, & pænultimæ litteræ pro alia intruſione. Legendum omnino eſt non *Pariſi*, ſed *Ripari* aut *Ripary*: cùm in pago Ripariorum Juliacum præ ceteris & Coloniam Agrippinam poſitas fuiſſe conſtet. Certè in Annalibus Mettenſibus reperitur: *Anno* DCCCXXCI. *duos Reges Normannorum Ribuariorum finibus infuſos, Coloniam Agrippinam & Bunnam civitates cum adjacentibus caſtellis, ſcilicet Tulpiaco, Iuliaco & Nuiſa igne combuſſiſſe.* Juliacum igitur in Ripariis vel Ripariolis, quos *Ribuarios* vulgò & *Ribariolos* corruptis nominibus appellitant. Apud Æthicum in itinere à Caſtello Coloniam *Iuliacum* ponitur inter Coriovallum & Coloniam, à Coriovallo xviii. à Colonia totidem millibus paſſuum diſtans. Poſitum eſt autem ad Ruram flumen, ut & Marcodurum vel Marcomagus, ac vocatur à Germanis *Iülich*, aliàs *Gulick*, à Noſtris *Iuliers*, Ducatûs cognominis caput: incolæ Latinè Juliacenſes; Germanicè *Iulicher* appellantur. Juliaci, ni fallor, meminit Ammianus Marcellinus in libro xvii. In Libri Mirabilium rerum à Bernardo Claravallenſi geſtarum capite xii. hæc legimus, *Venimus Iuliacum, quod à Iulio Caſare caſtrum ædificatum, & eius nomine eſt inſignitum.* Ita ſcribit Gaufridus Monachus Clarævalis, à Patre Bernardo converſus: qui ibidem *Comitis Iuliaci* meminit, & *Advocati caſtri illius.*

JULIOBONA QUÆ ET DEPPA.

Juliobona Caletorum vrbs à Ptolemæo memoratur, & in Itinerario Æthici, ac in tabulis à Peutingero vulgatis: quæ nunc ab Imperatore cuius principatu iuſſuque compoſitæ exiſtimantur, Theodoſianæ, nunc ab editore Peutingerianæ cognominantur. *Iuliabona*, (inquit Sigebertus in Chronico) *in Caletenſi page, regione inter Sequanam & mare ſita, iuxta Sequanam eſt ſedes Regia.* Credidit ergo Sigebertus Juliobonam, quam corruptè Juliambonam appellat, eſſe *Illebonam*, *L'Illebonne*, poſitam ad amniculum in Sequanam effluentem non procul à Tancredivilla. Idem exiſtimavit Ordericus Vitalis in libro v. cuius hæc ſunt verba. *Vicus Regalis ſecus Sequanam, ubi antiqua vrbs Caletus, à qua pagus circumiacens Caleguis vocatur. Hanc C. Iulius Cæſar obſedit & ſubvertit: deinde conſideratâ opportunitate loci præſidium ibi conſtituit, & à nomine ſuo Iuliambonam, quam barbari nunc Illebonam nuncupant, appellavit.* Et in libro xii. ait, Jul. Cæſarem *Caletum* vrbem, *unde Caletenſis pagus vocabulum adhuc retineat, obſediſſe, captamque deſtruxiſſe: ſed ne Provincia præſidio nudaretur, munitionem conſtruxiſſe, quam Iuliambonam vocarit, ſed barbara locutio Illebonam corrupto nomine vocet.* At Caletus vrbs ignota veteribus omnibus Geographis. Numquam enim ac nuſquam fuit: nec ab vrbe iſta Caleto, quæ nulla exſtitit, ſed à Caletis notiſſima gente Galliæ Lugdunéſis pagus Caletenſis nomen accepit. Decepit Sigebertum & Vitalem qualiſcumq. ſimilitudo nominum Juliobonæ & Illebonæ: decepit & Turnebum, qui in libro ix Adverſariorum Juliobonam Villambonam vocat, & Villæbonæ nomine non alium locum deſignare vult quàm Illebonam, quibuſdam & Iululam bonam mendosè dictam. Turnebo acceſſit & Maſſonus. Sed eos omnes erroris arguit vel unum Itinerarium Æthici, ex quo Juliobona à Carocotino vel Corocotino, *le Crotoy*, millibus paſſuum decem diſtat, à Rotomago xxx. Quod Illebonæ minimè convenit, quæ à Carocotino paſſuum millia circiter xx. vel xxx. abeſt. Quare Philippo Cluverio aſſentior, qui Juliobonam Caletorum caput, Deppam eſſe ait, *Dieppe*, ita cognominatam à flumine ipſam alluente. Apud Æthicum iter eſt à Juliobona Mediolanum millium paſſuum xxxiv. iter à Juliobona Durocaſis millium lxviii ſic: *Breviodorum* vel *Breviodurum* M.P. xvii. *Noviomago* xvii. *Condate* xxiv. *Durocaſis* M.P. x. Quod iter in tabula Peutingeriana ſimiliter deſcribitur. *Iuliobona, Brevoduro, Condate, Durocaſſio*, vel *Durocaſſis*. Cluverius *Breviodurum* vel *Brevodurum*, Pontem-Audomari exponit, *Pont-Audemer*; *Noviomagum* Lexoviorum caput *Lizieux*; *Durocaſis* vel Durocaſſis *Dreux*.

Deppa

Deppæ fluvij meminit Ordericus Vitalis in libro XII. Hiſtoriæ, cui & Juliobona noſtra, *Iulia bona* dicitur. Rigordus anno MCXCV. *villam quæ Deppa vocatur*, a Francis deſtructam ait & incenſam. Idem ait Guillelmus Armoricus in eodem anno, *portum famoſiſſimum & villam opulentiſſimam Depam ſuper mare Anglicum* vocans. Et in libro IV. Philippidos ejus hi ſunt de Deppa verſus.

> Haud procul hinc portus famâ celebermus, atque
> Villa potens opibus florebat, nomine Deppe.

Concilio Cabilloni Principatu Chlodovei junioris habito interfuit atque ſubſcripſit præter ceteros *Betto Epiſcopus Eccleſiæ de Iuliobona*: quo nomine Juliobonam Caletorum deſignari minimè poſſe, nemo non videt. Numquam enim Juliobona Caletorum ſedes Epiſcopatûs fuit, ſed ſemper Rotomagenſis Eccleſiæ Epiſcopis paruit, ac nunc etiam paret. Exiſtimo igitur *Iuliobonæ* appellatione heic *Auguſtobonam Tricaſſium* deſignari. Nam cùm Octavius poſt adoptionem *Iulius* Cæſar *Auguſtus* vocatus ſit, à Julio Cæſare Auguſto caput Tricaſſium tam *Iuliobona* appellari quam *Auguſtobona* potuit: & inter ſubſcriptiones Epiſcoporum XLIII. qui Concilio Cabillonenſi interfuerunt, nuſquam ullus *Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſſinæ* comparet: nullus etiam *Epiſcopus Eccleſiæ Andecavenſis*. Urbs autem Andecavorum princeps Julio-magus olim appellabatur, ut Ptolemęus docet: quam heic pro *Iuliomago Iuliobonam* dici quidam forſitan potiùs exiſtimabunt, & Bettonem Andicavorum magis quàm Tricaſſium Antiſtitem extitiſſe.

Quidquid ſit, Jacobi Sirmundi viri undecumque doctiſſimi ſententiam probare non poſſum, qui Juliobonam Caletorum opidum in Diœceſi Rotomagenſi, *ſtatam* quidem *Epiſcopatus ſedem negat fuiſſe*, *ſed* nihilominùs *tum Bettoni Epiſcopo locum hunc attributum fuiſſe, ut Auſtrapio Sellenſe caſtrum in Pictonibus, Manderico Ternodorum*, deinde *Arſitum*. Hæc enim gratis dici & citra auctoritatem veteris alicujus ſcriptoris non debent: cùm minimè veriſimile ſit Audoënum clariſſimum illum & piiſſimum virum, qui tum Rotomagenſis Epiſcopus fuit, & Cabillonenſi iſti Concilio tertius ſubſcripſit, Eccleſiam ſuam in duas diviſiſſe, aut alterum in una aliqua ſua Diœceſi Epiſcopum contra Canonas conſtituiſſe. Præterea Auſtrapius & Mundericus deſignati erant, hic Lingonici, ille Pictavenſis Epiſcopi ſucceſſores, ſicuti Gregorius docet in libro IV. & V. Hiſtoriæ: at *Betto* in Epiſcopatum Rotomagenſis Eccleſiæ Audoëno non ſucceſſit, nec ullus eo nomine Rotomagenſem umquam rexit Eccleſiam.

JUNNA FL.

Junna, *la Iuine*, Stampas ad quas Loam capit *Loet*, Mauriniacum, *Morigny* Monaſterio ſuo illuſtre, Campiniacum *Champigny*, Bonnas id eſt limites, *Bonnes*, Lardiacum, Ver parvum, *Ver le petit*, & vicum S. Verani *S. Vrain* attingit, tum augetur amne, ex Marcis (*Marches*) & Firmitate Adelhaidis, (*la Ferté Alais*) veniente. Inde Villam Regis *Villeroy*, Villam Abbatis, *Vill'abbé*, ac in duo brachia diuiſus, dextro Exonam, lævo vicum S. Iuſti alluit, *S. Iuſt*. ad Exonam nomine mutato Exona vocari incipit, *la riviere d'Eſſone*. Demum junctis aquis *Paludellum villam ſuper Exonam*, *Palneau* præter cetera loca attingit, atque juxta caſtrum Corboilum flumini Sequanæ miſcetur. *Fluvium Iunnam apud Stampas* memorat Aimoinus Floriacenſis Monachus in Hiſtoriæ Francicæ libri III. capite XCI. quem ad fluvium Chlotharius junior Francorum Rex, Chlotharii Magni nepos, abſens à Theodorico Rege acie victus eſt. In Axona vel Exona vico Pariſiaci pagi docebimus, Iunnam in litteris Pippini Regis Franc. *fluvium Exona*, id eſt *flumen Exonam* eodem quo vicum nomine nuncupari, & à Sugerio Abbate Monaſterii S. Dionyſii vicum quidem ipſum ſive (uti loquitur) burgum *Axonam* & *Axonem*, at eius *fluvium Iſſonam* appellari, in litteris Ludovici Regis Franc. & Ducis Aquitanorum ſimiliter *aquam Iſſonam apud Curbolium*.

IVRA MONS, ET PAGVS IVRENSIS.

Montem Iuram altiſſimum eſſe inter Sequanos & Helvetios, Cęſar in libro I. Commentariorum belli Gallici tradidit: quem tranſcribens more ſuo Strabo, idem refert: in Sequanis (inquit) eſt mons Iura, eos ab Helvetiis dividens. ὁ Ἰουρασσός, *Iuraſſus* Straboni, ut & Ptolemęo dicitur, nonnumquam & Ἰόρας, id eſt *Iora* vel *Iura*. Ionas in Vita Columbani Abbatis nunc *Iuranum ſaltum*, nunc *ſaltum Iorenſem* nuncupat; & ibidem *Iuranum ſaltum* in Briegio corruptè pro *Iorenſi* vel *Iorano ſaltu*. Robertus in Chronico *Montem Iuranum* appellat. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri de Sanctorum Patrum Vita capite I. *Iorenſis eremi opaca* commemorat, item *Iorenſis deſerti ſecreta, quæ inter Burgundiam Alamanniamque ſita, Aventicæ adjacent civitati: ubi Lupicinus & Romanus fratres fecere ſibi Monaſterium, quod Condatiſconem vocari voluerunt*. Ab eo Monaſterio, quod poſtea *S. Augendi*, deinde *S. Claudij* Monaſterium vocatum eſt, mons Iura noviſſimum nomen accepit. Dicitur enim vulgò Mons S. Claudij, *le Mont S. Claude*, necnon veteri nomine modò corrupto, modò ſincero, *le mont Iura*, & *le Ioux* pro *le Iou*. Eſt in Iura monte ad Vrbam flumen & ad lacum Abbatia *Ioux* vulgò dicta, vicus item *Ioux* ad Dubim fluvium: quæ loca à *Iura* nomen accepiſſe videntur.

A Iura dicti *Tranſiurani*, quos Fredegarius in capite XXXVII. libri V. & ultimi Chronici *Alamannis* confines facit, ac Aventicenſes eis attribuit, *pagũ Aventicenſem ultrajuranum* appellans. Tranſiurenſium iſtorũ regionem *Burgundiam Tranſiurenſem* alicubi vocari reperio. Rodulfi poſteros *Reges Iurenſes* Frodoardus nuncupare conſuevit, quòd circa montẽ Juram

regnarent: quidam *Reges Tranſiurenſis Burgundiæ*. Quos alij nobiliori & lato nimis nomine *Reges Burgundiæ*, & *Reges Galliæ Ciſalpinæ* appellare maluerunt.

Mons Iura nomen dedit pago Iurenſi, ſeu territorio Iurenſi. Petrus Damianus, Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, qui anno MLX. claruit, in libro de Vita Odilonis Abbatis Cluniacenſis, *Monaſterium quod eſt in Iurenſi territorio conſtitutum*, & *Genevenſem urbem* memorat, necnon *prærupta Iurenſium Alpium*, id eſt montium.

JUSTINA.

Inter Altampetram & Vallemcluſæ *Iuſtinam* ponit Diviſio Regni Lotharij anno DCCCLXX. facta: quod eſt forſitan *Mont-Iutin* aut *Mont-Iuſtin* caſtrum in libera Burgundiâ Lantanam inter & Lunionem fluvios. Quamquam Annales Bertiniani non *Iuſtinam*, ſed *Luſtenam* habent, quæ vox ad Liptinas (*Leſtines*) videtur accedere. Altapetra autem nomen retinet, in alto monte poſita Abbatia, quæ *la Haute-pierre* dicitur, in Lotharienſium finibus inter Medianum Monaſterium & Senonias: niſi potius eſt *Monſtier Haute-pierre*, cella Cluniacenſis ad fluv. Lupam in Sequanis. Cluſa eſt, aut *Cluſe* ad fluvium Aruam in Faucin iaco Sapaudiæ parte caſtrum non ignobile, proximum Alpibus; aut vicus *la Cluſe* ad Rhodanum flumen, Iurenſibus rupibus proximus, ubi eſt *le pas de la Cluſe*, id eſt tranſitus Cluſæ. Ab hac aut ab illa Cluſa Vallis Cluſæ nomen accepit. Eſt tamen *Vaulecluſe* vicus in Sequanis, qui ad *Vallem Cluſæ* magis accedit. Ceterùm Cluſæ vocantur fauces & anguſtiæ montium, quas & clauſtra, & cluſuras, & contracto ac truncato nomine cluſas appellant Latini ſcriptores.

IVVINIACVM.

A Iove *Iovium*, à Iovio *Iovianum* & *Iovinum*, à Iovino *Iovinianum* Latini dixere. Ut autem *Iuvinum* pro Iovino nonnumquam, ita & *Iuviniacum* pro Ioviniaco ſcripſere. Certè vetus codex de reditibus & decimis Remenſis Monaſterij S. Remigij, quem ſcriptum legi, *in pago Tardinenſi* vel Tardinenſi *Iuviniacum* memorat inter villas ad illud Monaſterium pertinentes. Hoc Ioviniacum vel Iuviniacum nunc *Iojne* vulgò dicitur. Lucius PP. III. alterius *Iuviniaci* meminit in litteris ſuis, in quibus Mons aureus, Villa Pomerij à domino ſuo cognominata, *Pomiers*; Iuviniacum *Iuvignieu*, Vilmiacum, aliàs Viſmeiæ *Vimy*; Floriacum *Fleurieu*; Petra inciſa *Pierre enciſe*; Criſpiacum *Creſpieu*; Montes *Mions*; Anto *Anton*; Tartaracum *Tartaras*, Taurini *Tarins*; Caſtellucium *Chaſtellus*; Conſtantiæ *Conſtances*; Magniacum *Magnieu*; Folioſa *la Feüilleuſe*; Turris *la Tour* in Epiſcopatu Lugdunenſi: in Epiſcopatu Valentino Montilium Adhemari *Montelimar*: in Epiſcopatu Tricaſtino & Arauſicenſi Belgio *Baujon*, Albuna *Aubonne*: in Epiſcopatu Siſtaricenſi, id eſt Secuſteronenſi Monaſterium S. Marij *S. May*; Aileduna *Sebune*: in Epiſcopatu Vapincenſi Carcer, vel caſtrum S. Mariæ de Carcere *la Charce*; Pomariolum *Pomairol*; Alamo opidum cum Monaſterio, *Alamon*, forſitan *Alamonte* vel *Alabunte* apud Æthicum, à Vapinco XVII. millibus paſſuum diſtans: & in Epiſcopatu Ebredunenſi *Auguſtodunum Auſtum* memorantur: quorum omnium locorum Eccleſiæ ad *Monaſterium Lugdunenſe apud inſulam Barbaram*, Gregorio Turonico Epiſcopo memoratum, pertinent.

L

LACTORA, ET LACTORATES.

ÆTHICO *Lactura* vocatur in itinere ab Aginno Lugdunum Convenarum, quod eſt millium paſſuum LXV. ſic. *Lactura* M. P. XV. *Clemberrum* XV. *Berſino* X *Lugdunum* XXIV. Abeſt ergo Aginno Lactura millia XV. Lugduno Convenarum XLIX. In tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana *Lactora* dicitur non longe ab *Aginno* & *Beſino*, quod *Berſinum* Æthicus appellat; & ibidem *Lactorates*, *Auſcii*, *Volcæ Tectoſages* conjunctim memorantur, confines populi. Lactorates autem ſunt incolæ Lactoræ. *Laruſates* quidem inter Aquitanicæ populos numerat Plinius, ſed eos in *Tarnſates* quàm in *Lacturates* converti malo. In priſcis lapidibus *Lactora*, nonnumquam & *Lectora* nuncupatur, & *R. P. Lactorat*, id eſt Reſpublica Lactoratium, *pro ſalute & incolumitate domus divinæ Tauropolium feciſſe* dicitur. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, inter prov. Novempopulanæ civitates XII. tertia ponitur *civitas Lactoratium*, vel *Lacturatium*: nonnumquam *Lectora*, & *Lictora*, & *civitas Lactoricum* corruptè dicta; Roberto in Chronico *civitas Lactoratium*, aliàs *Lectoratum*. Apud Gervaſium Tilsbertenſem & in recentioribus eo Notitiis Epiſcopatuum Galliæ tertium quoque locum obtinet *Epiſcopatus Lectorenſis*, & ſub Auſcis *Vaſconiæ* ſeu Novempopulorum *metropoli* poſt Aquenſem collocatur.

In priſcis Conciliis vocatur *civitas Lactorenſis*. Synhodi Agathenſis Decretis ſubſcripſit *Vigilius Epiſcopus de civitate Lactorenſi*. Concilio Aurelianenſi V. interfuit *Aletbius Epiſcopus Eccleſiæ Lactorenſis*.

Urbs hæc Leomaniæ (*Lomaigne*) caput eſt: à qua Vicecomites Leomaniæ *Lactorenſes* etiam *Vicecomites* in veteribus tabulis dici Oihenartus auctor eſt. Incolæ *Lectoure* ſive *Leytoure* nominant, *Letoure* aliqui ſcribunt. Bellaforeſtius Convena *Leſtore* nuncupat, aſſeritque urbem eſſe in rupe poſitam undique niſi ex parte Toloſæ inacceſſâ, triplici muro cinctam, & arce munitam inexpugnabili, totius demum Novempopulanæ ſive Vaſconiæ validiſſimam naturâ loci atque arte, tutiſſimamque, & fertiliſſimo agro gaudentem. Alluit eam, ut & Auſcorum caput *Ægircius* vel *Egirtius*, Fortunato celebratus, *Gers* truncato nomine dictus, aut potiùs & meliùs (niſi fallor) *l'Egers*: qui amnis apud Aginnum in Garumnam effluit, & *Gertius* à nonnullis veteribus ſcriptoribus vocatur.

In Comitatu Harmannacenſi plerique Lacturam ponunt cum Auſcis & Eluſa.

LÆTI, LÆTICUS PAGUS AC FLUMEN LÆTIA.

Zoſimus in libro II. ſcribit, Magnentium genere barbarum inter *Letos*, quæ gens Gallica erat, ſedem cepiſſe. *Letos* & libri Ammiani ſcripti vocant: *Latos* alij ſcribunt. *Latos* autem vel *Letos* Gentem Gallicam fuiſſe, Eumenius quoque in Panegyrico Conſtantio Cæſ. dicto videtur indicare: in quo ait *Letum* in agrum Nervicum juſſu Maximiani Auguſti poſtliminio eſſe reſtitutum, Francos in agro Trevirico collocatos. *Sicut poſtea tuo Maximiane Aug. nutu Nerviorum & Trevirorum arva jacentia Latus poſtliminio reſtitutus, & receptus in leges Francus excoluit*. Iidem in Notitia dignitatum ac provinciarum Imperij Rom. *Læti Nervij* appellantur, & *Lætia* opido Nerviorum, cujus mentionem facit Hugbaldus in libro de Vita B. Rictrudis, nomen dedere. Tamen in ea Notitia *Latus* cum Gallorum, tum etiam Germanorum præſidiariorum per Galliam diſpoſitorum, ſcilicet *Batavorum*, *Nerviorum*, *Lingonum*, *Gentilium Suevorum*, *Francorum*, *Teutonicianorum* commune prænomen eſt. Imperator Valentinianus major in libro XIII. Codicis Theodoſiani Barbaris, qui ex multis & variis Gentibus ad ipſum confluxerant, *terras Læticas* dividi jubet: à quibus terris Læticis *Litticianos* apud Jordanem cognominatos puto, qui in bello Hunnico Aëtium auxilio juviſſe dicuntur: ut in libro I. Rerum Francicarum ſcripſi. *Læti* porrò cum alibi, tum maximè in terris Læticis ſeu in *pago Lætico* ad flumen Lætiam ſedes habuere. *Pagi Lætici* vel *Letici* mentio ſit

in litteris Caroli Calvi anno DCCCLXXVII. datis in gratiam Monaſterij Marcianenſis. *In pago Letico villam Hasgnas, ſimiliter & in ipſo Comitatu Letico villam Rinengam.* *Pagus Leticus*, & *Comitatus Leticus* una eademque res eſt. Plerumque enim quot pagi, tot Comites, & ſingulis pagis ſuus ut plurimùm Comes præerat. Pagi *Letici* fit & mentio in rebus Philippi Aug. Francorum Regis: qui inter Flandriam & Atrebates ſitus eſſe, ac vulgò *la Loëuve* dici, ſed olim per Hainoum Flandriamque latiùs multo quàm nunc patuiſſe, ac à flumine Letia quod vulgò Legiam appellitant, nomen accepiſſe mihi videtur: quem fluvium *Lidum* vocat Britto in libro IX. Philippidos, & enumeratio fluviorum Galliæ, quam in codice ante annos CCCC. ſcriptam reperi. *Lidus cadit in Eſcbaldum*: (id eſt Scaldim) *in partibus Ipre currit.* In Chronico Aquicinctino anno MCXCVII. *Philippus Rex Francorum pagū Letigum tranſiens, apud Ariam pontem fluvij qui dicitur Lis tranſiens, in terram Comitis* (Flandriæ) *eam vaſtaturus intravit.* Hinc apparet *pagum Leticum* ad flumen *Lis* ſeu *Letiam* fuiſſe.

Letiam ſive Legiam fluvium, qui Letico pago nomen dedit, Noſtri olim *le Lis* vocavere vulgò, quod nomen & lilium florem apud nos ſignificat. Unde & Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum hunc amnem *Lilium* abſurdè appellavit his verbis de Francis ad *Cortracum* victis. *Devicti ſunt turpiter & fugati, vel ſubmerſi in foſſatis, vel in fluvio qui Lilium dicitur, aut occiſi.* Nunc rectiùs *la Lis* eum amnem appellant, quidam *la Liſe*. Ab *Letia* fluvio, qui *Legia* & *Liſa* etiam dicitur, *pagum Latienſem* nuncupari, *Leticum* eumdem & *Letigum*, necnon *Legienſem*, & Germanico nomine *Liſtrogangium* appellari, jam quidam Flandrenſis obſervavit.

LÆTIA FL.

Apud Vallem quæ adjacet fluvio Letiæ, Monaſterium, *Cellas* à re dictum, extruxiſſe Hadelinum ſcribit Notgerus Leodicenſis Antiſtes in ejus Vita. *Letia* autem aut *Leſſa*, vulgò *Leſch* aut *Leſche*; oritur in ſilva Arduenna, & Hammum *Han ſur Leſch* alluit, & in dextram Moſæ ripam effunditur paullo ſupra Deonantum. Leugâ diſtant à dextra Lętiæ ripa Cellæ *Celle*, vicus Monaſterio B. Hadelini inſignis.

LÆTIA OPIDUM.

Letia eſt opidum Nerviorum ſeu Hainoenſium in Diœceſi Camaracenſi, *Lieſſies*, aut *Lieſſy* dictum, Benedictinorum Monaſterio illuſtre: quod à Letis vel Lętis nomen haud dubiè accepit. Ejus mentionem facit Hugbaldus in libro de Vita B. Rictrudis, *in territorio Latia Monaſterium Broilum* ponens. Quidam *Letias* in numero plurali & *Lieſſes* ſcribunt. Situm eſt Monaſterium Lætienſe ad flumen Helpram, ſecundo lapide ab Aveſnis Hainoi opido: quod Vvibertus Comes condidiſſe circa annum DCCXC. dicitur, ut ait Miræus, & quod Theodericus de Aveſnis reſtituiſſe fertur. Bernardus Claræ-Vallis Abbas ad Abbatem Lețienſem, quem *Venerabilem Patrem Leſcienſis Monaſterij* vocat, epiſtolam CCCXXVI. ſcripſit: ubi *Lecienſe* Monaſterium ſcribi malim. S enim littera ſuperfluit: t autem in c facile tranſire conſuevit. *Leſcias* tamen vocat & Hermannus in libri I. de Miraculis S. Mariæ Laudun. capite II. ac *Cœnobium de Leſciis*.

Lætiam opidum fuiſſe in Nerviis dixi, & nomen accepiſſe à Lętis, quos nimirum Maximiani Aug. juſſu in Nerviorum agrum eſſe tràſlatos vel potiùs reſtitutos, docet Eumenius his verbis. *Sicut poſtea tuo Maximiane Auguſte nutu Nerviorum & Treverorum arva jacentia Latus poſtliminio reſtitutus, & receptus in leges Francus excoluit.* Præfectus *Latorum Nerviorum Fano Martis Belgicæ ſecundæ* in præſidio erat, ut docet Notitia Imperij Rom. Læti ergo cùm alibi, tum apud Nervios erant, pars præſidiarij, pars cultores: quorum Nerviorum opidum fuiſſe Fanum Martis, unà cum Valentianis conſtat.

LANDERICIACUM.

Caſtrum eſt ad flumen Sabim in Hainoo, *Landrecy* Noſtris, incolis *Landrechies* dictum: quod à Landerico Majore domus Chlotharij junioris Francorum Regis, aut quo alio nomen accepiſſe, & *Landericiacum* vel *Landericias* dictum eſſe non dubito. Nam ut Landericus Noſtris eſt *Lanary*, ita Landericiacum debet eſſe *Landrecy*, Landericiæ *Landrechies*; aliàs *Landrecia*. Litteræ Jacobi, domini Guiſæ, Leſcheriarum & Aveſnarum, datæ anno MCXXCIX. Landreciarum meminere. *In caſtello meo*, (inquit Jacobus) *quod dicitur Landrecies*: item, *in grangia mea de Landrecies*: Item ibidem, XL. *ſolidos alborum Valencenenſium in vinagio meo de Landrecies*, id eſt ſolidos Valentianenſis monetæ.

LAPVRDVM TARBELLORVM SEV CIVITAS BOATIVM QVÆ ET BAIONA: ET DE VASCIS.

Notitia Imperij Romani *Lapurdi* meminit, à veteribus omnibus Geographis Græcis Latiniſque omiſſi. *In provincia Novempopulana Tribunus cohortis Novempopulanæ Lapurdo*: quibus ex verbis intelligitur, Lapurdum urbem provinciæ Novempopulanæ fuiſſe, & ibi cohortem ex ipſa lectam provincia, & ob id Novempopulanam dictam, cui Tribunus præerat, in præſidio fuiſſe. Apollinaris Sidonius in epiſtola XII. libri VIII. Aturricum piſcem *Lapurdenſes locuſtas* memorat. Locuſta autem Lapurdenſibus *Langoſta*, quorum ora hoc piſce abundat, carabus Græcis dicitur. In Pactione Guntchramni & Childeberti Regum Francorum, inter Regni Pariſiaci urbes quæ Chariberti fuerant, *Lapurdum* numeratur: *Vico Iulii, Conſoranis, Lapurdo & Albigo.* Scaliger in libri II. Auſonianarum lectionum capite VII. *Lapurdum Lurdam* eſſe Levitaniæ caput in Bigerronibus ſcribit, *Lorde en Lavedan*: cùm ante annos circiter quingentos Baiona adhuc *Lapurdum* vocaretur, & ejus Epiſcopi ac Vice-

comites veteri nomine *Lapurdenſes* ſępiùs quàm Baionenſes appellarentur. Sed hunc errorem ſuum agnovit Scaliger, & in poſtrema editione anni MDXC. ſcripſit, Baionam olim dictam eſſe *Lapurdum*, & *civitatem Boatium*: quod eſt veriſſimum. Oihenartus Vaſco affirmat, *Lapurdum* nomen eſſe Vaſconicum ſeu Viſcaianum, loco impoſitum olim propter incolarum latrocinia & incurſiones prędationeſque piraticas, quarum meminit Scriptor Vitæ S. Leonis Epiſcopi Lapurdenſis. Etiamnum ager Baionenſis vocatur pagus Lapurdenſis linguâ patriâ, *Lapord*, aut *le pais de Lapourd*, aliàs *Labord*: ut appareat Lapurdum & Baionam unam urbem eſſe: unde & Baionenſes Epiſcopi in antiquis tabulis Lapurdenſes Epiſcopi nominantur. Accidit igitur Lapurdo, quod Rutenoni & Darantaſiæ, vetus ut nomen pago ſuo relinqueret, novumque acciperet.

V. Col. Lutarburgium Tarbelliorum, id eſt Coloniam Lutarburgium Tarbelliorum ex veteri lapide proferunt Goltzius & Panuinius. Hoc *Lutarburgium Tarbelliorum*; ſi tamen mendoſa non eſt vel inſcriptio, vel lectio, videtur eſſe *Lapurdum* Tarbellorum, quos & Lucanus & hæc inſcriptio *Tarbellios* vocant. Sed Panvinius *Tarbellos* noviſſimam Aquitaniæ Gentem ridiculè in Belgicam tranſtulit, & *Coloniam Lutarburgium Tarbelliorum* inter Belgicæ Colonias numeravit. Pari idem errore *Coloniam Iuhonum*, ex priſco marmore prolatam à Goltzio & ab ipſomet, coloniis Galliæ Belgicæ accenſuit: quam Tacitus *civitatem Iuhonum ſociam, & conditam nuper coloniam* appellat, & in Cattis fuiſſe libro XIII. Annalium tradit.

Lapurdum poſtea dici cœpit & *civitas Boatium*. Certè in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nuncupatur ea urbs *civitas Boatium*, in una *civitas Boatum*; & inter provinciæ Novempopulanæ civitates XII. ſextum, ſemel ſeptimum obtinet locum. Sed quod addunt nonnullę Notitiæ, *id eſt Boius*, vel *hoc eſt Boius*, vel *quod eſt Boius in Burdigalenſi*, haud dubiè falſum eſt: cùm Lapurdum ſeu civitas Boatium in Tarbellis ſit maritima Novempopulorum Gente, & ad Boios Burdigalenſis pagi popellum atque vicũ Aquitanię ſecundę attributos nulla ratione pertineat. Simili errore Robertus in Chronico, quod ad annum MCCX. deduxit, in Novempopulana (inquit) provincia V. *civitas Boatium, id eſt Tarbienſium*. Veriùs meliuſque dixiſſet, *civitas Boatium, id eſt Tarbellorum*. Nam *civitas Boatium* eſt in Tarbellis poſita; civitas *Tarbia* in Bigerronibus. Sed videtur Robertus nominum aliqua ſimilitudine deceptus Tarbiam Tarbellis aſſignaviſſe, & Tarbellos Tarbienſeſque confudiſſe: quem quidam è recentioribus, in primis Maſſonus, ſunt ſecuti. Sic Ioſ. Scaliger Notitias Galliarum nonnullas à Criticis geographię ignaris depravatas ſecutus, *civitatem Boatium, id eſt Boius*, pagum Boiorum interpretatur, *le pais de Buchs*: quos Boios cum Burdigala & agro Burdigalenſi Aquitanię II attribui conſtat, non provincię Novempopulanę, intra quam conſiſtunt, & nullam apud ſe umquam civitatem, nihil præter vicos ignobiles ac obſcuros habuiſſe. Buchium quidem ſeu Boij vicus, caput Boiorum, à Baiona bidui ampliùs itinere abeſt. Sed eum errorem ſuum Scaliger poſteà agnovit, mutavitque ſententiam. Sanè mirandum eſt, *Lapurdi* urbis Tarbellorum, & *Lapurdenſium* nec Strabonem, nec Plinium, nec Ptolemæum meminiſſe, nec Itinerarium Æthici, nec tabulam Theodoſianam: nullam Epiſcoporum Lapurdenſium in Hiſtoriis, nullam in veteribus Conciliis ſub Merovingis habitis fieri mentionem. Nam *Lapurdum* à Ptolemæo *Aquarum Auguſtarum*, ab Auſonio & Æthico *Aquarum Tarbellicarum* nominibus deſignari, falſò quidam è recentioribus exiſtimant, quos alibi refellimus. Nec minùs miror *civitatem Boatium* ſolis à Notitiis Galliarum memorari, nec uſquam alibi *Boates* iſtos reperiri, tamquam eos boæ ſolidos hauſerint. *Boates* quidem Scaliger *Vocates* eſſe Cæſaris ſuſpicatur, immo potiùs pro certo habet: quos *Vocates* inter *Precianos* & *Tarusate* Aquitaniæ populos Cæſar in Commentario III. ponit. Sed plerique Scaligeri conjecturam improbant, & *Vocates* apud Cęſarem *Vaſates* eſſe malunt. Apud Plinium *Aquitanicæ ſunt Aquitani, unde nomen provinciæ, Sedibonsates, mox Convenæ. Sedibonsates* iſti, *Aquitanis* id eſt Aquenſibus proximi, ſine dubio à *ſede bona* vel à commodo ſitu nomen Latinum acceperunt: quos ſi quis contendat poſtea truncato nomine *Boates* appellatos eſſe, non repugnavero. Certe Lapurdenſes, Boateſve aut Baionenſes Aquitanis ſive Aquenſibus cõfines ſunt, & fortunatè ſiti, commercio exterorum patent. Vt ab Eluſa Eluſates, à Lactora Lactorates, à Toloſa Toloſates dicti; ſic *Boates* à *Boa* videntur nuncupati, & *Boa* primùm dicta eſſe, quæ pòſt *Baona*, ac demum *Baiona*. *Civitatem* autem *Boatium* in Notitiis Galliarum eſſe Baionam ex eo patet, quòd cùm ceteras Novempopulorum civitates notas habeamus, quæ hodieque exceptâ Eluſâ ſedes Epiſcopales ſunt: *civitatem Boatium*, quę una in Notitiis paullo reliquis obſcurior ſupereſt, aliter quàm *Baionam* interpretari non poſſumus: niſi veterem urbem Novempopulanæ, & priſcam ac nobilem Epiſcopatûs ſedem à Notitiis omiſſam putamus, quod minimè veriſimile eſt.

Demum abhinc annos circiter quingentos *Lapurdum*, vel *civitas Boatium* nuncupari cœpta eſt *Baona* vel *Baiona*. Giraldus Cambrenſis qui circa annum MCC. floruit, & ſecundam editionem Hiberniæ expugnatæ Johanni anno MCXCIX. Regi Anglorum ſalutato nuncupavit, in capite VIIII. tertiæ partis libri de topographia Hiberniæ *urbem Baonenſem* vocat *caput Baſclonia*: *Vrbs* (inquit) *Baonenſis Guaſconiæ terminus, & ſub eodem dominio continetur: eadem quoque Baſclonia caput eſt; unde Hibernienſes provenerant*. Idem repetit in capite VII. libri II de expugnatione Hiberniæ hiſce verbis. *Vrbs Baonenſis, quam hodie noſtra continet Gaſconia, Baſclonia caput eſt; unde Hibernienſes provenerunt*: id eſt ex qua Baſclonia Baſclenſes vel Baſclones in Hiberniam migraverunt. Aię

enim *Baſclenſes de Hiſpaniarum partibus claſſe in Hiberniam inſulam veniſſe, ibique habitaſſe*, & Baſclenſium Hibernienſium corpora, veſtes, armaturam, moreſque deſcribit. Cùm igitur Giraldus *Baonam Vaſconiæ terminum* vocat, & *Vaſconiâ noſtrâ*, id eſt Gallicâ Anglicæ ditionis contineri aſſerit, ac nihilominùs eamdem *caput Baſcloniæ* appellat, ſic explicandus videtur, ut Baiona finis fuerit Vaſconiæ Gallicæ, & initium Baſcloniæ vel Viſcaiæ Hiſpanicæ, ex qua Baſclenſes in Hiberniam migraverunt. Hugo qui Chronicon Viceliacenſe circa annum MCLX. ſcripſit, *Baſcloniam* quoque vocat, & *Gaſconiæ* ac *Navarræ* mediam interponit: Rogerius Houedenus in anno MCLXXVII. *Baioniam* urbem memorat, *Baſcloſque* & *Navarrenſes* ſimiliter conjungit: itave ambo videantur *Baſcloniam* & *Baſclos* ſuos non minùs quàm *Navarrenſes* & *Navarram* Hiſpaniæ adſcribere. Guibertus Abbas Novigenti in Hiſtoria Hieroſolymitana *Baſconiam* à *Gaſconia* diſtinguit. Eadem ratione Geſta Dominorum Ambacienſium, quæ circa annum MCLX. ſunt compoſita, *Vaſcos Vaſconum* & *Navarrorum* medios faciunt, & à Carolo Magno domitos eſſe produnt. Thomas Vvalſinghamius in Hypodigmate Neuſtriæ anno MCCXXXIX. memorat *terram Baſclorum, cui caput eſt civitas Baiona*. Guillelmus de Nangiaco in rebus anni MCCXXC *Baionam Gaſconiæ civitatem maritimam* appellat. Gervaſius Tiſleberienſis qui anno MCCX floruit, & quędam Notitia Galliæ Epiſcopatuum, ipſo recentior, Baionam in *Gaſconia* ponunt, (ſic Vaſconiam nominant) & inter X. Epiſcopos Auſcitanæ Metropoli ſuffragantes ultimum numerant *Epiſcopum Baionenſem*; altera Notitia pęnultimum: pęnultimum & Provinciale ante annos CCCC. regnante apud Francos Ludovico IX. compoſitum. Hanc *Baionam Lapurdenſium in Tarbellis* non malè Scaliger vocat, & Maſſonus eum ſecutus, *Baionam ultimam Tarbellorum civitatem, olim Lapurdam dictam.* (*Lapurdum* dicere debuit) ut appareat utrumque Lapurdum & Baionam pro una urbe habere, eamque in Tarbellis ponere.

Baiona ab indigenis dicta eſſe fertur quaſi *Baia-ona*, id eſt portus bonus. Si Oihenarto Vaſconi creditur, *Baiona* Vaſcorum linguâ nuncupatur locus vel regio portûs *Báia-iune*. Certè Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in libri XIV. capite VIII. ſcribit, *portum dictum à deportandis commerciis: hunc veteres à bajulandis mercibus baias vocaviſſe, illa declinatione, à baia baias, ut à familia familias.* Rectè ille quidem portum alio nomine *baias* vel *baiam* dictum eſſe aſſerit: ſed cùm hoc ſcriberet, abſurdè in mente habuit Baias portum Campaniæ Felicis nobilem, cujus aliunde origo petenda eſt. Hinc factum eſt, ut Iſidorus homo Hiſpanus baiam, nomen Hiſpanicum ac merè Vaſconicum, pro Latino haberet, eique Latinam originem aſſerere ineptè conaretur. *Sinum Francis & Anglis baye* nuncupari affirmat rectè ac verè Cambdenus, ſecutus Buchananum, qui *ſinum maris* vulgò *Bei* vocari, tradit in libro I. rerum Scoticarum. Nam in ſinu ſunt pleraque opida maritima & portus, quà ſe paullulùm mare terris inſinuat. Sub Promuntorio quod Nautæ Græci Caput Sancti Xyſti, alij *Capo de San Soſpiers* vel *C. de S. Soſpir* vocant, ſinus eſt portui Herculis Monœci proximus, qui vulgò ab Italis *Baia de Soſpiers* nuncupatur. Omitto *portum omnium Sanctorum*, qui ab Hiſpanis *Baia de todos los Santos* nominatur. Hodieque quidquid hiat atque aperitur, ac veluti ſinum facit, nec aptè cohæret atque committitur, *baiare* & baiam facere dicitur à Noſtris, *bayer, faire la baye.* Ex his intelligitur quàm infeliciter Joſephus Scaliger *Baionam* vocatam eſſe putet à *Boiis quaſi Boionam*, licet id Vineto, Merulæ, ac Maſſono præ ceteris perſuaſerit. *Boates* enim ſive Baionenſes, & *Boij* præter primam nominum ſuorum ſyllabam nihil habent inter ſe cõmune: & civitas Boatium ſeu Baiona ampliùs bidui itinere abeſt à vico Boiis vel Buchio capite Boiorum; & inter Baionam ac Buchium interiacent IV. ut vocant Præpoſituræ, videlicet Bornium, Marenſinum, Maremnium, & Senhauſium.

Baiona non ſine cauſa à portu ſuo ante annos quingẽtos novum nomen accepit. Eſt enim poſita ad confluentes Nivi (*la Nive*) & Aturi, ac tria tantùm millia paſſuum ab Oceano abeſt; atque cotidianis maris exæſtuantis acceſſibus adjutæ quantælibet magnitudinis naves mercatorum ex inſula Britannia, Gallia, Hiſpania, totaque demum ex Europa Baionam facilè appelluntur. Vulgò *Bayonne* vel *Bayone* dicitur, balęnarum venationibus & pernis ſuis ſale duratis nobilis. Eſt & in Callæciæ parte, ad occaſum Solis maximè vergente, portus notiſſimus celeberrimuſque ad ingentem flexum *Baiona*, cui adverſæ inſulæ, cognominantur *inſulæ Baionenſes*, & quam *Lambriacam urbem* à Mella vocari credit Holſtenius.

Ceterùm nuncupata eſt à nonnullis Hiſtoricis Baiona *caput Baſconiæ*, à Baſconibus, qui fuere pars Vaſconum Pyrenæo propiorum. Vaſcones linguâ Vaſconicâ mutati in *Baſcones*, ut Vaſates in Baſates, vivere in bibere, Viſcaia in Biſcayam, Leuva in Leubam & Liubam, Veſontio in *Beſançon.* Additâ litterâ l, vel potiùs inſertâ dixere & *Baſclones*, ut indicat nomen *Baſclonia*; & *Baſclenſes*, & *Baſclos*, necnon *Vaſcos*. Eoſdem *Vaſculos*, *Vaſclos* item vel *Baſclos* ante annum MCC. dici cœpiſſe ait Oihenartus Vaſco, ut in Concilio Lateranenſi anno MCLXXIX. habito. *Vaſco* & *Vaſcus* unum idemque nomen eſt: ut Eneco & Enecus, Sanctio & Sanctius, Lupo & Lupus, Bigerrones & Bigerri, Æſtiones & Æſtij. Friſiones & Friſij. Idem de *Baſclone* & *Baſclo*, de *Baſcone* & *Baſco* dici poteſt, unam rem eſſe. Hiſpani eos *Vaſcos* vocant, Noſtri *Baſques* & *Biſcains*.

Vaſcorum regio vel Baſconia (*le pays des Baſques*) longa L. millia paſſuum, lata XXIV. dividitur tripartito, in pagum Lapurdenſem, inferiorem Navarram, & Subolam vallem.

Ager Lapurdenſis vel Baionenſis vicos XXVIII. habet, in his maximum & opulentiſſimum Luiſium, quem incolæ *Loizune*, id

eſt locum cœnoſum vocant, Noſtri *S. Iean de Luz*. In inferiore Navarra quæ & citerior dicitur, eſt opidum S. Johannis Imopyrenæi, *S. Iean P.è de port*: opidum quoque S. Pelagij *S. Palais*, Garrucium, & Baſtita Clarentia, Ludovici Hutini opus. *Subola*, nunc *Sola* nuncupata, Malleonem opidum vel potiùs caſtrum oſtentat. Ex quibus pagus Lapurdenſis Epiſcopo Baionenſi paret, Navarræ inferioris citerioriſve pars eidem, pars Aquenſi Antiſtiti; Subola Eliorونenſi. Maximam partem Vardulíæ vel Ipuſcoæ, inter fluvios Urolam & Magradam ſeu Vidaſſonem jacentem, ubi Mons S. Hadriani, Baionenſi Epiſcopo ademiſſe dicitur Philippus, ejus nominis ſecundus Hiſpaniarum Rex anno MDLXV. & Pompelonenſi Antiſtiti attribuendam curaviſſe. Lapurdenſis Seneſcalcia duas Diœceſes continet, Lapurdenſem ſeu Baionenſem, & Aquenſem ſive Aquarum Tarbellicarum.

LATARA CASTELLVM ET STAGNVM LATERNA.

Mella in ora Galliæ Narbonenſis *Lataram* memorat, & inter Ledum fluvium ac Meſuam ponit his verbis. *Vltra* (oſtia Rhodani) *ſunt ſtagna Volcarum, Ledum flumen, caſtellum Latara, Meſua collis.* Poſtea caſtellum illud truncato nomine dictum eſt *Lata*. Maria filia Guilelmi Domini Montiſpeſſulani Petro Regi Aragonenſium & Comiti Barcinonenſium dedit ſecum *in dotem* anno MCCIV. *Villam Montiſpeſſulani, caſtrum de Latis, caſtrum novum*, Montem Ferrarium, Omellarium, Pinianum, Popianum, Lupianum, Frontinianũ, (*Frontignan*) aliaque caſtra, ut docent tabulæ nuptiales eo anno confectæ. Item Guillermus Dominus Montiſpeſſulani, in teſtamento quod anno MCCXI. fecit, *Villæ Montiſpeſſulani & Caſtri de Latis* meminit. Rogerius Hovedenius qui ante annos CCCCLXX. floruit, ſcribit ſua ætate *dici Lates, & eſſe portum Montiſpeſſulani* bis aſſerit. Nunc caſtelli Lataræ ruinæ cernuntur ad flumen Ledum prope Montempeſſulanum: qui locus vulgò vocatur *le Chaſteau de Lates*, aut *la tour de Late*. Monſpeſſulanus habet hodieque portam Latarenſem, quæ Lataram ducit, *la porte de Lates*.

Caſtrum *Latara*, vel *Lata*, alio nomine dictum eſt *caſtrum Paludis* à ſitu: ut docent litteræ datæ anno MCCXXXVI. hiſce verbis. *Caſtro de Palude, vulgariter dicto de Latis.* Guillelmus de Montepeſſulano in teſtamento anno MCXLVI. facto, *caſtrum de Palude* vocat. Guillelmus alius, dominus Montiſpeſſulani in teſtamento ſuo anni MCCXI. utroque unum eumdemque locum nomine appellat, nunc *caſtrum de Palude*, nunc *caſtrum de Latis*. Ibi enim *Villam Montiſpeſſulani & caſtrum de Palude* ut vicina loca junctim commemorat; ac paullo infrà *habitantes in villa Montiſpeſſulani & in caſtro de Latis*, ut finitimos ſimiliter conjungit. Nimirum Ledum flumen, *le Lez*, poſtquam Lataram alluit, in ſtagnum effluit maritimum, maximum latiſſimúmque, quod *ſtagnum Laternam* Plinius appellat, *Taurum paludem* Avienus, Noſtri *l'eſtang du Tau*, id eſt ſtagnum Tauri, aliàs à vico Perotio proximo *ſtagnum Perotianum*, *l'eſtang de Perotz*.

Plinius in capite VIII. libri IX. ſic ſcribit. *Eſt provincia Narbonenſis & in Nemauſienſi agro ſtagnum Laterna appellatum, ubi cum homine delphini ſocietate piſcantur. Innumera vis mugilum ſtato tempore ex anguſtiis faucibus ſtagni in mare erumpit, obſervatâ æſtus reciprocatione*, &c. Hoc ſtagnum anguſto ore in mare devolvitur infra Montempeſſulanum & Lataram, & hodieque mugiles fert plurimos optimoſque ut audio, piſcium laudatiſſimis adnumerandos. Noſtri *Mulets* nominant. Stagnum iſtud à Latara caſtello proximo nomen accepiſſe exiſtimo, & *ſtagnum Lataram* vel (quod idem eſt) *ſtagnum Lateram* ab eo cognominatum eſſe, id eſt ſtagnum Latarenſe vel Laterenſe, atque apud Plinium non *ſtagnum Laterna*, ſed *ſtagnum Latera* legi oportere. Avieni quem laudavi, verba ſunt hæc.

Setij jugum
In uſque Taurum pertinet.
Taurum paludem namque Gentici vocant
Ori propinquam fluminis,

Ledi nimirum aut Rhodani, ſed Ledi magis. Nemo autem miretur *ſtagnum Laternam* à Plinio in agro Nemauſenſi poni, cum ſit etiam in pago Magalonenſi. Quippe Plinius ipſe opida XXIV. Arecomicorum Nemauſenſibus attributa eſſe ſcribit: & in ſtagnum Laternam effluit Nemauſenſis amniculus *le Viſtre* dictus, effluit Vitturlus amnis, *la Vidourle* aut *Bidourle*, item Berangius fluviolus, *Verange* aut *Berange* vulgò nuncupatus, & Ledus *le Lez*, qui Lataram caſtellum Magalonenſis Diœceſeos attingit. Ex quo intelligitur ſtagnum quod Nemauſenſis agri & Magalonenſis fluvios accipiat, partim Nemauſenſi agro partim Magalonenſi attribui oportere.

LATOBRIGI.

Cæſar in libro I. ſcribit. *Helvetios perſuaſiſſe Rauracis, & Tulingis & Latobrigis finitimis ſuis, uti opidis ſuis vicisque exuſtis unà cum ipſis proficiſcerentur*: exiſſe itaque è finibus ſuis *Tulingorum millia* XXXVI. *Rauracorum* XXIII. *Latobrigorum* XIIII. qui & *Latobriges* dicuntur. Ex his *Tulingos* quidam credunt eſſe Dutlingæ ac Stulingæ locorum incolas ad fontes Danubij verſus. *Latobrigos* Marlianus putat eſſe Lauſanenſes magno errore, cùm Lauſana ſit Helvetiorum. Vicus eſt celeberrimus *Briga* in inferiore regione Vallenſi ad Rhodani & Saltinæ confluentes poſitus, vulgò *Brige* dictus, aliis *Brig dans le Vallais*: à quo Cluverius *Latobrigos* nomen habere arbitratur, ſola ſimilitudine nominis in errorem inductus. Quippe ſine dubitatione *Briga* non ad *Latobrigos* ullos, ſed ad Sedunos pertinet. *Latobrigos* igitur Samſon *Briſigavos*, ſive Briſigaviæ agrive Briſiacenſis habitatores interpretatur, propterea quòd Briſigavia pagũ Baſilienſem Rauracis proximum, & agrum Dutlingenſem attingit. Ejus tamen conjectura non multo certior ac firmior conjecturâ Cluverij quam impugnat. Uni enim

& ſoli ferè ſyllabæ innititur, videlicet *Bri*, quæ in *Latobrigis* tertio; in *Briſigavis Briſiacoque* primo loco occurrit. Præterea Latobrigi iſti Cæſaris, ab Oroſio in libro VI. *Latobrogy*, in hiſtoriæ Miſcellæ libro VI. MS. *Latoboy* appellantur. In *Latobrogiis* autem, ac multo magis in *Latobosis bri* ſyllaba non comparet; quâ detractâ, tamquam ſublato tibicine, aut velut effoſſo fundamento ſuo, Cluverij atque Samſonis conjecturas ruere neceſſe eſt.

LATONA.

Latona in finibus Lingonum olim fano cultuque Latonæ, nunc Eccleſiâ S. Johannis ac cognomine illuſtris eſt, ad Oſcaræ & Araris confluentem: vulgò *S. Jean de Labne* dicitur. Primus eius loci meminit ante annos mille Fredegarius, qui *Latona* per aliquot dies Dagobertum ius populo ad ſe confluenti reddidiſſe anno Monarchiæ I. Chriſti DCXXIX. ac Brunulfum vel Produlfum, Chariberti fratris ſui avunculum ibi interfici iuſſiſſe ſcribit: & anno DCXLII. Flaochatum Maiorem Domûs per Burgundiam, dum adverſo flumine Arare vel Sauconnâ *Latonam* defertur, in itinere febre oppreſſum deceſſiſſe aſſerit. *Latona* meminere & Geſta Dagoberti Francorum Regis. *Pontem Laona inter Divionem & Dolum* vocat Fredericus Auguſtus in epiſtola ad E. Lugdunenſem Archiepiſcopum, & Primatem Galliarum: *Laonam* in litteris ad Henricum *Comitem Trecarum, ſuper fluvium Saonam* ſive Ararim, ut idem ſcribit in litteris ad Matthæum Ducem Lotharingiæ. Urbanus PP. II. in litteris anno MXCV. datis, *in Epiſcopatu Lingonenſi Eccleſiam S. Iohannis de Laona* commemorat. Ut de *Latona Laona* facta eſt e litterâ eliſâ; ſic & *Ladona* t in d commutato, quemadmodum alicubi dictam memini reperire.

LAVARZINUM.

Lavardenſe caſtrum vetus auctor à Jureto laudatus; *Lavarzinum* Gaufridus Vindocinenſis Abbas in libri III. epiſtola XXIII. ad Hildebertum Epiſcopum Cenomanorum ac pòſt Turonum Archiepiſcopum vocat; *Lavarzinenſe caſtrum* liber de Vita ipſius Hildeberti, cujus patria fuit; *Lavarcinum* Ordericus Vitalis in libro X. Hiſtoriæ. Vulgò dicitur nunc Lavardinum, *Lavardin*, Vindocino proximum, poſitum ad ripam Liderici fluvij, & Monti-aureo adverſum: à quo domus Lavardinenſium dominorum nomen accepit.

LAUBIÆ.

Landelinus, qui & Moroſus, *Laubienſe Cœnobium* ad Sabim flumen in Carbonaria ſilva condidit, vulgò *Lob* indigenis, Noſtris *Lobes* nunc dictum. Florebat autem Principatu Sigiberti iunioris Auſtraſiorum Regis circa annum Chriſti DCXL. Fulcuinus in Geſtis Abbatum Laubienſium ſcribit, *Laubias* ſitas eſſe in *pago Fanomartenſi* olim à loco; nunc à fluvio præterfluente *Haimon* dicto: cognominatas autem eſſe *Laubias* à *Laubaco* rivulo in Sabim Sambramve ibidem effluente: aliis videri, linguâ Germanicâ *Lobach* appellari, id eſt umbraculi rivum: quòd Reges Francorum qui in Liptinenſi ſaltu proximo venari conſueverant, ibi ad temperandum Solis æſtum umbraculum vulgò *Lobiam* dictum ibi ex arboribus faciundum curârant. *Foliatam de ramis arborum factam* tale umbraculum vocat auctor libelli de Miraculis S. Bertæ. Ita Chilpericus Francorum Rex Gregorium Turonicum Epiſcopum, iuxta tabernaculum ex ramis factum inter duos Antiſtites medius ſtans, excepit atque ad dapes ibi paratas invitavit. *Bach* autem & *Pach* Germanis, Flandrenſibus *Beke*. *Bec* Noſtris vel *Beccus* rivum ſignificat. In Vita S. Urſmari Abbatis Laubienſis nunc *Laubacum*, nunc *Laubias*, aliquando & *Lobiam* locum hunc & Monaſterium dictum eſſe reperio; *Laubias* quoque in Diviſione Regni Lotharij inter Ludovicum & Carolum fratres facta anno DCCCLXX. quæ illuſtris Monachorum Benedicti regulam ſequentium Abbatia, in Diœceſi Cameracenſi, ſed ſub ditione Leodicenſis Epiſcopi poſita eſt, prope *vicum Aldenburch* ſeu Aldeburch, Aldonis domini ſui nomine ita appellatum, quaſi Aldonis burgum aut vicum. Abſunt *Laubia* à Melbodio Hainoi opido & Monaſterio XII. fere millibus; a Binchio vel Bintio (*Bins*) eiuſdem regionis opido, & à Tudinio caſtro (*Tuin*) parum.

LAUCHONIA SILVA.

Silva Lauchonia vel *Lauconia* in Geſtis Francorum memoratur, ibique Childericus Francorum Monarcha, Chlodovei iunioris filius, à Bodilone cum Bilihilde Regina prægnante crudeliter interemtus eſſe dicitur. Hæc (ut pleriſque recentioribus noſtris ſcriptoribus, Nicolao Ægidio, Sammarthanis, Labbeo, aliiſque placet) Calæ villæ Regiæ proxima fuit: quę nûc ſilva Libertiacenſis vocatur, *la foreſt de Livry*, aliis ſilva Bungeienſis, *la foreſt de Bondis*. Chronicon Mettenſis Monaſterii S. Arnulfi ſcriptum veteri manu evolui, (vulgò Annales Mettenſes appellant) ubi Childericus *in Lauconi ſilva* cum uxore interfectus dicitur.

LAUDIACUM.

Laudiacum ad Ligerim, Gregorio Turonico Epiſcopo notum, vulgò *Mont-Loüis*, vel *Mont-Loys* dicitur. In libri II. Hiſtoriæ Franc. capite I. de Brictio Epiſcopo, Româ Turonos revertente, Gregorii verba hæc ſunt. *Et veniens ad vicum, cujus nomen eſt Laudiacum, VI. ab urbe* (Turonis) *miliario manſionem accepit*. Gregorius in libri X. capite XXXI. & ultimo *Montem Laudiacum* à ſitu appellat, quum ſcribit Perpetuum, ſextum Epiſcopum Turonicum, baſilicam S. Laurentii *Monte laudiaco conſtruxiſſe*.

LAURI, ET LEVÆFANUM.

In tabula Theodoſiana ordine enumerantur *flu. Rhenus, Lugduno XI. Prætorium Agrippina*

pina II. *Matilone* V. *Albanianis* XI. *Nigropullo* V. *Lauri* XII. *Fletione* XVI. *Levefano* VIII. *Carvone* XIII. *Caſtra Herculis* VIII. *Noviomagi* X. &c. Ex quibus Niger pullus *Voerdem*, Lauri nunc *Leerdam*, Fletio vicus eſt *Fleeten* vel *Vulveden* inter Trajectum & Nigrum pullum ſive *Voerden*: uti Cluverius ſcribit; qui & *Levefanum* vicum eſſe *Levven* credit. *Lauros* à lauris ibi naſcentibus nomen accepiſſe facilè crediderim, & *Levafanum* magis quàm Levefanum ſcribi oportere: quod à Leva dea (quæcumque ea fuit) nomen habuerit.

LAURIACENSIS PAGUS DUPLEX: ET DE LAURIACIS.

Lauriacenſem pagum Maſſonus *Lauracenſe territorium*, & *regionem Lauracenſium* appellat, ibique *Lauriacum*, à quo pagus nomen acceperit, & S. Papuli opidum Epiſcopale, ac Caſtellum Novum Arrii, caput Lauracenſium ponit. Alii pagum *Auriacenſem* appellant ab opido Auriaco, (*Aurac*) quod eius caput eſſe aiunt. Qui Lauriacenſem, vel Lauracenſem pagum vocant, vulgare eius nomen *Lauraguez* ſcribunt; qui Auriacenſem pagum appellari iubent. *Auraguez* vel *Auragez* ſcribunt, aut adjuncto articulo *l'Auraguez*.

Eſt & *Lauriacum* in Archidiaconatu Pitiverenſi, & Aurelianenſi Diœceſi, veteribus in tabulis memoratum, *Loriacum* aliàs, & *Lorriacum* quoque dictum, vulgò *Lorri*: à quo parvus *pagus Lauriacenſis*, cognominatur, *le pays de Lorri*, pars olim pagi Pitiverenſis.

Fuit quoque in pago Andicavenſi villa publica *Lauriacum*, nomen hodieque retinens *Lorre*. Exſtant Capitula lata in Synodo, quæ habita eſt *apud Lauriacum* in pago Andicavenſi anno DCCCXLIII.

Nec omitti debet *Lauracum caſtellum* prope Carcaſſonem, quod Petrus & Guillelmus in rebus Albigenſium commemorant: quod videtur eſſe *Leirac* non procul ab urbe Carcaſſone.

LAUSANA; ET DE LEMANO LACU.

Hæc urbs, ut & Geneva, Lemano cui adjacet, nomen ſuum dedit. Nam in Itinerario Æthici *lacus Lauſonius* vocatur, poniturque inter coloniam Equeſtrem atque Urbam: in itinere à Mediolano per Alpes Graias Argentoratum. *Equeſtribus* M. P. XVI. *Lacu Lauſonio* M. P. XX. *Urba* M. P. XVIII. Ubi Hieron. Surita in priſcis codicibus *laco Lauſonio*, *lacu Lauſonio*, necnon *lacu Lauſinio* ait ſcriptum inveniri. Tabula Peutingeriana inter *Coloniam Equeſtrem* & *Viviſcum Lacum Loſonna* ſive *lacum Loſannenſem* ponit. Ex quibus colligitur nunc *Lauſonam* aut *Loſonnam*, nunc & *Lauſinam* vel *Lauſanam*, nonnumquam *Loſannam* aut *Lauſannam* olim vocitari ſolitam eſſe.

Marius Aventicenſis Epiſcopus, auctor Chronici ab Avito Aug. ad Tiberii principatum deducti, pridie Kalendas Januarias Sanctorum ordinibus adſcriptus, Aventico Lauſanam, ubi in Baſilica S. Thyrſi ſepultus eſt, ſedem Epiſcopatûs, regnante apud Auſtraſios Childeberto, dicitur tranſtuliſſe. Hic Synodo Matiſcone habitæ anno DXXCV. interfuit atque ſubſcripſit *Marius Epiſcopus Eccleſiæ Aventicæ*. Hinc in Notitia provinciarum & civitatum Galliæ veteri, ab Andrea Cheſnio edita, ponitur in provincia Maxima Sequanorum à metropoli proxima *civitas Lauſanna, quæ priùs Aventicus vocata eſt civitas Elvitiorum*: hoc eſt quæ ſucceſſit in locum Aventici civitatis Elvitiorum vel Helvetiorum. Concilio Cabillonenſi iuſſu Chlodovei iunioris Francorum Regis circa annum DCL. habito interfuit atque ſubſcripſit *Arricus Epiſcopus Eccleſiæ Lauſanenſis* ante annos mille. Non aliam uſquam reperio Epiſcopatus Lauſanenſis vetuſtiorem mentionem. Ceterùm ut Aventico Lauſanam, ſic propter hæreſim ibi prævalentem Lauſanâ Friburgum Helvetiorum ſedes Epiſcopatûs tralata eſt ante annos ampliùs centum.

Tres olim fuere ætate Roberti Chronographi in prov. Maxima Sequanorum civitates Veſontioni matri ſubjectæ, Lauſana, Baſilia, Belica: ſed paullo pòſt Baſilia Lauſanæ prælata eſt, & Lauſana in ſecundum locum rejecta: quæ haud dubiè Helvetiorum urbs fuit, non (ut Marlianus putat) Latobrigorum, cùm in locum Aventici Helvetiorum ſucceſſerit, eiuſque Epiſcopatum ſit conſecuta. Nunc eſt caput ſuperioris regionis Vallenſes, *le pays de Vaut*, qui pagus Valdenſis appellatur.

Lauſana à Germanis *Loſan* aut *Loſans* nuncupatur, à Noſtris *Loſanne*, vel *Lauſane*: ab ea & lacus Lemanus *lacûs Lauſony* vel *Lauſanenſis* appellationem ſuſcepit, *le lac de Loſanne*; quem plerique lacum Genevenſem ab urbe nobiliore dicunt. A *Lauſana* nomen habet quoque *Conventus Lauſanenſis*, *le Baillage de Loſanne*. Ceterùm Lemanus lacus, Cæſari, Melæ, Plinio, ceteriſque Geographis notiſſimus, à Dione ἡ Λίμβανος λίμνη mendosè dicitur, à Ptolemæo Λημάνη, à Strabone ἡ Λημέννα, in Annalibus Bertinianis *mare Rhodani*, id eſt mara, ſeu lacus aut palus Rhodani, propterea quòd Rhodanus ſe per medium lacum hunc agens, quantus venit egreditur. Annales Bertiniani in anno DCCCXXXIX. *Comitatum VValdenſem uſque ad Mare Rhodani, & Orientalem ac Aquilonalem Rhodani partem uſque ad Comitatum Lugdunenſem* commemorant. Conſtat autem Comitatum Valdenſem eſſe ad lacum Lemanum.

LAVSDVNVM CASTRVM.

Caſtrum *Lauſdunum*, recentioribus *Loſdunum*, Guillelmo Armorico in libro VIII. Philippidos *Ledunum* dicitur, *Loudun*: quod opidum Macrinus, & Scævola Sancta Marthanus ut patriam ſuam Julij Cæſaris nomine nobilitarent, primi omnium aut ſaltem inter primos *Iuliodunum* poeticâ licentiâ appellare maluere. A monte ſuo vel duno Lauſdunum, à Lauſduno pagus Lauſdunenſis nomen accepit, *le Loudunois*.

Poſitum eſt *Lauſdunum* caſtrum in Andicavorum, Turonum, Pictonúmque confinio, quibus Pictonibus attribuitur. Litteras Iſenberti Pictavenſis Epiſcopi datas *Lauſduni* anno MLX. legi, in quibus *Hugo Nobiliſſimus vir Eccleſias tres, unam parochialem in honore B. Petri Apoſtoli intra muros caſtri Lauſdunenſis, reliquas II. extra muros poſitas, alteram in honorem Glor. virginis & matris, tertiam B. Iohanni Baptiſtæ conſecratam, quas in caſtro Lauſdunenſi de Feodo Glorioſiſſ. Principis Gaufridi Comitis Andegavenſium tunc tenere videbatur, Monachis Trenorchienſibus, in Eccleſia B. Mariæ Lauſdunenſi excubias celebrantibus, pro redemtione animæ ſuæ & filiorum ſuorum Hugonis & Theobaldi condonaviſſe* dicitur, *conſilio & aſſenſu Gaufridi, Illuſtriſſ. Comitis Andegavenſis.* In Concilio Turonenſi anno MXCV. *Eccleſia S. Crucis, & S. Nicolai de Lauſduno* adjudicatæ ſunt Petro Trenorcienſi Abbati, fruſtra reclamante VV. Abbate S. Florentii.

LAUTERNA FLU.

In vetere Vita S. Amantii Rutenorum Epiſcopi *Lauterna rivus* dicitur, vulgò *Lezert* a in e, t in z commutatis. Oritur in Rutenis, & alluit Salvam terram Rutenorum, *Salveterre*, Villam longam, & Caſtellum Marinum *Caſtel-Marin*: demùm Viaurum anget, *Biaur*, qui fluvius Avarione accipitur, (*Avairon*) à Tarne in Garumnam deferendo.

LECCENNA SILVA.

In provincia Aquitanica prima *ſilva erat Leccenna non contemnenda magnitudinis, Biturigibus atque Arvernis confinis*: è quibus Bituriges Cubi Burgundiæ; Arverni Auſtriæ Regibus parebant. Ea in ſilva ætate Aimoini (ut ipſe teſtatur) *oſtendebatur lapidea domus Brunichildis Francorum Reginæ*, amœniſſimo loco ædificata: quam fluviolus præterfluens, prata à latere irrigabat; arva à fronte objecta cingebantur ſilvâ ad venationē appoſitâ: ut in libro XVII. Rerum Francicarum ſcripſimus. Apud Aimoinum vetus codex habet *ſilva Leccentia*, ut notat Petrus Pithœus: ego quoque in priſco codice Aimoini ita ſcriptum reperi. Hæc ſilva, ſive *Leccenna*, ſive *Leccentia* vocari debet, quærenda eſt in pago Burbonenſi in Biturigum Cuborum Arvernorumque confinio.

LEDIA SILVA.

Ledia ſilva olim dicebatur, quæ poſtea *Lea*, *Leia*, & *Laia*, *Loia* etiam vocata eſt, *Laye*. Helgaldus qui ante annos ſexcentos de Vita Rotberti Francorum Regis librum compoſuit, ſic ſcribit. *In civitate Pariſius ædificavit Eccleſiam in honore S. Nicolai Pontificis in Palatio, & Monaſterium S. Germani Autiſſiodorenſis; item Monaſterium S. Germani Pariſiacenſis cum Eccleſia S. Vincentii in ſilva cognominata Ledia.* Lutetiæ ergo Monaſterium S. Germani Autiſſiodurenſis Epiſcopi, & in ſilva Ledia Monaſterium B. Germani Pariſiorum quondam Epiſcopi cum Eccleſia SS. Vincentii Mart. & Germani Antiſtitis Rotbertus Francorum Rex ædificavit: quod Monaſterium S. Germani Pariſiaci in Ledia loco nomen dedit, qui hodieque *vicus S. Germani in Laia* vocatur, *S. Germain en Laye.* Verba Helgaldi Jacobus Brolius malè interpungens ac truncans, exiſtimavit, Monaſterium Pariſiacum S. Germani Pariſienſis Antiſtitis, à Pratis cognomen habens, à Rotberto Rege Franc. reparatum ac refectum eſſe, idque Helgaldum ſcribere: ut in Diſceptationis de Baſilicis Regiis capite V. obſervavimus. *Abbatiolam quamdam in ſilva quæ lea dicitur, patris ſui Rotberti clementiâ in honore S. Germani fabricatam, ſanctæ Pariſiacenſi Eccleſiæ conceſſit* Heinricus Franc. Rex, ſicuti litteræ ipſius docent. In ſilva Ledia ſunt vici præ ceteris, Granarium S. Ludovici, vulgò Granea aut Granica S. Ludovici, *la Grange S. Loüis*; & Logiæ, *les Loges*; Valles, *Vaux*; Manſionile, *le Meſnil*; Muta, *la Muete*, (hoc eſt mutatio, ut miſſa miſſio) ipſumque adeò Pinciacum; ac vicus S. Germani, qui à ſitu cognominatus eſt in ſilva Ledia. *Silva* autem *Ledia* ab eo agri Pariſiaci vico ad Pinciacum opidum Carnutum pertinet. Heic notandum eſt, ſi non priùs, certè ſaltem Principatu Rotberti ante annos ſexcentos & ſexaginta Lediam inter ſilvas Dominicas, & vicum S. Germani in Ledia inter villas Regias ſeu publicas (ſicut hodieque ſunt) extitiſſe. Legi quaſdam litteras, in quibus *Monaſterium S. Germani in Leia & parrecia ibi adjacens* memorantur; item *Monaſterium de Leia* intra Diœceſin Mauricii Pariſienſis Epiſcopi: ut aiunt ibidem Oſmundus Canonicus Eccleſiæ Pariſiacæ, & Milo Archipreſbyter Mediolanenſis. In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, poſt catalogum vicanarum Eccleſiarum Diœceſeos Pariſ. inter Abbatias & Prioratus ad eamdem ſedem pertinentes numeratur *Prioratus S. Germani in Loia* in Decanatu Maciaci. *Loia* autem dicta eſt *Laye*, ut *Cleia* dicitur *Claye* prope *Montem Gaium* (*Montiay*) in litteris datis anno MCCLXVI. quæ in eo Chartulario repertuntur.

Caſtrum S. Germani in Ledia à fundamentis refeciſſe dicitur atque etiam auxiſſe Carolus, eius nominis quintus Francorum Rex, cognomine Sapiens ante annos trecentos.

LEDI.

Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, & Capitulis Caroli Calvi atque Annalibus Bertinianis inſerta memorat *Ledi*, ponitque Maalinas inter atque Sumniacum. *Ledonem* alij vocant, atque à ledone nomen accepiſſe aiunt. Ledo autem & Malina apud veteres Gallos maritimos æſtus & Oceani receſſum atque acceſſum ſignificârunt. Molanus quem Aubertus Miræus ſequitur, ſcribit in Indiculo Sanctorum Belgij, *Ledi vel Ledonem* poſitum eſſe ad flumen Netam, eoque à Taxandria & à Brabantiæ pago Renenſi (*Heilands van Riten*) dividi, & nunc Latinè *Liram* dici, vulgò *Lier*: Eſſe autem opidum

Brabantiæ, Monaſterio Canonicorum à Gummaro vel Guntmaro exſtructo nobile, à quo velut à Patrono *villa S. Gummare* nuncupetur. Sed Molanum falli exiſtimo, qui Ledi ac Ledonem idem eſſe nomen arbitretur, & utroque nomine Litam olim promiſcuè appellatam putet. An enim Lita *Ledo* olim cognominari potuit à ledone ſeu maritimo æſtu, ſi eò uſque numquam acceſſit?

LEDUM FLUMEN.

Mella in capite v. libri II. fluvium hunc memorat his verbis. *Vltra ſunt ſtagna Volcarum, Ledum flumen, caſtellum Latara, Meſua collis.* Stagna Volcarum cum Tectoſagum tum Arecomicorum nota & Plinio. *Oppida de cetero rara præiacentibus ſtagnis, Agatha quondam Maſſilienſium, & regio Volcarum Tectoſagum.* Stagna ea ſunt inter Pyrenæos montes & Rhodanum, ſtagnum Salſuſarum Ariſtoteli, Mellæ aliiſque celebratum: tum tria ſtagna parva & obſcuri nominis: ſtagnum Olivarium, cuius faucibus *Birra* fluvius (*Berre*) in mare ſe evomit VII. à Narbone milliario, Appendici Chronici Fredegarii, cetериſque rerum Caroli Martelli ſcriptoribus non indictus. Sequitur lacus Rubreſus vel Rubrenſis, Mellę Plinioque notiſſimus, ſpatioſus admodum, ſed quà mare admittit, tenuis aditu: nunc lacus Spiniianenſis aut Spiniarienſis nuncupatus, qui Atacem amnem olim accipiebat, ac emittebat in mare: à quo caſtrum de Lacu & caſtrum Caput ſtagni, *Capeſtang* nomen habent. Demum ſtagnum Agathenſe; & quod Plinius mendosè *ſtagnum Laternam*, Avienus *Taurum paludem* nuncupavit; Noſtri ab adiacente vico ſtagnum Perotianum *l'eſtang de Perote*, alias *l'eſtang du Tau*, id eſt Taurum appellitant.

Vt ad Ledum redeam, Apollinaris Sidonius eius meminit hoc verſu.

> Rhenus, Arar, Rhodanus, Moſa, Matrona, Sequana, Ledus.

Meminit & Theodulfus in Parænesi ad Judices.

> Rura, Moſella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus.

Guillelmus de Montepeſſulano anno MCXLVI. teſtamentum fecit, Guilielmus de Tortoſa eius frater anno MCLVII. quorum alter *Liſum* (aut potiùs *Leſum*) alias *Lenum*, alter *Leſum flumen* appellat. Vulgò *le Lés* aut *le Lez* nuncupatur. Oritur in Cebennis, ſi Sirmundo creditur. Alluit Ledus caſtrum Montemferrandum, ſeu potiùs Montemferrandi, Prata *Prades*, caſtrum Montemferratium *Montferrier*, Caſtrum novum Pontis-Juvenalis, *Caſtelnau de Pont Iuvenal*, nec procul à Montepeſſulano decurrit, tum diviſus inſulam caſtellumque Lataram amplectitur, iterumque coit, & per ſtagnum Laternam vel potiùs Lateram aut Lataram mare ingreditur.

LEMBVRGVS.

Sigebertus in Chronico anno MCI. *Heinricum Lemburgenſem*, Ducem Lotharingiæ ab Heinrico Imper. factum eſſe ſcribit Vuilelmus Britto in libro X. Philippidos Lemburgi Ducem commemorat hoc verſu.

> Dux quoque Lemburgi acies ciet Ardennorum.

Si Dux Lemburgenſium Arduennenſes duxit ad bellum, eis utique ſine dubitatione præerat. Ex quo intelligitur Miręum rectè ſentire, quum ait *Comitem Arduennenſem*, & *Comitem Limburgenſem* qui poſtea Dux factus eſt, pro uno eodemque haberi oportere. Rigordus exercitum Ottonis Aug. deſcribens in rebus anni MCCXV. *Lamburgum* quoque appellat, & *Ducem de Lamburg* ducibus copiarum adnumerat. Rodulfus in Geſtis Abbatum Trudonenſium *Comitem de Lemburg Henricum*, maiorem tunc Eccleſiæ S. Trudonis Advocatum memorat: quem & circa annum MCVI. *maximam ſpem Henrici III.* Romanorum Imperatoris Aug. *Henricum Comitem de Lemburg, Ducem modico iam antè creatum* fuiſſe ait, ab ipſo nimirum Henrico, qui Imperii inſignia Henrico filio non ſponte conceſſa eius potiſſimùm ope reſumere conabatur. Hæc eſt origo Lemburgenſis Ducatus ante annos DLXX. Balduinus de Aveſnis *Margaretam, ſororem Ducis Lemburgenſis* circa annum MCLX. Godefrido Duci Lotharingiæ nupſiſſe tradit.

Hoc opidum vetus fuiſſe non puto, quod nunc dicitur *Limborg*, aliàs *Lembourg*, & parum abeſt à Leodico, eſtque unus ex Ducatibus familiæ Burgundicæ, qui ad Auſtriacos Reges Hiſpaniæ tranſierunt.

LEMOVICES AQVITANI, ET RATIASTVM LEMOVICVM.

Vercingetorix Aruernus, ſummę potentię adoleſcens cùm à Romanis defeciſſet, celeriter ſibi Lemovices unà cum Senonibus, Pariſiis, Pictonibus, Cadurcis, Turonis, Aulercis, Andis adiunxit. Præterea ad Aleſiam obſidione Romana liberandam imperata eſſe Lemovicibus à Principibus Galliæ millia armatorum decem, quot Bellovacis Belgarum potentiſſimis, Cęſar in libro VII. tradit: cùm octo tantùm millia Pictonibus, Turonibus ſex, Mediomatricis, Nerviis, Morinis, Nitiobrogibus, & Aulercis Cenomanis quina ſolummodò hominum millia eſſent imperata, Atrebatibus quatuor: quæ validæ Galliæ nationes erant. Strabo XIV. Gentibus habitantibus inter fluvios Garumnam & Ligerim, Julianæ Aquitanię conterminis, eique ab Auguſto Cęſare Julii ſucceſſore contributis Lemovices adnumerat, qui ab ipſo dicuntur Λεμόβικες, Lemobices, à Plinio *Lemovices* inter Bituriges Cubos & Aruernos in Aquitania. Claudius Ptolemæus eos *Limovicos* appellat, & in mediterraneo Aquitaniæ ſub Pictonibus collocat, quorum urbs ſit *Ratiaſtum*. ἐν τῇ μεσογαίᾳ Ἀκουτανίας τῆς Πικτόνων ὑποκάτω Λιμούικοι, καὶ πόλις Ῥατίαστον. Vbi ſcribendum eſt Λεμούικοι. Nam Λιμούικοι Limovici eſſent. Quidam corruptè *Lemodices* appellant; *Lemoveces* alii; Magno *Lemofices* more Germanorum f loco u ponentium ac proferentium; Gervaſius *Limovices*; Grego-

rius in libro v. *Lemovicinum populum*, in libro I. *Lemovicinos*; Noſtri *Limoſins* quaſi Lemocinos, truncato nomine Lemovicinorum.

Caput igitur Lemovicum fuit Ratiaſtum: ut Claudius Ptolemæus docet, auctor gravis & diligens, itaut ea de re dubitare jure non poſſimus, non debeamus. Gregorius quidem Turonicus Epiſcopus in libro de Gloria Confeſſorum, *intra Pictavorum terminum qui adjacet civitati Namnetica*, *vicum Ratiatenſem* ſive Ratiatum qui pago circumjacenti nomen ſuum dedit, & in veteri nummo *Raciate* inſcribitur, commemorat: & Adelphius Epiſcopus Eccleſiæ Pictavorum qui Concilio Aurelianenſi I. interfuit, in veteribus codicibus nonnullis *Adelphius de civitate Ratiatica*, & *Adelphius Epiſcopus de Ratiate* nuncupatur à Ratiato illo vel Ratiate Pictonum Gregorio memorato. Qui *Ratiaſtum Lemovicum* retulerit, pręter Ptolemæum neminem reperio. Contrà Magno quem quidam è recentioribus ſequuntur, caput Lemovicum Auguſtoritum facit, *Lemoſex*. (inquit) *Auguſtoretum*; id eſt Lemovix, cuius caput eſt Auguſtoritum. At Auguſtoritum quidē caput Pictonum eſſe, Ratiaſtum verò Lemovicum aſſerit Ptolemæus, cui haud dubie major fides habenda eſt quàm Magnoni, homini docto minùs minuſque diligenti, & annis ampliùs DCLX. à Ptolemæi ætate diſtincto. Audio nonnullos Ratiaſtum vel Ratiatum Lemovicum Ecoliſmam interpretari, quaſi Ecoliſmenſes pars Lemovicum exſtiterint.

Poſtea Ratiaſtum depoſita veteri ac propria appellatione, nomen Gentis cuius caput erat, accepit, & dici cœpit *Lemovica*. Audoënus de Vita Eligii *Lemovicas civitatem* vocat, *ſitam in ulteriore Gallia primaque Aquitania, qua ad plagam reſpicit Occidentalem; ab Oceano Britannico ferè ducentorum millium ſpatio ſejunctam*. Idem *Lemovicam urbem* appellat. *Lemovicas* vocat & Fredegarius. Gregorius nunc *civitatem Lemovicam*, nunc *Lemovicinam urbem*, ut Fortunatus *civitatem Lemovicinam* nuncupat: quidam corruptè *Lemodicas* pro Lemovicis; *Lemovicas* alii, in primis veteres nummi & Annales, & Robertus in Chronico, etiam *Lemovecas* & *Lemofecas* nonnumquam. Noſtri *Limoges* vocitant quaſi Lemocas, mutilatâ appellatione Lemovicarū, & ſublata III. nominis ſyllabâ, atque e in i, c in g mutatis: Quidam ſcriptores rerum Pippini *Limodiam civitatem*, Eginhardus *Limovicam*.

In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Lemovicum* vocatur, & inter provinciæ Aquitanicæ primæ civitates octo ſextum locum obtinet, Rutenis, Albienſibus, Cadurciſque poſtpoſita, quibus tribus populis Lemovices multo olim validiores fuere. Sextum locum tenet & in *Bituricenſi provincia civitas Lemovica* apud Robertum in Chronico; at apud Gervaſium Tiſleberienſem, & in Notitiis ipſius ætate recentioribus quintam occupat ſedem, Albienſibus vel Albigenſibus ex IV. loco in ſeptimum rejectis.

Ruricius qui Concilio Aurelianenſi IV. Baſilio V.C. Conſule, Indictione IV. anno Chriſti DXLI. per ſe, & Synodo Aurelianenſi V. per Bantaredum interfuit, nunc *Epiſcopum Eccleſia Lemovica*, nunc *Epiſcopum Eccleſia Lemovicina* ſe appellat.

Vrbs Lemovicæ Amphitheatrum olim ſuum extra muros habuit, quod *Arenas* nomine apud Gallos uſitato appellavere. Certè Stephanus Abbas Monaſterii S. Martialis VII. *Turres in caſtello Martialis duas fecit, unam contra Scutarios nomine Orgoletum, alteram contra Arenas nomine Iuſtiniā. præcipiente Rege Carolo minore ad repellendum Guillelmum A. Ducem, Pictavinum Comitem*, ut docet commemoratio Abbatum Lemovicenſium. In Concilio Lemovicēſi II. habito anno MXXXIV. hæc legimus: *Parochiani Eccleſiæ S. Michaelis, & Eccleſia S. Maria de Arenis, & aliarum Eccleſiarum qua baſilica B. Martialis ſubjectæ ſunt, filios ſuos baptiZandos ſurſum ad Redemtoris aulam dirigant*: quæ *Salvatoris baſilica* ibidem dicitur. Hęc *Eccleſia S. Maria de Arenis*, ab Arenis ſeu ab Amphitheatro urbis Lemovicæ cui proxima erat, ſuum cognomen accepit. Hodieque inter VII. portas, quarum duæ ſunt obſtructæ, una eſt Lemovicis, *porta Arenarum* dicta, vel *porta ad Arenas*, hoc eſt porta ad Amphitheatrum, *la porte des Arenes*, quòd eâ portâ Amphitheatrum ſuburbanum ei proximum peterent Lemovicini. Ibidem eſt & Cœmeterium Arenarum, *le Cimetiere des Arenes*, locus Lemovicinorum ambulationibus celebratus.

Ibi Monetarium Regum noſtrorum Merovingorum Principatu fuiſſe, & Monetam percuti ſolitam eſſe, aurumque fiſcale purgari fornace conſueviſſe, docet Audoenus in libro I. de Vita S. Eligii, docent & nummi veteres inſcripti *Lemovicu*, item *Lemovecas* F. id eſt *Lemovecas fit*.

Vt autem pagum Cadurcinum *le Cahorſin*, ejus incolas ſeu *Cadurcinos Cahorſins* veteres vocaverunt, ſic pagum Lemovicinum *le Limoſin*, pagi habitatores ſeu Lemovicinos *Limoſins* nuncupant Noſtri, ſublatâ mediâ ſyllabâ, & litteris e in i, c in ſ converſis: ut de vicino *voiſin*, de Ticino *Teſin*, de S. Licinio *S. Leſin* faciunt. Pagum Lemovicinum Gregorius noſter *Lemovicinum* ſemper appellat abſolutè, pagi vel territorii aut termini nomine omiſſo; *Lemovicinum* appellant & Geſta Francorum: *rus Lemovicinum* Audoënus in Eligio; Hincmarus apud Frodoardum in libri III. capite XXIV. *pagum Lemovicum*, qui eum cum *Negromontenſi* conjungit. Eſt enim Monſniger in Lemovicibus locus Gregorio memoratus. Pagum Lemovicinum in ſuperiorem inferioremque dividunt. Superior ſeu Cebennicus *le Haut Limoſin* dicitur; inferior *le bas Limoſin*. Pars ejus eſt & Marchia Lemovicum, *la Marche de Limoſin*, in ſuperiorem ſimiliter inferioremque diviſa. In Marchia ſunt opida vel caſtella, Subterranea *Souterraine*, Duratium *le Dorat*, Varactum *Gueret*, à quo pagus Varactenſis nomen accepit, *Guerretois*, Vartimpa fluvio cognominis, *Gartempe*. In Lemovicino pago ſunt Lemovicæ caput Gentis & pagi non procul à flumine Vingenna, urbs mercatu opulenta & celebris, Albucio *Aubuçon* ad Croſam, Confluentes *Confolan* ad Vingennam, Inſula Jor-

danis, *l'Iſle Iourdain*; Rupes Cavardi *Rochechoüard*, Caſlucium *Chalus*, Sollemniacum *Solemniac*, Tutela *Tulles*, ſedes Epiſcopatûs recentior, damno partis Lemovicenſis Diœceſeos facta; Briva Curretia, *Brive la Gaillarde*, aliàs *Brive ſur Courreze*, à briva ſive ponte ad flumen Curretiam cognominata; Curretia *Courreze*, Torinna *Turenne*, Ventadurum, *Vantadour*, Vſerca *Vſerche* ad flu. Viſeram, *la Vezere*.

LEMOVICES ARMORICI.

Julius Cęſar in libro VII. de bello Gallico Lemovices alios in Aquitania ponit, alios in Gallia Lugdunenſi his verbis. *Galli imperant Æduis atque eorum clientibus millia XXXV. Bellovacis decem, totidem Lemovicibus, octona Pictonibus: Univerſis civitatibus quæ Oceanum attingunt, quæque eorum conſuetudine Armoricæ appellantur, quo ſunt in numero Curioſolites, Redones, Ambibarij, Cadetes, Oſiſmij, Lemovices, Unelli, ſena.* Raimundus Marlianus qui J. Cæſaris Commentarios notis illuſtravit, hunc locum non intellexit, & utroſque Lemovices iſtos perperam confudit. *Lemovices* (inquit) *populi inter Celtas, ex civitatibus Oceanum attingentibus quæ Armoricæ appellantur, proximi Unellis, Venetis, Redonibus, Andecavis, Cenomanis, Lexoviis, in provincia Turonenſi Regnoque Francorum ſiti, Limoſins Gallicè.* At Lemovices tamen quos patriâ linguâ *Limoſins* appellamus, non ſunt *in provincia Turonica*, ſed in provincia Aquitanica I. non *Celtæ* ſunt, ſed Aquitani; non maritimi, ſed ab Oceano remotiſſimi. Quippe à Venetis, Redonibus, Andibus, Cenomanis, Lexoviiſque longiſſimè, ab Oceano Britannico ferè ducentis millibus paſſuum abſunt. Non intellexit J. Cæſarem & Samſon Geographus Regius, qui inter civitates Armoricas vel maritimas Lemovices ſine cauſa numerari à Cæſare in libro VII. ait, nomenque iſtud expungi oportere, propterea quòd civitates Armoricæ continentur Oceano, Ligere & Sequanâ fluminibus, aliæ aliis contiguæ: Lemovices verò procul diſtant ab Oceano & à fluvio Ligeri; Pictoneſque & Santones quos Cæſar licèt maritimos Armoricis non accenſet, ipſos ab Armoricis ſeparant; & jam ſeorſum à Cæſare *Lemovicum* mentio facta eſt. Modeſtiores Samſone quidam viri docti, in primis ſi bene memini, Vinetus, *Lemovices* Cæſaris inter Armoricos retinent, ſed nomine paullum immutato. Sublatâ enim m litterâ, & u in n converſo, *Leonices* ſcribunt. Verùm *Lemovices* apud Cæſarem in libri VII. loco ſuprà laudato legendum eſſe, & ita in veteribus ſuis codicibus ante annos mille ſcriptum fuiſſe, atque ita ſe legiſſe planè indicant Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus initio Vitæ S. Eligii Noviomagenſis Epiſcopi, & Frodoardus Presbyter Calmiſciaci in libro II. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis: qui non alia ut puto ratione quàm unà Cæſaris malè intellecti auctoritate impulſi deceptique, tanto ante Marlianum duos eiuſdem nominis populos, obſcurum alterum, alterum nobilem confudere, & Lemovices Aquitanos in Armorico tractu poſitos fuiſſe credidere. Verba Dadonis ſunt. *Igitur Eligius Lemovicas Galliarum urbe in villa Catalacenſe oriundus fuit. Eſt itaque præfata civitas partibus ſita in Armoricanis, in ulteriore Gallia primaque Aquitania quæ ad plagam reſpicit Occidentalem.* Sic in veteribus codicibus Corbeienſi, Conchenſi, aliiſque, & in libris editis ſcriptum excuſumque reperitur. Si cuidam credimus, in uno codice Lemovicenſi ſcriptum invenitur. *Eſt itaque præfata civitas partibus ſita in Transligeritanis.* Frodoardus de Sancti Baſoli patria ſic refert. *S. Baſolus* oriundus *ex territorio Lemovicino, regione Armoricana, ab Aquitania* Remos venit. Dado igitur Lemovicas urbem provinciæ Aquitaniæ primę *in partibus Armoricanis* poſuit, Frodoardus *territorium* ſeu pagum *Lemovicinum*, hoc eſt Lemovices gentem Aquitanię *in regione Armoricana*: quoniam uterque Lemovices quos Cęſar in libro VII. Armoricis civitatibus adnumerat, non alios à Lemovicibus Aquitaniæ eſſe ſibi perſuaſit. Suppar fuit Frodoardo Adſo Abbas Dervenſis, cui *B. Baſolus à regione Armoricana atque ex territorio Lemovicino provocatus* dicitur. Sic *Baſolum Armoricana à regione, ex territorio videlicet Lemovicino Remenſem ad urbem peregrè profectum eſſe*, in eius Vita initio X. ſæculi ſcripta reperimus. Itaque *Lemovices* Armoricanos apud Cęſarem, partem eſſe Oſiſmiorum puto, qui nunc Leonenſes vocantur: quos qui *Leonices* Cęſari dictos exiſtimârunt, pro Leonenſibus quoque acceperunt. Si auctori libelli de Vita S. Pauli Epiſcopi Leonenſis credimus, Paulo Epiſcopo *benedicto ſtatim Rex Francorum Glorioſus Childebertus primus Agnenſem Leonenſemque pagos cum ſibi debito reditu Regia auctoritatis precepto tradidit; & Indualis cognomine Candidus Domnonenſis patriæ Dux, territorium quod modò dicitur ex nomine Pauli, eidem viro venerabili donavit: Pauli corpus ad Monaſterium quod in agro continente ſitum erat, deportatum ibique ſepultum eſt: quod Monaſterium uſque hodie vocatur S. Pauli oppidum*, videlicet à Patrono majoris Eccleſiæ; vulgò *Leon* aut *Saint Paul de Leon* Britanni appellitant. In libro de Vita Gildæ Sapientis, hic *Paulus Oxiſmorum Eccleſia præfuiſſe Epiſcopus* falsò forſitan dicitur: quòd nimirum Leonenſes cum Tregorenſibus & Briocenſibus Oſiſmiorum olim finibus continebantur, quemadmodum quidam Geographi rectè ſentiunt; & ut ego arbitror, *Lemovices* Armoricani Cęſaris, ſeu Leonenſes non contemnenda portio Oſiſmiorum erant. Guillelmus Armoricus in Geſtis Philippi Auguſti Francorum Regis, *Leoniam* & *terram Leonia* vocat agrum pagumve Leonenſem, *le Leonnois*; & *Herveum Comitem Leonia* anno MCLXIII. dolo captum, conjectumque in carcerem apud caſtellum Nini, & ab *Hamone Epiſcopo Leonenſi* ac Conano Parvo Duce Britanniæ caſtro per vim expugnato liberatum eſſe ſcribit. Robertus de Monte locum ipſum nunc *Leonem* & *Leon*, nunc *Lehum* & *Lennum*; incolas loci ac totius etiam pagi modò *Leonenſes*, modò *Lennonenſes* appel-

lat. Gervaſius Tilleberienſis & dux Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ, inter Epiſcopatus Turonenſi Metropoli ſubjectos poſt Redonenſem, Nannetenſem, Coriſopitenſem, Venetenſem, Maclovienſem, Briocenſem, & Tregorenſem, numerant *Leonenſem*, Dolenſique provinciæ ultimo præponunt. Urbem hanc Monaſterio priuſquam ſede Epiſcopali inſignem, *Leonium opidum Oſiſmiorum* Cæſari appellari, falsò affirmat Maſſonus. Lemovices quippe Armoricos Cęſar memorat ſeu inter Armoricas civitates, qui pars Oſiſmiorum fuerunt; *Leonium opidum Oſiſmiorum* nuſquam memorat. Aimoinus in libro II. Miraculorum S. Benedicti capite XI. urbem cujus Epiſcopus fuit S. Paulus, *Oppidum* vocavit, & *S. Pauli Opidum* ante annos DCLX. hiſce verbis. *Oſa Oceani maris eſt inſula, quæ à continenti Armoricanæ regionis terra quam Cornu Galliæ vocant, pelago* XVI. *paſſuum in transverſum porrecto ſejungitur. In ea B. Paulum cognomine Aurelianum eremiticam duxiſſe vitam, ex libro Vitæ ejus didicimus. Hic denique S. Paulus in loco Britanniæ qui Oppidum dicitur, Epiſcopus factus, ibidem meruit ſepulturam.* Ubi legendum puto, *qui opidum S. Pauli dicitur.* Certè in capite XII. ita ſcribit. *In Oſa inſula ob amorem tanti Præſulis* (Pauli) *quidam civis regionis Cornu-galliæ, Felix nomine ad inhabitandum demigrans cum aliis ſuæ provinciæ viris, per aliquot annos Deo placitam ſtuduit ducere vitam. Hic adſcensâ navi ad ſupradictum S. Pauli opidum venit, cum Pontifice ipſius Sedis tractaturus.*

LEODIA VEL LEODIGA SILVA.

In Chartulario Aurelianenſis Eccleſiæ litteras legi *Hugonis miſericordiâ Dei Regis, datas Silvanectis Palatio, menſe Novembri Indictione* IV. *anno* IV. *regnante Hugone Rege*: in quibus *Leodiæ ſilvæ* fit mentio. *Leodiæ quoque ſilvæ venationem, ſicut anteceſſores ejus* (Arnulfi Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopi) *viſi ſunt habuiſſe, eidem matri Eccleſiæ* (S. Crucis) *habere concedo, ejuſque venabula* (id eſt venatores cum venabulis canibuſque venaticis) *per eam ſilvam ſine dilatione currere cunctis diebus anctorizo.* Silva *Leodia* nomine ipſo teſtatur, ſilvam ſe *publicam* fuiſſe, hoc eſt ſilvam Regalem ſive fiſcalem. Sic villas Regias *villas publicas* veteres Noſtri Hiſtorici dixere, & *Leodicum vicum publicum*, id eſt villam publicam ſeu Dominicam. Nomen deductum à *Leudibus* vel *Leudis Leodiſve*, veteri appellatione Germanica, quæ populum ſignificat. Silva ergo *Leodia* aut *Leodica* ſilva Aurelianenſis olim dicebatur: in qua hodieque locus eſt nuncupatus *Boſcus communis*, *Bois-commun*, id eſt ſilva publica.

In ſilvis publicis quas Foreſtes Dominicas appellabant, nemini privato venari licebat, ut Gregorius Turonicus Epiſcopus docet, qui vnus eſt inſtar omnium. Pro magno itaque beneficio Epiſcopis Aurelianenſibus Hugo Rex Francorum in ſilva Leodia venationem permittit. Permittit & Rotbertus Rex ejus filius litteris datis *Silvanectis Palatio, menſe Novembri Indict.* IV. *anno* IV. *regnante Rotberto Rege*, ubi & *ſilvam Leodigam* meliùs patre vocat. *Leodicum* enim vel *Leodigum* nomen eſt adjectivum, quo *publicum* ſignificatur: & Lipſius obſervat urbem quæ caput Tungrorum nunc eſt, *Leodicum* vocari debere, non Leodium. *Venationem quoque ſilvæ Leodigæ, quam per quamdam convenientiam ſubripueram, reddo; & ſicut anteceſſores ejus* (Arnulfi Aurel. Epiſcopi) *tenuerunt, eam eidem Eccleſiæ tenendam in perpetuum habendamque cunctis diebus confirmo.* Silva *Leodia*, vel potiùs *Leodica* aut *Leodiga* nunc ab urbe vicina vocatur *la foreſt d'Orleans*, uti obſervo, & continet Artenaium, *Artenay*. Marogilum *Marolle*, aut certè *Mareau des Bois*, Suriacum in Boſco, *Sury au bois*; Boſcum communem *Bois commun*; Vitriacum *Vitry* *Vitriacum caſtrum* Helgaldo dictum, ubi Rotbertus Rex Monaſterium S. Medardi exſtruxit, ubi hodieque eſt parœcialis Eccleſia S. Medardi; Macerias *Mezieres*; Bordas *les Bordes*; Ingranam *Ingrande*. Vitriacum ad Logias *Vitry aux Loges*; Bullum *Bou*; Gargogilum *Gergeau*.

LEODICUM.

Landebertus Tungrorum vel Trajectenſium Epiſcopus in vicum Leodicum crebrò ſecedere conſueverat, ut totus orationi, lectionique vacaret. Qui vicus in valle poſitus inter nemora & montes, fontibus & amniculis per prona decurrentibus amœniſſimus, ac ſolitudinis ſimillimus erat: quà meridiem ſpectat, à civitate Tungris vix V. leugis diſtans, ab opido Trajecto circiter IV. quà Orientem Solem proſpicit, hinc montibus & ſilvis, inde Moſa clauſus. Poſitum eſt Leodicum ad Urtæ (*Ourt*) & Moſæ confluentes: ubi Landebertus, quem Lambertum Martyrem vocant Recentiores, à Dodone Domeſtico Pippini Principis Francorum cum multis ſuorum interfectus eſt: cujus corpus ſepultum primò Trajecti, Hucbertus ejus ſucceſſor anno Epiſcopatûs XIII. in vicum Leodicum retulit, Baſilicâ amplâ atque magnificâ ei ibidem factâ. Hoc initium & cauſſa incrementorum Leodico fuit, itavt ex vico urbs longè maxima & copioſiſſima, ac Epiſcopatûs ſedes evaſerit, poſthabitis Tungris atque Trajecto: quemadmodum in libro XXIII. Rerum Francicarum ſcripſimus. Simul cum corpore Landeberti ſedem Epiſcopatûs ab Hucberto eò tranſlatam anno DCCX. auctor eſt Sigebertus hiſce verbis. *Anno* DCCX. *S. Hucbertus cælitùs admonitus corpus S. Lamberti à Trajecto Leodium cum magna miraculorum gloria refert, ſedemque Epiſcopalem in eamdem urbem transfert.* Quam ob cauſſam & qui poſtea eam Eccleſiam rexere, non *Trajectenſes Epiſcopos* ampliùs appellat Sigebertus, uti priùs facere conſueverat; ſed *Leodicenſes* & *Leodicenſium Epiſcopos* conſtanter nuncupat. Nunc Leodicenſes Epiſcopi ſeſe Duces Bublionenſes, Marchiones Francimontenſes, (*Franchimont*) Comites Loſſenſes, ſacri Imperij Romani Principes appellitant.

Leodicum vicum publicum plerique noſtrorum Annalium & Chronicorum veteres auc-

tores appellant nomine Germanico publicum vicum ſignificante; *Leudicam* Carolus Calvus in Capitulis anno DCCCLIV. ibidem latis, à Leudibus vel Leodis appellatione deducta, Vita vetus S Landeberti *villam Leodicum ſitam ſuper fluvium Moſam*; *Ludivacam*, Eginhardus in epiſtola XXIII. hiſce verbis. *Boves quæ occidendi ſunt, volumus ut facias ad Ludivacam venire.*

Carolus Glorioſus Rex *anno* DCCLXIX. *celebravit Natalem Domini in villa quæ dicitur Duria, & Paſcha in Leodico vico publico.* Sic veteres Noſtri Annales ferè omnes, ſic Caroli Magni Vitæ omnes priſcæ referunt. *Vicus* autem *publicus* idem eſt ac villa publica: ex quo apparet Leodicum villam publicam tum ſeu fiſcalem fuiſſe, in qua Carolus aliquamdiu hiemaverit & Paſcha celebraverit. Errat igitur Scaliger, quum *Leodium nunc dici* ait, *ſed eſt hominium, quia olim fuerit de hominio & feudo Epiſcopi Tungrenſis.*

Leodicum quidam, in primis Iohannes PP. X. in epiſtola ad Carolum Regem, & Sigebertus in Chronico, nonnumquam *Legiam* appellavere nomine ad vulgare vel Francicum ejus nomen proxime accedente. Noſtris enim vulgò vocatur *Liege*. Nonnulli tamen *Legiam* ab amniculo Legia (*Legie*) ibi in Moſam effluente dici affirmant; ſicut Hoio proximo opido *Hui* fluviolus in Moſam labés nomen dedit. Aliqui etiam inter veteres, ac omnes ferè Latini ſcriptores recentiores *Leodium* aut *Leodiam* mendosè vocant. Quippe Juſtus Lipſius docet vocandum eſſe Leodicum, quemadmodum in priſcis inſcriptionibus tumulorum, & à veteribus ſcriptoribus Hiſtoriarum ac Chronicorum nuncupatur: quin & Germanos ac Belgas c litteram in hujuſce civitatis appellatione hodieque retinere. Dici enim Leodicum Germanis ſuperioribus *Luttich*, Belgis omnibus *Luyduck*, id eſt aggerem publicum, aut limitem publicum, Viamve publicam; Leodes autem ſive Leudos linguâ Germanicâ populum, atque homines Principis alicujus ditioni ſubjectos ſignificare.

In quadam Notitia provinciarum & civitatum Galliæ reperitur, *Civitas Tungrorum, quæ nunc Leodium*; Roberto Monacho in Chronico, *civitas Tungris, quæ & Leodium*: id eſt, cujus ſedes Epiſcopatûs nunc Leodicum tranſlata eſt. Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta memorat inter pagum Moſanum & Aquaſgrani *Lingas, quod de iſta parte eſt* in portione Hludouvici; & in portione Karoli *Lingas quod de iſta parte Moſæ eſt, & pertinet ad Veſatum*: id eſt *Lingas* ultra & cis Moſam: quo *Lingarum* nomine non Leodicum ipſum, uti Miræus, ſed pagum Leodicenſem deſignari puto, ultra & citra Moſam jacentem, quem vulgò Noſtri nomine urbis appellant *le Liege*: ſicut & urbis & pagi incolas Latini ſcriptores utroſque *Leodicenſes*, Noſtri *les Liegeois* nuncupare conſueverũt. Miræum errare ex eo intelligitur, quòd Leodicum urbs (ſive Lingas vocare mavis) ad *Veſatum pertinere* dici non poteſt. Veſatum enim, vulgò *VVeſet* nuncupatum, eſt in dextra ripa Moſæ, abeſtque ab urbe Leodico leugas ampliùs duas.

Auctor libelli de trãſlatione corporis S. Germani Pariſiorum Epiſcopi, qui Caroli Magni Principatu floruit, Leodicum in Haſbania ponit his verbis. *In pago Haſbanio, villa Leudico VVithbaldus quidam nomine Chorepiſcopus fuit*, &c.

LEODO SALINARIUS.

Municipiolum eſt vel caſtellum in Sequanis, proximum Arlato, (*Arley*) amœnitate ſitûs & ſalſis fontibus celebre ac illuſtre, *Leodo* quibuſdam, aliis *Ledo Salinarius* dictum, vulgò *Leon le Saunier*, poſitum ad amniculum qui infra Tinurtium defertur in Ararim: ubi olim moneta percutiebatur, Ledonenſis à loco cognominata. Auctor eſt Chifletius in ſuo Veſontione, Ledone apud Franciſcanos ſigna marmorea præclara atque adcò mirabilia conſpici. Salſis quoque fontibus nobilitatur *Groſonius* vicus in Sequanis, à Metropoli Sequanorum provinciæ Veſontione parum diſtans. Nobilitantur & *Salinæ* eadem in provincia fontibus ſuis, à quibus & nomen accepere, *Salins*. Hoc opidulum ſalſis fõtibus abũdat, quos & ſcrobes & ſcaturigines appellitant. Eos inter fontes pręcipui tres ſunt, ex quibus aqua igne ſuppoſito excocta denſatur in ſalem candidiſſimum, & ceterorum omnium (ne marino quidem excepto) ſapore gratiſſimum. In teſtamento Bernonis Abbatis Gigniacenſis Ledo Salinarius appellatur *Leodo* ante annos DCCIX. Ibi enim fit mentio *caldariarum quæ ſunt ſitæ in loco, qui dicitur Leodonis*, videlicet caldariarum ſive ahenorum, in quibus aqua ſalſa decoquitur & in ſalem coaleſcit. Jotſaldus Monachus de Vita & virtutibus S. Odilonis Abbatis libros III. compoſuit ad Stephanum Pontificem eius nepotem, quos in codice Thuaneo MS. legi, dignos luce, quos Petrus Damiani in epitomẽ coëgit. Hic Auctor in libri I. capite V. vocat *vicum nomine Leodonium, ubi conficitur ſal, humanorum ciborum condimentum*, collocátque inter *Paterniacum & Cluniacum* Monaſteria. Ceterùm *ledonas* Beda aliique vocant æſtus minores, qui Lunâ creſcente aut decreſcente accidere conſueverunt; *malinas* verò majores æſtus maritimos, qui plenilunio & nouilunio contingunt, intra V. horas accedente Oceano, intra VII. recedente: quod nomen Ledoni Salinario propriè non convenit, loco mediterraneo & à mari plurimùm remoto.

Ex tot locis ſalem ferentibus, & ex tot aquis ſalſis in provincia Maxima Sequanorũ apparet, Burgundiones liberos ſive Comitatenſes, hoc eſt Sequanos, non ſine cauſa à Noſtris per jocum *Burgundiones ſalſos* ſalitoſve cognominati.

LEONES ET SILVA LEONUM.

Silva Leonum in finibus Veliocaſſium *la foreſt de Lions* vulgò dicta, nomen à re non videtur habuiſſe. Leonibus enim caret Gallia. Nomen hæc ſilva ſuum dedit opido ibi poſito, quod Latinè *Leones*, vulgò *Lions* appellant,

Inter teſtes qui confirmationi cujuſdam donationis interfuerunt ante annos ampliùs quadringentos, numeratur *Theobaldus de Etampe Caſtellanus de Leonibus*. Rex Anglorum Henricus, eius nominis primus, *deceſſit apud S. Dionyſium in ſilva Leonum* anno MCXXXV. quod *caſtrum S. Dionyſii in Leoni* ipſe exſtruxerat: ut Johannes Bromton, Radulfus de Diceto, ac ceteri rerum Anglicarum ſcriptores tradidere.

LEPORETUM.

Vicus eſt *Leporetum* in arenis Burdigalenſibus vel Vaſatenſibus, aliàs truncato nomine *Lepretum*, à re nomen habens, vulgò *Labrit* dictus, litteris e in a, p in b, & e in i converſis. Labritum Noſtri poſtea in *Albretum* mutavere, *Albret*, aliàs *Alebret*, quaſi Ad lepretum: *Labret* Annales Flandrenſium dicunt. Pagus Leporetanus qui nunc in Ducatûs faſtigium evectus eſt, à vico iſto nomen accepit, appellaturque *l'Albret*. Ab eodem vico cognominata familia Leporetana vel Albretana. Arenæ autem Burdigalenſes, *les Landes de Bourdeaus*, aliàs Arenæ vel Landæ Vaſatenſes, *les Landes de Bazas* dictæ, ſaltuum plenæ, à Martianenſi Vicecomitatu, Scialociæ (*la Chaloſſe*) proximo, latè ad Oceanum verſus promittuntur, & frugum quidem ſteriles ſunt, ſed leporibus ſcatent: à quibus vicum *Leporetum* vel *Lepretum* in priſcis monumentis vocari obſervavere Andreas Cheſnius & Oihenartus. Aiunt leporem hodieque *Bres* indigenis appellari. In Ducatu Leporetano cum Leporeto ſunt Tartaſſiû urbs amœna ſitu ad Midorium fluvium, (*Midou*) Caſtellum Zelotypum, Neracum, Caſtella *Caſtels*, Garunda *Gironde*, Podium Normannorum *Puy-Normand*; aliaque multa opida, caſtella & vici.

Joſ. Scaliger aſſerit Ducatum Leporetanum vel Alebretanum ex mutilatione Seneſcalciarum Aginnenſis & Armaniacenſis eſſe compoſitum.

LEPROSUS VICUS.

Leproſum vicum Turonum memorat Severus Sulpicius de Vita S. Martini Turonici Epiſcopi.

Vulgò vocatur *le Leroux*, eſtque proximus Montalomago & Dolis vicus, poſituſque ad Scandonem, *Eſchandon*, qui in Angerem effluit. Ex *Leproſo* eliſâ litterâ p fit *Leroux* & *Loroux*.

Rigordus *caſtrum Leuroſium* memorat in Biturigibus Cubis, non procul à *Caſtro Radulfi*, quod nomine incorrupto *Leproſum* vocat Chronicon Monaſterii Dolenſis in anno MCCCXXV. deſinens. *Anno* MCCLXVIII. *obiit Johannes de Calveniaco, dominus de Leproſo*. *Leproſum* illud vel Leproſium, vulgò dicitur *Levroux*. Aiunt S. Silvanum Confeſſorem, Leproſenſium in Biturigibus Patronum eſſe. Uterque locus à multitudine leproſorum haud dubie nomen accepit.

LERINUS ET LERO INSULÆ.

Antequàm de Lerino & Lerone inſulis loquar, admonendus eſt Lector, Caſaubonum, cùm Strabonem Notis ſuis illuſtraret, dubitaviſſe an duæ inſulæ eſſent, & unam de duabus facturum fuiſſe, niſi eſſet Æthici auctoritate deterritus: quaſi Strabo, & Plinius, & Ennodius aliique alteram ab altera non ſatis diſtinxerint. Hoc tanto viro tamque diligenti accidiſſe, vel potiùs excidiſſe miror.

Strabo Lerinum inſulam à planitie *Planaſiam* appellavit, quòd nulli ibi montes aſſurgunt: & poſt Stœchadas ex Gallia in Italiam tendenti ſcripſit occurrere *Planaſiam* & *Leronem*, in quibus ſint vici. Strabonis verba ſunt. Μετὰ δὲ τὰς Στοιχάδας ἡ Πλανασία καὶ Λήρων, ἔχουσαι κατοικίας. Ubi *Planaſia* nomine Lerinum deſignari nemo non videt: à qua non longiſſimè abeſt *Planaria*, *inſula à ſpecie dicta, æqualis freto*, à Corſica LX. millibus paſſuum, diſtans ut ait Plinius, ab Ilua inſula ſtadiis XC. quam Solinus ac Æthicus *Planaſiam* rectiùs vocant, Itali *Pianoſa*. Eſt & apud Strabonem *Planeſia* vel *Planaſia* inſula contra Dianium Tarraconenſis Hiſpaniæ opidum. Ceterùm Lerinus non ſine cauſa Planaſia dicta eſt à Strabone. Quippe Apollinaris Sidonius eam *inſulam planam* vocat ab æqua planitie camporum in Euchariſtico ad Fauſtum, ex Monacho Lerinenſi Reienſem Epiſcopum.

Seu te Lirinus priſcum complexa parentem eſt.

Et infrà.

Fratribus inſinuas, quantos illa inſula plana

Miſerit in cælum montes.

Cæſarius in homilia XXV. Lerinum ubi Monachus fuerat ante Arelatenſem Epiſcopatum, ita commendat ut Sidonium imitetur his verbis. *Beata & felix inſula Lirinenſis: quæ cùm parvula & plana eſſe videatur, innumerabiles tamen montes ad cælum miſiſſe cognoſcitur*: id eſt eminentes ac magnæ ſanctitatis Monachos, Abbates, Epiſcopos. Unde & Ennodius, vel potiùs Euhodius *nutricem ſummorum montium planam Lerinum* eodem ſenſu appellat: apud quem Epiphanius *Toloſâ regrediens, ſingula Sanctarum habitationum loca viſitaviſſe* dicitur, *Medianas inſulas Cycladas*, (lege *Stœchadas*) *Lerum*, *ipſamque nutricem ſummorum montium planam Lerinum*.

Pomponius Mella *Lerinum* ac *Leronem Stœchadum* nomine impropriè comprehendit, cujus verba talia ſunt *In Gallia quas referre conveniat, ſolæ ſunt Stœchades, ab ora Liguriæ ad Maſſiliam uſque diſperſæ*. His enim limitibus inſulæ Lero ac Lerinus continentur, cùm ſint citra oſtium Vari, ſeu citra oram Ligurum Italię attributorum. Plinius *Lerinam* appellat, quem Eucherius de laudibus Eremi ſecutus eſt. *Ab iis* (id eſt, à III. Stœchadibus) *Sturium, Phœnice, Phila: Lero, & Lerina adverſum Antipolim, in qua Vergoani opidi memoria*. Heic ordinem Plinius non ſervavit; uti Strabo Æthicuſque ſervarunt. Nam Lerina vel Lerinus præponi debuit Leroni, quę inſula Vari oſtio Liguſticoque mari Lerino eſt propior. Ptolemæus Lerini nullam mentionem fecit: quam Hilarius Epiſcopus Arelatenſis in libro de Vita S. Honorati *Lirinum vacantem inſulam ob nimietatem ſqualoris*,

tis, & inacceſſam venenatorum animalium metu. Alpino haud longè jugo ſubditam nuncupat. Hic eſt Honoratus, qui nobiliſſimum Monaſterium in ea inſula condidit, & Monaſterio Lerinenſi, utque adeò toti inſulæ nomen ſuum dedit, ex Abbate Lerinenſi Arelatenſis Epiſcopus. Inſulam enim Lerinum Noſtri raro *Lerin*; ſæpiùs *Saint Honoré de Lerin*, aut inſulam S. Honorati *l'Iſle de S. Honorat* nuncupant. Ab Antipoli Lero & Lerinus inſulæ abſunt millia paſſuum XI. à Foro Julii XXVIII. ut docet Æthicus. *Vergoani opidi* in inſula Lerino nec vola, nec veſtigium extat: quod minimè mirum eſt, cùm jam ætate Plinii, anno Chriſti LXXIX. inſulares eius opidi tantummodò meminiſſent, nihilque de eo præter aliqua forſitan rudera poſſent exteris oſtendere. Circuitu patet duo millia paſſuum; puteum vel fontem aquæ dulcis habet; planaque eſt & oblonga: miti & ſalubri cælo gaudens, frumenti, vini, cuniculorum, pinuum, palmarum, olearum, lauri, cupreſſorum, myrtorum beneolentium, lentiſcorum & geniſtarum, florum ac herbarum fragrantium ferax, piſce marino & fluviatili abundans. Salerna Monachus Lerinenſis ſcribit, media in inſula eſſe Baſilicam S. Mariæ Virginis, & Eccleſiam majorem S. Honorati, proximaque eis clauſtrum & refectorium vetus, ſingula è lapide: necnon ibidem oratoria S. Trinitatis, Chriſti Transfigurati, Petri Apoſtoli, Cypriani & Juſtinæ Martyrum, Capraſii Confeſſoris, Porcarii Abbatis ac ſociorum Commartyrum à peregrinis adiri: in latere inſulæ ad meridiem & ad mare ſpectante, ſcabris rupibus impoſitam eſſe turrim, Monachorum ibi in Oratorio S. Crucis die ac nocte pſallentium domum, ac ſimul adverſus piratas munimentum. Ex quo intelligitur, ea velut arce Monaſterium Lerinenſe claudi.

Lero à Lerino DC. circiter paſſuum freto dividitur, quod fretum Forojulienſe à Foro-Julii dictum eſſe aiunt, *le Frioul*, ac Lerino duplo major eſt. Hæc à Strabone ἡ Λήρων vocatur, id eſt *Lero*, & adverſa eſſe Antipoli, colique, ac Leronis ſacellum habere dicitur. ἐν δὲ τῇ Λήρωνι καὶ ἡρῷόν ἐστι τὸ τοῦ Λήρωνος: κεῖται δὲ πρὸ τῆς Ἀντιπόλεως. Leron quidem ille, cujus ibi monumentum olim delubrumque videbatur, & qui nomen inſulæ ſuum dedit, nunc ignotiſſimus eſt: quem ſuſpicari poſſumus in ea inſula finitimiſque regnaviſſe. *Lero* & à Plinio nuncupatur; à Ptolemæo *Lerone*, Λερώνη, qui eam ſub Varo fluvio collocat, ſeu Vari oſtio adverſam facit; non exactè. Nam à Varo flumine Lero abeſt millia paſſuum XXI. ab Alpe ſumma XXXVI. cùm Æthicus prodat, à Varo fluv. Antipolim X. *ab Antipoli Leronem & Lerinum inſulas XI. millibus* diſtare, & ab Alpe ſumma Cemenelum millia paſſuum IX. à Cemenelo Varum flumen M. P. VI. abeſſe. *Lerum* vocat Ennodius in Vita Epiphanii. Quòd niſi Strabo Leronem inſulam à Lerone neſcio quo, qui ibi colatur ac ſepultus ſit, nomen accepiſſe aperte indicaret, facilè mihi perſuaderem & Leronem ſeu Lerum, & Lerinum inſulas à Maſſilienſibus Græcis dictas eſſe, quaſi inſulas contemnendas ac parvulas. Lerus enim, λῆρος Græcè ſignificat rem futilem ac nihili, nulliuſque momenti. Ex λῆρος autem fit Λήρων, & Λερίνα vel Λήρινος. Sic & *Leros* inter Sporadas à Plinio Nicandroque memoratur. Lero Monaſterium olim habuit Margaritæ Virginis & Martyris titulo illuſtre, à quo nunc dicitur *inſula S. Margarita, l'Iſle de S. Marguerite*, ut *inſula S. Honorati* Lerinus ab ejus Monaſterio. Hanc inſulam Monachorum Lerinenſium eremum ac ſecretum extitiſſe aiunt, ibique Imperatores Romanos validas munitiones conſtruxiſſe, quarum ſuperſint veſtigia; quæ Maſſonus horrea ad condendum ſalem fuiſſe ait: abeſſe à continente duo millia. Quà ad Septemtriones vergit, continentemque proſpectat, portum habere, ab oriente & ab occidente venientibus ex æquo tutum, commodum & patentem; & non longè à portu fonticulum aquæ dulcis: oblongam eſſe, frumenti & cuniculorum fertilem; in litore parum per attolli; circuitu IV. circiter milliaria colligere; quo milliarium nomine, mille paſſus ſignificante, an leugas noſtras hoc eſt tria ſaltem paſſuum millia, more multorum recentium ſcriptorum, menſores illi deſignare voluerint, incertum eſt. Maſſonus contra Leronem inſulam IV. millia paſſuum in longitudinem patere affirmat. Aliqui Leroni XII milium circuitum tribuunt, Leroni ſex. Vincentius Salerna Monachus Lerinenſis ſcribit, inter urbes Antipolim & Forum-Julii, & inter duo promuntoria, alterum ab altero XX. circiter millibus diſtantia, quorum alterum Caput Rubeum vel Rufum, *Cap Rous*, alterum Caput Galupe, *Cap Garoppe*, aut *Garoupe* Nautis dicitur, ſinum eſſe maris, circa quem ſint maritima caſtella, ad Lerinenſe Monaſterium pertinentia, Neapolis, *la Napole*, priùs Avenionetum dicta; & interfluente Cyaneo, *Stagne*, amne torrente ac piſcoſo, Canoæ, *Canes*, olim caſtellum Marcellinum, poſt circa annum MCXXXII. ob immunitates caſtellanorum caſtrum Francum nuncupatæ: in vertice collis Villa vetus, quæ nunc Muginum, *Mogins*, in quibuſdam tabulis *Mognis*; & Vallis aurea proxima Antipoli, *Valaurie*. In medio eo ſinu duas majores inſulas jacere Leronem & Lerinum, IV. aut V. millibus paſſuum à continente diſtantes: & proximas ambabus duas alias parvulas, ſaxoſas, nec memoriâ dignas, quarum altera *Transfero* dicta à ſitu, quoniam trans id eſt ultra Leronem poſita eſt, nunc corruptè *Terre de Liera* appelletur; altera inſula S. Ferreoli nuncupetur. Hæc Salerna, parum ſibi conſtans in aſſignandis menſuris. Nam qui Leronem ac Lerinum IV. *aut V. millia abeſſe à continente* ſcripſerat; idem paullo pòſt *Leronem* ab eadem continente *duobus tantùm milliaribus* diſtare affirmat.

Hæ IV. inſulæ, Lero, Lerinus, Transfero, & inſula S. Ferreoli, ut Antipoli & Nicææ Maſſilienſium opidis proximæ erant, Maſſilienſibus olim paruere. Nunc ad Graſſenſem Diœceſin pertinent, & à majore inſula nimirum Lerone, uno omnes ac communi nomine *inſulæ S. Margaritæ* appellantur, *les Iſles de S. Marguerite*. Ex quibus Transfero-

nem & inſulam S. Ferreoli nuſquam alibi quàm apud Salernam reperi. Ambarum in locum duas alias neſidas ſubſtituunt tabulæ Chorographicæ in deſcriptione Provinciæ, videlicet Formicam, *la Fromigue*, & Graniliam, *la Grenille*, Antipoli adverſam, ambas minimas ac deſertas, ambas, quod miror, à Salerna omiſſas. Sed *Formicam* iſtam, cùm Leroni objaceat ac(ut ita loquar) pæne adhęreat, *Transleronem* Salernæ eſſe exiſtimo.

Notandum eſt, ab Ennodio *Stœchadas*, *Lerum* ſeu Leronem, *& Lerinum*, *Sanctarum habitationum loca* ſuprà appellari. Ex quo apparet non ſolùm in Lerino, ſed etiam in Lerone & in Stœchadibus Monaſteria veterrima exſtitiſſe. Certè Proſper in Chronico ſcribit, principatu Honorii Aug. ante annos MCCL. *Honoratum*, *Minervium*, *Caſtorem & Jovianum*, *ſingulorum Monaſteriorum Patres*, *in Galliis floruiſſe*: ex quibus Honoratus Monaſterii Lerinenſis pater ſive Abbas fuit; tres alii trium aliorum in ſupradictis (ut videtur) inſulis Monaſteriorum. Caſſianus certè *qui in Stœchadibus conſiſtunt inſulis*, *ſanctos Fratres* celebrat. Tum quoque proximas maris Liguſtici inſulas, Caprariam & Gorgonem clara & illuſtria Monaſteria habuiſſe indignatur Rutilius Numatianus in libro I. quarum altera Mellæ *Urgo*, *Orgon* Plinio, *Gorgon* Rutilio dicitur. Gregorius PP. primus in libri I. Epiſtolarum epiſtola I. *Gorgonis inſulæ Monaſteria* commemorat. Et ſatis ſuperque de Lerone ac Lerino.

LESURA FL. ET VICUS.

Auſonius in Moſella ſuo *Leſuræ* & duorum aliorum amniculorum in Moſellam effluentium mentionem fecit hoc diſticho.

> Prætereo exilem Leſuram, tenuemque Drachonum,
> Nec faſtiditos Salmonæ uſurpo fluores.

Leſura quidem vulgò *die Leſer* nuncupatur, & ad vicum Leſuram (*Leſer*) lævum Moſellam auget. Salmona autem vulgò *Salm* dicitur, & in eamdem Moſellæ ripam decurrit inter Celbim & Leſuram. Drachonus, *die Draon* aliis *Traon* appellatus, apud Nivomagum vel Noviomagum (*Numagen*) XIII. lapide ab Auguſta Trevirorum, in dextram Moſellæ ripam evolvitur, ferè è regione Salmonæ.

LEUCATA.

Mella inter Atacis oſtium & Salſuſas *Leucatam* ponit in Gallia Narbonenſi his verbis. *Ultrà eſt Leucata litoris nomen, & Salſuſæ fons*, &c. *Leucatam litus* vocat, id eſt promuntorium. Rogerius de Hoveden qui in anno MCC. deſinit, eam collocat inter Caucoliberim & Narbonem, & *arenam protenſam in mare*, ut Mella *litus*; *caputque* id eſt promuntorium appellat diſertis verbis. *Tranſierunt per quamdam arenam protenſam in mare, quæ dicitur caput Leucata, faciens ſinum magnum, in quo prope litus maris eſt civitas Epiſcopalis Narbona.* Vulgò dicitur *Leucate*, aliàs *Leçate*, Hiſpanis *la Leocata*, caſtrum naturâ & arte munitum. A Maſſilienſibus nomen ſuum Leucata videtur accepiſſe. Nam & in Caria litus *Leuca*, & in Acarnania *Leucadium litus*, *ac promuntorium Leucates, dein ſinus, ac Leucadia peninſula*, Mellę Plinioque celebrata. Ait Servius *Leucaten, quia ſaxa nuda in cacumine habebat, ex eorum candore ita dictum eſſe*. Quæ nomina litoris, promuntorii, atque ſinus etiam ac peninſulæ ſitui Leucatæ noſtræ conveniunt. Nam Leucata mons eſt ſeu promuntorium ad mare, figurâ peninſulam referens. Quippe ab ortu & meridie mari cingitur, ab occidente ſtagno, quod incolæ *ſtagnum Leucatæ*, Hiſpani *ſtagnum Salſuſarum* vocant, quia inter utrumque caſtellum jacet. Promuntorii ſeu montis Leucatæ caput Septemtrionale quà Franciam ſpectat, in fronte habet MD. paſſus, difficilique ob rupem eſt aditu. In monte Leucata arx eſt ſive caſtellum ejuſdem nominis, & vicus, (*le village de Leucate*) in quo fons, & Eccleſia, & molæ. Arcis præſidio ciſterna propter rupis ariditatem fontis inſtar eſt.

LEUCONAUS.

VValaricus vel Gualaricus Arvernus in pagi Vinemaci loco maritimo *Leuconao*, poſito ad oſtium fluminis Suminæ, & à Chlothario ſibi donato Monaſterium ſtruxit, hodieque auctoris nomine inſigne: uti docet Vita vetus S. VValarici Abbatis: qui & ob id *Abbas Vimacenſis* vocatur in Vita MS. id eſt Abbas Cœnobii in pago Vinemaco vel Vimaco poſiti, *Abbé en Vimen*. *Leuconaus* ergo appellabatur olim portus maritimus, Monaſterio S. VValarici inſignis. Nunc locus à Cœnobio, nobiliore ſui parte dicitur *S. VValarici*, vel *ad S. VValaricum*, *Saint Valeri*, Picardicâ linguâ *S. Valiary*. *Leuconaus* ab Orderico Vitale *Legonaus* appellatur: ut pro leucis *lengas* ac *legas* ſæpe ſcriptum in codicibus reperimus, & in veteribus Itinerariis ac tabulis.

LEUTEVA.

Leutevam *Forum Neronis* à Romanis dictam eſſe docet Plinius in capite IV. libri III. à quo in Narbonenſi Provincia memorantur *Leutevani, qui & Foro-Neronienſes*: ſicut Carpentoracte Meminorum caput iidem Romani Forum Neronis appellavere. Leuteva autem vulgò nũcupatur *Lodéve*, ut Glannateva *Glandéve*, Leucata *Locate*. Hujus urbis etſi veteris Strabo ac Ptolemæus non meminere, ſed meminere priſcæ Notitiæ provinciarũ ac civitatum Galliæ quæ in provincia Narbonenſi prima Lutevam V. loco ponunt, aliàs VI. atque etiam VII. Ibi variè appellatur, nunc *civitas Lutevenſium*; nunc *civitas Leotevenſium*, *hoc eſt Leoteva caſtrum*: modò *Luteva caſtrum*; modò *civitas Luteva caſtrum* abſurdè. Neque enim *civitas* dici debet, ſi *caſtrum* tantummodo eſt; neque *caſtrum*, ſi *civitas*. In quadam Notitia vocatur *civitas Luttevenſium*, *id eſt Lutteva caſtrum* mendoſè pro *Lutevenſium* & *Luteva*; in alia *civitas Lute-*

benſium Luteva: ubi malè legit Andreas Cheſnius *civitas Lurvebenſium Luteva.* Apud Robertum in Chronico ſextum locum obtinet in Narbonenſi provincia *civitas Lutevenſis*: apud Gervaſium Tiſleberienſem, & in quibuſdam recentioribus Notitiis, inter Antiſtites Narbonenſi Vaſconiæ Archiepiſcopo ſuffragantes quartus eſt, interdum quintus Epiſcopum *Lodovenſis*, aliàs *Lotevenſis*, Toloſanumque etiam ac Nemauſenſem præcedit. VVamba Gothorum Rex *Narboni metropoli ſubjacere ſedes* jubet. *Beterras, Agatham, Magalonam, Nemauſum, Lutebam, Carcaſonem, Elnam;* itavt Leutevam IV. urbem faciat provinciæ Narbonenſis.

Sincerum urbis nomen eſt *Leuteva* vel *Leoteva*, à quo *Leutevani* & *Leotevenſes*: nec rejiciendum nomen *Luteva*, à quo *Lutevenſes*; pro quo & *Lotevam* & *Lutebam* recentiores nonnumquam dixere, litterâ u nunc in o, nunc in b conversâ. *Lutuva, Lutuba, Loroba,* & *Lodova* corrupta ſunt nomina: cùm e in u, aut in o mutari non ſoleat. Poſita eſt Leuteva ad Largam fluvium, *Lergue* vulgò dictum, aliàs *Lierge*, qui in Araurim effluit.

Bonifatius Epiſcopus urbis Romæ in epiſtola ad Hilarium Epiſcopum Narbonenſem data DD.NN. Honorio XIII. & Theodoſio X Coſſ. ſcribit, *Lutubenſis Eccleſia Cleri ordinem & Plebis* apud ipſum queſtos eſſe, *Patroclum* (*Arelat.* Epiſcopum) *in locum Epiſcopi ſui mortui neſcio quem in alia provincia, prætermiſſo Metropolitano* (Narbonenſi) *contra Patrum regulas ordinaſſe.* Concilio Agathenſi ſubſcripſit *Maternus Epiſcopus civitatis Lutevenſis*; Concilio Narbonenſi *Agrippinus de civitate Loteva Epiſcopus* adfuit regnante Reccaredo: *Leontianus Lutubenſis Epiſcopus* edicto Flavii Gundemari Regis ſubſcripſit: *Anatolius* quoque *Eccleſiæ Lutubenſis Epiſcopus* Concilio Toletano IV. ſextoque interfuit; *Giſibertus Diaconus, agens vicem Anſemundi Epiſcopi Lotobenſis*, Synodo Toletanæ XIII. Ex his intelligitur graviſſimè errare Maſſonum, quum Leutevæ Epiſcopatum in Monaſterio Canonicorum Regularium S. Auguſtini à Johanne Epiſcopo Romano conſtitutum eſſe ſcribit, qui & alterum Electæ in Monaſterio Benedictino Epiſcopatum inſtituerit. Conſtat quippe Johannem Papam XX. qui vulgò XXII. nuncupatur, & qui anno MCCCXVI. ac inſequentibus ſedit, Electam quidem in Epiſcopale faſtigium evexiſſe: ſed non minùs cõſtat Honorii Aug. XIII. Conſulatu, anno Domini CCCCXXII. jam tum Leutevam ſeu Lutevam inter civitates ſedeſque Epiſcopales provinciæ Narbonenſis primæ non ultimum locum habuiſſe.

Diœceſi Leutevana continentur Leuteva, Clarusmons Leutevanorum, *Clermont de Lodève*; Cannetum; Monſpetroſus *Mompeyroux*; Cellæ *Celles*; Ripæ *les Ribes*; Vaccaria *la Vaccarie*; Salvusmons *Saumont*; Podium *Lou-Puech d'Aubaigne*; Olivetum, S. Martini in Convallibus locus, *S. Martin des Combes*; S. Martini de Caſtris, *S. Martin de Caſtres*; Garrica *la Garrigue.*

LEXOVII, ET NOVIOMAGUS LEXOVIORUM.

Lexovii, Cæſari in libro III. & VII. modò *Lexovii*, modò *Lexobii*; Plinio *Lexovii* in Lugdunenſi Gallia, ut & Straboni Ληξόβιοι παρωκεανῖται; Ptolemæo Ληξούβιοι & Λεξούβιοι, id eſt *Lexubii* vel *Lexobii* vocantur, & eorum urbs Νοιόμαγος, Noviomagus: *Lixovii* Oroſio & in Hiſtoriæ Miſcellæ libro VI. MS. & Magnoni. Cluverius urbem Lexoviorum *Noviomagum* quoque in Itinerario Æthici dictam eſſe ait in itinere à Juliobona Durocaſſis ſic. *Breviodurum* M. P. XVII. *Noviomago* XVII. *Condate* XXIV. *Durocaſſis* X. Sed longus eſt & inutilis circuitus à Juliobona vel Deppa per Pontem Audomari & urbem Lexovios Durocaſſas petentium: quò viâ rectâ & compendioſâ per Floriacum, Andeleium & Paceium poteſt perveniri. Quare non defuturi ſunt forſitan, qui apud Æthicum Breviodurum quidem alium quemlibet locum eſſe quàm Pontem Audomari; Noviomagum autem eſſe *Novigentum*, *Nogent ſur Andelle*, ſeu Noviomagum ad flumen Indellam exiſtiment: qui locus non valdè diſtans à Floriaco Indellenſi, Deppâ ſeu Juliobonâ Durocaſſas petentibus occurrit.

Hæc urbs poſita ad amnem Tolcam, in veteribus Notitiis *civitas Lexoviorum*, in aliis *civitas Lixoviorum*, in alia quadam mendoſè *civitas Luxoviorum* vocatur, vulgò *Lizieux*, inter provinciæ Lugdunenſis II. civitates penultima, recentioribus, in his Orderico *Lexovium*; aliis *Lixovium* & *civitas Lixovium*, *Liſiva* etiam corrupte: cùm *Lexovii* nomine Gentis cujus eſt caput, ut *Remi, Pariſii, Arverni*, & 100. aliæ; aut *civitas Lexoviorum* appellanda ſit.

Nomen ab ea pagus Lexovienſis aut Lexovinus accepit, in Capitulis Caroli Magni *Livinus* truncato vocabulo dictus; *Liſuinus* in Capitulis Caroli Calvi, corrupto nomine pro Liſuvinus aut Lixuvinus. Hunc pagum in veteribus tabulis *Comitatum Liſuinum* appellatum reperio; *pagum Liſuinum* Uſuardo in Kalendis Aug. ut Carolo in Capitulis; *pagum Liziacenſem* non ſemel in litteris Roberti Normannorum Ducis; in aliis *Epiſcopatum Liſiacenſem*: qui à Guillelmo Brittone Armorico dicitur *Lexovia*,

Lexovia fontis egena,
Quæ pro fonte maras gaudet potare lutoſas.

Pars pagi Lexovienſis, Cormelias, Terberti villam *Tiberville*, & quoſdam alios majores vicos, quales Noſtri Burgos vocitant continens, vulgò hodieque dicitur *le Lieuvin*, vel *le pays de Lieuvin*, haud dubiè à pago *Livino* aut *Levino* appellatione deducta.

Pagum autem Lexovienſem, à nonnullis *Liſiacenſem* dici non magis quiſquam mirabitur, quàm urbé ipſam pagi caput, *Liſiacenſem civitatem* nuncupari. Certe Monachus Fontanellenſis qui ante annos DC. floruit, & de Miraculis S. Vulframni ſcripſit, *Herbertum Liſiacenſis civitatis doctiſſimum Præſulem* appellavit in capite X. At Gregorius in libro VI.

Lixoenſem pro Lexovienſi uſurpat, *Ætherium Lixoenſem Epiſcopum* vocans. *Liſoenſem* alii dixere III. nominis ſyllabâ ſublatâ, & x in ſ ex more mutato. In Concilio Remis à Leone PP. IX. anno MXLIX. habito reſederunt *Herbertus Liſoienſis*, *Hugo Baiogacenſis*, (id eſt Baiocaſſinus) *Hugo Avringenſis*, hoc eſt Abrincatinus vel Abrincenſis.

Lexoviis, Bellocaſſis, & Aulercis Eburovicibus terna hominum *millia* ad Aleſiam obſidione liberandam à Galliæ Principibus eſſe *imperata* ſcribit Julius Cæſar in libro VII. Commentariorum, hoc eſt tria ſingulis millia. Ex quo intelligitur tres hoſce populos tum paris fuiſſe potentiæ, vel potiùs infirmitatis. Nam paullo antè, nimirum anno belli Gallici tertio *Vnelli*, *Lexovii*, *Aulerci Eburovices*, *Bellocaſſi* aut *Veliocaſſes*, aliique à Q Titurio Sabino Legato Cæſaris prœlio ſuperati fuerant, & magno ſuorum numero amiſſo, pauci ex fuga evaſerant; civitateſque ſupradictæ omnes ſe ſtatim Titurio dediderant.

LICINIACUM CASTRUM.

Petrus Mauricius Abbas Cluniacenſis in libri I. de Miraculis capite XX. *Liziniacum* memorat his verbis. *Apud caſtrum Liziniacum, quod in Pictavenſi pago ſitum eſt, nuper quidam Preſbiter erat.* *Liziniacum* vocat, quod vero & incorrupto Latinoque nomine *Liciniacum* vocari dum erat à Licinio. Quidam & mendoſe *Lizineium* appellant pro *Licineium*: *caſtellū Leſinianens* Chronicon Aquicinctenſe in anno MCXCVII. Error ortus ex vitio vel potiùs ex more pronuntiationis. Nam Noſtri ex Liciniaco *Lezignen* & *Luſignan* fecere; ſ autem litteram inter duas vocales leniter quaſi z proferre conſuevimus: quæ prolatio & ad nomen loci Latinum tranſiit, ac pro Liciniaco *Liziniacum* nobis obtruſit. Hoc caſtrum nomen ſuum dedit familiæ nobili & antiquæ, quæ in inſula Cypro diu regnavit. Eſt & Liciniacum in pago Brigenſi non procul à Braia Comitis Roberti, vicus Pariſiacæ Diœceſeos, *Leſigny en Brie* vulgò dictus. Ceterùm c in ſ Noſtri mutavere in utroque Liciniaco, ut de racemo *raiſin* fecere, de Saraceno *Saraſin*; ut placere convertêre in *plaiſir*, mucere in *moiſir*, jacere in *geſir*.

LIDERICUS FLU.

Oriri dicitur è ſtagnis Monaſterii Lidi (*l'Abbaye du Loir*) in Pertico *Lidericus* fluvius Galliæ Lugdunenſis, *le Loir*, qui Illecas, Alogiam, Bonamvallem, caſtellum Dunum, Fractamvallem, *Freteval*, & Vindocinum, Lavarzinum, Montem Aureum, Vallem Liderici, caſtrum Liderici vel Lidi, Luſdum in Andibus, Fliſchiam, Durſtallum præterfluit, ac in Sartam influit. Sartam autem accipit Meduana, ac in Ligerim defert. *Liderici* ſæpe meminit VVillelmus Armoricus in Philippide: quem fluvium falsò Maſſonus à Sidonio *Ledum* appellari, & ita vocari oportere aſſerit. Quippe *Ledus* Sidonii, amnis eſt provinciæ Narbonenſis I. ſeu Septimaniæ Lataram præterlabens: qui Melæ *Ledum flumen* dicitur. *Lidericus*, ab Orderico Vitale in libro X. Hiſtoriæ *Ligerus* vocatur. Nam ibi *caſtrum Ligeri* & *caſtellum Ligeri* nuncupat, quod alii *Caſtrum Liderici*. Certè & *Legrum* dictum reperio nomine ad *Ligerum* accedente in inſcriptione veterum litterarum, quæ talis eſt. *De terra data S. Petro Carnotenſi à Mathilde domina Alogiæ, prope Alogiam trans flumen quod Legrum vocatur.* Accipit Lidericus Tironem *Tiron*, Ederam *Yerre*, Braium *Bray*, alioſque amnes.

Lidum ac *Ledum* plurimi hunc fluvium appellare maluerunt: quo *Lidi* nomine Letiam flumen, *la Lis*, Guillelmus Britto deſignavit. Alanus Carterius in Carolo VII. Francorum Rege Lidericum noſtrum *Ler* vocat, *la riviere du Ler prés la Fleiſche*.

LIENTE.

Eſt vicus in Picardia non procul ab urbe Lauduno Clavato, B Mariæ, quæ à loco cognomen ſortita eſt, virtutibus, & Noſtrorum hominum concurſu votiſque ante annos CCLX. celeberrimus. *Liente* vocant Acta Caroli VI. Francorum Regis, ab auctore æquali, Cœnobii S. Dionyſii Monacho ſcripta, in quibus hæc legimus. Anno MCCCCXIV. *Rex urbem* (Laudunum) *ingreſſus, inde cùm peregrinationis cauſâ noſtra Domina de Liente Eccleſiam* (*ut voverat*) *devotiſſimè viſitaſſet, & rediſſet Laudunum, nuntios Comitis Nivernenſis reperit*, &c. Hunc locum tabulæ Geographicæ *Liance* & *Lience* appellitant, nomine ad *Liente* accedente. Noſtri nunc *Liece* aut *Lieſſe*, appellatione à lætitia deductâ; & Patronam loci *Noſtre Dame de Liece*, hoc eſt *Noſtram Dominam de Lætitia* nuncupant: ita ut *Liente*, vel *Lience* & *Liance* à *Lætantia*, hoc eſt à lætitia forſitan deduci conveniat. Certè Lętum *Lié* majores Noſtri vocaverunt, cor lætum, *cœur lié*, & S. Lætum *S. Lié*. Montem S. Læti *la Mote S. Lié* accolæ hodieque locum non procul ab Aurelianis nuncupant.

LIGER FLU.

Liger (quod falsò de Pado dixit Virgilius) verè Noſtrorum fluviorum Rex, vulgò *la Loire*, oritur in pago Velauno vel Vellavo, cujus caput vulgo fons Ligeris vocatur, *la fons de Loire*. Accipit ingentes & navigabiles fluvios non paucos, in quibus eminent Elaver, magnitudine ipſi non cedens, magiſque piſcoſus; Carus vel Cares, *le Cher*; *Anger* vel Andria *Indre*, Vingenna, vulgò *la Vianne*, aut *la Vignane*, Pictonibus *la Vienne*; & ex altera ripa Meduana. Hunc Strabo Λίγηρα, Ptolemæus Λίγειρα, Marcianus Λίγηρα, Dio in libro XL. Λίγηρα ποταμὸν & Λίγηρα nuncupat, & cū Rhodano, Arare, Moſa ac Rheno navigabilem facit: quibus Sequanam, Matronam, Icaunam, utrúmque Iſaram, Garumnam, Duranium, Tarnim, Suminam, Carantorum, Aturrum, Druentiam, aliaque Galliæ flumina adjungere potuit.

Græci igitur nomen hujus fluminis declinavere; Strabo Λίγηρ Λίγηρος; Ptolemæus Λίγειρ Λίγειρος; Marcianus Λίγηρ Λίγηρος. Λίγηρ autem, & Λίγηρ, & Λίγηρ, Latinè in Nomi-

nativo *Liger* eſt, nec aliter poteſt enuntiari: cùm η & pleramq; etiam ει idem ſonet Græcis, quod Latinis e. Λίγηεις aut Λίγηεις, aut Λίγεις in nominativo nemo è Græcis dixit, id eſt *Ligeris*. Certè & veteribus Latinis ſcriptoribus *Liger* nuncupatur. Cæſar in libro VII. *Liger* (inquit) *ex nivibus creverat, ut omnino vado tranſiri non poſſe videretur.* Albius Tibullus in libri I. elegia VII.

Teſtis Arar, Rhodanuſque celer, magnuſque Garumna,
Carnuti & flavi cærula lympha Liger.

Sic ultimum verſum emendo, cùm pro *flavi* vulgò legatur *fluvy* mendosè. Quid enim eſt *Liger, aqua fluvy C?* Quis umquam ita ſcripſit, aut ita locutus eſt? At Liger optimè dici poteſt, *aqua cærula flavorum Carnutum*, id eſt fluvius cærulus, flavos Carnutes alluens, nimirum Solliacenſes, Gargogilenſes, Aurelianenſes, Magdunenſes, Balgentiacenſes, Sodobrienſes & Bleſenſes. Auſonio in Moſella vocatur & *Liger*.

Non tibi ſe Liger anteferet; non Axona præceps.

In tabula Peutingeriana *fluvius Liger* inter *Vorgium* ſive Vorganium & *Dariorigum* ponitur. Vibius Sequeſter in fluminibus de eo ſic refert. *Liger Galliæ, dividens Aquitanos & Celtas: in Oceanum Britannicum evolvitur.* Ut ſuprà Auſonii Galli, ſic Gregorii Turonici Epiſcopi auctoritas magni facienda, qui Ligeris accola fuit. Ab eo *Liger* ſemel atque iterum nũcupatur. primò in libri V. hiſt capite XXXIV. *flumina Liger Elavariſque, vel reliqui torrentes decurrentes in eũ ita intumuerunt*, &c. Deinde in capite XLII. *Liger fluvius major ab anno ſuperiore fuit*, id eſt quàm anno ſuperiore. Fortunatus in libri VI. Carmine VII. ita & hoc flumen in recto caſu vocat, quod ſæpe navi tranſiit, ſæpe ponte tranſgreſſus eſt.

Excipit inde repens vitreâ Liger algidus undâ,
Quo neque vel piſcem levis arena tegit.

Ita vocat & in libri V. Carmine VI. & in libri VI. Carmine VII. Theodulfus Aurelianorum ad Ligerim Epiſcopus ignorare non potuit, quomodo fluvius cujus ripis adſidebat, in recto caſu appellaretur. Ejus hic eſt verſus in Parænesi ad Judices ante annos DCCCXL.

Rura, Moſella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus.

Hæc fuſiùs ſcripſi, ut oſtendam veteres omnes ſcriptores Græcos ac Latinos, etiam Natione Gallos, uſque ad ſæculum IX. in recto caſu *Liger* ſemper ſcripſiſſe, & errare recentiores cunctos, qui Adalberonem Epiſcopum Laudunenſem, DCL. annorum auctorem, aut alios ejus ſimiles & æquales ſecuti, *Ligeris* in recto caſu dicere maluerunt. Et tamen Aimoinus Floriacenſis Monachus, Adalberonis & Rotberti Regis æqualis, *Liger* dixit, veterum auctoritate prælata.

Fontem habet Liger in monte Cebenna, quà Vellavos ab Helviis diſcludit. Caput ejus proximum eſt capiti fluminis quod Elaver vocatur. Liger non procul à Podio capite Vellavorum decurrit, & multa Gentis loca ignobilia, in primis Volutam *la Volte*, & Caput *le Chapp* præterlabitur: inde per Forenſem pagum defluens, alluit caſtrum S. Ragneberti *S. Rambert*; Montemrotundum *Montrond*, aliàs *Monron*; Forum Seguſianorum *Feur*, Rodumnam Seguſianorum *Roüanne*, tum primùm navigabilis: tum Burbonenſem agrum à Cadrellenſi dividit, attingitque Marciniacum *Marcigni*, Denegontium *Digoins*, ubi Arotium accipit *Aron*; caſtrum nobile Burbonem Anſelli, *Bourbon l'Anſy*, atque Dececiam *Deſize*, ubi Arone augetur; Nivernumque ſeu Noviodunum Æduorum, ad Ligeris & Niveris confluentes poſitum. Infra Nivernum Elaver (*Alier*) Ligeri recipitur: quem locum os vel roſtrum Elaveris vocant, *le bec d'Alier*. Sequuntur ad Ligerim Albiniacum, Germiniacum, Caritas, *la Charité*, veteri Monaſterio nobilis: *Maſſava* locus tabulæ Peutingerianæ notus, *Maſva vicus in pago Autiſiodorenſi* dictus in Appendice Fredegarii, *Maſſua* in Geſtis Epiſcoporum Autiſſiodurenſium, *Meſve*: Paulliacum *Poüilly*, Sacrum Cæſaris, vel Sincerrium in Biturigibus, à ſiniſtra ripa Ligeris non procul abeſt. Jam dextræ ripæ fluminis adſident loca Autiſſiodurenſis Diœceſeos, Senonibus olim attributa, Condate *Coſne*, Cella *la Celle*, Novus vicus *Nevvy*, Brivodurum, aliàs Briodorus *Briare*; & Giemus vel Giemacum *Gien*: ad ſiniſtram ripam ſunt Bellus locus, & Caſtellio ad Ligerim cognominatus. His ſuccedunt in Carnutibus Solliacum *Sully*, Caſtellum novum, Floriacum *Fleury*, Monaſterio & nomine S. Benedicti inſigne, Gargogilum *Gergeau* vel *Jargeau*, Genabum Carnutum ſive Aureliani, *Orleans*, ſupra Ligeritti (*Loiret*) & Ligeris confluentes; Clariacum *Clery*. Magdunum *Meun*, Balgentiacum *Baugenci*, Sodobrium *Suevre*, & quondam caſtrum, nunc opidum Bleſenſe, *Blois*, atque Calvus mons *Chaumont*. Turonum ſunt ad utramque Ligeris ripam Ambacia, olim vicus, nunc opidum *Amboiſe*, Laudiacum *Mont-loys*, Rupes Corbonis *Roche-Corbon*, Cæſarodunum Turonum, Malliacum *Maillé*, Alingavia *Langey*, Condate *Cande*, vicus morte Martini Turonici Epiſcopi nobilitatus. In finibus Turonum Ligerim augent navigabiles fluvii, Caris *le Cher*, Carus ſæpiùs nuncupatus, *Anger* vel Andria *Indre*, & Vingenna *la Vienne*. Liger tot opida emenſus ac tot ſpatia terrarum, Andium fines & opida alluit, Montemſorelli *Montſoreau*, Salmurum *Saumur* non longè à Toëdi confluente, (*le Toüé*) receptoque Meduana in loco quem os vel buccam Meduanæ vocitant, *Bouche-Maine*, attingit Saponarias *Savonieres*, Rupem fortem *Rochefort*, Calonnam *Chalonne*, Montem Johannis *Monte-Jan*, opidum S. Florentij, Caſtrum Celſum *Chantoceaux*; Andeneſium *Ancenis* in Namnetibus; Portum Namnetum *Nantes*, ubi hinc Ardra, inde Separis Namneticus cognominatus, *la Sevre Nantoiſe* in Ligerim cadunt. Tot & tantis auctus incrementis Liger per vicum S. Nazarij & Cruciacum *le Croiſic* in Oceanum Occiduum devolvitur.

Ceterùm non falsò Strabo Arvernos ait

eſſe ad Ligerim, ἐπὶ τῷ Λίγηρι. Nam Liger oritur in Vellavis, qui ut ait Cæſar, ſub imperio Aruernorum eſſe conſueverant: ſed ætate Strabonis jam Aruernis quantumvis liberis ademti erant ab Imperatoribus Romanis, & ſuam ſibi civitatem habebant, ab eorum civitate diviſam. Strabonis verba ſi aliter interpreteris, non damnare non potes.

Navigatur Liger per leugas CLX. ſeu per millia paſſuum CCCCXXC. à Rodumna Seguſianorum, ubi primùm navigabilis eſt, uſque ad Oceanum; ac Regnum Francorum duas in partes ferè æquales dividit. Menſe Maio campos inundare conſuevit: quamobrem infra Aurelianos molibus manufactis coërcetur, quas vulgò Ligeris torcias vocitant, *les Turcies de la Loire*. Idem anno MCLXIX. in finibus Andium ante annos D. facere erat aggreſſus Henricus, ejus nominis ſecundus Anglorum Rex, Dux Normannorum & Aquitanorum, Comes Andicavorum, Turonum & Cenomanorum, ut Trivetus docet his verbis. Anno MCLXIX. *Rex Henricus in pago Andegavenſi ſuper Ligerim, ad arcendam aquam quæ meſſes perdebat & prata, fecit quædam retinacula quæ Torcias vocant per XXX. milliaria: ædificari faciens manſiones hominum qui Torcias tenerent, quos fecit liberos de exercitu & aliis pertinentibus ad fiſcum.*

LIGERICINUS FLUVIUS.

Ejus amnis meminit Chlodoveus Francorum Rex in litteris donationis Miciaci à Luca Acherio V. D. editis, ac *Ligerinum* vocat. *Tibi* (inquit) *Venerabilis ſenex Euſpici, tuoque Maximino-Miciacum concedimus, & quidquid eſt fiſci noſtri intra fluminum alveos, per annulum inexceptionaliter tradimus ... ſive infra ſive extra Ligerim & Ligerinum*, &c.

Marius quoque in Chronico ejuſdem fluminis mentionem facit, ac *Ligericinum* appellat his verbis. *Baſilio & Bibiano. His Coſſ. pugna facta eſt inter Ægidium & Gothos inter Ligere & Ligerecino juxta Aurelianis.* Helgaldus in Vita Rotberti Regis *Ligeritum* vocat, *piſcatoriam Ligeriti fluminis* commemorans: litteræ Hugonis Francorum Regis memorant inter res Eccleſiæ Aurelianenſis *cellam S. Privati* (S. Privè) *cum capella S. Martini quæ eſt ſuper Ligeritum*: & *inter Ligerim & Ligeritum manſum* I. *Eccleſiam de S. Martino ſuper Ligeritum* nuncupant & Eugenii PP. III. litteræ datæ anno MCL. Recentiores quoque *Ligeritum* vocant quaſi parvum Ligerim. Vulgò *Loiret* aut *Leret*, idem ſignificante vocabulo nuncupamus. Hic amniculus alluit vicos præ ceteris Oliverum, & Mitiacum, vulgò *S. Meſmin*: ubi in Ligerim influit aliquanto infra Aurelianos ſpatio.

LIGNO FLU.

Lignonem fluvium vocat Hermiricus Abbas in libro de Miraculis S. VValdeberti Abbatis Luxovienſis ante annos ſeptingentos his de Drogone Caroli Magni filio, Metenſi Epiſcopo & Abbate Luxovienſi verbis. *Heic interdum ille ſolito commeratus, dum amœnitate locorum fruitur, Lignonem vicinum fluvium gratiâ piſcandi aggreſſus, dum piſcem immanem ſequitur, aquis lapſus ſubitò præfocatur. Fluvius* ille *vicinus* Luxovio *Ligno*, vulgò nunc vocatur *Loignon*, aliàs *Longuon* ſed mendoſè quibuſdam in tabulis. Oritur apud Caſtellum Lamberti, (*Chaſteau Lambert*) alluit Novamvillam *Neufvelle*, Gonantium *Gonans*, Bellamvallem *Bellevaux*, Olantium *Olans*, Rupem *la Roche*, Marniacum, Balantionem *Balançon*, Montem Ramberti *Montrember*, Montiniacum *Mutignet*, alioſque vicos, atque apud pontem Arleium *Pont Arly* in Ararim influit.

LIGURIUM, ET LIGURIA.

Ligurium in Capitulis Caroli Calvi numeratur inter ſilvas Regias: cujus nunc ſitus ac nomen ignoratur.

Eſt & *Liguria*, campus locuſque amœniſſimus, Narboni proximus, & majore ex parte pratenſis, Gregorio Turonico Epiſcopo in libri de Gloria Martyrum capite XCII. & veteribus in tabulis memoratus, in recentioribus monumentis *Liveria*, vulgò *Liviere* dictus. Gregorii verba ſunt hæc. *Felicis Gerundenſis Martyris Reliquiæ apud Narbonenſem Baſilicam retinentur. Sed cùm hujus ædis altitudo, ne Liguria quod eſt locus amœniſſimus, à Palatio Regis cerneretur, arceret: contulit hæc cum Leone Conſiliario Rex Alaricus*, &c.

LILLERIUM.

In litteris Roberti Flandriæ Comitis, datis apud opidum *Broburgh* (id eſt *Bourbourg*) *anno D. J.* MXCIII. *Lillerium* memoratur, & *Ingelramnus caſtri Lillerienſis dominus.* Hoc caſtrum *Lillerium*, vel *caſtrum Lillerienſe*, à quibuſdam *Lilarium* dicitur, vulgò *Lilers*, eſtque in Atrebatibus non longè ab Aria & Hamenſi Abbatia.

LIMOSUM CASTRUM.

Limoſum caſtrum agri Redenſis, vulgò *Limoux*, à re nomen habet, propterea quòd ad fluvium Atacem in ſolo limoſo lutoſoque poſitum eſt. Notus eſt locus ſcriptoribus bellorum Albigenſium, quem *Limoſinum* quidam Auctores & nonnullæ tabulæ nuncupant.

LINGONES.

Lingones à Cæſare omnium primo memorantur, vulgò *Langrois* noſtris dicti, n litterâ in r mutatâ. *Cæſar ad Lingones litteras nuntioſque miſit, ne eos* (Helvetios fugientes) *frumento neve alia re juvarent*: & ad bellum Arioviſto inferendum ait, *ſibi frumentum Sequanos, Leucos, Lingones ſubminiſtrare.* Nimirum agri Lingonum frumenti feraces erant. Unde apud Claudianum,

Aut quibus auſpiciis fecunda Tibris ab Arcto
Vexit Lingonico ſudatas vomere meſſes?

Cæſar in libro IV. ſcribit *Moſam profluere ex*

monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum. Scilicet in Baſſiniaco vel Baſſineio, parte pagi Lingonici oritur Moſa: ibidemque initium eſt montis Vogeſi, vel montis ac ſaltus Voſagi, qui Lotharienſes à Sequanis & Aleſatiis diſcludit.

Straboni nunc vocantur Lingones, Λίγγονες; nunc Lincaſii, Λιγκάσιοι nomine corrupto. Quippe ſcribit, ſupra Helvetios & Sequanos ad occaſum verſus habitare Eduos & Lingones, ſupra Mediomatricos Leucorum & partis Lingonum eſſe ſedes; & defluere Ararim ex Alpibus (id eſt ex montibus) trans Sequanos, Æduos, & Lincaſios. Veriùs meliuſque dixiſſet Strabo, fluere Ararim per Sequanos, Lingones & Æduos, cùm inter hanc trigam populorum fluat, & à Sequanis Lingones Æduoſque dividat. Utri provinciæ Lingones Strabo attribuerit, Celticæ an Belgicæ; incertum eſt. Narbonenſem enim Galliam & Aquitaniam cùm ſatis exactè deſcripſerit, Belgicam, Lugdunenſemque Galliam propriè Celticam dictam planè confudit; modò Senones cum Remis jungens, quorum alii ſunt Celtæ, alii Belgæ; modò inter Belgas maritimos Venetos & Oſiſmios numerans, quos ambos populos conſtat non ad Belgicam, ſed ad provinciam Lugdunenſem tertiam pertinere. Livius in libro v. Lingonum mentionem fecit, quos cum Cenomanis & Boiis Alpes tranſgreſſos, in parte Italiæ conſediſſe ſcribit. Lucanus quoque in libro I. picta eis arma tribuit his verſibus,

> Caſtraque quæ Vogeſi curvam ſuper ardua rupem
> Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Arma picta ſunt ſcuta picta, ut Armiger idem qui Scutifer. Sic à Virgilio *picti ſcuta Labici* dicuntur.

Fuere Lingones, itavt Ædui amici & affines ſui, fœdere devincti Romanis. Quare à Plinio appellantur *Lingones Fœderati*; & ab ipſo ponuntur in Belgica, uti & à Claudio Ptolemæo, cui uni Λόγγωνες dicuntur, & ab Aimoino. Ex quo intelligitur ætate Ptolemæi, (ne de Plinio loquar) ſive Principatu Hadriani & Antonini Pii, quorum æqualis extitit Ptolemæus Aſtronomus & Geographus, nimirum circa annum Chriſti CLX. Lingones Belgis adhuc adſcribi conſueviſſe, qui poſtea Celticæ ſeu Galliæ Lugdunenſi ſunt attributi. Sunt quippe in ipſo Belgicæ Celticæque confinio poſiti, & hinc Tricaſſibus Æduiſque Celticæ populis, inde Sequanis Leucisque, notiſſimis Belgicæ gentibus confines: nemo ut mirari debeat modò huic, modò illi provinciæ adſcriptos eſſe. Præterea Gallos à Belgis Matronâ & Sequanâ dividi ait Cæſar: at civitas Lingonum eſt ad caput Matronæ ita, ut Belgis an Celtis vel Gallis adſcribi debeat, diſcerni facilè non poſſit.

Civitas Lingonum à Tacito in libro I. Hiſtoriarum memoratur, & à Julio Frontino in Strategematōn libro III. *Lingonum opulentiſſima civitas, quæ* LXX. *millia armatorum tradidit Domitiano:* quo nomine ambo fines Lingonum, ſeu totum agrum Lingonicum, qui eſt latiſſimus, deſignare voluerunt: ſicuti Cæſar quum *civitatem Æduorum* vel *Æduam civitatem; civitatem Biturigum; civitatem Helvetiam; civitates Armoricas, Curioſolites, Redones, & Oſiſmios* appellat, nihil aliud quàm fines Æduorum, Biturigum, Helvetiorum, Curioſolitum, Redonum, Oſiſmiorum, totumque agrum eorum populorum *civitatis* nomine deſignat. Eodem ſenſu Plinius *Veſdiantiorum civitatem*, & *Vocontiorum civitatem* dicit, quum *oppidum civitatis Veſdiantiorum Cemenelion*, & *Vocontiorum civitatis capita Vaſionem ac Lucum Auguſti* appellat. Agrum Lingonicum Plutarchus in Julio Cæſare τὴν Λιγγονικὴν nuncupat; *ſolum Lingonicum* Eumenius in Panegyrico ad Conſtantium Cæſarem; *Comitatum Lingonicum* in Burgundia Annales Bertiniani in anno DCCCXXXIX. *pagum Lingonicum* alii. In duabus litteris anni MCCXXV. *Nulleium in Longoinne*, ſeu *Nulleium en Langone* unà cum Donnipetra vel Donnapetra *Dampierre* dicitur ad Lingonicos Epiſcopos pertinere. *Longoinne* autem & *Langone* pagi *Lingonici* nomen videtur ſervare, ut libræ Lingonicæ *Langones* vulgò olim dictæ à Lingonis urbe. *Cette vendue en faite pour trois cens livres de Langones.* In litteris anni MCCLV. *x. livres d'Eſtevenans, ou de Langoine*, id eſt X. libras Stephanenſium, aut Lingonenſium. Stephanenſes nummi ſunt Divionenſes, à Divionenſi Baſilica S. Stephani ita dicti.

Martialis *tomentum Lingonicum, Lingonicis vellera raſa ſagis*, & *Lingonicum ſtramen* celebrat. Gallus ortus in finibus Lingonum, eidem *Lingonus* dicitur, qui Tacito meliùs *Lingon*. *Lingoni* enim non vocantur, ſed *Lingones*, à quo *Lingon*. *Julius Tutor, & Julius Sabinus, hic Trevir; hic Lingon;* inquit Tacitus in libro IV. Hiſtoriarum.

In Notitia Imperii reperitur *Præfectus Letorum Lingonenſium per diverſa Belgicæ primæ diſperſorum*: & in inſcriptionibus veteribus nummorum Romanorum apud Goltzium *cohors ſecunda Lingonum*, *cohors* IV. *Lingonum*, *cohors* XXIX. *Lingonum in Armenia*.

Lingonibus ac Treviris infenſus fuit Galba ob pertinacem pro Nerone fidem. Unde Tacitus in libro I. Hiſtoriarum ait: *Treveri ac Lingones, quaſque alias civitates atrocibus edictis, aut damno finium Galba perculerat.* Idem de ſeditione aut defectione Civilis referens, ita ſcribit: *Concilio interfuere quidam Ubiorum Tungrorumque: ſed plurima vis penes Treveros ac Lingonas.*

In Lingonibus ſeu in Eccleſia Lingonica fuerunt olim multi Archidiaconi, nimirum *Archidiaconus Magnus*, ſæpius Archidiaconus Lingonenſis dictus, Archidiaconus Divionenſis, Archidiaconus Ternodorenſis, Archidiaconus Barrenſis, Archidiaconus Laticenſis, & Archidiaconus Baſſineii. Ex quibus Archidiaconus *Laticenſis*, nonnumquam *Latiſcenſis* dictus, in tabulis patriâ linguâ anno MCCLV. ſcriptis ſemel atque iterum *Arcediacres de Lacois*, in litteris anno MCCLXX. datis ſemel *Arcediacres de Lacois* appellatur. Hic Archidiaconatus, in quo Caſtellio ad Sequanam & Damnapetra vel Domnapetra, aut Dampetra *Dampierre* fuerunt, nomen acce-

pit à pago Laticenſi, *Lecois* aut *Lacois* vulgò dicto, in Chronico Divionenſi atque Beſuenſi ſæpe memorato. B. Valentinus *in Laticenſi, ſuburbio Lingonenſium oriundus fuiſſe* dicitur: id eſt in pago Laticenſi, qui urbi Lingonum Andomatuno propinquus erat, ac veluti ſuburbanus. Hic pagus iter unius diei ab urbe Lingonis abeſt, & vicum Pultarias *Poutieres*, Monaſterio inſignem, & quidquid inter Caſtellionem & Barrum Sequanum uls & cis flumen jacet, continere dicitur. Certè Gerardus Comes qui Monaſterium Pultarienſe & Vicelìacenſe conſtruxit, in litteris ſuis ea de re *villam Pultarias ſuper Sequanam, in pago Laticenſi in Regno Burgundiæ* nuncupat, & *locum Viceliacum in pago Avalenſi* (id eſt Aballonenſi) eodem in Regno. Cùm igitur vetera omnia Latina monumenta *pagum Laticenſem* vocent, *Lacois* quoque & *Lecois* linguà vulgari ſine littera ſ: malè Vignerius, Chiffletius, aliique noſtræ ætatis viri *Latiſcenſem pagum*, & *Archidiaconatum Latiſcenſem* nominant, & *Latiſconem* in Vita S. Lupi memoratum, caſtrum montanum Diœceſeos Tricaſſinæ, pro capite habuiſſe aſſerunt. Ex quibus Chiffletius ait Comitatum quidem Aleſienſem *Auxois* vel *l'Auxois* ſcribi oportere: at pagum Comitatumve Laticenſem *Laiſſois*: quod falſum eſt. Nam pagus Aleſienſis vulgo & *l'Auxois* & *l'Auſſois* dicitur: pagus Laticenſis ſemper *Lacois* aut *Lecois*.

Epiſcopi Lingonicæ Eccleſiæ magni olim ac potentes fuerunt. Ab Epiſcopo Lingonico Odo Comes Nivernenſis & Ternodorenſis Comitatum Ternodorenſem tenuit, & poſt eum Margareta Regina Siciliæ, Karoli uxor: Hugo Dux Burgundiæ beneficio Antiſtitis Lingonenſis poſſedit partem Caſtellionis ad Sequanam, ac Montiſbarri, Griſolias, & cuſtodiam Pulteriarum Monaſterij; Reges Navarræ, Comites Campaniæ Barrum utrumque cum ad Sequanam tum ad Albam, Firmitatem ad Albam, Calvum montem, Novigentum in Baſſineio, *Noigent*, Montiniacum in Baſſincio *Montignei* vel *Montigny ſur Vigenne*, & cuſtodiam Moliſmi: itave Reges ac Duces (ut vulgari utar verbo) homines ligij poſt Regem Francorum eſſent domini Lingonenſis Epiſcopi.

Quando Comes factus ſit Lingonicus Epiſcopus, ſeu quo tempore Comitatum urbis Lingonum obtinuerit, alibi notavimus: quando *Dux* vocari cœperit ac *Par Franciæ*, incertum eſt. Philippus Valeſius Rex Francorum anno MCCCXXXIX. in litteris ſuis *Johannem Lingonenſem Epiſcopum Conſiliarium ſuum* appellat, hoc eſt ni fallor, Parem. Quid enim aliud Pares fuerunt quàm Conſiliarij Regum noſtrorum & aſſeſſores? Certè in litteris anni MCCCLXVI. *Guillelmus Dei gratiâ Epiſcopus & Dux Lingonenſis*; in litteris datis anno MCCCLXXVI. Bernardus de Turre *Dei gratiâ Epiſcopus & Dux Lingonum civitatis, Eveſque & Duc de Laingres* nuncupatur, ut & in litteris anni inſequentis: at in decretis anni MCCCCXXCVII. & anni ſequentis *Epiſcopus & Dux Lingonenſis, Par Franciæ, l'Eveſque & Duc de Lengres, Per de France*. In litteris anni MCCCCXCIV. Johannes de Ambacia *Epiſcopum & Ducem Lingonum, Parem Franciæ* ſe ſimiliter vocat, idemque in litteris anni inſequentis ſine conjunctione *Epiſcopum Ducem Lingonum, Parem Franciæ* ſemel atque iterum ſe appellat, *Eveſque Duc de Lengres, Per de France*. Jacobus Vignerius in Chronico Lingonenſi ſcribit, anno MCCCLVIII. Guillelmum omnium Epiſcoporum Lingonenſium primum, *Epiſcopum & Ducem Lingonum* ſe appellaviſſe quem Ducis titulum ejus ſucceſſores poſtea avide retinuerint. Legi in Chartulario Eccleſiæ Lingonicæ ſtatutum anni MCCLXXV. XII. Parium Franciæ mentionem faciens, & Comites Ducibus præponens ex parte his verbis. *Li Contes de Flandres, li Dux de Guienne, li Dux de Bourgoigne, li Dux de Normandie, les Comtes de Toloſe, & Champaigne Pairs. Beauvez, Noyon, Chaalons, Comtes Pers. Reims, Laon, Lengres, leſquels ſont Dux. Les Contes de Bretaigne, Nevers, d'Artois, d'Anjou, de la Marche, leſquels ſont Contes plus grands aprés les Pers. Les Contes de Blois, d'Aucenrre, de Tonnerre, de Drenes, de Clermont, de S. Pol; les Seigneurs de Bourbon, de Beaieu, de Coucy.* Hoc eſt, *Comes Flandriæ, Dux Aquitaniæ, Dux Burgundiæ, Dux Normanniæ, Comites Toloſæ, & Campaniæ Pares ſunt: Epiſcopi Bellovacorum, Noviomagi, & Catalaunorum, Comites Pares: Antiſtites Remorum, Lauduni, & Lingonum, Duces ſunt.* (id eſt Duces Pares) *Comites Britanniæ, Niverni, Atrebatum, Andicavorum, Marchiæ, ſplendore & potentia ad Pares proximè accedunt: quibus adjungi poſſunt Comites Bleſenſes, Antiſſiodorenſes, Ternodorēſes, Durocaſſini, Claromontenſes, opidi S. Pauli: domini Burbonis, Belliioci, & Codiciaci.* Ex his apparet ante annos quadringentos duodecim Franciæ Pares exſtitiſſe, & Ducem Aquitaniæ antiquitatis cauſſâ tum primas inter Duces tenuiſſe, ut in conſecratione Philippi pueri ſeptennis anno MLIX. VVido Dux Aquitaniæ Hugonem, filium & legatum Ducis Burgundiæ præceſſit.

Opida, Caſtella, & Monaſteria Lingonum erant, quæ & nunc Lingonicæ Diœceſeos finibus includuntur, Caſtellio ad Sequanam, *Chaſtillon ſur Seine*, caſtrum Granceium *Grancey*, Tilicaſtrum aut Tilęcaſtrum, *Tille Chaſteau*. *Trichaſtel* & *Trichaſteau* in litteris anni MCCLXXVII. corruptè nuncupatum; Monſbarri aut Monſbarrus, *Montbar*; caſtrum Fons Vennæ ad fontem ſeu caput fluvii Vennę aliàs caſtrū Fontis Vennæ *Fonvenz*, nunc *Fouvent*; Mirabellum *Mirebel*; caſtrum Caſeolum *Choiſeul*, Belluſmons ad Vingennam flu. Auxona ad Ararim; Caſtellio item & Jonvilla ad Sauconnam vel Ararim, caſtellum Clarusmons prope Caſeolum, *Clermont*; Firmitas ſuper Armanciam vel Almantiam flu. *Armance*, villa & caſtrum in priſcis litteris dicta; Mons Salionis caſtellum *Mont Satton*, aliàs Mons Salio; Vangionis rivus, olim *Vaunnorre*, nunc *Vignorre* dictus à Vangione rivo vel amniculo locus; Borbonia nunc villa aquis ſuis nobilis, *Bourbonne*, quam Aimoinus *Vervona caſtrum ædificari cœptum* in colle, Theodeberto ac Theodorico fratri-

bus

bus apud Francos regnantibus vocat, & inter urbem Lingonum ac Tullum ponit: Monaſterium S. Sequani; Moliſmus *Moleſme*, Fons Beluæ *Beze*, loca Cœnobiis priſcis clara; Albaripa *Auberive*; Arcus ſuper Tiliam, *Arc ſur Til*; villa & caſtrum Muxeium vel Muxiacum *Muſſi l'Eveſque*; Pulteriæ *Pontieres*, Rubeuſmons, Mormentum, Melugda vel Melunda *Molome en Tonnerrois*, & Reomaus, loca Monaſteriis inſignia: Divio olim caſtrum, nunc opidum inſigne; Barrum ad Albam, Ternodorum vel Tornodorum, *Tournerre* in litteris anni MCCXCIII. nunc *Tonerre* dictum; Barrum ad Sequanam, Calvus mons in Baſſiniaco, *Chaumont en Baſſigni*, Vendopera *Vendeuvre*; Silvarubra *Srvarolle*, cella clara, ad flu. Albam in valle, Continium *Cuntini*; Firmitas ad Albam; opidum Barrum ſub Reomao in pago Ternodorenſi, *Bar ſous Reome*, cujus loci Eccleſiam Monaſterium *Reomaus*, vulgo *Monſtier S. Iean* dictum poſſidet; Firmitas ad Graonam flu. *la Ferté ſur Grone*, Claravallis, & Morimundum ad flu. Albam (*Mormond*) tres Ciſtercienſium Abbatię, ut & Criſta *la Creſte*, ac Fontanetum: quibus addi poſſunt Pontiniacum, *Pontigni*; & Prati Longi *Pralon*, ac Bel i montis *Bemont* Monaſteria Virginum: opidum Cadurcienſe vel Caturicæ *Chaource*, Caſtrum Villanum Comitatûs titulo illuſtre, in Vita S. Bernardi Claravallenſis Abbatis memoratum, *Chaſteau Villain*; Andelaum *Andelot*, opidum in Baſſiniaco, quod cum Montiniaco & Novigento vicinis locis à Ludovico XII. & Franciſco I. Francorum Regibus munitum eſt; Juliacum *Juilly*; Arbotum, Ventoſum *Ventoux*; Catennacum *Chatenay*.

Lingonibus attribuuntur pagi complures; in primis pagus Attuariorum, pagus Duſmenſis *le Dueſmois*, pagus Laticenſis *Lecois*, pagus Magnimontenſis, à veteri caſtro Magni Montis *Maimont* cognominatus; pagus Divionenſis *Digenois* olim, nunc *Dyonois*; pagus Oſcarenſis ab Oſcara fluvio nomen nactus; pagus Ternodorenſis *le Tonnerrois*; Baſſiniacum, *le Baſſigni*; pagus Portuenſis, ſi Vignerio creditur, vel Portenſis, nunc obſcurus, & pagi Barrenſes ambo, nimirum pagus Barralbenſis, & pagus Barroſequanenſis: qui pagi plerique, aut ferè omnes olim *pagi Lingonici* nomine deſignabantur.

Decani ſunt in Lingonica Eccleſia, quę B. Mammetis (*Mammes*) titulo cenſetur, Ternodorenſis, Reomenſis, S. Vinimeris, Moliſmenſis, Barroſequanenſis, Caſtellionenſis, Barralbenſis, & Calvomontenſis: Archidiaconi VI. quos in Andomatuno notavimus.

Ceterùm Geilo Lingonenſis Epiſcopus aut non ex toto Comitatum urbis ſuæ ab Carolo Craſſo anno DCCCLXXXVII. obtinuit; aut ſi obtinuit, ejus ſucceſſores eo poſtea exciderunt: ſi verum eſt quod legimus, Hugonem Ducem Burgundiæ Galterio patruo ſuo, Lingonenſi Epiſcopo, ſucceſſoribuſque ipſius Comitatum Lingonenſem quem à Guidone de Saus per commutationem acceperat, & Henrico Comiti Barri in beneficium contulerat, anno MCLXXIX. eleemoſynæ loco dediſſe: qua de re dubitare jure non poſſumus, cùm in Chartulario MS. Eccleſiæ Lingonicæ litteras Hugonis legerimus, hancce donationem continentes, quæ Jacobo Vignerio ignotæ non fuerunt. Anno MCCCXVI. in coronatione Philippi Longi Lingonenſi Epiſcopo & Duci Pari prælatus eſt Bellovacenſis Epiſcopus & Comes Par: mirum ut ſit Duci Comitem eſſe præpoſitum atque præſediſſe. Id nos docet Monachus Cœnobii S. Dionyſii, qui Chronicon Guillelmi de Nangiaco in anno MCCC. deſinens ad annum MCCCXL. uſque perduxit, hiſce verbis, *Quamvis autem eſſet diſſenſio inter Belvacenſem Epiſcopum & Lingonenſem, quis eorum in ordine ſeſſionis ratione præferri deberet Paritatis: tamen adjudicatum extitit pro Epiſcopo Belvacenſi.* Certè ſuprà obſervavi, in tabulario Lingonicæ Eccleſiæ III. *Epiſcopos Comites Pares* III. *Epiſcopis Ducibus Paribus* anteponi.

LINLO.

In litteris anno MCXXIV. datis memoratur *Linlo*: qui vicus ad Scaldim Andoverpo proximus eſt, nunc magna ex parte aquis obrutus, hodieque nomen retinens. Dicitur enim *Lillo*, littera n in l mutata: ut ex unicorne licornem fecimus, ex nanpreda lampredam, ex caſtro Nantonis caſtrum Landonis. Burchardus Camaracenſis Epiſcopus *Eccleſiam S. Michaëlis quæ eſt Antuerpiæ, cum Capella S. VValburgis quæ eſt in eodem burgo, & Capella de Linlo, ad uſus Canonicorum in ea ſervientium manumiſit* anno MCXXIV.

LIPTINÆ.

Liptinæ Palatium olim fuere, aut villa Regia in pago Camaracenſi, vulgò *Leſtines*: à quibus Synodus Liptinenſis, habita ſub Garolomanno Majore domus Regiæ anno DCCXLIII. Kal. Martiis. Ejus villæ publicæ nomen ac reliquiæ ſuperſunt non procul à Binchio Hainoi opido, ut quidam aiunt. Litteræ anno MCXCV. datæ *Leſtinas* non ſemel vocant. Eſt & vicus *Lepteim* inter Landinum vel Landas & Geldoniam poſitus, quem quidam *Liptinas* eſſe falsò malunt.

LIRA.

Caſtellum Lira ab Orderico Vitale in libro XII. Hiſtoriæ memoratur, vulgò *Lire* hodieque dictum. Quod eſt caſtellum ad flumen Riſelam in finibus Aulercorum Eburovicum, veteri Cœnobio Monachorum Benedicti ſtatuta ſequentium illuſtre.

LISGA SILVA.

Liſga in Capitulis Imperat. Caroli Calvi apud Cariſiacum anno DCCCLXXVII. conſtitutis memoratur, numeraturque inter ſilvas Dominicas, quas tum vulgò Francico ſeu Germanico vocabulo Foreſtes Regias vel Dominicas appellabant. *In Liſga filius noſter porcos tantùm accipiat*, id eſt apros: *ſingulares*, aut *porcos ſingulares* Noſtri vocitant *Sangliers*. In Vita MS. S. Drauſii Sueſſionenſis Epiſcopi *Liſica* appellatur hæc ſilva: in qua locum Rotundas ad Axonam, à civitate Sueſſionis

CXLIV. ſtadiis diſtantem, & Monaſterium à Drauſio ibi ſtructum deſcribens Auctor vetus ſic loquitur. *Eſt verò locus denſiſſimus ſaltibus* (Cotia & Liſga) *altrinſecus ſtipatus: qui videtur in ſaltibus. Cotia videlicet & Liſica, quaſi occultatus hominum obtutibus. Liſicam*, aut *Liſgam* obſervo nunc dici *Leſgue*, aut *la foreſt de Leſgue*.

LITANOBRIGA.

Litanobriga nomen loci Gallicum eſt, compoſitum ex *Litano*, & *briga* quod pontem ſignificat. *Litani* ſignificationem ignoro, quod vocabulum in compoſito nomine illuſtris viri Vergobreti Æduorum *Convictolitanis* apud Cæſarem agnoſco. *Litanobrigæ* meminit Æthicus in Itinerario provinciarum, in itinere à Samarabriva Sueſſonas ſic. *Curmiliaca* M. P. XI. *Cæſaromago* M. P. XIII. *Litanobriga* M. P. XVIII. *Auguſtomago* M. P. III. *Sueſſonas* M. P. XII. *Litanobrigam*, vel ut in quibuſdam codicibus ſcriptum reperitur *Latinobrigam* & *Latanobrigam* inter Cæſaromagum Bellovacorum (*Beauvais*) & Auguſtomagum (vulgò *Senlis*) Cluverius in Antiqua Germania interpretatur Vernoilum ad Iſaram, *Verneuil* admodum veriſimiliter. Ceterùm ſi *brigam* pontem interpretemur, *brigam* idem eſſe quod *brivam* & *briam* apud Gallos exiſtimare debemus. Erunt forſitan aliqui, qui Brigam montem eſſe malint: cùm apud Germanos Gallis confines mons etiamnum *Bergen* & *Berg* nuncupetur nomine, ut videtur, à briga deducto. Noſtri *Bergue*, interdum & *Berge* pronuntiant.

LOGIUM SILVA.

In Vita S. Læti (*S. Lié*) legimus, Lætum *in loco Inatoria trans Ligerim, longè à civitate Aurelianis, in ſilva quam Logium incolæ vocant*, exiguo ſtructo tugurio ſolitariam vitam egiſſe. Ea ſilva *Logium* vulgò dicitur *la foreſt aux Loges*, uti aiunt. Ejus meminiſſe animadverto & Fulbertum Carnutenſem Epiſcopum in epiſtola CII. ad Ducem Aquitanorum Guillelmum. *Rex proximo rugitu ut dicitur venire habet in ſilvam Legium, quæ vicina eſt, ut ſcitis, Monaſterio S. Benedicti*. Ergo ſilva *Legium*, vel potiùs *Logium* proxima erat Monaſterio S. Benedicti ſeu Floriaco ad Ligerim flumen. *Rugitum* vocat Fulbertus tempus quo cervi feminas ſectantur, & earum deſiderio rugiunt. In Annalibus Bertinianis hæc legimus. Anno DCCCLXIV. *Hludovvicus Italiæ Imperator nominatus, à cervo quem in rugitu poſitum ſagittare voluit, graviſſimè vulneratur*: in rugitu, *en rut*. Quæ Annalium verba deſcripſiſſe, ac Ægidio Menagio miſiſſe, Origines linguæ Franciæ publicanti memini, ſimulque monuiſſe à rugitu *rut* noſtrum deduci oportere. Hiſce addo titulum CIV. legis Langobardorum, qualis ab Heroldo edita eſt. *Si quis cervum domeſticum, qui in tempore ſuo rugire ſolet, intricaverit, componat domino ejus ſolidos XII.*

LOMENSIS PAGUS, QUI ET LOSSENSIS.

Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, quæ & in Annalibus Bertinianis, & in Capitulis Caroli Calvi reperitur, *Lomenſem* pagum commemorat, & inter Hainoum atque Haſbanium collocat hiſce verbis. *Hainoum, Lomenſem, in Haſbanio Comitatus IV.* Idem Carolus Francorum Rex in litteris datis XII. Kal. Maii Indictione V. anno XXXII. regni, & in ſucceſſione Hlotharii anno III. *Cubinium in pago Laumenſe* præter cetera Sancti Germanenſibus delegat. *Villam Covinium in pago Laumenſe* ponit auctor incertus, ſed vetertimus libelli de tranſlatione S. Germani. *Pagus* iſte *Laumēſis*, idem eſt haud dubiè qui *Lomenſis*. Ludovicus vel Hlodovicus Rex, Arnulfi Imper. Aug. filius *pagum & Comitatum Lummenſem* appellat, in litteris datis Aquiſgrani anno J. D. DCCCCVIII. eique pago Foſſas (*Foſſes*) in Diœceſi Leodicenſi opidum ac Monaſterium attribuit. *Abbatiam* (inquit) *Foſſas in pago ac Comitatu Lummenſi conſtitutam, cujus nunc eſt Comes Berengarius. Pagum Lomacum* vocat liber de Miraculis S. Forannani Abbatis, & *villæ Calvimontis in pago Lomaco* meminit. *Pagum Lomacenſem* quidam eum nuncupavere, & Bronium villam caſtro Namucenſi propinquam Monaſterioque illuſtrem eidem aſſignavere. Certè Heinricus cognomine Auceps in litteris quibus fundationem cœnobii Bronii confirmat, datis anno D. J. DCCCCXXXII. ait *Gerardum venerab. Abbatem cœnobium ex hereditatis ſuæ proprio in pago Lomacenſi, in loco qui dicitur Bronium, conſtruxiſſe in honore S. Petri: locum autem illum conſiſtere in vicinia caſtri Namucenſis*: à quo Gerardo viro nobiliſſimo, loci domino & Monaſterii conditore ibi ſepulto, villa & Abbatia Bronienſis S. Gerardi nomen accepit, ac *Brugue* etiam veteri vocabulo appellatur.

Laumenſem ſeu *Lomenſem*, vel *Lummenſem* pagum, aliàs & *Lomacenſem*, vel *Lomacum*, nunc eſſe partem magnam Comitatûs Namucenſis; & Comitem Lomenſem, eumdem eſſe ac Namucenſem Miræus aliique ſcribunt. Quos equidem planè falli exiſtimo, cùm in Chronici Monaſterii S. Trudonis libro XI. alibique à *Namucenſibus Comitibus Loſſenſes Comites* diſertè diſtingui reperiam, & *Namurcenſem Comitem Godefridum* à *Comite Arnulfo de Los*, ſeu ab Arnulfo Comite Loſſenſi.

Pagus & Comitatus *Laumenſis* vel *Lomenſis*, à recentioribus ſcriptoribus (uti arbitror) appellari cœptus eſt pagus vel Comitatus *Loſſenſis*: *Loon* vel *Loen* Flandrenſibus, incolis *Lon*, Noſtris *Los* dictus, quem Epiſcopus Leodicenſis poſſidet: in quo eſt opidum Loſſenſe, *Borck-loon* ſive *Borchloen* vulgò dictum, inter Tungros & Monaſterium S. Trudonis poſitum in Diœceſi Leodicenſi. *Ludovici Comitis de Los* ad Ludovicum Regem Francorum ejus nominis VII. epiſtolam legimus, ante annos D. datam. Rodulfus qui Chronicon Monaſterii S. Trudonis circa annum MCXX. compoſuit, *Comitem Arnulfum de Los* non

ſemel commemorat; ſed eumdem *Lomenſem Comitem Arnulfum* in libro VII. Chronici vocat, *Loenſem Comitem Arnulfum* in libro XI. ita ut pagum Lomenſem & Loſſenſem unum eumdemque eſſe, apertè indicare videatur.

Pago igitur Lomenſi vel Loſſenſi nomen dedit opidum *Los*, ejus pagi Comitatuſque caput, *Borchloen* vel *Borchloen* vulgò nuncupatum: quod olim *Laumum* & *Lomum*. *Lummum* quoque, ac nonnumquam *Lomacum* dictum eſſe, ac poſtea *Loſſenſe* vel *Los*, item *Locum* nuncupatum exſtitiſſe, ex variis pagi ipſius Comitatuſque cujus caput fuit nominibus apertiſſimè intelligitur. Hoc opidum memoratur in Chronici Trudoniani libro XII. his verbis. *Navis ſuppoſitis rotis vehibilis ſuper terram, injectis funibus textorum humeris ex villa Inda Aquiſgranum tracta, inde à textoribus Trajectum eſt provecta: ibi malo veloque inſignita, Tungris eſt inducta, de Tungris Los.* Et paullo infrà hęc de ea navi ſequuntur. *Illud ſimulacrum Loci morabatur*; id eſt in *opido Loſſenſi* ſeu *Loco*.

LONGA VILLA.

Ad Sedam flumen, *la See*, eſt Longavilla, *Longueville*, in Caletis & Rotomagenſi Diœceſi, ab urbe Rotomago VII leugis diſtans, vetere Eccleſiâ Sanctæ Fidis quæ eſt cella ſive Prioratus Benedictinorum, ac Ducatus titulo inſignis; in veteribus tabulis ejus regionis non rarò occurrens. Longavilla autem dicta eſt quaſi longus vicus. Nam *vicus* & *villa* Noſtris, & Latinis etiam ſcriptoribus ante annos MCC. una eademque res eſt. *Longavilla* porrò nuncupata, ut *Longus Campus* cùm prope Luteciam tum in Andicavis, *Longus Pons*, *Longus Vicus* in Lotharingia, aliaque loca. Eſt & *Longavilla* in Campania Remenſi, ac *pago Porcenſi*, quæ inter villas ad Remenſe Monaſterium S. Remigii pertinentes numeratur in MS. codice de reditibus & decimis ejus Monaſterii. Alia item *Longavilla*, *Longueville* in ſaltu pagoque Briegio, inter Pruvinum & Braium Sequanæ adpoſitum: necnon Longavilla, *Longeville*, in pago Tardanenſi.

LONGILEDIUM.

Privilegio Theoderici Carnutenſis Epiſcopi, pro Monaſterio Vindocinenſi die Dedicationis Baſilicæ ejus ſcripto, & poſito ſuper altare, præter Epiſcopos & Clericos ſubſcripſit VIII. inter Abbates loco *Hugo Longiledii Abbas*. *Longiledium* iſtud, *Longiledum* aliis dicitur, vulgò *Loulay*: quæ eſt Abbatia in Cenomanorum finibus, non procul à caſtro Damnifrontenſi in Paſſeio.

LONGOLARIUM.

Longolarium vel *Longlare* villa erat Regia in ſilva Arduenna ſita, in Geſtis Francorum Dagobertique, & à Reginone Sigebertoque memorata; ubi Regem Pippinum bis hiemaviſſe noſtri Hiſtorici ſcribunt: quam villam Aimoinus cùm ignoraret, ridiculè mutavit in ſilvam, & Chlotharium venationis cauſsâ Longolariam ſilvam petiiſſe tradidit. Longolarium iſtud aut Longlare, nunc (ut exiſtimo) vocatur truncato nomine *Galre*: qui eſt vicus in Diœceſi Leodicenſi, ac in ſilva Arduenna non procul à Monaſterio S. Huberti.

LONGORETUM.

Saltus Brionis in confinio Turonum ac Biturigum Cuborum, quorum Diœceſi attribuitur, aliàs *Briona* dicitur, vulgò *Brenne*, pagoque circumjacenti nomen ſuum dedit, continetque præ ceteris *locum qui Millepecus dicitur*, *Meanbec*; *fluvium Claſiam*, *la Claiſe*; & *prædium Longoretum*, *Lonrey*, ubi Sigirannus Monaſterium exſtruxit: à quo locus nomen accepit, & pro *Longoreto* dici cœpit *Monaſterium S. Sigiranni in Brionis ſaltu* vel in Briona, *S. Siran en Brenne*. Hoc Cœnobium eſt ad fluvium Claſiam, *Claiſe*: qui Claſia alluit Vendopetam *Vandeuvre*; Barram, Macerias in Briona, *Mezeires en Brene*; Longoretum, vel S. Sigiranni Cœnobium in Briona, *S. Siran en Brene*; S. Michaëlem in Brionis ſaltu, *S. Michel en Brenne*; Blironem *le Bliron*, Boſciacum *Boſſay*, Priulliacum *Priülly*, ac demum decurrit in Croſam.

Eſt & *Longum Rete* vel *Longoretum* locus in Diœceſi Autiſſiodorenſi non procul à Ligere, nomen à ſitu nanctus, & *Longret* vulgò dictus: inſignis veteri Monaſterio Longoretenſi: de quo in Geſtis Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, præſertim in Tetrico fit mentio, quod nunc collegium Canonicorum Sæcularium eſt.

LONGUS VICUS.

Longus vicus à re nomen Latinum habet, vulgò *Long VVi*. Abeſt à Satanaco caſtello Longus vicus millibus paſſuum circiter XXIV. propinquus eſt Orolauno & Luciliburgo. Longovicani unà cum Satanacenſibus & cum tota Verodunenſi Diœceſi IV. Nonas Septembreis diem feſtum B. Dagoberti celebrant, ejuſque loci Eccleſia S. Dagoberti nomine Reliquiiſque cenſetur.

LOTHARII REGNUM SEU LOTHARINGIA, ET DE UTROQUE DUCATU LOTHARINGIÆ.

Anno DCCCXLIII. Ludovici Aug. filii tres Regna patria inter ſe diviſere. Et Ludovicus quidem totam Germaniam cum Baioaria atque Pannonia, cis Rhenum Nemetas, Vangionas, & Mogontiacum propter vini copiam accepit; cetera uſque ad Hiſpaniam Carolo ceſſere: Lotharius verò maximus natu, quem pater Langobardorum Regno urbique Romæ præpoſuerat, & Imperatorii nominis conſortem fecerat, medium inter ambos Regnum obtinuit, nimirum quidquid hinc Rheno & Alpibus, inde Carbonariis, aut Scaldi, Moſa, Arari, Rhodanoque uſque ad mare Gallicum continetur, unà cum Comitatibus & villis publicis, utrique eorum fluminum ripæ adjacentibus: quibus terminis Auſtria, & pars major Burgundię,

ac Provincia includuntur. Poſtea anno DCCCLV. Lotharius Aug. Lothario uni è filiis *Regnum* quod *Lotharii* ab ipſo dictum eſt; Carolo Provinciam cum Ducatu Lugdunenſi moriens dedit; Ludovico natu maximo, quem in Imperii conſortionem receperat, Regnum Langobardorum & Romam cum Ducatu Romano reliquit. Regino, Annales Mettenſes, ac Sigebertus, multique alii Annalium Chronicorumque ſcriptores *Regnum Lotharii* à Lothario Aug. nomen accepiſſe, falsò affirmant. Quippe Imperator Lotharius trans Alpes Regnum Langobardorum ſive Langobardiam, partem Italiæ non cõtemnendam, Romam, Ducatumque Romanum, citra Alpes Auſtriam, ac vetus Regnum Burgundiæ ferè totum, urbe Lingonum, Auguſtoduno & Niverno exceptis, Provinciamque poſt patris mortem obtinuit. Quare tria Regna quibus potiebatur, magis quàm unum tantummodò è tribus illis Regnis, communi nomine *Regnum Lotharii* dici potuerunt atque debuerunt: quod tum minimè factum eſſe conſtat. Itaque à Rege Lothario Imperatoris Lotharii filio *Regnum Lotharii* cognominatum puto, qui unus unum atque unicum Regnum illud habuit, atque quamdiu patri ſuperfuit, nimirum per annos XIV. ibi regnavit, uti poſtea Zuentibaldus Arnulfi è concubina filius per ſexennium, qui anno DCCCC. à ſuis in prœlio interfectus eſt. Certè ne quis dubitationi locus relinquatur, in Capitulis Caroli Calvi reperio pactionem inter Reges Ludovicum & Carolum fratres anno DCCCLXX. factam, in qua *Regnum Hlotharii Regis* ſemel atque iterum vocatur, & in Diviſione Regni Lotharii, inter eoſdem Reges eodem anno facta *Regnum quod Hlotharius habuit.* In Annalibus quoque Bertinianis *Regnum Lotharii Regis* nuncupatur, necnon *Regnum quod Lotharius habuit:* quod *Regnum Lotharii Aug.* aut *Lotharii Imperatoris* appellari debuit, ſi ab eo, non autem ab ejus filio Rege nomen accepiſſet. VVitichindus quum in libro I. Regnum Lotharii ſeu Lotharingiam *regionem Lothariorum* vocat, & Regnum Francorum Occidentalium *regionem Caroli*; haud dubiè Lotharingiam ab ambobus Lothariis, patre & filio, *regionem* autem *Caroli* à Carolo Calvo cognominatam eſſe exiſtimavit.

Continebat Regnum Lotharii civitates claras, Trajectum inferius vel Batavorum, Coloniam Agrippinam, & Tungros, ſeu provinciam Germaniam ſecundam; Treviros, Mediomatricos, uti antea Regum Auſtriæ ſedem, ſic tum Regni Lotharii caput, Tullum, Verodunum, id eſt provinciam Belgicam primam; Camaracum urbem Belgicæ ſecundæ; Argentoratum ſeu Stratæburgum in Germania prima; Veſontionem, Baſiliam, Lauſanam, Belicam, hoc eſt provinciam Maximam Sequanorum; Darantaſiam ac Sedunos, ſive provinciam Alpium Graiarum & Penninarum; & Genevam in provincia Viennenſi: ex quibus poſtea Genevam, Lauſanam & Sedunos Imperatori Ludovico, majori fratri ſuo; Carolo minori fratri, Provinciæ Regi Darantaſiam & Belicam ſive Biliſium Lotharius Rex dedit, ut Annales Bertiniani docent. Ideo in Diviſione Regni Lotharii, anno DCCCLXX. facta, hæ quinque civitates minimè commemorantur, quoniam ad Ludovicum Auguſtum Regis Lotharii fratrem tres priores donatione ipſius Lotharii, duæ poſteriores morte Caroli Provinciæ Reguli pridem pertinebant. Lugdunum, & Vienna, Vivaria ſive Alba Helviorum, atque Uceria in eadem Diviſione Regni Lotharii inſuper memorantur. Sed quatuor hæ urbes Regis quidem Lotharii fuerunt; Regni tamen Lotharii non fuerunt: cùm anno DCCCLXIII. mortuo Carolo Rege Provinciæ, fratre ſuo, & diviſione Regni ipſius cum fratre Ludovico Aug. factâ, eas acceperit. Ab Oceano igitur Britannico ſive ab oſtiis Rheni uſque ad Alpes Graias atque Penninas *Regnum Lotharii* longe lateque pertinebat: ibique erant præ ceteris Comitatus Teſtrebantum, Batua vel Comitatus Batavorum, Hattuariæ, Moſanus pagus, ſuperior & inferior, Maſau vulgò tum dictus Ripariæ, corrupto nomine Ribuariç nuncupatæ, Varaſci, Eliſatia, Friſiæ, Comitatus Moſel'enſis, Comitatus Arduennenſium, Comitatus Condruſtus, Comitatus Toxandrius, Bracbantum IV. Comitatus complectens, Hainoum vel Hainaum, pagus Lomenſis, pagus Haſbanius, quatuor Comitatus continens, Vautenſis duos, atque Caſtritium, ſicut docet toties ſuprà laudata Diviſio Regni Lotharii: ex quibus, antequàm ibi Regnum fieret, quatuor Ducatus fuerant, nimirum *Ducatus Moſellicorum*, *Ripariorum*, *Eliſatia*, *Friſia*: quemadmodum Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXIX. teſtantur. Ex quo apparet Lotharii Regnum non Auſtriam modò, quæ Rheno ac Scaldi Moſaque fluminibus claudebatur, ſed etiam partem non modicam veteris Regni Burgundiç videlicet provinciam Maximam Sequanorum & Helvetiorum, apud quos pagus Tigurinus Auſtriæ olim adſcribebatur; Aleſatiam, Auſtriæ quondam per annos ferè centum portionem, jam inde ab anno DCIX Burgundiæ attributam, provinciam Alpium Graiarum & Penninarum, & Genevam pagumque Genevenſem complexum eſſe. Et Sequani quidẽ ac Helvetii anno DCCCXCVIII. Regno Lotharii detracti, ac Burgundiæ ſuç ſunt redditi, & his in partibus circa Juram atque Alpes Penninas novum Burgundiç Regnum priore multo anguſtius eſt conditum: duæ Sequanorũ urbes Lauſana & Belica cum Geneva provinciç Viennenſis urbe, necnon Alpium Graiarum metropolis Darantaſia, & civitas Sedunum donatione Regis ipſius Lotharii (uti ſuprà diximus) à Lotharingia ſeparatç, & Burgundiç reſtitutç fuerunt. Sigebertus in Chronico ab anno DCCCL. ad annum MCXII. *in Regno Lotharii*, quod modò *Regnum Lotharingia*, modò idque ſæpiùs *Lotharingiam* appellat, ponit *Comitatum Mentenſem*, aliàs *Comitatum Hagnoenſium* & *Hagionenſium* eidem dictum; *Ducatum Moſellanorum*; *Comitatum Lovanienſem*, *Comitatum Trevirorum*, *Comitatum Namucenſem*, *Comitatum Lemburgenſem*, & quem nomine totius Regni *Ducatum Lotharingia*

appellat : in anno DCCCCXLI. Lotharingiæ *Alſatiam* adſcribit; in anno MVII. *VValachras*. Quibus poſtea Comitatus Hollandiæ & Zelandiæ, Ducatus Clivenſis, Gelrenſis, ac Juliacenſis ex Comitatibus facti, Ducatus Brabantię, Ducatus etiam Luciliburgenſis accreverunt.

Sigebertus Regno Lotharii, quod *Lotharingiam* ſemper appellat, adſcribit *Leodicum* & *Epiſcopatum Leodicenſem*, *Hoium opidum*, *Gemmelacenſe* vel Gemblacenſe *Cœnobium* & *opidum*, *Capramontem*, *Mettenſem Epiſcopatum* cum urbe Mettis, quam *Mettim urbem* vocat; *opidum Aquaſgrani* palatio celebre, quam *ſedem Regni Lotharii* fuiſſe Annales Mettenſes in anno DCCCLXIX. docent; *urbem Virdunum*, quæ *civitas Lotharingiorum* eſſe dicitur in Vita S. Bernardi; *Lobias* vel Laubias, *Vultrajectum*, ſeu Trajectum inferius, Epiſcopi ſedem. In anno MVI. *caſtrum Valentianas, ſitum in Marcha Franciæ & Lotharingiæ* nuncupat Sigebertus, Lotharingiæque contribuit, quod anno MVII. Balduino Flandrenſium Comiti Henricus ejus nominis primus Imperator beneficii loco conceſſit. Idem *Montem Caſtrilocum* in Lotharingia collocat, qui *Mons* parvo monti impoſitus cum Valentianis Hainoo continetur. Ibidem collocat *Stabulaus Monaſterium*, & *Augiam*, & *urbem Leucorum Tullum*, & *Barrum caſtrum*, nunc Ducatus titulo illuſtre, & *Andoverpum*, & *Coloniam*, quam Hermannus Monachus in libri III. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis capite II. de Norberto referens, *Lotharingiæ* ſimiliter accenſet. Anſelmus Abbas Gemblacenſis *Lotharingiam* à *Francia* diſtinguit, eique exemplo Sigeberti *Leodium* tribuit. Sigebertus Chronographus in anno MXXXIII. ſcribit, *Gerardum Cameracenſem Epiſcopum, ſolum Lotharienſium ad parœciam Francorum appendere*: propterea quòd Camaracum civitas Regni Lotharii, provinciæ Belgicæ ſecundę ſeu Remenſi, quę Francicę ditionis erat, attribuebatur, nec ulla alia Lotharingię urbs Epiſcopalis poterat reperiri, quę ad ullam Regni Francorum Occidentalium provinciam Metropolimque pertineret. *Barrum* quidem *Lotharingiæ caſtrum* exemplo Sigeberti vocat Guillelmus de Nangiaco in Chronici anno MCCXCIV.

Auctor Annalium Mettenſium in anno DCCCLXV. & DCCCLXVI. Regnum Lotharii modò *Galliam*, modò *Franciam* improprio & nimis latę ſignificationis nomine appellat; *Franciam* & Annales Bertiniani, quum anno DCCCLVI. *Lotharium Regem Franciæ* à Proceribus *conſtitutum* aiunt, ac ibidem *Ludovicum Imperatorem Italiæ, & Lotharium fratrem ejus, Regem Franciæ* nuncupant; & anno DCCCLV. Lotharium Imperatorem morientem ita inter filios Regnum diviſiſſe produnt, ut unus de tribus Lotharius *Franciam obtineret*. Quibus ab auctoribus *Galliam* pro Gallia Belgica, *Franciam* pro Franciâ Orientali vel Auſtriâ accipi apparet; quam à Noſtris nonnumquam *Franciam* abſolutè dictam eſſe, alibi obſervavi. Sic & Otto Friſingenſis Epiſcopus in libri VI. Chronicorum capite XVIII. *Belgicam Galliam*, & abſolutè *Belgicam* nuncupat Regnum Lotharii, propterea quòd Belgica prima tota, Camaracum Belgicę ſecundę civitas, Germania ſecunda integra, & pars Germanię primę, ac Maxima Sequanorum, id eſt de quinque Belgarum provinciis tres totę, duę ex parte eo Regno continebantur. Apud Conradum Abbatem Urſpergenſem *Giſibertus Dux Belgarum* vocatur: qui Giſlebertus Dux Lotharienſium erat, & *Belgica* Regnum Lotharii ſeu Lotharingia. Alibi invenio Imper. Lotharium, Ludovici Pii filium, cum *Regno Romanorum* & *Italia*, *partem Franciæ Orientalem totamque Provinciam accepiſſe*. Ubi nomine *partis Franciæ Orientalis* Regnum Lotharii vel Lotharingia deſignatur. *Pars* autem *Orientalis Franciæ*, ſive *Francia Orientalis* Auſtria erat. Unde & quum Guibertus Abbas Novigenti ſcribit, *Quæ olim Auſtria, nunc Lotharingia pro aliquibus accidentibus nuncupatur*, à Guiberto *Auſtriam* heic pro tota regione inter Rhenum & Scaldim ac Moſam jacente, ſive pro toto Regno Lotharii quidam accipi malunt, quàm pro Ducatu Lotharingię qualis nunc eſt. Lotharingiam latè ſumtam pro Regno Lotharii, *Regnum Germaniæ* impropriè vocat præ ceteris Gaufridus Monachus Claravallenſis in libri IV. de Vita S. Bernardi capitibus III. V. & VI. ceu partem & appendicem Regni Germaniæ. Quippe *Bobardum*, *civitatem Baſileam*, *Treveris*, *Confluentiam*, *Coloniam*, *Leodium*, & *Cameracum*; *Moguntiam* quoque, & *Spirenſium civitatem*, ſeu Nemetas in *Regno Germaniæ* ponit: quas Lotharingiæ urbes à prima Regni origine extitiſſe excepto Moguntiaco & opido Nemetum conſtat. Sed poſtquàm Regnum Lotharii & Regnum Germanię unius eſſe Principis cœpere, Caroli Craſſi & Arnulfi Principatu, Mogontiacum, licèt Francię Orientali vel Teutonicę cum Nemetis & Vangionis jamjnde ab anno DCCCXLIII. attribueretur; cum ambabus his urbibus adſcriptum eſt Lotharingię, cujus finibus includebatur. Hinc Sigebertus in Chronico *Liutpertum Moguntinum*, *Bertulfum Treverenſem*, *Vuilibertum Colonienſem*, *tres Lotharingiæ metropolitas* anno DCCCLXXI. velut per anticipationem appellavit. Nondum enim Regnum Lotharii conjunctum erat cum Regno Germanię, quod tum Ludovicus Ludovici Pii filius tenebat, cui urbes Mogontiacum, Nemetę atque Vangionę anno DCCCXLIII. fuerant contributæ. In Chronico Aquicinctenſi invenio, anno MCXCV. *multos de Regno Teutonico Lotharingos, Alemannos, Saxones cruces aſſumſiſſe*: & anno MCXCVIII. *Primates Regni Teutonici Suevos, Baioarios, Alemannos Philippum; Saxones autem & Lotharingos Ottonem Regem elegiſſe*. Gaufridus ſuprà laudatus Lotharingiam ut *Regnum Germaniæ*, ſic & *Teutonicorum regionem* nuncupat, quòd ejus incolę plerique linguâ Germanicâ ſeu Teutonicâ uterentur. Ita & Otto Friſingenſis Epiſcopus in Chronicorum libri VI. capite IX. *Regno Teutonico* ſeu Regno Germanię, quod & *Franciam Orientalem* vocat, non Germanię modò Tranſrhenanę provincias; ſed etiam Lotharingiam

contribuit his verbis, *Arnolfus totam Orientalem Franciam, quæ modò Teutonicum Regnum vocatur, id eſt Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Turingiam, Friſiam, Lotharingiam rexit.* VVillelmus quoque Malmeſburienſis de Geſtis Regum Anglorum, quum ſcribit, *Lotharingos, Alamannos, & ceteros Transrhenanos populos, qui Imperatori Teutonicorum ſubjecti ſunt, magis propriè ſe Francos appellari jubere:* apertè indicat Lotharingos, Alamannos & ceteros Germaniæ populos eumdem Regem habuiſſe, & Regnum Lotharingiæ cum Regno Germaniæ fuiſſe conjunctum. Annales Fuldenſes in rebus anni DCCCXCI. *Regnum Lotharicum*; Frodoardus *Regnum Lotharienſe*; ceteri modò *Regnum Lotharii*, modò *Lotharingiam* à Rege Lothario appellant; ejus incolas nunc *Lotharienſes*, nunc *Lotharingos*. Primus omnium, aut unus è primis Liutprandus ante annos ſeptingentos *Lotharingiæ* & *Lotharingorum* nomina uſurpavit, cùm tamen *Regnum Lotharii* etiam vocet. Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum quod ante annos CCCLX compoſuit, regionem inter Scaldim & Rhenum ab Imper. Lothario Ludovici Pii filio *Lotharingiam*, ſive *Lotharii Regnum* Latinè cognominatam eſſe ait, *Gallicè Loherregne.* Noſtri poſtea pro *Loherregne Lorrene* & *Lorraine* dixere. Germani *Lotringen*, aliàs *Lotharing* appellavere, nomine ex *Lotharingia* deducto. *Lotharingos* Noſtri olim *Loherencs* vocavere; nunc *Lorrains* vocant; uti *Flamingos* ſeu Flandrenſes *Flamencs* olim nuncupavere, nunc *Flamans* nuncupant. Apud veterem Monachū Corbeienſem de v. deſtructionibus Corbeiæ, atque alibi *Loherenc* nomen Gentis reperio; in Chartulario Fiſcamnenſi *Rogerus Flamenc* ante annos CCCC. memoratur, id eſt Rogerus Flamingus. Garinus *le Loherenc*, id eſt Lotharingus, Poëta carmen fabuloſum ſcripſit. Theodoricus de Niem in elogio Ottonis Magni *Lotharingiam tunc tertiam partem Franciæ* fuiſſe, Orientalis videlicet aſſerit.

Poſt mortem Ludovici Regis Germaniæ, qui Zuentibaldo fratri in Regnum Lotharii ſucceſſerat, ſeu poſt annum DCCCCXII. Lotharingiæ, nondum in duos Ducatus diviſæ Duces præfuere, Giſilbertus, vel Giſlebertus, pòſt Heinricus Ottonis Regis frater, tum Otto, dein Conradus gener Regis Ottonis: ac poſt Conradum propter defectionem deſtitutum, Bruno Regis Ottonis frater, Colonienſis Archiepiſcopus, Ducatum Lotharienſium adeptus eſt, & ſecundas partes in Regno fratris ſui potenter ac induſtrie adminiſtravit, *Archidux Lotharingiæ* ob id à Sigeberto dictus.

In Regno Lotharii vel Lotharingia duo præ ceteris Ducatus maximi & nobiliſſimi fuere, nomine totius Regni & ipſi *Lotharingiæ* appellati, atque à ſitu & fluminibus cognominati. Alterum Ducatum *Lotharingiam ſuperiorem*, necnon *Lotharingiam Moſellanam*; alterum *Lotharingiam inferiorem*, atque etiam *Lotharingiam Moſanam* nuncupavere. Prior *Ducatus Moſellanorum* ſemper vocatur à Sigeberto, à VVippone *Ducatus Lotharingorum*; poſterior à VVippone *Ducatus Ribuariorum*, id eſt Ripariorum, à Sigeberto ſemper *Ducatus Lotharingiæ* appellatur. Ex quo judicari poteſt, ambos iſtos Ducatus in Regno Lotharii, poſt domeſticorum Regum obitum Lotharii ac Zuentibaldi, non tam primùm conſtitutos quàm reſtitutos fuiſſe, ac veluti revixiſſe. Quippe *Ducatus Moſellicorum*, & *Ducatus Ribuariorum* in Annalibus Bertinianis anno DCCCXXXIX. fit mentio: quo tempore Ludovicus Pius Aug. Imperatoris Lotharii pater, Regis Lotharii avus apud Francos regnabat.

Ducatum Lotharingiæ ſuperioris VVippo de Vita Chunradi Salici *Lotharingorum Ducatum* ceu proprio nomine nuncupat, ut ſuprà diximus; Sigebertus à flumine cui eſt appoſitus, *Ducatum Moſellanorum* appellare conſuevit. Qui Sigeberti Chronicon attentè perlegerit, hoc ſtatim mecum agnoſcet. Certè VVippo non aliter quàm *Lotharingorum Ducem Fridericum*, non aliter quàm *Ribuariorum Ducem Gozelonem* nominat: ex quibus Fridericum Ducatui Lotharingiæ ſuperioris, Gozelonem Ducatui Lotharingiæ inferioris, ac poſtea ſimul ſuperioris præfuiſſe conſtat. Sigebertus Fridericum hunc *Moſellanorum Ducem*; Gozelonem vel *Gothelonem Ducem Lotharingiæ* ubique vocat: quem *Friderico mortuo, ab Imper. Conrado etiam Moſellanorum Ducatum* anno MXXXIV. *impetraviſſe* ſcribit: minùs ut mirum ſit, Gothelonem qui ambos Lotharingiæ Ducatus obtinuit, alterum annis XXVI. alterum X. ab VVippone nunc *Ribuariorum Ducem* nomine prioris Ducatus ſui, nunc *Ducem Lotharingorum* nomine ejus quem poſteriorem obtinuit, nuncupari. Fridericum à Brunone Lotharingiæ Archiduce primum Moſellanorum Ducem anno DCCCCLIX factum eſſe prodit Miræus, ejuſque rei auctorem Frodoardum laudat: apud quem tantum dicitur Bruno *anno* DCCCCLIX. *Fredericum*, fratrem Adalberonis Mettenſis Epiſcopi, Hugonis Principis generum, ex Comite *Lotharienſibus vice ſua præfeciſſe*: quem & *Fredericum Lotharienſium Ducem* in anno DCCCCLX. appellat; *Fridericum Galliæ Medianæ Ducem* Vita Adalberonis junioris, ejus filii, Mettenſium Epiſcopi: itaut totam Lotharingiam, an partem ejus ſub Brunone rexerit, incertum ſit. Ducatum Moſellanorum anno MXLVIII. ab Imper. Heinrico obtinuit *Gerardus de Alſatia*, ut Sigebertus tradit, à quo Lotharingiæ Duces genus deducunt. Sedes Ducum Moſellanorum ante annos minimùm CCCLX. Nanceium fuit: unde etiam pro *Ducatu Moſellanorum* vel *Ducatu Lotharingiæ Ducatus Nanceij* vocitabatur. Id nos docet Johannes Pariſienſis in Memoriali, qui ex uno Ducatu magno errore duos facit, *Ducatum Nanceij*, & *Ducatum Moſellanorum* his verbis. *Solebat à Brachantia uſque ad Rhenum, & à finibus Campaniæ Gallicæ uſque ad Leodium Lotharingia dici, continens quatuor Ducatus, ſcilicet Brachantiæ, Lovanij, Nanceij & Moſellanorum, Comitatuſque plures. Sed nunc strictiùs ſumitur, ſcilicet à Valle coloris & à Moſa fluminis curſu verſus Franciam, uſque ad initium Diœceſis Treverenſis, continens Verdunum, Tullum, & Mettis urbes, partemque Diœce-*

ſeu Treverenſis, Leodienſis, & Remenſis, Ducatum ſcilicet Lotharingiæ ſeu Nancey, Comitatum Barri cum aliis, Hanoniam, & Arduennam. Quæ Johannis verba de finibus Lotharingiæ Moſellanæ nunc examinare mihi non vacat. Tantùm in Mettis urbe, & in Tullo ac Barro ipſum nequaquam erràſſe conſtat. Quippe Sigebertus in anno MIX. *Mettim urbem* diſertè *Ducatui Moſellanorum* attribuit; in anno MXXXVI. & inſequenti *urbem Leucorum Tullum* & *caſtrum Barrum Lotharingiæ*, videlicet Moſellanæ adſcribit. *Ducatus* quidem *Lovanij*, & *Ducatus* Braebanti vel *Brabantiæ*, haud dubiè unus idemque eſt: & qui *Comites* primùm, deinde *Duces Lovanienſes* nuncupabantur, poſtea *Duces Brabantiæ* magnificentiore nomine dici maluerunt, atque hanc Ducum Lotharingiæ titulo appellationem adjunxerunt. Ex quo apparet, Johannem de duobus Ducatibus abſurdè quatuor feciſſe. Lotharingiam Moſellanam in Septemtrionalem & Meridianam, ſive in ſuperiorem & inferiorem quædam dividunt tabulæ. Hæc Lotharingia ſuperior ſeu Moſellana à Germanis *Lotringen* vocatur, à Noſtris *Lorraine*: & ejus incolæ Lotharingi vel Lotharienſes, Noſtris *Lorrains* dicuntur: cùm ex Lotharingia *Lorrine* aut *Lorringe*, ex Lotharingis *Lorrins* ſublatâ litterâ a fieri potiùs oporteret. Nam litteram i in ai Noſtri convertere non conſueverunt. Quare cùm tam *Lotharianos* quam *Lotharienſes* & *Lotharingos* ex *Lothario* fieri lex analogiæ ſinat; facilè crediderim vulgare vocabulum *Lorrains* à *Lotharianis*, nomen *Lorraine* à *Lothariana* provincia eſſe deducendum.

Ducatus Lotharingiæ inferioris multo minùs Ducatu ſuperioris nunc notus eſt: quem quidam recentiſſimi ſcriptores à ſitu *Ducatum Moſanorum* vocitant, ut alterum *Ducatum Moſellanorum* veteres dixere. Hunc Sigebertus non aliter quàm *Ducatum Lotharingiæ* velut proprio nomine ſolet appellare: VVippo in Vita Chunradi Salici *Ribuariorum Ducatum* vocare maluit, *Lotharingorum Ducem Fridericum; Ribuariorum Ducem Gozelonem* nominans, qui tum ſolius Moſanæ vel inferioris Lotharingiæ Dux erat, ac poſtea Moſellanos etiam mortuo Friderico obtinuit. Idem VVippo ſcribit, *ex parte Germaniæ Saxones cum Sclavis, Francos Orientales, Noricos, Alamannos* ad eligendum Imperatorem *conveniſſe; de Gallia verò Francos qui ſupra Rhenum habitant, Ribuarios, Lotharingos coadunatos eſſe. Ribuarii* heic ſunt Lotharingi inferiores, qui inter Rhenum, Ruram & Moſam habitabant, circa Novelium, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Tolbiacum, Marcodurum, Juliacum & Antonnacum: quæ veterum Ripariorum ſedes erant, quos *Ripuarios* & *Ribuarios* recentiores dixere. Hæc igitur loca Ducatûs Lotharingiæ inferioris fuerunt: ad quem & opidum S. Trudonis cum Advocatia Monaſterii ejus, opidum Aquaſgrani, ubi Ducum ſedes judiciaria exſtitit, caſtellum Rode, Gemelacum vel Gemblacum veteri Monaſterio clarum, Bruceſellam, Andoverpum, Noviomagum Batavorum ad Vacalim, aliaque opida pertinuiſſe, variis ex Chronicis diſcimus. Primum Lotharingiæ inferiori ſeu Moſanæ Ducem præfuiſſe Carolum, Ludovici Tranſmarini Regis Francorum filium, Lotharii fratrem, docent hæcce verba Sigeberti. *Anno* DCCCCLXXVII. *Ducatus Lotharingiæ datur Karolo, fratri Lotharii Regis Francorum, multis inſuper conducto beneficiis, ut & ipſe ab inſolentiis deſiſtat, & fratris ſui Lotharii motibus obſiſtat.* Carolum, ab Imperatore Ottone ejus nominis ſecundo Ducem factum, Bruceſellæ ſedem ſtatuiſſe recentes Auctores aſſerunt, ubi in inſula fluminis Sennæ Palatium extruxerit non longè à Baſilica S. Gaugerici. Alii *Eihamum* vel Einhamum, *caſtrum muniſſimum*, ſedem præcipuam fuiſſe Ducatus Lotharici, ab eoque Godefridum, qui Ottoni Caroli filio anno MV. in Ducatum Lotharingiæ ſubſtitutus eſt, *Eihamenſem* cognominatum eſſe tradunt: quæ verba in Lipſiano codice Chronici Sigeberti reperiri ait Miræus. Sed tamen Lotharingiæ inferioris Duces circa annum MLV. Andouerpum pro ſede habuiſſe, indicat ipſe Sigebertus: qua in urbe & Godefridus Gibboſus, Dux Lotharingiæ ejuſdem, anno MLXXVI. à ſicario interfectus eſt. Godefridus, Idæ Godefridi Gibboſi ſororis filius, patre natus Euſtathio Boloniæ Comite, quem ob id *Godefridum de Bolonia* quàm *Godefridum de Bulonio* appellari malim, anno MXXCIX. avunculo in Ducatum inferioris Lotharingiæ ſucceſſit, & anno MXCIX. Rex Hieroſolymitanorũ eſt ſalutatus. Ex quo apparet, Duces Lotharingiæ Moſellanæ vel ſuperioris nihil ad Godefridum hunc Regem, nihil ad Hieroſolyma, nihil ad Judææ Palæſtinæque ac Phœnices Regnum pertinere. Anno MCVI. Heinrico Lemburgenſi, qui per ſexennium Dux Lotharienſium inferiorum fuerat, propter crimen læſæ Majeſtatis Ducatus Lotharingiæ ablatus eſt, & Godefrido Comiti Lovanienſi datus: quem Godefridum nunc *Ducem Lovanienſem*, nunc & impropriè *Lovanienſem Comitem* Anſelmus Abbas Gemelacenſis vel Gemblacenſis vocat; Appendix Gemelacenſis modò *Godefridum Lovanienſem, Ducem Lotharienſium*, modò *Ducem Lovanienſem*. Ejus filium *Godefridum juniorem, II. Ducem Lotharingiæ anno Domini* MCXLII. *Ducatus ſui quarto, immatura morte præreptum, & Lovanii in templo tumulatum* eſſe, in eadem Appendice reperio. Mortuis ambobus Godefridis avo ac patre, Ducatum Lotharingiæ inferioris tenuit Godefridus infans, primum ætatis annum agens, & inſequenti anno, Chriſti MCXLIII. paternum beneficium ac honorem de manu Conradi Regis accepit: quem *Godefridum juniorem, Ducem Lotharingiæ*, necnon *Ducem Lovanij Godefridum juniorem* Monachus Affligemenſis nuncupat; *Godefridum Ducem Lovanienſem* Monachus Aquicinctenſis. Lovanium ſub Godefridis ſedes Ducum Lotharingiæ inferioris eſſe cœpit. Lovanienſes iſti, depoſitâ Comitum Lovanij appellatione, primùm *Lotharingiæ* ſolius, deinde *Lotharingiæ* ſimul *& Brabantiæ Duces* dicti; nonnumquam (ſed minùs propriè) à ſede ſua *Lovanienſes Duces*, ut ſuprà oſtendimus. Auber-

tus Miræus *ex veteribus diplomatis certò ſibi conſtare* non ſemel ait, *Heinricum ejus nominis tertium Ducis Lotharingiæ titulo Brabantiæ titulum circa annum* MCCXLVII. *aut* MCCL. *adjunxiſſe* : quod tamen Divæus multo priùs contigiſſe aſſerit. Certè Miræus ſibi ipſe non conſtat. Nam in Chronico ſuo Henricum primum anno MCCXXV. *Lotharingiæ & Brabantiæ Ducem* appellat, & Henricum II. ejus filium ac ſucceſſorem, anno MCCXL. eiſdem titulis donat : & ipſemet litteras duas in codice Donationum piarum profert, anno MCCXLIII. & MCCXLV. datas, in quibus *Henricus*, ejus nominis ſecundus, *Dei gratiâ Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ* ſe nuncupat. Unde Reges Hiſpaniæ de domo Auſtriaca, qui Ducibus Burgundiæ in eos Ducatus ſucceſſerunt, *Duces Lotharingiæ & Brabantiæ* hodieque dicuntur, *Ducs de Lothier, & de Brabant* ; aliàs *Ducs de Lotrich & de Brabant*. Quidam titulum Brabantiæ titulo Lotharingiæ, tribus fere ſæculis altero vetuſtiori, malè præponunt. Lotharingiam inferiorem Noſtri *Lothier* dixere à Chlothario vel Lothario, quem nunc *Lothaire* nuncupant, olim *Lober* & *Lothier* vocitabant ; Germani *Luther* nominant : niſi ſi ex dimidiato nomine *Lotharingia Lothier* fecimus. De *Lober*, quo nomine Lotharius deſignabatur, *Loberregne* vel *Loheregne* Noſtri olim fecere, quo vocabulo Lotharingiam Johannes Pariſienſis deſignat ; & *Loherenc* ac *Loheranc* Lotharienſem ſeu Lotharingiæ habitatorem nuncupavere. Germani Lotharingiam inferiorem demtâ litterâ n *Lotrich* appellavere, quaſi *Lotringen* : vel certè ea provincia *Lotrich* Germanicâ linguâ, quaſi *Lotreich*, aut (ut Scaliger ſcribit) *Lotar-rijck* vocata eſt, id eſt *Lotharij Regnum*.

In Chronographiæ quam ſcriptam legi, libro IV. qui mendoſè octavus inſcribitur, hæc reperio. *A Lothario Ludovici Pij filio Lothariani, ſeu Lotharienſes : patria, Lothariana ſeu Regnum Lotharij nuncupatur*. Et infrà. *Lotharius* (Lotharij ejus filius) *Auſtriæ Rex datus eſt, quæ dicta fuit Lothariana ſive Lotharij Regnum, inter flumina Moſam & Rhenum : pertingit à Burgundia Septemtrionalis Oceani ſinum*. In libro VII. & ultimo, qui mendoſè XI. inſcribitur, auctor de Godefridi Regis Hieroſolymitani matre, Godefridi Gibboſi Lotharingiæ inferioris Ducis ſorore ſic refert. *Mater ejus Ida, Ductrix provinciæ, quæ nunc Lotharij Regnum, nunc Lothariana vocatur*. Hæc de Regno Lotharii, ſeu de tota Lotharingia duos Ducatus cognomines complexa auctor ille ſcripſit ante annos circiter CCCCXX. Ex quo apparet, verum eſſe id quod ſuprà diximus, vulgaria nomina apud Noſtros *Lorraine* & *Lorrains* non aliunde quàm à *Lothariana* & à *Lotharianis* duci oportere. Et hactenus de Lotharingia Regnôve Lotharii, & de duobus ejus Ducatibus.

LOVIGENNA.

Hugo Pictavinus in Chronico Viceliacenſi quod anno MCLXVII. abſolvit, meminit Lovigennæ. *Indictum eſt* (inquit) *colloquium apud Lovigennam vicum citra Ararim fluvium in fine Regni Franciæ. Abiit ergo Rex Ludovicus ad prædictum locum Lovigennæ, ubi Regi debebat occurrere Imperator Fredericus*. Lovigenna hæc eſt omnino *Louvy*, vicus hodieque in confinio utriuſque Burgundiæ trans Ararim poſitus, non procul à Dola.

LOVOLAUTRUM.

Lovolautrum caſtrum à Gregorio memoratur in libro Hiſtoriæ Franciæ III. & in Vita S. Quintiani Epiſcopi *Vorenſe caſtrum* truncato ac corrupto nomine ab eodem dicitur : quod Theodoricus Francorum Rex Chlodovei filius unà cum Tigerno cepit & igne & ferro vaſtavit. Hoc eſſe puto, quod nunc appellatur *Volore*, Tigerno proximum.

LOVONIUM VEL LOVANIUM.

Annales Fuldenſes, qui ad annum DCCCC. deducuntur, in rebus anni DCCCXCI. eius loci meminerunt, & *Lovonnium* ad flu. Thilam vocant. *Nordmanni prope fluvium Clila, loco qui dicitur Lovonnium, ſepibus more eorum munitione ſeptâ, ſecuri conſederunt*. Ubi *Thila* legendum eſt pro *Clila*. Chronicon de Geſtis Nortmannorum in eodem anno *Luannum*, aliàs *Luvanum* appellant ; Annales Mettenſes item in eodem anno *fluvium qui Thilia dicitur* diſertè commemorant, ſuppreſſo nomine loci, quem in rebus anni DCCCLXXXVI. & anni ſequentis nuncupant *locum Loven in Regno Lotharii*. *Lovonnium* ergo & *Lovonium* primùm dixere, deinde *Luvanum*, *Lovanium*, & nonnumquam *Lovaniam* ; ſicuti tabulæ ante annos DL. datæ docent. Caput olim fuit Comitatus cognominis, poſitum ad fluvium Tiliam ſeu Tilam, *Ti* Noſtris, *Dile* Germanis appellatum, quem Demera recipit & cum aliis in Scaldim defert. Nunc dicitur Noſtris *Louvain*, incolis *Loeven*, vel *Lueven*, oppidum Brabantiæ clariſſimum, Tungris olim ſeu Leodicenſi Diœceſi attributum. Marlianus *Grudios*, quos ſub imperio Nerviorum fuiſſe ſcribit in libro V. Comment. Cæſar, *Lovanienſes* eſſe ait, quos *Lovanois* Gallicè dici aſſerit : cùm Samſon *Grudios* pro Brugenſibus habeat.

LUCCÆ.

Caſtrum eſt nobile in finibus Turonum tranſligeritanis ad Andriam vel Angerim, quod Gregorius noſter nunc *Luccas* nunc *Loccas* appellat, *Loches*. *Lucas* quidam ; Rodulfus Glaber *caſtrum Lucacenſe*, Guillelmus Armoricus in libro VIII. Philippidos, aliique *caſtellum Lochiam* corruptè vocant. Ibi Euſtochius, quintus Turonicus Epiſcopus Eccleſiam ædificaſſe, & Vrius Abbas principatu Alarici Monaſterium ſtatuiſſe fertur. Senochus Preſbyter natione Taifalus in caſtro pagi Turonici Luccis extructâ cellâ, reparatoque vetere Oratorio, Monachis Abbas præfuiſſe dicitur à Gregorio, & anno DLXXVI. IX. Kal. Novemb. obiiſſe. Idem caſtrum præter cetera Carolomannus ac Pippinus fratres,

Duces

Duces & Principes Francorum anno DCCXLII. junctis copiis aggreſſi, vi cepere, ac funditùs evertere. Defenſoribus incoliſque loci captis conceſſa vita, ablata libertas.

LUCILLIACUS.

Vicus *Lucilliacus* vel *Lucilliacum* à Lucillio domino aut conditore ſuo nomen accepit. Eius meminit Gregorius noſter in libri x. capite XXXI. & ultimo his de Iniurioſo, cive & XV. Epiſcopo Turonico verbis. *Hujus tempore vici etiam Novilіacus & Lucilliacus fundati ſunt.* Vulgò dicitur *Leſillay* aut *Lezillé*, vicus inter Carum & Andriam flumina medio loco poſitus. *Novilіacus vicus* aut potiùs *Nobiliacum*, videtur eſſe locus vulgò tranſpoſitis duabus prioribus ſyllabis dictus *Vimeüil* inter Carum & Ligerim. Erat & alter vicus in Turonibus eiuſdem nominis, de quo Gregorius ibidem. *Hujus tempore* (Baudini XVI. E. T.) *alter vicus Novilіacus ædificatus eſt.* Novilіacus is fortè eſt *Neuilli* aut *Nueilly Pontpierre* cis Ligerim, cùm prior ſit trans Ligerim.

LUCILLIBURGUS.

Gerbertus qui ante annos DCLXX. floruit, in epiſtola ad Adalberonem Archiepiſcopum Remorum, primus omnium meminit ejus loci hiſce verbis. *Mementote fortis Guifridi* (aliàs Godefridi) *& Virdunenſis Epiſcopi ob pervaſionem caſtri Lucilіburgi.* Caſtrum igitur tum erat *Lucilіburgus*, quod à Lucillio conditore aut domino nomen accepit, dictumque eſt primò *Lucilly* vel *Lucilliburgus*, ac poſtea corruptè *Lucilіburgus*. Nam Lucillius cum duobus l ſcribi debet, non Lucilius cum uno, idque Græci obſervant, à quibus Λουκίλλιος ſemper dicitur, & apud Perſium

Secuit Lucillius Urbem.

Apud Auſonium quidam vocatur

Lucilli vatis ſubulo, pullipremo.

Liber Miraculorum S. Bernardi Abbatis Clar. *nobile caſtrum Lucelebургum*; *Lucilіburc*, & *Lucelebarc* vocant veteres tabulæ, i in e & u in o converſis; *caſtellum Lucelenburg*. Geſta Epiſcoporum Trevirenſium MS. & Lambertus Schafnaburgenſis in rebus anni MLXXVI. *caſtellum Luzelemburc* alii; nonnulli Germani *Lutzberg*. *Lucilіburc* autem, *Luceleborc*, & *Lucelenburg* ad vetus & proprium nomen loci, ſive ad *Lucilliburgum* proximè accedunt, ex eoque iſta vocabula orta atque detorta ſunt. *Luceburgum* Guillelmus Nangiacenſis; Chronici eius continuator *Lucemburgum*; recentiores *Luxemburgum caſtrum* appellant; Noſtri eos imitati *Luxembourg*. Germani *Lutzenburg* nominant: quos olim *Luzelburg* aut *Lutzelburg* dixiſſe arbitror. Nunc eſt opidum potiuſquàm caſtrum, caput Ducatus illuſtris cognominis, VII. Comitivas & vicos uti aiunt MCLXIX. complexi, poſitum ad flumen Aliſontiam.

LUCOFAUM.

Apud *Lucofaum*, quod & *Locoficum* vocatur, Theodoricus Francorum Rex & Ebroinus Præfectus Palatii cum Martino ac Pippino Auſtriæ Ducibus atque Principibus prælium commiſere circa annum DCXXC. ubi magnâ utrimque cæde factâ, victi demum Auſtraſii terga verterunt. Locus hic nunc ignoratur: qui ab urbe Lugduno Clavato non multum abfuiſſe videri poteſt, cùm Martinus fugâ elapſus, Lugdunum Clavatum ſeu Lauduuum ſeſe contulerit.

LUCUS VOCONTIORUM ET LUCUS SALYUM.

Vocontiorum civitatis Fœderatæ alterum *caput* erat *Lucus Auguſti*, ut ait Plinius. Scribit Tacitus, Fabium Valentem *Luco, municipio Vocontiorum faces admoviſſe, donec pecuniâ mitigaretur.* Æthicus inter Montem Seleucum & Deam Vocontiorum *Lucum* ponit, à Monte Seleuco XXVI. à dea Voc. XII. millibus diſtantem. Ponit & Tabula Theodoſiana Lucum prope *Deam Bocontiorum*. Vulgò nunc dicitur *Luc*.

Eſt & *Lucus* in Diœceſi Arelatenſi ſive in Salyis caſtellum, cuius fit mentio in Vita Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi. *Quodam tempore dum Diœceſes viſitaret, ad caſtellum quod Luco dicitur venimus.*

Eſt alius Lucus, *Luc* vulgò dictus in Provincia prope Brinoniam, prunis ſuis celebrem, *Brignole*.

LUGDUNUM BATAVORUM.

Vetus eſt ac illuſtris urbs Lugdunum Batavorum, quam Ptolemæus *Lugodinum Batavorum*, Λουγόδεινον Βαταυῶν appellat corrupto nomine pro Λουγόδουνον aut Lugodunum. Æthicus in Itinerario provinciarum *Lugdunum caput Germaniarum* vocat, hoc eſt initium provinciarum ambarum Germaniæ inferioris ſeu ſecundæ, & Germaniæ ſuperioris vel primæ. *A Lugduno* (inquit) *capite Germaniarum Argentoratum millia paſſuum* CCCXXV. *ſic: Albinianis* M. P. X. &c. In tabula Theodoſiana inter flumen Rhenum & Prætorium Agrippinæ ponitur hoc Lugdunum. *Flu. Rhenus, Lugduno* XI. *Prætorium Agrippinæ* II. *Matilone* V. *Albanianis* XI. &c.

Vulgò à ſcriptoribus Latinis nunc dicitur Lugdunum Batavorum, ab incolis accoliſque patriâ linguâ *Leyen*, aliàs *Leiden*: quam ait Cluverius *urbem eſſe amœniſſimam, nitidiſſimam, celeberrimam, Rheni amni impoſitam.* Ea nunc urbs cum Harlemo inter urbes Hollandiæ primas tenet.

LUGDUNUM CLAVATUM REMORUM IN BELGICA.

Lugdunum Clavatum, *Laon*, in finibus Remorum, à ſitu nomen Gallicum & cognomen Latinum invenit. Eſt enim caſtrum illud in monte poſitum, itavt procul intuentibus celſiſſimo cacumini tamquam clavis affixum eſſe videatur. *Dunum* autem veteres Galli montem vocaverunt. Ei loco Remigius Remorum Metropolitanus Epiſcopus Genobau-

Oo

dum nobiliſſimum virum atque doctiſſimum, Epiſcopum præpoſuit, uti Hincmarus & Frodoardus ſcribunt, ac de caſtro Remenſi Eccleſiæ ſubjecto civitatem fecit, locupletavitque. Habuit & Ducem ſuum, regnantibus apud Francos Chlodovei junioris filiis. Nam qui in veterrima Vita S. Furſei memoratur *Bertharius Dux Lugdunenſium*, non aliorum, ut puto quàm Lugdunenſium Clavatorum in provincia Belgica ſecunda Dux fuit: cùm tamen antea Lugdunum Clavatum Campaniæ Gallicæ Duci pareret, & Ducatus Campanenſis urbibus adnumeraretur.

In veteribus codicibus nunc *Lugdunum Clavatum* ſcriptum reperio, nunc *Lugdunum Cloatum*. Concilii Aurelianenſis v. decretis ſubſcripſit *Medulfus Archidiaconus, directus à domno Genobaudo Epiſcopo Eccleſia Lugdunenſis Clavata*, vel *Epiſcopo Lugdunenſi Clavato* anno DXLIX. In MS. codice Lugdunenſi legitur, *Epiſcopo Lugduni Cloati*; & in vetere nummo aureo, *Lugduno Cloato*, quemadmodum ait Jacobus Sirmundus; *Laudvno Cloato* in triente aureo; in quodam alio nummo *Leuduno fit*, in alio *Lugdunum*. Gregorius in libri VI. capite IV. de Lupo Duce Campanenſi ita ſcribit. *At ille cernens ſe in diſcrimine, tutatâ infra urbis Lugduni Clavati muros conjuge ſua, ad Guntchramnum Regem confugit.* In codice vetuſtiſſimo ſcriptum inveni, *tutâ infra urbis Lugdune Clavate murus conjugem ſuam.* Auctor vetus qui de Vita S. Salabergæ Abb. ad Anſtrudem Abbatiſſam ejus filiam librum compoſuit ante annos mille, *urbem Lugduni, in cacumine ſaxi ſitam, intra refertam puteis* eſſe ait, & *naturâ loci munitionem robuſtam obtinere. Excepto enim murorum ambitu, in proceritatem collem extendi, intrinſecus ipſius muri circuitum humo coæquari; ſed & altrinſecus ſaxa naturalia ambire, ad ipſos quoque portarum exitus fontes perennes manare.* Idem non aliter ibi quàm *Lugdunum* eam vocat. Jonas quoque qui eadem ætate floruit, in Vita Euſtaſii Luxovienſis Abbatis *Chaonoaldum Lugduni Præſulem* appellavit; & in Vita S. Faronis *Chagnoaldus Præſul Lugduno Clavato floruiſſe* dicitur, qui *Charnoaldus Epiſcopus Leuduni* vocatur in epiſtola Pauli Epiſcopi ad Deſiderium Cadurcorum Epiſcopum; *Charnoaldus Lauduni Clavati* apud Frodoardum in libri II. Hiſtoriæ Remenſis capite V. Annales Metenſes *Lugdunum Clavatum caſtrum* in anno DCCXLII. *Lugdunum Clavatum civitatem* in anno DCCCXCII. Regino in rebus anni DCCCXCII. *Lugdunum* etiam nuncupat; VVitichindus in anno DCCCXCV. Annalium libro II. ſemel atque iterum nuncupat ſimiliter *Lugdunum*, hoc eſt Laudunum noſtrum. Nam Lugdunum Seguſianorum tum Odo Francorum Rex non obtinebat, ſed Ludovicus Boſonis filius, Ludovici Aug. nepos. Verum ergo & vetus nomen urbis ſeu potiùs caſtri *Lugdunum*, verum cognomen *Cloatum*, vel *Clavatum*: quod à recentioribus nunc *Leudunum*, nunc *Laudunum* eſt dictum. Geſta Regum Francorum in capite XLVI. *Laudunum Clavatum* appellant; Eginhardus in Annalibus *Laudunum civitatem*, Hincmarus in Vita Remigii *caſtrum Lauduni Clavati*; alius *caſtrum Laudunenſe quod Clavatum vocant*. Frodoardus nunc *Laudunum Clavatū*, aut abſolutè *Laudunum*, interdum *Montem Lauduni* ſeu *Montem Laudunenſem* nuncupat: & in libri III. Hiſt. capite XXI. *municipium Laudunum poſtquam à Macrobio Prætore conditum fuit, numquam inter ſedes Remorum provinciæ nomen vel locum habuiſſe* ſcribit, *donec Remigius XV. Remorum Archiepiſcopus ibi ordinavit Epiſcopum*; (Genobaudum) *& eidem municipio, rebus Remenſis Eccleſia ſatis ſuperque dicato, ipſum Comitatum in quo conſiſtit, partem ſcilicet ex Remenſi Parœcia delegavit*, vel ut ait Hincmarus, *parœciam Comitatus Laudunenſis*, id eſt pagum Laudunenſem. Tamen nec in veteribus Notitiis Epiſcopatuum Galliæ, diu poſt ætatem Remigii compoſitis, ac ne in Chronico quidem Roberti Monachi, in anno MCCX. deſinente, inter civitates Remenſis provinciæ ſeu prov. Belgicæ ſecundæ numeratur. Tantùm ab Aimoino inter *urbes Belgicæ inclitas Laudunus* ponitur ante annos DCXL. & Gervaſius Tilleberienſis, ac quædam Notitiæ poſt annum MCCXX. factæ inter Remenſis Archiepiſcopi comprovinciales *Laudunenſem* ultimo loco commemorant.

Epiſcopus Laudunenſis à villa Epiſcopatus Laudunenſis Aniſiaco, cujus Hincmarus in Vita & Miraculis S. Remigii mentionem facit, dici conſuevit *Epiſcopus Dux Laudunenſis, Par Franciæ, & Comes Aniſiaci*, atque ita nunc ſe in litteris publicis appellat. Aniſiacum autem vocatur *Aniſy*, & uti olim Luliacum *Leüilly*, ac Codiciacum *Coucy*, ad Eccleſiam Laudunenſem pertinet. Anno MCXII. *Gualdricus Epiſcopus Laudunenſis, cùm cives ipſius urbis à ſacramento perperam jurata communitatis* (quam juſſu Regis amiſerant) *revocare niteretur, à ſeditioſis ad arma concurrentibus gladio confoſſus interiit*: ut Sigebertus ſcribit in Chronico. Ex quo intelligitur Laudunenſem Epiſcopum aliquam jam tum in Laudunenſes poteſtatem ſæcularem habuiſſe. Nam Laudunenſes à communitate deterrere, aut communitatem eis interdicere Comitis erat, non Epiſcopi. Sed forſitan jamtum unus idemque erat Epiſcopus Comeſque Laudunenſis. Auctor eſt Sugerius in Vita Ludovici Craſſi Francorum Regis, *Nobiles Laudunenſis civitatis ferè omnes, eo quòd vera fide ſuffragari domino ſuo nitebantur Epiſcopo*, à ſcelerata plebe interfectos eſſe. Epiſcopus autem Galdricus *Nobilium* honoratorumque *civium Laudunenſium dominus* à Sugerio jure meritoque dici non potuit, ſicuti dictus eſt, ſi non aliqua ſaltem ex parte urbis incolarumque ejus dominus fuiſſet: quod dominium ei Epiſcopatus dare non valuit. Quod de Gualdrico Sigebertus, idem de Rogero Monachus Aquicinctenſis, ab Auberto Miræo editus refert, his verbis. *Anno* MCLXXVIII. *Rogerus Laudunenſis Epiſcopus, cùm pagenſes Epiſcopii ſui à communione inter ſe, aſſenſu Ludovici Regis perperam juratâ, minimè retrahere poſſet, malo accepto conſilio militum auxilia undecumque contrahens,* II. *Nonas Martii eos aggreſſus eſt per Quadrage-*

ſumam : ubi quidam interfecti, multi etiam capti, quidam autem eorum dum fugerent, in flumine necati ſunt. Plus Gualtrico Rogerus fecit, qui Laudunenſes ſuos à communitate Regis conſenſu iurata recedere iuſſerit, recuſanteſque armis aggreſſus ſit. Qui ita ſe geſſit, haud dubiè in civitate pagoque Laudunenſi maiorem aliquam Epiſcopali poteſtatem habuit.

Ager eius *pagus Laudunenſis* vocatur Hincmaro in Vita Remigii, & *Comitatus Laudunenſis*; item *pagus Laudunenſis* inter *Remegenſem*, id eſt Remenſem, & *Moſellu* ſeu Moſellanum in diviſione Regni Ludovici Pii Aug. inter filios; *Laudunifus* in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum editis; vulgò *le Laonois*. Hic pagus, pars veterum finium Remorum fuit, ante Remigii factum. Unde & Laudunum Clavatum caſtrum olim Remorum, creditur à Dudone eſſe *oppidum Remorum Bibrax* apud Cæſarem: cuius rei argomentum videtur eſſe *convallis Bibracina* apud Laudunum, de qua Guibertus Abbas Novigenti ſic refert *Per convallem Bibracinam ad S. contendit Vincentium*, id eſt ad Monaſterium Laudunenſe S. Vincentii. Legi paſſionem S. Benedictæ, in qua hæc reperi. *Benedicta Lugdunum venit, quod ætas antiquorum Bibrax nuncupari maluit.* Dudonis qui circa annum M. floruit, in libro III. de actis Normannorum verba hæc ſunt: *Willelmus Laudunum Clavatum, qui & Bibrax dicitur, petivit.*

Æthicus in Itinerario provinciarum *iter ab Alauna Condate* millium paſſuum LXXXVIII. facit *Coſedia* M. P. XX. *Fano Martis* XXII. *Ad fines* XXVII. *Condate* XIX. Simlerus qui Æthicum notis illuſtravit, ait hancce *Alaunam ferè eſſe Laudunum*, *Laon*; *Conſediam* autem vel *Coſediam* eſſe *Cuſſiacum*: quo *Cuſſiaci* nomine *Codiciacum* vel *Coceium*, vulgò *Coucy* nuncupatum deſignare voluit. Sed fallitur Simlerus, qualicumque nominum ſimilitudine deceptus. Quippe ut in tabula Theodoſiana reperio, *Alauna* iſta proxima erat Venetis Genti & urbi Armoricæ, & in regione Armoricana erat, uti & *Conſedia* vel *Coſedia*, atque *Condate*: quę loca, ut apud Æthicum, ſic ibi notantur: *Alauna. Coſedia. Fano Martis. Condate.* Condate autem Redonum heic deſignari, alibi notavi. *Alauna* igitur fortaſſe eſt civitas Curioſolitum *Kemper-Corentin*; *Conſedia* vel Coſedia *Henbont*; *Fanum Martis*, *le Temple*, vicus à templo ſive fano aliquo veteri ac celebri ita cognominatus.

Apud Guibertum Abbatem Novigenti Thomas de Marna ſic Laudunenſes ſeditioſos alloquitur: *Civitas hæc cùm ſit caput Regni, non poteſt contra Regem à me teneri; urbs quæ ſpecialiter inter urbes Franciæ totius eſt Regia.* Nimirum Laudunum ſedes Regia fuit Caroli, Rodulfi, Ludovici Tranſmarini ac Lotharii Ludovicique Regum, itaut ad Reges Francorum qui eis ſucceſſerunt, tamquam res fiſcalis & dominica propriè pertinere videretur.

LUGDUNUM SEGUSIANORUM IN CELTICA.

Dio in libro XLVI. ſcribit L. Plancum iuſſu Senatus metuentis ne ſe Antonio hoſti iudicato coniungeret, Viennenſes ab Allobrogibus domo expulſos & profugos Lugdunum deduxiſſe. ἡ βουλὴ τῷ Λεπίδῳ Πλάγκῳ ἐκέλευσαν, τὰς ἐκ Οὐιέννης τῆς Ναρβωνησίας ὑπὸ τῶν Ἀλλοβρίγων ποτὲ ἐκπεσόντας ἐς τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Ἀράριος ᾗ συμμίγνυνται ἀλλήλοις ἱδρυθέντας συνοικίσαι. καὶ οὕτως ἐκεῖνοι ὑπομείναντες τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθὲν, νῦν δὲ Λούγδουνον καλούμενον ἔκτισαν. Exſtat de deductione eius coloniæ inſcriptio ferè omnibus nota; quæ talis eſt. *L. Munacio. Planco. &. Decimo. Iunio. Bruto. Coſſ. L. Munacius. L. f. L. n. L. p. Plancus. Coſ. Imp. iter. VII vir. epulonum. triumph. ex. Raetis. ædem. Saturni. fecit. de. manubiis. agros. diviſit. in. Italia. Beneventi. in. Gallia. colonias. deduxit. Lugdunum. &. Rauricam.* Hinc *Col. Lugd.* id eſt Colonia Lugdunum in veteri marmore nuncupatur: *Col. Rom. Lugdun.* hoc eſt colonia Romana Lugdunum, in nummo Caii Cæſaris, qui *tertium Conſulatum Lugduni iniit ſolus, edidit ibidem & ludos Miſcellos, & certamen Græcæ Latinæque facundiæ* ad aram, Cæſari Auguſto ad confluentem Araris & Rhodani dedicatam & inſcriptam ab Galliæ populis vel civitatibus LX. Straboni in libro IV. Dioni in libro LIV. Iuvenali, Floro in epitome libri CXXXVII. plurimiſque aliis memoratam. Sic apud Tacitum in libro I. Hiſtoriarum Lugdunenſes ſe *coloniam Romanam & partem exercitus* vocant; & Tacitus ipſe eodem in libro *coloniam Lugdunenſem* appellat. Plinius *in Seguſianorum liberorum agro coloniam Lugdunum* ponit, ſecutus Strabonem, qui ait Lugdunum Genti Seguſianorum præſidere ac præeſſe paullo ſupra Viennam, ac ſoli Narboni incolarum frequētiā decedere. προκεῖται δὲ (ait) τὸ ἔθνος τῶν Σεγοσιανῶν, ἐκτισμένον ὑπὸ λόφῳ κατὰ τὴν συμβολὴν τοῦ τε Ἄραρος ποταμοῦ καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ: idemque Λούγδουνον πόλιν τῶν Σεγοσιανῶν vocat, Lugdunum urbem Seguſianorum, quam male Ptolemæus *urbem Æduorum* facit, quorum Seguſiani clientes erant. Sed cur *colonia Romana*, cur *pars exercitûs* Lugdunum dictum eſt, ſi eò Viennenſes profugi & extorres deducti erant à L. Planco, Viennenſes inquam, hoc eſt Galli, nondum à Senatu populoque Romano civitate Romana donati? Gregorius in capite XVII. libri I. Hiſtoriæ Francicæ XIX. *imperii Auguſti anno Lugdunum Galliarum urbem conditam* ſcribit, *quæ poſtea illuſtrata Martyrum ſanguine, Nobiliſſima nuncupetur.* In quo bis errat. Nam ut ait Dio, à L. Planco Lugdunum eſt conditum iuſſu Senatus, metuentis ne ſe cum Antonio hoſte iudicato iungeret Plancus armatus: quod accidit, paullo antequàm adoleſcēs Cæſar qui poſtea Auguſtus dictus eſt, Triumvir fieret Reip. conſtituendæ: & Lugdunum Nobiliſſimum nuncupatum eſt (ſi tamen ita cognominari ſolitum eſt) non ob ſanguinem Martyrum, ſed ob ſplendorem potentiamque coloniæ: quæ & Senatores Curiæ conferebat. Unde Claudius Aug. ibi natus, in oratione quam habuit de Gallis civitate donandis, inquit. *Ex Lugduno habere nos noſtri ordinis viros non pænitet.* Vetus itinerarium Lugdunum *montem deſideratum* interpretatur. Eſt enim in

jugo montis Rhodano & Arari imminentis ex parte poſitum. Auctor libri de fluminibus *Lugodunum* Gallicâ linguâ corvi montem ſignificare ait, urbemque ita dictā eſſe, quod ibi corvi viſi ſint multi, cùm ejus fundaméta jacerentur; lugo corvum, duno monté deſignante. Certè & *Lugodunum* à Dione ſuprà, & in veteribus inſcriptionibus multis, *Lugudunum* appellatur. Fallitur ergo Erricus Monachus, qui in libro IV. de Vita S. Germani *Lucdunum* quaſi *Lucidum montem* à Gallis appellatum eſſe ait, nomine Latinogallico parum ei conveniente. Conſtat enim vel ex uno Sidonio, ob duo magna flumina Lugduni craſſum aërem, cælumque nubilum plerumque ac nebuloſum eſſe.

> Lucduno celebrant Gallorum famine nomine
> Impoſitum quondam, quòd ſit mons lucidus idem.

Aliis placet, *Lucdunum* LatinoGallico nomine à Gallis eſſe dictum, quaſi *Luciodunum* ſeu Lucii montem, à Lucio Munacio Planco coloniæ deductore. Quæ ſi veræ eſſent Lugduni interpretationes, dicere oporteret Lugdunum Convenarum, & Lugdunum Batavorum, & Lugdunum Clavatum à Lucio etiam aut à corvis nomen inveniſſe: aut ſingula iſta opida à ſitu ſic dicta eſſe, velut in lucido monte poſita: quod futile ac ridiculum eſſe nemo non videt. In reſcripto Conſtantii Aug. ad Cerialem *Lygdunum* ſcriptum reperio: & Cujacius in libri XXVII. Obſervationum ſuarum capite XXXIII. teſtatur, *in archetypo Pandectarum Florentin. ſcriptum eſſe Lygdonenſes libro ultimo de Cenſibus*: ex quo majores Noſtri *non abs re Lyon* fecerint ac *Lyonnois* pro Lugduno ac Lugdunenſibus.

Auctor eſt Octavianus Ferrarius in libro de origine Romanorum, exſtare nummos argenteos *leone* ſignatos inſcriptoſque *Lugduni*: quos Lugduni percuſſos à Magiſtratibus Romanis putat. Sed ego hoſce nummos leoninos falſos ſuppoſititioſque eſſe arbitror, & ideo à quibuſdam obtruſos, quoniam Lugdunum vulgò *Lyon* vocatur à Noſtris: quod nomen & leonem linguâ noſtrâ ſignificat. Vnde & nunc leonem pro inſigni habet. Sed quid cum leone veteri eius urbis nomini Gallico Lugduno? Niſi itaque certis argumentis probetur & oſtendatur, Lugdunum olim leonem feram pro inſigni habuiſſe: nummis iſtis Lugdunenſibus leone ſignatis nullam habebimus fidem.

Lugduno emporio uſos eſſe, & ibi argenteos aureoſque nummos percuſſiſſe Romanos Magiſtratus, itaut ſua ætate opidanorum frequentiâ uni Narboni cederet, ſcribit Strabo. Quare in Notitia Imperii *Procurator monetæ Lugdunenſis*, hoc eſt monetæ quæ Lugduni percuti ſolet, memoratur. Ibi poſtea Imperatorio Privilegio Archiepiſcoporum Lugdunenſium vultu & nomine notati, ac demum ſacro Regum noſtrorum ore nummi ſignati ſunt, hodieque ſignantur. Fuit & *Procurator Cynegy Lugdunenſis*, ut Notitia Imperii docet: ubi veteres codices MS. *Gynæcy* præferunt rectè.

In veteri inſcriptione *cohors* XX. *Seguſianorum*, item *cohors* VIIII. *Lugdunenſis* memoratur: ut fortè inde Taciti hæc verba in libro I. Hiſtoriarum emendari oporteat: *Cohortes* XVIII. *Lugduni ſolitis ibi hibernis relinqui placuit*: & legendum ſit *Cohortem* VIIII. Certe parum veriſimile videtur coloniam Romanam, eamque pacatam hibernis octodecim cohortium gravari conſueviſſe.

Epiſtola Senecæ XCI. de Lugdunenſis coloniæ magnitudine, opulentia, operibus & ornamentis, ac incendio anno ab origine ſua plus minùs centeſimo, legenda. *Cladem Lugdunenſem quadragies ſeſtertio ſolatus eſt Princeps Nero, ut amiſſa urbi reponerent: quam pecuniam Lugdunenſes antè obtulerant turbidis caſibus*: ut Tacitus in libro XVI. Annalium ſcribit. Ex quo intelligitur citò admodum tantam urbem creviſſe atque floruiſſe, & inter urbes Imperii Rom. maximas clariſſimam ac ſummę dignationis potentięque habitam jamtum fuiſſe, quæ tãtum pecuniæ conferre Neroni A. valuerit, & quam Princeps tanto munere dignatus ſit. Inde infenſa Galbæ Lugdunenſis Colonia, & pertinaci pro Nerone fide ſtetit; & veterem inter Lugdunenſes Viennenſeſque diſcordiam propter Neronem & Galbam bellum accendit. Vita Nicetii Lugdunenſis Epiſcopi, quam Fortunati eſſe puto, *maximam partem civitatis* Lugduni *graviſſimo incendio* iterum *exuſtam* fuiſſe docet, regnante Guntchramno, mortuo jam Nicetio, quem incolæ *S. Niſier* vocitant. Ejus incendii meminit & Iterius vel Ætherius Diaconus Lugdunenſis, in homilia MS. quam legi in codice Thuaneo.

Lugduni Amphitheatrum fuiſſe, & ibidem quotannis Principatu Antonini magnum ac frequentem conventum haberi ſolitum eſſe ad aram Aug. ex omnibus Gentibus civitatibuſve Galliæ ſacrorum ludorumque cauſsâ, Euſebius in libro V. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ docet, vel potiùs epiſtola Martyrum Atanacenſium ab eo laudata.

Fuere olim Lugduni Seviri Auguſtales: fuere & negotiatores vinarii; ut priſcæ inſcriptiones teſtantur: quarum in una P. Pomponius Gemellinus IIIIIIVIR. AVG. LVGVD. vocatur, altera Romę poſita eſt *C. Sen. Reguliano Equiti Rom. negotiatori vinario Lugduni & in Canabis conſiſtenti, curatori & patrono ejuſdem corporis; nautæ Ararico, patrono ejuſdem corporis; patrono IIIIIIVirûm Lugduni conſiſtentium.* Vbi *Canabis* ſcriptum eſt fortè pro *Genava* ſeu *Geneva*.

Auſonius inter claras urbes omiſit Lugdunum, Imper. Gratiani, diſcipuli ſui cæde infame, & in ejus locum Aquileiam ſubſtituit, propterea quod Maximus tyrannus qui Gratianum Aug. interimendum curaverat, apud Aquileiam perierat, juſſu Theodoſii Aug. capite truncatus. Vnde & ait

> Non erat iſte locus: merito tamen aucta recenti
> Nona inter claras Aquileia cieberis urbes.

Principatu Honorii milites Romani, Gothorum in Italiam adventu turbati, relinquendam eſſe Regi Alarico Romam ac Ita-

liam, ac Lugdunum Galliarum ſedem Imperii tranſferendam dixere, Alpes atque duo maxima flumina Ararim & Rhodanum pro munimentis & propugnaculis adverſus Barbaros habituri: quos Stilico apud Claudianum de bello Getico ſic alloquitur

Quid Gallica rura
Reſpicitis, Latioque libet poſt terga relicto
Longinquum profugis Ararim præcingere caſtris?
Scilicet Arctois conceſſâ Gentibus Vrbe,
Conſidet Regnum Rhodano, capitique ſuperſtes
Truncus erit?

Ammianus Marcellinus Lugduni ſitum ita deſcribit in libro XV. *Rhodanus per Sapandiam fertur & Sequanos, longeque progreſſus Viennenſem latere ſiniſtro perſtringit, dextrâ Lugdunenſem: & emenſus ſpatia flexuoſa, Ararim quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem ſuum in nomen adſciſcit: qui locus exordium eſt Galliarũ: exindeque non millenis paſſibus, ſed leugis itinera metiuntur.* Idem notat tabula Peutingeri his verbis. *Lugduno caput Galliarum: uſque heic legas.* Quibus ex verbis cognoſcitur id quod docet Ammianus, & Lugdunum initium eſſe caputve Galliæ, Celticæ nimirum ſive Lugdunenſis & Gallos uſque huc leugis, quas & legas vocabant, itinera ſua metiri conſueviſſe, ac ibi deſinere ex Celtica in provinciam Viennenſem tranſeuntes, ibidem incipere leugis uti ex provincia Viennenſi tendentes in Celticam. Quippe per totã provinciam Narbonẽſem cujus pars provincia Viennenſis & Alpes erant, perque totam Aquitaniam more Romano menſuræ itinerum olim fuere milliaria: per totam Galliam Lugdunenſem vel Celticam, ac per omnem Belgicam, ambas Germanias Sequanoſque continentem *leuga* vel *lega* more Gallico in uſu extitere. Leugæ autem apud Gallos paſſuum mille & quingentorum erant. In Celtica igitur & Belgica modò ſolis leugis, modò ac ſæpiſſime unis millibus paſſuum, prævalente more Romano; nonnumquam utraque ſimul menſurâ utebantur: uti docet Itinerarium provinciarum, ab aliis Antonino cuidam, ab aliis Æthico tributum: in primis *in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam millia paſſuum* CCCCVIIII. *inde Durocortorum* M. P. CCCXXIII. *quæ fiunt leugæ* CCXXI. *inde Geſoriacum* M. P. CLXXIIII. *quæ fiunt leugæ* CXVI. *Vienna* M. P. XXVI. *Lugduno* M. P. XXIII. *aut per compendium* M. P. XVI. *Aſa Paulini* M. P. XV. *leug.* X. *Lunna* M. P. XV. *leug.* X. *Tinurtium* M. P. XVIIII. *leg.* XIII. Vbi apparet id quod Ammianus ſuprà & tabula Peutingeriana dicunt, Lugduni leugas incipere, menſuram itineris Gallicam.

Nomen dedit Lugdunum Galliæ Lugdunenſi ſeu Celticæ, quæ Græcis Λουγδουνησία, Λουγδούνησια, & Λουγδουνησία Γαλλία vel Κελτογαλατία vocatur. & cujus incolæ Cæſari, Livio, ac Melæ *Celtæ* vel *Galli* dicuntur: quæ pars Galliarum poſtea in duas diviſa eſt provincias, ac demum in quatuor, videlicet pr. Lugdunenſem primam, cujus metropolis Lugdunum; prov. Lugdunenſem ſecundam ad Oceanum, cujus metropolis Rotomagus; prov. Lugdunenſem III. ad Oceanum, cujus metropolis Cæſarodunum Turonum; & provinciam Lugdunenſem IV. vel Senoniam, cujus caput Agedincum Senonum. *Lugdunenſem quintam* vocare nunc licet provinciam Pariſiacam, patrum noſtrorum ætate factam detractamque Senoniæ. Epiſcopus Lugdunenſis, quòd eas omnes provincias atque metropoles cum ſuis quamque civitatibus haberet ſibi ſubjectas, nonnumquam *Patriarcha* eſt appellatus. Sic Nicetium Lugdunenſem Epiſcopum Gregorius noſter in libri V. capite XXI. *Patriarcham* vocat, hoc eſt Primatem Lugdunenſis Galliæ ſeu Celticæ: & ob id etiam Priſcus Lugdun. Epiſcopus nuncupatur *Patriarcha* in actis Concilii Matiſconenſis II. uti in libro XIII Rerum Francicarum docui. Etiam Lugdunenſis *prima ſedes Galliarum* eamdem ob cauſam dicta eſt Abaelardo, Gervaſio Tilleberienſi, aliiſque paſſim, hoc eſt totius Galliæ Lugdunenſis aut Celticæ: eaque anuli ſeu ſigilli Lugdunenſium Epiſcoporum inſcriptio, is nummorum ab ipſis percuſſorum titulus fuit. Britto quoque Armoricus in Philippidos libro XII. quum ait,

Et Lugdunenſis, quo Gallia tota ſolebat
(Vt fama eſt) Primate regi:

nihil aliud vult dicere, quàm Lugdunenſem Epiſcopum Galliæ totius Celticę vel Lugdunenſis Primatem fuiſſe. Sed Britannia Armorica ſub Ducibus ſuis, ſtatuto apud Dolum Archiepiſcopo, pridem metropoli ſuæ Turonis, ac Lugduno primæ ſedi ſeſe ſubtraxerat; & quia Lugdunenſis ſecunda parebat Normannorum Ducibus, qui etiam in Anglia regnabant; Metropolitanus Rotomagenſis paullatim ab ſuo Primate deſcivit, autocephalumque ſe fecit, ac Primatem Neuſtriæ ſe ipſe appellavit: quaſi Primas dici jure poſſit, qui Primati Lugdunenſi ſubeſſe debet. & qui nullum ſub ſe habet metropolitanum. Daimbertus Senonum Archiepiſcopus, Ivo, & ceteri Senonicæ provinciæ coëpiſcopi in epiſtola ad Johannem ſcripta, eum *Lugdunenſis primæ ſedis Archiepiſcopum* appellant: & ipſe litteras ad Daimbertum ita inſcribit, *Johannes primæ Lugdunenſis ſedis Archiepiſcopus*: quibus in litteris ait, *metropolitanos obedientiam Primati ſuo debere*; vel (ut ibidem loquitur) *ſecundæ, tertiæ, quartæ provinciæ metropolitanos* aut Præſules, *primæ ſedis*, quam *primam provinciam* vocat, *Pontifici*, ſeu *Primati*: licèt Anſegiſus Senonum Archiepiſcopus, & exemplo ejus quidam ipſius ſucceſſores primatum per Galliam & Germaniam tamquam Apoſtolicæ Sedis Vicarii affectaverint.

Gregorii de Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo, majore avunculo ſuo, in libello de ejus Vita verba hæc ſunt. *Quodam tempore miſit Baſilium Preſbyterum ad Armentarium Comitem, qui Lugdunenſem urbem his diebus poteſtate Judiciaria gubernabat, dixitque ad eum. Pontifex noſter cauſſæ huic quæ denuò impetitur, dato judicio terminum fecit; ideoque commonet ne eam iterare præſumas. Qui furens reſpondit Preſbytero: Vade & dic ei quia multa ſunt cauſſæ in conſpectu meo poſita, quæ alterius judicio finienda erunt.* Quibus ex verbis intelligitur,

jamtum Epiſcopum Lugdunenſem jus dicere liteſque terminare conſueviſſe, nec voluiſſe quemquam à ſua ſententia ad Comitem Lugdunenſem appellare, tamquam ad minorem ſe judicem: cùm à ſe ad Regem ſæpe appellari indicet Armentarius, & lites multas de quibus cognoviſſet, alterius, nimirum Comitis Palatii judicio finiri conſueviſſe.

Continuator Chronici Guillelmi Nangiacenſis Lugduni *opidum S. Juſti* memorat his verbis. Anno MCCCV. *Papa Clemente, Dominicâ poſt feſtum S. Martini hiemalis, apud Lugdunum in Eccleſia Regalis opidi quod dicitur S. Juſti, præſentibus Cardinalibus & Prælatis multiſque Principibus conſecrato, cùm ſ…am ad dominum in urbem rediens, per frenum equi cui inſidebat, à Rege Franciæ per curiam dumtaxat opidi memorati deductus maximo cum honore fuiſſet*, &c. *Hoc opidum S. Juſti*, exiſtimo fuiſſe caſtellum, veterrimæ Baſilicæ S. Juſti circumdatum: qua ratione Eccleſias & Monaſteria inſignia quæ extra muros urbium erant, muniri adverſus incurſiones hoſtium ac latronum conſueviſſe, alibi obſervo. Certè ibidem *Caſtrum S. Juſti* dici reperio in anno MCCCX. *Lugdunenſes rebellionis ſpiritu aſſumto contra Regem Franciæ Philippū IV. caſtrum Regni quod dicitur S. Juſti, violenter diripiunt. Caſtrum Regni*, & *Regale opidum* vocatur, quòd Regum noſtrorum juſſu eſſet exſtructum.

In Notitiis provinciarum Galliæ provinciæ Lugdunenſis primæ metropolis *civitas Lugdunenſium*, & *metropolis civitas Lugdunum* vocatur; *Rhodanuſia* à Sidonio, quòd Rhodanus eam urbem præterfluat; *Lugdunum Galliæ nobiliſſima civitas* in Vita S. Auſtregiſili; *Lugdunum in Gallia* & regione Burgundiæ in appendice Chronici Fredegarii; *Lugdunum Galliæ* in rebus geſtis Pippini R. Ammiano Marcellino, Hieronymo & quibuſdam aliis *Lugdunus* in genere feminino; Ptolemæo modò *Lugdunum*, modò *Lugdunus*: Ptolemæo inquam in libro II. *clara Lugdunum metropolis*, ἐπίσημος Λούγδουνον μητρόπολις, id eſt metropolis Galliæ Lugdunenſis vel Celticæ; & in libro VIII. ἡ Λούγδουνος, *Lugdunus*: quo in libro inter urbes Galliæ inſignes, quas ἐπισήμους πόλεις, necnon διασημοτέρας, item ὀνομαζομένας vocat, *Aquitaniæ* quidem *Mediolanium*, ſeu Mediolanum Santonum, & *Burdigalam*, *Lugdunenſis Galliæ Auguſtodunum* & *Lugdunum*, *Belgicæ* autem *Galliæ Geſoriacum* & *Durocottorum*, *Narbonenſis Galliæ Maſſiliam*, *Narbonem*, *Viennam* & *Nemauſum* numerat.

Ab ea urbe nomen accepit pagus Lugdunēſis, *le Lyonnois*, in veteribus Geſtis Regis Pippini memoratus, dictuſque *pagus Lugdunenſis in Regno Burgundiæ*, item in Diviſione Regni Francici, quę Carolo Magno tribuitur vulgò, in Vita & rebus Ludovici Pii Aug. & in Diviſione Regni Lotharii, alibique paſſim. Diœceſis autem Lugdunenſis per pagos Lugdunenſem, Belloiocenſem & Forenſem, & per partem Brexiæ agrique Burbonenſis diffunditur.

De ara Auguſti Lugduni, & de ludis Miſcellis ibi celebrari ſolitis, ac de certamine Grę́cæ Latinæque facundiæ ſcripſi in Atanaco, qui eſt locus Lugduni ad confluentes Araris & Rhodani, hodieque dictus *Ainay*.

Notum illud C. Plinii in epiſtola quadam libri IX. *Lugduni bibliopolas eſſe non putabam*: ex quo intelligitur, ætate Plinii minoris ſive principatu Traiani A. Lugduni bibliopolas fuiſſe, atque ibi litterarum ſtudia floruiſſe. Odilo Cluniacenſis Abbas, qui circa annum MXX. viguit, in libro de Vita Maioli *Lugdunum urbem philoſophiæ nutricem & matrem* appellat, *quæ totius Galliæ* (ſcilicet Celticæ vel Lugdunenſis) *ex antiquo more & Eccleſiaſtico jure non immeritò retinet arcem*. Idem in libro de Vita Adalheidis Aug. *lætabatur* (inquit) *adventu ejus tota Burgundia, exſultabat Lugdunus, philoſophiæ quondam mater & nutrix, urbs inclyta*. Ibi & profeſſores Græci Latinique Grammaticæ & Rhetoricæ ſcholas publicas habuere, & è fiſco ſalaria annua Romanis imperantibus. Auſonius in gratiarum actione ad Gratianum Aug. ſcribit, Titianum *municipalem ſcholam apud Veſontionem Lugdunumque variâſſe* & Fridericus Aug. in litteris anno MCLVII. datis ait, *ſedem Lugdunenſem olim primis legis Doctoribus ceteris civitatibus præeminuiſſe; nunc autem inter omnes Galliarum Eccleſias primam eſſe, & primatus dignitate præfulgere*, per provincias nimirum Lugdunenſes IV. ſeu per Celticam ſolam. Nimirum ſingulæ in Galliis metropoles, ſeu civitates Archiepiſcopales & capita provinciarum profeſſores publicos Grammaticæ atque Rhetoricæ habuerunt, quibus Imperatores ſalaria annua è fiſco præbebāt. Id nos docet lex Imperatorum Valentis, Gratiani & Valentiniani A A A. ad Antonium Præfectum Prætorio Galliarum, quæ talis eſt in Codicis Theodoſiani libri XIII. Titulo III. *Per omnem Diœceſim commiſſam Magnificentiæ tuæ, frequentiſſimis in civitatibus quæ pollent & eminent claritudine præceptorum, optimi quique erudiendæ præſideant juventuti. Rhetores loquimur & Grammaticos Atticæ Romanæque doctrinæ. Ut ſingulis in urbibus quæ Metropoles nuncupantur, nobilium Profeſſorum electio celebretur*. Igitur ſingulis in Galliarum urbibus metropolitanis, quæ & *frequentiſſimæ civitates* vocantur, (ne de ceterarum Imperii Romani provinciarum urbibus maximis loquar) erant nobiliſſimi quique & optimi ac clariſſimi Rhetores atque Grammatici Græci Latinique, annua è fiſco, ſtrenas quoque Kalendis Januariis accipere ab Imperatoribus ſoliti. Huiuſmodi ſcholas Treviris, Narbone, Lugduni, Burdigalæ, Veſontione, aliiſque in urbibus Galliarum quæ Metropoles erant, floruiſſe docet præ ceteris Auſonius. Quamquam non ſolas Galliæ Metropoles eo privilegio potitas eſſe, indicat Auguſtodunum, ubi *nobiliſſimam Galliarum juventutem* liberalibus ſtudiis & *ingenuis artibus erudiri* Diocletianus & Maximianus Auguſti ſcripſere, & auditorio loci Eumenium Latinum Rhetorem præfecere: qui Mænianas ſcholas Auguſtoduni celebres ac illuſtres fuiſſe teſtatur. Jam Arborius, Exſuperius, & Sedatus Rhetores Toloſæ fuerunt, & *Statius Urſulus Toloſenſis*, ut Euſebius prodit in Chronico, *celeberrimè in Gallia Rhetoricam docuit* Neronis

principatu, non alibi credo quàm Toloſæ. Jam Auſonius *Ammonii Anaſtaſii, Grammatici Pictavorum*, & *Ruſi Rhetoris Pictavici* meminit, quem ceu infantem & elinguem ac indoctum non uno epigrammate deridet. Miſſas facio Maſſilienſes ſcholas, vetuſtate & claritate nobiliſſimas, frequentiſſimaſque. Omitto quod Hieronymus in Chronico tradidit, *Arnobium Rhetorem in Africa clarum, Siccæ juvenes ad declamandum erudiſſe*. Auguſtodunum autem, & Toloſa, & Pictavi, atque Maſſilia claræ quidem urbes in Gallia fuere, ſed non magis metropoles fuere, quàm in Numidia Sicca Veneria. Ut appareat claris urbibus, etiamſi metropoles non eſſent, ſuas etiam plerumq, ſcholas minimè defuiſſe. Cur porrò Auſonius cùm Lugdunenſem ſcholam, tum Veſontienſem humili vocabulo *municipalem ſcholam* ſuprà vocaverit, equidem neſcio. Neque enim Lugdunum clariſſima Galliarum urbs*, caputque Celticæ vel Lugdunenſis Galliæ, Romana olim colonia, ac ne Veſontio quidem, metropolis Maximæ Sequanorum, *Municipium* vocari, aut pro municipio haberi debuit. Sed nimirum Auſonius Lugduno ſemper & ubique propter Gratiani cædem infeſtiſſimus ac iniquiſſimus fuit, adeò ut non contentus illud inter claras Imperii urbes omiſiſſe, etiam *Municipii* appellatione deterere conatus ſit.

Lugduni ut apud Atanacum Amphitheatrum fuit, in quo venationes & gladiatoria munera dari conſueverant: ſic fuit ibi & theatrum vel ſcena, in qua ſcenicæ voluptates populo prębebantur, in qua pantomimi ſaltabant, & comœdi tragœdique certabant. Auctor eſt Dion in libro LXXVII. Theocritum Cæſarianum, qui Antoninum Severi filium ſaltare docuit, & Saotero in deliciis fuit, cùm Romanis in ſcena non placuiſſet, relictâ Româ Lugdunum veniſſe, & Lugdunenſibus qui Romanis multo agreſtiores & inficetiores erant, admodum placuiſſe, atque ex ſervo & pantomimo Ducem copiarum & Præfectum Prætorii evaſiſſe: ἐς τὸ Λούγδουνον ἐλθὼν, ἐκείνοις ἅτε καὶ ἀγροικοτέροις ἤρεσε. Idem in libro LXIV. prodidit, Vitellium A. Lugduni & Cremonæ gladiatorias pugnas ſpectaviſſe: ὁ Βιτέλλιος εἶδεν ἐν Λουγδούνῳ μονομάχων ἀγῶνας καὶ ἐν Κρεμώνῃ. Fuit ibidem etiam Palatium. Nam Hieronymus in Chronico ſcribit, Magnentium, qui Auguſtoduni Imperium arripuerat, *Lugduni in Palatio propriâ ſe manu interfeciſſe.*

In Chronico quodam Divionenſis Monaſterii S. Benigni, quod Labbeus edidit, hæc legi. *Anno* DCCCXL. *Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus obiit* VIII. *Idus Junij: & memorabile ac inſigne opus quod Forum vetus vocabatur, Lugduni corruit ipſo die intrantis autumni: quod ſteterat à tempore Traiani Imper. per annos ferè* DCC. Ergo Imperator Traianus Lugduni Forum vetus exſtruxit, quod eo cognomine à *Foro Novo*, ibidem pòſt ædificato, diſtinxere incolæ. Chronicon Viceliacenſe, ab anno DCLX. ad annum MCCCXVI. deductum, Forũ illud alio nomine, à templo Veneris quod ibi juſſu Auguſti ſtructum erat, *Forum Veneris* appellat hiſce verbis. *Anno* DCCCXXXIX. *Forum Veneris Lugduni corruit*. Nunc dicitur *Forviere*, appellatione à *Foro vetere* potiuſquàm à *Foro Veneris* ductâ: & collegium Canonicorum, in Eccleſia S. Thomæ in Foro Vetere Deo militantium, vocatur *S. Thomas de Forviere*. Paradinus prodit, à quibuſdam *Forum Veneris*, at in multis veteribus tabulis quas viderit, *Forum vetus* nuncupari: & ſupereſſe hodie in monte Lugduni antiquas parietinas admirabilis ſtructuræ, quas incolæ reliquias Amphitheatri eſſe exiſtiment, cùm Fori veteris ruinæ ſint atque veſtigia.

Eſt & Lugduni *domus Rodana* vel *Rodana*, in litteris anni MCCCXII. aliiſque memorata, vulgò *la maiſon de Roanne*, aut *l'Hostel de Roanne* dicta, propterea quod ad dominos *Rodana*, (ſic recentiores Rodumnam vocarunt *Roanne*) ortos Comitibus Forenſibus primum pertinuit: quæ poſtea Dalfinorum Viennenſium, ac demum Regum Francorum fuit, ut Rabiſius ſcribit: quæ *domus Rodonna* aut *Rodanna* meliùs diceretur.

Caſtrum Petra ſciſa in litteris anni MCCCXII. nuncupatur, à re nomen habens: vulgo *le Chaſteau de Pierre Cize* vocitant Lugdunenſes.

Pontii Pilati, qui Judææ Procurator Chriſtum inſontem latâ ſententiâ condemnavit, patria fuit Lugdunum: ſi verum eſt, quod ante annos mille XLIV. ſcripſit Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, Pilatum ab Imper. Tiberio Lugdunum unde ortus erat, relegatum fuiſſe, ubi ſe gladio tranſverberaverit. Certè hodieque Lugdunenſes extra urbis muros domum oſtentant, quam aſſerunt, & ita à patribus tradita per manus relatione acceperunt, fuiſſe Pilati. Verba Iſidori, cujus Chronicon libros II. Lucas Tudenſis Diaconus Hiſtoriæ ſuæ inſeruit, ne à quoquam deſiderentur, talia ſunt. *In multis autem Judæis accuſantibus Pilatum apud Tiberium, Pilatus in exſilium miſſus eſt Lugdunum, unde erat oriundus, ut ibi moreretur in opprobrium Gentis ſuæ. (Hic ſceleratiſſimus duabus ſororibus intulit ſtuprum.) Ubi multis coartatus injuriis & tormentis, eo quòd ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, propria ſe manu peremit.* Verba quæ parentheſi incluſi, ad Caligulam, non ad Pilatum pertinent, & heic alieno planè loco inſerta ſunt.

Herodes Antipas, filius Herodis ſenioris, Galilęæ & Peręæ Tetrarcha, à Caio Caligula relegatus eſt Lugdunũ Galliæ: ubi cum Herodiade mœcha in ſumma egeſtate periit, quemadmodum Joſephus memoriæ tradit. Ejus maximus frater Archelaus Tetrarcha, poſtquàm novem annis Judęam cum Idumęa & Samaria tenuerat, pridem ab Auguſto ſpoliatus fortunis, & in exſilium Viennam miſſus fuerat.

LUGDUNENSIS GALLIA VEL CELTICA: ET DE VARIIS GALLIÆ DIVISIONIBUS, EJUSQUE CUM HISPANIA COMPARATÆ PRÆCELLENTIA.

Ab urbe Lugduno velut à metropoli ſua *Lugdunenſis Gallia* nomen accepit: quæ ante conditum Lugdunum ab indigenis *Celtica*, à Romanis *Gallia* appellabatur. Nam qui Celtę linguâ ſuâ dicebantur, Latinâ Galli ceu proprio nomine à Romanis nuncupari

conſueverant: ut Cęſar in libro I. Commentariorum docet. Quod ut intelligatur, ſcire convenit, totius primùm Galliæ incolas communi nomine *Celtas* appellatos, Gręcis *Celtas* & *Celtos*; & totam Galliam, quę ab ortu Alpibus & Rheno, ab occaſu Oceano, à meridie Pyrenęo ac mari Gallico, à Septemtrione Rheno & Germaniâ terminatur, in commune *Celticam* dictam eſſe. Docent id vetuſtiſſimi ſcriptores Gręci, qui partem Gallię mari interno appoſitam, quam unam norant, Κελτικὴν appellavere: docet Strabo, qui totam Galliam Κελτικὴν nuncupavit: docent vocabula Gręca Κελτογαλατία & Κελτικὴ, quibus Græci recentiores univerſam Galliam diutiſſimè deſignaverunt. Claudius Ptolemęus & Marcianus Heracleotes Celtogalatiam ſeu Galliam in IV. provincias dividi tradunt, Aquitaniam, Lugdunenſem, Belgicam & Narbonenſem. ἡ Κελτογαλατία διῄρηται εἰς ἐπαρχίας δ'. Ἀκυιτανίας καὶ Λουγδουνησίας, καὶ Βελγικὴν καὶ Ναρβωνησίαν. Ergo tam Aquitania & Belgica & Narbonenſis erant *Celtogalatia* vel *Celtica*, ſeu erant Celtogalatiæ aut Celticæ; quàm provincia Lugdunenſis: nec magis huic quam illis *Celtica* vel *Celtogalatia* appellatio; non magis hujus quàm illarum incolis *Celtarum* nomen conveniebat. Quin & Germanos Tranſrhenanos ſæpe à Gręcis *Celtas* dictos reperio: credo quòd multi è Celtis Galliſve non paucas trans Rhenum colonias miſerant. Nam in primis Volcę Tectoſages loca circa ſilvam Hercyniam fertiliſſima occupaverant: & inter Hercyniam ſilvam Rhenumque & Mœnum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utrique gens tenuere, ſicuti Cęſar & Tacitus tradunt.

Ut tamen inter Africę provincias fuit *Africa* propriè dicta, ſeu regio Proconſularis, in qua Carthago; in Europa extrema inter VI. Thracię provincias fuit *Europa*, in qua Conſtantinopolis; in Aſia fuit *Aſia* minor, abſolutè Velleio & multis aliis *Aſia* nuncupata, in qua Pergamum eminet: ſic inter Celticę Gallięve provincias fuit regio, ab incolis *Celtica*, à Romanis *Gallia* proprio nomine vocata, quam poſtea condito ibi Lugduno, *Lugdunenſem Galliam* appellavere. Celtę ſeu Galli, ut ait Cęſar, ab Aquitanis Garumnâ, à Belgis Matronâ & Sequanâ dividebantur; *initium capiebant à Rhodano, attingebant etiam à Sequanis & Helvetiis flumen Rhenum.* Sed poſtmodum Sequani & Helvetii Celticę detracti ab Auguſto, & Belgicę ſunt attributi: ab eodem XIV. Gentes Garumnam inter & Ligerim Celtis ademtæ, & adſcriptę ſunt Aquitanis. Unde Plinius qui Auguſtum & Agrippam auctores in provinciarum diviſionibus atque menſuris ſequi ſe diſertè teſtatur, & Ptolemęus Sequanos & Helvetios Belgicę tribuerunt; ambo cum Strabone populos uſque ad Ligerim Aquitanię adſcripſerunt. Celtica igitur ſeu Gallia propriè dicta primum à Garumna ad Sequanam, ad ſuperiores etiam partes Rheni pertinuit: ſed poſtea detrimento eius auctâ hinc Aquitaniâ, inde Belgicâ, ipſa eſt imminuta, & Ligere ac Sequanâ fluminibus clauſa. Galliæ Lugdunenſi ſeu Celticæ Ptolemæus terminos aſſignat, ab Occidente Oceanum, à Septemtrione Britannicum Oceanum Gobęo promuntorio tenus; ab ortu Belgicam ac flumen Sequanam, à meridie partem Galliæ Narbonenſis uſque ad Cebennas montes, communem Aquitaniæ, provinciæ Narbonenſis & Galliæ Lugdunenſis terminum. Ptolemęum ſequitur Oroſius in libri I. capite II. ac qui Oroſium tranſcripſit ad verbum, Æthicus in Coſmographia, quorum amborum talia ſunt verba. *Gallia Lugdunenſis ducta per longum, & per anguſtum inflexa, Aquitanicam provinciam ſemicingit: quæ ab oriente habet Belgicam, à meridie partem provinciæ Narbonenſis, quà Arelas civitas ſita eſt.* Nimirum Seguſiani, Gens Rhodanica Galliæ Lugdunenſis, Helvios Rhodani accolas, Gentem provinciæ Narbonenſis attingunt, & ab eis monte Cebenna diſcluduntur. Plinius in libri IV. capite XVII. cum Julio Cęſare à *Sequana ad Garumnam Celticam eamdemque Lugdunenſem* eſſe ait, & in capite ſequenti oblitus ſui, recedit à Cęſare, ut ſequatur Auguſtum, ac unà cum eo Celticam vel Lugdunenſem Galliam ultra Ligerim non promovet, ſi ſitum populorum quos Celticæ attribuit, attentè conſideres: Aquitaniæ autem Santones, Pictones, Bituriges Cubos, alioſque Garumnam inter & Ligerim habitantes adſcribit. Præterea Sequana fluvius ſi ſtrictè ſumatur, limes Galliæ Lugdunenſis haberi non poteſt, cùm Celtas à Belgis nec ante nec etiam poſt receptum Matronam dividat. Quippe Celticæ Gentes Veliocaſſes & Caleti trans Sequanam longè ac latè ſedes habent, & Auciam Briſelamve flumen ac Augam opidum attingunt. Simili errore Ammianus Marcellinus in libro XV. ſcribit, *Gallos qui ſunt Celtæ, ab Aquitanis Garumnâ diſterminari, à Belgis verò Matrona diſſcindi & Sequanâ*: & nihilominùs tamen, velut immemor aſſignatorum finium, in *Aquitania Arvernos & Pictavos* Arvernorum & Pictonum capita, *Santoneſque* id eſt Mediolanum Santonum ponit. Hugo Floriacenſis Monachus aſſerit, *Lugdunenſem provinciam oriri à monte Jura, & à lacu Lemano ac flumine Rhodano, & extendi ad Oceanum Britannicum, atque ad Ligeris alveum, qui eam ab Aquitania dividat.* Lugdunenſis tamen Gallia Rhodanum quidem attingit; Lemanum & Juram non attingit.

Apud Plinium in libri IX. capite V. reperio, *Divo Auguſto Legatum Galliæ*, (id eſt Galliæ Lugdunenſis) *complures in litore apparere exanimes Nereidas* ſcripſiſſe. Tacitus in libro III. Annalium *Acilium Aviolam Legatum Lugdunenſis Galliæ* memorat, qui excità cohorte Lugduni præſidium agitante, Andecavos rebelles coercuerit principatu Tiberii; in Hiſtoriarum libro I. ac II. Junium Blæſum, *Lugdunenſis Galliæ rectorem* ſub Vitellio. Suetonius in Nerone tradit, Iulium Vindicem tum *Gallos* (id eſt Lugdunenſem Galliam vel Celticam) *pro Prætore obtinuiſſe.* Auctor eſt Spartianus, Septimium Severum ante Imperium *Lugdunenſem provinciam Legatum accepiſſe*; & Peſcennium Severo, eo tempore *quo Lugdunenſem provinciam regebat*, amiciſſimum fuiſſe. Diutiſſimè igitur una fuit provincia Lugdunenſis, & unum rectorem

rectorem habuit, qui nunc *Legatus*, nunc *pro Pratore* vocabatur. Poſtea non (ut quidam putant) ab Hadriano, ſed (ſicut mihi videtur) à Conſtantino Maximo ex una provincia duæ ſunt factæ, provincia Lugdunenſis I. & provincia Lugdunenſis II. Rufus Feſtus in Breviario Rerum geſtarum populi Romani, quod Valentiniano & Valente Imperatoribus compoſuit, *provincias Lugdunenſes duas* enumerat; Ammianus Marcellinus Rufi æqualis in libro XV. ſimiliter duas, *Lugdunenſem* I. in qua *Lugdunum* & *Senones*, ſeu Agedincum caput Senonum; *Lugdunenſem* II. in qua *Rotomagi* & *Turoni*. Demum circa Valentiniani aut Gratiani ejus filii principatũ duæ provinciæ Lugdunenſes in IV. diviſæ, quarum præcipua dicta eſt abſolutè *Lugdunenſis*, aliàs *provincia Lugdunenſis prima, in qua Lugdunum* metropolis, in quibuſdam Notitiis *Lugdunenſis* I. *ad Rhodanum* ob ſitum Metropoleos: altera vocata *Lugdunenſis* II. *in qua eſt Rotomagus*, aliàs *Lugdunenſis* II. *ad Oceanum*: tum *Lugdunenſis* III. *in qua Turoni*, aliàs *Lugdunenſis* III. *ad Oceanum*: poſtrema *Lugdunenſis Senonia*, aliàs *provincia Lugdunenſis* IV. *quæ & Senonia*. Harum IV. Lugdunenſium meminere Notitia Imperii Romani, & Notitia provinciarũ ac civitatum Galliæ, Honorii Aug. principatu condita, à Sirmundo Cheſnioque vulgata, & pleræque aliæ Galliarum Notitiæ vetuſtiores. Quidam recentiores Chronicorum & Notitiarum ac Provincialium Scriptores Lugdunenſes haſce IV. non à numero, ſed à metropoli quamque ſua cognominant, nimirum *Lugdunenſem provinciam*, partem veteris Regni Burgundiæ, in qua eſt Burgundiæ Ducatus. pro Lugdunenſi II. *provinciam Rotomagenſem*, quæ & *Normannia* vocatur; pro provincia Lugdunenſi III. *Turonenſem provinciam*, quæ *Britanniam* Ciſmarinam continet; pro Lugdunenſi IV. *provinciam Senonenſem*: quem morem Epiſcopi Regni Francorum in appellatione provinciarum Gallicanarum ſervare conſueverunt. Provinciam Lugdunenſem primam Conſularis regebat; provinciam Lugdunenſem II. Lugdunenſem III. & Lugdunenſem Senoniam ſuus quamque Præſes: ſive provincia Lugdunenſis prima *Conſularis* erat circa Honorii Principatum, ceteræ tres *Præſidiales*. His IV. provinciis noſtra ætate nova acceſſit, Lutetiâ Pariſiorum urbe Regia ademtâ Senoniæ metropolique civitati Senonum, & ad Archiepiſcopale faſtigium elata, & tribus de Senonia civitatibus, Carnutum, Aurelianorum ac Meldorum ei attributis; reliquis III. civitatibus relictis Agedinco: quæ provincia ut à Metropoli ſua *Pariſienſis provincia* dicitur, ſic & *provincia Lugdunenſis* V. rectè nuncupari poſſit, cùm provinciæ Lugdunenſis IV. pars fuerit. Hæc ſint dicta de Lugdunenſi Gallia. Hinc variæ Galliæ diviſiones dicentur.

Julius Cæſar *Galliam omnem diviſam eſſe in* III. *partes* ſcribit, *Belgicam*, *Celticam ſeu Galliam*, & *Aquitaniam*: *Belgas ab extremis Galliæ finibus oriri, pertinere ad inferiorem partem Rheni; Aquitaniam à Garumna ad Pyrenæos montes & partem Oceani* Hiſpaniam alluentis *pertinere*: *Celtas* vel *Gallos* terminis ſuprà jam memoratis includit. Adjicit Celtas, Belgas & Aquitanos non ſolùm *inſtitutis & legibus*, ſed etiam (quod mireris) *linguâ inter ſe differre*. Excluſit Cæſar Narbonenſem provinciam, quæ pridem Romanorum erat: uti Agrippa apud Plinium, Suetonius in Julio, Solinus in capite XXIV. & Eutropius in libro VI. in ſua Galliarum diviſione eamdem prætermiſere. Hæ tres Galliæ partes, Belgica, Celtica, & Aquitanica, in nummo Galbæ Aug. vocantur *tres Galliæ*, & alteræ alteris proximæ ac pæne conjunctis vultibus femineis exprimuntur. Habebant autem LXIV. præcipuas gentes civitateſve, quas Tacitus ac veteres inſcriptiones & priſca nomiſmata LX. *Galliæ civitates* nuncupant. Gallia omnis, videlicet Belgica, Celtica ſive Gallia, & Aquitania, uno nomine *Comata* appellabatur, propterea quòd ejus incolæ intonſi erant; quemadmodũ populi inalpini, Alpium Maritimarum incolæ ad confinium Liguſtici maris, quos Romani modò *Ligures Tranſalpinos*, modò *Capillatos* eam ob cauſſam dixere: quos tamen Lucanus ſua ætate tonderi more Romano conſueviſſe affirmat hoc diſticho

> Et nunc tonſe Ligus, quondam per colla decora
> Crinibus effuſis toti prælate Comatæ.

Narbonenſis autem provincia *Gallia Bracata* antè vocabatur à Romanis, eoque cognomine ab *Gallia Comata* diſtinguebatur, quoniam ejus habitatores longis bracis, proprio quodam genere veſtium uterentur: ſicuti *Togatam Galliam* ab uſu togæ, & à ſitu *Ciſalpinam* dixere Romani partem Italiæ coloniis Gallorum refertam; noſtram autem, *Tranſalpinam Galliam*.

Auguſtus Cæſar per Agrippam atque Meſſallam Aquitanos aut perdomuit, aut pacavit: cumque intelligeret *Aquitaniam* qualis à Julio Cæſare deſcripta erat, multo minorem eſſe, quàm ut pro IV. parte Galliæ haberi poſſet; eam ultra Garumnam uſque ad Ligerim protulit, imminutâ *Celticâ*, quæ tum à Lugduno recèns condito *Gallia Lugdunenſis* cœpta eſt appellari. Aquitaniam ab occidente Aquitanico Oceano, à Septemtrione & oriente parte provinciæ Lugdunenſis ad Ligerim, & portione Galliæ Narbonenſis uſque ad Pyrenæum, à meridie Narbonenſi, ſeu Cebennicis montibus, à fonte Ligeris ad Pyrenæum uſque, & Pyrenæo uſque ad promuntorium Oeaſonem circumſcribit Ptolemæus: quam Oroſius affirmat, à Circio Aquitanicum ſinum, ab occaſu Hiſpanias, à Septemtrionibus & Oriente Lugdunenſem, ab Euro & meridie Narbonenſem provinciam attingere.

Belgicæ idem Princeps Sequanos & Helvetios adjecit, qui fuerant antè Celticæ: in Narbonenſi Gallia nihil innovavit, ſed qualem invenerat reliquit. Belgicæ terminos ſtatuunt Ptolemæus & Oroſius aliique à Septemtrione Oceanum Britannicum, ab oriente flumen Rhenum, vel montes Adulam & Juram, ab Euro Alpes Penninas, à meridie partem provinciæ Narbonenſis, ab occaſu fluvium Sequanam & Galliam Lugdunenſem. Hinc Mella à *Sequana ad Rhenum pertinere Belgas* aſſerit; at Plinius à *Sequana ad Scaldem*, propterea quòd reliqua uſque ad Rhenum portio Belgicæ à Germanis Gen-

tibus obtinebatur, quæ & ab eis cognominata, ac bifariàm diviſa erat. Altera enim *ſuperior Germania* nuncupari cœpta Augusti Cæſaris principatu, à Voſago monte ad Obrincam flumen ſeu Moſellam pertinens; altera *inferior Germania* ab Obrinca ad Oceanum; hæc *Germania ſecunda* poſtea dicta, illa *provincia Germania prima.* Velleius in libro II. *exercitum qui in Germania militabat, præſentiſque Germanici imperio regebatur*, commemorans, nomine *Germaniæ* partem Belgicæ deſignavit; ut & Plinius, *caſtra legionum Germaniæ* inter Alpes & oſtium Rheni memorans in libri IV. capite ultimo. Et in capite XIII. *Toto autem hoc mari* (inquit) *ad Scaldin uſque fluvium Germaniæ accolunt Gentes haud explicabili menſurâ: tam immodica prodentium diſcordia eſt.* Idem in capite XIV. ejuſdem libri Magnam Germaniam Tranſrhenanamve quam deſcribit, propter idem regionum nomen eamdemque Gentium originem, cum Ciſrhenana Germania, ſeu cum ſuperiore & inferiore Germania, parte Galliæ Belgicæ conjungit his verbis. *Amnes clari in Oceanum defluunt, Viſtula, Albis, Viſurgis, Amiſius, Rhenus, Moſa:* ex quibus *Moſa* fluvius eſt Germaniæ inferioris, inter Rhenum & Scaldem, quem Plinius non ſemel terminum Belgicæ aſſignat. Tacitus in libro I. Annalium ejuſce Germaniæ incolas *Germanos cis Rhenum colentes* appellat, & *Viſellium Varronem* vocat in libro III. Annalium *inferioris Germaniæ Legatum*, qui Turonios legionario milite miſſo oppreſſit; atque in Hiſtoriarum libro I. *ſuperioris Germaniæ, & inferioris Germaniæ legionum* ſub Galba meminit. Florus in epitome Liviana libri CXXXVII. *Germaniam cis Rhenum* ſimiliter nuncupat, quum ait, *civitates Germaniæ cis Rhenum & trans Rhenum poſitas, oppugnatas à Druſo.* Suetonius in Vitellio *inferiorem Germaniam, ac ſuperiorem provinciam*, id eſt ſuperiorem Germaniam memorat: memorat & Ptolemæus, qui Γερμανίαν τὴν ἄνω, Γερμανίαν τὴν κάτω vocat, & exemplo Plinii utramque hanc Germaniam eodem, quo Belgicam cujus membrum erat, capite comprehendit ac enarrat. Irenæus in libro II. contra Hæreſes ejuſdem Germaniæ mentionem fecit. *Neque hæ* (inquit) *quæ in Germania fundatæ ſunt, Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Iberis, neque quæ in Celtis.* Didium Julianum *legioni* XXII. *Primigeniæ in Germania præfuiſſe* Spartianus tradit, (ſuperiore nimirum aut inferiore) *& Germaniam inferiorem rexiſſe.*

Strabo Narbonenſem provinciam (quam ipſe Ναρβωνῖτιν, Ptolemæus ac plerique alii Ναρβωνησίαν vocant, Dioſcorides haud ſemel Ναρβωνίαν) ab occidente Pyrenæo, à Septemtrione *Cemmeno*, id eſt Cebenna monte terminat, ab Auſtro ſeu meridie mari Gallico uſque ad Varum. At ſi Ptolemæo creditur, Narbonenſis Gallia ab ortu habet Alpes, ab Adula monte ad oſtium Vari pertingentes, à meridie Pyrenæum, ab Aquitania uſque ad promuntorium Pyrenes ſeu templum Veneris Pyrenææ, & mare Gallicum: Cui Oroſius ab oriente Alpes Cottias, ab occidente Hiſpaniam, à Circio Aquitaniam, à Septemtrione Lugdunénſem, ab aquilone Galliam Belgicam, à meridie mare Gallicum limites præſcribit; Plinius à Septemtrione *montes Cebennam & Juram*, Mela *Cebennicos montes & Lemannum lacum.* Auſonius Sequanis, Alpibus, Pyrenæo, lacu Lemano & Rhodano, ac Cebennis Narbonenſem Galliam includit. Hæc, ut ait Plinius, *agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum nulli provinciarum poſtferenda, & Italia veriùs quàm provincia.*

Auguſtus igitur Galliâ IV. in partes diviſit, in Belgicam, Celticam vel Lugdunenſem, Aquitaniam, & Narbonenſem: aut veriùs ſuas Galliæ partes IV. quas invenerat reliquit, ſed finibus Belgicæ & Aquitaniæ prolatis Galliæ Lugdunenſis anguſtatis. Strabo diſertè in libro IV. teſtatur, Auguſtum Cæſarem IV in partes totam Galliam diviſiſſe. Ὁ δὲ Σεβαστὸς Καῖσαρ τετραχῆ διελὼν τὴν Κελτικὴν, τοὺς μὲν Κέλτας, &c. Quatuor hæ partes erant Narbonenſis, Aquitania, Lugdunenſis ſeu Celtica, & Belgica, quas eodem in libro Strabo junctim deſcribit. Nec plures his IV. partibus Pomponius Mella Claudii Aug. æqualis agnoſcit, qui *Galliam Narbonenſem* ſeu *Bracatam* in capite V. libri II. in capite II. libri III. *Comatam Galliam*, in tres ſummos populos, Aquitanos, Celtas Belgaſque diviſam, breviter enarrat, & ſpretis Auguſti mutationibus, cum Julio Cæſare *à Pyrenæo ad Garumnam Aquitanos, ab eo ad Sequanam Celtas, inde ad Rhenum pertinere Belgas* aſſerit. Plinius imperante Veſpaſiano ſimiliter IV. tantùm Galliæ partes agnoſcit, *Narbonenſem provinciam, Bracatam antè dictam*; quam capite IV. libri III deſcribit; *Galliam Belgicam*, quam capite XVII. libri IV. *Celticam eamdemque Lugdunenſem*, quam capite XVIII. & *Aquitaniam*, quam capite XIX. exponit: & in capite XVII. ait, *Galliam omnem Comatam uno nomine appellatam, in tria populorum genera dividi*, quæ *populorum tria ſumma nomina* Mella nuncupavit. Sed idem Plinius cùm in capite XVII. libri IV. exemplo Julii Cæſaris *Celticam* ſeu *Lugdunenſem Sequanâ & Garumnâ*, *Aquitaniam Garumnâ* fluvio & *Pyrenæi montis excurſu*, id eſt Oeaſone promuntorio Pyrenaico termináſſet; nihilominùs quaſi oblitus ſui in capite ſequenti Lugdunenſem Galliam Ligeri & Sequanâ amnibus clauſit, in capite XIX. Aquitanicâ a Pyrenæo promovit ad Ligerim, ſecutus Auguſtum Cæſarem qui XIV. Gentes Garumnâ inter & Ligerim ſitas Aquitaniæ adjunxerat & Julianos terminos tranſgreſſus eam ad Ligerim uſque protulerat, ut Strabo teſtatur. Itaque non plures IV. habuit ſub Julio, atque etiam ſub Auguſto inſequentibuſque Principibus Gallia provincias, niſi quòd Belgica ſuperiorem inferioremq; Germaniam continebat. Sed ſuperior Germania & Germania inferior, ut Belgicæ portio erant, ſic apud Plinium & Ptolemæum uno cum Belgica capite côtinentur ac deſcribuntur. Tacitus in Annalium libro III. *Acilium Aviolam Legatû Lugdunenſis Galliæ*; in libro XIII. *Ælium Gracilem Belgicæ Legatum*; in Hiſtoriarum libro I. *Valerium Aſiaticum Belgicæ provinciæ Legatum*; & *Junium Blæſum Lugdunenſis Galliæ rectorem* vocat; necnon *Aquitaniam à Julio Cordo in verba Othonis obſtrictam*, & *provinciam Narbo-*

nenſem commemorat ; Suetonius in Galba *Legatum Aquitaniæ.* Claudius Ptolemæus qui Marci Aurelii Antonini principatu floruit, *Celtogalatiam*, id eſt Galliam in IV. præfecturas, (ἐπαρχίας) ſive in IV. provincias ſuo quamque rectori ſeu Legato attributas dividit, *Aquitaniam*, *Lugdunenſem*, *Belgicam* & *Narbonenſem*, quas eodem ſingulas ordine deſcribit. Didius Julianus *Belgicam ſanctè ac diu rexit*, ut Spartianus refert : & L. Septimius Severus *Lugdunenſem provinciam Legatus accepit.* Tetricus Senator *Aquitaniam honore Præſidis adminiſtraviſſe* dicitur Eutropio. Non ſolùm ergo ſub Auguſto, ſed etiam ſub recentioribus multo Principibus, Juliano, Severo, Gallieno, aliiſque *Belgica* una, ſimplex & indiviſa erat, in qua *ſuperior Germania* & *inferior* ; *Lugdunenſis Gallia Celticave* una erat ; *Aquitania* una & ſimplex erat ; *Narbonenſis Gallia* una erat : quem *tractum omnem Galliæ provinciarum* Velleius appellat : nec plurium Galliæ partium aut provinciarum à veteribus Hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus mentionem factam reperio. Quo magis miror Joſephum Scaligerum, ſummæ virum doctrinæ, qui & Strabonem & reliquos Geographos Hiſtoricoſque ſuprà nominatos haut dubiè evolverat, in ſua Notitia Galliæ affirmare, *Auguſtum Gallias in decem & ſeptem provincias partitum eſſe*, *Belgicam* videlicet I. *Belgicam* II. *Germaniam* I. *Germaniam* II. *Lugdunenſes* IV. *Maximam Sequanorum*, *Viennenſem*, *Alpes Graias & Peninas*, *Alpes Maritimas*, *Narbonenſem* I. *Narbonenſem* II. *primam Aquitaniam*, II. *Aquitaniam*, & *Novempopulanam.* Errat & Ammianus Marcellinus, quum Julio Cæſare Dictatore provinciam Viennenſem fuiſſe affirmat, & Narbonenſis, Viennenſis ac Lugdunenſis unum eumdemque rectorem extitiſſe : cujus in libro XV. verba hæc ſunt. *Regebantur Galliæ omnes, jaminde ut ceſſere Julio Dictatori, poteſtate in partes diviſa* IV. *quarum Narbonenſis una Viennenſem intra ſe continebat, & Lugdunenſem ; altera Aquitanis præerat univerſis ; ſuperiorem Germaniam, Belgaſque duæ juriſdictiones eiſdem rexere temporibus.* Provincia Viennenſis nulla fuit ſub Julio, nulla ſub Auguſto ſequentibuſque Imperatoribus. Quippe in Hiſtoria Romana ejus tum provinciæ nuſquam extat vola vel veſtigium, cùm Narbonenſis provinciæ pars eſſet. Nec unus fuit rector Narbonenſi ac Lugdunenſi : cùm Acilius Aviola, & Junius Blæſus, ac Septimius Severus præter ceteros *Lugdunenſem Galliam rexiſſe*, ab Tacito & Spartiano dicantur ; Narbonenſi Galliæ unà præfuiſſe non dicantur. Sic Titus Vinius *Galliam Narbonenſem rexiſſe* Tacito dicitur ; *Galliam Lugdunenſem*, aut *Viennenſem provinciam* una *rexiſſe* non dicitur. Jam (qui tertius eſt error Marcellini) Belgica quidem olim ſuum ſibi Legatum habuit : quales fuere Ælius Gracilis ſub Nerone Aug. Valerius Aſiaticus, Didius Julianus : ſed ſuperior Germania & inferior non uni ambæ rectori paruerunt. Certè Viſellium Varronem *inferioris Germaniæ Legatum* Tacitus nuncupat : & Didium Julianum qui poſtea paucis menſibus imperavit, *Belgicam diu, poſt Germaniam inferiorem rexiſſe* memoriæ tradidit Spartianus. Qui autem *inferioris Germaniæ Legatum rectoremve* commemorat, apertè (ni fallor) oſtendit, ſuum quoque ſimiliter ſuperiori Germaniæ Legatum aut rectorem fuiſſe. Alioquin & Varronem *utriuſque Germaniæ Legatum*, vel *ſuperioris & inferioris Germaniæ Legatum* Tacitus appellaviſſet : & Spartianus Julianum *utramque Germaniam*, aut *Germaniam ſuperiorem & inferiorem rexiſſe* ſcripſiſſet, ſi unum ambæ Legatum habuiſſent.

Vienna quidem quando provinciam nominis ſui habere cœperit à Gallia Narbonenſi diſtractam, aut quando metropolis facta fuerit, haud facile dictu eſt. Euſebius in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libri V. capite I. relaturus epiſtolam Chriſtianorum Viennenſium ac Lugdunenſium de XLVIII. Martyribus ſuis, qui à loco cædis *Martyres Atanacenſes* cognominati ſunt, *Lugdunum & Viennam inſignes Galliæ metropoles* vocat : τὰς Γαλλίας μητροπόλεις ἐπισήμους, καὶ παρὰ τὰς ἄλλας τῶν αὐτόθι διαφερούσας βεβοημένας Λούγδουνον καὶ Βίενναν. Metropoles autem non aliæ vocabantur quàm matres urbium, & capita provinciarum. Ut ergo Lugdunum metropolis erat Lugdunenſis Galliæ ; ſic Vienna provinciæ Viennenſis : qui honor Lugduno à prima origine contigit, Viennæ non item. Tantùm conſtat, ætate Euſebii, imperante Conſtantino *provinciam Viennenſem* fuiſſe : & in Concilio Arelati habito Voluſiano & Anniano Coſſ. anno Domini CCCXIV. imperii Conſtantini IX *civitatem Arelatenſium*, *civitatem Maſſilienſem civitatem Viennenſem*, *civitatem Vaſenſem*, id eſt Vaſionem & *civitatem Arauſicorum* provinciæ Viennenſi attribui. Sed videtur Euſebius plus aliquid dicere, nimirum quum XLVIII Martyres Lugdunenſes & Viennenſes pro Chriſto occubuere, (Occubuere autem Imperatore M. Aurelio Antonino, anno Chriſti CLXXVII.) jam *provinciam Viennenſem* extitiſſe. Quod ſi verum eſt, facta fuerit ea provincia ab Ælio Hadriano Aug. qui *officia publica, Palatina & militaria in eam formam ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum immutatis*, Theodoſii principatu *perſeveraverit*, ut liber de vita & moribus Imperatorum Rom. docet.

Nec minùs incertum eſt, quo tempore Alpes Graiæ & Peninæ, & Alpes Maritimæ Gallicanis provinciis acceſſerint. *Ex Inalpinis Bodionticos*, & *Sontionticos* vel *Sentios* quorum opidum Dinia, *adjecit Galba Imperator Narbonenſis provinciæ formulæ* ; uti ſcribit Plinius. Quam ob cauſam Ptolemæus *Diniam* in Gallia Narbonenſi cum *Sentiis* ſuis collocavit. *Nantuates*, *Sedunos*, *Veragros*, *Octodurenſes* & *Centrones*, id eſt Graias Alpes atque Peninas ; *Caturiges* quoque, olim Cottiis Alpibus, pòſt Maritimis attributos, & ex Gentibus Alpinis Capillatis *Vendiatios*, quorum opidum *Cemenelium*. *Neruſos* item ac *Suetros* qui Maritimis Alpibus continentur, Italiæ Plinius adſcribit in libri III. capite V. & XIX. Ptolemæus quoque Aſtronomus & Geographus, Hadriani & Antonini Pii æqualis, *Veſdiantiorum urbes Cemenelium & Sanitium* in *Maritimis Alpibus* ponit, *Eborodunum Caturigum* in *Graiis Alpibus* ; cùm tunc fuerit in Alpibus Cottiis : *Neruſiorum urbem Vintium*,

& *Suetriorum urbem Salinas Maritimis* etiam *Alpibus* adſcribit : *Alpes* autem cum *Graias* atque *Peninas*, tum *Cottias* ſive *Cottanas*, & *Maritimas* idem Italiæ, exemplo Plinii, contribuit. Ex quo apparet non ſolùm Veſpaſiano, ſed etiam Ælio Hadriano & Antonino Pio Imperatoribus *Alpes Graias & Peninas*, *Alpeſque Maritimas* Italiæ habitas eſſe, necdum Galliæ aut provinciæ Narbonenſi adjunctas fuiſſe. Rufus Feſtus ſub Imperatoribus *Alpes Maritimas*, & *Alpes Cottias Romano orbi acceſſiſſe* ſcribit. *Nantuates*, *Veragri* & *Seduni*, Alpium Peninarum incolæ, ætate Julii Cæſaris ſibi perſuaſerant, *Romanos perpetuæ poſſeſſionis cauſâ culmina Alpium occupare conari, & ea loca finitimæ provinciæ adjungere*, id eſt Galliæ Narbonenſi.

Quod à Conſtantino Maximo Aug. factum eſſe, & numerum provinciarum Galliæ ab ipſo auctum, ac pro v. aut circiter xiv. provincias conſtitutas exiſtimo. Rufus Feſtus V.C. Breviarium Rerum geſtarum populi Rom. *Pio, Perpetuo domino Valenti Imperatori, & ſemper Auguſto* dedicavit; *Valenti* inquam, non ut libri editi preferunt *Valentiniano*: ſicut ipſe teſtatur his verbis. *Nunc Eoas partes totumque Orientem, ac poſitas ſub vicino Sole provincias qui auctores ſceptris tuis paraverint, explicabo: quò ſtudium Clementiæ tuæ quod in hiſdem propagandis habes, ampliùs excitetur.* Hæc nequaquam Valentiniano conveniunt, qui Occidentem tenuit; conveniunt Valenti ejus fratri atque collegæ, qui in Oriente dominabatur. Idem in fine Breviarii optat, ut Imperator poſt debellatos Gothos, Perſas etiam pacet. *Maneat modò ab amico cui credis & creditus es, numine indulta felicitas, ut ad hanc ingentem de Gothis, etiam Babyloniæ tibi palma pacis accedat.* Gothos autem qui trans Iſtrum ſedes tum habebant, à Valente per biennium oppugnatos, & variis cladibus affectos, pacemque demum cum attritis & infractis compoſitam eſſe, Ammianus Marcellinus preter ceteros tradidit. Rufus igitur Feſtus, qui circa annum Chriſti ccclxx. poſt Conſtantini Aug. mortem xxxiii. fratribus Valentiniano & Valente Imperatoribus ſcripſit, xiv. Galliæ provincias ſua ætate fuiſſe docet his verbis. *Sunt Galliæ cum Aquitania & Brittanniis provinciæ decem & octo: Alpes Maritimæ, provincia Viennenſis, Narbonenſis, Novempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germania ii. Belgicæ duæ, Lugdunenſes duæ: in Brittania Maxima Cæſarienſis*, &c. Ergo Narbonenſis Gallia pro una quatuor provincias tum habebat, Narbonenſem, Viennenſem, Alpes Graias, Alpes Maritimas: Aquitania pro una tres, Aquitaniam primam, Aquitaniam ii. & Novempopulanam: Belgica pro tribus quinque, nimirum Belgicam primam, Belgicam ii. Maximam Sequanorum, Germaniam primam, & Germaniam ii. Lugdunenſis Gallia pro una duas provincias habuit, Lugdunenſem i. in qua Lugdunum & civitas Senonum; Lugdunenſem ii. ubi Rotomagus & Turoni. Hilarii Pictavenſis Epiſcopi, qui principatu Conſtantii Aug. Conſtantini Maximi filii floruit, epiſtola legitur ſic inſcripta. *Dominis & beatiſſimis fratribus & Coëpiſcopis provinciæ Germaniæ i. & Germaniæ ii. & i. Belgicæ. & Belgicæ ii. & Lugdunenſis primæ, & Lugdunenſis ii. & provinciæ Aquitanicæ, & provinciæ Novempopulanæ, & ex Narbonenſi plebibus & Clericis Toloſanis, ac provinciarum Brittaniarum Epiſcopis Hilarius ſervus Chriſti in Deo & domino noſtro ſalutem.* Ex quo apparet, non ſine cauſa nos ſcripſiſſe, *Belgicas duas*, *Lugdunenſes* ii. & (ne de ceteris loquamur) *Novempopulanam* provincias in Gallia à Conſtantino Maximo factas eſſe videri, cùm ſub ejus filio & ſucceſſore Conſtantio earum Galliæ provinciarum mentionem fieri videamus. Ex his recentioribus Galliæ provinciis, à Rufo Feſto & ab Hilario commemoratis, *Novempopulorum* meminit Auſonius, qui ſub Valentiniano majore & Gratiano Theodoſioque floruit; *ſecunda Aquitania* Proſper in Honorio Principe; *Sequanorum* Eutropius, qui x. libellos rerum Romanarum *domino Valenti, Gothico maximo, perpetuo Auguſto* nuncupavit, & in libro Hiſtoriæ vi. de C. Julio Cæſare ſic ſcripſit. *Is primò vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur*: id eſt, qui nunc *provinciâ Maximâ Sequanorum*, aut (ut Ammianus vocat) *Sequanis* continentur. Ex quo etiam judicari poteſt, provinciam Maximam Sequanorum quæ Helvetios complectebatur, ætate Eutropii aut certè non multo antè factam eſſe. Anno regni Gratiani A. xv. *Narbonenſis* i. & *Narbonenſis* ii. mentionem facit *Concilium quod convenit Aquileiæ*, in epiſtola ad *dilectiſſimos fratres*, *Epiſcopos provinciæ Viennenſis*, *& Narbonenſium primæ & ii.* Ammianus Marcellinus etſi Rufo Feſto paullo recentior fuit, ac Theodoſii principatu nituit; tamen pauciores eo & pro xiv. duodecim ſolummodò Galliarum provincias enumeravit, cùm ſaltem totidem enumerare debuiſſet. Hæ ſunt *ſecunda Germania*, i. *Germania*, *Belgica* i. ii. *Belgica*, & *Sequani*; *Lugdunenſis* i. in qua *Lugdunus* & *Senones* & *Biturigæ*; ii. *Lugdunenſis*, ubi *Rotomagi* & *Turoni*; *Alpes Graiæ & Peninæ*, (in quibus *Aventicum* quod provinciæ Sequanorum eſt, ponit pro Darantaſia & Octoduro) *provincia Aquitanica*, in qua *Burdigala*, *Arverni*, *Santones* & *Pictavi*; *Novempopuli*, *Narbonenſis*, & *Viennenſis*, in qua *Vienna* & *Arelate* eminent, & *Saluvii*, id eſt Aquæ Sextiæ Salyorum cum *Antipoli inſuliſque Stœchadibus*. Sic Ammianus, ut eſt in Galliarum deſcriptione negligens inter earum provincias *Alpes Maritimas* omiſit, à Feſto memoratas; & de *Aquitaniis* ii. ab eodem relatis unam cum Hilario facit: in qua cum Burdigala *Biturigas* collocare debuit, non in Lugdunenſi i.

Haud multo pòſt tres provinciæ Galliis acceſſere, & de xiv. ſeptemdecim factæ, atque pro una Narbonenſi duæ, pro duabus Lugdunenſibus quatuor conſtitutæ à Valentiniano Aug. aut ab ejus majore filio Gratiano. Nec enim Theodoſius quem Gratianus Orientali Imperio præpoſuit, Galliis & toto Occidente plus iv. menſibus potitus eſt; nec Honorium ejus filium Gothi, Alani, Vandali, Suevi, Burgundiones & Franci, ac tyranni de nova

Galliæ diviſione, aut de augendo provinciarum ejus numero, quas ipſi cotidie invadebant occupabantque, cogitare permiſere. Id nos docet Notitia provinciarum & civitatum Galliæ, circa Honorii principatum compoſita, & à Sirmundo Cheſnioque edita, omnium quas habemus veterrima ac emendatiſſima exactiſſimaque; in qua notantur *in provinciis Gallicanis provincia Lugdunenſis* I. *prov. Lugdunenſis* II. *prov. Lugdunenſis* III. *prov. Lugdunenſis Senonia*, alias *Lugdunenſis* IV. *prov. Belgica* I. *prov. Belgica* II. in qua eſt tranſitus in Britanniam, *prov. Germania* I. *prov. Germania* II. *prov. Maxima Sequanorum, prov. Alpium Graiarum & Penninarum: item in provinciis Septem provincia Viennenſis, prov. Aquitanica* I. *prov. Aquitanica* II. *prov. Novempopulana, prov. Narbonenſis* I. *prov. Narbonenſis* II. *prov. Alpium Maritimarum. In provinciis* XVII. *civitates* CXIV. *caſtra* VI. aut VII. Ex civitatibus VII. defecerunt, civitas Diablintum, civitas Morinûm, civ. Equeſtrium Notodunus, civ. Eluſatium, civ. Rigomagenſium, civ. Sollinienſium, civ. Cemelenenſium; ex caſtris caſtrum Rauracenſe. Ubi obſervare convenit, (quod Notitia ipſa diſertè docet) *provincias Gallicanas à provinciis Septem* diſtingui, & *Gallicanarum provinciarum* nomine decem provincias Galliæ, videlicet Lugdunenſes IV. Belgicas II. utramque Germaniam ad Rhenum, Maximam Sequanorum, & Alpes Graias & Peninas; nomine autem *provinciarum Septem* provinciam Viennenſem, Aquitaniam primam, & ſecundam, Novempopulos, utramque Narbonenſem, & Alpes Maritimas deſignari: quibus præfuit unus è Vicariis Præfecti Prætorio Galliarum, *vir Spectabilis, Vicarius Septem provinciarum*, Viennæ reſidens, in Notitia Imperii Romani memoratus. Certe & in Concilio Arelati juſſu Conſtantini habito *civitas Aptenſium, & portus Nicenſis, & Maſſilia, Arelatum, Vienna, Vaſio, Arauſio*, id eſt *provincia Narbonenſis*, quæ tum unica erat, & *Alpes Maritimæ*, ac tota *provincia Viennenſis* diſertè diſtinguuntur à *Galliis*, in quibus ponuntur *Remi, Rotomagus, Auguſtodunum, Lugdunum, Agrippina, Gabali, Burdegala, Treveri, Eloſa*, pars *Belgica*, pars *Lugdunenſis*, & *Aquitaniæ* ac *Novempopulorum Germaniæque* civitates. Hæ igitur omnes provinciæ *Galliarum* appellatione propriè continebantur, & à *provincia Narbonenſi*; atque à *provincia Viennenſi Alpibuſque Maritimis* ſecernebantur. Zoſimus qui Principatu Honorii anno Chriſti CCCCXVII. Epiſcopus Romanus erat, *univerſis Epiſcopis per Gallias & Septem provincias conſtitutis* de metropolitano Epiſcopo Arelatenſium, item alia in epiſtola *univerſis Epiſcopis per Gallias & VII. provincias conſtitutis, per Africam* quoque *& Hiſpaniam* de Proculo Maſſilienſi Epiſcopo præter cetera ſcripſit. Conſtitutio Honorii Aug. ad V. I. Agricolam Præfectum Prætorio Galliarum, *quotannis ſtato tempore Septem provincias in Metropolitana, id eſt in Arelatenſi urbe habere Concilium* vel *Conventum* jubet.

Ad hancce Galliæ in *Gallias & Septem provincias* diviſionem proxime accedit altera eorumdem temporum diviſio Galliæ in *Gallias & Quinque provincias*. Concilii Epiſcoporum XXI. Valentiæ habiti anno VII. imperii Gratiani, Synodica extat ad univerſos Epiſcopos Galliarum ita inſcripta: *Dilectiſſimis fratribus, per Gallias & V. provincias conſtitutis Epiſcopis, Phœbadius, Eumerius, Florentius*, &c. *Epiſcopi in Domino ſalutem*. Maximus A. in epiſtola ad Siricium Apoſtolicum virum, *Sacerdotum qui intra Gallias & qui intra V. provincias commorantur*, meminit. Epiſcoporum qui X. Kalendas Octobreis Honorio Principe Taurinis ſunt congregati, Synodica ad omnes Epiſcopos Galliarum inſcribitur, *fratribus dilectiſſimis per Gallias & V. provincias conſtitutis*. Sic & Notitia Imperii Rom. totam Galliam ſemel atque iterum dividit in *Gallias*, & *V. provincias*: quum *Rationalem ſummarum Quinque provinciarum*, & *Rationalem ſummarum Galliarum* ſub diſpoſitione V. I. Comitis ſacrarum largitionum; necnon *Rationalem rei privatæ per Gallias*, & *Rationalem rei privatæ per V. provincias ſub diſpoſitione V. I. Comitis Privatarum* commemorat. *Quinque provinciæ* fuerunt atque dicebantur (ni fallor) provincia Narbonenſis I. provincia Narbonenſis II. Viennenſis, Alpes Graiæ & Peninæ, Alpeſque Maritimæ.

Fuit tū in uſu & alia Galliæ in *Citeriorem* ac *Ulteriorem* diviſio. In Chronico quod Proſpero tribuit, edidítque Pithœus, anno XII. Placidi Valentiniani dicitur *Gallia Ulterior, Tibatonem principem rebellionis ſecuta, à Romana ſocietate diſceſſiſſe*; & anno XIX. dicitur *Aëtius Patricius Alanis terras Galliæ Ulterioris cum incolis dividendas tradidiſſe*. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro Hiſtoriæ Francicæ II. Renati Profuturi Frigeridi Hiſtorici laudat verba hæc: *Vixdum quartus obſidionis Conſtantini* (apud Arelatum) *menſis agebatur, quum repente ex Ulteriori Gallia nuntii veniunt, Jovinum adſumſiſſe ornatus Regios, & cum Burgundionibus, Alamannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminere obſidentibus. Galliam Citeriorem* haud dubie Romani Italive dixere Italiæ propiorem, nimirum Narbonenſes duas provincias, & Viennenſem cum Alpibus Graiis, & Alpibus Maritimis: *Galliam Ulteriorem*, quæ ab Italia Alpibuſque remotior erat, videlicet Aquitanias, Lugdunenſes, & Belgicas: ſicut iidem eamdem ob cauſſam Tarraconenſem Hiſpaniam alio nomine *Hiſpaniam Citeriorem* appellavere, Bæticam & Luſitaniam *Ulteriorem Hiſpaniam*, quòd ab Italia multo magis Tarraconenſi provinciâ abeſſent ambæ. Hinc Audoenus in Vita Eligii urbem *Lemovicas ſitam* eſſe *in Ulteriore Gallia* ait, Aquitanicam primam in qua ſunt Lemovicæ, *Ulteriori Galliæ* apertè tribuens. Proſpero quidem non aſſentior, qui videtur agrum Valentinum Galliæ Ulteriori tribuere. Julius Cæſar, in libro I. Commentariorum Galliam noſtram, id eſt Belgicam, Celticam & Aquitaniam, ac maximè unà Galliam Narbonenſem, communi nomine non ſemel *Galliam Ulteriorem* & *Ulteriorem prov.* etiam in libro VII. *Tranſalpinam Galliam* appellat, uti Cicero pro

Muræna; partem Italiæ quæ *Togata Gallia* dicebatur, paſſim *Citeriorem Galliam*, necnon *Ciſalpinam Galliam* & *Citeriorem prov.* vocat: quarum alteram ſimiliter M. T. Cicero in epiſtola ad Tironem *Ulteriorem Galliam*, alteram *Citeriorem* nuncupat; Cn. Plancus, in epiſtola ad Ciceronem, *Galliam Citeriorem*. Sed *Galliæ Citerioris*, *Galliæ Ciſalpinæ*, & *Galliæ Togatæ* appellationes parti Italiæ aliquot ante Placidi Valentiniani principatum ſæculis attribui & in uſu eſſe deſierunt.

Redeo unde digreſſus ſum. Suprà laudatam Galliarum in XVII. provincias diviſionem ſequitur Notitia Imperii Romani, poſt Honorii mortem ſub Placido Valentiniano Placidiæ Aug. ejus ſororis filio facta: in qua dicuntur eſſe *ſub diſpoſitione V. I. Præfecti Prætorii Galliarum, provinciæ Galliarum* XVII. *Viennenſis*, *Lugdunenſis prima*, ibidem *Lugdunenſis* abſolutè nuncupata, *Germania* I. *Germania* II. ambæ ad Rhenum, *Belgica* I. *Belgica* II. *Conſulares: Alpes Maritimæ*, *Alpes Penninæ & Graiæ*, *Maxima Sequanorum*, *Aquitania* I. vel *Aquitanica* I. *Aquitania* vel *Aquitanica* II. *Novempopulana* ſeu *Novempopuli*, *Narbonenſis* I. *Narbonenſis* II. *Lugdunenſis* II. *Lugdunenſis* III. *Lugdunenſis Senonia*, aliàs *Lugdunenſis Senonica* ac abſolutè *Senonia Præſidiales*. *Provinciæ Conſulares* vocabantur, quæ à Conſularibus regebantur; quæ à Præſidibus adminiſtrabantur, *Præſidiales*. Itaque rector Belgicæ primæ v. g. *Conſularis Belgicæ* I. appellabatur; Præfectus Aquitaniæ primæ *Præſes Aquitaniæ* I. De Lugdunenſi prima, & de Burgundia inferiore ad Reges noſtros pertinente, quæ eâdem provinciâ & Niverno ac Autiſſiodoro Senoniæ civitatibus continetur, intelligenda ſunt Hugonis Floriacenſis Monachi in libro III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ circa annum MCIX. verba hæc. *Quædam tamen pars Galliæ, quam Burgundiones intra Lugdunenſem occupavere provinciam, nunc Burgundia vocitatur.* In aliis IV. Notitiis quas Cheſnius vulgavit, quæ *Nomina regionum & civitatum Galliæ* inſcribuntur, necnon *Nomina provinciarum & civitatum Galliæ*, idem provinciarum Galliæ numerus, eademque nomina reperiuntur: ſed non ubique aut ſemper idem, qui in vetuſtiſſima Notitia antè laudatâ, in earum enumeratione ordo ſervatur.

Suus Galliæ XVII. provinciarum numerus diutiſſimè conſtitit, adeò ut civitas Arelatenſium, licèt jaminde ab Honorio Aug. Zoſimi Epiſcopi Romani decreto metropolis facta eſſet, & ſuam ſibi *Arelatenſem provinciam*, Leoni Papæ Magno memoratam, ſuas ſibi urbes ſuffragantes haberet; tamen nihilominùs inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. nunc pænultima, nunc antepænultima, tamquam adhuc metropoli Viennæ ſubjecta poneretur. Primus, aut unus è primis Robertus Autiſſiodorenſis circa annum MCCX. *Arelatenſem provinciam* à *Viennenſi* provincia ſeparavit, & in Arelatenſi provincia, cui Leo & Symmachus Epiſcopi Romani Albam, Deam, Tricaſtinos, Vaſionem, Arauſionem, Cabellionem, Avenionem, Carpentorate, Maſſiliamque civitates provinciæ Viennenſi ademtas olim attribuerant, ſub metropoli Arelate civitates Seguſteronem, Arauſionem, Avenionem, Aptam, Reios, Graſſam, antea poſitas fuiſſe ait: ſua autem ætate in *Arelatenſi provincia metropolim Arelatem Avenioni, Arauſioni, Tricaſtinis, Vaſioni, Carpentorato, Cabellioni, Maſſiliæ, Teloni* præſidere. Ex quibus Aptam, Reios, Seguſteronem, Narbonenſis ſecundæ jaminde ab Honorii A. principatu fuiſſe, atque etiamnum eſſe conſtat; Graſſam verò Alpium Maritimarum. Gervaſius Tilleberienſis Robertum, cui ſuppar eſt, ſequitur, & Arelatenſi Archiepiſcopo VIII. ſimiliter ſuffragantes attribuit, *Maſſilienſem*, *Avenionenſem*, *Arauſicum*, *Vaſionenſem*, *Cabellicum*, *Tricaſtinum*, *Carpentoratenſem*, *Telonenſem*: quos VIII. Epiſcopatus recentiores Roberto & Gervaſio Notitiæ, & Provinciale quod ſcriptum legi, ante annos circiter CCCCXX. compoſitum, Metropoli Arelato ſubjiciunt. Hæc eſt ergo octavadecima Galliarum provincia, nimirum *provincia Arelatenſis*: quæ & *Viennenſis ſecunda* dici poteſt, quòd ex ea avulſa atque detracta ſit.

Poſtea ex parte Arelatenſis provinciæ nova facta *provincia Avennica*, Avenione in metropolim provecto, & Vaſione, Cabellione, ac Carpentoracte Epiſcopalibus ſedibus ab Epiſcopo Romano ei ſubjectis. Quod poſt annum MCCCXII. factum eſſe oportuit, cùm Notitiæ quæ paullo ante id tempus compoſitæ ſunt, Avenionem Arelato ſubjiciant. Eam provinciam *Viennenſem III.* vel certè *provinciam Arelatenſem ſecundam* vocare poſſis, propterea quòd primùm portio provinciæ Viennenſis fuit, deinde provinciæ Arelatenſis, antequàm novam provinciam componeret.

Johannes PP. XX. vulgò XXII. dictus, qui anno MCCCXVI. ſedere occœpit, provinciam Narbonenſem primam diviſit in duas: Toloſam, quæ in omnibus ferè veteribus Notitiis prima erat Sedium Metropoli Narboni ſuffragantium, ad metropolitanum extulit faſtigium, & ſeptem novas ſedes Epiſcopales quas ex Monaſteriis fecerat, ei ſubjecit. Apamienſem, Mirapicenſem, S. Pappuli, Montis Albani, Rivenſem, Lumberienſem, & Vaurenſem. Hæ ſunt recentes civitates novæ *provinciæ Toloſanæ*: quam *provinciam Narbonenſem tertiam* non ineptè quis appellaverit. Cœnobii S. Dionyſii Monachus, qui Chronicon Guillelmi Nangiacenſis ſodalis ſui ab anno MCCC. ad MCCCXL. perduxit, de ea re ita refert in anno MCCCXVI. *Circa iſtud tempus Papa Johannes* XXII. *diviſit Epiſcopatum Toloſanum in* VI. *Epiſcopatus*, *& facta eſt civitas Toloſana ſedes Metropolitana. Epiſcopatus Pictavenſis per eumdem in tres Epiſcopatus, ſcilicet Pictavenſem, Malleacenſem, & Lucionenſem eſt diviſus. Erant autem priùs duæ Abbatiæ, ſubditæ Epiſcopo Pictavenſi: quæ tunc factæ ſunt Eccleſiæ Cathedrales. Urbs* autem *Apamia anno* MCCXCVI. *à Toloſano Epiſcopatu ſeparata, proprium Epiſcopum per Papam Bonifacium* VIII. *obtinuerat. ſed protinus Ludovicus, filius Regis Siciliæ Caroli, ambos Epiſcopatus* in ſolidum *erat ab ipſo Papa con-*

ſecutus, & anno MCCXCVIII. *mortuo Ludovico Toloſanæ urbis Epiſcopo, Apamia à Toloſa ſeparata, proprium ſuſceperat Epiſcopum*, ut Guillelmus de Nangiaco ſcribit in Chronico.

Anno MDLIX. tres novæ provinciæ in Galliis factæ, *Camaracenſis*, quam *Belgicam tertiam* rectè nuncupaveris, *Trajectenſis*, & *Machlinienſis* vel *Maalinenſis*. Quippe Paullus PP. IV. Philippo II. Hiſpaniarum Rege & Belgarum Principe poſtulante, anno MDLIX. menſe Maio Camaracum, antea ſextam, tum quartam Belgicæ II. civitatem metropoli ſuæ Durocortoro ademit, & ex vetere Epiſcopatus ſede metropolim linguæ Francicæ vel Vallonicæ fecit, eique Archiepiſcopatui Turnacenſem & Atrebatenſem priſcos Belgicæ II. Epiſcopatus, Audomarenſem & Namucenſem novos & à ſe inſtitutos attribuit. Trajectum inferius, ſedem Epiſcopalem provinciæ Germaniæ II jaminde à Pippino Duce & Principe Francorum, Coloniæ ſubjectam, idem in metropolim evexit, eique V. novos Epiſcopatus adſcripſit, Harlemenſem in Hollandia, Dabentrenſem quem vulgo Daventrienſem vocant, in Tranſiſlenſi regione, Leouardienſẽ & Groningenſem in Friſiâ Occidua ſeu VVeſtfriſia, Middelburgẽſem in Zelandia. Eadem operâ Machliniam Brabantiæ opidum ſede Archiepiſcopali honoravit, ut eſſet linguæ Teutonicæ Metropolis, & ſex novas ejuſdem linguæ civitates haberet ſuffraganteſ, nimirũ Andoverpenſem, Gandenſem, Brugienſem Iprenſem, Boſcoducẽſem vel Silvaducenſem, & Ruremundenſem: ex quibus Andoverpum & Silvaducis Brabantiæ ſunt, Ruræmunda Gelriæ, Ganda, Brugiæ & Ipra Flandriæ. Ipram quidam, in his Coquillius, Camaracenſi adſcribunt provinciæ. Hoc ad conſervandam his in provinciis religionem Catholicam, & ad Calvini errores reprimendos Philippus Hiſpaniæ Rex fieri curaverat. Sed conſilium fortuna deſtituit: cùm anno MDLXVI. ibi Calviniani rebellare, & Catholicos vexare ac baſilicas diruere cœperint.

Lutecia Pariſiorum, provinciæ Lugdunenſis IV. vel Senoniæ penultima tantummodo civitas primùm erat: poſtea (ut Robertus in Chronico docet) tertium, deinde & ſecundum atque à ſua metropoli proximum locum tenuit, ſicuti Gervaſius Tiſleberienſis, & recentiores Notitiæ, ac Provinciale ante annos CCCC. ſcriptum indicant. Noſtra demum ætate metropolis evaſit, inſtante Ludovico ejus nominis XIII. Rege Francorum, & Senoniæ ademtæ ſedes Carnutenſis, Aurelianenſis & Meldenſis, Luteciæque attributæ, relictis metropoli Senonum civitati Autiſſioduro, Tricaſſis & Niverno. Datum id dignitati & viribus urbis Regiæ, ut Metropolitano honore frueretur, & quemadmodum ſuum apud ſe Regem, ſic & ſuum ſibi ac domeſticum Archiepiſcopum haberet, nulli externæ metropoli obnoxia, atque ſuam per ſe provinciam faceret.

Sunt itaque nunc in Galliis provinciæ XXIV. à ſua quæque metropoli cognominatæ, nimirum *Provincia Lugdunenſis prima*, vel abſolutè provincia Lugdunenſis, Burgundiæ Francicæ maximam partem, metropolim Lugdunum, Auguſtodunum, Lingonas, Cabillonum, Matiſconemque complexa: *provincia Rotomagenſis*, antea Lugdunenſis II. vel Normannia, ſub metropoli Rotomago Baiocas, Abrincatas, Ebroicas, Saios, Lexovios, Conſtantiamque continens: *Provincia Turonenſis*, ſeu Lugdunenſis III. in qua metropolis civitas Turonorum, civitas Cenomannorum, civitas Redonum, civitas Andicavorum, & quæ Britanniæ cum Redonibus accenſentur, civitas Namnetum, civitas Corioſopitum vel Curioſolitum, civitas Venetûm, civitas Maclovienſis, quæ Aleto ſucceſſit, civitas Briocenſis, civitas Tregorenſis, civitas Leonenſis in Oſiſmiis, civitas Dolenſis, honore pallii & Archiepiſcopali titulo diu gloriata: Provincia *Senonia*, quæ & Lugdunenſis IV. in qua Metropolis civitas Senonum, civitas Nivernum, civitas Autiſſiodorum, civitas Tricaſſium: *Pariſienſis provincia*, in qua Metropolis civitas Pariſiorum, civitas Carnutum, civitas Aurelianorum, civitas Meldorum. Hæ ſunt quinque Celtarum provinciæ. Succedunt octo provinciæ Belgarum, videlicet *Trevirenſis provincia*, olim Belgica I. in qua metropolis civitas Trevirorum, Mettis, Tullum, & Verodunum: *Remenſis provincia* antè Belgica II. in qua ſub metropoli civitate Remorum civitas Sueſſionum, civitas Catalaunorum, Ambiani, Noviomagus, Auguſtæ Veromanduorum locum tenens, Silvanectæ, Bellovaci, Laudunum, Bononia Morinorum, Tarvennæ ſpoliis aucta ex parte: *provincia Mogontiacenſis*, quæ Germania I. olim vel ſuperior, in qua ſub Mogontiaco metropoli civitas Argentoratum Strateburgus, civitas Nemetum, Spira ab amne dicta, civitas Vangionum VVarmatia, cum XII. trans Rhenum in Germania & in Rætia Vindeliciaque civitatibus, quas ideo commemorare non oportet: *Colonienſis provincia*, quæ & Germania II vel inferior, in qua metropolis Colonia Agrippina, Leodicum Trajecto, quod Tungris ſucceſſerat, anno DCCX. ab Hucberto Antiſtite prælatum, cum III. Tranſrhenanæ Germaniæ civitatibus: *provincia Veſontionenſis*, olim Maxima Sequanorum nuncupata, metropolim Veſontionem, civitatem Baſiliam, civitatem Lauſanam, veteri Aventici Helvetiorum ſede decoratam, & civitatem Belicam continens: *Camaracenſis provincia* Camaracum Metropolim habens, & Turnacum atque Atrebatas, civitatem S. Audomari in Morinis, & Namucum ſedes ei ſubjectas: *Trajectenſis provincia*, in qua ſub Trajecto ulteriore Metropoli Harlemum, Dabentra vel Daventria, Leovardia, Groninga, Middelburgus: ſed ex his tres, Daventria, Leovardia & Groninga trans Rhenum in Germania ſunt ſitæ: *Machlinienſis provincia*, in qua Machliniæ metropoli Andoverpum ſeu Antuerpia, Ganda, Brugiæ, Ipra, Silva Ducis, & Ruræmunda ſuffragantur. In Narbonenſi Gallia provinciæ VIII *provincia Darantaſienſis*, olim Alpium Graiarum & Penninarum, in qua Metropoli civitati Centronum Darantaſiæ Sedunum, in locum civitatis Vallenſium ſeu Ve-

ragorum Octodori ſuffectum, & Auguſta Prętoria patent: *provincia Viennenſis*, in qua Valentia, Dea Vocontiorum, Alba ſeu Vivaria, Gratianopolis, Maurienna, Geneva Viennam metropolim agnoſcunt: *provincia Arelatenſis*, in qua ſub matre Arelato Maſſilia, Arauſio, Tricaſtini, Telo; aut mutato ordine Maſſilia, Telo, Arauſio, Tricaſtini: *Avenionenſis provincia* vel *Avennica*, habens Vaſionem, Cabellionem, & Carpentoratum Avenioni metropoli ſuffragantes: *Provincia Narbonenſis*, olim *provincia Narbonenſis* I. deinde *Septimania* & *Gothia* vocata, Carcaſſonem Biterras, Agatham, Lutevam, Montem peſſulanum Magalonę throno honoratum, Nemauſum, Uceciam, Perpeniacum aut Parpinianum Elenę ſubſtitutum, civitatem S. Pontii Tomeriarum, & Electam Narboni matri ſubditas habet. *Toloſana provincia*, Toloſam metropolim, & Apamias, Mirapicem, Montem Albanum, Vaurum, Rivos, Lumberium, & civitatem S. Pappuli ei ſuffragantes complexa: *Aquenſis provincia*, olim provincia Narbonenſis II. in qua Apta, Reii, Forum Julii, Vapincus, Seguſtero Aquas Sextias metropolim venerantur: *provincia Ebrodunenſis* ſeu Alpium Maritimarum Diniam, Nicęam, Cemenelio olim junctam, nunc in totum ei ſuffectam, Graſſam Antipoli ſubſtitutam, Glannatevam, Sanitium, Vintium Ebroduno metropoli adſiſtentes continet. Tres ſunt in Aquitanorum finibus provinciæ, *Bituricenſis provincia* vel *Biturica*, olim *Aquitanica prima*, quę ſub metropoli civitate Biturigum Arvernos, Rutenos, Cadurcos, Lemovicas, Gabalos ſeu Memmatem, Albigam, Vellavos, ſive Anicium aut Podium, civitatem S. Flori, civitatem Vabrenſem, Tutelam, Caſtrum, aliàs Caſtra Albigenſium complectitur; *Burdigalenſis provincia*, olim Aquitania II. dicta, ſub metropoli Burdigala Pictavos, Santonos, Ecoliſmam, Petrocorios, Aginnum, Malliacum, cujus ſedes Rupellæ noſtra ætate eſt conſtituta, Luctonem, Sarlatum, Condomium continens: *Provincia Auſcienſis* vel *Auſcitana*, *Novempopulana* olim, & quibuſdam *Aquitania* III. nunc *Vaſconia* nuncupata, poſt dirutam Eluſam quam primùm Metropolim habuit, ſub metropoli civitate Auſciorum Aquas Tarbellicas, Lactoram, Convenas, Conſorannos, civ. Turbam vel Tarbiam Bigerrorum, Atures, Elloronem, Benarnum ſive Laſcurim, Vaſatas, & civitatem Boatium vel Baionam numerat.

Hæ ſunt XXIV. provinciæ Galliæ, hæ ſingularum ac univerſarum ejus provinciarum civitates: quarum in enumeratione recentiores Notitias ad ætatem noſtram propiùs accedentes, & qualis nunc fermè ſervatur, ordinem ſecuti ſumus. Nam Plinius quidem (ne de Strabone qui valde confuſus eſt, loquar) Gentes urbeſque cùm Galliæ tum aliarum etiam provinciarum utplurimum litterarum ordine explicat; Ptolemæus quoque non dignitatis habet, ſed ſitus rationem: at Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ ſuum cuique Genti ac civitati pro ſua dignitate locum aſſignant, non eumdem ſemper, verùm alium atque alium, provt mutato ſæpe provinciarum modo, & aucto earum numero, civitatibus aliis creſcentibus, aliis humilioribus redactis, nonnumquam etiam priſcis bello exciſis, noviſque ſuccedentibus accidere oportebat. In XXIV. Galliarum provinciis ſupra memoratis ſunt XV. metropoles cum ſuis provinciis intra Regnum Francorum: ex his veteres XIII. nimirum Lugdunenſis, Rotomagenſis, Turonica, Senonia, Remenſis, Viennenſis, Arelatenſis, Bituricenſis, Burdigalenſis, Auſcienſis, Narbonenſis, Aquenſis, Ebrodunenſis; duæ novę, Toloſana & Pariſiaca. Provinciæ Viennenſis urbes Maurienna & Geneva, Arelatenſis provinciæ civitas Arauſio, Ebrodunenſis Nicæa Regno Franciæ minimè continentur. Lugdunenſis, Rotomagenſis, Turonenſis, Senonia, & Pariſienſis provincię totam Celticam ſive Lugdunenſem Galliam componunt; Bituricenſis, Burdigalenſis & Auſcenſis totam Aquitaniam; Remenſis fere IV. Belgicæ partem, Viennenſis, Arelatenſis, Narbonenſis, Toloſenſis, Aquenſi & Ebrodunenſis totam pæne Galliam Narbonenſem includunt, exceptis Darantaſiâ, Seduno, Mauriennâ, Genevâ, & Arauſione. Extra Franciam ſunt IX. metropoles atque provinciæ, veteres V. ſcilicet Trevirica, Mogontiacenſis, Colonienſis, Veſontienſis, Darantaſienſis; novæ IV. Avenionenſis, Camaracenſis, Trajectenſis, Machlinienſis: ex quibus provincia Trevirenſis cunctas civitates ſibi ſuffragantes, Mettim, Tullum, ac Verodunum; provincia Veſontienſis civitatem Belicam; provincia Camaracenſis civitates Turnacum & Atrebatas habet ad Regnum Franciæ pertinentes. Ex Gallicanis provinciis Lugdunenſis, Rotomagenſis, & Trevirenſis ſolę nullam hactenus aucto vel imminuto civitatum numero, vel tranſlatione ſedium mutationem ſubiere; ſed tales hodieque permanent, quales à prima origine, aut ſaltem à principatu Honorii Aug. ante annos MCCL eſſe cœperunt. Provinciâ Mogontiacenſi duodecim trans Rhenum, pars Germaniæ, pars Rætiæ Vindeliciæque civitates, pleręque novæ; provinciâ Colonienſi tres item ultra flumen Germanię civitates novæ; provinciâ Trajectenſi quoque Daventria, Leovardia, Groninga, tres novæ ſimiliter in Friſia Germanię Magnę regione Epiſcopatuum ſedes continentur: Darantaſienſi provinciâ Auguſta Prętoria; Ebrodunenſi provinciâ Nicæa, ambæ urbes Italiæ. Quare hæ XX. urbes licèt provinciis Gallię contribuantur, tamen quia Gallię non ſunt, in civitatum Gallię enumeratione earum mentio fieri & ratio haberi non debet. Pręterea Epiſcopatus Morinenſis ſeu Tarvennenſis in Belgica ſecunda, ante annos CXX. Vindoniſſenſis & Rauracenſis Epiſcopatus in Sequanis, & Eluſanus Archiepiſcopatus in Novempopulis ante multa ſęcula intercidere: ex quibus Vindoniſſenſem Epiſcopatum Conſtantiam Alamannicam tranſlatum eſſe aiunt; Rauracenſem Diœceſin Baſilienſi, Eluſanam cum Archiepiſcopali dignitate Auſcenſi acceſſiſſe atque accreviſſe conſtat.

Quibus omnibus propterea pretermiſſis, obſervarę

obſervare convenit, in xxiv. Galliarum provinciis clii. Diœceſes ſive civitates, cùm metropolitanas vel Archiepiſcopales, tum Epiſcopales numerari: quarum cxx. ſunt intra Regnum Francorum, veteres xcix. novæ xxi. videlicet ſedes Briocenſis, Tregorenſis, Leonenſis, Dolenſis in Britannia; Tomeriæ ſeu S. Pontii, Electa, Apamię, civitas Mirapicenſis, Mons Albanus, Vaurum, Rivi, Lumberium, civitas S. Pappuli in Gothia; in Aquitania civitas S. Flori apud Aruernos, civitas Vabrenſis in Rutenis, Tutela in Lemovicibus, Caſtrum in Albienſi pago, Mallilacum in Pictonibus, cujus Epiſcopus ante annos aliquot iuſſu Ludovici XIII. Rupellam migravit, necnon Lucio Pictonum, Sarlatum in Petrocoriis, Condomium in agro Aginnenſi. Veteribus civitatibus adnumero eas, quæ veterum Epiſcopatuum ſedes ante pauca ſæcula tranſlationibus factæ ſunt, & in omnia ipſorum jura ſucceſſerunt, loco tantùm cathedræ mutato, non mutatâ Diœceſi: quales ſunt civitas Maclovienſis pro Aleto, Graſſenſis pro Antipoli, Perpiniacenſis pro Elena, & pro Magalona Mons Peſſulanus. Novas appello civitates, quæ ex caſtellis, aut ex Monaſteriis & vicis in Epiſcopatus evectæ ſunt: quales ſunt Electa, Apamiæ, Tomeriæ, Mons Albanus, Vaurum, Rivi, Caſtrum, Lucio, Sarlatum.

Extra Regnum Francorum ſitę ſunt civitates in Gallia Archiepiſcopales Epiſcopaleſve numero xxxii. veteres xxi. nimirum Treviri, Mogontiacum, Argentoratum, Spira, Vvarmatia, Colonia, Leodicum, Veſontio, Lauſana, Baſilia, Camaracum & Trajectum, novæ quidem metropoles ambæ, ſed priſcæ Epiſcopatuum ſedes, Darantaſia, Seduni, Maurienna, Geneva, Arauſio, Avenio, Vaſio, Cabellio, Carpentoracte: novę xi. videlicet Sithiu vel civitas S. Audomari, Namucum, Harlemum, Middelburgus, Maalinę ſeu Machlinia, Antuerpia, Ganda, Brugiæ, Ipra, Boſcuſducis, & Ruręmunda. Ex his Auguſta Trevirorum, Mogontiacum, Argentoratum, civitas Nemetum aut Spira, civitas Vangionum ſive Vuarmatia, Colonia Agrippina, & Leodicum Regni Germaniæ ſunt, quod vulgò Imperium vocant: Lauſana, Baſilia, & Sedunum ad Helvetios pertinent: Veſontio, Camaracum, Audomaropolis, & Namucum, & tota Machlinienſis provincia, exceptâ Silvaducis, Regi Hiſpaniæ parent: Silvam Ducis cum tota provincia Trajectenſi Hollandienſes ſibi vindicant: Darantaſiam atque Mauriennam (ne de Auguſta Prętoria & Nicæa loquar) Duces Sapaudię poſſident. Libera eſt Geneva: Arauſio Principatus eſt Naſſaviorum Comitum: Avenio ante annos cccxxiv. Vaſio, Cabellio, Carpentoracte in Comitatu Vindauſcenſi ante annos cccc. Eccleſię Romanę patrimonium.

Gervaſius Tiſleberienſis qui circa annum mccx. floruit, *more Eccleſiæ Romana Galliam* (ut ait ipſe) *in Franciam, Burgundiam, Vaſconiamque diſtinxit: Franciæ* vii. cum ſuis ſuffragantibus *metropoles*, Lugdunenſem, Remenſem, Senonenſem, Turonenſem, Rotomagenſem, Bituricenſem, & Burdigalenſem; *Burgundiæ* vi. Veſontienſem, Viennenſem, Tarentaſienſem, Ebrodunenſem, Aquenſem, & Arelatenſem; *Vaſconiæ* duas, Auſcitanam & Narbonenſem attribuens, omiſſis iii. provinciis, Trevirenſi, Mogontiacenſi, Colonienſi. Notitia Galliæ, circa annum mccxcv. ſcripta, Gervaſium ſequitur, & *Franciæ* metropoles vii. ſuprà memoratas, *Burgundiæ* item ſex, *Vaſconiæ* quam *Gaſconiam* vocat, duas ſimiliter adſcribit, additâ Trevirenſi metropoli. Provinciale, quod MS. legi, ante annos circiter cccc. compoſitum, *Galliam* in *Alamanniam*, (ſic Regnum Germanię conjunctum cum Regno Lothari & Regno Burgundię vocabant) *Provinciam, Burgundiam, Franciam, Normanniam, Britanniam, Aquitaniam, Vaſconiam, Gothiam* dividit: & in *Alamannia Archiepiſcopatus, Maguntinum*, id eſt Mogontiacenſem, *Agrippinenſem, Tarentaſienſem, Treverenſem, Ebredunenſem, Biſuntinum*; in *Provincia Archiepiſcopatus Aquenſem, Arelatenſem* & *Viennenſem* unà cum ſuffragantibus; in *Burgundia* (nimirum Regali) *Lugdunenſem* & *Senonenſem*; in *Francia Archiepiſcopatum Remenſem* ſolum, in *Normannia Rotomagenſem*, in *Britannia Turonenſem*, in *Aquitania Bituricenſem* & *Burdigalenſem*, in *Vaſconia Auſcitanum*, in *Gothia Narbonenſem* ponit. Notitia Epiſcopatuum Gallię poſt annum mcccxxii. edita Galliam in *Alamanniam ſeu Germaniam, Burgundiam, id eſt Sapaudiam, Provinciam, Franciam, Normanniam, Aquitaniam, Vaſconiam, Gothiamque* partitur: & in *Alamannia vel Germania Archiepiſcopatum Treverenſem* cum ſuffragantibus collocat, omiſſo Mogontiacenſi & Colonienſi; in *Burgundia* vel *Sapaudia* Archiepiſcopatus *Tarentaſienſem* & *Biſuntinum*; in *Provincia Ebredunenſem, Arelatenſem, Viennenſem* & *Aquenſem*; in *Francia Lugdunenſem, Senonenſem* & *Remenſem*; in *Normannia Rotomagenſem* & *Turonenſem*, quòd Britannia nonnumquam Normannis paruit: *Aquitania* metropoles duas, *Bituricenſem* & *Burdigalenſem*; *Vaſconia* cum Epiſcopatibus *Aginnenſi* & *Condomienſi provinciam Auſcitanam*; *Gothia ſolis Narbonenſem* & *Toloſanam* attribuit.

Non omittendum eſt *Galliam* nonnumquam à *Francia* diſtingui. Ita primus locutus eſt Audoenus in capitulo titulove xxi. libri i. de Vita B. Eligii Noviomagenſis Epiſcopi. *Ex quo* (Sollemniacenſi Monaſterio) *demum multi ſumſerunt & initium & exemplum: adeò ut nunc quoque innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur ſub regulari diſciplina alma utriuſque ſexus Cœnobia.* Ubi nomine *Franciæ* Neuſtria & Auſtria; nomine *Galliæ* Aquitania, Burgundia, Provincia & Septimania deſignantur. Bonifacius Mogontiacenſis Archiepiſcopus in epiſtola ad Cutbertum Epiſcopum, exemplo Audoëni *Gallos* diſtinxit à *Francis*. *Synodum* (inquit) *congregandam juſſu Pontificis Romani, & rogatu Principum Francorum & Gallorum ſuſcepi*: id eſt Carolomanni Principis Auſtraſiorum, Pippini Neuſtraſiorum Ducis & Principis. Ibidem: *Perpauca ſunt civitates in Langobardia, vel in Francia, aut in Gallia, in quibus non*

ſit adultera vel meretrix generis Anglorum. Heic *Franciæ* nomine *Auſtria*; nomine *Gallia Neuſtria* cum Aquitania Burgundiaque deſignatur. Idem in epiſtola ad Zachariam Papam quum ait, *per ſcripta veſtra populum Francorum & Gallorum corrigere ſtudeatis*; ſimili modo intelligendus eſt: niſi ſi *Gallos Francis* oppoſuit, ut olim Gregorius Turonicus Epiſcopus, & Fortunatus, aliique *Barbaris Romanos*. Zacharias Papa epiſtolam ſcripſit *univerſis Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, per Gallias & Francorum provincias conſtitutis*. In ejuſdem epiſtola ad Bonifacium: *ut Sacerdos à nobis dirigatur in partibus Franciæ & Galliæ ad Concilia celebranda*. In Theophylacti Archidiaconi Sedis Apoſtolicæ litteris ad Bonifacium: *Francorum & Galliarum Gentes Fidei tramitem ſolide amplectentes exuberent. Galliæ*, & *partes Galliæ*, & *Galliarum Gentes*, ſunt Neuſtria, cum Burgundia & Aquitania: *partes Franciæ*, *Francorum provinciæ*, aut *Gentes*, ſunt (ni fallor) Auſtria, & regiones ei contributæ. Monachus Sanctigallenſis in capite I. libri II. de Vita Caroli Magni *Gallos à Francis*, necnon *Franciam à Galliis* eodem modo ſenſuque diſtinxit.

Video & Galliam noſtram, fortè quòd magis quàm Galatia ad Septemtriones vergat, à Græcis *ſuperiores Gallias*, τὰς ἄνω Γαλατίας nonnumquam appellari. Philoſtorgius in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro I ſic de Cóſtantio Chloro loquitur. ὅτι ὁ Κωνστάντιος ὁ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου πατὴρ τῶν ἄνω Γαλατῶν βασιλεὺς ἀπεδείχθη. Et in libro X. de Gratiani cæde ita refert. Γρατιανὸς ὁ βασιλεὺς εἰς τὰς ἄνω Γαλατίας τῇ τοῦ τυράννου Μαξίμου ἐπιβουλῇ ἀναιρεῖται. Diodorus Siculus in libro V. *ſuperiores Gallos* τοὺς ἄνω Κελτοὺς vocat forſitan Gallos eos, qui ſunt à mari interno remotiores, & Oceano propiores, nimirum incolas Hollandiæ, Zelandiæ, Brabanti, Flandriæ, Hainoi, Lucilburgenſis Ducatus, ceterarumque regionum, quæ quoniam planæ ſunt ac depreſſæ, & in Oceanum devexę majore ex parte, rariſque montibus aſſurgunt, à Noſtris *pagi humiles* appellantur, *les Pays-bas*. Cedrenus & Nicephorus Calliſti *Occiduam Galliam* noſtram vocant, δυτικὴν Γαλατίαν, credo ut diſtinguant à Gallogræcia, quam Græci recentiores *Galatiam ortivam* & *minorem* dixere. Ambo autem ſcribunt, Conſtantem Aug. Conſtantini Maximi filium cum Francis, qui Occidentalem Galliam incurſionibus maximè vexabant, decertaviſſe, ac rem bene geſſiſſe.

Appianus in Celticis Gentes quadringentas Galliæ Belgicæ, Celticæ ſeu Lugdunenſi, & Aquitaniæ tribuit, urbes ampliùs octingentas; quas Julius Cęſar devicerit, & in fidem receperit. Galliam Narbonenſem excludit, quæ multo antè à Romanis in formulam provinciæ redacta fuerat. Plutarchus in Julio Cęſare eiſdem tribus Galliæ partibus urbes quidem etiam DCCC. ſed Gentes ſolummodò trecentas adſcribit. Joſepus Galliæ, ſed forſitan univerſę, Gentes quoque CCCV. urbes circiter mille ducentas aſſignat: quum ait CCCV. populos Gallię mille ducentorum militum Romanorum hibernis contineri, cùm ferè plures urbes habeant.

Cicero in Oratione de Haruſpicum reſponſis aſſerit, *nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, ſed pietate ac religione* à Romanis *eſſe ſuperatos*. Unde apud Claudianum

Dat Gallia robur
Militis,

& ab Auſonio *armipotens Gallia* dicitur in Trevitis. Plinius Secundus in libri IV. capite XVI. *Galliam & Hiſpaniam multo maximas Europæ partes* appellat. Apud Tacitum in libro III. Annalium *Gallias Hiſpaniaſque validiſſimam terrarum partem* nuncupat Antonius Primus in epiſtola ad Veſpaſianum Aug. Imperator quoque Aurelianus ſuis in litteris *Gallias & Hiſpanias vires Imperij Rom.* vocat, eaſque à Tetrico teneri affirmat. Sed Hiſpanię, quamvis à Trogo, à Pacato Drepanio, à Claudiano, ab Iſidoro aliiſque laudatæ, Gallia ſemper longo intervallo pręlata eſt. Certè in nummo Galbæ A. apud Antonium Auguſtinum *Gallia & Hiſpania* ſimul exhibentur, dextera Gallia, læva Hiſpania, ambæ ſago amictæ, hæc duo gæſa criſpans cum ſcuto, illa unum. Britannia inſula, clara Græcis Latiniſque monumentis, Graiis Βρεττανία, Rufo Feſto & Hieronymo MSS. ſemper *Brittania*, Anglis quoque nunc *Great Brittany*, id eſt Magna Britannia appellata, *non qualibet amplitudine nomen pæne orbis alterius meretur*, ut ait C. Julius Solinus in titulo XXV. Unde à Velleio in libro II. *alter pæne orbis*; à Floro in libri III. capite X. *alter orbis* abſolutè; ab Eumenio quoque in Panegyrico Conſtantio Cæſari dicto *alius orbis terrarum* nuncupatur. Nihilominùs tamen & Britannia inſula & Hiſpania intantum Galliæ ceſſere, ut ambæ non rarò communi *Galliarum* appellatione continerentur, & pro Tranſalpini ſeu Gallicani Imperii appendicibus à Romanis haberentur. Sic certe Aurelius Victor qui Conſtantii junioris principatu floruit, *cuncta quæ trans Alpes Galliæ ſunt, Conſtantio* Cæſari ab Imper. Diocletiano *commiſſa eſſe*, & Magnentium *fratri Decentio Cæſari Gallias commiſiſſe* tradit. Sic Eutropius qui Breviarium Hiſtoriæ Romanę ad Valentinianum A. deduxit, principatu Gallieni Victorinum poſt Poſtumum & Marium *Galliarum Imperium accepiſſe* prodit. Conſtat autem Poſtumum & Victorinum non Galliæ modò, ſed etiam Hiſpaniæ ac inſulæ Britanniæ imperaviſſe. Ibidem Carus Aug. *in Parthos proficiſcens* natu majorem filium *Carinum Cæſarem in Illyrico, Gallia, Italia reliquiſſe* dicitur. Sic idem Hiſtoricus ſcribit, Conſtantium Aug. Italiâ & Africâ recuſatâ, ſolam *Galliam obtinuiſſe*. & Conſtantinum Imperatorem, ejus filium, *in Galliis & militum & provincialium ingenti favore regnaviſſe*, antequàm Maxentio, in Italia & Africa dominanti bellum inferret: item *poſt Conſtantis A. necem Magnentium Italiam, Africam, Gallias obtinuiſſe*, & *fratrem ſuum Cæſarem ad tuendas Gallias miſiſſe*. Nemo porro neſcit, Conſtantium *Chlorum*, quem & *Pauperem* cognominant, non Cæſarem modò ſed etiam Auguſtum Galliis, Hiſpaniis, ac Britanniis

fuiſſe contentum, & Italiam ac Africam quæ ſibi unà deferebantur, ultro recuſaviſſe: Conſtantiumque Maximum, patre mortuo, non plures tribus his provinciis aliquamdiu tenuiſſe, ac Decentium Cæſarem à Magnentio Aug. fratre ſuo eidem huicce provinciarum trigæ eſſe præpoſitum. Eadem ratione Proſper in Chronico prodit, *mortuo Valentiniano Aug. Eugenium in Galliis* (addo, & in Italia) *imperaviſſe*: & Idatius ſcribit *tyrannum Maximum in Galliis poteſtatem Imperij obtinuiſſe*: qui Gratiano interfecto, Galliam cum Hiſpania & Britannia occupavit, nec niſi expulſo fugatoque Valentiniano, ejus fratre, Italiam & Africam tenuit. Quæ ut meliùs intelligantur, ſcire convenit, Galliæ & Hiſpaniæ ac Britanniæ Imperium nunc à nobiliore & validiore parte *Gallias*, & *Galliarum Imperium*; nunc à ſitu *Regnum trans Alpes*, & *cuncta trans Alpes* Romanos appellaviſſe, propterea quòd ipſis Gallia, & multo magis Hiſpania ac Britannia trans Alpes jacebant, & Hiſpaniæ ac Britanniæ niſi per Galliam terrâ adiri non poterant. Quare qui Gallias habebat in poteſtate, eumdem eàdem operâ Hiſpaniam ſimul & Britanniam inſulam obtinere oportebat, quibus ambabus provinciis niſi mari & navibus auxilia ſubminiſtrari non poſſent. Imperium Gallicanum ſeu Tranſalpinum, vel tres pariter provincias, ſed ſolas, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam cùm Imperatores & Cæſares legitimi, tum tyranni obtinuerunt hi maximè: Clodius Albinus Cæſar ſub Severo Aug. Saloninus Cæſar ſub patre Gallieno Aug. & interfecto Salonino Poſtumus, tum Lollianus, Victorinus, Tetricus, Proculus, ac Bonoſus ferè continua ſerie, qui ſex à ſuis *Augusti* appellati ſunt, ab adverſariis *tyranni*: Conſtantius Cæſar, ac pòſt Auguſtus; Conſtantinus ejus filius, primùm Cæſar, poſtmodùm Auguſtus, à morte patris ſui Conſtantii uſque ad Maxentii necem; Criſpus & Conſtantius Cæſares, alter poſt alterum, vivo etiamtum patre Conſtantino; deinde Flavius Claudius Conſtantinus junior Cæſar ſub antedicto patre, & eo mortuo Auguſtus; Decentius Cæſar, Magnentii Aug. frater; Silvanus diebus XXVIII. Julianus Cæſar, Gratianus Aug. Maximus A. ſublato Gratiano, qui & poſtea Imperatorem Valentinianum minorem, ejus fratrem, ex Italia & Africa expulit; Victor Cæſar, Maximi filius. Ex quibus Magnentius cum Decentio, Silvanus, & Maximus cum Victore tyrannis adnumerantur. Miſſos facio Conſtantinum, Jovinum, & Sebaſtianum, Attalum, alioſque, qui Principatu Honorii Aug. in Gallia tyranni ſunt exorti, Barbaris jam per Gallias, perque Hiſpanias ac Britannias longè lateque effuſis.

Non ſolùm autem Hiſpaniæ ac Britanniæ communi Galliarum nomine continebantur, ſed etiam Præfecti Prætorio Galliarum ordinationi ambæ regiminique ſuberant, Præfecto Prætorii Italiæ proximi, & in provinciæ Viennenſis civitate Arelato ſedem habentis. Id docet Notitia Imperii Romani his verbis. *Sub diſpoſitione V. I. Præfecti Prætorio Galliarum Diœceſes infra ſcriptæ: provinciæ Galliarum* XVII. *Viennenſis*, *Lugdunenſis* I. *Germania* I. *Germania* II. *Belgica* I. *Belgica* II. *Conſulares*; *Alpes Maritimæ, Alpes Penninæ & Graiæ. Maxima Sequanorum*, *Aquitania* I. *Aquitania* II. *Novempopulana, Narbonenſis* I. *Narbonenſis* II. *Lugdunenſis* II. *Lugdunenſis* III. *Lugdunenſis Senonia, Præſidiales*: *provinciæ Hiſpaniarum* VII. *Bætica*, *Luſitania*, *& Callæcia Conſulares*; *Tarraconenſis*, *Carthaginenſis*, *Tingitania*, *Baleares Præſidiales*: *Britanniarum quinque*, *Maxima Cæſarienſis & Valentia Conſulares*; *Britannia* I. *Britannia* II. *& Flavia Cæſarienſis Præſidiales.* Ubi obſervari velim, Imperatoribus Romanis ſatis eſſe terrarum in Gallia viſum fuiſſe, unde ampliſſimæ provinciæ XVII. fierent: in Hiſpania ne ſeptem quidem ſolummodò provincias fieri potuiſſe, niſi quod natura diremerat, ordinatio Romana junxiſſet. Trans Gaditanum igitur fretum columnaſque Herculis quærenda fuit alio in orbe regio, & adimenda Africæ Mauritaniiſque Tingitania, ut Hiſpaniæ contribueretur: quam Tingitaniam Gothi Reges Hiſpaniæ uſque ad Saracenorum adventum tamquam Regni ſui appendicem obtinuerunt. Et multo antè (ſi Plinio creditur) colonia Auguſti Julia Conſtantia Zilis, à Tingi colonia capite Tingitaniæ XXIV. millibus paſſuum diſtans, *Regum* Mauritaniæ *ditioni exemta*, *& jura in Bæticam petere juſſa* fuerat. Quærendæ etiam fuerunt in mari Hiſpano Ibericove Baleares duæ, Majorica & Minorica dictæ, quæ cum Ebuſo cum Ophiuſa vel Colubraria quam Draconariam nuncupant, cumque Capraria, & pauculis aliis neſidibus parvam extra continentem provinciam componerent, ut ſeptenarius provinciarum Hiſpaniæ numerus expleretur. Jam verò ut ſimul omnia congeram, quantum Galliam Hiſpaniæ Romani prætulerint, indicio ſunt atque documento quæ ex Notitia Imperii Romani diſcimus. Galliæ *V. I. Magiſtrum Equitum per Gallias*, *Comitem & Magiſtrum Equitum Galliarum* alias dictum habebant, XLIX. numeris peditum, & XII. equitum alis imperantem, at Hiſpaniæ tantùm *V. Spectabilem Comitem Hiſpaniarum* cum XVI. numeris habuere; Tingitana *V. Sp. Comitem Tingitanæ* cum IV. numeris & tribus alis. Inter XII. Duces Imperii Occidentalis erant in Gallia *V. Sp. Dux provinciæ Sequanicæ* vel *Sequanici*, *Dux tractus Armoricani & Nervicani*. *Dux Belgicæ* II. *Dux Germaniæ* I. aliàs *Dux Mogontiacenſis*: qua nominum varietate decepti nonnulli ex uno Duce duos faciunt: in Hiſpania Dux nullus erat. Sub diſpoſitione Magiſtri Officiorum Palatii ſeptem erant in Galliis fabricæ, Argentorati armorum omnium, Matiſcone ſagittaria, Auguſtoduni loricaria, Sueſſionis ſcutaria, balliſtaria, & clibanaria, Remis ſpatharia, Treviris ſcutaria & balliſtaria Ambianis ſpatharia & ſcutaria: in Hiſpaniis nulla. In Hiſpania unus Rationalis ſummarum; duo in Gallia. Quippe ſub Comite ſacrarum largitionum fuit *Rationalis ſummarum Hiſpaniæ*; at intra Gallias *Rationalis ſummarum V. provinciarum*, & *Rationalis ſummarũ Galliarum*. Sub eodem Comite erant *Præpoſitus theſau-*

rorum per Gallias Lugdunenſes, *Præpoſitus theſaurorum Arelatenſium*, *Præpoſitus theſaurorum Nemauſenſium*, *Præpoſitus theſaurorum Trevirorum*; nullus in Hiſpania: item ſub eodem III. *Procuratores Monetæ*, *Lugdunenſis* nimirum, *Arelatenſis*, & *Trevirorum* vel *Triberorum*; nullus in Hiſpania: ſex *Procuratores Gynecæorum* in Gallia, *Arelatenſis*, *Lugdunenſis*, *Remenſis*, *Tornacenſis*, *Trevirorum*, *Auguſtoduni*; in Hiſpania nullus: ſimiliter *Procurator linifii Viennenſis* Galliarum; intra Hiſpanias nullus: unus atque unicus *Procurator baphii inſularum Balearium* in Hiſpania; in Gallia verò *Procurator baphii Telonenſis*, & *Procurator baphii Narbonenſis*: denique III. in Gallia *Præpoſiti Barbaricariorum ſive Argentariorum*, *Arelatenſium*, *Remenſium*, *Trevirorum*; nullus in Hiſpaniis, aut uſquam alibi in Occidente. Sub diſpoſitione Comitis Rerum Privatarum unus ſolummodò fuit *Rationalis rei privatæ per Hiſpanias*; at intra Gallias *Rationalis rei privatæ per Gallias*, *Rationalis rei privatæ per V. provincias*, & *Præpoſitus rei privatæ per Sequanicum & Germaniam I*. Fuerunt in Galliis claſſes quinque amnicæ, Rhodanica, Druentica, Ararica, Sequanica, & Sambrica, cum ſuo quæque *Præfecto*, *claſſis flum. Rhodani Viennæ*, *ſive Arelati*, *claſſis Barcariorum Ebroduni*, *claſſis Ararica Cabaloduni* ſive Cabilonni, *claſſis Anderitianorum Pariſiis*, & *claſſis Sambrica* in Belgicę II. *loco Quartenſi*: nulla in Hiſpania.

Diodorus Siculus in libro V. Γαλάτας, id eſt Gallos impropriè nuncupat Germanos eos, qui trans Rhenum ſedes habebant, & à C. Julio Cæſare flumen cum copiis tranſgreſſo ſunt victi. ἐχειρώσατο τοὺς πέραν κατοικοῦντας αὐτοῦ (Ῥήνου) Γαλάτας. Germanos autem Tranſrhenanos nonnumquam Celtas aut *Celtos* Græcis vocatos eſſe, ſuprà jam obſervavi. Hæc de Galliis dicta ſufficiant.

LUPA FLU. ET DE LUPIS FLUVIIS.

Lupa, notiſſimus amnis in Celtica vel Lugdunenſi Gallia, oritur in jugis Autiſſiodorenſibus, & caſtrum S. Ferreoli *S Fergeol*, Caſtellionem & Montem Argiſi, Nemus, ac Murittum prætertlapſus, apud Sacrum portum, *Barbeau* in Sequanam labitur inter Monaſteriolum & Melodunum Senonum. Nithardus in libro II. Monachus Floriacenſis, & Britto in libro X. Philippidos eum fluvium memorant. Ex his Nithardus *Luvam* vocat, p in u ex more mutato. *Karolus ubi Luva Sequana confluit, Warinum cum ſociis ſalvum recepit, ac ſic Senonicam adiit urbem.* Incertus auctor in libri Miraculorum S. Benedicti capite XV. *caſtri Caſtellionis, quod eſt ſitum ſuper Lupam fluviolum*, mentionem facit. Brittonis eadem ferè verba ſunt, quæ Nithardi.

Quà Sequanico Lupa confluit amni.

Flumen *Loen* aut *Luen* vocat liber rerum mirabilium à Bernardo geſtarum. Ex noſtris Alanus Carterius Lupam *Louain* appellat, & Caſtellionem ad Lupam *Chaſtillon ſur Louain*. Noſtri Lupam nunc *Loin* nuncupant, ut Mucram *Morin*, Taram *Terin*, aut *Taire*.

Stephanus de Sacro-Cæſaris, *Dominus Caſtellionis ſuper Lupam*, in litteris ſuis anno MCCXXXVI. datis, LX. *arpenta terræ apud Lupam*, (*Luppam* ſemper heic ſcribitur) item *unum arpentum prati ſub ſervatorio ſuo de Lupa*, *decimam furni de Lupa*, *homines de Lupa*, & *Capellam de Lupa* commemorat: & ibidem ſic loquitur. *Percipient etiam apud Lupam in cenſibus meis de Lupa XV. ſolidos Carnotenſis monetæ.* Ergo *Lupa* loci erat nomen fluvio Lupæ appoſiti, & Caſtellioni proximi.

Eſt & *Lupa* in Sequanis fluvius, *la Louve* vulgo dictus, qui Dubim auget infra Dolam, cujus in veteribus libris mentionem fieri video. Monachus Majoris Monaſterii, qui corporis B. Gorgonii Mart. anno DCCCXLVI. ex urbe Roma in Majus Monaſterium tranſlationem deſcripſit, eique ipſe cum Abbate ſuo Rainaldo multiſque aliis interfuit, *Loam* hoc flumen appellat: quum *per locum S. Mauricij*, (id eſt Agaunum) & *Lacum*, videlicet Lemanum, per *Urbam flumen & caſtrum*, (*Orbe*) per *Salinas villam*, (*Salins*) per *Loam flumen* & *Segonnam fluvium*, hoc eſt Sauconnam vel Ararim, perque *civitatem Aurelianenſem*, & per *pratum ac Monaſterium S. Maximini* (*S. Meſmin*) *ad Monaſterium S. Martini quod vocatur Maius*, delatos eſſe Gorgonii cineres tradit. *Loa* quippe, vel Lupa fluvius, inter Salinas & Ararim ſeu Sauconnam medius currit. Chronicon Divionenſis Monaſterii S. Benigni quod in anno MLII. deſinit, *Lupam rapidiſſimum flumen* vocat his verbis. *Super Lupam rapaciſſimum fluvium loco dicto Petregio, per quod Romam petentium quondam fuit iter, & eſt juxta burgum Salinas vocatum*, (*Salins*) *homines liberi ibidem commanentes ſe & ſua commiſerunt Patrocinio S. Benigni.*

Eſt & in Celtica *Lupa* amniculus, *la Loupe*, qui in Auturam devolvitur. Nec omitti debet flumen *Lupum*, aliàs *fluvius Lupus*, à Provincialibus *le Loup* nuncupatus, qui non longè à Varo in mare Gallicũ delabitur. *Fluvium Lupi in pago Ventienſi* vocant litteræ datæ anno MXCIII. & anno MXII. *fluvium Lupum* aliæ, datæ anno MXXXII. *flumen Lupum* aliæ: & *Monaſterium S. Verani*, ac *Puteum* locum ita dictum ad eum amnem ponunt. Sic Græci Heracleæ Ponti fluvium Λύκον, *Lycum* vocavere, id eſt Lupum: Byzantii ſimiliter Lycum ſuum, amniculum urbi proximum habuere.

LUPERCIACUM.

Petrus Mauricius Abbas Cluniacenſis in epiſtola XXX. libri I. *Lupercíaci* meminit. quod *Luparciacum* appellat. Hic eſt locus in Æduorum finibus Nivernenſique Diœceſi, ab urbe Niverno VI. leugis diſtans, Cellâ SS. Gervaſii & Protaſii Cluniaco ſubjectâ inſignis, vicus non obſcurus muriſque cinctus ex eorum numero, quos *burgos* vocitant, *Leurcy le bourg* Noſtris dictus. *Luperciacum* autem à Luperco vel Lupercio nomen accepit: ex *Luperciaco Loperciacum* factum, ex *Loperciaco* ſublatis II. litteris *Lorciacum*, ex Lorciaco *Leurci*, o in eu converſ

ſo. Ita ex *Lupercione* caſtello Pertici *Lopercionem*, ex Lopercione *Lorcionem* & *Leurcon* Noſtri fecerunt. Paſchalis PP. in litteris anno MCIX. datis, & Ludovicus Rex Francorum in litteris anno MCXIX. ſcriptis *Luperciacum* nuncupant, & cellis aut *Prioratibus* ad Cluniacum pertinentibus illud adnumerant. Honorius Papa in litteris anni MCXXV. ante annos ferè DL. vulgari nomine jamtum uſitato *Leurci* appellat. Fuit olim & prope Pariſios vicus, *Lupercianæ* Latinis ſcriptoribus dictus, *Lourreciones* Johanni Pariſienſi: qui S. Marcelli ſuburbano acceſſit, & corruptè nunc dicitur *la ruë de Lourcines*, Monaſterio ſororum Minorum, ut & Johannes obſervat, inſignis.

LUPERCIO.

Lupercio, à *Luperco* aliquo nomen nanctus, Orderico Vitali *caſtellum Lubercio* corrupto Latino nomine veteri appellatur in libro VIII. Hiſtoriæ, poniturque inter Belliſmum & Axeium. Hoc caſtellum, vel potiùs vicus nunc in Pertico, *Leurçon* vulgò truncato vocabulo dicitur; atque ita Clergetius interpretatur, qui de Pertico ſcripſit.

LUSDUM.

Caſtrum *Luſdum* dictum reperio in Chartario Monaſterii S. Petri Burgulienſis in Andicavis, his verbis. *Firmaverunt hanc donationem* (Gautberti hominis cum matre, ſorore & fratribus Burgulienſi Monaſterio dati ab Iſamberto Milite) *in caſtro quod dicitur Luſdo filius Huberti Gauffridus, ſororque illius Erſendis. Signum Hugonis Lavarcinenſis.* Eſt autem caſtrum *Luſdum* poſitum ad Lidericum flumen, ut & *Lavarcinum*, in confinio Cenomanorum & Andicavorum, hodieque vulgò dictum *le Lude*, Comitatûs titulo inſigne. In litteris datis ante annum MLXII. quidam *Girogius de Luſdo* memoratur. Vicecomitem olim ante annos ſexcentos ſuum habuiſſe, & *Luſdium*, ac *Lendum* quoque nonnumquam dictum eſſe, diſco ex litteris anni MLXV. in quibus *Rodulfus Vicecomes de Lendo* nuncupatur; aliis in litteris *Vicecomes Radulfus de Luſdio.* Britto in libro X. Philippidos *Ludas* nuncupat, & cum Baugia Durſtalloque conjungit. *Ludium* ſemper vocat Guillelmus Major, Andicavenſis Epiſcopus, qui de Vita ſua ſcripſit circa annum Domini MCCCXVI. ibique & Archipreſbyterum, & Priorem, & Rectorem Eccleſiæ fuiſſe docet, & in Andicavis locum eum poſitum eſſe, & ad curam ſuam diſpoſitionemque pertinere.

LUSIUS VICUS.

In agro Lapurdenſi, ſeu in Præfectura Baionenſi Arnaldus Oihenartus, in Notitia utriuſque Vaſconiæ, vicos XXVIII. eſſe ſcribit, quorum maximus & opulentiſſimus à veteribus *Luiſius* & *Luſius*, ab indigenis *Loizune* vocetur, id eſt locus lutoſus. Luto enim abundat æſtibus Oceani invecto, qui quotidie alueum fluminis hunc vicum alluentis ſuis acceſſibus adauget. Vulgò Noſtri à Patrono loci vicum S. Johannis de Luſio vocitant, S. *Jean de Luz*. Quare à cæno illo aut luto *Lutoſius* olim vicus hic dictus eſſe videtur antequàm *Luſius*. Eſt autem in Baſclonia vel Balconia poſitus. Antonius Altaſerra in Rebus Aquitanicis caſtrum *Lugiam* aut *Lugias* nuncupatum eſſe ante annos octingentos exiſtimat, deceptus hiſce Reginonis mendoſis verbis. *Carolus anno* DCCCLXVI. *in ultimis finibus Aquitaniæ Lugia latibulum quæſivit.* Sed *Lugiæ* in *fuga* mutandum nomen eſſe, docent Annales Mettenſes, in quibus dicitur Carolus eo anno *in ultimis finibus Aquitaniæ fuga latebulum quæſiviſſe.* Auctor porrò Annalium Mettenſium Reginonem ad verbum tranſcribere conſuevit. Ceterùm hunc locum *Luſiam* dici exiſtimo in litteris *Blanchæ Reginæ Franciæ* ad *Comitiſſam Trecenſem Palatinam* de pugna Hiſpanorum cum Saracenis, eorumque victoria: cui prœlio *Abbas Ciſtertienſis, & Michaël de Luſia* interfuiſſe dicuntur.

LUTERA.

Lutera vocatur in Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, vetus Monaſterium in Sequanis Diœceſique Veſontionenſi, Abbatiæ titulo illuſtre, vulgò *Lure*, non procul à Luxovio: quod *Monaſterium Ludra* appellatur haud dubiè in ſtatuto Ludovici Pii A. de Monaſteriis Regni Francorum; *Lutrenſe Monaſterium* in libro de Vita & Miraculis S. Deicoli; *Lutra* aliis.

LUTOSA.

Milo Monachus qui libellum de Vita S. Amandi ſupplevit, ſcribit *Monaſterium cui ipſe ſanctus vir Lotoſa nomen impoſuit*, præter cetera *ab Amando* Epiſcopo *ædificatum* fuiſſe ſub Childerico nepote Dagoberti. *Lutoſa* autem à luto dictus eſt hic locus: ut in ſaltu Deruenſi ac Diœceſi Tricaſſina eamdem ob rem *Lutoſa* vocabatur locus fiſcalis, in quo Berchatius Abbas ejuſdem Childerici principatu baſilicam in honore S. Martini ac cellam extruxit. Monaſterium hoc S. Amandi in Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Luttoſa* corrupte pro *Lutoſa* nuncupatur; *Lutoſa* in Annalibus S. Bertini; vulgò nunc *Leuſe*: qui eſt vicus in Hainoo, nobilis Monaſterio Canonicorum ab Amando condito: quam ſua ætate fuiſſe *divitem Abbatiam* affirmat Baldericus, ab Atho opido duobus paſſuum millibus diſtantem. In Vita S. Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis Imperator Karolus *Monaſterium in pago Bragbante quod Lotuſa nominatur*, dediſſe dicitur. Ubi legendum eſt *Lutoſa*.

LUTOSÆ.

Bercharius Abbas, vir ſanctitate præcipuus, Childerici Principis permiſſu ac largitione in prædio Regali Lutoſis condidit Baſilicam, & ſub B. Martini nomine Deo conſecravit: ab eoque ſilvam circumjacentem accepit. *Lutoſæ* autem à luto nomen accepere, propterea

quòd in lutoſo poſitæ eſſent loco, in Diœceſi Tricaſſina, vulgò *Lenſes* dictæ.

LUXOVIUM.

Luxovium, caſtrum fuiſſe vetus dicitur in ſaltu Voſago, ubi Columbanus, natus in Hibernia Scotorum inſula, Childeberto Rege Franc. adjutore cognomine Monaſterium exſtruxit: quod nunc *Luxeu* dicitur, quibuſdam *Luxeul* corruptè ac mendosè. Nam o quarta eius nominis littera in *eu* convertitur à Noſtris: ut ovum *œuf*, novum *neuf*, bovem *bœuf*, nodum *neu* appellamus: in Luxovio poſt IV. litteram nulla eſt, quæ in l mutari poſſit aut debeat. Neque enim aut u, aut i, aut m in l. Noſtri commutant. Jonas de Luxovio in Vita Columbani ſic refert. Columbanus in eremo Voſago *invenit caſtrum quod olim munitiſſimum fuerat*, à caſtro Anagratis *diſtans plus minus octo milliaribus*, *priſcis temporibus Luxovium nuncupatum*, *ubi etiam thermæ eximio opere exſtructa habebantur. Multa illic ſtatuæ lapideæ erant: at tunc ſolæ illic feræ, urſi, bubali, lupi frequentes viſebantur. Ibi ergo vir egregius Monaſterium conſtruere cœpit.* Ibidem ait Chlotharium iuniorem *Luxovienſe Monaſterium annuis cenſibus ditaviſſe*, & agrorum eius circumjacentium *terminos undique auxiſſe*, prout Euſtaſius Abbas voluit. Opidum nunc eſt in Burgundia libera ſive in Sequanis, Monaſterio ſuo illuſtre, poſitum ad amnem Lantanam. (*Lantarne*) qui in Ararim effunditur, inter loca Falconiacum (*Falcongney*) & Confluentes. (*Conflans*) *Luſſovium* Fredegarius appellat x. litterâ in ſſ conversâ: ſicut Noſtri laxare *laiſſer* dicunt, Itali Alexandrum *Aleſſandrum* vocant. VViderадus Abbas in teſtamento ſuo *Loſodienſes Monachos* memorat: quo nomine *Luxovienſes* haud dubiè deſignat, itavt ætate eius ſeu Principatu Theodorici *Loſodium* pro Luxovio dictum eſſe appareat. Legere memini & *Luſſedium Monaſterium* apud Audoënum in libro 1. de Vita B. Eligii Noviomagenſis Epiſcopi: quod nomen ad *Loſodium* proximè accedit.

M

MAALINÆ, VEL MACHLINIA.

MAALINAS vocat Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta inter Ludovicum & Karolum, Capitulis Caroli Calvi & Annalibus Bertinianis inſerta. At Baldericus in Chronici Camaracenſis libri II. capite XLVII. *Maſlinas* nuncupat, quum ait *apud Maſlinas Monaſterium eſſe Canonicorum*, ubi ſepultus ſit Rumoldus Scotus eremita, vir ſanctitate præcipuus: *Maliſnas* alii, in his Anſelmus Gemblacenſis Abbas in Chronico, à quo in rebus anni MCXXXIV. *Congregatio Maliſnenſis Eccleſia quæ eſt in Bracbanto*, memoratur.

Noſtri *Malines* vocitant; incolæ *Machelen*: ex quo vocabulo Germanico Rigordus *Maquelinas*. Latini ſcriptores recentiores *Machliniam* & *Mechliniam* fecere. Inter captos in pugna Bouinenſi fuit *Daniel de Maquelins*. Opidum eſt provinciæ quam vulgò Brabantiam appellant, poſitum ad flumen Demeram, ſede metropolitana vel Archiepiſcopali anno MDLIX. honoratum: cui linguæ Teutonicæ metropoli Paullus PP. IV. poſtulante Philippo II. Hiſpaniarum Rege & Belgarum Principe, VI. novas ejuſdem linguæ civitates ac ſedes adſcripſit ſuffragantes, Andoverpenſem vel Antuerpienſem, Gandenſem, Brugienſem, Iprenſem, Silvaducēſem, & Ruramundenſem: ex quibus Andoverpum Camaraco, Gandam & Brugias Turnaco ademit.

Malinas autem olim dixerunt æſtus maximos, qui plenilunio & novilunio accidere conſueverunt; *ledones* minores æſtus qui Luna creſcente & decreſcente contingunt: quę nomina *ledonis* & *malinæ* in libro I. de Mirabilibus S. ſcripturæ, apud Bedam, & apud VVillibaldum in libro de Vita S. Bonifacii Mogontiacenſis Epiſcopi reperiuntur. A *malina* iſta vel acceſſu Oceani *Malinas* nomen accepiſſe, non falsò aiunt geſta S. Rumoldi: cùm æſtus maritimi adverſis fluminibus Scalde ac Demera uſque ad eam urbem, atque etiam ultra per III. circiter milliaria ferantur accedere.

Maalinenſi Diœceſi continentur Lovanium, Bruſella, Tenæ, *Tienen* incolis, *Tillemont* Noſtris dictæ, Diſta, Areſcotum, aliæque urbes: cui metropoli ſuffragantes Antuerpia præ ceteris Liram *Lier*, & Bergam, *Bergopzoom*; Ganda Aldenardam; Brugiæ Sluſam, *l'Eſcluſe* Noſtris, *Sluis* incolis nuncupatam, & Aldemburgum, *Aldemburch* vulgò, Noſtris *Ardembourg* vocatum; Ipra Dunkercam, Bergam S. VVinnoci & Furnas; & Ruramunda Noviomagum Batavorum ſub ſua diſpoſitione habent.

MACERIÆ.

Maceria à re Latinum nomen habuere; nimirum ab humilibus vilibuſque & ruri quàm urbi convenientioribus ædificiis, quæ pro parietibus macerias haberent mortario cæmentoque caſſas. Multa ſunt ejus nominis loca in Gallia: ſed in his eminent *Maceriæ*, in Campaniæ Gallicæ finibus ad Moſam flumen poſitæ, in ipſis faucibus peninſulæ quam facit Moſa, inque pago Reiteſtino, & Diœceſi Remenſi, *Maiſieres* vulgò. *Macerias* Campaniæ memorat præter ceteros Frodoardus in Chronico, quas Germani Ciſrhenani *Makeren* vocitant: ut *Konigſmacheren* in Luciliburgenſi Ducatu, *Regis Macerias* ad Moſellam; *Greven-macheren* ad idem flumen *Comitis Macerias*. *Anno* DCCCCXX. *profectus eſt Archiepiſcopus Herivens ſuper Moſam, propter quoddam caſtellum in terra ſui Epiſcopii ſitum, quod nominant Macerias, recipiendum*: inquit Frodoardus. Anno etiam DCCCCLX. *munitio quam vocant Macerias, ſita ſupra Moſam intra terram Remenſis Eccleſiæ, Artaldo Archiepiſcopo redditur.*

Eſt & villa *Maceria*, ad flumen Alteiam in pago Pontivo ſita, quam Furſeus ab Haimone Duce accepiſſe, & ubi mortem obiiſſe dicitur: vulgò *Maſiers*, aliàs *Mazeroeles*, quaſi Maceriolæ. Eſt & *Maceria* vicus ad Iſaram poſitus prope Ribodimontem caſtellum, *Maſiere* vulgò dictus. Sunt quoque *Maceriæ*, *Maſeres*, in Comitatu pagove Fuxenſi: ſimi-

liter in Turonibus *Maceria* in Brionis ſaltu cognominatæ, *Meſieres en Brenne*, Baroniæ olim titulo inſignes, nunc Marchiæ. Sunt & in pago Belnenſi Burgundiæ *Maceria*, Monaſterio Abbatiali illuſtres, B. Mariæ Virgini ſacro; *Maiſieres pres Beaune*: *Maceria* non longè à Moſella fluvio & Mettis *Maziere*.

MADUALLIS.

Prædium Regale in pago Cenomanico nomine *Madualliis* fuit, quod Sigibertus Francorum Rex Sanctimedardenſibus præter multa beneficia delegaviſſe, & quod VVarinbertus Epiſcopus Sueſſionicus, idemque Abbas Monaſterii S. Medardi ſibi, neglectis loci Monachis, vindicaviſſe dicitur in Vita S. Medardi apud Surium. Ubi dicitur *Maduallis* nomen eſſe compoſitum ex duobus vocabulis, altero Britannico ſeu Gallico *Mad*, bonum ſignificante, & altero Latino *vallis*, & *Maduallis* idem eſſe, quod Bonavallis. Hæc *Maduallis* ſeu Bonavallis in Cenomanis eſt, ut puto, quæ poſtea Vallis dicta, *la Val*, ad flumen Meduanam non longè ab opido Meduana in finibus Cenomanorum poſita, Comitatûs titulo inſignis. Scriptor æqualis Imper. Ludovici Pii, qui de ejus Vita librum compoſuit, *Matualim* vocat. Sic enim in rebus anni DCCCXXXIV. ſcribit. *Et Lotharius quidem à Cabillono iter ſuſcepit ad Auguſtodunum, indeque Aurelianam urbem pervenit, deinde in pagum Cenomannicum, in villam cujus vocabulum eſt Matualis, devenit*: ubi legendum arbitror *Matuallis*.

MAGALONA.

In finibus Volcarum qui cognominantur Arecomici, Magalona mari pæne undique cincta urbs, cujus gradus portus Saracenus dictus eſt, *le port Saraſin*, fruſtra defendentibus Saracenis, à Carolo Martello anno DCCXXXVII. vi expugnata, & uſque ad fundamenta deſtructa eſt: quam per trecentos ampliùs annos deſertam ac ruinis deformem, tandem Arnaldus Julianus Epiſcopus muris turribuſque circummuniviſſe fertur, & clauſo gradu quo Saraceni prædones ex Africa & Hiſpania Magalonam invadere ac in Septimaniam erumpere conſueverant, alium non procul ab urbe navibus gradum exſtruxiſſe: ut in libro XXIV. Rerum Francic. ſcripſimus. *Inſula Magalo* à Joſ. Scaligero nuncupatur haud malè. Quippe *Magalo* primùm videtur dicta eſſe deinde *Magalona*, vulgò *Magueloñe*, aliàs *Magalone*: ut ex Narbone Narbona facta, ex Barcinone Barcinona & Barcilona, ex Oliſipone *Oliſipona*. Hæc eſt fortè *Alonis* inſula & urbs Maſſilienſium, Stephano περὶ πόλεων ex Artemidoro memorata, Ἀλωνὶς νῆσος καὶ πόλις Μασσαλίας: ut peninſulas ſæpe ab auctoribus videmus inſulas vocari, & Pelopis inſulam vel Peloponneſum Græci nuncupavere, quam peninſulam eſſe norant. Hujus meminere IV. Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ: quarum in una *civitas Magalonenſis* inter provinciæ Narbonenſis primæ civitates ultima ponitur; in ceteris ſexto loco *civitas Magalonenſium* vel *Magolonenſium*. Meminit & diviſio Diœceſeon à Rege VVamba facta: ex qua Narboni metropoli ſubjacent hæ ſedes, *Agatha*, *Magalona*, *Nemauſus*, *Luteba*, *Carcaſo*, *Elena*: itaut Magalona inter Septimaniæ civitates ſecundum (quod mireris) locum obtineat. Hæc urbs cum reliqua Septimania vel Gothia, exceptis Toloſâ & Uceciâ, diu Gothis paruit. Quare Conciliis, juſſu Regum Veſigothorum in Hiſpania habitis Toleti, *Eccleſiæ Magalonenſis Epiſcopi* interfuerunt ac ſubſcripſerunt. Julianus de expeditione VVambæ in Galliam, *Magalonenſem Sedem*. & *Magalonenſem urbem*, ac *civitatem* appellat. Robertus in Chronico *Narbonenſis provinciæ* quartam facit *civitatem Magalonam*; Gervaſius Tilleberienſis & aliquot recentiores Notitiæ ſeptimam.

Sedes Epiſcopatûs, ob piratarum Africanorum incurſiones, è caſtro vel civitate Magalona tranſlata eſt in opidum munitum Monteṁpeſſulanum juſſu vel permiſſu Franciſci primi Franc. Regis MDXXXVI. anno.

Magalonæ meminit Theodulfus in Paræneſi ad Judices, & mari cinctam eſſe ait.

> Hinc Magalona habuit lævam, Sextatio dextram:
> Hic ſcabris podiis cingitur; illa mari.

Sugerius in libro de Geſtis Ludovici Craſſi Regis Francorum *Magalonam artam in pelago inſulam* vocat, *cui ſupereſt ſolo Epiſcopo, Clericis, & rarâ familiâ contenta, ſingularis & privata*, (id eſt deſerta) *immo tamen propter mare commeantium Saracenorum impetus, munitiſſima civitas*.

MAGDUNUM AD AVERAM.

Caſtrum eſt vetus in finibus Biturigum ad Averam vel Avaram flumen, vulgò *Mehun ſur Yeure* dictû: quod Gregorium ſecutus Aimoinus in libro III. Hiſtoriæ Franciciæ *caſtrum Mediolanenſe* appellat, & ſua ætate, videlicet principatu Rotberti Francorum Regis *Magdunum* nuncupatum ait, ut in libro XI. Rerum Francicarum obſervo Gregorii in codicibus verba ſunt hæc. *Biturigi verò cum XV. milibus ad Mediolanenſim caſtrum confluunt.* In editis libris legitur *Mecledonenſe caſtrum* mendosè: quæ eſt repetitio nominis ſuperiùs memorati *caſtri Mgldunenſis* vel *Mecledonenſis*. (*Melun*) Averam autem Urrione auctum Cares fluvius apud Virſionem caſtrum accipit, & unà cum Salera in Ligerim defert. Eſt & aliud *Magdunum* ad Angerem, *Mehun ſur Indre*, in finibus Biturigum Cuborum, & alia alibi nonnulla.

Joſephus Scaliger in Notitia Galliæ corruptos codices neſcio quos ſecutus, *Mediolanum* vel *Magdunum* Biturigum vocat corruptè *Melodunum* aut *Meliodunum* his verbis. *Aliud Melodunum, vel* (ut alibi reperio) *Meliodunum in agro Bituricenſi, vulgò Meun*.

MAGDUNUM AD LIGERIM.

In Vita S. Liſardi Solitarii legimus, *eſſe montem*

montem in Carnutibus & *pago Aurelianenſi, quem incolæ regionis Magdunum nominant*: in quo *ab antiquis fuerit constructum caſtrum, quod Vandali* Gallias ingreſſi *ſolo tenus diruerint*: V. *Mehun ſur Loire.* Ibi Liſardus comite Urbicio cellulam ſibi conſtruxit *ad fluviolum Malnam*, (*Mauve*) Monachiſque in ea eremo adunatis deceſſit, & Urbicio Monaſterium Magdunenſe regendum commendavit: cuius Monaſterii Baſilica corpus S. Liſardi ſervat & nomen. In Vita Liſardi *vicus Clariacus* aut *Clariacum*, *Clery*, *tribus diſtare millibus ab opido Magdunenſium* dicitur: quod opidum Ado in Martyrologio vocat *vicum Maidunum in territorio Aurelianenſi*, *Mandunum caſtrum Epiſcopi Aurelianenſis* Sugerius in Geſtis Ludovici Franc. Regis. In Chartario Eccleſiæ Aurelianenſis quod MS. legi, nunc *caſtrum Magdunenſe*, & *Magdunum*, nunc *caſtrum Maudunenſe* nuncupatur, & *Eccleſia S. Liſardi Maudunenſis*, ac *Eccleſia S. Petri Maudunenſis* ibidem memoratur. Magdunum iſtud nomen dedit *pago Magdunenſi*. In teſtamento Leodebodi Abbatis apud Helgaldum fit mentio *Rauſedonis villa, quæ eſt in pago Magdunenſe*, le Mehunois.

MAGNUS LOCUS.

Magnus locus vicus fuit ad flumen Duriam in finibus Arvernorum, vulgò *Manlieu* dictus, in quo Geneſius Arvernorum Epiſcopus Magnilocenſe Monaſterium extruxit: quale in Vita S. Boniti Arvernorum Antiſtitis deſcribitur. *Monaſterium Magniloci* vocat auctor vetus libri de Vita & rebus Imper. Ludovici Pii; *Monaſterium Magnilocum* ſtatutum eius Imperatoris de Monaſteriis Regni Francorum anno DCCCXVII. Fluvius autem Duria, vulgò *Dore* & *Doire* dictus, in Elaver effluit, poſtquàm præ ceteris Curvampetram alluit, *Corpiere*.

MAIATUM.

Ordericus Vitalis in libro X. Hiſtoriæ caſtella in Cenomanis enumerat *Maiatum*, *Uſtilliacum*, vel Oſtilliacum, *Blevam*, *Peretum*, *Montem de Nube*, *Soonam*, *S. Remigium de Planis*, *Orticoſam*, *Alerias*, *Motam Galtheri de Clintampo*, *Dangeolum caſtrum*, *Lavarceium*. Ex quibus *Maiatum* proximum *Caſtello Ligeri* ex ipſo Orderico, eſt *Mayet*; Luceium *Luche*, non procul à Maiato & à fluvio Liderico, aut certè *Luce* prope Uſtilliacum: Uſtilliacum ſeu Oſtilliacum, quod Hoſtiliacum ab Hoſtilio aliquo, homine Romano vel Gallo dictum olim puto, eſt *Oſtille*, vulgò à Patrono loci *Saint Mars d'Oſtille*, non longè ab urbe Cenomanis: Bleva, *Bleve*, haud procul à Sarta fluvio: Peretum, *Peray*; Mons de Nube, ab altitudine ita dictus, aliàs *caſtellum de Nube*, *la Mote de la Nuë*: caſtrum Soona, pago nomen ſuum dans, *Sonne*, de quo alibi: S. Remigius de Planis, *Saint Remy du Plain*, locus a planitie in qua ſitus eſt, dictus, & eo cognomine diſtinctus à S. Remigio de Monte, *Saint Remy du Mont*. Orticoſa, vel potiùs *Urticoſa* ab urticis cognominata, eſt *Ortenſe*: Alleriæ ſunt *Aillieres* vel *Allieres*: Mota Galtheri, vel Mons Galtherii eſt *la Mote Gautier*: Dangeolum caſtrum, *Dangeul*, vel *S. George Dangeul*, aliàs *S. George de Danguel*. Eſt & locus ei proximus, *Saint Martin de Dangeul* dictus à Patrono.

MALDRA FLUVIUS.

Maldra fluvius, vulgò *Maudre* vel *Mòdre*, memoratus ab Orderico Vitale in libro V. Hiſtoriæ, Criſciacum, *Crecy*, Nelfam villam, *Neofle la ville*, eo cognomine diſtinctam à Nelfa Caſtello, aliis Nelfam Aquoſam, *Neaufle L'atveux* dictam, Maroilum, *Mareüil*, Mauliam, *Mole*, vicum Orderico celebratum, Avenacum, Spedonamque alluit, ac paullo ſupra Meduntam in Sequanam effluit. Hunc quidam *Madriam* neſcio quos auctores ſecuti appellant, & ab eo pagum Comitatumque Madricenſem vel Madriacenſem dictum eſſe, falsò arbitrantur. *Maldram* etiam & *Maudram* vocatum reperio; *Madriam* nuſquam reperio. Certè in veteribus tabulis non rarò *Mandra* nuncupatur: ubi *Maudra* legendum olim putavi, quoniam l in u ſæpe converti ſolet, & *Maldra* ac *Maudra* unum idemque vocabulum eſt. Sed nihil opus eſt de *Mandra Maudram* facere: cùm n in u nonnumquam tranſeat. *Manſum* enim *Mauſe* vocant Noſtri, *Manliam Maule*: quæ ſunt in Carnutibus locorum nomina.

MALLIACUM PICTONUM ET CETERI EPISCOPATUS RECENTIORES AQUITANIÆ II.

Malliacum à Mallio aliquo nomen videtur accepiſſe, locus in Pictonibus Altiſia amne (*Autiſe*) undique incinctus, unde & *inſula Malliacenſis* nonnumquam cognominatur: veteri Monaſterio inſignis, & ad Epiſcopatûs faſtigium evectus, atque ſedi Pictavenſi detractus, *Mailezay* vulgò dictus: cuius Epiſcopatus ſedes nuper Rupellam tranſlata eſt Ludovici XIII. principatu. Eius meminit Notitia Epiſcopatuum Galliæ, ſcripta paullo poſt annum MCCCXXII. quæ in provincia Aquitania ſecunda ſive Burdigalenſi IV. *novos Epiſcopatus* ponit, *Sarlatenſem*, *Malleacenſem*, *Lucionenſem*, & *in Vaſconia Condomienſem*: ex quibus Sarlatum (*Sarlat*) Petrocoriis; Lucio (*Luçon*) vetus Cœnobium unà cum Malliaco inſula Pictavis; Condomium, & ipſum olim Monaſterium. Aginno detractum. Condomium ad Baliſam flu. *Baiſe*, *Condom* Noſtri vocant: quod Notitia ſuprà laudata *in Vaſconia* poſuit, quoniam ſitum eſt in parte pagi Aginnenſis trans Garumnam, quo flumine Vaſconia ab Aquitania ſecunda, ſeu provincia Burdigalenſi dividitur. Ab Condomio dictus pagus Condomienſis, *le Condomois*. Sarlatum autem S. Sacerdotis, vulgò *S. Sardos* dicti, Epiſcopi Lemovicini tumulo atque Monaſterio olim inclytum erat, quo ex Monaſterio Epiſcopatus factus,

Monaſterium Monachorum nigrorum, quod Sarlatum dicitur in Epiſcopatu Petragoricenſi, vocat Petrus in Hiſtoria Albigenſium; *Sarlatum* alii *vicumque Sarlatenſem*; veteres tabulæ *Saralatum*. Ager ſive pagus Sarlatenſis vulgò dicitur *le Sarladois*, t litterâ in d conversâ: ut pagum Gabalitanum Noſtri nuncupant *le Gevaudan*, pagum Gratianopolitanum *le Greſivodan*, intyba *endives*.

MALLIACVM TVRONVM.

Gregorius in libro de Gloria Confeſſorum ejus loci meminit his verbis. *S. Sollemnis ſepulcrum apud Malliacenſe Monaſterium comperimus, quod in cacumine montis eſt conſtitutum, ab antiquis vallatum ædificiis jam erutis: ubi Sollemnis beatiſſimus in crypta abdita quieſcebat.* Malliacum iſtud Monaſterio veteri & ſepulcro S. Sollemnis illuſtre in Turonum finibus, eſt aut *Maillé* in inſula fluminis Ligeris infra Cæſarodunum Turonum, aut *Maillé* ad Vingennam flumen, ſupra Inſulam Burchardi in Turonibus quoque.

MALMVNDARIVM.

Locus eſt ad VVarchinnam piſcôſum rivulum in ſilva Arduenna & Agrippinenſi parœcia poſitus, quem à Sigiberto juniore Auſtraſiorum Rege datum accepit Remaclus Tungrenſis Epiſcopus, & *Malmundarium* appellavit ſtructo ibi Monachorum Cœnobio, tamquam à malo mundatum atque purgatum. Vulgo *Malmdi*, aliis *Malmedi* hæc Abbatia vocatur. Inde haud procul à flumine Amblava in Diœceſeos Tungrenſis Trajectenſiſve finibus, in loco fiſcali qui Stabulaus dicebatur, alterum Monaſterium Regiâ pecuniâ exſtruxit; Vulgò *Stavelo* nuncupatum. Utraque Monaſteria Sigibertus ut in ſuo ac de ſuo condidit, ita & multis poſſeſſionibus ac opibus ingentibuſque circùm duodenarum leugarum latifundiis donavit. *Stabulaus*, aliis *Monaſterium Stabulaus*, aliis *Abbatia Stabulau* appellatur & *Stablaus*.

In Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Abbatiam Mellam*, *Melbarium* memorari videmus, in Annalibus Bertinianis *Abb. Niellam, Melbarium*: ubi fortè ex duobus nominibus unum eſt faciendum, emendandumque *Melmundarium*, id eſt Malmundarium.

MALVS LEO.

Eſt in Pictonibus Diœceſique Malliacenſi *Malus Leo* caſtrum, à nonnullis contracto nomine *Malleo* appellatum, vulgò *Manleon*, clarum veteri Monaſterio Monachorum Regulam S. Auguſtini ſequentium, quibus ſuus eſt Abbas. Eſt alterum caſtrum & *Malus Leo* vel *Malleo* in valle Subola apud Novempopulos, *Manleon* ſimiliter nuncupatum, cujus dominus fuit, qui & ab eo caſtro cognominatus eſt, *Savaricus de Malleone*, quem Petrus Monachus in capite LVI. libri de bello Albigenſi commemorat, & in capite LXVI. *inimicum Eccleſiæ, Regis Angliæ Seneſcallum* fuiſſe aſſerit. In Geſtis Ludovici VIII. Francorum Regis invenio, *Savaricum de Malo Leone* qui *Niordum caſtrum* defendebat, ab eo admotis machinis & immiſſis lapidibus ad deditionem eſſe compulſum.

MAMERCIÆ.

Mamercias caſtellum ponit Ordericus Vitalis in libro VIII. Hiſtoriæ inter Jalgeium & Junacium vel *Vivacium*: eidem in libro X. dictum vulgari & corrupto vocabulo *Mamerz*, quod à Mamerco conditore vel domino nomen Latinum videtur accepiſſe: niſi ſi à Mamerto *Mamertia* potiùs dici debet ac ſcribi. Nomen ſervat. Vocatur enim *Memers*, poſitumque eſt caſtellum ad amniculum in Sartam effluentem, & pago Sagonenſi attribuitur, atque ab eo cognominatur Mamerciæ in Sagonenſi, *Memers en Saonnois*.

MANATA.

Gregorio in libri V. Hiſtoriæ Francicæ capite XII. Brachio *Abbas Cellulæ Manatenſis* vocatur, quam cellam in libri de Vita Sanctorum Patrum capite VI. *Monaſterium Manatenſe* nuncupat; Vita Ludovici Pii Imper. *Monaſterium Manata*; decretum ejuſdem Principis de Monaſteriis Regni Francorum *Monaſterium Menaacum* in Aquitania. Vulgo *Menat* appellatur, eſtque ad Seulum flumen, *Siole*, in Arvernis.

MANNARICIVM.

Æthicus in itinere à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum *Mannaricium* Trajectum inter & Carvonem ponit ſic. *Albinianis* M. P. X. *Trajecto* XVII. *Mannaricio* XV. *Carvone* XXII. *Mannaricium*, vel *Manaricium* vicus nunc eſt, vulgò dictus *Maurich*, aliis *Maurik*, poſitus inter Trajectum, (*Vtrecht*) & Carvonem *Grave* nuncupatum, ac ſiniſtræ ripæ Moſæ adſitum, quem Simlerus *Graven an der Moſ* appellari ait, hoc eſt Carvonem ad Moſam.

MANSVM CASTRVM.

Petrus Monachus in libri de bello Albigenſi capite LXXVII. *caſtrum quod dicitur Manſum in extremis finibus Diœceſis Agennenſis* memorat, & triduo oppugnatum eſſe, ſed fruſtra, à Comite Montisfortis tradit. Noſtri ut caſtrum illud à ceteris ejuſdem nominis locis diſtinguerent, *Manſum in pago Agenneſi* cognominavere, *le Mas d'Agenois*. Poſitum eſt ad ripam Garumnæ ferè contra Marmandam: quod *Manſus* dici potiuſquàm *Manſum* debet. Nam *Manſos* in noſtris Hiſtoriis & Chronicis ac Annalibus, atque in veteribus tabulis ſæpe dictos reperio; *Manſa* non reperio. Multa ſunt ejus nominis loca in Galliis: Manſus Aſili, *Mas d'Aſil*; Manſus Sanctarum Puellarum, *le Mas Saintes Puelles*, Manſus *le Mas*, ad Garumnam locus non procul ab urbe Toloſa & Monte-Albano; Manſus Turris vel ad Turrem, qui eſt locus ad Atacem flumen non procul Car-

caſſone, *le Mas de la Tour*; Manſus Cabaretenſis, *le Mas de Cabardes*, in agri Carcaſſonenſis parte exigua, quæ à Cabareto caſtro *pagus Cabaretenſis* vocatur: Maurellimanſus in agro Leodicenſi, *Moriamez*.

MANTALA.

Mantala locus eſt in agro Viennenſi, Synodo XXIII. Epiſcoporum illuſtris anno J. D. DCCCLXXIX. habitâ Idibus Octobris, & Boſonis ad Regnû promotione: quæ *Synodus Mantalenſis territorii Viennenſis, in nomine Domini noſtri congregata ſimul cum Primoribus*, item *Conventus celebratus apud Mantalam territorio Viennenſis* dicitur. Hic nunc vicus pagi Viennenſis in Allobrogibus, pari intervallo abeſt ab urbe Vienna atque Turnone, vocaturque *Mante*, aut *Mente*, S. Petri Cella ſeu Prioratu veteri Cluniaco ſubjecto clarus. *Mantulam* Petrus Abbas Cluniacenſis appellat; nonnulli *Mentulam* obſceno vocabulo.

MARCELLIACVM.

Marcelliacum opidulum eſt in Tricaſſibus, à Marcello conditore ita dictum, ut Muciacum ad Sequanam à Mucio, Mauriacum à Mauro, *Meri*, Planciacum à Planco. Poſitum eſt ad confluentes Albæ & Sequanæ. Quare ab aliis *Marcelli ſur Aube*, vel *Marſilli où ſaut Aube*; ab aliis *Marcilli ſur Seine* cognominatur. Ibi quotannis juvenes nudi curſu contendere conſueverunt, propoſito præmio, panno videlicet aliquo. Qui unum miliare confecerit primus omnium, æqualeſque velocitate corporis ſuperaverit, is præmium capit, puellis carus & bona condicione uſurus. Sic Judæi Romæ per tres dies ante caput jejunii inter ſe curſu certant.

Eſt & in Cadurcis ad Sellam flumen (*Sele*) *Marciliacum*, vulgò dictum *Marſiliac*, illuſtre Monaſterio ejuſdem nominis, quod Anſebertus & Leutadus exſtruxiſſe dicuntur in libro de Vita S. Deſiderii Cadurcorum Epiſcopi. Eidem fluvio adſidet Figiacum, *Figeac*, Monaſterio veteri clarum. *Marciliacum* autem, olim *Marcelliacum* dictum eſſe arbitror.

MARCHESNEIVM.

Marcheſneium Hugo de Cleeriis in Commentario de Majoratu & Seneſcalcia Franciæ memorat ante annos quingentos, & Belſæ attribuit. *Aſſignatus ergo dies & locus colloquii, inter Marcheſneium & Bircium in Beauſſa.* *Marcheſneium* locus eſt inter Ligerim & Lidericum, ſeu inter Caſtrumduni & Balgentiacum poſitus in Carnutibus; nunc vulgò dictus *Marchenoir*. *Corpus B. Leonardi Confeſſ. in quadam Eccleſia juxta Marcheſnoir ſita requieſcere dignoſcitur*, ut legi in litteris datis anno MCCXXVI. in aliis litteris anni MCCCLIII. *Prioratus S. Leonardi juxta Lacum Nigrum* nuncupatur. Ergo *Lacus Niger*, & *Marcheſnoir* vel *Marcheſneium* unus locus eſt. *Marcheſnoir* noſtri vocavere *Lacum Nigrum*, quaſi *Mariſcum nigrum*. *Mariſcus* enim idem quod palus & lacus. Litteræ Johannis Epiſcopi Carnutenſis ſic deſinunt. *Actum apud S. Leonardum juxta Lacum Nigrum noſtræ Diœceſis, anno Domini* MCCCXCIV.

MARCIANÆ.

Hucbaldus Monachus in libello de Vita S. Rictrudis ſcribit, Rictrudem viduam *locum ubi congruum elegiſſe, Monaſterium ſcilicet Marcianas vocatum, ab Amando Antiſtite ſuper fluvium Scarb conſtructum*, ubi Jonatus Abbas Monachas congregaverat. Auctor libelli de Vita S. Amati Senonenſis Epiſcopi tradit, *Marcianas locum* eſſe ad Scarpam fluvium ſitum: tum addit. *Ea duo Cœnobia, Marcianenſe & Hamaticum, opportuna ſibi vicinitate conjuncta, ſub uno canone & amica ſocietate degebant.* *Martianas* quidam, *Marcianas* alii vocitant, & quidem rectiùs, ni fallor. Nam ut à *Marte Martius* deducitur ac *Martianus*; ſic à *Marco Marcius* atque *Marcianus*; quod cum aliorum tum Imperatoris Orientis eſt nomen. Recentiores locum hunc, & Monaſterium ibi ſtatutum *Marcenas* appellant, ut pro Valentianis *Valencenas* dicunt, & cum Hamatico non procul ab opido Duaco ad flumen Scarpam eſſe aiunt in Flandria, Diœceſique Atrebatenſi. Miræus in Comitatu Atrebatenſi, pagoque Auſtrebanto ponit. Vulgò *Marchienes* nuncupant.

MARCI.

Sub diſpoſitione V. Sp. Ducis Belgicæ II. fuere *Equites Dalmatæ Marcis in litore Saxonico*: ut docet Notitia Imperii Romani. *Marcos iſtos eſſe haud dubiè Marquiſe paullo ſupra portum Ambletolium* ait Cluverius. Ego *Merq* eſſe magis crediderim: qui eſt locus maritimus inter Caleſium ac Gravenengas, & agro circumjacenti nomen ſuum dedit. Dicitur enim *la terre de Merq*, aut *le pays de Merk*, id eſt ager *pagusve Marcenſis*. Marcos *Mercham ſive Mercuritium* vocat Lambertus Ardenſis Eccleſiæ Preſbyter in Hiſtoria MS. Comitum Ghiſnenſium, ante annos CCCCLX. compoſita; agrum Marcenſem *Mercuriticum territorium*.

MARCODVRVM ALIAS MARCOMAGVS.

Marcodurum vicus olim fuit in finibus Vbiorum, à Colonia Agrippina Vbiorum capite XXXIV. millibus paſſuum diſtans. Certè *vicum Marcodurum Vbiorum* Tacitus appellat. *Marcomagum* Itineraria vetera nuncupant. In tabula Peutingeriana *Marcomagus, Icorigium, Auſava, Beda, Auguſta Treverorum, Noviomago, Belginum, Dumno, Bingium* ordine memorantur. In itinere à Treviris Agrippinam ponitur ab Æthico inter Egorigium vel Icorigium ac Belgicam vicos, & *vici* appellatione cenſetur hiſce verbis. *Beda vicus leug.* XII. *Auſava vicus leug.* VIII. *Egorigio vicus l.* XII. *Marcomago vicus* M. P. LVIII. *l.* XXVIII. *Belgica l.* VIII. *Marcodurum* vel *Marcomagus* opidum ex vico evaſit, &

truncato nomine *Marcoduri Duren* vocatur, quaſi *Durum*. In Geſtis Pippini & Caroli Magni nunc *Dura*, nunc & ſæpius *Duria villa* appellatur, villa inquam Regia vel publica, Conventibus Francorum ac Synodis tunc celebris ac frequens, *Dũrĩa vicus* Poëtæ Saxoni, in pago Ripatienſi olim, nunc in Ducatu Juliacenſi ad flu. Rutam non procul ab ipſo Juliaco.

MARIACUM.

In finibus Pictonum & Diœceſi Pictavenſi eſt Mariacum, vulgò *Mairé* nuncupatum; ubi Junianus Monaſterium exſtruxit. In libro de Vita B. Juniani quem Boëthius Vulfinus ad Godolenum Abbatem compoſuit, vocatur *locus valde ad conſtruendum Monaſterium aptus, nomine Mariacus, quo in loco Junianus cellulam à fundamentis conſtruxit, & Monaſterium ædificavit, ubi & congregationem Monachorum inſtituit.*

MARILEGIUM.

Marilegium, *Marley*, villa fuit Regia Regum Auſtriæ in Aleſatia, egregii operis muris excelſis inclyta: à Gregorio noſtro, & à Fredegario in v. ac ultimo Chronici libro memoratur. Ea in villa Childebertus Auſtraſiorum Rex per ſummiſſos à Fredegunde percuſſores magnum vitæ periculum adiit anno DXC. In ea villa nutritus eſt juſſu patris ſui Childeberti Auſtraſiorum Regis Theodoricus, qui poſtea in Burgundia regnavit: & ob id hanc villam cum tota Aleſatia ſuprema voluntate patris obtinuit. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri Hiſt. Franc. IX. capite XXXV. *Marilegium villam*; in libri X. capite XVIII. *domum Marilegenſem* appellat; Fredegarius in libri V. Chronici capite XLIII. in *Aleſatia villam Marolegiam*; auctor incertus Vitæ & Miraculorum S. Deicoli *Marelegiam. Eo tempore quo Lotharius Rex in Alſatia provincia morabatur, in fiſco ſuo nobili qui Marelegia vocatur; cujus adhuc dignitatem miri operis mœnia excelſa teſtantur, repentè antiqui hoſtis cauterio inuſtus eſt.* Auctor Vitæ Ludovici Pii Imper. *Merlegium villam*; Aimoinus in libri Hiſtoriæ IV. capite VI. *villam Maurolegicum* nuncupat.

MARILIÆ.

Marilia in Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, quæ in Capitulis Caroli Calvi reperitur, & in Annalibus Bertinianis memorantur. Has quidam recentiores, in primis Molanus, *Maricolas* appellant, & in Hainoo poſitas eſſe aiunt ad Helpram fluvium, Monaſterio S. Mariæ illuſtres: quæ eſt Abbatia Monachorum ex præſcripto S. Benedicti viventium, vulgò *Maroilles* dicta.

MARITIMA AVATICORUM, MASTROMELA STAGNUM.

Mella inter Maſſiliam & oſtia Rhodani *Maritimam* ponit in Gallia Narbonenſi. *Inter eam* (inquit) *& Rhodanum Maritima Avaticorum ſtagno aſſidet: Foſſa Mariana partem ejus amnis alveo navigabili effundit.* Plinius, deſcriptis III. Rhodani oſtiis in Narbonenſi Provincia, addit. *Ultra Foſſa ex Rhodano C. Marii opere & nomine*; (id eſt Foſſæ Marianæ) *inſigne ſtagnum Aſtromela, oppidum Maritima Avaticorum.* Hæc à Ptolemæo vocatur *Maritima Colonia Avaticorum urbs*, & *mari adjacere* dicitur: Μαριτίμα Κολώνια Ἀυατικῶν πόλις ἐπὶ θαλάσσῃ κεῖται: quam Onufrius Panuinius *Coloniam Maritimam Avanticorum* mendoſè appellat pro *Avaticorum*. Nam utraque Gens eſt quidem in provincia Narbonenſi: ſed Avatici ſunt ad mare inter ora Rhodani & Maſſiliam; Avantici verò inter Gentes Alpinas non longè à Dinia. *Maritima* igitur *Avaticorum* nomen ſuum à ſitu, & à Gente cujus caput erat, cognomen accepit. Aſſidet enim mari, ut ait Ptolemæus, vel potiùs (ſi Mellam ſequimur) ſtagno maritimo: quod Strabo λιμνοθάλατταν, Plinius *inſigne ſtagnum Aſtromelam* nuncupat. Niſi potiùs legendum eſt apud Plinium, repetitâ præcedentis nominis poſtremâ litterâ, *inſigne ſtagnum Maſtromela.* Quippe Artemidorus, apud Stephanum de Urbibus, & urbem ipſam *Maritimam*, & ſtagnum ejus communi nomine *Maſtramellam* appellat. Μαστραμέλλη πόλις καὶ λίμνη τῆς Κελτικῆς, Ἀρτεμίδωρος. Maritima vulgò dicitur *Martegue*, al[illegible] *Martigue*, Principatûs titulo illuſtris; ſtagnum cui aſſidet, Maſtromela vel Maſtramela *l'eſtang de Martegue*, vel *mer de Martigues*, id eſt mara ſeu palus Maritimenſis: ſicut multa loca mediterranea vocantur *Mortemer* & *Mortemar*, non quòd ad mare ſint poſita, ſed quòd adjaceant *mare mortua*, ſeu paludi vel ſtagno. Quamquam & ſtagna nonnumquam à magnitudine impropriè dicta ſunt maria: ſicut Aſphaltiten lacum, longitudine centum millia paſſuum excedentem, *Mare Mortuum* vocatum eſſe conſtat. Eſt ad ſtagnum Maſtromelam & *Maramas* vel *Miramas* locus, quem alii *Maritimam Avaticorum* fuiſſe malunt. Quidam Maſtromelam ſtagnum Berrenſe à loco proximo appellant, *l'eſtang de Berre*. Infra Campos Lapideos vicus cernitur *Fos* dictus, qui à *Foſſis Marianis* proximis nomen videtur accepiſſe, & *Foſſa* olim appellatus eſſe. Certè Geſta Dagoberti, circa annum DCCCL. compoſita, in capitulo XVIII. quum *Maſſiliam, Foſſas, Valentiam, Lugdunumque* junctim commemorant, *Foſſarum* nomine vicum iſtum *Fos* haud dubiè deſignant. Foſſenſis ager, *terroir de Fos*, ab eo vico dictus, proximus eſt Maritimæ, quam vulgò *Martigiam* vocant.

MARKA VEL MARCHIA. PROVINCIA.

Marca vel Marchia, *Mark*. Germanicâ linguâ ſignificat Regni aut provinciæ alicujus terminum: unde & præfectos limitum Noſtri *Marchiones* vel *Marchiſos*, aut *Marchenſes* appellavere. Quo nomine quædam regio eſt in Aquitania, cujus meminit ante annos DCL. Aimoinus Floriacenſis Monachus in libri I. de Miraculis S. Benedicti capite XVI.

Monarchiam Regni Francorum adhuc regente Lothario, gravi perduellione Primores Aquitanici Regni contigit turbari. Siquidem Giraldus Lemovicinæ urbis Vicecomes, & Boſo Marcam ipſius poſſidens regionis, contractis adverſum ſe decertabant odiis. Nimirum *Marca regionis Lemovicinæ* erat & vocabatur; non *Regni Aquitanici*: cùm inter Bituriges Cubos & Lemovices poſita, Aquitaniæ Gentibus undique cingeretur. Unde & hodieque nuncupatur Marca Lemovicini pagi, *la Marche de Limoſin*, & in ſuperiorem inferioremque dividitur: illa *la haute Marche*; hæc *la baſſe Marche* appellatur, quòd ſub montibus jaceat. Rogerius de Hoveden ſcribit *Audebertum Comitem Marchiæ*, filii unici morte turbatum, Henrico Anglorum Regi anno MCLXX. *Comitatum Marchiæ* XV. *librarum Andegavenſium millibus vendidiſſe.*

Marchiam dictam eſſe diſertè teſtatur auctor libelli de Vita S. Theobaldi Canonici Doratenſis, quòd eſſet in confinio ac veluti commarcia Lemovicum & Pictonum. *S. Theobaldus Lemovicenſium provinciâ oriundus exſtitit, ejus videlicet regionis, quæ Pictavenſi pago contigua, propter utriuſque terræ confinium Marchia vocatur.* *Marchia* ergo pars erat Lemovicum, & ad eos pertinebat, cùm ſuprà *regio Marchia* vocetur *Lemovicenſium provincia*. *VVillelmus Dux Regem Robertum conduxit ad caſtellum ejus Bellacum in Marcha Pictavis & Lemovica:* uti in Hiſtoria Aquitanica reperio. Matthæus VVeſtmonaſterienſis ita dictam eſſe prodit, quòd ſit inter Franciam & Pictaviam limes. *Anno* (ait) MCCLVIII. *Iſabella Regina nupſit Hugoni le Brun, Comiti de Marchia inter Franciam & Pictaviam.* Thomæ VValſinghamio dicitur *Marchia Vaſconiæ*, credo quod eſſet poſita inter Franciam, & Comitatum Toloſanum provinciámve Narbonenſem Vaſconiæ tum nomine deſignari ſolitam. Certè Thomas Carolum Pulchrum, qui pòſt apud Francos regnavit, in anno MCCCXXII. *Comitem Marchiæ Vaſconiæ* appellat: quod ne quis miretur, Lemovicinos ſeu Lemovicarum urbis incolas, quibus proxima eſt & à quibus cognomen accepit Marchia, hodieque *Vaſcones Lemovicinos* per jocum Noſtri appellitant, *Gaſcons de Limoges*, quòd à Vaſconum finibus non longè abſint.

MARMANDA CASTRUM.

Villam valde nobilem Marmandam vocat Petrus Monachus in libri de bello Albigenſi capite LXIII. & ibidem nunc *villam*, nunc *munitionem*, atque etiam *munitionem caſtri* appellat: in capite LXXIX. rectiùs *caſtrum nobile quod Marmanda vocatur*, necnon *caſtrum Marmande in Epiſcopatu Aginnenſi.* Litteræ anno MCCLXXVI. datæ *Mermendam* nominant; Noſtri etiamnum *Marmande en Agenois*. Caſtrum eſt ad Garumnam poſitum in Nitiobrigibus.

MARNA CASTRUM.

Nobile olim caſtrum fuit *Marna* in pago Laudunenſi ad fluvium Saram. Guibertus Abbas Novigenti, in libris de Vita ſua *Thomam* commemorat, *Ingelranni Codiciacenſis filium, cui erat caſtellum Marna præſidium.* Sugerius in Vita Ludovici VI. Francorum Regis *Thomam de Marna* non ſemel nuncupat, *Engerranni de Bona* optimi patris peſſimum filium. Poſtea *Marla* dicta eſt, & ita dicitur non ſemel in Chartario Fuſniacenſi, ut *Albamarna* poſt *Albamarla* nuncupata, litterâ n in l conversâ, vulgò *Marle*. De origine ejus nominis diximus in Albamarla. In tabulario Fuſniaci, quæ eſt Abbatia in Teoracia Ciſtertio ſubjecta, *Foiſny* vulgò dicta, *Ingelrannus dominus Conciaci & Marla* memoratur, necnon *Matricularij ſeu proviſores Eccleſiæ S. Martini de Marla; Presbyter Eccleſiæ S. Martini, & Communitas ejuſdem Parochiæ;* & *Maior ac Jurati de Marla.*

MAROIALUM TURONUM ET CARNUTUM.

Maroialenſis vici Eccleſiam in Turonibus, S. Martini Reliquiis & nomine illuſtrem, incenſam eſſe anno DXXCIV. ab exercitu R. Guntchramni, ex Biturigibus Aurelianenſibuſque conſtante, tradidit Gregorius noſter. *Maroialum* illud, vicus erat aut villa ripæ Cari adjacens, nomen hodieque retinens, *Marueil ſur Cher*, in extremis Turonum finibus, ſeu in ipſo Turonum, Biturigum, Bleſenſiumque confinio, uti obſervo. In *villa Maroialenſi* Cuppa qui Comes ſtabuli Chilperici fuerat, dum filiam Baudegiſili quondam Cenomanorum Epiſcopi nocte per vim rapere conatur, à Magnatrude virginis matre magna cum ſuorum clade repulſus eſt anno Domini DXC.

Fuit & villa Regia *Maroialum* Aurelianis propinqua, in quam Epiſcopi Duceſque & populus convenere regnante Chlothario Chlodovei junioris filio, & cujus in Actis Dalfini & B. Anemundi Mart. vitam continentibus fit mentio. Hæc nunc *Marolle* vocatur, eſtque vicus in ſilva Aurelianenſi.

MARSALLUM CASTELLUM.

Fulradus Abbas Monaſterii S. Dionyſii, in Teſtamenti ſui tabulis ſignatis anno IX. regni Caroli Glorioſ. Regis Franc. & Langob. & Patricii Romanorum, quas Mabilio vulgavit, *Marſalli* ante annos nongentos mentionem fecit his verbis. *Patellas ad ſalem faciendum in vico Bodatio, ſeu Marſallo* (id eſt, & Marſallo) *unà cum ſeſſis earum, totum & ad integrum à die præſente ad partes S. Dionyſii delegavi.*

Marſallum à *ſale* nomen videtur accepiſſe, eſtque caſtellum ad Saliam flumen inter Medianum Vicum *Moyen-Vic*, & Decem pagos *Dienze*: quæ loca cum fluvio Salia aquis ſalſis abundant, ex quibus ſal conficitur. Vulgò dicitur *Marſal*. In Chronico de Epiſcopis Mettenſibus quod Lucas Acherius edidit, *Marcellum* appellatur. Dominus Stephanus Mettenſis Epiſcopus qui anno MCXX. Epiſcopatum inierat, *munitionem inter Vicum &*

Marcellum in loco paluſtri ſitam (id eſt Medianum vicum *Moyenvy*) *dedruxit & complanavit.* Ibidem Jacobus LIX. Epiſcopus Mett. *Villas de Vico & de Marcello adeò firmaviſſe* dicitur, *ut ab hoſtilibus inſultibus non valeant expugnari.* Nimirum Saliæ fluvio adſident Decem pagi, Marſallum, Medius Vicus, & Vicus.

MARSNA.

Marſna villa fuit Regia in finibus Tungrorum, memorata à ſcriptoribus rerum geſtarum Caroli Magni poſterorum: in Capitulis Caroli Calvi *locus qui dicitur Marſna ſecus municipium Trajectum*, Regum Lotharii, Ludovici & Caroli fratrum conventu nobilis, ad flumen Moſam. *Marſana* quoque vocatur, vulgò *Merſen.*

MARTELLI CASTRUM.

Eſt in Cadurcis *caſtrum Martelli. Martel* Rigordo dictum, Noſtris quoque nunc ita appellatum: ubi Henricus junior Rex anno MCXXCIII. deceſſit, vivo patre Henrico Anglorum Rege. *Eodem anno* (inquit Rigordus) *in provincia Caturcenſi, in caſtro quod vulgò dicitur Martel. XIII. Kal. Junii obiit Henricus juvenis, Rex Angliæ.* Idem refert VVillelmus Armoricus, ſed *caſtrum Martelli* vocat.

MARTILIACUM ET MASTATIUM CASTRA.

Vulgrinus, Comes Ecoliſmenſium, Petrocororũ & Aginnenſium, circa annum DCCCLXX. vel DCCCXXC. *multis prœliis laboraverat frequenter cum Normannis. Hac de cauſa ædificaverat caſtrum Martiliacum & Maſtatium, ut eſſent munimen contra paganos: miſeratque in Martiliacum Robertum legis doctum, & cum eo amicum ſuum fideliſſimum, nomine Ranulfum, feceratque eum Vicecomitem ſuum*: ut invenio in Hiſtoria Aquitanica, à Ludovico Balbo Rege Francorum ad Hugonem deducta, & ab Andrea Cheſnio vulgata. *Caſtrum Martiliacum*, quod à prima origine Vicecomitem ſuum ſibi habuit, vulgò dicitur *Marcillac*, eſtque poſitum inter Carantonum & fluviolum qui in eum influit: nunc Principatus titulo inſigne. *Maſtatium* autem caſtrum nunc *Matas* nuncupatur, nec longè à Martiliaco abeſt, & Comitatûs titulo gaudet. Inter Milites & Armigeros, qui Philippum Franc. Regem anno MCCLXXI. ſecuti ſunt, Comiti Fuxenſi bellum inferentem, *Robertus de Maſtacio* numeratur præter ceteros *Milites Seneſcalciæ Pictavenſis.*

MASCIACUM.

Liber de Vita & Geſtis Imp. Ludovici Pii, ante annos DCCC. compoſitus, *Monaſterium Maſciacum* X. loco numerat inter Monaſteria in Regno Aquitaniæ ab eo reparata, aut à fundamentis ædificata. Helgaldus in libro de Vita Rotberti Franc. Regis *Abbatiam S. Martini Maſciacenſis* vocat. Eſt autem *Maſciacum* vicus in Biturigibus Cubis, Monaſterio ejuſdem nominis clarus, III. aut IV. millibus paſſuum ab opido Virſione diſtans: quem vulgò incolæ cum veteri loci hujus Cœnobio *Macay* appellitant.

MASONIS MONASTERIUM.

Maſonis Monaſterium commemorat, & inter *Homouvam* ac *Homburc* ponit Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta: quod eſt hodieque in Aleſatia, & vulgò *Maeſmunſter* appellatur. *Homburc* autem vel Homburgus eſt forſitan *Hombourg* aut *Hombourch* apud Lotharienſes non procul à Ponte Saravi.

MASSILIA GRÆCORUM, ET DE MASSILIENSIUM COLONIIS, AC DE GRÆCIA GALLICANA, VEL GALLOGRÆCIA.

Phocenſes qui Maſſiliam condiderunt, Corſicam priùs occupaviſſe, & Cyrnon appellaviſſe Seneca in Conſolatione ad Marciam ſcribit, *& Phocide relicta, Græcos Maſſiliam colere.* Agellius quoque ab Harpalo *ex terra Phocide fugatos* alios Veliam, alios Maſſiliam condidiſſe tradit: quos tamen non è Phocide regiuncula Græciæ in Europa; ſed ex Phocæa urbe Æolidis in Aſia veniſſe conſtat. Lucanus in libro III. quum dixit, eos *exſules tranſtuliſſe exuſta Phocidos arces*, *Phocidos* dixit pro *Phocææ*: ſicuti Livius in libro V. Maſſilienſes à *Phocide profectos* ait pro *Phocæa*, quia nimirum Phocæa urbs Joniæ ultima, aut Æolidis prima, *Phocis* quoque cùm à Mella, tum à multis aliis appellatur. Verba T. Livii in libro V. notanda ſunt de Belloveſo juventutem Biturigum, Arvernorum, Senonum, Æduorum, Carnutum, & Aulercorum in Italiam ducente. *Belloveſus Bituriges, Arvernos, Senones, Æduos, Carnutes, Ambarros, Aulercos, quod eis ex populis abundabat excivit, & in Tricaſtinos venit. Alpes inde oppoſitæ erant. Ibi cùm hærerent, allatum eſt advenas quærentes agrum, ab Salyûm gente oppugnari. Maſſilienſes erant hi, navibus à Phocide profecti: quos Galli adjuvere, ut quem primum in terram egreſſi occupaverant locum, patentibus ſilvis communirent.* Lego *patentibus Salviis* aut *Salyis*, haud dubiâ conjecturâ. Alioquin verborum Livii nullus eſſet ſenſus. Quid enim eſt *locum patentibus ſilvis communire?* Inter Tricaſtinos autem & Salyos Cavares ſoli intercedunt, per quos itinere facto, Galli in fines Salyorum pervenerunt, & Phocenſes in condenda ibi Maſſilia vel certè inchoanda adjuverunt, in munienda inquam Maſſilia *invitis* quidem *Salyis*, ſed *patentibus*, quoniam advenas Græcos Gallicis auxiliis adjutos prohibere non poterant. Igitur ſi qua Livio fides habetur, condita eſt Maſſilia in Salyorum aut Salyûm finibus, Gentis Liguſticæ. Contrà Trogus & qui ex Trogo epitomen fecit Juſtinus in libro XLIII. aſſerunt in *Regis Segoregiorum finibus* ſtatutam eſſe Maſſiliam, *inter Ligures & feras Gentes Gallorum*, id eſt Cavares & Vo-

contios, & locum à Rege ipſo genero datum: quos Segoreios vel Reios Juſtinus etiam *Ligures* appellat: ſive Regno Segoreiorum Salyi continebantur, ſive potiùs Segoreii pars Salyorum erant, eiſve attribuebantur. Unde Maſſiliam *urbem maximam Phocæorum coloniam*, in *Liguſtina* vel *Liguſtica* poſuit Marcianus in Periplo; & ab Stephano ac Euſtathio Maſſilia dicitur *urbs Ligurũ Galliæ*, quos Lycophron *Liguſtinos* vocat. *Græcos Italosque illuc convenas* facit Eumenius, *Italos* inquam mendosè pro *Gallos*, id eſt Ligures.

Maſſiliam deſcribit Cæſar in libro II. de bello Civili, deſcribit & Eumenius in panegyrico Conſtantino A. dicto, & ex utroque Feſtus Avienus. Ex quibus Cæſar *arcem* Maſſiliæ memorat; quam Strabo τὴν ἄκραν vocat, & ubi *Epheſium* ſive templum Dianæ Epheſiæ, & Delphinii Apollinis templum fuiſſe ait. *Arcem Minervæ* Juſtinus appellat, cujus in porticibus ſimulacrum Deæ fuerit: de qua Lucanus in libro III.

> Proxima pars urbis celſam conſurgit in arcem
> Par tumulo.

Item.

> Hinc tela cadunt excelſas urbis in arces.

In ea civitate eſſe aptum portum multis & magnis navibus, ferè circumcluſum altis montibus Rogerius Hovedenus ſcribit. *In munitiſſimum Maſſiliæ portum anguſto aditu meridianus refluit ſinus*, ut ait Eumenius: quem *remotum ſinum velut anguſtum mare* Juſtinus appellat. Hic autem Maſſilienſium portus *Lacydon* Λακύδων vocabatur, ſicuti Mella & Euſtathius docent. Naturâ quidem factus, & tutiſſimus, at anguſtus aditu, nec magnæ claſſis capax eſt Lacydon: Unde & catenâ ferreâ clauditur. Portui proxima erant navalia, de quibus Cæſar atque Lucanus. *Maſſilienſium portum* Gregorius in libri VI. capite II. memorat: Chronographia MS. in *urbe Marſilia portum navigiis opportunum, ſub amplexu rupium violentiam excludente ventorum.*

Eumenius ait *Maſſiliam ſolis* M D. *paſſibus terræ cohærere, quà firmiſſimus & turribus frequens murus opponitur. Altitudinem muri atque turrium* Maſſiliæ celebrat Cæſar in libro II. *intra muros* Florus in libri IV. capite II. Unde Lucano dicuntur Graii

> Mœnibus exiguis alieno in litore tuti.

Crinas Maſſilienſis Medicus *Seſtertium centies reliquit muris patriæ, mœnibus quoque aliis pene non minori ſumma exſtructis.* In paſſione Victoris Maſſil. & ſociorum ejus Maſſilia vocatur *civitas ampla, quondam mirabili ſtructura ſua firmitate ſimul & pulchritudine glorioſa; in capite Galliarum ſita; terrâ marique omnium ferè Gentium commerciis patens; immensâ divitiarum opulentiâ & frequentibus populorum turbis, armorumque terroribus inclyta.* Amelius in navigatione Gregorii PP. XI. Maſſiliæ *ſtructuram mirabilem* laudat anno MCCCLXXVI. Guicardinus in libro XV. murcios Maſſilienſes firmiſſimos & antiquæ ſtructuræ.

De origine & de Republica Maſſilienſium ſcripſiſſe Ariſtoteles dicitur præ ceteris Athenæo: à quo Juſtinus Trogi epitomaſtes recedit in relatione rerum & nominum. Nam verbi gratiâ qui *Euxenus* Dux Maſſilienſium claſſis Ariſtoteli; *Peranus* eſt Juſtino: quę *Petta* Ariſtoteli, eadem *Ariſtoxena*, Nani Regis filia, Euxeni conjux; ea Juſtino *Gyptis* eſt *Regis Segoregiorũ Senani* filia.

Amphitheatrum ſuum Maſſilia olim habuit, ut Arelatum, & Nemauſus, aliæque claræ urbes Galliæ Narbonenſis, quod *Arenas* vocavere more Gallorum incolæ: à quo *Monachorum S. Mariæ de Arenis Monaſterium* nomen accepit.

Dicta eſt Græcis Μασσαλία, *Maſſilia* Romanis. Apud Florum in libri IV. Epitomes Rerum Romanarum capite II. dicitur *Maſſilia Græcula civitas, non pro mollitie nominis & vallum rumpere, & incendere machinas auſa, & congredi navibus*: ſive quòd μαλάσσειν mollire ſignificat, ſive quòd μαλακία parum abeſt à Μασσαλία. Aliam nominis originem comminiſcitur Euſtathius, ſed ridiculam, nec referri dignam.

Colonia Phocæorum vel Phocenſium Maſſilia à Strabone nuncupatur, κτίσμα Φωκαιέων ἡ Μασσαλία, in ſolo petroſo ſita, urbs frequens & magnitudinis non contemnendæ. Mella quoque *à Phocæis oriundam* dicit in Gallia Narbonenſi: & Plinius oram provinciæ Narbonenſis deſcribens, *Maſſiliam Græcorum Phocenſium Fœderatam* appellat: de quo vetertimo fœdere Maſſilienſium cum Romanis juncto, & ut ipſi ſæpe Romanos in magnis diſcriminibus adjuverint, Cicero, Trogus, Valerius Maximus, Ammianus Marcellinus: ob quæ merita fidemque in Romanos eximiam *& immunitas eis decreta, & locus ſpectaculorum in Senatu datus*, ſive in Orcheſtra; ſicuti Juſtinus ſcribit. Unus Ptolemæus *Maſſiliam Commonorum urbem* vocat in Gallia Narbonenſi, Κομμονῶν πόλις Μασσαλία: ubi emendandum puto Κενομανῶν. Nam apud Pliniũ in libri III. capite XVIII. *Auctor eſt Cato, Cenomannos juxta Maſſiliam habitaſſe.* A ceteris *Maſſilia Græcorum* plerumque cognominatur: in Itinerario portuum vel poſitionum navium ab Urbe Arelatum, *Maſſilia Græcorum portus* inter Immatras & Incarum poſitiones, ab Immatris XII. ab Incaro (*Carro*) XII. millibus diſtans: Viâ Aureliâ à Roma per Tuſciam & Alpes Maritimas Arelatum uſque, *Maſſalia* Græco nomine inter Aquas Sextias atque Calcariam. In tabula Theodoſiana ſimiliter *Maſſilia Græcorum*, id eſt Maſſilia Græcorum; ut Μασσαλία Ptolemæo aliiſque nonnumquam dicta pro Μασσαλία: Paulino in carmine ad Cytherium *poſita Gallorum ſolo Maſſilia, Graiûm filia*: *Maſſilia Græcorum* & in Notitia Imperii, quæ ibi *Præfectum militum Muſculariorum* ponit in provincia Gallia Ripenſi.

Veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. ultimam (quod miror) collocant *civitatem Maſſilienſium*. Robertus in Chronico Aquenſi provinciæ ſeu Narbonenſi ſecundæ *civitatem Maſſiliam* ſolam adſcribit, eamdemque ſua ætate Arelatenſis provinciæ civitatibus pænultimam attribui aſſerit. Certè & Gervaſius Tiſlberienſis, & quædam recentiores ipſo Notitiæ inter Epiſcopos Arela-

renſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffragantes nô jam ultimum aut pænultimum, ſed omnium primum *Maſſilienſem* numerant: ut hodieque Maſſilia, Auguſta Tricaſtinorum, Telo Martius, & Arauſio Cavarum Arelatum pro Metropoli habent. *Marſiliam* recentiores quidam ante annos cccc. vocare cœperunt, ut Noſtri *Marſeille*. Incolæ Græcis Μασσαλιῶται & Μασσαλιῆται, Latinè *Maſſilienſes*, *Maſſilitani* & *Maſſiliani*, Noſtris *Marſeillois* dicuntur.

Maſſilienſium civitatis diſciplinam atque gravitatem, fidem in Romanos, & priſci moris obſervantiam laudat Cicero, Livius, Valerius, Silius, omnes: qui *non ſonum modò linguæ, veſtitumque & habitum, ſed ante omnia mores & leges, & ingenium ſincerum integrumque à contagione accolarum ſervaverint*. Strabo de eorum parcimonia, & ſtudiis liberalibus, deque Rep. ab Senatoribus ſeu DC. regi ſolita multis refert: & Tacitus in Agricola *Maſſiliam* vocat *locum Græcâ comitate & provinciali parcimoniâ mixtum ac bene compoſitum*: quam Cnæus J. Agricola ſedem ac magiſtram ſtudiorum habuerit, & quò L. Antonium ſororis nepotem Auguſtus ſepoſuerit ſpecie ſtudiorum. Soli Plautus & Athenæus (ut credo) mores Maſſilienſes vituperant, & molitiei eos inſimulant. Petrus Amelius Electenſis, Epiſcopus Senogalliæ, in Navigatione Gregorii XI. PP. Maſſiliam *urbem ſanctam, glorioſam & nobilem* vocat, ejuſque *ſtructuram mirabilem, virorum & mulierum amabilem ſpeciem, navium ex omni mundi climate concurſum, portuſque amœnitatem* laudat.

Maſſilia nomen dedit Rhodani ori tertio eidemque ampliſſimo, *quod Maſſalioticum* Græco nomine vocavere, quoniam ceteris duobus oſtiis propius erat Maſſiliæ: Nomen dedit & *Gradus Maſſilitanorum* in Rhodano fluvio, quem Æthicus à Maſſiliâ XLVIII. à Foſſis Marianis XVI. ab Arelato XXX. millia paſſuum abeſſe ait, & inter Foſſas ac Arelatum collocat. Nomen dedit quoque vinis Maſſilienſibus, quæ *vina Maſſiliana, fumea Maſſiliæ vina, improba Maſſiliæ fumaria, Maſſiliæ fumos*, & *cella fumis muſta Maſſilitanis* Martialis vocat ſimul ac irridet: cùm apud Plinium in capite VI libri XIV. & apud Athenæum *inter Pyrenæum Alpeſque Maſſilia* (id eſt vinum Maſſilienſe) *palmam habere* dicatur *gemino ſapore, quando & condiendis aliis pinguius gignit, quod vocant ſuccoſum*. Huic Phocenſium coloniæ, Lampſaci in Helleſponto ſorori, nomen ſuum debet *Litus Phocaicum* in Hiſpania, veteri apud Goltzium epigrammate celebratum. A Maſſilienſium Græcorum, coloniis & portubus, præjacens toti Septimaniæ ac Provinciæ *Mare Græcum* eſt dictum.

Tingitanæ provinciæ pars eſt regioque Maſſylia, ſedes Maſſylorum Virgilio Geographiſque notorum, quos Polybius Μασσυλίους appellat, Dionyſius Μασσυλῆας: quam Maſſyliam pro Maſſilia noſtra quidam imprudentes acceperunt: cùm nominis Maſſyliæ ſecunda ſyllaba longa ſit, Maſſiliæ brevis; & alteram ab altera mare interfluens dividat.

Eſt inter Maſſiliam & Carſicos (*Carſis*) in montibus mari proximis Maſſilia vetus, *Marſeille vieille*, incolis *Marſeille veire* dicta: qui vicus nomine ſuo antiquitatem ſibi falsò vindicat, tamquam prima Phocenſium in terram egreſſorum ſedes fuerit.

Ager Maſſilienſis vitem ac oleam tolerare, frumenti impatiens eſſe Straboni dicitur. Quare Juſtinus affirmat, Gallos à Maſſilienſibus vitem putare, & olivam ſerere didiciſſe: quorum de vinis ſuprà ſcripſimus. Maſſilienſem pagum, J. Cæſar in libro II. de bello Civili *fines Maſſilienſium* appellat.

Maſſilienſibus magna cum Liguribus, magna cum Gallis fuere bella, quæ pericula propulſando in tantum enituerunt, ut victis hoſtibus in captivis agris multas colonias conſtituerint, ut Juſtinus & Ammianus aiunt. Ligures autem quibuſcum eis res fuit, erant Salyi, Segoreii vel Reii, Deceates, Oxubii, communi omnes nomine *Tranſalpini Ligures* Floro, aliis *Celtoligures* ſeu Galloligures dicti. Galli cum quibus bella geſſere Maſſilienſes, fuere Cavares, & Vocontii, & finitimi alii minoris nominis; trans Rhodanum Volcæ Tectoſages & Volcæ Arecomici. In libro I. de bello Civili reperio, Cn. Pompeium Patronum civitatis *agros Volcarum Arecomicorum & Helviorum publicè Maſſilienſibus conceſſiſſe*: hoc eſt partem aliquam agrorum utriuſque Gentis. Neque enim veriſimile duco, aut perſuadere mihi poſſum, Romanos Nemauſum coloniam Romanam, Uceciam, ac Magalonem tria Arecomicorum capita, & Albam Helviorum cum toto ambarum Gentium agro Maſſilienſibus umquam attributuros aut donaturos fuiſſe: præſertim cùm XXIV. Arecomicorum opida Nemauſenſibus attributa auctor ſit Plinius. Et trans Rhodanum quidem in Volcis Tectoſagibus *Agatham*, atque in Arecomicis *Rhodam* aut Rhodanuſiam ad flumen Rhodanum; citra flumen Rhodanum *Taurentum, Olbiam, Antipolim & Nicæam in finibus Salyorum & Ligurum Alpinorum*, hoc eſt Deciatium & Oxubiorum Maſſilienſes earum Gentium victores condiderunt, quemadmodum Strabo memoriæ tradidit: quibus adde *Emporia*, in Hiſpania Tarraconenſi, poſt amicitiam cum Hiſpanis junctam, ex parte condita à Maſſilienſibus & poſſeſſa ac appellata: adde etiam Cabellionem & Avenionem, quas urbes in Cavaribus occupaverunt. Nominibus Græcis cenſentur trans Varum in Italia portus Herculis Monœci, vel Hercules Monœcus, Nicæa plaga cis Varum, Antipolis portus, Athenopolis Maſſilienſium, Heraclia Cacabaria portus, Telo Martius portus, Taurentum portus, Olbia, promuntorium & portus nomine Citharista, Agatha trans Rhodanum, atque Leucata litus ac promuntorium, & trans Pyrenæum in Hiſpania Tarraconenſi Emporia: in ora Galliæ inſulæ Agatha ſeu Blaſco, Alonis, tres Stœchades, Prote, Meſe, Hypæa, Phœnice, Phila, Lero, & Planaſia ſive Lerina. Horum pleraque Maſſilienſes poſſedere, ſed non omnia. Neque enim cunctis finitimis locis nomen ſimul & jugum imponere potuerunt. At Julius Cæſar *victis terra marique, & dedentibus ſeſe abſtulit omnia, præter*

præter quam potiorem omnibus habebant libertatem: ut Florus prodit. Jure igitur belli Cæſar ſuas eis colonias, ſua opida ademit, Nicæam, Antipolim, Agatham, Cabellionem, Avenionem, aliaque. Unde *Nicæam opidum à Maſſilienſibus conditum* Plinius, & *opidum Latinum Antipolim*, ac *Agatham quondam Maſſilienſium* appellando, ſatis indicat Agatham ſua ætate Maſſilienſium ampliùs non fuiſſe, & Antipolim, quam jure Latii Romani donaviſſent, Maſſilienſibus ademtam pridem exſtitiſſe: & qui Nicæam à Maſſilienſibus conditam dicit, eiſdem parere non dicit. Quędam tamen eis videntur à Cæſare relicta eſſe, ut Stœchades inſulæ, & Athenopolis Maſſilienſium, ac paucula alia non magni nominis loca. Quare & *Stœchadas Maſſilienſium inſulas* Tacitus in libro I. Hiſt. vocat, quód ejus ætate ſub ditione Maſſilienſium adhuc eſſent: & *Athenopolim Maſſilienſium* eamdem ob cauſſam Plinius cognominat, à qua *Atheneopolita* Varroni in libro VII. de L. L. Sed & fœdus, quod propè ab initio conditæ urbis cum Romanis junxerant Maſſilienſes & ſumma fide cuſtodierant, remanſit intactum, & Maſſilia, quemadmodum Plinius docet, *Fœderata* eſſe ac dici perſeveravit: & immunitatem non quidem censûs, ſed multarum aliarum rerum obtinere minimè deſtitit, quam *eorum regio Principum privilegio conſecuta erat*, ut Caſſiodorus Senator ſcribit: qui & *Maſſilienſium horreorum* meminit, condendo frumento publico deſtinatorum. Nam conſtat Maſſilienſes à Cæſare obſeſſos non modò frumentum ex finitimis regionibus atque ex omnibus caſtellis ſuis in urbem convectum, ſed etiam panicum vetus atque ordeum, ad hujuſmodi caſus antiquitùs paratum, in publicum contuliſſe. Certè Strabo docet ſuam Maſſilienſibus libertatem, ſuas leges Ionicas relictas eſſe cum fœdere, itaut nec Maſſilia, nec ei ſubjecti provinciæ Narbonenſis rectoribus parerent.

Maſſilienſium regionem qualem ſuprà deſcripſimus, Strabo oram Maſſilienſem; τὴν παραλίαν Μασσαλιωτῶν vel Μασσαλιωτικήν; Silius in libro III. *Phocaicas oras* appellat, propterea quod à Phocæis oriundi eſſent Maſſilienſes: Athenæus in libro IV. τὴν Μασσαλιωτῶν χώραν; Dionyſius Periegetes γαῖαν Μασσαλίην, *terram Maſſiliam*; Μασσαλίαν quoque Stephanus ſeu *Maſſiliam* nomine urbis vocat; nonnumquam & *Liguſticam*, Λιγυστικήν, uti Marcianus Heracleotes in Periplo *Liguſticam* vel *Liguſtinam*; quòd in maritimis finibus Ligurum Tranſalpinorum vel Gallorum, videlicet Salyum, Deciatium, Oxubiorum majore ex parte poſita eſſet. In tabula Theodoſiana quam Peutingerianam vulgò appellitant, regio Maſſilienſium *Græcia* nuncupatur à Maſſilia colonia Græcorum. Ibi enim *Maſſilia Græcorum* memoratur, & circa *Clanum* atque *Aquas Sextias* Salyorum majoribus litteris adſcribitur *Græcia*. Stephano igitur *Azania* eſt *urbs Maſſiliæ*, Ἀζανία πόλις Μασσαλίας, id eſt Maſſilienſium regionis: *Alonis inſula & urbs Maſſiliæ*, quæ Magalona eſſe mihi videtur: *Avenio* Cavarum & *Cabellio* Cavarum *urbes Maſſiliæ*, à Maſſilienſibus nimirum victoribus ambæ urbes Galliæ occupatæ: *Cyrene* Κυρήνη *urbs Maſſiliæ*, vulgo *Correns* vel *Correns* ad amnem Argenteum dicta: *Olbia urbs Liguſtica*, id eſt Arex: *Rhodanuſia urbs in Maſſilia*: *Stœchades inſulæ numero tres contra Maſſiliam, dictæ & Liguſtides*: (*les Pomegues*) *Tauroïs* Ταυρόεις, *urbs Celtica* vel Gallica, *Maſſilienſium colonia*, *la Ciotat* quibuſdam veriſimiliter credita, & ſæpiùs *Tauroentum* nuncupata: *Maſſilia urbs Liguſtica in Gallia, Phocæorum colonia*: *Troezen* Τροιζὴν ἐν Μασσαλίᾳ τῆς Γαλλίας. Ita enim Stephanum emendandum puto, mutato nomine Ἰταλίας in Γαλλίας: quam *Troezena* interpretor *Trez*, locum inter Maſſiliam & Aquas Sextias medium: Petrus Amelius in Navigatione Gregorii PP. XI anno MCCCLXXVI *Trezas civitatem amœnam* vocat, inter *Aquenſem Regiam urbem* (*Aix*) & *Sanctum Maximinum*, locum ita nuncupatum. Concilii Narbone habiti anno Regni Reccaredi IV. canone IV. interdicitur, ne quis ingenuus aut ſervus, *Gothus, Romanus*, (id eſt Gallus) *Syrus, Græcus vel Judæus die Dominico ullum opus faciat*: *Græcus* ex Agatha videlicet Græca colonia Maſſilienſium in Narbonenſi prima, & ex Leucata.

A Maſſilia nomen accepit & *Provincia Maſſilienſis*, vel *Provincia Maſſiliæ*, quæ præ ceteris continebat Maſſiliam, Avenionem, Aquas Sextias, & Auſtraſiorum Regibus parebat; ab *Arelatenſi Provincia* Burgundiæ Regibus parente, in qua Arelatum, Ugernum, Reii, aliæque urbes erant, diſtincta. Præſides Maſſilienſis Provinciæ, à ſcriptoribus Noſtris, præſertim à Gregorio ſæpe *rectores Provinciæ*; nonnumquam *Præfecti*, atque etiam *Patricii* appellati.

Ceterùm ut à Maſſilia Græcorum regio eorum *Græcia* cognominata eſt, ita & mare Gallicum quod Provinciam & Septimaniam alluit, ob colonias Græcorum Maſſilienſium per totam hanc oram ſparſas & conditas, *mare Græcum* appellatum reperio. Certe Matthæi VVeſtmonaſterienſis verba ſunt hæc. *Anno* MCCCII. *Rex Franciæ congregavit exercitum multum nimis a mari Græco uſque ad Oceanum.* Thomas VValſinghamus in rebus Edvvardi III. anno MCCCLX. & in Hypodigmate Neuſtriæ eodem anno ſic ſcribit. *Carcaſon & Nerbon juxta mare Græcum.* Ex quibus Matthæus in anno MCCCVII; Thomas in anno MCCCCXXII. definit; ut appareat ante annos CCCLX. atque etiam CCI. *maris Græci* appellationem circa Narbonem atque Maſſiliam adhuc in uſu fuiſſe. Nunc mare circa Maſſiliam & Stœchadas inſulas *Maſſilienſe* cognominatur, *Mer de Marſeille*, à portu ac urbe celeberrima. *Mare Marſiliæ* Appendix Chronici Guillelmi Nangiacenſis in anno MCCCXXVIII. appellat.

Et Phocenſes quidem piſcando ac mercando, plerumque etiam latrocinio maris quod tum gloriæ habebatur, vitam toleraverant: quos Maſſilienſes imitati, mercatura ac curſu longarum navigationum magnas ſibi opes paravere: nundinas etiam ſtato quotannis tempore domi inſtituere, ad quas naves tranſmarinæ oleo, charta, odoribus onuſtæ

ex Ægypto aliiſque partibus confluebant. Hiſce nundinis, & mercibus quæ ibi exponi conſueverant, Maſſilienſes Græculos Græcum nomen, Martiali, Auſonio aliiſque uſitatum impoſuiſſe animadverto, & *cataplum* appellaviſſe. Hoc me docet Sidonius in epiſtola VIII. libri VI. & in ſecunda ſeptimi, ubi ad Græcum Maſſilienſem Epiſcopum ſcribens, *catapli recentis nundinas*, & *cataplum Maſſilienſem* commemorat: quem imitatus more ſuo Gregorius in libro IV. Hiſtoriæ *cataplum Maſſilienſium* nundinas eorum vocat. *Advenientibus* (ait) *ad cataplum Maſſilienſium navibus transmarinis, Vigilij homines LXX. vaſa ſeu orcas olei & liquaminis furati ſunt*: & in libri V. capite V. navium oleum, chartam, & alias ſpecies Maſſiliæ inferentium meminit, catapli nomine ſuppreſſo. De oleo Maſſiliæ, *ſecundũ ordinem cataboli ab Actoribus Regiis quaſi ad opus Regis quotannis emẽdo in Luminaria Eccleſiæ S. Dionyſii*, vide Geſtorum Dagoberti caput XVIII. ubi *cataboli* corruptũ nomen eſt pro *catapli*. Sanè regnantibus in Ægypto Soldanis, Maſſilienſes mercatores cum Avenicis & Lugdunenſibus bis ſingulis annis Alexandriam navigare conſueverant, & inde aromata merceſque alias in Provinciam, totamque Galliam importabant. Hoc commercium poſtea Maſſilienſibus ademtum ſibi vindicavere Venetici, ut erant Ægypto longè propiores, & jaminde à Carolo Magno navigationibus Orientis illuſtres: quos ipſos interveniens Luſitanorum navigatio magnum ac diuturnum ibi quæſtum facere prohibuit. Hodieque Maſſilienſes Alexandriæ ad Iſſum Viceconſulem ſuum habent, Halapiæ Syriæ Conſulem, in inſula Cypro ſuum quoque Conſulem apud Arniquam habent. Ex urbe Halapia aromata Regni Perſarum devehunt, ac quotannis eas in merces octingenta millia aureorum impendunt, ſi qua Teixeræ fides. Alexandria XXC. millia paſſuum abeſt ab emporio mediterraneo Halapia, Italis *Alexandreta*, vulgò *Scandarona* dicta, portu ſuo celebris, unde goſſipium, cinnamomum, caryophyllon, moſchocaryon, piſtacia, gemmas, margaritas, monetam auream, & ſericum Maſſilienſes petunt; ex Cypro goſſipium, ladanum, reſinam è terebintho quæ terebinthina dicitur, ac crocum.

MATAPUTENAM.

Henricus ejus nominis primus Anglorum Rex anno MCXIX. *in loco qui Vetus Rotomagus dicitur, caſtrum condere cœpit, quod Mataputenam, id eſt devincens meretricem nuncupavit: Mateputain*, ut ſcribit Ordericus Vitalis in libro XII. Hiſtoriæ. Tum igitur meretricem *putenam* vocabant, & *matare* pro vincere dicebant, ut & nos hodieque dicimus. Eſt autem proximus Albæmarlæ viculus, etiamnum *Vieil Rouen* ſeu Vetus Rotomagus dictus: ſed an is ab Orderico deſignetur, haud facile dictu eſt. Sic Thebaldus *Matafelonem* quidam cognominatus eſt, quòd inimicos & infideles ſibi deviciſſet. *Felones* enim vel *Fellones* perfidos ac rebelles Noſtri appellitarunt. Certè inter Milites Franciæ Vexillarios ſub Philippo Aug. Francorum Rege *Theobaldus de Matefelon* numeratur: itaut *Matefelo* ſeu *Matafelonem* ſit nomen loci, à quo cognomen acceperit Theobaldus iſte, ejus dominus. *Ricardus* Rex Anglorum anno MCXC. *unum forte ligneum caſtrum in ſupercilio montis ardui extra muros urbis Meſſanæ firmavit, quod Mategriffon omnes vocaverunt; prope caſtellum fortiſſimum, quod dicitur Monaſterium Griffonum*, inquit Johannes Bromton in Chronico. Græci autem qui in ea parte Siciliæ remanſerant, *Griffones* à Siculis, à Normannis aliiſque dicebantur. Itaque caſtrum *Mategriffon*, idem eſt ac *MataGræcum* vel *MataGriffonem*.

MATERNENSE SEU ELOBREMENSE CASTRUM.

Legi Martyrologium MS. in veteri codice Monaſterii Muſciacenſis, qui nunc eſt V. C. Claudii Jolii Eccleſiæ Pariſiacæ Præcentoris, & Vitas Sanctorum plurimas ac lectiſſimas continet, in his Vitam S. Heptadii Presbyteri. Ubi Heptadius *Auguſtodunenſis civis, intra terminum caſtri Maternenſis ſeu Elobremenſis nutritus* eſſe dicitur. *Caſtrum Maternenſe*, alio nomine *caſtrum Elobremenſe* appellatum, hodieque nuncupatur *Marné* vel *Marnay*: ut Matrona flumen *Materna* à recentioribus ſcriptoribus Latinis; à Noſtris *Marne* vocatur. Eſt autem *Marnay* nunc ex caſtello vicus non procul ab Auguſtoduno.

MATISCO ÆDUORUM.

Matiſconem primus omnium commemorat Julius Cæſar in libro VII. de bello Gallico, atque in Æduis ad Ararim flumen ponit. *Matiſconis* meminere & tabulæ Peutingeri, & in Itinerario Provinciarum Æthicus: at Strabo & Ptolemæus non meminere, quod miror, cùm *Cabilonni* mentionem fecerint, opidi Æduorum ad idem flumen ſiti, Matiſcone utique nec vetuſtioris nec validioris opulentioriſque. Ibi olim ſagittæ fabricabantur. Quippe Notitia Imperii Romani docet, *Fabricam Matiſconenſem ſagittariam* præter ceteras in Galliis fuiſſe. In IV. Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ veteribus *caſtrum Matiſconenſe* nuncupatur, & in provincia Lugdunenſi prima ultimum ponitur; in alia quadam *caſtrum Matiſcenſe*. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VIII. capite XII. *Matiſconem*; at in capite XX. *Matiſcenſem urbem*, & initio libri Hiſtoriæ IX. *Matiſcenſe opidum* appellat; *civitatem Mateſcẽſium* Annales Bertiniani in anno DCCCLXI. *caſtrum Mateſcanum* in anno DCCCLXXX. *Matiſconenſe opidum* Jonas in libro de Vita S. Euſtaſii Abbatis Luxovienſis. Nithardus in libro IV. *Madaſconem* vocat t in d. ex more & i in a mutatis. *Propter civitatem Madaſconis* (inquit) *in inſula quæ Anſilla dicitur, cum æquo numero Priorum Lodharius, Lodhuvicus & Karolus conveniunt*. Annales Fuldenſes in anno DCCCLXXX. *Madaſconam urbem* dicunt. Petrus Mauricius Abbas Cluniacenſis in libri II. de Miraculis capite I. de Matiſco-

ne ita ſcribit. *Eſt Matiſcus in finibus Regni Francorum, quod à Teutonicorum vel Romanorum Imperio Arar fluvius, à Lotharingia ſumens initium, & Rhodanus, in mare mediterraneum habens profluxum, diſterminat: quæ Matiſcus à quibuſdam oppidum vocata*, (immo & caſtrum) *à quibuſdam urbis nomine honorata, in Primatu Lugdunenſi v. ſedis obtinet locum. Hæc quantum ad jus Eccleſiaſticum, Lugdunenſi Primati; quantum ad jus ſæculare, Francorum Regi ſubditur. Hujus urbis principatum ſub nomine Comitis quidam obtinens*, &c.

Recentiores ante annos D. corrupto nomine & tranſpoſitâ ſ litterâ *Maſticonem* vocavere: ex quo Noſtri fecerunt *Maſcon*. Inter Burgundiæ Vexilliferos Milites Philippi Auguſti numeratur *Comes Maſticonis*.

Ager ejus vocatur *pagus Matiſconenſis* in Diviſione Regni Francici à Carolo Magno facta, & in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum editis; *pagus Mateſcenſis* in veteribus tabulis, *le Maſconois*. Belloiocenſes citra Ligerim ſitos eſſe, ob idque prov. Lugdunenſi I. ac Diœceſi Matiſconenſi attribui prodidit Maſſonus. Matiſco ſuos olim, ut & Cabilonnum, Comites habuit præpotentes ac nobiles.

Ceterùm cùm à Matiſco *Matiſconenſis* fieri debeat; *Matiſcenſem* tamen non Gregorius modò, ſed etiam vetera Concilia Gallicana plerumque fecerunt. Concilii Aurelianenſis III. anno DXXXVIII. habiti decretis ſubſcripſit *Placidus Epiſcopus Eccleſiæ Matiſcenſis*; Concilii Aurel. IV. ſtatutis idem *Placidus civitatis Matiſcenſis Epiſcopus*. Synodo Lugdunenſi II. *Celidonius Epiſcopus Eccleſiæ Matiſcenſis*; Concilio Lugdunenſi III. *Euſebius Epiſcopus Eccleſiæ Matiſcenſis* interfuit, & Concilio Matiſconenſi II. is qui in Synodo Matiſconenſi I. *Euſebium Epiſcopum Eccleſiæ Matiſconenſi*. ſe dixerat; cùm tamen ibidem ea *Synodus Matiſcenſis*, & *in urbe Matiſcenſi* habita dicatur.

MATRICENSIS PAGUS VEL MADRICENSIS.

Matricenſis pagus, à quo *Thietbertus* vel *Theodebertus Comes Matricenſis* dicitur Eginhardo in Annalibus; nuncupatur *pagus Madricenſis* inter *Ebrecinum* & *Rodomenſem* in Capitulis Caroli Magni; *Madrecisus*, id eſt Madrecenſis, necnon *Madricenſis* in Capitulis Caroli ejus nepotis. Hunc pagum irrigant amnes Autura, *Eure*, Itto, *Iton*, Arua, *Avre*, & Maldra, (*Maudre*) Nelſam alluens, (*Neaufle*) qui Maldra *Madria* dictus eſſe, & Comitatui pagoque Madricenſi nomen dediſſe, quibuſdam falsò creditur. Litteræ Pippini Regis *Pincionem-Montem in Comitatu Madriacenſi* memorant. Ejus pagi meminit in Martyrologio MS. Uſuardus his verbis, XI. *Kal. Iul. In pago Madriacenſi S. Leutfredi Confeſſ. Hic eſt* Leutfredus, Abbas Monaſterii, quod *Crux S. Audoëni* primùm, deinde *Crux S. Leutfredi* dictum eſt. Leutfredum in pago Ebroicenſi natum, & in eodem pago Monaſterium ejus ſitum eſſe libellus de Vita ipſius docet: licèt Uſuardus aliique Cœnobium illud *pago Madriacenſi* attribuant, atque etiam ob id *Madriacenſe* nonnumquam appellent. Pagus *Madriacenſis*, vulgò *Madrie* olim vocabatur, nomine pridem exoleto: quem pagum ab urbe Ebroicis & Ittone amne ad Aruam fluvium (*Avre*) & ad Sequanam flumen Vernonemque opidum pertinuiſſe nonnulli arbitrantur.

MATRONA FLU.

Matrona, *Marne*, Julio Cæſari Gallos ſeu Celtas à Belgis, ut & Sequana dividit: nobiliſſimum flumen, quod Frodoardus in Chronico, Adſo in Vita S. Berchari, ſcriptor Vitæ B. Baboleni, VVillelmus Britto, ceterique recentiores *Maternam* nuncupant. Oritur prope Andomatunum Lingonum in vico ſilvæ Lingonicæ Baliſma, & Calvum Montem in Lingonibus, Jovis villam, opidum S. Deſiderii, Victoriacum Franciſci alluit: tum Catalaunos, Sparnacum, Dormanum, quem *locum Domnamant in Trecenſis urbis Diœceſi*, item *vicum Campaniæ Danamant* Vita S. Bernardi vocat, Caſtellum Theoderici, Jatinum Meldorum, Latiniacum, Gornacum, Foſſata & Carentonem attingit, atque ad Confluentes recipitur Sequanâ.

Andematernum Lingonum caput à Magnone appellari arbitror Andomatunum ſeu Lingonum urbem, propterea quòd eſt ad fontem ſeu caput Matronæ, à recentioribus *Materna* dicti. *Andematernum* igitur vocavit, aut vocari oportere credidit Magno, quaſi *ad Maternam*.

Accipit Matrona Vangionem vel Vangionis rivum, *Vinnoriu* vel *Vinguory*, Bloſiam aut Bleſam *Bloiſe*, Saltum *Saux*, à ſaltu aquarum ſuarum cognominatum, Saldam *Saude*, Mucram majorem *Morin*, Urcum *Ours*, & Mucram minorem *le petit Morin*.

Auſonius Gallos ſive Celtas à Belgis Matrona fluvio dividi, diſertè & vere teſtatur in ſuo de Moſella idyllio.

Non tibi ſe Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non, Gallos Belgoſque interſita fines.

Certè Matrona Gallos vel Celtas à Belgis dividit; non dividit ſaltem exactè Sequana, fluvius interior: quod tamen Julius Cæſar, Plinius, Ptolemæus, Ammianus Marcellinus, aliique plurimi affirmant.

S. MATTHÆI PROMUNTORIUM ET MONASTERIUM.

Promuntorium eſt in extremis finibus Britanniæ Gallicæ, Diœceſique Leonenſi, in quo municipium Monaſterio S. Matthæi inſigne: à quo Patrono non modò Cœnobium, ſed etiam municipiolum & promuntorium cognomen acceperunt. Dicuntur enim *S. Matthæi finis terræ*, quia ad Oceanum ſunt poſita; vulgò *S. Mahé de fine-terre*; aliàs *S. Mathieu*. Promuntorium hoc S. Matthæi, quidam, in his Olivarius, *Gobæum*, Γόβαιον ἄκρον à Ptolemæo dictum arbitrantur.

MAULIA.

Apud Ordericum Vitalem in libro v. Hiſtoriæ memoratur *Maulia*, & *Maulienſis cella* ſeu Monaſterium in finibus Normanniæ: eidem *Maulienſis vicus Maldra fluvio per medium currente irriguus, vineis & agris uberibus conſitus, ac nobilium copiâ militum munitus.* Hic vicus vulgò nunc vocatur *Môle*.

MAURI MONASTERIUM.

Monaſterium Mauri memorat Ludovicus Pius Aug. in Statuto ſuo anni DCCCXVII. de Monaſteriis Regni Francorum, numeratque inter Monaſteria quæ nec dona nec milites dare, ſed ſolum orationes pro ſalute Imperatoris filiorumque ejus, ac pro ſtabilitate Imperii fundere debent. *Mauri Monaſterium* vocatur in Vita Ludovici Pii, & in Diviſione Regni Lotharii, anno DCCCLXX. Indictione III. VI. Idus Aug. inter Reges Ludovicum & Karolum facta in Procaſpide ad Moſam. Monachi Indæ in epiſtola ad Ardonem *Monaſterium Maurum in Alſatz* appellant. *Imper. Ludovicus* (inquiunt) *Benedictum Vener. virum unà cum ſuis quibuſdam diſcipulis in Franciam è Gothia venire fecit, ac primitùs in pago Alſacenſe Monaſterium ei Maurum dedit.* Idem ſcribit Ardo Amanæ Monachus in libello de Vita S. Benedicti magiſtri ſui, Ludovicum *ei in Alſatia Maurum Monaſterium donaviſſe, ubi plures ſua vita ſequaces ex Aniana Monaſterio collocaverit:* quod ibidem *Maurum* abſolutè vocat. Vulgò *Maur-munſter* dicitur hodieque: quod à viro aliquo, an à loco appellationem acceperit, incertum eſt, cùm nunc *Monaſterium Mauri*, nunc *Monaſterium Maurum* nuncupetur.

MAURIACUM, ET CAMPI MAURIACI.

Mauriacum Fredegario notum opidum, eſſe *Meriacum* (*Meri*) ad ripam Sequanæ poſitum in Tricaſſibus: & *campos Mauriacos* Jordani dictos eſſe ab eo loco, longos leugas centum, ſeu CL. millia paſſuum, latos LXX. pridem obſervavi in libro IV. Rerum Francicarum: à *campis Catalaunicis*, quidquid Jordanes afferat, differentes. *Mauriacos campos* Fredegarius *Mauriacenſem campaniam* more ſuo appellat his verbis. *Civitas Aurelianis oratione B. Anniani Epiſcopi liberata eſt. Hunni repedantes, Trecaſſis in Mauriacenſi conſident campania. Thoriſmodus filius Theodorici, patrem ulciſci deſiderans, cum Attila & Hunnis Mauriaci confligit certamine, ibique tribus diebus utraque phalanges invicem præliantur, & innumerabilis multitudo Gentium occubuit.* Proximi ergo erant Tricaſſis urbi, & in Tricaſſium finibus jacebant *campi Mauriaci* vel Mauriacenſes, ſive *Mauriacenſis campania*: & his campis nomen ſuum dedit *Mauriacum*: quod eſt haud dubiè *Meri*, municipium ad Sequanam inter Tricaſſas & Duodecim-Pontes poſitum, planis & patentibus longè lateque campis gaudens. Blondellus *Mauriacum Heix, le Mauru* eſſe putat, locum in Diœceſi Catalaunica, *à quo campi Mauriaci olim dicti videri poſſint.* Savaro *Mauriaco* in Arvernis *Mauriacos campos* aſſignat. Eſt autem Mauriacum, *Mauriac*, vetere cella ſeu Prioratu S. Stremonii, ad Monaſterium Cluniacum pertinente clarum, in Arvernia montana vel Cebennica, quem pagum ſuperiorem aut celſum appellitant, *le haut pays.* Quod ad me attinet, ſatius ac tutius puto, Fredegario homini in Gallia nato de rebus Gallicis & de ſitu locorum Galliæ credere, quàm Jordani Italo & externo. Cum Fredegario itaque malim *Mauriacos campos* in Tricaſſibus ponere, & à loco *Mauriaco* dictos eſſe exiſtimare, quàm cum Jordane Ravennate *campos Mauriacos* & *Catalaunicos* in unum miſcere atque confundere. In eo tamen à Fredegario diſſentio, quòd in campis Mauriacis leve aliquod prœlium factum inter Romanos & Attilam; at paullo pòſt in campis Catalaunicis directâ acie pugnatum eſſe puto. Verba Jordanis in libro de origine geſtiſque Gothorum ne quis deſideret, ſubjicere operæpretium duxi: quæ in codicibus talia ſunt. *Convenitur in campos Catalaunicos, qui & Mauriaci nominantur, centum leugas (ut Galli vocant) in longum tenentes, & LXX. in latum. Leuga autem Gallica mille & D. paſſuum quantitate metitur.* In libris editis reperitur *Mauricy* mendosè pro *Mauriaci*. *Mauriacum campum* appellat Gregorius in libri Hiſt. Franc. II. capite VII. *Mauriacenſem campaniam* Fredegarius ſuprà, quod idem eſt.

MAURIENNA.

Gregorius Epiſcopus Turonicus in libro de Gloria Martyrum *Maurienna urbu* mentionem inter primos fecit hiſce verbis. *Quædam mulier à Maurienna urbe progreſſa in Orientem, retulit in eam urbem pollicem Johannis Baptiſtæ in capſula argentea reconditum. Locus ille Maurienncnſis ad Taurinenſem quòdam urbem pertinebat.* Tum (ut ait Sigebertus in Chronico) *anno* DCXIII. *virtus & nomen S. Johannis Baptiſtæ miraculis declaratur apud urbem Galliæ Mauriennam, Reliquiis ejus corporis divinitus illuſtratam.* Non *pollicem* ejus, uti Gregorius, ſed *indicem* Mauriennam delatum aſſerit Albertus Abbas Stadenſis in Chronico. *Indicem S. Johannis Baptiſtæ detulit in vallem Mauriana Tecla virgo: & adhuc in magna veneratione cuſtoditur in civitate Mauriana, ubi eſt Sedes Epiſcopalis.* Unde & Maurienna hiſce Reliquiis illuſtris, *Civitas S. Johannis* nonnumquam vocata eſt, & ita à Roberto Monacho vocatur in Chronico; atque majorem Eccleſiam ſub titulo B. Iohannis Bapt. Deo conſecratam habuit, habetque hodie: quam Anaſtaſius in Stephano PP. III. *Mauriennæ Eccleſiam S. Johannis Præcurſoris Domini atque Baptiſtæ* nuncupat.

Ob crebras & magnas Iohannis Baptiſtæ, vel potiùs Domini noſtri per Iohannem virtutes ac ſigna quæ ibi contingebant, Maurienna ſedes Epiſcopatûs facta, cùm antea

Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopis pareret : ut ſupra docet apertis verbis Gregorius, cujus ætate hoc actum eſt. *Hiconius Epiſcopus Eccleſiæ Mauriennatis* duabus Synhodis Matiſcone habitis, priori anno DXXCI. poſteriori anno DXXCV. interfuit, ſtatutiſque ſubſcripſit, juſſu aut ſaltem permiſſu Guntchramni Francorum Regis primus ea in urbe Antiſtes conſtitutus : qui *B. Æconius Pontifex Mauriennenſis* in capite XXII. libri V. & ultimi Chronici Fredegarii vocatur ; in quibuſdam codicibus *Æconius Pontifex Maurionenſis*, forſitan pro *Æonius*, aut certè *Iconius*. *Leporius* quoque *Epiſcopus Eccleſiæ Maurianenſis* Concilio Cabillonenſi principatu Chlodovei junioris Francorum Regis interfuit.

Et Maurienna quidem Darantaſiæ primùm eſt attributa à Guntchramno Rege Francorum unà cum Seguſio & Novalicio, ac tota valle Seguſina : quam urbem & vallem à Langobardis ex pacto acceperat, Mauriennenſique Eccleſiæ ſubjecerat, ut in codice Aniciensi notatum obſervaviſſe ſe ait Jacobus Sirmundus. Certè in Notitia Galliæ Thuanea, in provincia Alpium Graiarum & Penninarum IV. loco ponitur *civitas Sentium Morienna* : non quòd civitas *Segutium* aut *Senſium* eadem eſſet atque Maurienna ; ſed quòd Mauriennæ urbi Epiſcopali factæ Seguſium cum toto agro ſuo ab Guntchramno eſſet attributum, itave ex civitate Seguſio Maurienna conſtituta ac compoſita eſſe videretur. In Petaviana quoque Notitia Galliarum, inter provinciæ Alpium Graiarum & Penninarum civitates quarta & ultima numeratur ſub metropoli Darantaſia *civitas Morienna, à Gundranno Rege Burgundionum conſtructa* : à *Guntchramno* inquam *conſtructa*, vel condita, hoc eſt in Epiſcopatum evecta. Sic apud Gregorium Turonicum Antiſtitem Voluſianus Epiſcopus *vicum Mantolomagum ædificaviſſe*, id eſt ibi Eccleſiam ſtatuiſſe dicitur. Sic ſub Injurioſo Epiſcopo *vici Noviliacus & Lucilliacus fundati* eſſe dicuntur ; ſub Baudino *alter vicus Noviliacus ædificatus* : in quibus nimirum vicis tum primùm Eccleſiæ ſunt ædificatæ atque dedicatæ. Hinc (ut notat Sirmundus) in litteris Gregorii PP. ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum, & ad Theodoricum ac Theodebertum Reges Francorum, Sigiberti Guntchramni Regis fratris nepotes, queritur Urſicinus Taurinenſis Epiſcopus, *in parœciis ſuis quæ intra Regni Francorum terminum ſunt ſita, contra ſacros Canones alterum Epiſcopum eſſe conſtitutum*, ac res ſuas vel potiùs Eccleſiæ ſuæ Diœceſes repetit, videlicet Mauriennam, ac Seguſium cum Vallibus Mauriennenſi ac Seguſina.

Robertus in Chronico *civitatem S. Johannis*, id eſt Mauriennam, inter provinciæ Viennenſis civitates nonam ac ultimam collocat circa annum MCCX. Gervaſius Tilleberienſis, & duæ aliæ Notitiæ inter ejuſdem provinciæ civitates ſextam ac penultimam ponunt, ac *Maurianam* vocant. Maurienna ergo primùm ad Taurinenſem Eccleſiam Liguriæ pertinuit ; poſtea ad Epiſcopale elata faſtigium, provinciæ Alpium Graiarum & Penninarum, Darantaſiæque ejus metropoli attributa eſt : demum provinciæ Viennenſi cui hodieque accenſetur, ſub metropoli Vienna eſt adſcripta.

Geſta Pippini Francorum Regis *Maurienam urbem ſuper fluvium Arboris*, vel *Arborem* potiùs memorant : *Moriennam* appellant Annales Bertiniani atque Mettenſes. Nos cum Sapaudis *S. Jean de Morienne* aut *Murienne* nuncupamus, à majoris Eccleſiæ titulo totiuſque adeo urbis Patrono Johanne Baptiſta : Robertum imitati, qui *civitatem S. Johannis* vocavit ante annos CCCCLX.

Ager paguſve Mauriennenſis nonnumquam dictus eſt, ut Darantaſienſis, urbis ſuæ nomine *Maurienna*. Sic certè à Carolo Magno in Diviſione Regni inter filios *Morienna* nuncupatur, & inter *Saboiam* ſive Sapaudiam ac *Tarentaſiam* vel Darantaſiam media ponitur. Nonnumquam à ſitu vocatur *Vallis Maurienna*. Annales Fuldenſes anno DCCLIII. *Gripponem in Valle Maurienna occiſum eſſe* referunt ; Annales Mettenſes *in valle qua Morienna urbs ſita eſt*. Sapaudi pagum Mauriennenſem vocitant *la Murienne* aut *la Moriane*, necnon *la val de Morienne* ; Itali ſubalpini *Val di Moriana*.

Comites Maurienna primùm dicti ſunt, qui poſtea *Sapaudiæ Comites*, ac demum *Duces* nuncupari illuſtriore titulo maluerunt.

MAURILIACUM.

Ab Maurilio conditore loci, vel domino tantùm ac poſſeſſore nomen accepit Mauriliacum, pagi VVaſtinenſis vicus. Eo in vico ac fundo paterno Vulframnus Vulberti viri nobilis filius natus eſſe dicitur : qui poſt plurimos Friſios ad Chriſtianam Fidem adductos, pietate & annis gravis XIII. Kalendas Apriles, anno DCCXX. in Monaſterio Fontanella obiit : quò (ſi Jonæ credimus) ex Epiſcopo Senonicæ Eccleſiæ Monachus factus ſeceſſerat. Odorannus eum anno Domini DCCXLI deceſſiſſe tradit. Corpus B. Vulframni quidam cum VVandregiſili Anſbertique Reliquiis Gandam in montem Blandinium tranſlatum eſſe affirmant : Canonici Abbatiſvillæ in Baſilica S. Vulframni illud ſe ſervare gloriantur : ut in libro XXIII. Rerum Francic. ſcripſimus. Mauriliacum, poſtea (ni fallor) truncato nomine *Miliacum* eſt dictum, vulgò *Milli en Gaſtinois* : quod alii *Milliacum* appellant ad Scolam amniculum.

MAURINIACUM.

Mauriniacum à Maurino cognominatur : ut Mauriliacum à Maurilio, Lucaniacum à Lucano, Lucilliacum à Lucillio. Locus eſt ad Iunnam flumen in Senonibus, proximus Stampis, vulgò dictus *Morigny* : veteri Monaſterio Abbatiali inſignis, quod in Chronico Mauriniacenſi *Mauriniacenſe Cœnobium* appellatur.

MAURIPENSIS PAGUS.

Mauripenſis pagi mentionem faciunt Annales Bertiniani in anno DCCCXLI. his verbis. *Lotharius in Carolum ſubitò vertitur. Carolus Luteciam Pariſiorum regreſſus, tranſito Sequana*

flumine Lotharij molitionibus diu obſiſtit. Lotharius transpoſitione fluvij prohibitus, ſuperiores ipſius expetens partes, per Mauripenſem pagum Senones penetrat. Ex quibus intelligitur Lotharium circa Luteciam Sequanam tranſire prohibitum à Carolo fratre ſuo, ſuperiores dextræ ripæ fluminis partes, quà Corboilum Pariſiorum, Melodunum Senonum & Monaſteriolum poſita ſunt, petiviſſe, & tranſito apud Monaſteriolum flumine, per *pagum Mauripenſem* Agedincum Senonum perveniſſe, unde ad Cenomanos per fines Carnutum contenderit: itaut *Mauripenſem pagum* inter Sequanam Icaunam & Lupam fluvios jacuiſſe appareat, hinc ad Monaſteriolum, Braium, Novigentum ad Sequanam, ac ad duodecim Pontes; inde ad Villamnovam Guiardi, Pontem Icaunæ, Muritum ac Nemus. Quare in eiſdem Annalibus *Novientum villa*, hoc eſt Novigentum ad Sequanam *pago Mauripenſi* attribuitur. *Anno* DCCCLIX. *Oſſa beatorum Martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, metu Danorum in pagum Mauripenſem, in villam ſui juris Novientum devecta ſunt, atque* XI. *Kal. Octob. in loculis diligenter conlocata.* Devecta autem ſunt ex Monaſterio S. Dionyſii oſſa trium noſtrorum Martyrum adverſo flumine Sequana, in villam *pagi Mauripenſis* Novigentum, quæ Sequanæ impoſita & juris ipſorum erat, abeſtque ab urbe Lutecia XVII. aut XVIII. leugas, à Monaſteriolo tres, ac pridem ex villa oppidum evaſit. Acta Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. pro *pago Mauripenſi Moriuenſem pagum* corruptè appellant, au in o, & p in u ex more converſis, & inter villas Monaſterii S. Dionyſii numerant *villam Belnam in pago Vaſtinenſi ſitam*, (*Beaune en Gaſtinois*) *villam Novigentum ſuper Sequanam, in pago Moriuenſi ſitam.* Carolus Calvus in quibuſdam litteris circa idem tempus datis *pagi* quoque *Moriuenſis* meminit: & *villam Madriniacum in Moriuenſi Comitatu ſitam*, vulgò *Marnay*, atque *locum Buxidum* (*Buxoy*) eodem in pago commemorat. Villa ergo Novigentum ad Sequanam in *pago Mauripenſi* vel *Moriuenſi* poſita erat, & ad Monachos S. Dionyſii pertinebat, uti Annales Bertiniani & acta Synodi Sueſſionicæ diſertè docent. Certè etſi nunc Reges noſtri Novigento ad Sequanam potiuntur, tamen Monaſterii S. Dionyſii Monachi Magnam Alnum, (*la Grande Aune*) fundum proximum Novigento, atque adeò intra muros ipſius Novigenti pleraque jura Dominica, in primis furnos Bannales hodieque poſſident. Carolus Calvus in Capitulis Silvacenſibus anno DCCCLIII. ejus pagi meminit, *Moruiſumque*, id eſt *Moruenſem*, ſublatâ i litterulâ vocat pro *Moriuenſi* hiſce verbis. *VVenilo Epiſcopus, Odo & Donatus, miſſi in pago Senonico, Trecaſino, VVaſteniſo, Milidunifo, Moruiſo, Proviniſo*, &c. Ubi ſi quis contendat *Moriviſo* legendum eſſe, hoc eſt Morivenſi, equidem non repugnaverim: cùm videam à Carolo ipſo Calvo ſuprà *pagum Morivenſem* nuncupari, & in actis Synodi principatu ejus Sueſſionis habitæ: nec veriſimile ſit eumdem pagum ab eodem aliter atque aliter appellatum fuiſſe. Ceterùm *Mauripenſis pagus*, nonnullis *Moriuenſis* dictus, quem ad Sequanam Icaunam & Lupam flumina jacuiſſe ſupra oſtendimus; haud dubiè eſt pagus *Auripenſis* vel *Huripenſis*, (*le Hurepois*) quem nonnullæ tabulæ inter amnes Ligerim Lupam & Icaunam ſub pago Vaſtinenſi rectè ponunt; aliæ inter fluvios Urbiam, Loam, Junnam & Sequanam, circa Dordingum, Caſtra, Stampas, Firmitatem Adelhaidis, atque Melodunum. Quidam ab Hoſdenco caſtro ſeu à Vegeria fluvio ad Maldram vel Mādram amnem, cuncta *Huripenſi* pago attribuunt, nimirum Montem Fortem Amalarici, Villam Petroſam, Rumbelitum quoque ad Remandam, quod & vocitant *Rambouillet en Hurepois*, cum parte ſilvæ Aquilinæ, Caproſiam caſtrum ad Ivetam, aliaque loca. Certè conſtat partem pagi Pariſiaci trans Sequanam poſitam ad Beveram, Urbiam & Junnam fluvios, ipſam etiam regionem urbis Luteciæ trans flumen ſitam, quam Univerſitatem vocant, pridem à noſtris *Huripenſi* vel *Heripenſi* pago accenſeri. Quare ſi quis parum urbanè aliquid fecit aut dixit, qualia Scholaſticis Univerſitatis ſæpe accidere & excidere conſueverunt; *hoc pagum Huripenſem ſapere* dicimus, id eſt Univerſitatem, ejuſque collegia vel publicas ſcholas. Præterea cùm tres Archidiaconos jampridem habeat Eccleſia Pariſiaca, majorem ſive Pariſienſem, Briegenſem, (*de Brie*) & Joviacenſem (*de Joſas*) trans Sequanam poſita curantem: Archidiaconus Joviacenſis olim dictus eſt *Archidiaconus Heripenſis* vel *in Heripenſi*. In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ hæc ſcripta reperi. *Anno* MCCLXVIII. *Johannes Archidiaconus Pariſienſis fecit homagium Domino Stephano Epiſcopo Par. de Archidiaconatu ſuo, & de pertinentiis: Guillelmus Archidiaconus Eccleſiæ Pariſienſis en Hurepois fecit hom. de Arch. ſ. & de p. Archidiaconus Garnerus in Bria fecit h. de A. ſ. & de p.* In quadam deſcriptione Franciæ dicitur pagus Huripenſis incipere à Sequana & à minore Ponte Luteciæ Pariſiorum, & ſecundum flumen Sequanam ad Corboilum Pariſiorum, Melodunumque & Muritum Senonum oppida pertingere; apud Muritum Lupâ amne à pago VVaſtinenſi dividi: ubi magnificentiſſimum Regum noſtrorum Palatium Fons Blaaudi in ſilva Bieria videtur. Qui ſitus pagi Huripenſis convenit planè his, quæ ſuprà de *pagi Mauripenſis* ſitu ex Annalibus Bertinianis obſervavimus. Ex quo colligitur pagum *Mauripenſem* & pagum *Huripenſem* unum eumdemque eſſe.

MAUSIACUM.

Mauſiacum, quod & *Mauciacum* vocant, vulgò *Mauſac* aut *Mozac*, locus eſt in Arvernis pagoque Ricomagenſi, ejuſdem nominis veteri Monaſterio inſignis: quod Cœnobium S. Stremonii Epiſcopi corpus ſervat, & nunc *Monaſterium Mauſiacum*, nunc *Monaſterium Mauſiacenſe* appellatur. *Mauziacum* in pleriſque libris ſcribitur: quæ menda ex more Noſtrorum orta eſt, ſ. litteram inter duas

vocales leniter ſicuti z proferentium. *Forum Manſiacenſe*, (id eſt mercatum. *le franc marché*) uti & *forum Celſiniarum* & *forum Riomenſe* veteres litteræ memorant. *Manſiacum* litteræ Epiſcoporum Romanorum, anno MCIX. & anno MCXX. datæ, inter Abbatias numerant Cluniacenſis Monaſterii ordinationi ſubjectas, quales *Obedientias* vocare conſueverunt. *Abbatiam quæ Mozacus vocatur*, memorat Clarius in Chronico Senonenſi.

AD S. MAXENTIAM.

Ponte junctus eſt Iſara ad S. Maxentiam. Sic vocant locum in Bellovacis inter Compendium Sueſſionum Credilumque Bellovacorum opidum medium : vulgò *Pont Sainte Maixance.* Hic locus memoratur in Geſtis Francorum, & in appendice Chronici Fredegarii ante annos ferè mille, ubi rerum Ebroini fit mentio ; & *ad S. Maxentiam* nuncupatur. *Ebruinus in Franciam regreditur, uſque Iſſam fluvium* (id eſt Iſaram *Oyſe*) *veniens acceſſit, cuſtodes dormientes interfecit ad Sanctam Maxentiam, atque Iſſam fluvium tranſiens, quos ibi invenit de inſidiatoribus ſuis occidit.*

S. MAXENTII MONASTERIUM.

S. Maxentii Monaſterium in Pictonibus, à Gregorio noſtro in Hiſtoriæ Francicæ libri II capite XXXVII *Cellula Maxentii* nuncupatur à Maxentio Abbate, qui Chlodoveo Aquitaniam ingreſſo & Alaricum Gothorum Regem debellante floruit, ac Monaſterium ſuum à Francis ſervavit illæſum : *Saint Maixent.* In eo Monaſterio duas fuiſſe elegantes Baſilicas docet auctor libri de Vita B. Leodegarii. Totidem in Majore Monaſterio fuere, altera Apoſtolorum Petri & Pauli, altera B. Iohannis ; ſi Gregorio creditur : totidem in Nivialenſi Monaſterio B. Gertrudis : totidem in Monaſterio Floriaco ad Ligerim, à Leodebodo Abbate conditæ : duæ quoque in Cœnobio, quod Crux S. Audoëni vel B. Leufredi vocatur. Monaſterio S. Maxentii præfuit Abbas Leodegarius, poſtea Auguſtodunenſis Epiſcopus, vir pietate illuſtris, quẽ Ebroini juſſu interfectum Martyrologi Sanctorũ Martyrũ ordinibus adſcripſerunt. Nomen proprium loci in quo Monaſterium Maxentius exſtruxit, Gregorius ſcire nos noluit : cujus hæc verba ſunt. *Erat in his diebus vir laudabilis ſanctitatis Maxentius Abbas, reclauſus in Monaſterio ſuo ob Dei timorem intra terminum Pictavenſem : cujus Monaſterii nomen lectioni non indidimus, quia locus ille uſque hodie Cellula S. Maxentii vocatur.* Vita B. Leodegarii *S. Maxentii Cœnobium*, & *Monaſterium B. Maxentii* vocat. Decretum Ludovici Pii Aug. de Monaſteriis Regni ſui, in Aquitania ponit *Monaſterium S. Maxentii*, cum *Monaſterio Carroffinii*, & *Monaſterio Brantoſmum* vel *Brantoſmo. Brantôme.* Nunc eſt opidum ad fluvium Separim Niortenſem in Diœceſi Pictavenſi poſitum, Cœnobio ſuo illuſtre, cui ſua incrementa accepta referre debet.

S. MEDARDI VICUS.

S. Medardi vicus nuncupatur vulgò *S. Mars*, poſitus ad flumen Loam, quod apud Stampas in Iunnam influit. Quidam *S. Marc* appellant : & ita in quibuſdam tabulis Geographicis ejus vici nomen ſcriptum reperi : ſicut Monaſterium S. Medardi apud Auguſtam Sueſſionum, in veteribus libris plerumquè appellatur *l'Abbaye de S. Marc lez Soiſſons*, mendosè omninò, cùm litera d à Noſtris in c converti non ſoleat, ac nè in ſ quidem. Quare pro *S. Mars* & *S. Marc*, *S. Mard* ſcribendum puto, & S. Medardum à Majoribus noſtris, truncato vocabulo, & ſublatis duabus ejus nominis litteris, ſecundâ videlicet & tertiâ, *Mard* pro *Medard* eſſe nuncupatum : quod nomen cùm plerique non intelligerent, d in c mutato *Marc* dixere tamquam à Marco appellatione deductâ. Vici hujus Eccleſia vocatur *Eccleſia S. Medardi* in libro I. Chronici Maurimacenſis Monaſterii his verbis. *Eccleſias de Stampis veteribus, id eſt S. Martini, S. Albani, S. Medardi, dedit nobis Rex Philippus, & litteris Regalibus dationem hanc confirmavit.* *Vici* autem *S. Martini* & *S. Medardi* Stampis hodieque ſunt proximi : quorum alter *S. Martin* dicitur ab Eccleſiæ ſuæ Patrono, alter eamdem ob cauſſam *S. Marc.*

MEDENANTENSIS PAGUS.

Ab Audoeno in Vitæ S. Eligii libri II. capite VII. *territorium Medenantenſe* ; pagus *Medenenſis* in Diviſione Regni à Ludovico Pio Aug. facta memoratur : cujus filius Carolus cognomine Calvus, in litteris ſuis enumerans res ad Monaſterium S. Petri & S. Bavonis, *Gande ſuper fluvium Scald ſitum* pertinentes, commemorat *in pago Medelentenſe villam Solelnum*, aliàs Sohelnum. Aliæ ejuſdem Caroli litteræ *in pago Medenentenſi villam Rumcinium* collocant. *Pagum Metelentenſem* vocat Lotharius Franc. Rex in tabulis anni DCCCCLXVII. Pagus *Medenantenſis* vel *Medenentenſis*, nunc dicitur *le Melantois*, n litterâ in l converſâ : ut Caſtrum Nantonis *Chaſteaulandon*, unicornem *licorne*, nanpredam *lamproye* Noſtri appellitant. Caput pagi Medenentenſis eſt Seclinium, *Seclin*, Collegio Canonicorum & S. Platonis Martyris Reliquiis nobile : quod Audoënus in capite ſupradicto *vicum Saclinium* vocat his verbis. *Simili modo, grandi labore & inſtantiâ invenit in territorio Medenantenſe, vico Saclinio S. Martyrem Platonem, cui clavos prolixos ex corpore ablatos, populis in argumentum monſtravit : corpus ſicut Martyrem decuit, eleganter compoſuit, ac Mauſoleum urbanè deſuper fabricavit.*

MEDIOMATRICI.

Mediomatrici nomen eſt Gallicum Gentis Gallicæ : quod qui ex Latinis vocabulis *media mater* compoſitum aiunt, non minùs nugantur, quam qui Mediolanum, nomen item

Gallicum coloniæ Inſubrum in Italia Tranſpadana, à *media lana* dictum putant. *Mediomatrices* in libro IV. vocat Cæſar, quum ſcribit *Rhenum per fines Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Trevirorum citatum ferri*: quem ſecutus Strabo in libro IV. prodidit, *poſt Helvetios, Sequanos & Mediomatricos Rhenum accolere*. Quod ſi ab utroque verè dictum eſt, credere convenit Nemetes & Vangiones, Germaniæ Gentes, fines Mediomatricorum ad Rhenum paullo pòſt occupaviſſe, ac in eorum veluti locum ſucceſſiſſe, priuſquàm C. Plinius Secundus libros Naturalis Hiſtoriæ ſcriberet, à quo *Nemetes & Vangiones* inter *accolas Rheni* ponuntur in Belgica; *Mediomatrici* non ponuntur, qui nec hodie Rhenum attingunt. Eoſdem Cæſar in libro VII. *Mediomatricos* nuncupat, & *imperata* eſſe *Mediomatricis quinque millia* militum tradit ad Aleſiam obſidione Romana liberandam: quot Ambianis, Nerviis, Morinis, Nitiobrogibus ſunt imperata. Ex quo intelligitur Mediomatricorum vires tum exiguas non fuiſſe. *Mediomatricos*, ut & Treviros, Leucos ac Verunos inter Belgas à Cæſare in libro II. minimè numerari miror: cùm Belgarum portio nobiliſſima fuerint, & provinciam Belgicam primam totam ſimul juncti poſtea compoſuerint. *Mediomatricos* exemplo Cæſaris appellavere ceteri, Strabo in libro IV. Plinius in Gallia Belgica libri IV. capite XVII. Tacitus in libro I. Hiſtoriarum, Ammianus Marcellinus, Tabula Theodoſiana, veteres Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ, excepto Ptolemæo, cui *Mediomatrices* dicuntur. Et Tacitus quidem in libro IV. Hiſtoriarum *Mediomatricos ſociam civitatem* vocat, & *legiones in Mediomatricos ſociam civitatem abſceſſiſſe* ait, nomine *civitatis* non urbem caput Gentis, ſed Gentem ipſam deſignans, quemadmodum Julius Cæſar facere conſuevit: *ſociam* inquam *civitatem* vocat, ut appareat Mediomatricos pro ſociis populi Romani habitos fuiſſe; hoc eſt, ni fallor, pro fœderatis. Nihilominùs tamen apud Plinium *Mediomatrici* fœderati non cognominantur, ac ne liberi quidem: cùm & *Leuci* & *Veruni*, inferiores ipſis Belgicæ Primæ populi, ambo liberi appellentur.

Mediomatrici dicti ſunt pridem & *Metenſes* ab urbe Gentis primaria, quam pro *Devoduro* & pro *Mediomatricis* ſæpe etiam *Mettos* aut *Mettas* vocitavere. Certè Goltzius veterem inſcriptionem profert, in qua *Comes Auxiliariorum Metenſium* memoratur: & in Notitia Imperii Romani inter legiones Pſeudocomitatenſes recenſetur *prima Flavia Metis*, hoc eſt legio prima Flavia, quæ præſidet Mettis, à Flavio Conſtantio A. patre Conſtantini Maximi, aut à Conſtantio vel à Conſtante Auguſtis fratribus, filiis ipſius Conſtantini dicta. Fuit & *Præfectus militum primæ Flaviæ Conſtantiæ* in provincia Lugdunenſi II. ut docet Notitia Imperii Romani, ex eadem fortaſſe legione: necnon *Præfectus militum ſecundæ Flaviæ Vangionis* in Germania I.

MEDUANA FLUMEN ET CASTRUM.

Meduana, *la Mayne*, quibuſdam *la Mayenne*, aut *Maine*, *Meduanam Juchelli* alluit, *Mayenne* aut *Mayne la Juhel*, à domino ſuo ita dici cœptam circa annum MCCXX. Vallem, ſeu Vallem VVidonis, *la Val*, & Caſtrum Gunteri, *Chaſteau Gontier*: & accepto Sartâ, paullo infra Juliomagum Andium in Ligerim influit. Locum os Meduanæ vocant, *Bouche-Maine*. Ejus fluminis mentionem facit verſus Lucano inſertus atque ſuppoſitus.

> In ripis Meduana tuis marcere peroſus
> Andus, jam placida Ligeris recreatur ab unda.

Meduanam torrentem, cùm flumen ſit non ignobile, nec umquam areſcat, appellat Gregorius in libri X. capite IX. Vita S. Maurilionis Epiſcopi Andegavenſis. Adrevaldus in libro de Miraculis S. Benedicti & Annales Bertiniani in anno DCCLXXIII. *Meduanam fluvium*. Theodulfus in epiſtola ad Moduinum, de Sartâ ſcribens *Meduanam* quoque appellat

> Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.

Meduanam vocat & Guillelmus Britto, aliique. Regino in libro II. Chronicorum, & Annales Mettenſes *Medanam fluvium*; *Medianam* Rigordus corrupto utrique nomine. In enumeratione fluviorum Galliæ CCCC. annorum *Mediana* quoque dicitur. *Mediana in partibus Alencon currit*. At Alentio non eſt ad Meduanam flumen, ſed ad Sartam amnem, qui Meduanam auget: paucis tamen millibus paſſuum diſtat à capite Meduanæ. Accipit Meduana Oldum *Oudon*, & Sartam *la Sarte*, alioſque amnes.

Meduana caſtrum ab Orderico Vitale in libro X. Hiſtoriæ memoratur in Cenomanis, unaque Monsfortis, Ruceium, *Roüeſſe*, & Mons Buſſoti. Goffridus Abbas Vindocinenſis ad *Goffridum de Meduana* epiſtolam ſcribit, quem *Goſfridum Meduanenſem* fortiſſimum Cenomanorum vocat Ordericus. Nunc *Meduana* eſt opidum pagi Cenomanici ad amnem *Meduanam*, Ducatûs titulo inſigne. *Juchellus*, à quo cognomen traxit Meduana, *Galterii Meduanenſis* filius atque heres, vocatus eſt & ipſe *Juchellus Meduanenſis*, & *Juchellus de Meduana*; & ſub Fulcone Comite Andium, Turonum ac Cenomanorum, poſtea Rege Hieroſolymæ floruit: de quo Rigordus ita refert. *Anno ab Incarn. Domini* MCCIX. *acceſſit ad Philippum Regem Francorum Iuhellus de Mediana, vir nobilis & fidelis, deferens ei querimoniam*, &c. Quidam *Iuhellum* appellant; *Ioſhellum* fortè pro *Iochello* Geſta Conſulum Andegavenſium: in quibus *Galterius Meduanenſis*, & *Ioſhellus ejus filius, Miles ſtrenuus* inter *Cenomanenſes* Milites numerantur.

MEDULI ET BOII PROV. AQUITANIÆ II.

Alii ſunt in Alpibus *Meduli* vel *Medulli*, Straboni & Plinio memorati, non longè à Caturigibus.

Caturigibus; quorum eſt opidum caſtrúmve Medullio *Meuillon*: alii Meduli pars Biturigum Viviſcorum ad Garumnam flumen & Oceanum, qui vulgò *Medoquins* dicuntur, quaſi Medulicini, & ager pagúſve Medulicus, *le Medoc*. Sunt & inſulæ circiter tres in flumine Garumna infra ejus & Duranii confluentes, & una in mari, quæ Medulicæ vocantur, *les Iſles de Medoc*, quarum maxima vicis aliquot incolitur, in primis Lariaco *Larrac*. Oram Medulicam, vulgò *la coſte de Medoc*, Auſonius *litus Medulorum* vocat in epiſtola v. ad Theonem.

Quam tamen exerces Medulorum in litore vitam?

Et apud Medulos albens ſevum, ceram pinguem, picem, ſciſſam papyrum, ac *fumantes olidùm tadas, lumina paganica* abundare ſcribit, haſque ſolas Medulorum merces haberi: quibus mel & pecora addi poſſunt. Idem in epiſtola vi. *Medulinum notum* memorat, in epiſtola vii. *oſtrea Medulica*

Oſtrea Baianis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in ſtagnis reflui maris æſtus opimat.

Hæc oſtrea à vicina urbe *Burdigalenſia* olim dicebantur; nunc à Solaco vico Medulorum ad Garumnæ oſtium, *Soulac*, *Solacenſia* cognominantur: ut in epiſtola xiii. docet Auſonius.

Sed mihi præ cunctis ditiſſima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalenſia no-[illegible]
Uſque ad Cæſareas tulit admiratio menſas.

Oceanus Medulorum ſive Oceanus Medulicus eſt, qui Medulos alluit. Nam Meduli Garumna & Oceano majore ex parte clauduntur. Inter *dulcia* autem *ſtagna Medulorum*, ubi oſtrea acceſſibus Oceani pingueſcere ait Auſonius, unum eſt in longitudinem v. leugas, unam in latitudinem patens. Sidonio nota fuere & probata quoque oſtrea Medulorum, qui in epiſtola quadam ita ſcribit. *Veni ad debellandos ſubjugandoſque iſtos Medulicæ ſupellectilis epulones.*

Muciani apud Plinium de oſtreis in libri xxxii. capite iv. verba ſunt. *Cyzicena majora Lucrinis, dulciora Britannicis, ſuaviora Eduis, acriora Lepticis, pleniora Sicenſibus, ſicciora Coryphantenis, teneriora Hiſtricis, candidiora Circeienſibus.* In codice Monaſterii S. Michaëlis ad mare, qui eſt annorum circiter quingentorum, & in codice Regio qui multo vetuſtior eſt, legitur: *ſuaviora Medullis*, aliàs *Medulis*. Certè oſtreorum Æduicorum mentionem facere non potuit Mucianus: cùm Ædui mediterranei ſint ad flumina Ararim & Ligerim, ab Oceano & à mari interno remotiſſimi, ſicut & Meduli Gens Alpina. *Oſtrea* autem *Medula* ſeu *Medulica*, quæ in dulcibus ſtagnis ſuavitatem imbiberunt, commendari à Muciano nemo non videt; nec aliis quàm Medulis noſtris ea convenire, quorum oſtrea non ab Auſonio modò & Sidonio, ſed etiam à Vineto, à Scaligero, à Thuano, & à cunctis qui Burdigalæ commorati ſunt, ſummopere laudantur.

In Medulis ſunt æſtuaria, paludes ſive ſtagna, & ſaltus.

Boii à Paullino in epiſtola i. ad Auſonium commemorantur his verbis.

Placeat reticere nitentem
Burdigalam, & piceos malis deſcribere Boios?

Vulgò nunc *Buies* dicuntur, & ager Boicus *Buchs*, aliàs *Butz*, & *Buch* à vico Boiis *Buchs* ad Leriam, qui à Baiona duorum dierum itinere diſtat. Dominum Boiorum olim Noſtri *Capitalem Boiorum* vocarunt, *le Captan de Buch*, & ejus dominium *Capitaletum*, *le Captalat*: qui nunc Principatus eſt. Appendix Chronici Guillelmi Naugiacenſis ab anno MCCCXL. ad MCCCLXVIII. deducta *Caſtal de Beuf* ſemper vocat. Inter Sigmanis & Garumnæ fluminum oſtia eſt promuntorium, quod Ptolemæus *Curianum* nuncupat, *Κεσαριον ἀκρωτήριον*; incolæ *Cap de Buch*, id eſt *caput Boiorum*, ut Scaligero placet. Vinetus *Cordan* eſſe mavult, ſcopulum in Oceano Medulico. *Boii*, ut & *Meduli* Biturigibus Viviſcis, ſeu agro Burdigalenſi attribuuntur: & licèt cum Burdigala ipſa trans Garumnam ſint in Novempopulorum finibus; tamen cum Burdigala provinciæ Aquitaniæ ii. accenſentur.

Boiorum fluvius eſt Leria, *Laire*, qui in Oceanum effluit, & *Sigmas* Ptolemæo dictus videtur à figura litteræ C, quam ſuo curſu lunato refert. Certè Vinetus Santon inter Garumnę & Aturri oſtia nullum præter *Leriam* fluvii nomine dignum eſſe ait; qui *Leyra* Vaſconibus vocatur, & aliquot loca præterlapſus, in ſtagnum maritimum devolvitur. Verba Ptolemæi ſunt. *Σιγματος ποταμοῦ ἐκβολαί.*

Notandum heic eſt, magno errore in iv. Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, ſed corruptis, *Boates* cum *Boiis* noſtris, & *civitatem Boatium* cum vico *Boiis Boiove* confundi ſic. *In provincia Novempopulana Civitas Boatium, quod eſt Boius in Burdigalenſi*: item *civitas Boatium, id eſt Boius; civitas Boëtum, hoc eſt Bovis; civitas Boatium, quod eſt Bovis.* Legendum utrubique *Boius*. Atqui *Boius in Burdigalenſi agro* eſt citra dubitationem ullam *Buch*, caput *Boiorum*, qui cum Medulis Burdigalenſi agro & Aquitaniæ ii. adſcribuntur, licèt trans Garumnam in primis Novempopulanæ finibus habitent. *Boates* verò, ſunt Lapurdenſes Baionenſeſve in ultimis Novempopulis, ut alibi docebimus, nec ad *Boios* quidquam pertinent: licet Joſ. Scaliger, auctoritate harum Notitiarum adductus, aliter ſenſerit. *Boios* vicum, id eſt *Buch* à Burdigala xvi. millia paſſuum abeſſe Æthicus in Itinerario docet, ab Aquis Terbellicis (id eſt *Acs*) XLVII.

S. MEDULFI AQUÆ.

Vicus eſt ad Morgiam flumen in Arvernis, aquis ſuis, & *S. Medulfi* nomine & patrocinio clarus, vulgò *S. Mien* dictus pro *S. Mioul*. Abeſt ab opido Ricomago millia paſſuum circiter vi. ſive leugas duas. Ejus aquæ calidæ, vertiginoſis & quartana febre laborant:

Tt

bus utiles ſunt ac ſalubres : ut accepi à Lalandio Juriſconſulto Ricomagenſi.

MEGENI MONASTERIUM.

Megeni Monaſterium inter Offoniſvillam & S. Deodati memorat Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta : quam Abbatiam apud Lotharienſes eſſe, *Moien-Monſtier* dictam vulgò aut *Moyen-moſtier* quidam exiſtimant. At contrà in Chronico Senonienſi reperio, *Medianum Monaſterium* ſeu *Moien-Monſtier* ab ipſo loci conditore Hidulfo appellatum eſſe, propterea quòd ab ortu Senonienſe Monaſterium, ab occaſu Stivagium, à meridie Juncturas ſive S. Deodatum, à Septemtrione Bodonis Monaſterium habebat. Sunt autem *Senonia* vel Senonienſe Monaſterium in Valle Senonienſi, vulgò *Senone*, celebris apud Lotharienſes Abbatia, quam Diviſio Regni Lotharii *Sennonem* nuncupat. *Stivagium* & in ſupradicta Diviſione memoratum, vetus eſt ad flumen Mortam Abbatia, vulgò *Eſtivay* vocata. Monaſterium quod propter confluentes amnium Robac & Mortæ Deodatus *Juncturas* appellavit, nunc ab eodem conditore ſuo, viro Beatiſſimo, *Sancti Deodati* dicitur, vulgò *Saint Diey*. *Bodonis Monaſterium* à Bodone Tullenſi Epiſcopo conditum & cognominatum, *Boudonville* nuncupatur, aliàs *Boujonville*.

MEGINENSIS PAGUS.

Pagus Meginenſis non procul aberat à caſtro Antunnaco ad Rhenum poſito, ut docent Annales Mettenſes, ſeu Chronicon S. Arnulfi in anno DCCCLXXVI. hiſce verbis, quę & apud Reginonem leguntur. *Movit verò abſque mora exercitum, & cum L. & eo ampliùs ut ferunt millibus, in pago Meginenſe non longè ab Andrenaco caſtello adverſus eum* (Ludovicum) *ad pugnam procedit* Carolus Calvus vel Senior Imperator. *Megenenſium* vocatur in Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, poniturque inter Riparias vel *Ribuarias*, & *Bedagouvam* ſive pagum Bedenſem. Malè ergo *pagum Meginenſem* accenſet Brouverus pagis Ripariorum : quem & *Megnacenſem* à majoribus dictum eſſe falsò aſſerit. Nuſquam enim in veteribus tabulis & litteris hoc nomen reperire memini ; ſed *pagum Magniacenſem* in Pippini & Caroli Magni donationibus dici eum invenio, vulgò *Meylandt*, inter Moſellam & Rhenum in Treviris. Huic pago nomen dedit *Meginum* vel *Megenum*, vulgò *Meyen* dictum : quem locum aiunt proximum eſſe Antunnaco, & Bedæ vico ſive Bidburgo, à quo Bedenſis pagus nomen accepit, ac eſſe in Trevirorum finibus opidulum, *Magniacúmque* etiam nuncupari.

Brouverum in errorem induxere Mariani Scoti verba hæc in rebus anni DCCCLXXV. *in pago Meginenſe nomine Ripuariá, non longè ab Andirnachin caſtello*, &c. quæ verba perſuaſere Brouvero, *pagum Meginenſem* Ripariorum pagis adnumerari oportere : cùm *pagus Meginenſis* ſeu *Megenenſis* à Ripariis haud dubiè differat, & Regino Annaleſque Mettenſes ſuprà laudati unà cum Diviſione Regni Lotharii apertè indicent, apud Marianum duo verba *nomine Ripuaria*, quæ ab ignaro geographiæ inſerta aut potius furtim intruſa fuerunt, expungenda eſſe. *Pagi* enim *Ripariorum*, & *pagus Megenenſis* proximi quidem ſunt, aut etiam contigui, ſed tamen nihilo minùs diverſi.

MELBODIUM.

Adelgundis Virgo ab Autberto Atrebatum & Camaracenſium Epiſcopo velata, in *Melbodio* Monaſterium opulentiſſimum exſtruxit ad ripam fluminis Sabis, multaſque ibi Monachas, in primis Madelbertam & Adeltrudem, ſororis ſuæ *Valdetrudis Caſtrilocenſis* filias congregavit & rexit ante annos mille : è quibus Adeltrudis ipſi mortuæ ſucceſſit, & Virginibus Melbodienſibus Abbatiſſa præfuit. *Melbodium*, alias *M*[illegible] in Diœceſi Camaracenſi, v[illegible]ò nunc *Maubeuge* nuncupatur. Sigebertus *Aldegundis Melbodenſis* meminit in Chronico anno DCLI. Anſigiſus Abbas Fontanellenſis teſtamento legavit & miſit præter cetera *ad Altum Montem Monaſterium ſolidos* XV. *ad Malbodium Cœnobium libram* I. *ad Cairilocum Monaſterium ſimiliter* : quæ ſunt III. in Hainoo Monaſteria ; ut docet Chronicon Fontanellenſe, quod in principatu Ludovici Pii A. deſinit.

MELDACENSIS PAGUS.

Pagus vel *Comitatus Meldacenſis*, vulgò *le Comté de Mauge*, aliàs *les Mauges*, memoratur in litteris datis anno Domini DCCCCXXXVIII. his verbis *In Comitatu Meldacenſe, in pago qui dicitur Conedenſis*. (*Conede*) Videtur à Meldaco (*Mauge*) opidulo nomen inveniſſe. Hic pagus nunc Andibus ſeu Andicaviæ attribuitur, cùm ſit trans Ligerim poſitus in montibus, ac in finibus Pictonum, ac Epiſcopo Pictavenſi ſubjectus, parſque veteris pagi Pictavi. Dicitur aliis *pagus Medalcenſis*, item II. in litteris Caroli Regis qui Calvus cognominatus eſt, *pagus Medalgus*, & *pagus Madalgicus* : quibus in litteris Carolus *Monaſterium S. Florentini*, aliàs *Florentii constructum eſſe ſuper alveum Ligeris in pago Medalgo*, & *Didonis Epiſcopi Pictavenſis præſulatui ſubjacere pagum Madalgicum* ait.

MELDI, ET CIVITAS MELDORUM.

Meldi, Galliæ Celticæ vel Lugdunenſis gens, à Julio Cæſare in libro V. Commentariorum falsò creduntur memorari : memorantur autem à Strabone Μέλδοι, & à Plinio *Meldi Liberi* in Lugdunenſi Gallia : qui ab uno Ptolemæo *Meldæ* vocantur, Μέλδαι, in Gallia Lugdunenſi, & urbs eorum *Jatinum*, Ἰάτινον. quæ in vetuſtiſſimis Notitiis provinciarum civitatumque Galliæ *civitas Meldorum* ; nonnumquam, ſed corruptè *civitas Melduorum* nuncupatur, ac in provincia Lugdunenſi Senonia ultima ponitur. *Meldos*

urbem, & *Meldenſem urbem* Gregorius ceterique rerum noſtrarum ſcriptores nomine Gentis appellant, *Meaux*. Poſtea & *Meltis* ea urbs dicta eſt, d in t mutato, atque ita vocatur in Vita vetere S. Pirmini: unde & *pagus Meltianus* nomen accepit. Etiam *Meledus urbem* ſed mendosè, apud Gregorium in libri v. capite I. dici reperio, & *Miliciacum* corruptiùs apud Nithardum in libro IV. cujus hæc ſunt verba. *Ipſi verò Cadellonenſem adeunt urbem: cùmque Miliciacum veniſſent*, &c. Catalauni, quos *Cadellonos* vocat, & Meldi, urbes ſunt flumini Matronæ ambæ adpoſitæ. Poſita autem eſt urbs majore ex parte ad dextram Belgicamve ripam fluminis Matronæ, quo Celtæ ſeu Galli à Belgis dividuntur: itave ſi exactè haberetur ratio finium, Belgicæ potiùs quàm Galliæ Lugdunenſi attribuenda videretur, quemadmodum de Rotomago in Belgica ripa Sequanæ poſito, aliiſque de urbibus dicemus. Regio urbis amœniſſima ac munitiſſima ſita eſt in inſula Matronæ, forumque rerum venalium præ ceteris continet.

Anno Chriſti DXLIX. regni domini Childeberti Regis XXXVIII. Concilio Aurelianenſi V. interfuit atque ſubſcripſit *Medovens Epiſcopus Eccleſiæ Meldenſis*; Concilio Remenſi *Grimoaldus Meldenſis Epiſcopus*.

Chartarium majoris Eccleſiæ Meldenſis ab anno circiter MCLX. ad annum MCCCV. deductum, necnon tabularium Capituli Meldenſis ſeu Decani & Canonicorum Eccleſiæ Meldenſis legi: quo in tabulario Paſchalis PP. II. in litteris anno V. Epiſcopatus, Chriſti MCIII. datis, *Canonicos B. Mariæ Sanctique Stephani Protomartyris* ſemel atque iterum Canonicos Meldenſes appellat. Henricus *Trecenſis Comes Palatinus* in litteris anni MCLII. *Canonicos S. Mariæ Sanctique Stephani Meldenſis Eccleſiæ* ſimiliter vocat. Aliæ litteræ ſic expliciunt. *Actum hoc in Capitulo S. Mariæ Sanctique Stephani anno D. I. MCXXXV.* Stephanus Meldenſis Epiſcopus in litteris anni MCXXC. *Canonicos Eccleſiæ B. Mariæ beatique Protomartyris Stephani* nuncupat. Ex quibus apparet, matrem Eccleſiam civitatis Meldorum, de qua Paſchalis PP. & Henricus, ac Stephanus loquuntur, tum Mariam Virginem, Dei matrem, & S. Stephanum pro titulo ac Patronis habuiſſe: quæ antea ſub ſolius Stephani nomine videtur fuiſſe Deo conſecrata. Quippe liber de Vita Faronis Meldenſis Epiſcopi, cujus auctor ante annos DCCC. fuiſſe creditur Hildegarius Meldorum Antiſtes, Caroli Calvi æqualis, *Eccleſiam civitatis Meldenſis comtam ſuffragiis Protomartyris B. Stephani, ac ejus roſeo ſanguine decenter ædificatam fulgere* ſcribit: & tabulæ anni MCCXXV. *Eccleſiam B. Stephani* vocant, quum *altare B. Mariæ, quod eſt in capite Eccleſiæ B. Stephani Meldenſis*, commemorant. In litteris datis anno *J. Chr.* MIV. *regni Regis Rotberti* XII. eadem Eccleſia *locus S. Mariæ Sanctique Stephani Protomartyris Chriſti* nuncupatur. Verba ſubjicere convenit & duas alias ob cauſſas, quæ talia ſunt. *Fratres Sanctæ ſedis Meldenſium* (id eſt, Canonici majoris Eccleſiæ) *adierunt ante præſentiam domini Giſleberti Præſulis, humiliter precantes, ut tam de terris quàm de Eccleſiis unde canonicè vivere deberent, notitiam eis faceret: quatinùs Deo adjuvante locum S. Mariæ Sanctique Stephani Protomartyris Chriſti cum magna lætitia cunctis diebus vitæ illorum* (id eſt ſuæ) *ac ſucceſſorum eorum deſervire poſſent. Cernens ergo Præſul humilitatem illorum, fecit eis ſicut fuerant poſtulati.* (hoc eſt, ſicut poſtulaverant) *Hæ ſunt quoque Eccleſiæ, unde eis fecit firmitatem, & hæc ſunt nomina earum: S. Maria in Cavea, & quidquid adſpicit ad illam cum Derenciaco, Abbatiola S. Rigomeri Confeſſoris Chriſti*, &c. (*S. Ragomer*: quod nunc eſt oratorium cum Eremitorio) Ibi obſervo tempus, quo primùm Clerici vel Canonici matris Eccleſiæ Meldenſis, & aliarum etiam Eccleſiarum, res ſibi ſuas ab Epiſcopi rebus & bonis ſecretas habere voluerunt, atque Antiſtites ſuos ad diviſionem Eccleſiarum, vicorum & fundorum Eccleſiaſticorum adducere cœperunt. Quod & in Eccleſia Pariſiaca factum ab Eliſiardo vel Liſiardo, qui Rotberto regnante Pariſiorum Epiſcopus fuit, & à Benedicto PP. rogatu ejus confirmatum agnoſco. Litteras Benedicti VIII. Epiſcopi Romani in parvo Paſtorali legi, in quibus *Abbatiam S. Eligii, Abbatiam S. Germani Rotundi, Abbatiam S. Marcelli, Abbatiam S. Chlodoaldi atque S. Martini, Abbatiam S. Petri quæ dicitur Reſpacis, Abbatiam S. Saturnini de Caurofa, Abbatiam S. Petri quæ dicitur Nigella, Abbatiam S. Martini in Campellis, Abbatiam S. Petri quæ dicitur Caſiacus ſuper Maternam*, (*Chezi* prope urbem Meldos) ait poſſideri ab Eccleſia Pariſienſi, quam vocat *Eccleſiam B. Dei genitricis & Virginis Mariæ, & S. Protomartyris Stephani. Spedonam poteſtatem cum Eccleſia, villulam n. Macerias, Andreſiacum cum Eccleſia & altari, Aureliacum cum Eccleſia & altari, Civiliacum, Latacum, Caſtenedum* vel Caſtanetum, *Balneolum, Sulciacum, Criſtolium: hæc VII. altaria ab Eliſiardo ſtipendiis Fratrum S. Mariæ attributa* eſſe ibidem aſſerit, & *Clariacum, Steovillam, Roſetum, Cellas, Vernolium, Machelum, Sameſium, Mintriacum, Mauriacum, Viriacum, Fontanetum, Vilcenam* inter villas Canonicorum enumerat: tum addit. *Eligant ex ſemetipſis per communem omnium aſſenſum Præpoſitos & Decanos, qui & eorum provideant villas, & debita ſtipendia eis fideliter adminiſtrent.* Eadem in litteris Alexandri Papæ III. inveniuntur: quæ eſt origo Decani & Capituli in majore Eccleſia Pariſiaca, ſuas ſibi res ſeparatim ab Epiſcopo habentium: etſi aliæ litteræ mihi ſuſpectæ ab *Ynchado Epiſcopo* (fortè *Ercanrado* legendum) principatu Ludovici Pii A. haſce villas Fratrum matris Eccleſiæ ſtipendiis delegatas teſtantur. Ragenaldus vel Rainaldus, Burchardi Comitis Corboilenſis filius, Eliſiardi ſucceſſor, *Largum Campum*, aliis *Liricantum* dictum, *cum Eccleſia S. Maturini in pago VVaſtinenſi*, Pariſiacæ *S. Mariæ Eccleſiæ contulit in uſus Fratrum, ibi Deo canonicè militantium*; & dimidium Xenodochii S. Chriſtophori. Sed de his ſatis.

Ad litteras Meldenſes ſuprà laudatas revertor, in quibus inter *Eccleſias Fratrum ſe-*

dis Meldenſis primas tenet *S. Maria in Cavea:* qui *B. Mariæ in Cagia Conventus*, & *Conventus B. Mariæ de Cagia* aliis in litteris vocatur; & ſub Abbate ac Priore Canonicos habuiſſe, atque *in ſuburbio Cagia*, uno ex IV. civitatis burgis, uti & Monaſterium S. Faronis poſitus eſſe dicitur. Ibidem *portam per quam itur in Cagiam*; & *vineam*, *ſalicetum*, *foſſatum ſita in Cagia* litteræ anni MCCLXVI. cōmemorant; *prata de Cagia citra aquam*, id eſt cis flumen Matronam aliæ; *Albertum B. Mariæ in Cagia Abbatem* litteræ anno MCCXXX. datæ; *domum ſitam in vico de Cagia*, ibidem *vico Cagia* dicto, tabulæ anno MCCLXVII. ſignatæ: *Gaufridus Clericus dedit in perpetuam eleemoſynam Eccleſiæ Meldenſi domum, quam habebat in vico Cagienſi*: ut litteræ anni MCCXIII. docent. Monaſterium S. Mariæ in *Cavea* vel *Cagia*, vulgò *Chage* hodieque incolæ cognominant: ſuburbanum *Cagiam*, *le fauxbourg de Chage*; *vicum Cagienſem*, ſeu *vicum de Cagia*, aut *vicum Cagiam*, litteræ anni MCCCXXIX. *la ruë de Chage* patriâ linguâ appellant. Quo *Cavea* & *Cagia* nomine ut priùs ad Amphitheatri Sueſſionici, ita nunc ad Meldenſis notitiam adducor, colligoque extra urbem Meldos Amphitheatrum olim exſtitiſſe: ſicuti pleraque Amphitheatra extramurana erant, quæ Galli noſtri more Romanorum nunc *Arenas*, nunc *Caveas* ab interiore ſui parte cava & capaci, in qua pugnæ edebantur, dixere. De *Cavea Cagiam* fecimus: ut caveas quibus aves domeſticas includimus, *cagias* nuncupamus, *cages*. Magnum autem hoc Amphitheatrum fuiſſe ex eo intelligitur, quòd fundus ubi exſtitit, ampliſſimus erat: cùm & burgo vel ſuburbano, & vico ſuum *Cagia* nomen reliquerit, & vineas, ſalicta, prata, domos, atque Abbatiale Monaſterium S. Mariæ *in Cavea* ob id cognominatum contineret. Monaſterium S. Mariæ *in Cavea*, vel corruptè *in Cagia* aut *de Cagia* dictum eſt Meldis, ſicut Sueſſionis Monaſterium *S. Criſpini in Cavea*, quòd utrumque Monaſterium eo in loco ſitum eſſet, ubi olim Amphitheatrum vel Cavea fuerat ſtante in Galliis Imperio Romano: quæ Cavea ei loco ubi erat, utrubique nomen ſuum dedit, & utrique Monaſterio in utriuſque Amphitheatri veſtigiis condito, & ex ipſis operis Romani ruinis excitato cognomen. Hinc apparet omnia ferè capita Gentium Galliæ, etiam Lugdunenſis & Belgicæ, (ne de ceteris Imperii Romani provinciis loquar) poſtquàm Romanis Imperatoribus paruerunt, exemplo urbis Romæ ſua ſpectacula, ludos ſuos, ſua Amphitheatra habere voluiſſe: quod & de Auguſta Sueſſionum, de Durocortoro Remorum, de Divoduro Mediomatricorum, de Auguſta Trevirorum, & de Agedinco Senonum ac de urbe Meldis ſuprà docuimus: de Rotomago, & de Lutecia Pariſiorum infrà docebimus. Senonici quidem Amphitheatri meminit paſſio B. Columbæ Virginis & Martyris, quam in codice Thuaneo ſcriptam reperi, à paſſione ejuſdem quam in alio codice ejuſdem bibliothecæ legi, differentem: ubi hæc invenio. *Tunc Aurelianus Imper. in urbe qua vocatur Senonas, in Amphitheatrum eam deduci juſſit conſtrictam, ac carcereis vinculis obnixiùs cuſtodiri.* Ibidem locus quo erat clauſa Columba, *cellula* non ſemel, ac *tugurium* vocatur. *Tamen urſa pro S. Virginis Columbæ tutela adhuc in Amphitheatro remanſit cum ipſa. Audiens hæc Aurelianus Imper. militibus juſſit ut ex Amphitheatro eam expellerent, & ſibi exhibitam præſentarent. Tunc urſa per tegmina templi foras egreſſa.* Ibi & Aurelianus ſic loquitur. *Vade in Amphitheatrum, ubi tenetur virgo incluſa Columba; abutere eâ. Tunc Aurelianus juſſit tormentorum miniſtris, ut eam extra civitatem in miliarium ducerent,* (id eſt, ad primum lapidem ſeu milliarium) *& caput illius gladio amputarent. Acta ſunt hæc civitate Senonis die pridie Kal. Janu.* Ergo *cellula* hæc, ſeu *tugurium* aut *carcerem* vocare mavis, in Amphitheatro Senonico erat, Templo alicui proxima.

In urbe Meldis ante annos quadringentos IV. pontes fuere, *pons S. Remigii*, vel pons ad S. Remigium, *pons Rapidus*, *pons S. Celiniæ*, vel pons ad S. Celiniam, & *pons Corneliacenſis*: in Theobaldi Regis Navarræ, Campaniæ & Briegii Comitis Palatini litteris anno MCCLXII. patrio ſermone ſcriptis nuncupati, *pont S. Remi*, *pont Rade*, *pont Sainte Celine*, *pont devers Cornill'n.* Primus ab Eccleſia ſuburbana & à burgo S. Remigii nomen accepit. *Pontis Rapidi* meminere litteræ datæ anno MCCLXI. & MCCLXXVII. quæ *domum ad caput pontis Rapidi Meldenſis verſus Magnum vicum* memorant. Ita autem dictus videtur hic pons, quòd ibi maximè rapidus torrenſque ſit Matrona. *Pons S. Celiniæ* ab *Eccleſia S. Celiniæ* proxima appellationem traxit: quæ vetus Eccleſia ferè contigua eſt Baptiſmali *Eccleſiæ S. Nicolai* in burgo cognomine, & licèt exigua cella ſit, Prioratuſve unius tantùm Monachi albi capax, tamen vulgò appellatur *Abbatia*, *l'Abbaye de S. Celine.* Pons IV. ad *Corneliacum* ducit, vicum in priſcis tabulis memoratum, *Cornillon* etiam ſæpe dictum veteribus in litteris. quem *pontem Corneliacenſem* vel *ad Corneliacum* vocare poſſis. Hic vicus nomen dedit & burgo civitatis Meldenſis uni è quatuor, *le fauxbourg de Cornillon.*

Ibidem *portum Ricoini*, id eſt Richuini, & *vicum S. Faronis*, à Monaſterio ejus cognominatum, collocant litteræ anni MCCLXIII. *portam Carceris* aliæ. Nam ad portas urbium plerumque carceres fuiſſe, obſervavi in Vitis Sanctorum Epiſcoporum Albini Andegavenſis, Juliani Cenomannenſis, Germani Pariſienſis, aliiſque non paucis. *Forum Meldenſe*, locum naturâ munitum, cinctum undique Matronâ, *le Marché de Meaux* vulgò dictum, memorant tabulæ anni MCCXXII.

Urbis Meldorum vici, præter ceteros *Magnus vicus*, & *vicus S. Faronis*, quorum jam ſuprà memini: vicus ad caſtellulum, vel vicus Caſtelluli, *vicus de Caſtelleto Meldis* in litteris anni MCCLXXII. nuncupatus: *Darneſtal vicus*, & *vicus de Tirecape*, nocturnis latrociniis olim infamis, ambo priſcis in Chartarii Meldenſis tabulis memorati: quibus cognomines ſunt hodieque duo Luteciæ Pariſiorum vici.

Jam in urbe Meldis, ut in pleriſque Galliarum urbibus, ac præſertim Lutetiæ factum à majoribus noſtris videmus, ſuus cuique arti vicus erat attributus. Talemetariis qui falces meſſorias & alia ferramenta ad metendum ac ſecandum apta conficiunt, aſſignata Talemetaria, *la Taillanderie*, Piſtoribus quos Bolengarios vocamus, Bolengaria, *la Boulengerie*; Sutoribus, quos Noſtri à pellibus jam ante annos DCCC. Cordubâ mitti ſolitis Cordubanarios appellitant, Cordubanaria, *la Cordonerie*; Carpentariis *Carpentaria*; Alutariis ſeu Pellionibus, quos Pelliparios à pellibus parandis nuncupant recentiores, Alutaria, *la Pelleterie*; quin & fructibus arborum Fructuaria, *la Frutterie*; & Judæis ab alienigenis ſeparari conſuetis Judæaria, *la Juiverie* in litteris patriâ linguâ ſcriptis dicta, ubi domos Judæi & hortum ac cœmeterium ſuum habuere. *Talemetariam*, *Bolengariam*, *Cordubanariam* item, & *Carpentariam* in urbe Meldis vicos commemorant litteræ anni MCCLXXXIX. *vicum Alutariæ* litteræ anni MCCXCVI. *vicum Fructuariæ* tabulæ anni MCCXCVII.

Diœceſi Meldenſi, ſeu Meldorum Gentis finibus continentur ultra citraque Matronam, Alnetum, *l'Aunay Bruſlé*; Santiacum, *Sancy*; Columbarium ſeu Columbaria *Coulomiers*; Juliacum *Juilly*, clarum Juliacenſi Monaſterio, quod Abbatem & Canonicos habet: Joiacum caſtrum, in litteris anni MCCL. memoratum, *Jouy le Chaſtellet*, aut certè *Jouy ſur Morin*: Iotrum *Ioüarre*, & Eboriacum ſeu Faræ Monaſterium, *Faremonſtier*, clara ſacrarum Virginum Cœnobiis loca: Moncelli vel Montelli, id eſt Monticuli, *Monceaux*, villa Regia; Radolium, quod & Rodolium, Cellâ ſeu Prioratu notum, *Reüil*; Tria portus, corruptè *Trilleport* pro *Trie le port*; Tria Bardoli, in litteris anni MCCXLIV. memorata, quæ Tria Bertulfi rectiùs diceretur, *Trilli-Bardon* mendoſe pro *Trie le Bardon*, ambæ ad Matronam: Meduntum prope Columbarium, & foreſtem, ut vocant; Domunculæ, quæ & Meſoncelliæ, id eſt Manſiunculæ *Maiſoncelles*; Quintiacum ab urbe Meldis vix V. millibus diſtans, *Quincy*; Cella *la Celle*; caſtrum domni Martini cum vico, quod *caſtrum*, *caſtellum*, *caſtelletum* etiam, necnon *forterecia*, id eſt fortalitium, & *villa Domni-Martini* in tabulis anni MCCXXX. nuncupatur, *Dammartin*: Firmitas Galterii vel Galteri, *la Ferté Gaucher*; Cameræ fons vel Camera fons, locus caſtro Domini Martini proximus, & Abbatiâ notus, *Chambrefontaine*; Condetum, id eſt Condate *Condé*, ad Mucræ & Matronæ confluentes; Roſetum *Roſoy*; Raſbacis veterrimo Monaſterio & rivulo inſignis, *Rebais*; Nantoilum ſeu Nantogilum ad Matronam, *Nantolium ſuper Maternam* in priſcis litteris dictum, *Nanteüil*; Marolium *Mareüil*; Pons Mucræ; Malleus, fortè *Villers les Mailles*; Inſulæ *l'Isle*; Novum Monaſterium *Neufmonſtier*; Villa Regis ad Matronam, *Villeroy*; Broilum clarum Monaſterio & nomine S. Fefri, quem Noſtri Fiacrium vocitant, III. ab urbe Meldis millibus diſtans, *S. Fiacre*: Firmitas ſub Iotro, ad Matronam poſita, *la Ferté ſous Ioüarre*; Criſciacum aut Creciacum ad Mucram, *Crecy*, à quo ſilva proxima cognomen accepit.

Duos habet Eccleſia Meldenſis Archidiaconos, majorem alterum trans Matronam in pago Briegio, quem *Archidiaconum Brienſem* vel *in Bria* appellitant: ſicut & Eccleſiæ Pariſiacæ ſuus eſt in Briegio, unus de tribus, Archidiaconus, pagi cujus curam gerit nomine appellatus.

Omittere non poſsũ litteras anni MCCXXVIII. de *Domino Adamo de Rutello*, vel *Ruetel Milite*, quas in Chartario Meldenſi reperi. *Cùm Dominus Adam Miles diceret, quòd aquam dicti rivi* (de Rutello) *debet & poteſt facere currere per terram ſuam & in foſſatis ſuis, & in terris ac pratis ſuis: & hac ratione, quia quilibet Gentil'homo, habens libera feoda in Comitatu Campaniæ, poteſt & debet, quando vult, abſque contradictione facere vivaria & foſſata in terra ſua, & retinere de aqua currente per terram ſuam, prout eſt ei neceſſarium,* &c. *Actum anno Domini* MCCXXVIII. Hîc primùm obſervo *Milites*, quos vulgò *Caballarios* vocamus, *Chevaliers*, *Gentiles-homines* nuncupari, *Gentilshommes*; & *Militem* ac *Gentilem hominem* pro uno eodemque uſurpari. *Gentiles* autem *homines* dicebantur Milites, qui præ ceteris notæ gentis erant ac claræ, & ſtirpis illuſtris atque honoratæ.

MELGORIUM, ET MERCORIUM.

Melgorium, vulgò *Melguel* aut *Melgueul* dicitur, opidum olim aut caſtrum celebre, Montipeſſulano proximum, caput Comitatus Melgorienſis. Ibi *ſolidi Melgorienſes*, & *denarii Melgorienſes* percuti conſueverant, in priſcis tabulis ejus regionis cum *libris Melgorienſibus* memorati.

Et *Melgorium* quidem eſt in Volcis Arecomicis, & in provincia Narbonenſi I. At alterum ejuſdem ferè nominis caſtrum, nimirum *Mercorium* in Arvernis, & in prov. Aquitaniæ I. olim dictum *Marcueil*, & *Mercueuil*; vulgò nunc *Mercueur*, *Mercœur*, & *Mercure*, Ducatus titulo illuſtre, cujus veteres tabulæ mentionem faciunt. Iohannes Pariſienſis pro *Mercorio Marcolium* nuncupat, *Dalfinum Alverniæ*, & *dominum Berandum de Marcolio* numerans inter adjutores Odardi domini Montiſacuti, nobilis viri novique Militis, natione Burgundi, adverſus Erardum dominum S. Verani: eumdemque poſtea *Beraldum de Marcolio* nominat. Hyacinthus Diaconus Cardinalis in epiſtola ad Ludovicum Francorum Regem ejus nominis VII. *Mercur* vocat, *Beraldum de Mercur* ſemel atque iterum commemorans: quem VV. Brivatenſis Eccleſiæ Prępoſitus, & B. Abbas, in litteris ad eumdem Ludovicum Illuſtrem Francorum Regem, *Beraldum de Mercorio* bis nuncupant, haud dubiè nomine deducto à *Mercurio*, quem Noſtri, in his Fredegarius, & Carolus Magnus in epiſtola ad Faſtradam Reginam, conjugem ſuam, *Mercorem* dixere. Legi ſcriptam in veteri codice priſcam Vitam S. Deſiderii Cadurcenſis

Epiſcopi, (*S. Gery*) ubi hic locus *caſtrum Mercurium* appellatur. *Vir quidam ex caſtro Mercurio veniens*, &c.

Eſt & villa *Mercoria* à Mercurio cognominata, aliàs *villa Mercorius* in Lemovicibus, *Mercqs* vulgo dicta. Chartarium Bellilocì (*Beaulieu*) in Lemovicibus ad Duranium vel Dordoniam ſiti, & Monaſterio Abbatiali ante annos DCCC. ſtructo inſignis legi, in quo hæc reperio. *Aicardus de Mercoria, miſſus Vualdi, in pago Lemovicino, in Vicaria Vertedenſe, in villa Mercoria, manibus tradidit ipſam villam*, (Mercoriam) *vel* (id eſt, &) *Eccleſiam S. Martini Gairulfo Abbati, vel* (id. &) *ad ipſos Monachos* Bellilocenſes *per chordam ſigni & per oſtium domus. Facta hac notitia traditionis in menſe Octobrio, anno III. Caroli Imper. Mercuritium* quoque vocat Lambertus Presbyter Ardenſis *Merq*, locum Caleſio proximum in Morinis. Nimirum *Galli Deum maximè Mercurium coluere*, ut ſcribit Cæſar, & ab eo loca aliqua cognominavere.

MELLENTUM.

Mellentum, *Meulan*, caſtrum ad Sequanam in Veliocaſſibus eſt poſitum: cujus caſtri vel opidi pars eſt in inſula flu. Sequanæ, vulgò dicta *le fort de Meulan*, Meilenti arx vel munimentum. Ibi Comites quondam Mellentini opibus, armis, viriſque floruere. *Mellentum* commemorant præcipuè rerum Normannicarum ſcriptores, Ivo quoque Carnutenſis Epiſcopus in epiſtolis; *Comitatum de Mellento in pago Vilcaſino* Ordericus Vitalis in libro VIII. *Comitemque Mellenti* in libro XI. *Meulent* paſſim nuncupat rectè Appendix Chronici Guillelmi Nangiacenſis; at plures, in his Nicolaus Ægidius, *Meulanc* mendosè. T. enim in c converti à Noſtris nequaquam conſuevit. Ivonis Epiſcopi Carnutenſis ſunt litteræ ad *Clericos Mellentinos & omnes in Pixiacenſi Archidiaconatu*: quæ epiſtola videtur apertè docere *Mellenti* partem ſaltem aliquam pertinuiſſe ad Archidiaconatum Pinciacenſem, l'*Archidiaconé de Pinceraïs*, qui unus eſt ex Archidiaconatibus Eccleſiæ Carnutinæ. Litteræ Philippi Franc. Regis datæ anno MLXXVI. *Hugonem Metlindenſem Comitem* memorant: itaut *Metlindum* ante annos DC. dictum eſſe videatur, quod poſtea leniore vocabulo *Mellentum*, t in l tranſeunte, d in t mutato. Nec *Metlindum* tantùm, ſed etiam *Medlentum* vocatum eſt, t in d & invicem d in t converſis. Certè in Chartario Fiſcamnenſi legi litteras *Roberti Comitis de Medlent*, in quibus patris ſui VValeranni meminit, & *Medlent* ac *Medonta*: qui aliis in litteris ibidem *Robertus Comes de Mellento* appellatur. *Mollentum*, atque etiam *Mullentum* in litteris anni MCCXXV. reperio, quaſi à molis nomen deduci oporteat.

MELODUNUM SENONUM.

Melodunum eſt opidum Senonum in inſula Sequana poſitum, ut paullo antè Luteciam diximus: ut ait Julius Cæſar in libro VII. de bello Gallico: *Melun*. Hoc opidum alii aliter atque aliter appellant. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro VI. *Meglidunenſe caſtrum*, aliàs *Mecledonenſe caſtrum*, & ejus agrum *pagum Meglidunenſem* appellat, *le Melunois*: qui *Milidunenſis* pro Milidunenſis vocatur in Capitulis Caroli Calvi; *Milidunenſis* Nithardo: & utrubique, atque apud alios auctores diſtinguitur à pago VVaſtinenſi, in quo nunc tamen Melodunum ponimus, *Melun en Gaſtinois*. Fortunatus de Vita B. Germani Pariſiorum Epiſcopi capite XVII. *Medardi Meglidunenſis* meminit, hoc eſt Melodunenſis. In Geſtis Francorum *caſtrum Milidunenſium*, alias *caſtrum Malidunenſe*, & *Mielitanum caſtrum*, vel *Melito*; Roriconi & Hincmaro de Vita Remigii *caſtrum Milidunenſe*; *Milidunum* quoque in Capitulis Caroli Calvi nuncupatur; *Milidunum* ſimiliter, atque etiam *Milido* Nithardo; *caſtellum Milido* & Aimoino in libro II. de Miraculis S. Germani. *Meglidunum* autem, & *Milidunum*, & *Milido* è *Melodunο* Cæſaris facta ſunt vocabula, ut vel cæco apparet. Eo in loco Childebertus Rex, Chlodovei Magni filius Epiſcopum voluit ordinari: ſed obſiſtente Leone Senonum Epiſcopo, non potuit quod cupiebant & rogabant *Melodunenſes*, implere: ut docet nos Leonis Epiſcopi ad Childebertum Regem epiſtola, in qua Melodunum *Mecledo* vocatur. *Si quicumque Epiſcoporum Mecledone Epiſcopum voluerit ordinare*: item: *Ut ad ordinandum Mecledonenſem Epiſcopum aut præſentia noſtra adiſſe debeat, aut conſenſus.*

Sæpe miratus ſum, cùm *Melodunum* opidù Senonum vetuſtiſſimum fuerit, ac jam inde à Julio Cæſare non ignobile, nullam tamen à Mella & Plinio, nullam à Strabone & Ptolemæo ceteriſque Geographis Græcis ac Latinis mentionem ejus fieri, ac ne in Itinerariis quidem. Unum tamen excipi velim Æthicum in Itinerario provinciarum, qui in itinere à Carocotino Auguſtobonam, mihi videtur *Meloduni* meminiſſe ſub nomine *Mecleti* his verbis. *Petromantalum* (*Mante*) M. P. XVI. *Luticia* (*Paris*) M. P. XVIIII. *Mecleto* M. P. XVIII. (*Melun*) *Condate* M. P. XV. (*Monſtereau Fautyonne*). *Agredicum* ſeu *Agedincum* (*Sens*) M. P. XIII. Ubi non dubito ab Æthico *Melodunum Mecleti* nomine deſignari. Hieronymus Surita affirmat, in quibuſdam codicibus Itinerarii *Metletum*, in uno exemplari *Medetum* ſcriptum inveniri. *Melodunum* igitur Æthico dictum eſt *Mecletum*, ut *Mecledonenſe caſtrum* Gregorio in libro VI. in epiſtola Leonis Epiſcopi *Mecledo*, in Geſtis Francorum *Mielitanum caſtrum*, vel *Mielito*; apud Nithardum *Milido*; in tabula Peutingeriana *Meteglum* tranſpoſitis per errorem litteris pro *Megletum*.

Ioſephus Scaliger ait, bis apud Cæſarem excuſum eſſe perperam *Melodunum*, pro quo in veteribus omnibus codicibus ſcriptis *Metioſedum* reperiri: quæ unius ejuſdemque opidi nomina utraque eſſe, ſed *Metioſedum* antiquius ac prius, *Melodunum* poſterius. Addit alios pro *Metioſedum Ioſedum* apud Cæſarem legere, ac Corboilum interpretari: quibus bonam mentem precatur, his verbis Marlianum perſtringens. Sed errat ipſemet

Scaliger. Aliud enim eſt apud Cæſarem *Melodunum Senonum oppidum in inſula Sequanæ poſitum* ſupra Luteciam Pariſiorum; aliud apud eumdem *Metioſedum* Pariſiorum infra Luteciam, IV. ab urbe Lutecia millibus paſſuum diſtans ſecundo flumine: itaut quod affirmat Scaliger, verum eſſe non poſſit, credique non debeat, in priſcis Cæſaris codicibus bis pro *Meloduno Metioſedum* ſcriptum inveniri.

Paganum de Meleun memorat Maria Trecenſis Comitiſſa in litteris ad Dominum ac patrem ſuum cariſſimum Ludovicum VII. Francorum Regem: ex quo intelligitur ante annos D. Melodunum *Meleun* dici cœptum eſſe. *Meldunum* vocat Appendix Chronici Guillelmi de Nangiaco.

MELPINUM CASTRUM.

Guillelmus Nangiacenſis in Geſtis Ludovici Regis Francorum, qui eius nominis IX. regnavit, & Sanctorum ordinibus adſcribi meruit, ſcribit anno MCCXLII. Hugonem Comitem Marchiæ *tria caſtra fortiſſima, ſcilicet Melpinum, Croſanum, & caſtrum Achardi Regi* Ludovico *tradere* coactum eſſe, ne amplius rebellaret. *Melpinum* vulgò dicitur *Merpin*, quod eſt caſtrum ad Carantonum flumen inter Ecoliſmam & Santonos poſitum, non longè à Connaco, *Cognac*. Ex Melpino *Merpin* fecere Noſtri, litterâ l in r mutatâ: ut ex luſciniola *roſſignol*, ex ululare *urler*, ex ulmo *orme*, ex Ulmechon *Ormecon*; ex *Mollans*, quod *caſtellum Gaſtonis de Biarno* Guillelmus Nangiacenſis vocat, *Morlane*.

MELTIANUS PAGUS.

Pagus Meldenſis, quem Gregorius in libro VIII. *Comitatum Meldenſem*, Geſta Dagoberti Regis *territorium Meldicum* vocant, aut totus, aut ex parte, in Capitulis Caroli Magni *Melcianus* dicitur, poniturque inter pagos *Pariſiacum* & *Melidunenſem*: à Ludovico Pio Aug. in Diviſione Regni inter filios *Meltianus* vocatur; à Carolo ejus filio in Capitulis latis in Conventu Silvacenſi ſimiliter *Melcianus* pagus: quòd ſcilicet tum urbs ipſa Meldi, pagi caput, *Meltis* & *Melcis* corruptè nuncupabatur; à Nithardo in libro IV. *Miliciacus*. Certè in antiqua Vita S. Pirminii *Meltis* appellatur civitas Meldorum: unde *Meltiani pagi* nomen eſt ortum. Hodieque pars Meldici pagi trans Matronam flumen in Belgis ſita, vulgò dicitur *Multianum*, *le Multien*, nomine ex *Meltiano* deducto, & unius tantùm mutatione litteræ corrupto: qua ex parte Meldi Silvanectum ſeu Vadenſium & Sueſſionum fines attingunt. Reliqua agri Meldici portio Matronam inter & Sequanam jacet in Celticæ pago Briegenſi: eaque ex parte Meldi Senonum & Pariſiorum finibus artantur. *Multianum* igitur trans Matronam, & *Goella* regiuncula ei proxima, in qua locus Comitatuſque *Domni Martini*, ad Meldos pertinent, eiique attribuuntur. Pippinus Francorum Rex in litteris datis anno I. regni ſui *pagi Melciani* meminit, ut & *pagi Bragobanti*, id eſt Brachanti, *pagique Briegii*.

MENAPII, ET CASTELLUM MENAPIORUM.

Caſtellum Menapiis locum attribuit Claudius Ptolemæus, quod nunc *Keſſel*, ni fallor, ab incolis appellatur. Poſitum autem eſt *Caſtellum Menapiorum* ad ripas fluminis Moſæ inter Trajectum ſuperius ſeu Trajectum Tungrorum (*Maeſtricht*) & Carvonem. (*Grave*) Tabula Theodoſiana *Caſtellum Menapiorum* malè vocat, quod dici debuit *Caſtellum Morinorum*: cùm ipſum collocet inter *Geſoriacum* & *Virovinum* vel potiùs Viroviacum in finibus Morinorum. *Caſtellum* appellat Diviſio Regni Lotharii, & inter *Niu Monaſterium*, hoc eſt Noveſium, atque *Indam* collocat.

Annæus Florus in capite ultimo libri IV. de victore Germaniæ Druſo ſic refert. *Præterea in tutelam provinciarum* (Galliarum) *præſidia atque cuſtodias ubique diſpoſuit per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta ampliùs caſtella direxit.* Quare *Caſtellum Menapiorum* ad *Moſam* condidiſſe videri poſſet Druſus, ſi non apud Florum *Moſam flumen* in *Amiſiam flumen* mutari ac reſtitui oportere exiſtimarem.

Julius Cæſar plerumque cum *Morinis Menapios* jungit ut confines, & in libro II. *Morinos* XV. *millia* armata ad bellum Romanum pollicitos eſſe ait, *Menapios* VII. *millia*: in libro III. ſcribit, Venetos *ſocios ſibi ad bellum* Rom. *Morinos, Diablintes, Menapios adſciviſſe*: & *Morinos Menapioſque, quòd continentes ſilvas ac paludes habebant*, ipſo cum exercitu veniente, *eò ſe ſuaque omnia contuliſſe*. Idem in libro IV. tradit, *ſe reliquum exercitum Sabino & Cottæ legatis in Menapios atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad ipſum legati non venerant, ducendum dediſſe*: & *Morinos* quidem *qui rebellionem fecerant, cùm propter ſiccitates paludum quò ſe reciperent non haberent, omnes ferè in poteſtatem T. Labieni Legati veniſſe: at Q. Titurium & L. Cottam Legatos, quòd Menapii omnes ſe in denſiſſimas ſilvas abdiderant, agris vaſtatis ædificiiſque incenſis*, ex eorum finibus legiones reduxiſſe. Situm Gentis *Menapiorum* Cæſar in libro IV. deſcribit, quum prodit Uſipetes, à Suevis agris expulſos, *ad Rhenum perveniſſe: quas regiones Menapii incolebant, & ad utramque ripam fluminis agros, ædificia, vicoſque habebant*: & in libro VI. ait *fuiſſe Menapios propinquos Eburonum finibus, perpetuis paludibus ſilviſque munitos, qui uni ex Gallia de pace ad ipſum legatos numquam miſiſſent*: ac ipſo cum legionibus V. in Menapios profecto, eos *loci præſidio fretos in ſilvas paludeſque confugiſſe, ſuaque eodem contuliſſe*, à quibus obſides acceperit. Cæſarem de more tranſcribit Strabo, & *Menapios* ex utroque oſtiorum Rheni latere paludes ac ſilvas incoluiſſe, eiſque confines fuiſſe ad mare *Morinos* refert. Tum igitur perpetuas ſilvas ac paludes habebant *Menapii*, & utramque fluminis Rheni ripam accolebant, Semibelgæ ac Semigermani, &

Eburonum Tungrorúmve finibus propinqui erant. At Tacitus Menapios à Rheno removet, ac Ciſmoſanos facit hiſce verbis. *Moſam amnem tranſeunt, ut Menapios & Morinos & extrema Galliarum quaterent.* Morini proximi ſunt Ambianis ad mare, Morinis *Menapij*. Quòd ſi Moſa tranſeundus fuit, ut ad *Menapios* primùm, deinde ad Morinos perveniretur: haud dubiè *Menapij* omnes, aut ſaltem maxima ex parte tum citra Moſam, ad Moſam tamen ſedes habebant. Certè Ptolemæus ad oſtia Moſæ eos collocat, qui ab ætate Taciti non multum abfuit. Plinius quoque *Menapios* non Rheni accolis ſeu prov. Germaniæ inferiori, ſed Belgis adnumerat, & inter Moſam ac Scaldin ponit. *A Scaldi incolunt Menapij, Morini.*

Martialis in libro XIII. epigrammaton ſeu in Xeniis, pernam ex *Menapiis* commendat hoc diſticho.

Cerretana mihi fiet vel Maſſa licebit
De Menapis: lauti de petaſone vorent.

Menapi dicuntur Martiali pro *Menapij*, ut *Menappi* pro *Menapi* Hiſtoriæ Miſcellæ libro VI. MS.

Intra Gallias cum V. I. Magiſtro Equitum Galliarum *Menapii Seniores* numerantur in Notitia Imperii Romani: quæ & docet *ſub diſpoſitione V. Sp. Ducis Mogontiacenſis Præfectum militum Menapiorum Tabernis* extitiſſe.

Menapios Marlianus *Iuliacenſis, Gelrenſis, Cliveniiſque Ducatuum* incolas interpretatur. A Marliano more ſuo diſſentit Joſephus Scaliger, negatque *Menapios* eſſe *Gelrenſes*, & qui ſapiunt, hoc conceſſuros; aſſerens *partem Hollandiæ & Brabantiæ maritimæ; vel potiùs ſecundum Strabonem oram Flandriæ veros eſſe Menapios, & Menapiſcum pagum in Capitulis Caroli Magni dici Flandriæ Comitatum.* Samſon credit *partem* meridianam *Diœceſeos Trajectenſis*, heic ubi Epiſcopatus Middelburgenſis ſeu mediterranei Burgi in Zelandia, Andouerpenſis & Silvaducenſis in Brabantia, & Ruramundanus in Gelria anno MDLIX. ſunt conſtituti, & *Ducatum Clivenſem* ad utramque Rheni ripam *Menapiorum* Gentis nomine & finibus contineri.

Erràſſe autem Scaligerum, quum *Menapiam* pro *ora* Comitatuque *Flandriæ* accipi voluit, docet apertè Vita MS. S. Urſmari Abbatis Laubienſis: in qua *Flandria* & *Menapum fines*, atque *Flandrenſes & Menapes* junguntur quidem ut confines; nominibus tamen diſtinguuntur ut diverſi, circa Laubias Monaſterium Diœceſeos Camaracenſis ad Sabim. *Flandriam & Menapes* jungit & Fulcuinus de Geſtis Abbatum Laubienſium. Quin & Ludovicus Imperator Aug. in Diviſione Regni inter filios, *Flandriam* & *Menapiam* apertè diſtinguit his verbis. *Ardenna, Aſbania, Bragbento, Franderes, Menpiſcon, Medenenti, Ainau.* Ubi Flandriam vocat corruptè *Franderes*; *Menpiſcon*, aut *Menpiſcum* potiùs Menapicum pagum. Litteras Caroli Calvi, Ludovici hujus filii profert Aubertus Miræus, in quibus *pagus Mempiſcus*, & *pagus Flandrenſis* ſeparatim notantur ut diverſi. *In pago Gandenſe, in villa quæ dicitur* MAIRA; *in pago Brachbatenſe, in villa Flitherſala; (Flierſeele) in pago Mempiſco, in villa Heiſſca; & in pago Cameracenſe in villa Colonia; & in pago Madelentenſe, (le Melantois) in villa Sobelnum; in pago Flandrenſe Illumariſcum. Pagus Menpiſcus* dictus eſt pro *Menapiſcus*; *Menapiſcus* autem pro *Menapicus*: ſicut *Daciſcum* pro Dacico, *Hunniſcum* pro Hunnico, *Franciſcum* pro Francico dixere, & *Franciſcam* pro bipenni Francica. Aurelius Victor quum Carauſium *Menapiæ civem* nuncupavit, *Menapiæ* nomine aut *caſtellum Menapiorum* caput deſignare voluit, aut certè *pagum Menapicum*.

In Geſtis Normannorum ad annū DCCCXCVI. deductis reperio, Normānos anno DCCCLXXX. primùm in Gandavo Monaſterio, unde Turnacum & omnia Monaſteria ad Scaldim ferro & igne devaſtaverint, deinde in *caſtro Cortriaco*, id eſt Cortoriaco hiemaviſſe, *indeque Menapios & Suevos uſque ad internecionem deleviſſe.* Tum igitur (ſi qua his Geſtis fides) *Menapij* ſaltem ex aliqua parte non procul aberant à Cortoriaco caſtro, Letiæ flumini adpoſito. Nec aliam ob cauſam forſitan tabula Theodoſiana caſtellum Morinorum inter Geſoriacum & Viroviacum ſitum, *Caſtellum Menapiorum* appellavit: propterea quòd *Menapii* relictis priſcis ſuis ad Moſam ſedibus, in Morinorum finibus, non longè à Cortoriaco & Viroviaco ad flumen Letiam conſediſſent: niſi ſi potiùs ignorantiæ ſcriptorū hoc debet imputari. Certè Philippus Bonæ Spei Abbas, in Vita Amandi Epiſcopi Trajectenſis, Turnacum *urbem Menapiorum* vocat: & *in Nervio locum famoſum, caſtellum Menapiorum* poni video à veteri ſcriptore in libro I. Miraculorum S. Bertini Sithienſis Abbatis: quos rectè ſitum *Menapiorum* aſſignaviſſe, aut eam Gentem rectè cum *Nerviis* confudiſſe, quis auſit aſſerere?

Ceterùm Dion Hiſtoricus Menapios non in urbibus, ſed in tuguriis habitaviſſe ſcribit: quod ſi verum eſt, (cur autem verum non ſit?) nemo mirari debet, non urbem eos, ſed *Caſtellum* tantùm re & nomine pro capite Gentis habuiſſe, nullam apud eos veterem ſedem Epiſcopatûs agnoſci.

MENTUNIACUM.

Mentuniacum, aliàs *Mantiniacum* municipium fuit ad Sequanam, ab urbe Tricaſſis non procul diſtans. Ibi Romanus Abbas Monaſterium fertur extruxiſſe, quod Diœceſi Tricaſſina continetur. Hic locus olim veteri nomine ſervato ab accolis dicebatur *Mantenay*: nunc de municipio vicus factus eſt, & *Sancti Leonis* appellatione cenſetur, *Saint Lie.*

MEROLIACUM.

Meroliacum caſtrum ſitu & opere munitiſſimum in finibus Aruernorum, quale à Gregorio noſtro in libro Hiſtoriæ Francicæ III. deſcribitur, prope Tigernum & Lovolautrum, eſt ut puto *Olliergue*.

MERULA.

MERULA.

Ut caſtrum *Aquila* in Normannia, à nido aquilæ in quercu ibi reperto cùm conderetur, nomen accepit: eamdem ſeu parem ob cauſſam *Merula* à nido merulæ ibidem cùm ædificaretur invento, mihi videtur eſſe dicta. Hoc caſtellum Ordericus Vitalis in libro XII. *Merulam ſuper Sartam* vocat, & Alencionem inter atque Almaniſcas ponit. Vulgò *le Melle*, aut *Melle ſur Sarte* nuncupatur. Habet enim pontem Sartæ flumini impoſitum is locus, proximuſque eſt Alentioni ad ejuſdem fluvii ripas poſito. Odo in libro Miraculorum S. Mauri ante annos DCCC. *in pago Sagenſi*, id eſt Saienſi *villam Merulam* commemorat, à Rege Carolo B. Mauri Monaſterio collatam.

MESTENO.

In veteribus tabulis *Meſtenon* paſſim memoratur, & ita nomen hoc ſcribitur: qui eſt locus ad flumen Auturam inter Autricum Carnutum caput & Novigentum Regis poſitus, & primùm *Meſteno* Latinâ terminatione dictus videtur, poſtea *Meſtenon*. Noſtri nunc *Ma.ntenon* corruptè appellant, quaſi à manutenendo.

MESUA, ET MASUA.

Mella in deſcriptione Galliæ Narbonenſis *Meſua* meminit his verbis. *Ledum flumen, caſtellum Latara, Meſua collis incinctus mari pane undique, ac niſi quòd anguſto aggere continenti adnectitur, inſula.* Vulgò dicitur *Meſe*, eſtque urbecula vel opidulum: prope quod monticulum ſeu *collem cinctum mari pane undique* apud Mellam. Setium montem eſſe, vulgò *Cap de Sette* Catellus affirmat. Quem ſi ſequimur, ita aut emendanda, aut interpungenda ſunt Mellæ verba. *Caſtellum Latara, Meſua collis incinctus mari*, &c. aut *caſtellum Latara, Meſua, collis incinctus mari*, &c. *Meſoa* vocatur in quibuſdam litteris datis anno MCIX. in quibus *Pontius de Meſoa; R. de Monte-olivo, (Montolieu) F. de Monte Judeo, P. de Monte Lauro* memorantur; & in litteris anni MCXCI. *Guillelmus de Meſoa*, & *Guido de Ventarorio*, in litteris anni MCX. & MCXLVI. *Caſtellum de Meſoa*. & *Pontius de Meſoa*: in teſtamento Guillelmi Domini Montiſpeſſulani anno MCCXI. facto ſæpe *Meſoa* nominatur, u litterâ in o mutatâ.

Eſt & *Maſua vicus in pago Autiſſiodorenſi* ad Ligerim poſitus: ubi Pippinus Rex, VVaifario Aquitaniæ Principi bellum illaturus, flumen cum omnibus copiis tranſiit: qui locus *Maſſana* vocatur in tabula Peutingeriana inter *Brivodurum* & *Nebirnum* vel Nivernum; vulgò *Meſue* aut *Méve*.

METIOSEDUM.

Julius Cæſar in libro VII Commentariorum belli Gallici *Metioſedum* primus & ultimus memorat; ponitque infra Luteciam Pariſiorum aliquot millibus paſſuum. Quidam *Joſedum* truncato nomine ſcribunt; nonnulli *Melioſedum*: utrique mendosè atque corruptè. Nam Joſephus Scaliger affirmat, in veteribus omnibus Julii Cæſaris codicibus *Metioſedum* ſcriptum reperiri. Raimundus Marlianus *Joſedum* apud Cæſarem legit, aitque eſſe *opidū Celticæ ad ripam citeriorem Sequanæ, ſupra* (*infra* potius) *Melodunum Senonum, Luteciæ Pariſiorum proximum*: quibus verbis *Corboilum* apertè deſignat. Marlianum plerique ſcriptores recentiores ſequuntur, & pro *Metioſedum* legunt *Joſedum*, ac Corboilum, vulgò *Corbeil* interpretantur: quibus bonam mentem precatur Scaliger in diſcuſſione Commentariorum Cæſaris. At ipſe nihilo feliciùs aut meliùs *Metioſedum* ac *Melodunum* pro uno eodemque opido habet, quod primò *Metioſedum*, deinde *Melodunum* ſit dictum, vulgò *Melun*: aitque in libris Cæſaris editis *Melodunum perperam excuſum bis* reperiri, (ter dicere debuit) *pro quo priſci omnes codices ſcriptum habeant Metioſedum. Verè quidem Melodunum & Metioſedum unum idemque opidum eſſe: ſed Melodunum poſterius eſſe opidi nomen, Metioſedum prius.* Quam de veteribus codicibus fabulam Joſephus Scaliger ex induſtria videtur finxiſſe, ne refelleretur facilè vel ipſis Cæſaris verbis, in libro VII. *Melodunum* ter, *Metioſedum* ſemel commemorantis; *Melodunum* ut ab urbe Lutecia remotius, *Metioſedum* ut eidem propius, & alterum ab altero apertè diſtinguentis. Scaligero accedunt noſtræ ætatis Geographi, Philippus Labbeus, & Brietus. Ita ſenſit haud dubiè & Joſias Simlerus Tigurinus, qui in Æthici Itinerario *Methetum* vel *Medetum*, inter Luteciam & Condate medium, eſſe *Metioſedum* ait. *Methetum* autem illud *Melodunum* eſt. Nicolaus Sampſon *Metioſedum* nec *Corboilum* Pariſiorum, nec *Melodunum* Senonum eſſe aſſerit, ſed locum Luteciæ propinquum, vulgò dictum *Meudon*: ſuamque opinionem Cæſariana relatione ſtrategematis Labieni confirmat, ac veriſimillimam reddit. Litteras quaſdam legi datas anno MCCXCII. in quibus hic vicus vocatur *Medo*. & *Simon Major de Medone*, *Simon de Mudon*: item *Medun*, *Meudon*, & *Moldun*. id eſt *Modunum* vel *Moldunum* dicitur à duno vel monte. In litteris anni MCXXCVII. *Matthæus de Modun Preſbyter* præter ceteros commemoratur; in litteris anni MCCIII. *Matthæus Decanus de Modun*, qui & ibidem *Moudon* vocatur, dictus in litteris anni MCCLIX. *Decanus de Moldun*.

S. MICHAELIS MONASTERIUM AD DUAS TUMBAS.

Imper. Ludovicus Pius in conſtitutione de Monaſteriis Regni Francorum, quam anno DCCCXVII. fecit, inter Monaſteria quæ tantùm dona dare debent ſine militia, *Monaſterium S. Michaëlis Mareſci primi* primo loco numerat. Ubi Andreas Cheſnius fruſtra emendandum putat *Maris periculi*. Quippe Monaſterium illud *Mareſci primi* cognominabatur,

quòd ſitum eſſet in mariſco vel mareſco, id eſt in ſolo paluſtri, quod cotidianis acceſſibus æſtuans inundat Oceanus. In Hiſtoria Aquitanica, à Ludovico Balbo ad Hugonem deducta dicitur *Richardus*, VVillelmi Principis filius, *ædificaviſſe in Nortmannia, quæ antea vocabatur marcha Franciæ & Britanniæ, Monaſterium S. Michaëlis de Monte, ubi Monachos ordinaverit.* Nimirum hoc Monaſterium conditum eſt in confinio Brittonum ac Nortmannorum, in cacumine promuntorii, quod ab aliis *Mons Tumba*, ab aliis *Mons S. Michaëlis* ob Monaſterii ibi ſiti Patronum; ab aliis *in periculo maris* dicitur, quoniam ſtatis cotidie horis cingitur Oceano, itavt incauti & ignari æſtus, ſi qui fortè deprehenſi fuerint, opprimantur, nec mortem poſſint evadere. Robertus de Monte qui Chronicon ſuum Sigeberto ſubjunxit, rectè ſcribit Ricardum, ejus nominis primum Nortmannorum Ducem, *in monte Tumba Monaſterium in honorem S. Michaëlis reſtauraviſſe.* Nam multo ante Ricardum à Paterno Abrincatinæ Eccleſiæ Epiſcopo exſtructum eſſe creditur. Locus *le Mont S. Michel*; Cœnobium *S. Michel*, aut *S. Michel du Mont* nuncupatur.

Hic Mons eſt in Abrincatuis, cujus Monaſterium Benedicti Regulam ſequitur, ac nuncupatur *Abbatia Montis S. Michaelis in periculo maris.*

Monti S. Michaëlis proximus eſt mons alter, mari quoque ſæpe circumdatus, cum arce vertici impoſita, *Tombelaine*, aliàs ſed mendosè *Tombe Elene* dictus, qui olim per deminutionem *Tumbella* vel *Tumbellana* videtur nuncupatus, quaſi parva Tumba, propterea quòd minor eſt *monte Tumba*, ſive Monte S. Michaëlis. Ridiculi ſunt, qui nomen eſſe compoſitum, & montem huncce à tumulo neſcio cujus mulieris *Tumbã Helena* vocandum exiſtimant. Odo Abbas Monaſterii Glannafolienſis, in epiſtola ad Adalmodum Cenomannicæ Eccleſiæ Archidiaconum de inventione Vitæ S. Mauri, memorat *in pago Abrincatino locum S. Angeli, qui ad duas Tumbas vocatur.* Vocabatur itaque ante annos DCCC. *locus S. Michaëlis Angeli* vel *Archangeli ad duas Tumbas:* duo enim ibi ſunt montes, nomine *Tumba*, major & minor. In libro de Tranſlatione & Miraculis S. Frodoberti hæc de Ratberto quodam pagi Mileduneńſis indigena legimus. *Ad S. Michaelis Eccleſiam properat, eo loco qui ad duas Tumbas ex antiquo vocatur.* Tumbam porrò, quod vocabulum ex τύμβος factum eſt, pro monte accipi non mirabitur, qui *Alpium tumulos* à Floro in libri III. capite III. dici obſervaverit.

S. MICHAELIS OPIDUM ET MONASTERIUM.

Vulfoaldus Præfectus Palatii Childerici Francorum Regis & Monarchæ, homo Auſtraſius, hoc eſt natus in Francia Orientali vel Auſtria, *in pago Parœciaque Veredunenſi ad flumen Moſam* clariſſimum *Cœnobium S. Michaelis Archangeli fundavit*; uti Sigebertus memoriæ tradit in Chronico: quod Cœnobium cauſa incrementorum loco ac nominis fuit. Vulgò enim S. Michaëlis, vel ad S. Michaëlem appellatur, *S. Mihel*, aliàs *S. Michiel.* Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta in Procaſpide ſuper Moſam, eum locum ponit inter *Montem Falconis*, & *Caldrini Monaſterium*, ac *S. Michaëlis* ſimpliciter nuncupat. Ejuſdem meminit liber de Vita Johannis Gorziæ Abbatis, qui circa annum DCCCCXXXX. floruit, hiſce verbis. *Nonnullo tempore in Monaſterio S. Michaelis ſuper Moſam fluvium ad ſtudia moratus eſt.* Hoc opidum eſt in Ducatu Barrenſi, unus de IV. ejus Conventibus. Quatuor enim ſunt in Barrenſi Ducatu Conventus juridici. Primus Conventus Barrenſis Barrum caput Ducatus, Solliacum *Souilly*, vel *Seully*, Petram Fixam *Pierrefite*, Luppeium *Louppi* continet. II. Conventus S. Michaëlis, municipium S. Michaëlis, Montionem, Satanacum *Stenay*, Dunum *Dun*, Longum Vicum *LongVVy*, Fagum *fong*, Confluentes *Conflen*, aliàs *Conflans au Jarviſi*, Calciatam *la Chauchee*, Mandras ad quatuor turres, *Mandres aux quatre tours* complectitur. Tertio Conventui Claromontenſi Clarus Mons in ſaltu Argonna *Clermont en Argonne*, Varennæ *Varennes*, Vienna *Vienne le Chaſteau*, præ ceteris attribuuntur. Conventus Baſſiniacenſis ſunt Mota *la Motte*, Brunoniſmons *Bourmont*, Marchia *la Marche*, Confluentes in Baſſineio vel Baſſiniaco, *Conflans au Baſſigni*, Caſtellio *Chaſtillon.* His adjunxere Principes Barrenſes Hattonis caſtrum, *Hadonis caſtellum* Gerberto in epiſtolis dictum, *Haton Chaſtel* Marchiam, Jameſium *Jametz*, Aſperum montem *Aſpremont*, aliaque loca.

MILMANDRA FLU.

Jonas in Vita Euſtaſii Abbatis Luxovienſis Milmandræ flu. meminit his verbis. *In ſuburbio Bituricenſi V. V. Theodulfus cognomine Babelenus Monaſteria ex Regula B. Columbani exſtruxit; primum in inſula ſuper fluvium Milmandram, ubi religioſorum virorum adunavit catervam; aliud Gandiacum nomine haud procul à fluvio Albeta; tertium Chriſti Virginum in loco dicto Carantonio ſuper fluvium jamdictum Milmendram. Milmandra* ille vel *Milmendra* fluvius, vulgò nuncupatur *Mormande*, & præter ceteros amniculos in Carum effluit. Albeta fluvius videtur eſſe, qui nunc dicitur *Laurete.*

MINARIACUM.

Æthicus ejus loci bis meminit, primùm in itinere à Caſtello per compendium Turnacum, quod iter eſt millium paſſuum XXVIII. ſic: *Minariacum* M. P. XI. *Turnacum* M. P. XVII. iterum in itinere à Caſtello Coloniam ita: *Menariacum* M. P. XI. *Nemetacum* XVIIII. &c. Eſt ergo *Minariacum* vel *Menariacum* inter Caſtellum Morinorum atque Turnacum, necnon inter idem Caſtellum ac Nemetacum. Incolæ *Merghem* appellant, Noſtri *Merville*, ſicut ait Cluverius. Surita *Mina-*

riacum vulgò *Minorem-villam* dici tradit, & *ad Liſam*, hoc eſt ad Letiam flumen poſitum eſſe. Ego exiſtimo *Minariacum villam* potius quam *Minorem villam* nuncupari, atque *Mervilla* appellationem non a *Minore villa*, ſed à *Minariaco villa* deduci oportere. Differt autem à *Mervilla Marvilla* Poſitio & Præpoſitura, in Ducatu Luciliburgenſi ad rivum vel amniculum Veſinum (*Vezin*) ſita, quem Veſinum Chares defert in Moſam inſra Duciacum, inter Moſomagum atque Sedanum; *Marcivilla* olim dicta.

Aubertus Miræus Minariacum *Steyre* à Belgis, à Gallis *Eſterre* dici mavult: cui loco proximam eſſe Mauronti-villam, vulgò *Merghem* nuncupatam.

MINERVA CASTRUM.

Caſtrum Minerva à cultu & templo Minervæ nomen accepit, ut *Latona* ad Ararim à cultu Latonæ. Petrus Monachus in libri de bello Albigenſi capite xx. *Minerbam* vocat, ut litteræ anni MCXCI. *Menerbam*. *Erant* (inquit) *circa Carcaſſonam tria caſtra munitiſſima, Minerba, caſtrum Finarum, & Cabaretum.* *Minervam* Chronicon Symonis Comitis Montisfortis, cujus auctor Petrus Lutevenſis Epiſcopus à quibuſdam creditur, nuncupavit: in quo reperio, *Anno Domini* MCCX. *caſtrum Minervæ fortiſſimum à Symone Comite obſeſſum, & poſt multos inſultus captum eſſe.* Vulgò dicitur *Minerve*, aliàs *Menerbe*: quod eſt caſtrum in Diœceſi Carcaſſonenſi poſitum, nomen ſuum dans *pago Minervenſi, le Minervez*, aliàs *Minerbois*. Hieronymus Zurita Erà MCCXCVI. *Lauracenſem, Rivenſem, Fuxenſem, Minervenſem, Fenoliadenſem, Saltuenſem, Petrapertuſienſem, Æmilianam, Crodonenſem, & Gabalitanam ditiones* commemorat: ex quibus pagus Lauracenſis eſt *Lauraguez*; Rivenſis, forſitan eſt Rivenſis pagus, *de Rieux*; Fuxenſis *le Foix*; Minervenſis *le Minervez*; Fenoliadenſis *Fenolhedes* Caſtellania in Diœceſi Electenſi, XLII. vicos continens; Saltuenſis pagus, *le pays de Sant* eadem in Diœceſi XIX. vicos includens; pagus Æmilianus vel Amilianus, *le territoire de Milhau en Roüergue*; Crodonenſis, vel potiùs Rodenenſis pagus, id eſt Rutenicus, *la Rouergue*; Gabaldanus pagus eſt Gabalitanus, *le Gevaudan*. *Comitatus Minerbenſis* vocatur in litteris Stephani PP. ad Arnultum Narbonenſem Archiepiſcopum, Principatu Arnulfi. *Tam in Comitatu Narbonenſe quàm & Reddenſe, ſeu & Minerbenſe, atque Auſonenſe, necnon & Biterrenſe, ſive etiam Nemanſenſe.* *B. de Menerba* in litteris anni MCXCI. memoratur. Galli autem *Deum maximè Mercurium coluere, poſt hunc Apollinem, & Martem, & Jovem, & Minervam*; ut Cæſar in libro VI. de bello Gallico affirmat. Cui rei indicio ſunt *Fanum Martis*, à Condate Redonum XLVI. millibus diſtans; & *Fanum Martis*, non longè à Valencianis illuſtre admodum & clarum, quod pago Fanomartenſi nomen olim dedit: *Fanum Jovis* in Diœceſi Mirapicenſi caſtrum; *Fanum Minervæ*, ab urbe Durocortoro XIII. millibus diſtans; villa *Mercuria* vel Mercoria in Lemovicibus, & *Mercuritium* in Morinis. *Ædua civitas Berecynthia, Apollinis & Dianæ cultum præcipua dilectione venerata eſt*, ut Paſſio Symphoriani Mart. docet. Mons quoque Lutetiæ ſuburbanus, quem à glorioſa morte Dionyſii primi Epiſcopi noſtri, Ruſticique & Eleutherii Preſbyteri ejus ac Diaconi *Montem Martyrum* appellamus, antea *Mons-Martis*, ac (ſi Hilduino creditur) *Mons* quoque *Mercurij* à cultu & templo utriuſque vocabatur.

MINNODUNUM.

Apud Æthicum in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, *Minnodunum* ponitur inter *Bromagum & Aventiculum*, à Bromago VI. ab Aventiculo millibus paſſuum XIII. diſtans. Surita *Mirnidunum & Minnodunum* in priſcis codicibus ſcriptum ait inveniri. Tabula Peutingeriana ſimiliter *Aventicum Helvetiorum* inter & *Viromagum Minodunum* collocat. Vulgò nunc *Milden* appellari Simlerus aſſerit, aliàs *Moulden*. Quippe n in l Noſtri mutare conſuevere. Nanpredam enim *lamproye* vocant, unicornem *licorne*, Bononiam *Boulogne*, Caſtrum Nantonis *Chaſteau Landon*, tympanum *tymbale*, animam *aleme*.

MITIACUM.

Mitiacum non ſolùm antiquiſſimo Monaſterio, quod S. Maximini ab auctore dicitur, ſed etiam vino ſuo celeberrimum, eſt in agro Aurelianenſi ad Ligerinum vel Ligericinum amnem in Ligerim decurrentem, V. aut VI. ab urbe Aurelianis lapide. *S. Meſmin de Mici* vulgò appellant. Ab eo Avitum (*S. Avy*) *Abbatem Mitiacenſem* vocat Gregorius noſter. *Agrum Miciacenſem*, (*Mici*) unaque *poſſeſſionem quæ vocatur Cambracus*, id eſt *Chaingi*, Auſpicio & Maximino Chlodoveus Magnus Francorum Rex dedit, ut docet Vita S. Maximini: in qua reperio, *agri Miciacenſis veteres parietinas ſtructuram tantummodò priſcam prætuliſſe, & fundum Miciacenſem hinc inde fluviis alluı, ac intra ſinum ſuum inſulam habere majoris fertilitatis quàm magnitudinis, feracem tritici, & vini abundantis atque præcipui.* *Miciacum* vocat ipſe *Chlodoveus Francorum Rex, vir inluſter*, in tabulis donationis: quod eximium antiquitatis monumentum eruit è tenebris Hieronymus Vignerius, vulgavit poſt ejus obitum Lucas Acherius.

Eſt & *locus Meciacus*, vel *Miciacum* ad fluvium Vicenoniam, vulgò *Meſſac* dictus, ad quem Rainaldus Comes Namneticæ urbis à Brittonibus anno DCCCXLIII. fuſus acie & cæſus eſt.

MOGONTIACUM.

Magontiacum Tacitus in Hiſtoriarum libro IV. vocat, ut & Hieronymus in epiſtola ad Agerochiam *Magontiacum, nobilem quondam civitatem*: quam Claudius Ptole-

mæus *Mocontiacum Μοκοντίακον* appellat, & in Germania inferiore ponit magno errore, cùm in ſuperiore Germania poni debeat. Ceteri veteres ſcriptores *Mogontiacum* aut *Moguntiacum* nuncupavere, in primis tabula Theodoſiana, Æthicus in Itinerario provinciarum I. R. Ammianus Marcellinus in libro xv. & xvi. à quo *Mogontiacus* in *Germania prima* collocatur. Vetus nummus apud Goltzium *Curatores civium Romanorum Moguntiaci* memorat, Notitia Imperii Romani *Præfectum militum Armigerorum Mogontiaco, ſub diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis Mogontiacenſis*. In priſcis Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ reperitur, *in provincia Germania prima metropolis civitas Moguntiacenſium*, vel *Mogontiacenſium*; in aliis, *in provincia Germanica* I. *civitas Magontiacenſium metropolis, Magontia*: in aliis *metropolis civitas Maguntiacenſium, id eſt Maguntia*; in aliis *provincia Germania prima civitas metropolis Magontiacenſium. id eſt Magantia*.

Verum, ut dixi, & incorruptum nomen urbis, *Mogontiacum* vel *Moguntiacum*; item *Magontiacum* ſive *Maguntiacum*: à quo in priſcis Notitiis quibuſdam *civitas Magontiacenſium*, & *civitas Maguntiacenſium* dicitur: in aliis corruptè *civitas Moguntiacenſium, Mogonciacenſium. Magonciacenſium*, pro *Moguntiacenſium, Mogontiacenſium, Magontiacenſium*, vitio pronuntiationis t litterâ in c mutatâ. *Moguntiacum* vocat Poëta Saxo in libro III de vita Caroli Magni, primâ, III. & IV. ſyllabis correptis.

Ipſe Moguntiacum rediit.

Momociacenſe opidum, corrupto haud dubiè nomine nuncupat Gregorius Turonicus Epiſcopus MS. in libri IX. capite XXIX. *Sigibertum Momociacenſis opidi Sacerdotem* appellans, & in libri de Gloria Confeſſorum capite LIII. *Thaumaſtum Momociacenſis urbis Epiſcopum* vocans.

Poſtea truncato nomine ex *Magontiaco Maguntiacove Magontiam*, necnon *Maguntiam*, interdum & *Maguntiam* vel *Magonciam* fecere ſcriptores recentiores; ex *Mogontiaco* ſimiliter *Moguntiacove Mogontiam*, atque *Moguntiam*, ac t in c converſo *Moguntiam*, ac *Mogonciam*. De *Baptiſterio Maguntia* exſtructo, à Sidonio Epiſcopo & Berthoara Theodeberti Francorum Regis filia ſcripſit in libro II. carmen XII. Fortunatus: & in libri IX. carmine VIII. ad Sidonium Maguntiacenſem Epiſcopum *Maguntiam* vocat I. ſyllabâ productâ.

Reddita ne doleas felix Maguntia caſus.

Mogontiam & *Mogonciam* apud Theganum reperias; apud Nithardum *Magontiam*. *Magantiam* Notitia quædam Galliæ ſuprà nuncupat & Conſtantius in epiſtola ad Deſiderium Cadurcorum Epiſcopum; Fredegarius quoque in libro v. & ultimo Chronici *Magantiam*, item *Magancenſem urbem*, & incolas ejus *Magancenſes*. Germani *Maintz* & *Meintz*, vel *Mentz* contracto vocabulo appellitant; Noſtri *Mayence* nomine haud dubiè deducto à *Magantia* vel *Magancia*. Unde & *Magence* vulgus pronuntiat Luteciæ Pariſiorum.

Poſitum eſt *Mogontiacum* ad Mœni Rhenique confluentem, vel potiùs contra utriuſque amnis confluentes. Nam Mœnus Germaniæ fluvius dextrum Rhenum ingreditur, è regione Mogontiaci, ſiniſtræ ſeu Gallicæ Rheni ripæ appoſiti. Germani ante annos circiter DCC. à flumine Mœno Mogontiacum dictum eſſe ſibi perſuaſere: in his Guntherus in libro I. de Geſtis Friderici, cujus hic eſt verſus

Nomen ab infuſo recipit Mogontia Mogo.

Hæc urbs Francorum mediis in finibus.

Mogum vocat abſurdè Guntherus flumen, quod Nithardus in libro II. *Moin*; Annales Metenſes in anno DCCXCIII. *Moin* vel *Mogonum*; Annales Bertiniani *Mobin*; alii *Mochin*, Pomp. Mella, Aurelius Victor in Antonino Caracalla, Eginhardus, ceterique veteri ac proprio nomine *Mœnum* appellant; *Mænum* Eumenius in panegyrico Conſtantino Aug. dicto. *Mogontiacum* autem linguâ ſuâ appellavere & Romani ante annos nongentos aut etiam mille, quàm fluvius ille, in Rhenum contra Mogontiacum effluens, novo ac ridiculo nomine *Mogus* ac *Mogonus* appellari inciperet. Adeò à *Mogono* vel *Mogo* amne *Mogontiacum* dici non potuit.

Cujus Gentis caput fuerit *Mogontiacum*, nemo è veteribus Geographis obſervavit. Ptolemæus Borbetomagum & Argentoratum ac Noviomagum in Germania ſuperiore ponit aut prima: & Borbetomagum quidem, atque Argentoratum Vangionibus, Noviomagum Nemetibus attribuit; neutri Genti *Mogontiacum* provinciæ metropolim, nec alii. Cùm tamen *Triboces*, *Vangiones*, *Nemetes* junctim memorentur à Cæſare in libro I. à Tacito in libro IV. Hiſtor. *Triboci*. *Vangiones*, *Caracates*; in libro de moribus Germanorum *Vangiones*, *Treboci*, *Nemetes Germanorum populi*; à Plinio *Rhenum accolentes Germaniæ Gentium in eadem provincia*, (Belgica) *Nemetes*, *Triboci*. *Vangiones*: & cùm Ptolemæus *Nemetes*, *Vangiones*, *Triboccos* in ſuperiore Germania collocet, Vangionumque ac Nemetum urbes commemoret, Tribocorum non commemoret, *Mogontiacum* Tribocis adſcribendum puto, ut tres hæ Gentes ſuas ſingulæ urbes habeant. Triboci autem Cæſari *Triboces*, Tacito *Treboci*, *Triboci* Plinio ac plerìſque, *Tribocchi* Straboni, Ptolemæo *Tribocci* dicuntur. Si Strabonem ſequimur, (cur autem non ſequamur?) κατοικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τριβόκχοι ἔθνος Γερμανικὸν, accolunt Rhenum Triboci, Gens Germanica, eò tranſlati. Marlianus *Triboces nunc Argentinenſes dici*, hoc eſt Argentoratenſes ait. In quo ſine cauſa recedit à Claudio Ptolemæo, vetere ac diligentiſſimo Geographo, qui Argentoratum urbem Vangionum vocat. Divinat Samſon, qui non Borbetomagum modò, ſed etiam Mogontiacum Vangionum urbibus adnumeret: meliùs fortè facturus, ſi Ptolemæum ſecutus eſſet, & pro Mogontiaco Argentoratum unà cum Borbetomago Vangionibus aſſignaviſſet. Certè ut Nemetes Spirenſes, Vangiones Vuarmatienſes ſunt; ſic Tri-

bocos Mogontiacenſes, eſſe docet ordo ipſe à Cæſare & à Tacito in Hiſt. ac Ptolemæo ſervatus in enumeratione horum trium populorum. *Triboces, Vangiones, Nemetes, Triboci, Vangiones, Caracates; Nemetes, Vangiones, Tribocci:* uti nunc poſt Spiram Vuarmatiam, tum Mogontiacum videmus. Male itaque Plinius & Tacitus inter *Nemetes* & *Vangiones Tribocos* vel *Trebocos* poſuere: cùm Nemetes Vangionibus proximi ſint, nec ulla inter ambas Gentes atque urbes alia gens intercedat.

Serarius vir doctus, qui de Mogontiaci Epiſcopis & antiquitatibus ſcripſit, dubitat Germaniæ an Galliæ Mogontiacum adſcribi oporteat. Quod equidem miror. Quis enim neſcit Galliam à Magna Germania Rheno flumine dividi, ideoque Mogontiacum quod ad ſiniſtram vel citeriorem ripam Rheni poſitum eſt, Galliæ attribui debere, non Germaniæ? Eſt igitur planè Mogontiacum urbs Galliæ: eſt nihilominùs & Germaniæ: quod forſitan Serarium decepit. Quippe eſt metropolis provinciæ *Germaniæ ſuperioris* vel *Germaniæ primæ*, quæ una eſt ex quinque provinciis Galliæ Belgicæ, & tertium inter eas locum obtinet, *provincia Germania* I. aut *Germanica prima* nuncupata à Romanis, quòd à Germaniæ Gentibus Rhenum tranſgreſſis incoleretur.

Sub diſpoſitione Ducis Mogontiacenſis erant omnia præſidia urbium & caſtellorum Germaniæ primæ, præter tractum Argentoratenſem, Comiti ſuo ſubjectum: nimirum *Præfectus militum Pacenſium Saletione; Præfectus militum Menapiorum Tabernis; Præfectus militum Anderitianorum Vico-Julio, Præfectus militum Vindicum Nemetes; Præfectus mil. Martenſium Alta ripa; Præfectus militum ſecundæ Flaviæ Vangiones; Præfectus militum Armigerorum Mogontiaco; Præfectus militum Bingenſium Bingio; Præfectus militum Balliſtariorum Bodobrica; Præfectus militum Defenſorum Confluentibus; Præfectus militum Acincenſium Antonnaco.*

Hieronymus in epiſtola ad Agerochiam de Monogamia ſcribit, principatu Honorii ab Alanis, Vandalis & Suevis *Mogontiacum, nobilem quondam civitatem, captam atque ſubverſam eſſe, & in Eccleſia multa hominum millia trucidata; Vangiones longa obſidione deletos*, id eſt civitatem Vangionum. Propter hanc Mogontiaci cladem nonnulli aſſerunt, Mogontiacum metropolim Germaniæ primæ gradu ſuo excidiſſe, & Borbetomago ſeu civitati Vangionum aut Vuarmatiæ, cui antè præfuerat, eſſe ſubjectum. Scribit id auctor incertus, Alberti Argentoratenſis Chronico ab Urſtitio præfixus, hiſce verbis. *Sequenti anno* DCCXIX. *Bonifacius à Gregorio PP. Moguntiæ Archiepiſcopus ordinatus eſt: quamvis antea Moguntini Epiſcopi ſuffraganei fuerint VVormatienſium Epiſcoporum.* Quod ego pro falſo fictoque habendum puto, cùm nullius veteris ſcriptoris auctoritate nitatur, nec urbs Vangionū *longa obſidione deleta* in locum Mogontiaci capti ac everſi ſuccedere potuerit aut debuerit. Certè in omnibus Notitiis Galliarum cum veteribus tum recentioribus quas legi, *prov. Germaniæ primæ* aſſignatur *metropolis civitas Moguntiacenſium; & civitas Vangionum, id eſt Vuarmatia* ſemper ei ſubjicitur, quartum & ultimum inter Germaniæ primæ civitates plerumque obtinens locum; rarò tertium.

Regio ad Rhenum & Mœnum, in qua poſitum eſt Mogontiacum cum Borbetomago & Nemetis, dicitur in Vita S. Sturmis Abbatis Fuldenſis *VVedereiba*, ab aliis *VVettereiba*, & *VVedrereiba*; vulgò *VVetterau*, pars cis Rhenum, pars trans flumen poſita, quibuſdam *Vedrevia*: cujus incolas *VVedreves* Gregorius PP. II. in epiſtola quadam nuncupavit, ſi Frehero credimus.

Septemviris Electoribus adnumerantur Archiepiſcopi tres, Mogontiacenſis, Trevirenſis, & Colonienſis: ex quibus Mogontiacenſis Antiſtes *Cancellarius S. Imperii per Germaniam* dicitur, Agrippinenſis *Cancellarius per Galliam*, Trevirenſis *Cancellarius per Italiam*. Hi tres inter Electores relati ſunt, propterea quòd inter omnes regni Germaniæ Archiepiſcopos vetuſtate, ſplendore, opibus ac viribus eminebant: quam ob cauſſam eorum trium Antiſtitum multis ante ſæculis quàm Electores fierent, jaminde ab anno DCCCCXII. ſive à morte Regis Ludovici Arnulfi A filii, in eligendo Rege Germaniæ ſumma ſemper fuit auctoritas. Nimirum Mogontiacenſis Archiepiſcopus tres ſedes Epiſcopatuum in Gallia, duodecim in Germania, in Rætia ac Vindelicia habebat, ut & nunc habet, ſibi ſuffraganeas; Colonienſis duas in Gallia, tres in Germania; Trevirenſis Mettenſem, Tullenſem, ac Verodunenſem ſedes in Regno Lotharii. Itaque Mogontiacenſis & Agrippinenſis Archiepiſcopi in Gallia ſeu in Regno Lotharij, atque in Germania plurimum poterant, Trevirenſis intra Gallias Regnumque Lotharii longè lateque per provinciam Belgicam primam. His rebus fiebat, ut ſuis ſuorumque ſuffragiis Regnum Germaniæ cui vellent, facilè deferrent. Sed inter omnes primas tenebat Mogontiacenſis Antiſtes, quòd & maximam partem Germaniæ haberet ſibi Eccleſiæque ſuæ metropolitanæ ſubjectam, & quòd propter Pippinum Francorum Regem à Bonifacio Mogontiacenſi Antiſtite conſecratum, Regis Germaniæ eligendi ungendique poteſtatem ſibi vindicaret.

MOILLA COMITATUS AUT PAGUS.

Nithardus in libro I. *Moillam* memorat. *Et per fines Ribuariorum Comitatus Moilla, Hals, Trahammelant, Maſagobbi* Quæ verba corrupta ſic emendari oportere exiſtimo: *Moilla, Hattuarias, Hammolant, Maſagobbi*, vel *Maſagovvi*. In Annalibus Bertinianis ad annum DCCCXXXVII. eadem verba mendoſa reperiuntur. *Comitatus Moilla, Ettraham, Melant, Moſagao.* Ubi legendum eſt, *Comitatus Moilla, Attuaria, Hammelant.* Quamquam audacter forſitan *Haltra* & *Ettra* in *Hattuarias* muto; ſed *Hammolant* vel *Hammelant* feliciter reſtituo, quem *Comitatum Hamarlant* iidem Annales in anno DCCCXXXIX. nun-

cupant, & inter *Ducatum Friſiæ* ac *Comitatum Batavorum* locant. Et *Hammolant* quidem vel *Hammelant*, aut *Hamarlant* nomen eſt Germanicum, compoſitum ex *ham* quod vicum ſignificat, & ex *lant* vel *land*, quod eſt terra vel regio: quam regionem pro *Hammolant* poſtea dictam eſſe puto *Hollandiam*. *Moilla* autem *Moila* vocatur in teſtamento Everardi Comitis & Giſlæ. *Judith autem volumus ut habeat curtem noſtram in pago Moila Heliſſem*. Eſt ejus nominis villa & Monaſterium Præmonſtratenſium apud Thenas opidum Haſbaniæ Brabantinæ, vulgò *Heyliſſem* ad Haſbam fluvium: quæ curtis & Abbatia ſi heic deſignatur, docet Comitatum & pagum *Moillam* vel *Moilam*, partem olim Haſbaniæ, & unum de quatuor ejus Comitatibus extitiſſe.

MOLINÆ BURBONENSIUM, ET ANGILBERTORUM.

Jotſaldus Monachus de Vita & virtutibus Odilonis Abbatis Cluniacenſis libros III. ante annos DC. compoſuit, & Stephano Epiſcopo ejus fratris filio dicavit, dignos qui publicentur: quos in codice Thuaneo ſcriptos legi, ex quibus Petrus Damiani epitomen fecit. Ibi ille, in libro ni fallor III. *Molinarum* meminit his verbis. *In extremo confinio Auguſtidunenſi Molinis eſt caſtrum, ſuper Aleris fluvium ſitum*. Hæ *Molinæ* ad flumen Elaver, quod ipſe *Alerim*, nos *Alier* vocamus, caput nunc pagi Burbonenſis in extremis finibus Æduorum, nomen videntur accepiſſe à molis aquariis ſeu hydromylis, quæ ibi multæ aquis fluminis circumagebantur: quas Gregorius Turonicus Epiſcopus præter ceteros cum alibi, tum in libri Hiſtoriæ III. capite XIX. ante annos MLXXX. *molinas* pro molis non dubitavit appellare. Ex multis pontibus fluminis Elaver, quos Vercingetorix interruperat ac reſciderat, unum refecit Cæſar, & celeriter effecto opere, legiones traduxit: ut ipſe in libro VII. tradit. Eum *pontem Elaveris fluminis* Samſon pro *Molinis Burbonenſibus* habet.

Sunt & *Molinæ Angilbertorum* in Ducatu Nivernenſi, Diœceſique Auguſtodunenſi, olim *Molins les Engirbers*, nunc *Moulins Engilbert* dictæ ab molis & *Angilbertis* loci dominis, qui & *Angelberti* ac *Engilberti* vocari poſſunt. Ejus caſtri meminere litteræ datæ anno MCCXCIV. *Caſtrum de Glana ſitum inter civitatem Æduenſem & caſtrum de Molinis Engilbertorum: Dou chaſteau de Glaine, aſſis entre la Cité d'Oſtum, & le chaſteau de Molins les Engirbers.*

MONASTERIOLUM.

Ordericus Vitalis in libro XII Hiſtoriæ *Monaſteriolum* & *Excalfurnum* vel *Eſcalfoium*, ut vicina in Neuſtria loca conjunctim appellat; quorum alterum eſt ad Carentonam flumen, vulgò *Monſtreuil l'Argille*, ſeu Monaſteriolum in Argilla cognominatum: alterum tribus à *Monaſteriolo* leugis diſtat, vocaturque *Eſchauffour*. Plurima autem ſunt ejus nominis loca in Galliis, cùm opidula & municipiola, tum vici: quibus omnibus & ſingulis à parvo aliquo Monaſterio vel Cœnobio vetere nomen videtur datum.

Eſt præ ceteris in Pictonibus caſtrum, *Monaſteriolum in Waſtina* cognominatum: quod Guillelmus Nangiacenſis in Geſtis Ludovici IX. Francorum Regis, *caſtrum Moſteriolum in Gaſtina* nuncupat.

MONASTERIOLUM AMBIANORUM.

Monaſteriolum memorat Frodoardus in Chronico ante annos DCC. vulgò *Monſtreüil*, *Anno* DCCCCXXVIII. *Herbertus & Hugo Monaſteriolum caſtellum Herluini, filii Hilgaudi Comitis obſident*. Caſtellum ergo fuit olim ad flumen Quantiam, cùm priùs vicus tantùm extitiſſet. Poſt multos quàm deceſſerat annos, tranſlatum eſt S. Salvii Ambianorum Epiſcopi corpus in *vicum Monaſteriolum*, ubi hodieque S. Salvii Monaſterium viſitur, *S. Sauve*: à quo parvo Monaſterio, quod ipſe vivus extruxerat, ac B. Mariæ titulo donaverat, & mortuus ſuis Reliquiis illuſtrat, locus (ut equidem exiſtimo) *Monaſterioli* nomen accepit. Legimus litteras E. *Abbatis B. Salvii de Monſterolo* ad Dominum Ludovicum Francorum Regem, ejus nominis VII. de *Burgenſibus Monſteroli*. Eſt eodem in loco & puellare Monaſterium S. Auſtrebertæ, Abbatiæ titulo clarum. *Monſteriolum vicum* Vita Salvii Ambianenſis Epiſcopi appellat. *Monſteriolum*, *Monſterolum*, ac *Muſterolum*, & *Muſterolium* corrupta ſunt nomina atque truncata, ſublatâ unâ aut alterâ litterulâ deductâ à *Monaſteriolo*, & in locum ejus ſubſtituta. Certè & Geſta Ludovici VIII. Francorum Regis vocant *Monaſteriolum ſupra mare, quod caſtrum Regis Franciæ eſt: unde & Bertæ Philippi I. Francorum Regis* uxori pro dote & domicilio poſt repudium à viro fuerat aſſignatum. Hariulfus in libri III. rerum Centulenſium capite XXII. ſimiliter *caſtrum Regium* vocavit ante annos ferè DC. *Arnulfus* (inquit) *Comes Flandrenſis multa inepta agere cœpit, captoque Monaſteriolo caſtro Regio, Pontivam provinciam propria ditioni ſubegit, & corpus S. Gualarici in Monaſteriolo caſtro, unà cum S. B. Richarii corpore ſervari præcepit*: & in capite XXIX. *Eſt vicus in pago Pontivo qui vocatur Monaſteriolus, ubi ipſe Sanctus Madelgiſilus Confeſſor à die ſui tranſitus quieverat*. Hic vicus vulgò *Monſtrelet* appellatur. Legi Chartarium S. Judoci ad mare, & in primis litteras anno MC. datas regnante Philippo Francorum Rege, in quibus *Guido Comes Monſteroli & Pontivenſium* dicitur, & *patrem ſuum Ingrannum, avum ſuum Hugonem* vocat. In litteris anni MCCIII. *Willelmus Comes Monſteroli & Pontivi*, *Alaidem uxorem ſuam, filiam Ludovici piiſſimi Regis Francorum*, id eſt Ludovici VII. *Mariam filiam ſuam, neptem Philippi Regis Franciæ* (Auguſti) nuncupat. Idem tamen *Wido* vel Guido *Comes Pontivenſis* aliis in litteris abſolutè dicitur, ut & hic *Willelmus Pont.*

venſium Comes in litteris anni MCCX. *VVillelmus Comes Pontivi & Monſteroli* in tabulis anni MCCXI. item in litteris anni MCCIV. *VVillermus Comes Monſteroli & Pontivi*, in litteris anni MCCV. *VVillermus Comes Pontivi. Maria Comitiſſa Pontivi & Monſteroli virum nobilem Symonem, quondam Comitem Pontivi & Monſteroli, dilectum maritum ſuum* nuncupat in litteris anni MCCXXXIX. *Matthæus Comes Pontivi & Monſteroli, & Maria ejus uxor Comitiſſa* nuncupantur in tabulis anni MCCXLIV. contrà in litteris anni MCCXLVIII. *Matthæus Comes, & Maria Monſteroli & Pontivi Comitiſſa.* Quibus ex titulis intelligitur Monaſteriolum, quod *Monſterolum* vocant, pro capite pagi Pontivi habitum eſſe, & titulo *Pontivi* plerumque præponi, rarò ſubjici; rariùs quoque omitti, & *Pontivi* nomine deſignari ac contineri conſueviſſe. In eodem Chartario *Abbatia virorum S. Salvii in caſtro Monſterolo*, & puellaris *Abbatia S. Auſtrebertæ de Monſterolo*, in litteris anni MCCXXXVIII. item *Eccleſia S. Firmini Martyris de Monſterolo*, in litteris Ingelranni Ambianenſis Epiſcopi datis anno MCXXIII. memorantur. *Communia Muſteroly*, & *Communia Montis Deſiderii* in rebus Philippi Auguſti, ſeu in enumeratione captorum apud Bovinas anno MCCXIV. memorantur: ex quo apparet Monaſteriolenſes & Montiſdeſiderienſes Majorem ſuum, & Scabinos ſeu Pares ſuos habuiſſe.

Vetus loci nomen in Chronico Fontanellenſi necopinans inveni. Hoc Chronicon, in Anſigiſi Abbatis morte ac Ludovici Pii Aug. principatu deſinens, publicavit Lucas Acherius V.C. in tomo III. Spicilegii anno MDCLIX. in quo Anſigiſus Abbas Fontanellenſis moriens multa variis Franciæ Monaſteriis legaviſſe dicitur, in primis *ad Reſbace Monaſterium (Rebais) libram unam & ſemis; ad Sanctum Salvium in Brago ſolidos X.* Ex quo colligo, eum locum primò *Bragum*; deinde à S. Salvii Monaſterio *Monaſteriolum* dictum eſſe. Idem Anſigiſus, ut hoc obiter dicam, Cœnobiis *Logio*, *Longogilo*, *Fontanido*, *Malardo*, *Vaſſi*, & *Mala Monaſterio* aliqua legavit: quæ nunc excepto *Fontanido* vel Fontaneto, ignota ſunt Monaſteria. *Bragum* autem, & *Bracum* unum nomen eſt: quod à cane venatico, id eſt à *bracco*, in veteribus Friſiorum legibus uſurpato, Germanice *brachen*, Noſtris *braque* dicto, deducendum videri poteſt.

MONASTERIOLUM BERLAII.

Quod plerique in Andibus *Monaſteriolum Berlaii* à parvo Cœnobio & à loci domino vocant, Ordericus Vitalis in libro X. Hiſtoriæ corrupto nomine *Monſterolum* appellat, *Berlaii de Monſterolo* mentionem faciens: quod cognomen locus hodieque ſervat. Dicitur enim *Monſtreul-Belai*. Gaufridus Monachus Claravallenſis in Vita Bernardi Abbatis, cujus diſcipulus & Notarius fuit, *Monaſterioli* mentionem fecit his verbis. *Virum nobilem Gerardum de Monaſteriolo, Rege Francorum prohibente, in munitiſſimo opido ſuo Comes (*Andegavenſium Gaufridus*) obſidens, comprehenderat cum uxore ac liberis, ipſamque diruerat munitionem. Monaſteriolum Muſterol* corrupto nomine nuncupatur in enumeratione Militum Vexillariorum Philippi Auguſti Principatu. Nam inter *Milites Andegaviæ* numeratur *Henricus de Muſterol. Berlaius* quidam inter Fulconis Andecavorum, Turonum & Cenomanorum Conſulis, qui poſtea Regnum Hieroſolymitanum nomine uxoris obtinuit, Milites numeratur in Geſtis Conſulum Andegavenſium circa annum I. V. MCX. & *Berlaius de Moſterol* nuncupatur. *Berlaius* alius, multo antiquior, litteris Gaufridi Comitis Andegavorum de Monaſterio S. Trinitatis apud caſtrum Vindocinum, datis *anno I. D.* MXL. *Indictione* VIII. *Regnante Henrico Rege anno* VIIII. præter ceteros Proceres ſubſcripſit poſt Albericum de Monte Johannis, *Monte-Jan*, Joſcelinum de S. Maura, Salomonem de Camilliaco, *Chemiké*, Salomonem de Lavarzino, N. de Monteaureo, Landricum de Balgenciaco, *Baugency*, Odonem Dolenſem, Heliam de Voluento, *Vouvent*; ante Hildebertum de Rupe, Symonem de Verruca, Arduinum de Rupibus, Nevelonem de Fractavalle, *Freteval*, & Albericum de Firmitate Auranni. Ibi ergo reperitur inter cetera *Signum Berlai*. Hic eſt forſitan *Berlaius*, à quo *Monaſteriolum* cognomen accepit.

MONASTERIOLUM SENONUM.

Monaſteriolum municipium poſitum eſt in Senonibus ad Icaunæ & Sequanæ confluentem, *Monſtereau Faut-Ionne.* A cœnobio S. Martini nomen habet: Unde à quibuſdam *Monaſteriolum S. Martini* appellatur. Gaufridus Claræ Vallis Monachus librum III & IV. de Vita B. Bernardi Abbatis cujus diſcipulus & Notarius fuerat, compoſuit, & in libro IV. eius loci mentionem fecit hiſce verbis. *Apud Monaſteriolum ubi Jona & Sequana confluunt, in pago Senonico*, &c. Meminit & liber Miraculorum S. Bernardi, & vocat *Monaſteriolum, ubi Jona fluvius in Sequanam influit.* Nonnulli truncato & corrupto nomine *Muſteriolum* ante annos D. appellavere. In libris XXIII. litterarum Capituli Eccleſiæ B. Mariæ Pariſienſis nunc *Monſterolium*, nunc *Muſterolum foris Jonam*, id eſt, extra Icaunam, in litteris anni MCCLIV. vocatur, necnon *Monſterolium in fur d'Eone*, & *Moſterolium in for diona* in litteris anni MCCLXXVI. *Monſterolum in furno Jona* in litteris anni MCCXXXVI aliàs *Monterolum in furno Jone.* Guillelmus de Nangiaco in Geſtis Ludovici Francorum Regis, eius nominis Noni, *villam Moſterolium en fort d'Ione* nuncupat. Tum ergo Noſtri *Monſtereau fors Yonne* cognominabant, id eſt extra Jonam vel Icaunam. *Foris* enim, quod extra ſignificat, Noſtris tum *fors* & *for* dicebatur, nunc *dehors* à *deforis*. Hinc forenſis burgus ſeu extramuranus, *Forſbourg*, qui nunc leniùs, ſed corruptè *Fauxbourg*: hinc forisfactum *forfait* pro crimine clam extra urbem, & procul ab

oculis hominum admiſſo; foriſbannitus *forbanni*, id eſt extrà relegatus; foriſcluſus, hoc eſt excluſus, *forclos*; foriſveſtitus *forveſtu*, id eſt pauper ambitioſus, qui ad purum corpus nudus ſit, & interiore tunica lineiſque femoralibus & caligis careat, extrà ſatis decenter veſtitus appareat. Quidam *Monſtereau au four d'Ione*, aut *Monſtereau four d'Ione* appellabant, *Monaſteriolum in furno Jonæ*, id eſt ad os Jonæ vel Icaunæ, *furno* pro ore fluminis metaphoricè uſurpato, quoniam furnus ore aperto & amplo eſſe conſuevit. Sic Noſtri os oſtiumve fluminis modò *Beccum*, id eſt roſtrum; modò *Buccam*; modò etiam *Heure*, id eſt foramen ſive os appellitant: *le bec d'Alier*, Elaveris & Ligeris confluentes; *bec d'Ambés*, amborum fluminum Durani & Garumnæ confluentes, *bouche Maine* Meduanæ & Ligeris confluentes; *emboucheure de Loire* oſtium Ligeris; *Heure Gave* Gaberi & Aturi confluentes in Vaſconia. Nunc *Monſtereau faut-Yonne* dicimus, hoc eſt Monaſteriolum ubi Icauna deficit, Sequanâ receptus. Ceterùm *Monſterolium*, *Moſterolium*, *Monſterolum*, *Muſteriolum*, & *Muſterolum* corrupta ſunt nomina, & in *Monaſterioli* locum pravè vitioſeque ſuffecta à linguæ Latinæ aut veri loci nominis ignaris.

Hoc opidum *Condate* olim dictum eſſe exiſtimo, quo nomine Galli veteres confluentem deſignâſſe creduntur. Certè in Tabula Peutingeriana *Condate* ponitur medium inter *Meteglum* & *Agetincum*; in Itinerario Æthici, in itinere à Carocotino Auguſtobonam, inter *Methetum* & *Agredicum* vel *Agedincum Condate* collocatur ſic; *Lutecia* M. P. XVIIII. *Metheto* M. P. XVIII. *Condate* M. P. XV. *Agredicum* M. P. XIII. Hodie autem ab urbe Lutecia Agedincum Senonum caput adverſis fluminibus Sequanâ & Icaunâ petenti occurrit *Melodunum*, *Methetum* aliis vel *Meteglum* dictum, deinde *Monaſteriolum*, priuſquàm Agedincum perveniat.

MONASTERIUM VILLARE.

In Chartario Fiſcamnenſi legi litteras, in quibus fit mentio *Philippi de Monaſterio Villari Clerici*. *Monaſterium Villare*, aliàs *Villare Monaſterium* à re nomen invenit. Eſt enim Cœnobium in *villa*, id eſt in vico, ſeu in villari poſitum. *Monaſterium* igitur *Villare* idem eſt, quod Monaſterium villanum vel vicanum. Vulgò *Montivilliers* in tabulis chorographicis corruptè pro *Monſtiervilliers* nuncupatur, locus in Diœceſi Rotomagenſi, Abbatiâ ſacrarum Virginum ſtatuta Benedicti ſervantium inſignis. Eſt in eadem Diœceſi *Marcaſium Radulfi*, Noſtris *Marche-rous* dictum corruptè pro *Marchais-Raoul* aut *Marcheroul*: uti caſtrum Radulfi in Biturigibus, *Chaſteau-Rous* pro *Chaſteau-Raoul* vel *Chaſteau-Roul* mendoſè enuntiamus & ſcribimus. Marcaſium Radulfi Monaſterium habet Præmonſtratenſium Monachorum, ſuo Abbati ſubjectorum.

MONS-ACUTUS.

Mons omnis, cujus vertex in acumen deſinit, à Noſtris vocatus eſt *Mons-acutus*: quo nomine multa ſunt loca in Gallia. Nam vicum aut caſtellum monti acuto exempli causâ impoſitum, Noſtri eodem quo montem ipſum nomine *Montem Acutum* appellavere. Eſt præ ceteris in pago Laudunenſi *Mons Acutus* opidum, ubi munimentum ædificaſſe dicitur Tetbaldus Comes. *Anno* DCCCCXLVIII. (inquit Frodoardus) *Lotharienſes Epiſcopi pergunt obviam Ludovvico Regi & Conrado Duci* (Lotharienſium) *in partes Laudunenſis pagi. Obſident igitur ibi munitionem, quam ædificaverat & tenebat Tetbaldus in loco qui dicitur Monſacutus: hoc etiam opidum oppugnantes, tandem non ſine mora capiunt.* Anno DCCCCXCIX. *Karolus Dux Montem-acutum expugnavit*, jam Lauduni potens: ut Sigebertus prodit in Chronico. Guibertus Abbas Novigenti *caſtellum Montiſacuti in Laudunenſi pago*, & *Rogerium Montiſacuti Dominum* appellat; incolas ejus *Montiacutanos*. Locus modico monti impoſitus, etiamnum vocatur *Montegu*, non multum diſtans ab urbe Lauduno, & Petriponte *Pierrepont*. Sugerius in Geſtis Ludovici Francorum Regis, *caſtrum quod dicitur Mons-acutus, validiſſimum in pago Laudunenſi* nominat, *caſtrum inexpugnabile; caſtellum Acuti-Montis*; item *Acutum-Montem* ibidem nuncupat. Eſt in extremis finibus Pictonum *Monſacutus* caſtellum *Monſagu* hodieque dictum; & *caſtrum Montacutum* Galliaco proximum, à Petro Monacho Vallium Cernaii memoratum, *Montagut*; aliud etiam in Comitatu Burgundiæ, *Montagu* vulgò dictum; aliud & in pago Burbonenſi *Montagut* appellatum à ſitu.

MONS ARGISUS.

Mons Argiſus à ſitu loci nomen accepit, *Montargis*. *Montes* autem Noſtri vocavere caſtella & opida in montibus poſita, additis variis cognominibus, quibus diſtinguerentur. Poſitum eſt hoc vel caſtellum vel opidum ad ripam fluminis Lupæ, proximamque habet ſilvam eiuſdem nominis, *la foreſt de Montargis*. Et *Montem* quidem *Argiſum* ſcriptores rerum Francicarum ante annos D. appellant, corruptè forſitan pro *Monte Argiſi*; ut *Montem Lethericum* pro *Monte Leherici*. Geſta Ludovici VII. Francorum Regis *Montem Argiz* vocant, quum *Renaudum de Monte Argiz* unà cum Ludovico Rege Francor. præter ceteros anno MCXLV. crucem aſſumſiſſe produnt. VVillelmus Britto in libro Philippidos X. *Montem Argi* vocat hoc verſu,

> Et quæ Moretum Montemque interjacet Argi.

Ludovicus Francorum Rex, eius nominis nonus, in teſtamento quod anno Domini MCCLXIX. menſe Februario fecit, ſimiliter *Montem Argi* nuncupavit. *Legamus domus ſororum S. Dominici juxta Montem Argi* XXX. *libras*. Sed quoniam *Argiſus* & *Argus* nomina non ſunt Francica, nec in Hiſtoriis noſtris uſquam reperiuntur; facilè crediderim *Argiſum* vel *Argum* appellationem eſſe propriam montis ipſius, & unà caſtri ei impoſiti; aut certè *Montem Argentiſi* primò dictum eſſe, quem recentiores *Montem Argiſi*, *Montem*

Argiſum

Argiſum, *Montem* etiam *Argi* truncato vocabulo nuncupaverint. *Anſegiſus* autem Senonum metropolis Epiſcopus, & Sedis Apoſtolicæ per Gallias & Germanias Vicarius, anno DCCCLXXVI. florebat principatu Caroli quem Calvum cognominant: à quo *Montem Anſegiſi* caſtrum conditum & cognominatum puto. Sublatâ unâ ſyllabâ, & litterâ n. in r mutatâ *Argiſus* ex *Anſegiſo* factus: ut ex bonna borna, *une borne*, ex cophino *un coffre*, ex pampino *pampre*, ex Diacono *Diacre*. Certe Mons hic eſt in Senonica Diœceſi, nec abeſt à civitate metropoli Senonum plus x. leugis, ſeu XXX. millibus paſſuum: itave ad Archiepiſcopum Senonum facile potuerit pertinere. *Montem Aragiſi* vel *Aregiſi* olim vocandum putavi, qui & *Arigiſus*, *Herigiſus*, *Arghiſus*, *Harichis*, *Arichis*, atque *Archis* appellatur. Sed poſtea ſententiam mutavi, propterea quòd *Aragiſus* vel *Aregiſus* nomen eſt uſitatum Langobardis Beneventanorum Ducibus, aliiſque; non autem Francis noſtris: apud quos *Anſegiſus* in uſu ſæpiſſime fuit.

Opidum Senonum Vellaunodunum, inter Agedincum Senonum & Genabum Carnutum poſitum, apud Cæſarem in libro VII. *Chaſteau-Landon* Samſon interpretatur, parva aliqua ſimilitudine nominum adductus; id eſt *caſtrum Nantonis*, quod Sugerius in libri de Geſtis Ludovici VI. Francorum Regis capite XVIII. *Caſtrum Landulfi* appellat. Ego *Vellaunoduni Senonum opidi* nomine *Montem Argiſi* à Cæſare potiùs deſignari arbitror, ut in Caſtro Nantonis ſcripſi.

MONS AUREUS.

Mons Aureus à Gaufrido Abbate Vindocinenſi in libri III. epiſtola XV. vocatur, locus vulgò *Montoire* dictus, Vindocino proximus. Ab eodem in libri I. epiſtola XIX. *Petri de Monte-Aureo* fit mentio. Caroli VII. Francorum Regis ad Sigiſmundum Ducem Auſtriæ epiſtolam ſcriptam legi, datam *Monte Aureo prope Laverdinum*.

MONS BARRUS.

Guillelmus Abbas Monaſterii S. Theoderici prope Remos, in capite I. libri I. de Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis, cuius æqualis fuit, ita ſcribit. *Bernardus Burgundiæ partibus, Fontanis opido patris ſui oriundus fuit. Pater ejus Tecelinus Miles; mater Aleth ex caſtro, cui nomen Mons Barrus. Fontanæ* nomen ſervant, dicunturque *Fontaines*: *Mons-Barrus* vocatur *Montbar* in quibuſdam tabulis *Monbard*: quod eſt caſtrum inter Sinemurum & Caſtellionem. Nonnulli *Montem Barri* vocant. Inter Burgundiæ Milites Vexillarios principatu Philippi Aug. tertius numeratur *Bernardus de Monte Barri*, à Duce Burgundiæ & Pontio de Granciaco tertius. Clarius in Chronico Senonenſis Monaſterii S. Petri Vivi *Montem Barrum*, & *Barrum Montem*, nonnumquam & *Montem Bardum* vocat, *Comitem de Monte Bardo* memorans: ut appareat ante annos ferè quingentos, vivo Clario, hoc caſtrum *Monbard* vel *Montbard* cum littera d dici ac ſcribi conſueviſſe.

MONS BERULFI.

Chartarium Ecoliſmenſis Monaſterii S. Eparchii evolui, in quo *caſtellania* (aliàs *caſtellaria*) *caſtelli de Monte Berulfo* memoratur. Nimirum *Montem Berulfum* Noſtri nonnumquam dixere, pro *Monte Berulfi*; ut *Montẽ Lethericum* pro *Monte Letherici*; *Montem Aroiſum* pro *Monte Aroiſi*, aliaque ſimilia. Quædam eius Chartarii litteræ vero & ſincero nomine *Montem Berulfi*; aliæ & *Montẽ Brunum* nominant: ex quo intelligitur, iam ante aliquot ſæcula nomen huius loci corruptũ fuiſſe, & pro *Montberoul* aut *Montberon Montbrun*, id eſt *Montem Brunum* vel Montem nigrum vocari occœpiſſe. In priſcis tabulis *R. de Monberol* reperio; in aliis *Signum Ricardi de Mumbru*, in chartario Monaſterii Ecoliſmenſis S. Amantii de Buxia vel Buxeria: ex quibus *Monberol* ad *Montem Berulfi* proximè accedit, ex eoque deductum eſt; *Mumbru* à *Monte Bruno* non recedit. Caſtellum *Mons Berulfi* in Diœceſi eſt pagoque Ecoliſmenſi, cellamque ſeu Prioratum S. Mauricii non ignobilem habet, adſidetque Tarduerę *Tardouere*, qui Rupem Fulcoaldi præterlapſus, in Carantonum effluit. Appellatio autẽ illa vitioſa, & tamen vetus *Montiſbruni* & *Monbrun* pro *Monte Berulfi* quoſdã in errorem induxit, eiſque perſuaſit *Montem Nigrum in Lemovicino* pago apud Gregorium noſtrum in libri IV. capite XVI. memoratum, eſſe *Montem Brunum* de quo loquimur: quod planè falſum eſſe, ex ſupradictis apparet. Nam licèt *brunus* Noſtris niger ſit, & *Monſbrunus Montem Nigrum* ſignificet; tamen conſtat caſtellum de quo ſermo eſt, *Montem Berulfi* à ſitu & à domino ſuo proprio & incorrupto nomine appellatum eſſe, nec niſi corruptè *Montem Brunum* nonnumquam dictum, & in pago Ecoliſmenſi poſitum fuiſſe cùm *Mons Niger* Gregorii in finibus Lemovicum extiterit.

Eſt & inter Durocortorum Remorum & Laudunum urbes locus *Monberon*, qui Latinè *Mons Berulfi* quoque nuncupatus olim videtur.

MONS BRISIACUS.

Montem Briſiacum inter *Artalbinnum* & *Argentoratum*, necnon inter *Vruncos* & *Helvetum* memorat Æthicus in Itinerario: ubi nonnumquam, ſed corruptè *Mons Bluſiacus* vocatur. *Briſiacum* igitur veteres, atque etiam à ſitu *Montem-Briſiacum* appellavere caſtrum ad flumen Rhenum: quod hodieque nomen priſcum ſervat. Dicitur enim *Briſach*. Liutprandus Ticinenſis Eccleſiæ Diaconus in libri IV. capite XIV. *Briſiacum caſtellum Briſecganne* nuncupari ab incolis ait, & deſcribit ſitum ejus hiſce verbis. *Eſt in Alſatiæ partibus caſtellum, Briſecganve patrio vocabulo nuncupatum: quod & Rhenus in modum inſulæ cingens, & naturalis ipſa loci aſperitas munit.* Certè hodieque Aleſatiæ ſuperiori

Briſiacũ attribuitur. Erat tamen Liutprandus. *Briſec* enim aut *Briſach* Briſiacum eſt Germanis, at *Briſegauvæ* Briſiacenſis pagus. Exſtat Valentiniani, Valentis & Gratiani AAA. lex ad Probum Præfectum Prætorio *data* III *Kalend. Sept. Briſiaci, Valentiniano Nobiliſſimo Puero & Victore C.ſſ.* in titulo XXXV. libri VI. Codicis Theodoſiani: item in libri XII. titulo I. altera, *ad Florentium Comitem S. L. data* XV. *Kal. Octob. Mantebri, Gratiano Nobiliſſ. Puero & Dagalaiſo Coſſ.* ubi corrigendum mihi videtur *Monte Briſiaco.*

Pagus Briſiacenſis vocatur *Briſigavia*, vulgò *Briſgavv*, trans Rhenum jacens, cui & *Friburgus* attribuitur, *Friburgus Briſigaviæ* cognominatus, ut diſtinguatur à *Friburgo Helvetiæ* inter Urbam & Bernam poſito. Incolas pagi agrive Briſiacenſi ſive Briſigaviæ, *Briſigavos* in Notitia Imperii Rom. appellatos reperio, in *Briſigavos juniores, senioreſque* diviſos: qui Briſigaviæ nomen dederunt, à Noſtris *le Briſgau* dictæ.

MONS BRUSONIS.

Mons Bruſonis, quem & nonnumquam *Montem Bruſonem* vocantur, *Montem Letbericum* pro *Mõte Letberici*; in Chartario Monaſterii Inſulæ Barbaræ ſæpe memoratur: cujus in variis tabulis, a Laboratore viro docto vulgatis, hæc legimus. *Lego hoſpitali S. Iohannis apud Montem Bruſonem pro anniverſario meo* VII. *ſolidos Fortium Lugdunenſium*: item, *Lego capellæ meæ S. Mariæ Montis Bruſonis* XXIV. *ſextaria ſiliginis. Hoſpitale* ergo ſeu Xenodochium *S. Iohannis* & *capella S. Mariæ* erant in Mõte Bruſonis. Erat ibidem *Eccleſia S. Andreæ* cum aliis, & *domus pauperum*, quæ forſitan à ſupradicto *Hoſpitali S. Iohannis* non differt. In quibuſdam litteris Barbarenſis Cœnobii *Eccleſiæ S. Andreæ Montis Bruſonis*, & *Eccleſiarum Montis Bruſonis*, & *domus pauperum Montis Bruſonis* fit mentio. *Decanus Montis Bruſonis*, item *N. burgenſi Montis Bruſonis* in litteris anni MCCXLVII. reperiuntur: qui locus ſemel tantùm in litteris G Comitis Nivernenſis & Forenſis anno MCCXXXII. datis *Mons Briſonis* vocatur. *Bruſo* autem vel *Bryſo*, *Briſous*, nomen viri proprium eſt, à quo caſtrum hoc vel opidulum nomen accepit, quod hodieque *Montbriſon* appellatur, in quibuſdam tabulis mendosè *Monbriſſon. Mons Bruſonis* eſt in pago Forenſi, quem ſuperiorem ſeu montanum vocant, *le Haut Forês*, & à Foro Seguſianorum ac flumine Ligeri vix II. leugis diſtat.

MONS CABILONIS.

In tabulario Fuſniacenſis Monaſterii ſæpe hic locus occurrit. Litteræ anni MCCXLIII. *Iacobum de Monte Cabilonis* commemorant: quem *Iaques de Monchanlon* litteræ anni MCCLXXIII. patriâ linguâ nuncupant. In litteris anni MCCLXXV. *Goberti de Monte Cabilonis* fit mentio. Inter Philippi Aug. vexillarios *Milites Cociaci*, id eſt Codiciaci, *Clarembaldus de Montchablon* numeratur. Igitur *Mons Cabilonis* in Picardia vulgò *Monchaulon* aut *Montchablon* dictus eſt; ut Cabilo urbs Æduorum *Chalon.*

MONS CAPREOLI.

In Chartario Abbatiæ S. Judoci ad mare, legi litteras *Balduini Caſtellani Heſdinii*, *Heſdinii caſtri* ibidem dicti, (*Heſdini*) datas anno MCCXII. *adſtantibus viris Nobilibus, Ingranno de Heſdinio, & Hugone de Monte Capreoli.* Principatu Philippi Auguſti inter Vexillarios Milites Boloniæ (ſic tum Bononiam vocabant) *Guillelmus de Montcaurel* numeratur; & inter Milites Veliocaſſinos, quos *Vulcaſſinos* vocant, *Iohannes de Monte Chevrel. Mons Capreoli* igitur olim dictus eſt Latinis ſcriptoribus, & ante annos CCCCL. patriâ linguâ *Montcaurel*, ſicut hodieque dicitur, locus caſtrumve in pago Bononienſi, Marchiæ titulo gaudens. Sed & *Mons Capreoli*, ſine dubitatione nuncupatus eſt Latinè alter locus vicuſve in Veliocaſſibus quem Noſtri vulgò jaminde à Philippo Aug. *Mont chevrel* appellarunt. Capreolus enim olim Noſtris erat *chevrel*, qui nunc *chevreul*. Picardis qui adſpirationes oderunt, *Caurel* dicere placuit.

MONS CONSULARIS.

Fulco Rechinus in Geſtis Conſulum Andecavorum IV nuper à viro doctiſſimo Lucâ Acherio publicatis, memoriæ tradidit Fulconem ejus nominis tertium, cognomine Nerram, avum ſuum maternum, præter cetera caſtella *ædificaviſſe in Pictavino pago Mirebellum, Montem Conſularem, Fatam*, &c. & Gofridum Martellum, ejus filium Conſulatuſque ſucceſſorem, *feciſſe duo prælia, unum apud Montem Conſularem contra Pictavos, ubi Comitem Pictavenſem apprehenderit; & aliud contra Cenomanenſes, ubi Comitem eorum ſimiliter ceperit Herbertum Baconum.* At in Geſtis Conſulum Andecavenſium, quæ Monachus Majoris Monaſterii poſt Fulconem Rechinum annis circiter XL. aut L. ſcripſit, *ad opidum quod Caput-Vultona dicitur*, (*Chef Boutonne*) VVillelmum Pictavenſium Comitem à Gaufrido Martello fuſum acie captumque eſſe invenio. Equidem *Montem Conſularem* arbitror eſſe *Moncontour*, vel potiùs, (ſicut ſcribi debet) *Mont-Contour*: qui locus nunc *Mons Contorius*, nunc *Moncontorium* nuncupatur in tabulis. Quod ut credam, facit non tam ſimilitudo nominum, (*Mont-Contour* enim ad *Montem Conſularem* proximè accedit, ſublatâ ſyllabâ pænultimâ, & ſ litterâ in t mutatâ) quàm ſitus. Certè à Fulcone Rechino *Mons Conſularis* in pago Pictavenſi *Mirebello* & *Fata* medius interponitur. *Mirebellum* autem *Moncontorio* & *Fata Vinoſa* in Pictonibus proximum eſſe conſtat, & inter utrumque caſtellum ferè medium. Denique *diu duravit bellum inter VVillelmum Comitem Pictavorum, & Gaufridum Martellum Conſulem Andecavorum, & multa mala in Andegavenſi pago & Pictavenſi perpetrata, ac per* IV. *annos*

tota terra circa Leſſiacum & Mirebellum, à Salmurio etiam uſque Pictavos vaſtata & deleta fuit, ut Geſta Conſulum Andegavenſium docent. Inter Mirebellum autem & Lauſdunum Moncontorium caſtellum jacet, clade olim VVillelmi Comitis Pictonum ac Ducis Aquitanorum, & anno MDLXIX. magna Calvinianorum cæde nobilitatum. *Robertus de Montecontorio* litteris Goffridi Martelli Andegavorum Comitis, pro Monaſterio Vindocinenſi datis, teſtis præ ceteris ſubſcripſit *anno* ML. *Indictione* III. *regnante Henrico Francorum Rege, anno imperii ejus* XIX. Goffridus, Abbas ejus Monaſterii, in epiſtola quadam queritur de *Petro de Montecontorio*, qui in Epiſcopatu Pictavenſi fratres ſuos cepit. *Moncontorium* alii uno nomine appellant; Rigordus *caſtrum Moncontor*, quod ait à Ludovico Regis Philippi filio maximo, *anno* MCCXIV. *per vim captum & ſolo adæquatum* eſſe. Beſlius Picto, vir doctus & rerum noſtrarum peritus, *Montcontour* Latinè *Montem Comitis* interpretatur. Sed cùm multa ſint ejus nominis loca, hæc ſingulis appellatio Latina planè convenire non poteſt. Eſt in Britanniæ Armoricæ Diœceſi Briocenſi *Mons Contorius*, inter Quintinum & Lambaliam, Cellâ vel (ut vulgari utar nomine) Prioratu S. Michaëlis clarus, *Moncontour*: vicus item *Moncontorium* cum Eccleſia Baptiſmali in Diœceſi Aletenſi ſive Maclovienſi, *Moncontur*: & vicus ad Ligerim non longè ab urbe Turonis *Moncontour*.

Moncontorium quidem ſuum ſeu Pictonicum rectè Beſlius *Montem Comitis* appellavit, qui à Fulcone Nerra, Comite Andegavenſium ædificatus atque munitus ſit. *Mons* enim *Comitis*, & *Mons Conſularis* vel *Mons Conſulis* una res eſt: *Comes*, & *Conſul* una res eſt, & Comites Andegavenſium (ne de ceteris loquar) *Conſules Andegavorum* à Noſtris plerumque ſunt nuncupati: & qui res geſtas eorum mandavit litteris, opus ſuum *Geſta Andegavorum Conſulum* inſcripſit. *Moncontorii* tamen Pictonici vulgarem appellationem, *Moncontour*, à *Monte Comitis* deducendam eſſe non puto, propterea quòd de ceteris ejuſdem nominis locis ſupra notatis idem dici ſimiliter deberet: idem tamen verè dici non poteſt, unumquemque olim *Montem Comitis* nuncupatum eſſe, & nunc corrupto *Montis Comitis* nomine vulgò *Moncontorium* ſeu *Moncontour* appellari.

Equidem pæne mihi perſuaſerim, omnium horumce locorum à *torno* appellationem deduci oportere. *Tornum* enim Noſtri *tour* vocant. Montes igitur exactè rotundos ac teretes, & quæcumque eis impoſita ac ſuperſtructa erant, vicos, caſtella, opida *Montes contorios* Majores noſtri appellavere, quaſi *Montes contornatos*, & ex omnibus partibus æqualiter velut torno rotundatos.

MONS CORNUTUS.

Mons Cornutus caſtellum in Teoracia, à figura montis cui eſt impoſitum, nomen invenit: quod hodieque ſervat, u litterâ in e converſâ. Dicitur enim *Montcornet*, aliàs *Montcornet en Tierache*, eſtque locus proximus Roſeto, *Roſoy en Tierache*. Legi Chartarium MS. Monaſterii Fuſniaci in Teoracia, ubi *Gilo de Monte Cornuto* in litteris anni MCCLVI. memoratur.

Eſt & alterum ejuſdem nominis caſtellum, à priore decem leugis diſtans, & cognomine ab eodem diſtinctum. Quippe *Mons Cornutus in Arduenna* nuncupatur, *Mont-Cornet en Ardanne*; quòd & monti bicipiti ſeu bicorni eſt impoſitum, quales montes Noſtri *Cornutos* appellitant; & adjacet ſilvæ Arduennæ, inter ipſum ac Rupem Regiam (*Rocroy*) ſitæ.

MONS DESIDERII.

Mons Deſiderii caſtrum olim fuit in finibus Ambianorum nobile, Raugæ proximum, à ſitu & à conditore Deſiderio dictum. Eſt enim ſummo monti impoſitum, ac vulgò *Mondidier* appellatur. VVillelmus Brito ejus meminit in libro II. Philippidos ante annos CCCCLX.

> Nam Deſiderii Mons, Roia, Nigella, Perona,
> Cumque ſuburbanis urbs Ambia ſub ditione
> Ejus erant.

Communiam Montis Deſiderii memorat enumeratio captorũ apud Bovinas anno MCCXIV. ut appareat ejus loci incolis ante annos CCCCLX. domum publicam, arcas communes, & Majorem ſuum ac ſuos Scabinos ſive Pares, leges demum ſuas fuiſſe. In litteris VVidonis Candavenæ, Corbeiæ Caſtellani, datis anno MCXCIX. vocatur *Mons Deſiderius*, in Chartario S. Petri de Lehuno. *Hoc factum fuit apud Montem Deſiderium in aula Domini Regis, præſentibus*, &c. *anno ab I.D.* MCXCIX. Ibi ergo ſua Regibus Francorum *aula*, domus ſua vel Palatium fuit, tamquam in opido claro & nobili.

Eſt & in Brexia vetus caſtrum ejuſdem nominis, *Montdidier*, in litteris anni MCCXCV. *caſtrum & villa Montis Deſiderii* dictum. *Montem* autem *Deſiderii* non male etiam quis *Montem Deſideratum* interpretari poſſit.

MONS DUBLELLI.

Qui locus Orderico Vitali in libro VIII. Hiſtoriæ *Mons Dublabelis*, & *Mons Dublel* vocatur; idem in libro X. *Mons Dublelli* nuncupatur. *Paganus* (inquit) *de Monte Dublabelis caſtrum Balaonem tenebat. Caſtrum Balao* eſt, ut exiſtimo, *Baillon* vel *Baillou*, poſitum inter Fractamvallem, *Freteval*, Montemque Dublelli. *Mons Dublelli* locus eſt in Pertico minore, vulgò *Montdoubleau* dictus.

Anno MXXXIII. litteris Goffridi Comitis Andegavorum teſtes ſubſcripſere *Bodellus*, & *Odo Dublelius*: in quibuſdam litteris *Hugo, filius Odonis Dublelli* nuncupatur. *Paganum de Monte Dublello* nonnullæ tabulę vocant quem ſuprà Ordericus corruptè *Paganum de Monte Dublabelis*. *Hugo filius Odonis Dublelli honorem Montis Dublelli à Comite Gaufrido* (vel Goffrido) *cognomine Martello accepit in Curia*

Baronum, Militum & legalium virorum, rogatu Hugonis patris, ejuſdem honoris domini; ut veteres litteræ docent. Ab *Odone Dublello* videtur hoc caſtrum *Montis Dubelli* nomen accepiſſe: *Montem Dublellum* quidam mendose vocant.

MONS FALCONIS.

Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta inter Glorioſos Reges Francorum Ludovicum & Carolum fratres, in portione Karoli memorat *Montem Falconis*, prope *S. Michaelis* Monaſterium. Vita quoque S. VVandregiſili, Abbatis Fontanellenſis, ejus meminit. Ibi quippe legimus, VVandregiſilum patriâ Verodunenſem *in loco qui dicitur Mons-Falconis, cum viro ſancto nomine Baltfrido non multo tempore habitaviſſe.*

Frodoardus tradit, Baldericum poſt Monaſterium puellarum Remis ædificatum, & Bovam ſororem ei præfectam, in loco *Monte Falconis* Cœnobium in honorem S. Germani ſtatuiſſe. Idem meminit ejuſdem in Chronico, in rebus anni DCCCCXLI. hiſce verbis. *Canonici Montisfalconis oppreſſione Virdunenſis Epiſcopi pragravati, deſerentes Cœnobium ſuum, corpus S. Balderici Patroni ſui deferunt Remis.* Hic *Mons falconis* à ſitu ita dictus, Monaſterium Monachorum primò, deinde Canonicorum habuit, S. Balderici tumulo ac patrocinio illuſtre in Diœceſi Remenſi, à flumine Moſa & ab urbe Veroduno IV. circiter leugis diſtans. Locus hodieque nomen ſervat. Vocitatur enim à Noſtris *Monfaucon*, aliàs *Montfalcon*.

Montem Falconis caſtrum Tranſmoſanum, *Fauquemont* Noſtris, Belgis *Valkenburg*, recentioribus Latinè *Falcoburgum* dictum, memorat Miræus, quod ſuos olim Comites habuerit.

Multa ſunt ejus nominis loca in Gallia. *Montem* autem *Falconis* Noſtri (ut credo) vocavere montem omnem humilem atque depreſſum & modicæ longitudinis, quem ob id falco continuo nec interrupto alarum motu tranſvolare poſſet. Conſtat certe falcones, quod eſt aquilarum genus, converſari in montibus, ibique nidificare.

MONS FORTIS AMALARICI.

Monsfortis, & *R. de Monteforti* ab Orderico Vitale in libro XI. memorantur: qui vicus à ſitu ita dictus, vocatur hodieque *Montfort*, poſituſque eſt ad Riſelam inter Pontem Andemari & Tetboldi villam. Multa ſunt ejus nominis loca in Gallia atque caſtella, in montibus arduis & aditu difficilibus naturaque ac opere munitis poſita, quæ ob id *Monte Forti* Noſtri nuncupavere. In primis *Mons-Fortis Amalarici* in Carnutibus, *Montfort l'Amauri*, à domino caſtri Amalarico Simonis filio cognominatus, *Princip mons* in Comitatu Madriacenſi quibuſdam creditus; *Mons-Fortis* in Cenomanis, *Mons Fortis* caſtrum in Petrocoris; *Mons Fortis* in Britannia minore, Orderico Vitali memoratus in libro XII. locus civitati Redonum proximus, *Montfort la Canne*.

Montem Fortem, qui *Amalarici* poſtea cognominatus eſt, munivit Rotbertus Francorum Rex ante annos DCI. *Ipſe firmavit Montisfortem, & Sparnonum*; ut noſtri Hiſtorici ſcribunt.

Mons-fortis Amalarici cognomen dedit Ducali familiæ *Montisfortiorum* in Britannia Gallicana: cujus familiæ caput fuit Johannes Britannorum Dux, Comes Richemundiæ & Montisfortis Amalarici, Vicecomes Lemovicum, Johannis alterius Ducis Britanniæ frater ac ſucceſſor, in Appendice Chronici Guillelmi Naugiacenſis dictus *dominus Johannes, Comes Montisfortis in Francia, frater domini Iohannis Ducis Britanniæ defuncti*: qui *Dux Britanniæ Johannes II. filius Ducis Arturi, frater Comitis Montisfortis in Francia* ibidem vocatur in anno Domini MCCCXLI. cùm à Genealogis noſtris Arturi II. filius, Johannes ejus nominis tertius Dux Brittonum appelletur, fraterque Johannis Comitis *Montisfortis*, quem ipſi Johannem eo nomine IV. Ducem Britannorum nuncupant.

Amalaricus vel *Amalricus*, qui *Montisfort* cognomen ſuum reliquit, à pleriſque Genealogis *Comes* vocatur, & Simonis *Comitis* filius: cùm à veteribus auctoribus, & præſertim in Chronico Mauriniacenſi *Emauricus Montisfortis Dominus* tantùm appelletur, item *Amauricus de Monteforti, poſt Palatinos Comites in provincia iſta vir excellentiſſimus, Amalricus*, & *Emauricus de Monteforti*: quo aſſumpto Ludovicus Rex deſignatus, Regis Philippi filius, Mauriniacenſe Monaſterium petiit, & litteris ſuper altare poſitis donum patris confirmavit: & qui dedicationi Baſilicæ Mauriniacenſis Cœnobii, à Calliſto PP. II. factæ, V. Nonas Octobreis anno MCXX. cum Ludovico Rege Francorum & Adelaide Regina, cumque VVillelmo Dapifero, Stephano Cancellario, multiſque aliis Francorum Proceribus & nobilibus viris interfuit, & *curiam* ſuam, ac *Pares* ſuos habuiſſe dicitur. Hunc *Amalricum de Monteforti, egregium Militem, Baronem potentiſſimum*; item *Baronem Amalricum de Monteforti, virum Marte jugi acerrimum*, necnon *militarem virum, & egregium Baronem Amalricum à Monteforti*, & *virum illuſtrem* in Geſtis Ludovici VI. Francorum Regis appellat Sugerius, & *uſque in Normanniam* dominatum eſſe ſcribit: patrem verò ejus *illuſtrem, & magni nominis Baronem, Simonem de Monteforti* nuncupat: neutrum *Comitem* uſquam nuncupat. At Simonem unum ex eorum poſteris, cui circa annum MCCIIX. belli Albigenſis à Catholicis Principibus ſumma commiſſa eſt, Petrus & Rigordus Monachi, Guillelmus Armoricus Preſbyter, Guillelmus de Podio Laurentii, ceterique *Simonem Comitem Montisfortis, nobilem virum & ſtrenuum, Amalrici Comitis* patrem, uno omnes ore appellaverunt.

MONS GOMERICI.

Qui *Mont Gommery* VVillelmo Gemeticenſi Monacho in libro VII. vocatur, idem

Mons Gomerici Orderico Vitali, Ivoni, & aliis dicitur, vulgò *Montgommery* vel *Mongomery*: quod eſt opidulum in finibus Lexoviorum, Comitatus titulo illuſtre.

MONS IN PASCUIS.

Mons in Paſcuis dicitur à Johanne Pariſienſi in Memoriali Hiſtoriarum hiſce verbis. *Rex Franciæ Philippus* (Pulcher) *apud Atrebatum venit, & inde Tornacum. dieque Jovis prima ante Aſſumtionem B. Mariæ Virg. cum exercitu præparato ad pugnam venit ad Montem in Paſcuis, Mons en Puele dictum ab incolis*: hoc idem alibi *bellum de Monte in Paſcuis* anno MCCCIV. vocat. *Mons in Paſcuis* à ſitu nomen accepit: eſt enim vicus in monte poſitus, paſcuiſque circumdatus; *Mons in Pabula* (quod idem eſt) aliis dictus. *In loco, qui Mons in Pabula nominatur*, ſe Flandrenſes acie viciſſe ſcribit Philippus Pulcher Francorum Rex in litteris datis anno MCCCIV. Annales Flandrenſes *Mons en Peuie* nuncupant; Annales Francici *Mons en Pouille*, utrique nomine à *Pabulis* deducto.

Pabula autem ſeu paſcua nomen dedere *pago Pabulenſi*, qui cum Auſtrebanto vel Auſtrovandia Flandriæ Gallicanæ attribuitur, vocaturque *Peule* ab incolis, vel *Peuele*, & pro capite habet Orciacum *Orchies*. *Pagum Pabulenſem* memorant litteræ Caroli Calvi, anno DCCCLXXVII. datæ. *Elnonem* quidam in eo pago ponunt, & Benedictinum *Monaſterium S. Amandi in Pabula* nominant, ac tribus leugis à Turnaco diſtare, Diœceſique Turnacenſi adſcribi affirmant. *Villam S. Amandi in Pabula*, III. *leucis à Valentianis diſtam unà cum Monaſterio* memorat quidam Chronographus in anno MCCCXLI. *Auſterbantum* verò Scarpo, Scaldi ac Senſeto fluviis clauſum, Buccinium *Bouchain*, *Lambros vicum*, Gregorio in libri IV. capite ultimo, & in Geſtis Regum Francorum memoratum, à Duagio parum remotum, atque Marcianas Monaſterio claras continet. Incolæ pagi Pabulenſis dicti ſunt *Pabulenſes*. Chronicon Aquicinctenſe in rebus anni MCXXCIV. cum *Duacenſibus Pabulenſes* ceu finitimos conjungit. Heic notandum eſt, ex nomine neutri generis quale pabulum eſt, nomen feminini generis, factum eſſe, nimirum *pabulam* à ſcriptoribus ſemibarbaris & linguæ Latinæ ignaris: qui *pagum Pabulenſem* ſæpiùs *Pabulam* dixere, & *Montem in Pabula*: quem *Montem in Pabulo*, aut *in Pabulis* nuncupari oportebat. Gregorius PP. IX. litteris datis anno MCCXXXVII. *apud Pabulam unum molendinum, Montes in Pabula, Vallem ſuper Sumibam fluvium, & Atteias* Atrebatenſi Monaſterio S. Vedaſti aſſeruit, & *terras Monaſterij liberas à gavelo* eſſe juſſit, hoc eſt à gabella. Monachus qui Gullelmi Nangiacenſis Chronicon ab anno MCCC. ad annum MCCCXL. perduxit, *Montem in Pabula* ſimiliter appellavit. Ex ſuperioribus intelligitur errare Samſonem Geographum Regium, quum *Pleumoſios*, à Cæſare memoratos, pago *Peule* in Diœceſi Turnacenſi & Flandria VVallenſi ſeu Gallicana nomen dediſſe ait.

Ceterùm *Mons in Paſcuis*, vel *Mons in Pabulis* meliùs & rectiùs Latinè dicitur hic locus, quàm (ut ſuprà apud Gregorium PP. IX.) *Montes in Pabula*, vel *in Pabulis*: licèt à Noſtris numero plurali nuncupetur *Mons en Pouille*, non *Mont en Pouille* numero ſingulari. Eadem enim ratione Sigebertus in Chronici anno MXI. & in anno MCXII. ac plerumque alibi *Montem Caſtrilocum*; raro abſolutè *Caſtrilocum* nuncupavit, opidum caput Hainoi, quod à Noſtris numero plurali *Mons en Hainau*, à recentiſſimis ſcriptoribus Latinis *Montes Hannoniæ* appellari ſolet; cùm nihilominùs & in libro Mirabilium rerum à Bernardo geſtarum *Mons* vocetur *caſtrum primum in provincia Hainoenſium*.

MONS JOVIS; ET CINISIUS.

Summus Penninus in Itinerario Æthici memoratur, in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, & inter Auguſtam Prætoriam Salaſſorum ac Octodurum ponitur ſic: *Auguſta Prætoria* M. P. XXV. *Summo Pennino* (vulgò mendosè legitur *S. Apennino*) XXV. *Octoduro* XXV. Hic *Summus Penninus*, uti ait Cluverius, vulgò vocatur Mons S. Bernardi, *Saint Bernhart*, aliàs *le Grand Saint Bernard*; Gallis *Mont-jou* aut *Mont-jeu*, id eſt *Mons Jovis*. *Montem Jovis* autem à fano aut à ſimulacro Jovis ei impoſito cognominatū eſſe puto. *Montem Iovis* vocant Noſtri *Summum Penninum*, vel *jugum Peninum*: uti *Alpem Cottiam* vel Cottianam *Montem Ciniſium*, *le Mont-Cenis*. *Montis Iovis*, & *Montis Ciniſii* meminere Geſta Pippini Regis ante annos nongentos, Regino, & ceteri noſtri Hiſtorici: qui & *Montem Ciniſium*, & *Ceniſium*, & *Montis Ciniſii aſperos & flexuoſos anfractus* appellant.

MONS LUPELLI.

Caſtrum eſt vel municipiolum in pago Dumbenſi *Mons Lupelli*, Noſtris *Montluel* vulgò dictum, in multis tabulis *Montluet* mendosè pro *Montluel*. Littera enim l à Noſtris in t converti non ſolet. *Mons Lupelli* in litteris anno MCCXVII. & in aliis anno MCCC. datis memoratur. In litteris anni MCCXXVI. legimus: *Signum domini Humberti Montis Lupelli*. Polyptycha Monaſteriorum Galliæ celebriſ ſeu *Prioratus Montis-Lupelli in Vallebona* mentionem faciunt, Diœceſique Lugdunenſi locum attribuunt. Abeſt ab urbe Lugduno millia paſſuum circiter VII. *Mons-Lupelli*, à flumine Rhodano vix tria: cui caſtro ſitus nomen dedit; dominus caſtri cognomen. Quippe apud Noſtros *Lupentius*, *Lupicus*, *Lupus*, & ὑποκοριστικῶς *Lupellus* nomina virorum fuere propria. *Lupulum* Medici vocant, ex quo cerviſia conficitur, quem nos *houbelon*.

MONS LUZONIS.

Montem Luzzonis vocat Rigordus in Geſtis Philippi Aug. anno MCXXCVIII. *Rex Pa-*

Iuellum, & *Monteſerium*, & *Caſtelletum cepit*, & *Rupem Gondebaldi* & *Cullencum* & *Montem Luzzonis*. Ubi *Paluellum* vel *Paludellum* eſt *Paluau* ad Andriam, *Monteſorium* eſt *Mont-Treſor*; *Caſtellio* eſt Caſtellio ad Andriam, *Chaſtillon ſur Indre*; *Cullencum* eſt *Culanc*, correptè dictum *Culant*; *Mons Luzzonis* eſt *Mont-Luçon*, caſtrum Caro flumini impoſitum, non procul ab Aquis Neri. *Montem Luzonis* nuncupat Guillelmus Armoricus in rebus Philippi Aug. Franc. Regis, quas ſoluta oratione deſcripſit, & in Philippidos libro III. De *Luzzone* vel *Luzone Luzon* vel *Luſon* fieri debet, non *Luçon*, de *Monte Luzzonis* aut *Luzonis Montluzon* aut *Montluſon*. Niſi ſi Rigordus & Guillelmus *Luzonem* pro *Lucione* dixerunt. *Luzzonem* quidem ſive *Luzonem*, nomen viri proprium nuſquam memini reperire.

MONS MAURILIONIS.

Mons Maurilionis à Maurilione aliquo, homine Romano vel Gallo, conditore & domino ſuo nomen invenit: *Mons Maurelionis* Orderico Vitali in libro VIII. Hiſtoriæ dictus, vulgò *Montmorillon*: quod eſt caſtrum in finibus Pictonum poſitum ad ripam Vartimpæ qui Croſâ recipitur. Eſt & *Mons Maurilionis* in Seguſianis pagoque Forenſi, quem ſuperiorem vocant, *le haut Forez*, à flumine Ligeri & Rodumna Seguſianorum opido IV. circiter leugis diſtans, *Montmorillon*.

Maurilionem autem veteres dixere, recentiores *Maurilium*: uti Severus Sulpicius de Vita S. Martini *Brictionem* non ſemel vocat Epiſcopum Turonorum, quem Gregorius ceterique *Brictium*. Noſtra quoque lingua dum varias nominum Latinorum terminationes ſequitur, ex uno nomine duo feciſſe nonnumquam videtur, nunc ex *Maurilione* e. c. *Morillon*, nunc ex *Maurilio Morille* faciendo; ex Brictione *Briçon*, ex Brictio *Brice*. Certè unius ejuſdemque Beatiſſimi Epiſcopi Turonici, S. Martini ſucceſſoris, nomen ferunt loca præ ceteris duo: quorum alter vocatur caſtrum S Brictionis, *Saint Briſſon*; alter in agro Pariſiaco vicus S. Brictii, *S. Brice*.

MONS MEDIANUS.

Eſt in Lemovicibus locus, *Mons Medianus* dictus Latinâ linguâ, noſtrâ *Miegemont*, quod ſit poſitus in monte medio inter alios duos. Litteras Agumberti, *datas anno* VII. *quo Ludovicus Rex* (Tranſmarinus) *capit regnare*, legi in Chartario Bellilocenſis Monaſterii, in quibus ſic loquitur. *Res proprietatis meæ, quæ ſunt in orbe Lemovicino, in Vicaria Aſuacenſe, in loco cui vocabulum eſt Monte Mediano*. *Miegemont* vocabulum ex *Medio monte* deductum. Eſt in Lucimburgenſi Ducatu caſtrum montanum, Chari fluvio (*Chier*) proximum, *Montmédy* vulgò nuncupatum: quod Latinè *Mons Medius* dici poſſe videtur, quoniam inter duo alia caſtella, Jameſium *Iamets* & Fractam *la Frette*, poſitum eſt. Niſi quis malit *Montem Meridianum* appellare, quòd ad meridiem ſpectet; aut ab aliquo caſu *Montem Maledictum*. Meridiem *Midy* vocitant Noſtri, quod ad *Medy* proximè accedit. Maledictus Noſtris eſt non *maudit* modò, ſed etiam *meſdit*: quod à *Medy* non valde recedit.

MONS MIRABILIS.

Mons Mirabilis locus eſt à noſtris Hiſtoricis ſæpe memoratus. A re nomen habet. Eſt enim caſtrum monti qui fluvio imminet impoſitum in Briegio, medio inter Pruvinum & Caſtellum Theodorici loco. *Montmiralle* Noſtri vocant; quidam *Montmirail* ſcribunt ac proferunt. Ejus præter ceteros meminit Guillelmus, Cœnobii S. Theoderici ad urbem Remos Abbas, in libri I. de Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis capite XI. *Illuſtrem juvenem VValtherum de Montemirabili norunt multi*. Inter Campaniæ Milites Vexillarios, regnante Philippo Aug. *Dominus Montis Mirabilis* numeratur: item *Johannes de Monte Mirabili*, ibidem *Iohannes de Montemirelli* dictus.

Eſt & *Monſmirabilis*, *Mon-miral*, unus è Baronatibus Pertici Goëti: præterea in Petrocoris ad flumen Viſeram *Mirabilis mons*, *Miraumont*; item in ſuperiore Arvernia vel montana *Mirabilis Mons*, caſtrum monti inſidens, *Miramonts* vulgò dictum.

Invenio *Hugonem de Mirabili Monte*, qui & *Hugo de Miralmont*, & *Hugo de Miraumont* dicitur, inter Milites & Armigeros Philippi Aug.

MONS PENSATUS CASTELLUM.

Chartarium Cadurcinæ Eccleſiæ eius loci ſæpe meminit, quem nunc *Montem Penſatum* ſincero & incorrupto nomine; nunc *Montem Peſatum*; *Monpeſat* quoque & *Montem Peſat* corruptè appellat: *prope mœnia ipſius caſtelli de Montepeſat*. Duæ litteræ *Montem Peſadum* nuncupant; Chronicon Simonis Comitis Montisfortis, quod in anno MCCCXI. deſinit, *caſtrum Montem Piſatum in Diœceſi Aginnenſi* vocat, & à Cruceſignatis funditus erutum exciſumque eſſe tradit; quod caſtrum non in Nitiobrigibus, ſed in Cadurcis poſitum fuiſſe, ac etiamnum eſſe conſtat. Certè id docent tabulæ præ ceteris, id Innocentii PP. VI. litteræ, anno MCCCLV. datæ teſtantur, quæ *Andream de Marſo Decanum*, & *collegium Eccleſiæ S. Martini de Monte Penſato Caturcenſis Diœceſis* memorant. Vulgò *Monpeſat* vocatur: plerique *Monpezat* ſcribunt, morem Noſtrorum ſecuti, litteram ſ inter duas vocales leniter ut zeta proferentium. Pendere autem vel *penſare*. Nos *peſer* dicimus. *Montem Penſatum* igitur vocavere Noſtri, montem rei alicuius in ſtatera ſuſpenſæ & lancem in qua penditur implentis ſimilem, ſenſim ab imo creſcentem; celſum ac elatum, verrucæ penſili, & *verruca* caſtro quale à Caſſiodoro Senatore deſcribitur, parē, ex omnibus partibus æqualiter pendentem. Eſt & in Volcis Arecomicis non procul ab urbe Nemauſo alter eiuſdem no-

minis locus, qui *Monpezat* vulgò dicitur, nec aliter quam *Monſpezatus* Latinè vocandus videtur.

MONS PESSULANUS VOLCARUM ARECOMICORUM.

Locus magis inſignis quàm vetus, ac vix ulli ante annos ſexcentos celebratus, *Monſpeſſulanus* ſedes eſt Epiſcopatûs Magalonenſis, quæ ſedes Magalonâ eò tranſlata eſſe dicitur anno MDXXXVI. permiſſu Pauli PP. III. ac Franciſci I. Francorum Regis propter latrocinia ac prædationes piratarum, à quibus tutior Magalonâ inſulâ *Monſpeſſulanus* videbatur. Abeſt autem *Monſpeſſulanus* ab inſula Magalona v. circiter millia paſſuum, quod opulentiſſimum opidum Volcarum Petrarcha nuncupat, nec multum abeſt à flumine Ledo, *le Lez*. Habet præter ceteras portam Latarenſem *la porte de Lates*, quà caſtellum Latara petitur, *le Chaſteau de Late*, vel *tour de Late*. Quidam *Montempeſſulum* appellant; Geſta Dei per Francos & veteres tabulæ *Montempiſterium* & *Montem Peſterium*; nonnulli *Montem puellarem* aut *Montem puellarum*: Noſtri vulgò *Montpellier*, aut *Montpeſlier*.

Dominos *Monſpeſſulanus* illuſtres habuit, in quibus & Reges Aragonenſium fuerunt: de quibus cùm multi alii, tum inprimis Guillelmus de Podio Laurentii in capite XI.

Magalonenſi ſeu *Montiſpeſſulanenſi* Diœceſi continentur præ ceteris Magalo vel Magalona; *Monſpeſſulanus*; caſtellum Latara, *Lates* vel *tour de Late* vulgo nunc dictum; Frontiniacum vino celebre, *Frontignan*, Fabricæ, *Fabregues*; Vicus, Lauretum, Lunate, aliàs Lunellum, *Lunel*; Melgorium, Comitibus olim ſuis ac moneta ſui nominis illuſtre, *Melgueil*; Aniana ſive Anianum, Monaſterio cognomine nobile ante annos DCCCLX. & Sextatio olim nobilis, nunc deſertus locus.

Sextatio locus arduus & vetus, à *Monteſpeſſulano* mille paſſibus abfuit, vulgò *Sonſtancion* dictus, in tabula Theodoſiana & in Itinerario Æthici memoratus: quem Itinerarium Hieroſolymitanum *Soſtantionem* corruptè vocat, ut *Sextantionem* quidam Theodulfus in Parænesi ad Judices *Sextationem* rectè nuncupat, & *ſcabris podiis*, id eſt montibus *circlum* eſſe ait. Hoc magni olim nominis opidum, & Comitivæ cognominis caput *Monſpeſſulanus* exhauſit. In teſtamento Guillelmi de *Monteſpeſſulano* anno MCXLVI. *villa Sostanſion*, & *Suſtantio cum Epiſcopatu Suſtantionenſi* memoratur; *villa Suſtancio* in litteris anni MCLXXVII. vicus nunc ſemirutus.

In ea urbe jam ante annos DXXX ſtudia litterarum, ac in primis Medicinæ floruiſſe, docet epiſtola CCCVII. Bernardi Claravallenſis Abbatis ad D. Oſtienſem; in qua de Archiepiſcopo Lugdunenſi quem *dominum Lugdunenſem* vocat, ſic ſcribit. *Stratâ publicâ cum turba peregrinorum tamquam unus ex illis pervenit ad S. Ægidium: cùmque infirmaretur, pertranſiit uſque ad Montempeſſulanum: ibi aliquamdiu commoratus cum Medicis, expendit & quod habebat & quod non habebat.*

Ibi etiam balnea infirmis ſalubria, ſive aquæ ſalutares fuere. Guillermus *Montiſpeſſulan.* dominus anno MCLVI. *balnea Montiſpeſſulani cum ſuis reditibus*, & cum caſtris Monteferrario & Piniano Mathildi ſponſæ propter nuptias donavit.

Portus *Montiſpeſſulani Latara* fuit, *caſtellum Mellæ* memoratum, *Lata* à recentioribus dictum. ut docet ſemel atque iterùm Rogerius Hovedenus his verbis. *Prope Magalonam eſt portus de Monteſpeſſulano, qui dicitur Lates.*

MONS PICIONIS.

Montem Picionis vel *Pincionis* memorat Ordericus Vitalis in libro XI. Hiſtoriæ, quem prope Curceium, & Caſtellum Guntherii ac Furcas ponit, itaut planè videatur eſſe *Montpinſon* in Cenomanis, non procul à flumine & opido Meduana.

MONS PILIGARDÆ CASTRUM.

Adſo, qui & Hermiricus, Abbas Luxovienſis ante annos DCC. floruit, & de Miraculis S. VValdeberti Abbatis Luxovienſis librum compoſuit, cujus in libri capite XIX. de eo caſtro ſic meminit. *Huic itidem loco* (Luxovio) *caſtrum cernitur eſſe contiguum, quod priori tempore Montem Biliarda novimus eſſe cognominatum. Hujus opidi incolam nomine Vitonem*, &c. Adſo igitur *Montem Biliarda caſtrum*, atque etiam *opidum* nuncupat; Hermannus Contractus in Chronico, Adſoni ſuppar, *Montem Piligarda caſtellum*; Origines Murenſis Monaſterii *Mimpelgard*. Recentiores, in his Marlianus, *Montem Belicardi* appellant. Vulgò *Montpelgart* dicitur, Noſtris *Montbeliard*: quod nunc eſt ex caſtello opidum munitiſſimum in Comitatu Burgundiæ, caput Comitatûs cognominis.

MONS REGALIS.

Montem Regalem Noſtri appellavere, caſtellum in Monte à Rege aliquo conditum: quemadmodum in finibus Pictonum locus à Fulcone Nerra, Conſule vel Comite Andecavorum in monte ſtatutus ac munitus, (ut Fulco Rechinus ſcribit) *Mons Conſularis* eſt dictus, ob idque à Johanne Beſlio rectè *Mons Comitis* nuncupatur, id eſt *Mons Conſulis* vel *Conſularis*, quem vulgò *Moncontorium* appellitant. *Mons Regalis caſtrum* eſt *in Carcaſſonenſi Diœceſi*, ut Petrus in libri de bello Albigenſi capite III. tradit. Nunc *Mont-Real* dicitur. Eſt & *Mons Regalis* caſtellum in Æduenſi Parœcia ſive Auguſtodunenſi, priſcis tabulis memoratum, nunc in vici formam redactum, non longè ab Abalone, *Monreal*. Eſt in Comitatu Convenarum inter præcipua opida *Mons Regalis*, vulgò *Moregan* nomine iis litteris truncato appellatus, quibuſdam in tabulis *Mourigant*, corruptè pro *Mourigan*. Regalis Noſtris eſt *Rigau*, vel *Regau*, ut palus *pau*, malus *mau*. *Montem Regalem* ſuum, *Montreal*, habet quoque Novempopulana ſeu Vaſconia non procul à Condomio & Neraco. Nec pagus Albigenſis *Regali*

Monte citet, quem *Realmont* nuncupat. Eſt & ſuus Bellovacis *Regalis Mons* prope Bellum Montem. *Reaumont*; ita dictus à Regio & egregio Monaſterio, quod ibi Ludovicus ejus nominis IX. Francorum Rex anno MCCXXX. condidit, cùm antea *Cuimont* appellaretur: ut Guillelmus Nangiacenſis prodit, qui & *Montem Regalem* nuncupat. Nimirum *Montem Regalem*, & *Regalem Montem* promiſcuè locum eum vocitavere Latini ſcriptores. Et *Montes* quidem *Regales* aliqui dicti ſunt à Regum operibus, aut munitionibus; non omnes tamen: quod quidem nobis appareat, aut probari certis argumentis poſſit. Quoſdam enim *Montes Regales*, aut *Regales Montes* à Majoribus noſtris nuncupatos eſſe exiſtimo, quaſi montes Regibus ſeu Regum domicilio dignos, montes more Regum eminentes & celſos, qui ut Reges potentiâ ceteris mortalibus, ſic ipſi vicinis montibus altitudine antecellerent.

Sicilia habet ſuum *Montem Regalem*, qui inter tres metropoles inſulæ ſecundum locum obtinet: habet & Pruſſia Ducalis ſuum *Regalem Montem*, ſcholis publicis nobilem, *Konigeſberg* Germanicè dictum, quem pro *Regio Monte Regiomontium* barbaro nomine recentiores nuncupant.

MONS RELAXUS.

Montem Relaxum Latini rerum Britannicarum ſcriptores appellant opidum Britanniæ minoris ſive Ciimarinæ aut Armoricanæ in monte poſitum, in ea provincia clarum ac frequens: quod olim *Mont-relais* vocitabatur ab incolis, vocabulo vulgari ad nomen Latinum loci proximè accedente. Certè Rogerus Hovedenenſis in rebus Henrici II. Anglorum Regis & anni MCXXCVII. *caſtellum de Muntrelais in Britannia* nuncupat, id eſt *de Monte Relaxo* vel *Monte Relaſio*. In litteris datis anno MCCCXV. *Guillot de Mon-relays* memoratur. Ex *Montrelais* Noſtri contracto nomine fecerunt *Monrelais*, deinde *Morlais*, quæ appellatio nunc in uſu eſt. *Vorganium* Ptolemæi, urbem Oſiſmiorum, eſſe *Morlaſium* ſeu *Morlais* noſtrum Cambdenus aſſerit: cujus ſententiæ accedere non poſſum. Nam Ptolemæus in enumeratione urbium Galliæ noſtræ, capita Gentium ſola commemorare conſuevit, quæ poſtea ſedes Epiſcopatuum fuere. At *Morlaſium* Oſiſmiorum quidem eſt, ſed vetus opidum non eſt, nec umquam ſedem Epiſcopalem obtinuit; cùm tamen in Oſiſmiis tres ſint Antiſtitum throni. In Polyptycho quodam reperio Eccleſiam S. Melanii Baptiſmalem ſeu Parœcialem *in Monte Relago* Diœceſeos Leonenſis, quales Eccleſias vulgò *Curas* vocitant. Ubi legendum eſt *Monte Relaxo*, unâ litterulâ mutatâ.

Montem porrò *Relaxum* dixere Majores noſtri, quaſi *Retrolaxum*, qui retrò ſive à tergo quàm à fronte apertior eſſet & latior laxiorve: uti *Montem Reverſum* in Brexia, locum Comitatûs titulo illuſtrem, quaſi retroverſum, qui retro verti videretur: quem *Montrevere* corruptè pro *Montrevers* appellitant incolæ.

MONS REVELLI.

Apud Ordericum Vitalem in libro XI. Hiſtoriæ memoratur *Mons Revelli* in Andicavis: qui locus hodieque in Andibus nomen retinet. Nuncupatur enim *Montreveau le Petit*: ſituſque eſt inter Bellum Pratellum. *Beaupreau*, & *Glommam* Monaſterio & appellatione S. Florentini Florentiive nobilem, *Saint Florent*. *Montem Rebellem minorem* litteræ veteres & Polyptycha Monaſteriorum etiam nuncupant, quibus in Polyptychis *Prioratûs B. Mariæ de parvo Monte Rebelli in Epiſcopatu Andegavenſi* fit mentio. Ex quo intelligitur, & alterum ejuſdem nominis *Montem Rebellem* extitiſſe, qui major eſſet, & *Majoris* cognomine ab altero diſtingueretur. Ceterùm cùm *Mons Revelli* vocetur ab Orderico, ſcriptore diligenti, & *Mons Rebellus* in quodam polyptycho: exiſtimo loco nomen non à rebellione, ſed à domino ejus eſſe quæſitum, & *Montem Revelli*, vel *Montem Rebelli* aut *Rabelli*, non *Montem Rebellem* nuncupari oportere. *Rabellus* enim, *Rebellus*, & *Revellus* unum idemque nomen eſt, a in e, & b in u ex more commutatis. Liber de Geſtis dominorum Ambacienſium *Reginaudi Rabelli* meminit. Certè Nicolaus Epiſcopus Andegavenſis in Synodo Pentecoſtes, anno Domini MCCXXCII. habita *Montem Rebelli* vocat. *Decanus* (inquit) *de Maugia in duobus locis tantùm, videlicet apud S. Crucem de Rupeforti, & apud Montem Rebelli, cauſas & placita audiet & tenebit, & duos tantùm apparitores habebit.* *Maugiam* ergo tum ſibi vindicabat Epiſcopus Andegavenſis, & in ea Decanum habebat ſuum: cùm *pagum Medalgicum* ſive Maugiam *Pictavenſi Præſuli ſubjacere*, Carolus Calvus in litteris ſuprà à nobis relatis affirmet.

Inter Vexillarios Milites Turoniæ Philippi Aug. Principatu, numeratur *Rollanaus de Monte Revel*, ſeu *de Monte Revelli*: qui eſt fortè locus *Monrouveau* ad flumen Ldericum.

MONS SELEUCUS.

In Itinerario Æthici, in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam, inter Vapincum & Deam Vocontiorum *Mons Seleucus* & *Lucus Vocontiorum* occurrunt ſic. *Vapinco* M. P. XII. *Monte Seleuco* M. P. XXIII. *Luco* M. P. XXVI. *Dea Bocontiorum* M. P. XII. Ubi *Mons Seleucus* eſt omnino locus vulgò dictus *Monſaleon*. *Lucus* autem *Vocontiorum municipium* Tacito in libro I Hiſtoriarum celebratus, & Plinio *Lucus Auguſti* dictus, qui & *Vocontiorum civitatis fœderatæ duo capita Vaſionem & Lucum Auguſti* memorat, nihil hodie præter nomen retinet. Eſt enim ut obſervo, vicus exiguus, *Luc* vocatus, in lacum demerſa quondam majore ſui parte truncatus: qui duabus tantùm leugis à Dea Vocontiorum diſtat, & *caſtrum de Luco* dicitur in litteris datis anno MCCCXIX. ac Deenſi agro attribuitur, vulgò *la terre & ſeigneurie de Luc en Diois*.

Mons Seleucus à Socrate mendosè *Milto-*

ſeleucus

ſeleucus vocatur, Μεντισέλευκος, pro Μοντισέλευκος, à Sozomeno *Montioſeleucus*, Μοντισέλευκος: abeſt Lugduno millia paſſuum CLIII. Viennâ CXXX. Valentiâ XXCII.

MONS SORELLI.

Mons Sorelli ab Orderico Vitale in libro X. Hiſtoriæ memoratur, locus in confinio Andicavorum & Turonum, Comitivâ inſignis, domini quondam ſui nomen ferens ad Ligerim, vulgò *Montſoreau*. Inter Philippi Aug. vexillarios Milites Turoniæ *dominus de Monte Sorel* numeratur. Montes autem Noſtri vel Motas appellare conſueverant caſtella in montibus poſita, adjuncto nomine conditoris aut domini. Cui rei indicio ſunt *Monsfortis Amalarici*, *Mons Baſonis*, *Mons Sorelli*, *Mons Dublelli*, *Mons Budelli*, *Mota Galtery*.

MONS TARENSIS.

In Chartario Monaſterii Lehunenſis S. Petri legi litteras, in quibus *R. Decanus Montis Tharenſis* memoratur: alias item litteras Philippi Epiſcopi Bellovacenſis reperi, anno MCCXVII. datas, in quibus *Mons ad Tharam*, & *Mons Thara* nuncupatur. Fluvius hic *Tara*, cujus nomen cum adſpiratione ſæpe ſcriptum invenitur priſcis in tabulis atque codicibus, inque Annalibus Bertinianis, *Thara*, à Noſtris *Taire* olim dicebatur; nunc *Terin* dicitur. Unde caſtellum *Mons Tarenſis*, vel *Mons ad Taram*, vulgò *Mont-a-Taire* hodieque appellatur, non *Mont a Terin*. Poſitum eſt hoc caſtellum in Bellovacis non longè à caſtro Credilio, *Creil*, ad Taræ & Iſaræ confluentes.

MONS THESAURI.

Mons Theſauri dictus eſt locus in pago Turonico, non quòd ibi theſaurus aliquando repertus ſit, cùm caſtellum conderetur; ſed quòd ad majorem Eccleſiam Turonicam B. Mauricii Mart. pertineret, ut docent Geſta Conſulum Andegavenſium his verbis. *Opidum quod Mons Theſauri dicitur, quia de theſauro B. Mauricii erat.* Fulco Richinus in libello de Conſulibus Andicavenſibus majoribus ſuis, quem Lucas Acherius V.C. nuper publicavit, *caſtellum Montem Theſauri* à Fulcone Nerra avo ſuo præter cetera ædificatum eſſe tradit. *Ipſe adquiſivit Cenomanicum pagum, & adjunxit eum Andegavino Conſulatui; & ædificavit plurima caſtella in ſua terra, quæ remanſerat deſerta & nemoribus plena propter metum paganorum.* (Nortmannorum) *In Turonico ſiquidem pago ædificavit Lingiam,* (id eſt Alingaviam vel Lengiacum, *Langey*) *Calvum Montem*, (*Chaumont* non longè ab Ambacia & Rilliaco *Rille*) *Montem Theſauri, Sanctam Mauram; in Pictavino Mirebellum,* (*Mirebeau*) *Montem Conſularem, Faiam,* (*Faye la Vineuſe*) *Muſterolum, Paſſavantum,* (*Paſſavant*) *Malum Leporarium:* (*Mau-levrier*) *in Andegavino Baugiacum,* (*Baugé*) *Caſtrum Guntery, Duriſtallum* (*Dureſtal*) *& multa alia, quæ enumerare mora eſt.* Quibus ex caſtellis *Mons Theſauri*, & *Sancta Maura*, (*Sainte Maure*) quæ nomen nobili familiæ dedit, Comitivæ titulo inſignes ſunt in Turonibus; *Caſtrum Guntheri* in agro Andium Marchione ſuo gaudet. *Mons Theſauri* vulgò dicitur *Montreſor*, atque ita ſcribitur hoc nomen in tabulis Geographicis mendosè, cùm *Mont-treſor* ſcribi debeat. Nam *Montreſor* meus theſaurus eſt, *Mont-treſor* Mons Theſauri, quod eſt caſtellum ad Andreſium vel Andriſium amnem, *l'Indrois*, ut & Villa Lupæ, *Ville Loin*, Monaſterio clara. *Monteſorium*, uno eoque corrupto nomine appellat Rigordus de Geſtis Philippi Aug. in anno MCXXCVIII.

MONS TRICARDUS.

Mons Tricardi, Rigordo in anno MCXXCVIII. *Mons Tricardus vicus* & *Mons Tricardi* appellatus, Guilelmo Armorico *Mons Tricardi* etiam dictus, & *Trichardi*, à ſitu atque à fallacia nomen accepit. Eſt enim caſtrum in Turonibus ad fluvium Carem, ita dictum quaſi Mons fallacis & triconis, aut Mons fallax & aptus inſidiis, ac ut loquitur Virgilius, accommodus fraudi. Sanè Rigordus & Guillelmus Armoricus *Montem Tricardi* admotis undique machinis à Rege Franc. Philippo ſemper Auguſto anno MCXXCVIII. poſt longam obſidionem *cum ſummo labore captum* & incenſum, ac *turrim* ſeu *arcem validiſſimam funditus everſam* eſſe tradunt: ex quibus Guillelmus Britto montanum hoc caſtrum ita deſcribit in libro Philippidos III.

> Montemque Tricardi
> Obſidet, & multum conſumit temporis ante
> Quàm capiat, quia vis nativa, locique per artos
> Ducta gradus ſeries, ſummo murata labore,
> Municipumque manus fortiſſima præpediebat,
> Quo minùs ille brevi locus expugnabilis eſſet.

Ut appareat *Montem Tricardi* difficillimum aditu, & muris firmiſſimis munitum, ac fortiſſimis viris inſeſſum, appellationi ſuæ egregiè reſpondiſſe: cùm finitimos ſubitis decurſionibus vexare facilè poſſent ejus incolæ, à nemine ipſi expugnari poſſe viderentur. In Geſtis Conſulum Andegavenſium dicitur *Fulco Comes in monte opidum conſtituiſſe, quod Montrichardum nuncupaverit.* Tricones, fallaceſque ac deceptores Noſtri *tricardos* vocabant; ut pigros & lentos *muſardos*. In Geſtis Conſulum Andecavenſium quæ ante annos D. ſunt litteris mandata, invenio Fulconem ejus nominis tertium Andecavorum Comitem, cognomento Nerram, *opidum quod Montrichardum vocatur, compoſuiſſe, & Rogerio domino Montheſauri cuſtodiendum mandaviſſe* adverſus Odonem Comitem Campanienſem, *Gelduinum Salmurenſem*, & Gofridum S. Anniani dominum: quod ibidem & *Montricardum* vocat. Vulgò & *Montrichart* appellatur in tabulis, cùm *Mont-trichard* ſcribi oporteat: ſicuti *Montreſor* pro

Mont-Treſor corruptè ſcribi obſervavimus. Id autem ſæpe faciunt Noſtri ad vitandam gemini r cum littera s colliſionem.

MONTIUM VARIA COGNOMINA.

Antequàm à montibus recedam,quod de eis obſervavi, heic omittere non poſſum. Haud facile dictu eſt, quantum ingenioſi fuerint in excogitandis vocabulis majores noſtri, cum Galli,tum Franci, aut quantopere in variandis utolim *dunorum*&*podiorum* ſic poſtea *montium* cognominibus luſerint. Non jam de cognominibus loquor, quæ à locorum conditoribus dominiſve deducta ſunt, de quibus ſuprà aliquantula ex parte retuli. De his tantùm loquor, quæ à figura, à colore, aut à natura ſoli, ab altitudine, aliiſque trahuntur. *Montes* autem appellavere vicos, caſtella,atque opida montibus impoſita, aut etiam tantum adpoſita.

Ac primùm occurrunt *Mons Mirabilis*, *Mirabilis Mons*, *Mons Miratus* locus non longè à Theminis: tamquam montes hominum admiratione & amore ſint digni. Eſt & in Cadurcorum finibus *Mons Amatus*, *Montemel*, in tabulis Eccleſiæ Cadurcinæ memoratus; *Mons Amatus* in ſuperiore Arvernia, *Cros de Montamat*: *Monſplacens* in Dalfinatu, *Montplaiſant*.

Alacritas etiam montibus attributa, & quædam velut acrimonia. Inde *Alacris Mons* in Caletis prope Arcas, *Aliberment*, ſilvâ amœniſſimâ ejuſdem nominis clarus: à quo tres vici S. Nicolai, S. Jacobi, & B. Mariæ *Alacris Montis* cognomine cenſentur: inde *Acer Mons* in Lingonibus, *Aigremont*.

Lætitiam ac hilaritatem nominibus præferunt *Mons Gaudij*, caſtrum proximum Podio Laurentii, *Montgauſi*, Petro in libri de bello Albigenſi capite L. non indictum; *Mons Gaius* vel *Mons Gay*, locus in pago Pariſiaco non longè à flumine Matrona, *Montay*; & *Mons Galardi* caſtellum, *Mont Gaillard*. Quippe *gaius* & *galardus* Latinis ſcriptoribus lætus hilariſque, Noſtris *gay*, & *gaillard*.

Qui formoſi Majoribus noſtris videbantur, *Montes Belli*, & *Belli Montes* ſeu *Pulchri Montes* appellati. Eſt *Mons Bellus* in parœcia Carcaſſonenſi apud Volcas Tectoſages, *Montbel*: eſt *BellusMons* in Bellovacis ad flumen Iſaram, *Beaumont*, Comitibus olim ſuis illuſtratus; *Bellus Mons* inCenomanis, Ducatus titulo inſignis; *Bellus Mons* in Arvernis; *BellusMons* in Hainoo; *Bellus Mons ad* Lemanum lacum, *Belmont* vicus. Prætereo *Bellum Montem* in Ducatu Leporetano, *Beaumont*; duos ejuſdem nominis montes in Lotharingia ſaltuque Voſago, alterum *Beaumont*, alterum *Bellemont* vulgò dictos; alios alibi.

Eminet præ ceteris in Arvernis *Clarus Mons*, caput Gentis, *Clermont*, & ſalubrem cæli ſerenitatem incolis appellatione ſua pollicetur. Eminet in Bellovacis *Clarus Mons*, Comitatus titulo gaudens, *Clermont*: unde Gens Burbonia proceſſit, *numine Dei electa*, *qua* ductu Ludovici Magni (ut Plinii de Italia verbis utar) *cælum ipſum clarius faceret*, & *ſparſa congregaret Imperia*. Eſt & converſis nominibus in Aruernorum finibus *Mons Clarus*, vulgò *Montclar*; *Mons Clarus* quoque in Diœceſi Carcaſſonenſi, *Montclar* ſimiliter nuncupatus: *Mons Clarus* in Dalfinatu proximè Deam, *Montclair*; *Mons Clarus* in Lingonibus prope Andelaum. *Monteclair*.

Jam Regum & Conſulum nomina ferunt multis in Galliæ provinciis *Mons Regalis*, *Regalis Mons*; in Pictonibus *Mons Conſularis*, ſeu Mons Comitalis.

Cujus incolæ fertili ſolo fruebantur, diviteſque erant ac opulenti, *Dives Mons* appellatus, *Richemont*, cùm in Santonibus, tum in Brexia, atque etiam in Ducatu Luciliburgenſi non procul à Theodonis villa & fluvio Moſella.

Ab altitudine cognominati *Altus Mons*, *Mons Altus*, *Grandis Mons*, *Magnus Mons*, *Mons Celſus*. *Altus Mons*, vulgò *Aumont* dicitur, necnon *Haumont*; cujus nominis locus in Epiſcopatu Camaracenſi veteri Monaſterio inclaruit. *Montem Altum* ſuum ſibi habet Eccleſia Carcaſſonenſis; ſuum quoque parœcia Rivenſis in Gothia: utramque *Montaut* appellant: quæ in Aquitania,& maximè in Gallia Narbonenſi trita eſt appellatio. Suus eſt Lemovicibus *Grandis Mons*, *Grammont*, ordinis Grandimontenſis anno MLXXVI. à Stephano inſtituti caput, Monaſterio inſignis non longè à Taurione amniculo, qui ſupra Lemovicas in Vingennam decurrit: ſuus item Turonibus *Grandis Mons*. *Magnus Mons*, *Maimont* vel *Mémont*, caſtrum olim opidumve fuit in Lingonibus, à quo *pagus Magnimontenſis* nomen accepit. In litteris Philippi I. Francorum Regis anno MLXXIII. datis, *Signum Ebonis de Monte Celſo* reperitur.

Alto Monti opponuntur *Monticuli*, *Monticelli*, & truncato nomine *Montelli* ac *Moncelli*, *Monceaux*; Mota, *la Mote*; & Montilium, vulgò *Monteil*, *Montel*, *Montil*, *Montilly*, *Montet*, *Montot*, ac *Montat*: quibus nominibus montes parui & humiles variis in Galliæ locis deſignantur.

A colore ſoli cognomina nanciſcuntur *Albus Mons*, Germanis *Blanckenberg*, Noſtris *Blamont* dictus in Lotharingia, Richerio in Chronico Senonienſi memoratus, qui *Henricum Comitem Albi Montis*, & *caſtrum Albi Montis*, ac *Blammont* etiam appellat; Mons Albus, *Montblanc* prope Glannatevam; *Mons Albanus*, *Montauban*, cujus nominis in Cadurcis, in Britannia Ciſmarina, in Provincia, in Pariſiis, & alia alibi ſunt loca: *Mons Canus* vel *Canoſus* in Dalfinatu, *Montchenu*, incolis Latinè ſcribentibus *Mons Canutus* corruptè dictus forſitan à nivibus: *Mons Niger* apud Gregorium in pago Lemovicino; *Mons Brunus*, *Montbrun* in ſuperiore Arvernia, & in Provincia, & *Montbrion*; Mons Maurus, *Montmaur*, in Diœceſi Rivenſi, *Montmaur* prope Vapincum, *Monmer* prope Deam. *Brunus* autem, *brun* Germanis & Noſtris; *Maurus* quoque

Græcis & Latinis ob nigredinem Maurorum niger eſt & obſcurus. His addi debet *Rubeus Mons*, *Rougemont*, in Burgundia Ducali, alius item prope Caſtrum Dunenſe, alius non longè à Fracta Valle, alius in Brexia; necnon *Mons Rubeus*, vicus proximus Luteciæ Pariſiorum, *Montrouge*. Sed & *Mons Aureus* à colore ſoli ſui magis quàm à pulchritudine cognominatus videri poteſt.

Eſt *Bonus Mons* caſtrum ad Lemanum lacum, *Bonmon*: eſt *Malus Mons* in pago Cadrellenſi, *Maumont*.

A ſterilitate ſoli multis in Galliæ locis nomen habet *Calvus Mons*, *Chaumont*, ſeu *Mons Calvus*; necnon *Mons Calvulus*, *Mont-chauvet*. *Monti Calvo* opponuntur *Mons Viridis*, *Montvert* in ſuperiore Aruernia; & *Mons Piloſus*: quorum nominum tres ſunt in Regno Neapolitano urbes Epiſcopales, una *Monte Peloſo*, duæ *Monte Verde* Italis dictæ. Porrò *Mons Calvus* Noſtris mons nudus à ſilvis & arboribus dictus eſt, metaphorâ ductâ à capite calvo, quod capillis eſt vacuum: contrà *Mons Piloſus* metaphoricè núcupatus mons herboſus atque nemoroſus. Idem enim herbæ & arbores in monte, quod capilli in capite humano, pili in cute.

Ab æſtu cognominati *Calidus Mons*, *Chaumont*; *Mons Arſicius*, *Montarcis*, id eſt ardore Solis exuſtus; & *Mons Æſtivus* in Diœceſi Pariſienſi, *Montivier*, ad æſtivum Solem ſpectans, Abbatiali Monaſterio inſignis: à frigore *Frigidus Mons* in Hainoo, *Froimont*; *Frigidus Mons* in Bellovacis, *Fremont*, Monti Cæſaris proximus, *Mont Ceſar*, Abbatiâ vetere clarus; & *Frigidus Mons* in Lotharingia prope urbem Mettos & flumen Moſellam, cujus Gaufridus meminit in libri v. de Vita Bernardi capite 1. Eſt *Mons Ventoſus* in Provincia, *Mont Ventoux*.

Monsfortis, *Montfort*, à Noſtris appellatus aditu difficilis, locus in monte naturâ & arte munitus, ac validus: quale præ ceteris eſt opidum *Montfort* apud Batavos in pago Trajectenſi; quale & *Montfort* caſtrum in Lotharingia pridem everſum. *Mons Securus* in Gothia, *Montſegur*, ſimiliter appellatus, qui munitionibus magnis tutos ab hoſtibus incolas redderet atque ſecuros; *Mons Barrus* in Burgundia, *Montbar*, qui adverſus hoſtiles incurſiones pro repagulo vel barra haberi poſſet & deberet; *Mons-Peſſulanus*, quaſi Mons clauſus, *Montpeſlier*, qui adverſus finitimorum irruptiones peſſuli loco eſſet, & hoſtibus accedentibus velut fores obderet ac negaret ingreſſum. Repagulum autem Noſtri ante annos ſexcentos *barram* nuncupavere, *une barre*, *une barriere*: eoque nomine VVillelmus Britto in Philippidos libro III. utitur, Guillelmi Barrenſis pugnas deſcribens.

> Barras, gaudete Quirites,
> Fregimus, in manibus ſunt Barræ denique noſtris:
> Nulla poteſt nobis jam barrula tollere Barras.

Item.

> Stabat enim firmus, ut barra repagula firmans,
> Agminis hoſtilis medio.

Quem ibidem *Guillelmum Baronem*, *Barrarum nobilem heredem* appellat; Rigordus in Geſtis Philippi Aug. *Guillelmum de Barris*, *Comitem Rupis Fortis*.

Figuræ cognomina ſua debent *Mons Acutus*, *Montegu*, cùm in Pictonibus, tum in pago Laudunenſi, & prope Galliacum, *Montagus* in pago Burbonenſi, multiſque aliis in locis; *Mons Acutulus*, *Montagudet* in Cadurcis; *Acutus Mons*, *Agumont*, vicus in Picardia Monti Deſiderii proximus: *Mons Longus*, *Montlong* in Diœceſi Vaurenſi: *Mons Cornutus*, *Montcornet*: *Mons Rotundus*, *Montrond* in Biturigibus, in Gothia circa Montem Peſſulanum, in Britannia quoque non longè à Ponte Urſionis, *Montrond*; *Rotundus Mons* in Helvetiis, *Romont*, caput Comitatus Murtenam caſtrum continentis: *Mons Gemellus*, in Pariſiorum finibus, *Loujumeau*, ita dictus in veteribus tabulis, quòd biceps ſit, & duos in vertices duaſve partes diviſus: *Mons Relaxus* in Britannia Armorica, *Morlaix*, qui *retro* quàm à fronte *laxior* eſt & apertior: *Mons Reverſus*, id eſt Mons retroverſus, qui velut verſus & circumactus, dorſum pro fronte videtur oſtendere. Ejus nominis locus eſt in Brexia, alter quoque in Dalfinatu: utrumque tabulæ *Montrevert* vocant corruptè pro *Montrevers*. *Mons Clauſus* eſt in pago Burbonenſi, *Monclou*, necnon in Dalfinatu *Monclu*; in Briegio *Mons Incluſus*, *Montergle*.

Mons ſaxeus dictus eſt à Majoribus noſtris Latinè *Mons Petroſus*, vulgò *Montperroux*, à *petra*, quæ ſaxum ſignificat. Habet Burgundiæ Ducatus ſuum *Montem Petroſum*, *Montperroux*, veteribus tabulis notum; unum & alterum pagus Burbonenſis; habet ſuum Aruernia ad flumen Elaver, quem *Montpeirous* appellat; ſuum habet Diœceſis Leutevana, qui *Monspeyroux* nuncupatur. *Montibus ſaxeis* ſive *petroſis*, quales aliis nominibus à duritie vel à ſimilitudine *Rupes* aut *Roccas* vocarunt, *Montes terrei* opponuntur.

Cavus Mons, *Caumont* vocatus, qui cavernas & ſpecus haberet: *Aſper Mons*, *Aſpremont*, qui ob ſaxa atque prærupta difficilis eſſet adſcenſu: cujus ſunt nominis loca in Turonia, in Lotharingia, in Dalfinatu, in Sapaudia, & in Caletis prope Deppam vicus.

Multis oleis appellationem acceptam refert *Mons Olivus* in Diœceſi Carcaſſonenſi, priſcis in tabulis anni MCIX. memoratus, *Montolieu*, aliàs *Montolieu*: caſtaneis *Mons Caſtaneus* prope Mantalam in pago Viennenſi, Prioratu ſuo notus, *Montchaſtaux*: ſalviæ herbæ, quæ plurima ibi naſcebatur, *Mons Salvius* in ſuperiore Aruernia, *Montſalvi*: lauretis *Mons Laurus* in Diœceſi Toloſana, *Montlaur*; & *Mons Lauri* in parœcia Carcaſſonenſi, *Monlaur*, *caſtrum Mons Lauri prope Monaſterium Craſſam* (*la Graſſe*) Petro dictus in libri de bello Albigenſi capite XXXIV. Nucibus arboribus, quas Audoënus in Vita Eligii ante annos mille *nucaria* vocavit, *Nucarierum Mons*, *Noyerſmont*, vicus in Picardia non procul à Monte Deſiderii.

Francis nomen debet *Francicus Mons*, aliàs

Francus Mons; Judæis *Mons Judaicus* vel *Mons Judæus*; Vaſconibus *Mons Vaſconis*, *Montgaſcon*. In pago Leodicenſi eſt *Francicus Mons*, *Franchimont*, Marchiæ titulo inſignis locus, à quo Epiſcopus Leodicenſis, Dux Bublionenſis, Comeſque Loſſenſis, *Marchionem* etiam *Francimontenſem* ſe appellat. Eſt *Mons Judæus* in Brexia, *Mon-Juif*; eſt & in Gothia. Litteris anni MCIX. cum *P. de Meſoa*, *R. de Monte Olivo*, *P. de Montelauro*, *F. de Monte-Judæo* ſubſcripſit.

Metalla nomen dedere *Monti Aureo* prope Vindocinum, *Montoire*; *Monti Aureolo* in Diœceſi Toloſana, *Montauriol*; *Monti Ferrario* in Diœceſi Mirapicenſi, *Montferrier*, necnon alteri prope Montem Peſſulanum caſtro, *Monferrier* vulgò dicto; & *Monte Ferrato* in Provincia, in Dalfinatu & in Brexia, *Montferrat*. *Montes* autem *Ferratos* dixere vel à duritie ſoli, vel à ferrugineo ejus colore: uti vias militares Romani operis à duritie ſilicis quâ ſtratæ erant, *Cheminos ferratos* Noſtri in veteribus tabulis nuncupavere, *les chemins ferrez*. Nam *Mons Ferrandi*, aliàs *Mons Ferranni*, *Mont Ferrand*, locus proximus civitati Aruernorum, & velut pars ejus; & caſtrum *Mons Ferrandus*, *Mont-Ferrand*, alterum prope Vaurum, alterum prope Montem Peſſulanum, à *Ferrando* aliquo vel *Ferranno* nomen videntur accepiſſe.

Ab feris & animalibus dicuntur *Mons Leonis*, *Montlion* in pago Meltiano, & *Mons Leonis* in Turonia, *Montlion*, ante annos CCCCLXXX. memoratus; item *Capræ Mons*; *Mons Capreoli*, *Montcaurel*; *Mons Caninus*, *Montchanin* in pago Cadrellenſi; *Mons Draconis*, *Mondragon* in Sapaudia: ab avibus *Mons Falconis*, *Monfalcon* in Cadurcis, *Montfaucon* multis aliis in Galliæ pagis; *Mons Merulæ*, *Montmerle*, alter prope Burgum Brexiæ caput, alter à Bella Villa Arari flumine diviſus; *Mons Aureolus Montauriol* quoque, vel *Mons Aureoli* ab ave ictero, quam Giraldus Cambrenſis *aureolum* appellat, Noſtri *loriot* corruptè pro *l'oriol* à colore; *Mons Pintionis* vel *Pincionis*, *Montpinſon* in Normannia à pintione; & fortè etiam *Mons Gaii* vel *Mons Gaius*, *Montjay*. Noſtris enim *gaius*, *gay*, tam avem quàm hilarem ſignificat.

Deorum quoque nomina montibus attributa. *Mons Jovis* prope Toloſam eſt caſtrum, *Monjoyre* vulgò dictum; & Mons Martyrum ad Luteciam, olim *Mons Martis*, necnon etiam *Mons Mercurii* à Majoribus noſtris nuncupabatur.

Hæc ſunt maxima ex parte montium apud nos cognomina. Nam quæ à viris deducuntur, nemo poſſit oratione complecti. Tantùm addo, poſt Chriſtianam religionem receptam, parvas aliquas veteris ſuperſtitionis Reliquias maiorum noſtrorum animis inhæſiſſe, Franciſque qui cum Alamannis colles & lucos ac arbores Deorum numero duxerant, etiam Chriſtianis montes colleſque placuiſſe: quos quoniam aliter iam venerari non poterant, variis ac plerumque magnificis titulis ac cognominibus honoraverint.

MONTALOMAGUS.

Montalomagus vel *Montalomagenſis vicus* in capite XLVII. libri VII. Gregorii Turonici Epiſcopi memoratur his verbis. *Sicharius civis Turonicus, dum Natalis Dominici ſollemnia apud Montalomagenſem vicum cum Auſtregiſilo reliquiſque pagenſibus celebraret.* Idem locus in capite ultimo libri X. Hiſtoriæ Francorum vocatur vicus *Mantolomaus*. Voluſiani VII. *Epiſcopi Turonici tempore vicus Mantolomaus ædificatus eſt*, id eſt Eccleſia in eo vico eſt inſtituta à Voluſiano. Vulgò dicitur *Mantelan*, eſtque in Turonibus celeber locus.

MONTILIUM ADEMARI.

Litteræ Lucii Papæ III. in Epiſcopatu Valentinenſi *Montilium Adhemari* commemorant. Aliæ litteræ quas legi, ſic incipiunt: *Ego Geraldus Ademari, dominus Montily*, &c. ſic deſinunt: *Acta ſunt hæc apud Montilium.*

Petrus Monachus Vallium Cernaii, qui de bello Albigenſi ante annos CCCCL. ſcripſit, in eius libri capite LXXXIV. *caſtrum quod dicitur Montilium* commemorat, & trans Rhodanum illud *in Provinciæ partibus* ponit, non longè à *caſtro nobiliſſimo & fortiſſimo Creſta* (*Creſt*) *in Diœceſi Valentina*, atque ab urbe Valentia. *Provincia* autem nomine Dalfinatus, cuius ſunt Valentia, *Montilium* & Creſta, olim ſaltem ex parte continebatur.

Idem auctor ſcribit *Guitaldum Ademari fuiſſe dominum Montily ex majore parte*, & *quemdam Militem, conſanguineum Guitaldi, fuiſſe alterum dominum Montily*: caſtrum autem *Creſtam* præter cetera *Ademari Pictavenſis* fuiſſe. *Montilium* igitur iſtud, ſæpe cognominatur ab Ademaro veteri domino *Montilium Ademari*. Multa autem ſunt eius nominis loca & caſtella in Gallia, præſertim in Aquitania & in provincia Narbonenſi, quorum unumquodque Latinè *Montilium*, vulgò *Monteil* dicitur. Litteræ anni MCCL. *Montily* in Gothia circa Narbonem mentionem faciunt. *Montilium* porrò corruptè pro *Monticulo* aut *Monticello* vel *Mota* nuncupatum puto caſtellum aut vicum parvo monti impoſitum. *Montilium Ademari* ab aliis *Montlimar* truncato nomine; ab aliis *Montel-imar* appellatur corruptè pro *Monteil-Aimar*. *Ademarum* enim Noſtri *Aimar* dicunt. Hoc nunc ex caſtro opidum eſt Dalfinatus, Rubeonis, *Roubion*, & Rhodani confluentibus proximum.

MONTIO.

Montio vicus eſt caſtro dare nomen idoneus, impoſitus monti, atque ab eo cognominatus, *Monçon* vel *Mouçon*. Huic adjacet proximus *Pons* Moſellæ & amniculo confluentibus impoſitus, à re nomen habens, ac vulgò *le Pont* dictus, aut conjunctis in unum vici Pontiſque nominibus *Pont à Mouſſon*, hoc eſt *Pons-ad-Montionem*. Pleríque *Monçionem* pro *Montione* perperam ſcribunt vo-

eamque, cùm à monte *Montius* & *Montio* deducantur, ut analogiæ lex iubet: quorum alterum nomen viri proprium eſt in Hiſtoria Romana, alterum loci. Locus eſt in Aragonia *Montio*, conventibus Aragonenſium nobilis, *Moncon*. *Montionem* noſtrum nunc *villam de Ponte Montionis*, nunc *villam Pontis Montionem* appellat Carolus eius nominis quartus Imperator, in litteris anni MCCCLVI. & MCCCLXXII. qui eam VIII. jam portas habentem urbibus ſacri Imperii adjunxit, in gratiam Roberti Ducis Barrenſis ac Marchionis Pontenſis. Idem alibi *civitatem Pontis Muſſoni*, *villam* item *Pontimuſſum* corruptè vocat; Carolus V. & Ferdinandus Imperatores *Muſſipontem* corruptiùs; *Pontem Montis* Rodolfus II. & Ferdinandus II. Auguſti. Plerique nunc exemplo Caroli & Ferdinandi *Muſſipontem*, atque etiam (ſi Deo placet) *Muſſipontum* appellare conſueverunt: quem *Pontem Montionis*, vel *Pontem ad Montionem*, vel abſolutè *Pontem*, aut *Pontem Moſellæ* vocari convenit; aut ut plerumque veteres ſcriptores faciunt, *Montionem*. Nunc opidum eſt ad utramque Moſellæ ripam poſitum, ſed ad ſiniſtram magis. Otto Friſingenſis *Reginaldum Munzunenſem* & *Hugonem Vademontenſem Comites* quum vocat, ſatis indicat eum locum *Munzun* ætate ſua ante annos D. appellatum eſſe. *Caſtrum Montionis* Albericus in anno MCCXXVII. vocat; *Montzum* alii.

MONTISBURGUS.

Montiſburgus à re nomen habet. Eſt enim burgus in monte poſitus in Diœceſi Conſtantienſi prope Valonias. Vulgò dicitur *Montebourg*, habetque Monaſterium vetus, Abbatiæ nomine, Benedicti Regulâ, & S. Mariæ titulo patrociniσque inſigne. *Abbatiam S. Mariæ de Montiſburgo* vocant. VVillelmus Gemeticenſis *Montiſburgi* meminit, ab Oceano parum diſtantis.

MORANTIACUM.

Legitur in Codicis Theodoſiani libri I. titulo VI. lex Imperatorum *Valentis*, *Gratiani* & *Valentiniani Auggg. ad Antonium Præfectum Prætorio, data Kal. Aug. Morantiaco, Gratiano Aug IIII. & Merobaude Coſſ.* *Morantiacum* illud eſt *Morancı*, ad ſiniſtram ripam Iſaræ poſitus vicus inter Bellummontem & Credilium: vel certè *Morhanges*, aliis *Morhance*, caſtrum opidulumve inter Saliam & Saravum fluvios in Lotharingia ſitum: quod potius reor & verius Imperatores enim Romani in regionibus & locis Rheno propioribus ſæpius erant occupati, cùm ad arcendos tranſitu fluminis Germanos, tum ad Barbaros, ſi qui Galliam intrâſſent, reprimendos ac repellendos. *Morange* ex *Morantiaco* Noſtri fecere, ut ex alacri *alaigre*, ex macro *maigre*, ex acri *aigre*, ex crypta *grotte*, c in g mutato. Valeant ergo, qui *Montem Morantiacum*, aut *Montem Morenciacum Marentiacumve*, caſtrum olim, nunc vicum Luteciæ proximum, in Codice Theodoſiano deſignari, ibique Imperatores ſediſſe putant, Andream Cheſnium ſecuti.

MORINI.

Morini, ut & *Armorici*, à Gallis dicti ſunt quaſi maritimi, *mor* Gallis mare ſignificante. Scribit Cæſar *Morinos* inter Belgas contra populum Rom. conjuraſſe, & ad id bellum millia armata XV. pollicitos eſſe, & quòd uti Menapii continentes ſilvas ac paludes habebant, eò ſe ſuaque omnia contuliſſe: ipſum autem ſilvas cædere inſtituiſſe. Itaque quum Annæus Florus in libri III. rerum Romanarum capite X. de Cæſare ait; *Morini dilabebantur in ſilvas; juſſit incendi*: emendandum ultimum hoc verbum puto, & ſcribendum, *juſſit incidi*. Addit Cæſar, *Morinos qui rebellionem fecerant, cùm propter ſiccitates paludum quò ſe reciperent non haberent, quo perfugio ſuperiore anno fuerant uſi, omnes ferè in poteſtatem Labieni veniſſe*. Paulinus quoque in epiſtola ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum *deſerta ſilvarum terræ Morinorum* tribuit, & *inſulas*, quas Cæſar *paludes* vocat. Certè apud *Morinos* hodieque, quamquam maiore parte exciſâ, plurimæ ſuperſunt ſilvæ, numero ferè XXI. vel XXII. in primis magna *ſilva Bononienſis*, *ſilva Hardelotia*, *ſilva Burſinia*, à vico proximo cognominata, *le bois de Bourſin*; *ſilva Abbatis*, ab urbe Bononia non longè diſtans, atque ita dicta quòd ad Abbatem Bononiæ pertineat, *le bois l'Abbé*; *ſilva Cellenſis*, à loco adjacente nuncupata, *bois de Celles*; ſilva Suriſnenſis, *foreſt de Surene* vulgò à vico adjacente appellata; aliæque. *Morini* & ſtagna nunc ac paludes habent, ſtagnum Neoletenſe, *de Nieulet*, *ſtagnum Giſuenſe*, *ſtagnum Hammenſe*, *ſtagnum Andrenſe*, (*d'Andre*) *ſtagnum Ardenſe*, (*d'Ardres*) *ſtagnum Ambliteuſe*, (*d'Ambleteul*) *ſtagnum Selacenſe*. (*de Selacque*) *ſtagnum Cauuelenſe*, (*de Camuel*) ac ſex circiter alia ad mare: quæ non tam ſtagna quàm minores ſinus maris videri locorum peritis vocarique poſſint. Paludes *Morinorum*, quas vulgò *Mariſcos fluctuantes* appellitant, aquis fluminum undique circumdantur; ob idque (ni fallor) *inſulæ* à Paulino nuncupantur. Tales ſunt inter Hammos & Calcium paludes Hammenſes, *les marés flottans de Hames*; paludes fluctuantes & aratri patientes, *marais flottans à labeur*; paludes Balinghemienſes & Andrenſes, *marais flottans de Balinghem & Andre*. Sunt ibi etiam Montes à Novo Caſtello & Danis cognominati, *les Mons de Neufcatel & Dannes*; ſunt Montes Sancti Engilberti, quondam Centulenſis Abbatis, à vico proximo eiuſdem nominis dicti, *les Monts de S. Inglevert*. Totum autem huiuſce maris litus ab oſtio fluminis Alteiæ collibus arenaceis aſſurgit uſque ad fines Batavorum: quos colles *Dunos* vulgò vocant à duno, uti exiſtimo, quod nomen apud veteres Gallos collem & montem, ac locum excelſum ſignificavit. *Montes mari oppoſitos* Plinius nuncupat in capite I. libri XIX. de Caletorum & Morinorum ora loquens; Annales Bertiniani in anno

DCCCXXXIX. *aggeres arenarum quos dunos vocitant* in Friſia: *des dunes*.

Cæſar in libro IV. de *Morinis* ſcribens, *inde eſſe breviſſimum in Britanniam trajectum* ait, & in libro V. tradit, *ex portu Icio* (qui eſt in *Morinis*) *commodiſſimum in Britanniam trajectum eſſe circiter millium paſſuum* XXX. At ſi Plinio creditur, Britannia inſula *abeſt à Geſoriaco Morinorum Gentis litore proximo trajectu* L. *milia*. Æthicus Plinium ſequitur in Itinerario maritimo, & *de Galliis à portu Geſoriacenſi ad portum Rutupinum ſtadia* CCCCL. eſſe prodit, hoc eſt millia paſſuum circiter quinquaginta: quà *freta* ſunt *Morinûm, dubio refluentia ponto*, ut ait Gratius. Idem tamen Æthicus in itinere Britanniarum, *à Geſſoriaco de Galliis Rutupis in portum Britanniarum ſtadia numero* CCCCL. ponit, vitio forſitan exemplarium aut typographorum.

Straboni confines ſunt *Menapiis* ad mare *Morini*, Μορινοί; Plinio & in Belgica *Morini*; Ptolemæo eadem in Gallia Belgica *poſt Ambianos Morini*, οἱ Μορινοὶ, *quorum urbs mediterranea ad ortum verſus Taruanna* vel Teruanna, & *navale* vel portus *Geſoriacum*, inter Belgicæ Galliæ urbes illuſtre.

Ut promuntorium Celticum vel Nerium, oræ Morinæ & Britanniæ adverſum, Callæci vocant *caput finis terræ*; ſic Virgilius *extremos hominum Morinos* Poëticâ audaciâ appellavit: Mella modeſtiùs *ultimos Gallicarum Gentium Morinos*. Modeſtior & Virgilio Plinius non ultimos hominum eos abſolutè vocat: ſed *ultimos hominum exiſtimatos* olim eſſe à Romanis ait, antequàm Claudius Cæſar Britanniam inſulam *Morinis* objectam aperuiſſet atque ſubegiſſet. Plinii in libri XIX. capite I. verba ſunt, de lini ſatione ſcribentis. *Itane & Gallia cenſentur hoc reditu, monteſque mari oppoſitos eſſe non eſt ſatis, & à latere Oceani obſtare ipſum quod vocant inane? Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum exiſtimati Morini, immò verò Galliæ univerſæ vela texunt; jamquidem & Transrhenani hoſtes, nec pulchriorem aliam veſtem* (lineâ) *eorum feminæ novere*. Paullinus & Hieronymus præter ceteros Virgilium ſequuntur atque tranſcribunt: quorum alter in epiſtola ad Victricium *terram Morinorum ſitu orbis extremam* nuncupat; alter in epiſtola ad Ageruchiam *extremos hominum Morinos* appellat. Omitto Ammianum Marcellinum qui in libro XXVII. *orbis extrema Bononia litus* in *Morinis* vocat. Sed quâ ratione *extremi hominum Morini* dicuntur, & *terra* eorum *ſitu orbis extrema*; eàdem & Pictones exempli causâ, & Santones, aliique maritimi populi, ultimi hominum dici poſſent & orbis extremi: propterea quòd è litoribus ſuis nullam continentem terram ſibi adverſam, nullam inſulam ſaltem magnitudine notabilem, nihil denique præter Oceanum ſuum immenſæ vaſtitatis & profundæ altitudinis vident. Sed hæc velut nimis impropriè dicta non probo. Quomodo enim *extremi hominum* aut *extremi orbis Morini* cenſebuntur vocabunturve, qui in Gallia Belgica, ſolo Rheno à Germanis diviſa, inter Belgas maritimos ſedes habent? Quomodo *ultimos Gallicarum Gentium Morinos* nuncupare nobis licebit? cùm ſint inter *Ambianos* & *Menapios* poſiti, quos *Menapios* & *Batavos* extremos eſſe Gallicarum Gentium conſtat, non *Morinos*. Non meliùs igitur Virgilio, Paullino & Hieronymo, Solinus *oram* Morinorum *finem orbis* vocavit. *Finis erat orbis ora Gallici litoris, niſi Britannia inſula non qualibet amplitudine nomen pæne orbis alterius mereretur*.

Cæſar in libro II conjurationem Belgarum referens, *Ambianos*, *Morinos*, *Menapioſque* conjungit; in libro III. *Morinos Menapioſque*, & in libro IV. *Menapios*, *atque pagos Morinorum*: quibus *Morinis* à Galliæ principibus imperata eſſe V. millia hominum tradit ad Aleſiam obſidione liberandam. Sic & apud Strabonem *Menapiis finitimi ſunt ad mare Morini*. À Plinio in Belgicæ ora *Menapii*, *Morini*, *Oromanſaci*, *juncti pago Geſoriaco*, *Ambianique* ordine collocantur. Tacitus quoque in libro IV. Hiſtoriarum *Menapios & Morinos extrema Galliarum* vocat: & Dion in libro LIX. *Morinos & Menapios confines*, Μορίνους καὶ Μεναπίους ὁμόρους, non in urbibus, ſed in vicis aut tuguriis habitare ait. Si igitur poſt Sequanæ oſtium, & poſt Caletos & Ambianos *Morini* atque *Menapii* confines ſunt alteri alteris, maritimi utrique populi, & extrema Galliarum obtinent, uti Cæſar & Strabo, & Plinius ac Tacitus, Dioque indicant: quem *tractui Nervicano* ſeu *Nervico litori* locum aſſignabimus? qui & *tractus Nervicani limitis* in Notitia Imperii Romani, & in actis SSS. Quintini, Criſpiniani & Macri *Nervicus limes*, & à Paulino in epiſtola ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum *Nervici litoris tractus* appellatur, & terræ Morinorum jungitur his de Victricio verbis. *Qui in terra Morinorum ſitu orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus, (ubi quondam deſerta ſilvarum & litorum intuta advenæ barbari & latrones incolæ frequentabant; nunc autem urbes, oppida, inſulas, ſilvas Eccleſiis & Monaſteriis ſancti celebrant) & in remotiſſimo Nervici litoris tractu verbum Domini prædicavit*. Quibus ex verbis intelligitur, *terram Morinorum* maritimam Nervici litoris tractui, ſeu tractui Nervicano proximam ac contiguam fuiſſe, & Victricium Rotomagenſium VIII. Epiſcopum (uti nonnumquam Antiſtites facere conſueverant) alienæ meſſi falcem injeciſſe: qui Veliocaſſibus Caletiſque ſuis non contentus, trans Ambianorum fines Morinos ac Nervios quæſierit, nihil ad ipſum pertinentes, ſed nondum forſitan domeſticis ſeu propriis Epiſcopis donatos, ob idque externæ opis indigentes; & à Sequana ad Scaldim religionis Chriſtianæ ſemina ſpargendo proceſſerit. Itaque *tractus Nervicanus* ſeu *Nervicum litus*, quo nomine totus ferè tractus Belgicæ cenſebatur, haud dubiè *oram Morinorum & Menapiorum* interjacuit: exiſtimandumque eſt, aut *Nervios* uſque ad mare pertinuiſſe infra Gandam & Andoverpam, & (ut Marlianus putat) Turnacum Nerviorum civitatem exſtitiſſe, Gandenſibus Andoverpenſibuſque præpoſitam: aut certè Nervios, etſi Oceanum non attigerint, tamen propter auctoritatem

& famam pleræque oræ Belgicæ nomen ſuum dediſſe.

Morinorum urbes duæ à veteribus memorantur, *Ternanna* mediterranea, *Geſoriacum*, *quæ & Bononia* maritima. Ambabus *Turnacum* gratis addit Samſon Geographus, & in *Ternanna* dirutæ locum tres Epiſcopatus ſucceſſiſſe, *Bononienſem*, *Audomarenſem*, & *Iprenſem*: è *Turnaco* duas ſedes eſſe decerptas, *Gandenſem* & *Brugenſem*. Idem *Centrones*, *Grudios*, *Levacos*, *Pleumoſios* & *Gorduuos*, qui omnes ut ait Cæſar, ſub *Nerviorum* clientela erant, pagis *Morinorum* nulla ratione, ſed ſolâ conjecturâ inductus accenſet.

Morinorum pagos quum C. Cæſar commemorat, apertè indicat plures fuiſſe. Inter eos fuit *pagus Ternannenſis*, & portio eius *pagus Ternenſis*, *le Ternois*, dictus ab amniculo Terna, *Ternois*, de quo in Teruanna retulimus. Fuit & *pagus Geſoriacus*, qui & *Bononienſis*, veteri Comitatûs titulo inſignis, *le Boulonnois*, VI. pars Morinorum: cuius Plinius in libri IV. capite XVII. ita mentionem facit: *Menapy, Morini, Oromanſaci, juncti pago qui Geſoriacus vocatur*. Quibus ex verbis colligi poteſt, aut *Oromanſacos* clientes partemque *Morinorum*, proximos fuiſſe pago Geſoriaco: aut certè potiùs eos ac Geſoriacenſes unum eumdemque pagum, nimirum Geſoriacenſem conſtituiſſe. Quidam Noſtrorum huncce pagum, credo quòd ſit depreſſus atque humilis, à ſitu & à natura locorum Foſſam Bononienſem vocitant, *la foſſe du Boulonnois*, eiuſque circuitum eſſe XXVI. leugarum aiunt ſive octoginta millium paſſuum. Ibi *Stapula*, *Geſoriacum* vel *Bononia* pagi caput, & *Amblitolium* ad mare eminent. *Bononienſem* Comitatum & *pagum* attingit *pagus* Comitatuſque *Giſnenſis*, vetus ac inſignis, *Morinorum* finibus incluſus, Giſnas, Felnas, Ardamque continens, *le Comté de Guines*, aliàs *le haut pays de Guines* vulgò dictus. Pagum Giſnenſem excipit *ager Aucenſis*, ab Auca vico maritimo Caleſio proximo cognominatus, *la terre d'Oye*: cuius portio arari ſolita, vocatur à Noſtris *le haut pays de la terre d'Oye à labeur*. *Ogiam* aliqui appellant hunc agrum, inter Caleſium & Gravenengas ad mare Britannicum jacentem. Sequuntur *Gravenenga* & *Dunkirca* in *Morinis* ad mare. Ut uno verbo omnia complectar, quidquid terrarum vetus ſedes Bononienſis, & duæ recentes Diœceſes ex Teruannenſi ortæ, Audomarenſis in Comitatu Atrebatico ac Iprenſis in Flandria continent, *Morinorum* eſt, & *Morinis* accenſendum. Quare quidam Latini ſcriptores Comites Flandrenſium non abſurdè *Morinorum Comites* appellaverunt: quippe qui Morinorum partis non contemnendæ imperium obtinerent, & majoris partis *Turnacenſium* Diœceſeos, *Gandenſes* olim *Brugenſeſque* præter ceteros complexæ: quos Turnacenſes Morinis etiam Samſon attribuendos putat. Anſelmus Gemblacenſis Abbas in Chronico ab anno MCXIII. ad annũ MCXXXVI. deducto *Morinos* pro *Flandrenſibus* uſurpat, & ſæpius *Comites Morinorum*, quàm *Flãdria Comites* nuncupare ſolet.

Plinii in libri X. capite XXII. de anſeribus verba ſunt hæc. *Mirum in hac alite: à Morinis uſque Romam pedibus venire. Feſſi proferuntur ad primos: ita ceteri ſtipatione naturali propellunt eos.* In codice Plinii ante annos circiter D. ſcripto, qui fuit Monaſterii S. Michaëlis in periculo maris, eadem legimus mendoſa atque corrupta ſublatâ I litterâ. *Mirum in hac alite amor uiſuſque, Romam pedibus venire*, &c. Sed nihil in Plinii verbis mutari convenit. *Morinos* enim anſeribus abundaſſe indicat hodieque vicus *Auca*, Caleſio proximus ad mare, *Oye* vulgò dictus à multitudine anſerum, quos Galli noſtri *Aucas* olim vocavere, nomen ſuum dans agro Aucenſi, *la terre d'Oye*: Indicat & vicus Aucio, *l'Oiſon*, à parva auca ſeu aucione, id eſt anſerculo ita cognominatus, non procul à flumine Quantia, in confinio Morinorum, Atrebatium & Ambianorum. Memini legere in Geſtis Dei per Francos, mulierem quamdam inter peregrinos & milites Hieroſolymam petiviſſe, comite anſere ſemper & ubique præcedente.

Idem Plinius & platanum *Morinis* placuiſſe umbræ gratiâ, pro qua vectigal populo Rom. penderent, ſcribit in capite I. libri XII. *Quis non jure miretur arborem umbra gratiâ tantùm ex alieno petitam orbe? Platanus ea eſt. Hac per mare Jonium in Diomedis inſulam ejuſdem tumuli gratiâ primùm invecta; inde in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas donata Italia, etiam ad Morinos uſque pervecta, ad tributarium jam pertinens ſolum, ut Gentes vectigal & pro umbra pendant.* Jam tum forſitan *Morini* inter ſilvas ſuas platanonas habere cœperant.

In *Morinis* eſt fretum, Solino *fretum Gallicum*; Tacito & Ammiano *fretum Oceani*; Gratio *freta Morinûm* dictum: quod fretum eſt anguſtiſſimum inter *Blacneſſ* Galliæ, & *The Neſſe* Britanniæ inſulæ. Et olim quidem Romani à Geſoriaco Rutupias deferebantur, vel ab Icio portu, quem *Vitſan* Cambdenus interpretatur, & nunc obſtructum eſſe affirmat: nunc Noſtri trajiciunt à Caleſio Dubrim; Angli contrà à Dubri Caleſium. Quare fretum & trajectum *The ſtrait of Calleis*, aliàs *ſtraight of Calais*, hoc eſt anguſtias Caleſienſes ipſi vocant; Belgæ à duobus promuntoriis *Dehofden*; Noſtri *pas de Calais*, id eſt *tranſitum Caleſienſem*, vel *le deſtroict de Calais*.

MORITANIA.

Moritania caſtrum eſt ad ripam fluminis Scaldis poſitum, Noſtris vulgò dictum *Mortaigne*, cuius Frodoardus ante annos DCCXL. mentionem facit in Chronico his verbis. *Anno* DCCCCXXVIII. *Heribertus Comes munitionem filiorum Rotgary, quam dicunt Moritaniam ſuper fluvium Scaldim, vi cepit & diruit.* Litteræ anni MCXXCVI. in Chartario Fuſniacẽſi quum *Tornaci ſive* (id eſt &) *Mauritania* meminere, *Moritaniam* ad Scaldin deſignant. Habet & *Moritaniam* ſuam Aquitania II. ad Garumnam non procul à caſtro Blavia, *Mortaigne*. *Caſtrum tam naturali ſitu quàm artificiali opere inexpugnabile Moretonium, in confinio minoris Britanniæ & Neuſtriæ ſitum*, Rigordus in Geſtis Philippi Auguſti comme-

montoſa & ſilveſtris regiuncula, fontibus abundans & paſcuis. In codice Muſciacenſis Monaſterii reperi Vitam S. Heptadii Preſbyteri, à veteri auctore compoſitam: in qua dicitur Heptadius ne Autiſſiodorenſis Epiſcopus fieret, *Morvinnum* fugâ petiiſſe. *Cellulâ ſuâ relictâ, proripuit ſe ad deſerta Morvinni, in montanam ſolitudinem properavit, & tamdiu ibi manſit*, &c. Vel ex eo uno apparet, *pagum Morvinnum*, ſicut diximus, montoſum ac ſilveſtrem & deſertum fuiſſe.

MOSA VICUS.

Moſa vicus in finibus Lingonum pagoque Baſſiniaco, à fonte fluminis Moſæ cui adjacet dictus, inter Andomatunnum Lingonum & Tullum Leucorum poſitus eſt, & ab urbe Lingonum quidem duodecim millia paſſuum, à civitate Leucorum xxx. abeſt, à Monaſterio Luxovio ferè quadraginta: uti Itinerarium Æthici docet his verbis. *Iter ab Antemantunno Tullo Leucorum uſque* M.P. XLIII. *ſic. Moſa* M.P. XII. *Solimariaca* M.P. XVI. *Tullum* M.P. XV. In Tabula Peutingerana vocatur *Moſe*, poniturque inter Nasium & Novimagum. Vocatur *Meuſe en Baſſigni*, qui eſt locus & vicus ad Moſæ caput inter ambas urbes Andomatunnum & Tullum. Eo in vico Salaberga, Gunduini viri illuſtris filia, natione Franca, in fundo paterno permiſſu viri ſui Richramni Cœnobium puellarum inchoavit: ſed cùm ſe in Auſtriæ Burgundiæque confinio minimè tuto loco poſitam eſſe animadverteret, cum Virginibus Deo devotis ampliùs centum cumque maximo apparatu Lugdunum Clavatum commigravit, Sigiberti Auſtraſiorum Regis, Dagoberti filii principatu: ubi Monaſterium opulentiſſimum ac nobiliſſimum & ſeptem Baſilicas exſtruxit, atque brevi puellæ ferè trecentæ ſunt adunatæ; quam vulgò S. Johannis Baptiſtæ Abbatiam appellant: unde ejectis poſtea propter incontinentiam puellis conſenſu Ludovici Craſſi atque Principum, earum in locum circa annum MCXXVIII. Bartholomæus civitatis Epiſcopus Monachos ſuffecit, ſicuti in libro XIX. Rerum Francicarum ſcripſimus. De *Moſa* vico in Vita Salabergæ hæc ſcribit auctor æqualis. *Qui* (Gunduinus pater Salabergæ) *eo tempore manebat apud villam quamdam Moſam nomine, ob amnem in eo loco defluentem ſic appellatam: qui amnis ex Lingonicis finibus fontem ſumens, poſt multos amfractus crebroſque terra circuitus, Rheni velociſſimè fluminis in ſe fluenta ex parte recipiens, Oceano Barbarico latè ingeritur*, id eſt, recepto Vacali, *Oceano* Batavico ſeu Friſiaco, *Germanico* olim ſeu *Septemtrionali* dicto infertur. Ex quo intelligitur *Moſam* villam (ſic tum vicos appellabant) inter Gundoini poſſeſſiones fuiſſe.

MOSA FLU. AC MOSANUS PAGUS, QUI ET MASAU PAGUS, SEU COMITATUS MASAGOUUI.

A *Moſa* flumine nobiliſſimo & maximo quod Græcis ὁ Μόσας dicitur & Μόσης, *Maſau* pagus nomen accepit. *Moſam* enim veteres *Mas*, *Maſa*, & *Maſe* dixerunt, quem poſteriores *Maes* vocitarunt: cui rei indicio ſunt nomina recentiora, locorum, *Maeſtricht* ſive Trajectum ad Moſam; Moſacum ſeu Maſacum Comitatus Loſſenſis clarum opidum, *Maes-eyck*, id eſt Quercus Moſæ; *Crommaes* vicus ad flumen Moſam proximus Leodico, ſeu Cromium ad Moſam.

Maſau ergo dictus eſt nomine Germanico pagus Moſanus, ut *Hainau* vel *Hainou* pagus Hainoenſis, ille à Moſa fluvio, hic ab Haina amne: itaut *au* vel *ou* pagum olim linguâ Germanicâ ſignificâſſe videatur.

Ejus pagi meminit ante annos ferè mille Paulus Verodunenſis Epiſcopus in epiſtola ad Deſiderium PP. Cadurcenſem Antiſtitem. *De Regis* (*Siggiberti*) *conditione innoteſcimus. Nuper per Viredunum Remos pergit, ibique Nativitatem Domini exſpectat: inde autem Leuduno accedit, & inde in Maſao, ac poſt ripa Rheno pergit.* Ait Sigibertum Auſtraſiorum Regem, Dagoberti majorem filium, qui circa annum Chriſti DCXXXIII. Rex in Auſtria à patre eſt conſtitutus, per Verodunum Remos, tum Laudunum ſeu Lugdunum Clavatum, inde *Maſau* ſive Moſanum pagum, ac demum ripam Rheni à qua Ripari nomen habent, eſſe petiturum. In Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Maſau* etiam vocatur Moſanus pagus, & dividitur in ſuperiorem ac inferiorem ex utraque parte fluminis Moſæ ſic. *In portione quam ſibi Ludovicus accepit: Hattuarias, Maſau ſubterior de iſta parte; item Maſau ſuperior, quod de iſta parte eſt; Lingas, quod de iſta parte eſt. In portione quam Karolus de eodem Regno accepit, in Haſbanio Comitatus IV. Maſau ſuperior de iſta parte Moſa; Maſau ſubterior, quantum de iſta parte eſt, Lingas, quod de iſta parte Moſa eſt, & pertinet ad Veſatum.* Quæ verba docent, *pagum Moſanum* ſive *Maſau* cùm ſuperiorem, tum inferiorem, non totum Moſæ flum. curſum à capite ad oſtium uſque deſignaviſſe, ſed tantùm modicam ejus fluvii partem, quæ dextrâ ripâ ab Attuariis ſeu Nerſæ amnis oſtio ad Leodicenſem pagum pertinebat; ſiniſtrâ autem ripâ inter Haſbaniam & agrum Leodicenſem jacebat: ſi tamen inter Leodicenſem vel Liugenſem pagum & Haſbanium, qualis nunc uterque eſt, interjacere pagus alius potuit, non contemnendæ magnitudinis, & in ſuperiorem inferioremque diviſus. Certè fluminis Moſæ ripas hinc & inde attingebant pagi *Baſſiniacenſis*, *Barrenſis*, *Tullenſis*, *Verodunenſis*, *Vabrenſis*, *Moſomagenſis*, *Arduennenſis*, *Haſbanius*, *Leodicenſis*, *Riparius*, *Attuarius*, *Teſtrabentum*, *Batavia*, aliique pagi. Legi catalogum Abbatum Gemblacenſium MS. in quo *pagus Maſavv* terminatione Germanica nuncupatur, ſicut ſuprà *Maſau*.

Eginhardus in libri IIII. de tranſlatione SS. Martyrum Marcellini & Petri capite VIII. nomine Latino *pagum Moſanum* appellat, quemadmodum alii *pagum Moſariorum*, alii *pagum Moſanorum*. Eginhardi verba ſunt. *Eſt fundus Regius in pago Moſano, VIII. circiter leugis ab Aquenſi vico diſparatus: Gangluden habitatores appellant.*

Nithardus compoſito nomine Germanico

Comitatum Maſagcbbi, aliàs *Maſagovvi* nuncupat in libro I. id eſt *Moſanum pagum*. *Maſa* enim Germanis Moſam; *gobbi*, vel *govvi*, vel *govve* pagum ſignificat. Annales Bertiniani *Comitatũ Moſagao* in anno DCCCXXXVII. Germanicè quoque pagum huncce appellavere, Nithardo ad verbum tranſſcripto; *Moſgavam* alii; *Comitatum Maſeland* Arnulfus Rex Francorum Orientalium, qui poſtea Imperator factus eſt, in litteris, in quibus *Abbatiam S. Servatii quæ vocatur Trajecta*, (id eſt Trajectum Moſæ) *in Comitatu Maſeland conſiſtentem* nuncupavit ante annum Domini DCCCXCVI. *Comitatum Maſalant* Otto III. Aug. Ex *Maſeland* Germani fecere *Maeſlandt*, quod nunc in uſu eſt: ex quo Latinus ſcriptor facere *Moſalandiam* poſſit.

Pagus Moſanus ſuperior, dicitur à Germanis *Opper-Maeſlandt*, hoc eſt ſuperior Moſæ ager, vel *Moſalandia ſuperior*; *pagus Moſanus inferior*, *Onder-Maeſlandt*, id eſt inferior ad Moſam ager aut terra, ſeu *Moſalandia inferior*.

Notanda ſunt de *Moſa* ortu curſuque verba C. I. Cæſaris in Commentariorum belli Gallici libro IV. quæ talia ſunt. *Moſa profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni receptâ quæ appellatur Vacalis, inſulam efficit Batavorum, neque longiùs ab eo millibus paſſuum LXXX. in Oceanum influit.* Idem ait auctor vetus, qui libellum de Vita Salabergæ Abbatiſſæ ad Anſtrudem ejus filiam & in Laudunenſis Monaſterii regimine ſucceſſorem ante annos ferè mille compoſuit, quum de Moſa ſic ſcribit. *Qui amnis ex Lingonicis finibus fontem ſumens, poſt multos amfractus crebroſque terræ circuitus, Rheni velociſſimi fluminis in ſe fluenta ex parte recipiens, Oceano Barbarico latè ingeritur.* Certè caput *Moſæ* hodieque eſt in Lingonibus, & in monte Vogeſo: quem Cæſar & Lucanus Lingonibus attribuunt, ſive is Lingonum proprius & peculiaris mons eſt; ſive eſt portio montis ejus, quem poſteriores ſcriptores tranſpoſitis II. litteris *Voſegum*, ac ſæpiùs *Voſagum* appellaverunt. *Moſa* autem *Rheni fluenta ex parte recipit*, hoc eſt partem Rheni *Vacalim* aut *Vahalim* dictam: & in *Septemtrionalem Oceanum* influit, quem *Oceanum Barbaricum* vocat Vita Salabergæ, quòd à feris barbariſque nationibus, præſertim à Friſiis Idolol atris tota hæc ora circa Rheni & Moſæ oſtia tum incolebatur.

Alluit *Moſa* *Moſam* vicum veterem, nomine ſuo nobilitatum, *Meuſe*; Novum Caſtellum *Neufchaſtel*, Sabiniacum *Savigny*, Novam-Villam *Neufville*, Vallem Coloris *Vancouleur*, *Commerciacum villam* quondam territorii Tullenſis in Leucis, nunc opidum, *Commerci*; *Vinetum Vigny*, Pontem *Pont*, Alliacum *Ailly*, opidum S. Michaëlis Monaſterio & nomine illuſtre, in pago parœciaque Verodunenſi, *S. Mihiel*, Verodunum *Verdun*, Campos, Clariacum *Clairy*, Dunum *Dun*, Villam Francam ſeu liberam *Villefranche*; Satanacum *Stenay*, Moſomagum Remorum *Mouſon*; Sedanum, Doncherium, Macerias *Meſiere*, & Caroli villam *Charleville*, IV. loca in Remis poſita; Fumacum *Fumay*, Caroli-Montem *Charlemont*, Acutum Montem *Aiguemont*, Deonantum Tungrorum *Dinant*, Bovinam *Bovinne* vel *Bouvines*; Namucum *Namur*, ubi Sabi augetur; Andanam *Anden*; Hoium *Huy*, Leodicum *Liege*, nunc Tungrorum & Trajectenſium caput, ubi Urtam fluvium accipit *Ourt*; Jopilam *Jupile*, villam quondam Regiam; Viſatum *Veſét*, Trajectum ſuperius cognominatum vel ad Moſam, *Maeſtricht*. Tum *Rura* fluvius nobilis, *Roer* vulgò dictus, qui Marcodurum *Dure*, & Juliacum *Juliers* prætérlabitur, apud Ruræmundam, *Ruremonde* Noſtris, Germanis *Roermond*, id eſt *Ruræ oſ* nuncupatam, novam Epiſcopatus ſedem, *Moſâ* recipitur. *Moſa* demum Rheni parte Vacali receptâ, inſulam Batavorum facit; tum Oceanum intrat.

MOSELLA FLU. COMITATUS MOSELLANUS, DUCATUS MOSELLANORUM.

Moſella, qui Tullum Leucorum, Divodurum Mediomatricorum, & Auguſtam Trevirorum attingit, atque apud Confluentes in Rhenum labitur, á flumine *Moſa* paucis millibus paſſuum diſtat circa Tullum & Vallem Coloris: ex quibus Tullum Moſellæ adjacet; Vallis Coloris municipium aut caſtellum Moſæ: quod & Britto Armoricus VVilelmus ſcribit in libro X. Philippidos hocce diſticho

Millibus à Moſa diſtans ubi Muſula paucis,
Leucos & Mettes ſpecioſis irrigat undis.

Et *Moſella* quidem etſi eſt maximus & clariſſimus prov. Belgicæ primæ fluvius; tamen ſi non latitudine alvei, & rapiditate atque altitudine aquarum, ſaltem longitudine curſus *Moſâ* multo minor eſt atque inferior, per provincias Belgicam primam ſecundamque Germaniam, nimirum per Verodunum ac Namucum, & per Leodicum ac Ruræmundam Bataviamque Oceanum petente. Quapropter *Moſella* haud dubiè dictus eſt, quaſi *parvus Moſa*, aut *Moſa minor*, quòd Moſæ finitimo flumini magnitudine cederet. A *Moſa* ductum deminutivum *Moſella*, ut à catula catella, à fabula fabella, ab arca arcella, à capſa capſella. Quod cùm perſuaſiſſimum haberet Annæus Florus, in Epitomes Rerum Romanarum libri III. capite X. pro Moſella *Moſulam* dixit: quem VVillelmus Britto præter ceteros ſecutus eſt. Ex *Moſa* autem fit *Moſula* ὑποκοριστικῶς, id eſt *parvus Moſa*: ut ex caſa caſula, ex toga togula, ex ruta rutula, ex amica amicula, ex anima animula, ex rota rotula, ex maſſa maſſula, ex tunica tunicula, ex arca arcula, ex teſſera teſſerula, ex villa villula, ex capſa capſula. Verba Annæi Flori ſunt. *Hic verò jam Cæſar ultra Moſulam navali ponte tranſgreditur ipſumque Rhenum, & Hercyniis hoſtem quærit in ſilvis.* Quæ verba Cluverius in libri II. de Germania capite XIV. emendat hunc in modum. *Cæſar intra Moſellam nav. ponte tranſgreditur Rhenũ* In quo errat quidem, qui *Moſulam* pro *Moſella* à priſcis ſcriptoribus Ro-

manis nonnumquam dictum fuiſſe, minimè arbitretur bene tamen *ultra* in *infra* commutat apud Florum, ac *ipſumque* delet. Optimè etiam idem Cluverius nomen *Moſellæ* apud Cæſarem in libro IV. Commentariorum belli Gallici reſtituit. *Germani ſe ex caſtris ejecerunt; & cùm ad confluentes Moſæ & Rheni perveniſſent, ſe in flumen præcipitaverunt.* Ibi emendat feliciſſimè: *cùm ad confluentem Moſellæ & Rheni perveniſſent*: certiſſimâ conjecturâ.

Vetus *Moſellam atque Ararim factâ inter utrumque foſſâ connectere paravit, ut ſublatis itinerum difficultatibus, navigabilia inter ſe Occidentis Septemtrioniſque litora fierent*: uti ait Tacitus in libro XIII. Annalium.

Ptolemæus *Obringam* vel *Obrincam* novo nomine & ceteris omnibus incognito *Moſellam* appellat: uti Scaldim Ταβοῦδαν, *Tabudam*; Suminam noſtrum Φροῦδιν, *Frudim*. Tabula Theodoſiana *fluvium Muſallam*, Fortunatus in libris Carminum III. & VII. *amentem & viniferam Mŭſellam* nuncupat, fluvium ab Auſonio eleganti carmine celebratum, à quo, ut & à ceteris omnibus *Mŏſella* vocitatur.

A Moſella *pagus Moſellanus* vel *Moſellenſis* nomen accepit. Paullus Langobardus in libro de Epiſcopis Mettenſis Eccleſiæ *pagi Moſellenſis* meminit ante annos DCCCXXC. quum de Chrodegango Antiſtite ſic refert. *Ædificavit Monaſterium in parœcia B. Stephani*, (id eſt in parœcia Mettenſis Eccleſiæ, cuius patronus eſt Stephanus) *in pago Moſellenſi, in honore B. Petri Apoſtoli, & ditavit illud opibus magnis, Monachoſque ſub regula S. P. Benedicti ibi conſtituit.* Eſt autem Monaſterium S. Petri non procul à flu. Salia & ab urbe Mettis. Monachus Sanctigallenſis in libri II. capite XXI. *Godefridus* (inquit) *Rex Nordmannorum fines Regni Francorum invaſit, Moſellanumque pagum in ſedem ſibi prælegit.* *Pagus Moſellanus* aut *Moſelenſis* non totum agrum Moſellæ utrimque adiacentem, ſeu totum Moſellam à capite ad oſtium continebat, ſed tantummodò partem eius circa Divodurum, ſive regionem circa urbem Mettas iacentem: quem & *Comitatum Moſellenſem*, vel contracto nomine *Moſlenſem* appellatum eſſe animadverto, necnon *Moſellim*, aut indeclinabili nomine *Moſellis*. Certè in Diviſione Regni Ludovici Pii inter filios, inter pagos Landunenſem & Treviricum qui & ipſe ad Moſellam eſt, *Moſellanus pagus* ponitur hiſce verbis: *Landunenſis, Moſellis, Treveris*: & Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, in eodem pago quem *Comitatum Moſlenſem* vocat, *civitatem Mettas* collocat. *Civitatem Mettis cum Abbatia* puellari *S. Petri, & S. Martini, & Comitatu Moſlenſi, cum omnibus villis in eo conſiſtentibus tam dominicatis quàm & Vaſſallorum.* Ibidem *Calmontis, Tullenſe, Scarponinſe, & Treveris* memorantur: ut appareat pagos *Calmontenſem* vel *Calvomontenſem, Tullenſem, Scarponnenſem*, & *Treviricum*, qui ad Moſellam erant, à *pago* Comitatuve *Moſellenſi* fuiſſe diſtinctos, & *pagi Comitatuſve Moſellenſis* nomine *Metenſem pagum* Comitatumve ſolum, ſeu *Metingouvam* tum deſignari conſueviſſe. Ut autem *Moſella* & *Muſella* dictus eſt nonnumquam, ac trunco nomine *Moſla*; nunc *Moſlenſem*, nunc *Muſellenſem pagum*, interdum & *Muſellanenſem* ac *Moſellanenſem* non ſervatâ analogiâ vocavere. Germani *Muſelachgouvam* vel *Moſelgouvam*, vulgò *Muſel-gouv* nuncupant, id eſt *Moſellanum pagum*, quem ad ripas ſuperioris Moſellæ eſſe aiunt.

Imperante Ludovico Pio, ante annos DCCCXXX. *Ducatus* etiam *Moſellanorum* fuit, à *pago Comitatuve Moſellano* diſtinctus, atque uti videtur, totum Moſellæ tractum deſignavit, aut certè maiorem eius partem. Annales Bertiniani in anno DCCCXXXIX. mentionem eius faciunt, & inter *Calmontenſes* ac *Arduennenſes* ponunt: *Comitatum Calmontenſium, Ducatum Moſellicorum, Comitatum Arduennenſium*: ex quibus Comitatus *Calmontenſis* etiam ad Moſellam flumen fuiſſe dicitur.

Mortuo Ludovico Pio Aug. Lothario Aug. filiorum eius trium maximo præter ceteras obvenit regio, quam poſtea Lotharius Lotharii Aug. minor filius obtinuit, & ſuo nomine *Regnum Lotharii* appellavit. Ibi ipſe regnavit, deinde Zuentibaldus, Arnulfi Aug. ex concubina filius. Lotharii Regno in varia membra diviſo varioſque principatus, duo in primis Ducatus ibi ſunt inſtituti, alter Lotharingiæ ſuperioris, alter inferioris; ambo *Ducatus Lotharingiæ* vel *Ducatus Lotharingorum* communi nomine nonnumquam appellati. Ex his Ducatus Lotharingiæ ſuperioris, à VVippone *Ducatus Lotharingorum*, à Lamberto Schafnaborgenſi *Ducatus Moſellæ regionis*, à Sigeberto *Ducatus Moſellanorum* vocatur: Ducatus inferioris Lotharingiæ quem Duces Brabantiæ tenuerunt, à VVippone *Ribuariorum Ducatus*, id eſt *Ripariorum*, à Lamberto Schafnab. à Sigeberto aliiſque *Ducatus Lotharingiæ* eſt appellatus, & *Lotric* hodieque dicitur. *Ducatus* autem *Moſellanorum*, ut Ludovici Pii principatu, ſic & tum totum Moſellæ tractum, ſive regiones aut pagos flumini ex utraque ripa adjacentes à capite ad oſtium continebat: cujus portio *Ducatus Lotharingiæ* jampridem vocatur, atque à ſede Ducum *Ducatus Nanceii*.

Oritur Moſella in Lotharingia, & alluit Stratam *l'Eſtraye*, qui locus Valli nomen dedit, *Val de l'Eſtraye*; Romarici montem veteri Monaſterio nobilem, *Remiremont*; Spinalium *Eſpinal*, Caſtellum *Chaſtel*. Ad-Carpinos *Charmes*, Baionem *Bayon*, Caleniacum *Chaligni*, Tullum Leucorum *Toul*. Fontanetum *Fontenoy*, Liverdunum, Condate *Condé* ad eius & Mortæ confluentem; Scarponnam *Sarponne*; Montionem, *le Pont à Mouſſon*; Divodurum Mediomatricorum ad Saliæ & Moſellæ confluentes; Theodoniſvillam, Palatium Caroli Ducis poſterorum, *Thionville* Noſtris, Germanis *Dieden-Hoven* dictam; Sircam *Sirck*, Palatium *Pfaltzen*, Auguſtam Trevirorum *Trier* aut *Treves*; Eringium *Erang*, ad quod opidum Celbi augetur, *Kil*; tum Noviomagum *Numagen*: tandem apud Confluentes *Coblentz* in Rhenum effluit.

MOSOMAGUS ET PAGUS MOSOMAGENSIS.

Moſomagus à flumine *Moſa* cui adjacet, Gallicum nomen invenit, quaſi *Moſæ* vel ad Moſam *manſio*: vulgò *Mouſon*. Remigius in quadam ad Falconem Epiſcopum epiſtola *locum Moſomagenſem* appellat, *cujus Eccleſiam Metropolitani urbis Remorum ſua ſemper ordinatione rexerunt*. In Notitia Imperii Romani milites delectos ex incolis loci ejus contracto nomine *Muſmagenſes* dici reperio, *intra Gallias cum V. I. Magiſtro Equitum Galliarum* conſtitutos. Lupus in libro de Vita Maximini Trevirorum Epiſcopi, quem ante annos DCCCXXX. compoſuit, *Maſomagum caſtellum* vocat à Moſa, qui & *Maſa* dictus eſt, *Maes*.

Recentiores, in primis Frodoardus cùm in Hiſtoria Remenſi, tum in Chronico *Moſomum* appellavere: ut ex *Rotomago Rotomum* & *Rodomum*; ex *Noviomago Noviomum* factum videmus. *Anno* DCCCCXLVIII. *Synodus* (inquit Frodoardus in Chronico) *celebratur in Eccleſia S. Petri ante proſpectum caſtri Moſomi à domno Rotberto ceteriſque Treverenſis Diœceſeos Epiſcopis, & aliquibus Remenſis. Moſomi* Cœnobium antiquum Sanctimonialium, quod Heriveus Remenſis Archiepiſcopus in honore S. Dei genitricis Mariæ conſecraverat, Canoniciſque attribuerat, Adalbero ejus ſucceſſor anno DCCCCXCIII. Canonicorum loco Monachis dedit, & Abbatem eorum Ledaldum ordinavit.

A *Moſomago pagus* vel *Comitatus Moſomagenſis* nomen accepit. Hincmarus in Vita S. Remigii *Duciacum villam in pago Moſomagenſi* à Chlodoaldo Eccleſiæ Remenſi donatam eſſe ait. Annales Bertiniani referunt, anno DCCCLXII. Ludoicum & Carolum Reges *condicentes placitum ſui conventus in futuro menſe Octobrio in confinio Moſomagenſis & Vongenſis Comitatus, ab invicem receſſiſſe*.

Ex *Moſomago* truncato nomine *Muſmagum* & *Muſmagenſes* primùm, deinde contractiore vocabulo *Moſmum* & *Moſmenſes* fecerunt pro *Moſomum* & *Moſomenſes*. Certè Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta inter territorium *Vaurenſe* ubi Comitatus duo erant, & *Caſtricium*, *Moſminſe* p om th oc eſt *Moſomagenſe*.

MOTA.

Motam parvum montem ſeu monticulum Noſtri appellavere. Hinc *Mota*, *la Mote*, caſtrum impoſitum monti ad amniculum qui in Moſam defluit. Hinc *Mota Galtery* Orderico Vitali in libro X. memorata, *Mons Galtery* ab aliis dicitur, vulgò *la Mote Gautier*. Eſt & *caſtellum de Nube* in pago Sagonenſi apud Cenomanos: quod Ordericus *Montem de Nube*, at Noſtri *la Mote de la Nuë* vocitant. Ex quo apparet *Motam* & *Monticulum* unum idemque eſſe. Certè multa ſunt caſtella in Galliis, parvis montibus impoſita, plurimi etiam vici *Mota* à ſitu dicti, & variis cognominibus diſtincti, in primis Mota Vetus in Arvernis, *Motte Antique*. Mota Acardi, vel Acharii, *la Mote Achard*; Mota Fulcramni aut Folcradi, *la Mote Foucran*; Mota Brimaldi, *la Mote Breman*, vel potiùs *Breman*; & quas Motam Fraxilonis, *la Mote Freſlon*, Motam Maximiani, *la Mote Meſſemé* Johannes Beſlius in litteris ad Andream Cheſnium appellat. Quin & tumorem vel eminentiam pudendi muliebris Medici *monticulum Veneris*, Noſtri *motam* appellitant; glæbas item vel cæſpites duros & elatos, necdum vomere proſciſſos *motas* nuncupant agricolæ. Nomen autem Latinum eſt *mota*: & ut *mons* dictus eſt à *movendo*, quod minimè moveat; ita & *mota* à ſupino *motum* appellatio ſine dubitatione deducenda.

MUCRA FL.

Mucra fluvii, *Mugra* aliis dicti, vulgò *Morin*, Jonas in Vita Euſtaſii Abbatis meminit ante annos mille: *Monaſterium Virginum Chriſti ſupra paternum ſolum inter fluvios Mugram & Albam ædificat*.

Duo autem ſunt ejus nominis fluvii, major & minor cognominati: *Mucra major*, *Mucra* plerumque dictus abſolutè, vulgò *le Morin*; & *Mucra minor*, quem Noſtri *le Petit Morin* appellitant. Ambo in Matronam decurrunt, hic quidem infra Jotrum ad Firmitatem Auſculfi vel ſub Jotro; ille paullo infra Meldos urbem. Monaſterium Jotrenſe à Matronæ & *Mucræ* minoris confluente parum abeſt. *Mucra* major Novum Vicum, *Neuvi*, Firmitatem Galtheri vel Galcherii, *la Ferté Gaucher*, Gaudiacum *Jouy ſur Morin*, Buſciacum *Boiſſy*, caſtrum Columbarium *Coulomiers* attingit: tum Albam recipit, (*Aubete*) deinde ad Evoriacas ſeu Faræ Monaſterium & ad Cellam proximè accedit, Creciacum vel Criſciacum *Creci en Brie* alluit; apud Condate *Condé* navicularum patiens eſſe incipit, ac ſub mœnibus Meldorum civitatis apud Vinetum *Vigny* in Matronam effluit; *Mucra Columbarienſis* quibuſdam cognominatus.

Duas Mucras commemorat Vita S. Agili Abbatis Reſbacenſis. Hi autem fluvii nihil præter nomen habent inter ſe commune; niſi quòd eodem flumine, ſed ſeparatim recipiuntur: & *Mucra minor* à majori IV. leugis aut etiam ampliùs diſtat, quum minùs diſtat.

Mucram autem Noſtri *Morin* appellitant pro *More*; ſicuti Lupam *Loüin* aut *Loin* pro *Loüe*; Taram Bellovacenſem fluvium *le Terin* aut *Tairin* pro *Taire* ſeu *Tere*: quo nomine olim appellatum eſſe Taram à Francis indicat locus, *Mons ad Taram* vel Mons Taræ, *Montatairè* vulgò dictus hodieque.

MUENNA.

Æthicus in itinere à Bagaco Nerviorum Durocordorum Remorum, inter Minaticum & Durocordorum *Muennam* ponit, à *Minatico* millibus paſſuum VIII. à *Durocortoro* X. diſtantem, à *Verbino* (*Vervin*) XXI. Cluverius *Auxenna* ibi legendum putat, ſeu *Axuenna* pro *Muenna*, & *Axonam* vult intelligi, repugnante veterum codicum auctoritate, in quibus *Muenna* plerumque, nonnumquam

& *Avennia* reperitur, ſi qua Suritæ habetur fides.

MULCEDONUM.

Caſtrum Mulcedonum reperitur in veteribus tabulis à Juſtello publicatis. *Mulſedonum* Odo Cluniacenſis Abbas in libro IV. de Vita S. Geraldi Aureliacenſis Comitis appellavit ante annos circiter DCCXL. his verbis: *Non longè ab opido, quod ruſtici Mulſedonum vocant*. Vulgò dicitur *Mucidan*, opidum in *Petrocoriis* ſiniſtræ ripæ Ellæ fluminis appoſitum. Idem Odo de Geraldo in libro de Vita eius II. ſic ſcribit: *Cùm alodus ejus eſſet Poſtomia, & deinceps latifundia ejus ita ſibi ſuccederent, ut uſque ad Montem magnum Greonem poſſet iens & rediens in ſuis manſitare capellis.* Legendum puto *campellis*, id eſt prædiolis. *Mons* autem ille *magnus Greo* eſt citra dubitationem *Puy de Grion*, ſive *Podium Greo*, mons celſiſſimus, ab Aureliaco opido IV. ferè leugis diſtans. Podium & mons Noſtris res eadem eſt. In litteris Guillelmi *de Birontio* (*Biron*) anno MCXV. datis *Moiſſidanum* vocatur non ſemel, & cum Monte Incenſo *Momences*, Gordone *Gordon*, Cadunio *Cadonin*, & Bitontio *Biron* memoratur.

MURA.

Locus eſt in Helvetiorum finibus, qui *Diœceſi Conſtantienſi, pagoque Argovva* & *Comitatui Rore* attribuitur, vetere Monaſterio ejuſdem nominis clarus. Legi Origines Monaſterii Murenſis, circa annum MCXLII. ſcriptas, in quibus hic vicus cum Abbatiali Cœnobio *Mura*, & *Mure* nuncupatur, vulgò *Mury*. *Argouva* autem vel *Aragouva* à fluvio *Arola*, quem recentiores nonnulli *Ararim*, accolæ nunc *Ar* & *Aar* vocant, Germanicum nomen accepit. In hiſce Originibus *Fierritum Ferrette*, caput Comitatus cognominis, *Lucernam*, *Turegum*, & *vicum Rufach in Alſatia* memorari video.

MURELLUM.

Petrus qui ante annos CCCCL. de bello Albigenſi ſcripſit, *caſtrum prope Toloſam nomine Murellum* in capite LXIII. commemorat, quod *caſtrum amœniſſimum, ſuper Garonnam fluvium ſitum fuiſſe* ait *in terra Comitis Convenarum*, & pontem ligneum longiſſimum habuiſſe; ac nunc *Murellum*, nunc *caſtrum Murelli* non ſemel vocat. Vulgò *Muret* nunc vocatur, corruptè pro *Murel*: contrà *Lunate*, & *Monaſterium S. Petri in Lunate*, in Septimania, cuius meminit ſtatutum Ludovici Pii Imper. de Monaſteriis Regni Francorum, *Lunel* nuncupatur pro *Lunet*, non procul ab urbibus Nemauſo & Monte Peſſulano. *Murellus* vel *Murellum*, à parvis & humilibus muris nomen accepiſſe mihi videtur, adſideтque flumini Garumnæ, & III leugis ab urbe Toloſa abeſt, à Fano Jovis VIII. & Convenarum Comitatus portio pridem habetur. Franciſcus Bellaforeſtius Convena cum Sammathano de primatu Comitatus Convenarum *Murellum* contendere affirmat, nec aliter quàm *Murel* appellat: qui ſcire debuit, & profectò etiam ſcivit, qua ratione Convenarum urbes linguâ patriâ nuncuparentur. Petrus ſuprà laudatus in capite LXXI. duos *caſtri burgos* commemorat; in capite ſequenti *baſilicam caſtri*, & *Eccleſiam burgi*. Anno MCCXIII. Petrus Rex Aragonenſium cum Toloſano, Convenico & Fuxenſi Comitibus, & Gaſtone de Bearno *Murellum* obſedit, atque à Simone Comite Montis Fortis ſuperveniente, & à militibus Catholicis Cruceſignatis pridie Idus Septemb. fuſus acie & interfectus eſt, & cum ipſo XX. circiter hominum millia aut gladio cæſa, aut vi fluminis oppreſſa. Eſt è regione Mellenti, interfluente Sequanâ vicus, quem *Murellas* vocant, *les Mureaux*.

MURITTUM.

Quod veteres *Murittum*, & *Muritum*; recentiores *Moretum* dixere. Legi *Concilium Muritenſe* MS. anno Chriſti DCCCL. habitum. Lupus Abbas Ferrarienſis, Caroli Calvi æqualis, *Murittum* etiam commemorat. VVillelmus Britto in Philippide *Morets* meminit, & liber Mirabilium rerum à Bernardo geſtarum, in quo *Moretum opidum* vocatur, necnon *caſtrum*; & iuxta id *leproſorum domus* eſſe dicuntur. Ibidem hæc legimus. *Caſtrum egreſſi* (Moretum) *flumen tranſivimus, quod Loen vocant.* In codicibus ſcriptum reperitur *Luten* mendosè pro *Lupen* aut *Luen*. Fluvius enim cui *Murittum* appoſitum eſt, *Lupa* Latinis ſcriptoribus, *Loin* Noſtris nunc vocatur, cùm *Loen* & *Luen* olim vulgò nuncuparetur. Poſitum eſt *Murittum* in pago VVaſtinenſi, Diœceſique Senonica, quod Hugo Pictavinus in Chronico Viceliacenſi ante annos D. etiam *Moretum* ter vocat. *Egreſſi ſunt omnes cum Rege & Optimatibus ſuis in Nemore conſito ſupra Moretum*: item, *Convenerunt in Nemore, quod eſt ſupra Moretum*: item, *Convenerunt in domum Fratrum Vizeliacenſium, quæ ſita eſt ſuper fluvium Lupa apud Moretum. Murittum* proximum eſt *Nemori*, (*Nemours*) & in tabulis ante D. annos & ampliùs datis non aliter quàm *Moretum* priſcâ appellatione corruptâ nuncupatur. Ab *Murito* vel *Moreto Moritonium* ſeu *Moritonia* deduci videtur. *Murittum* dictum à Noſtris, *Moret*, ut Ligerittum flumen *Loiret*, Rumbelittum *Rambolüllet*, Bonnitus vel Bonitus *Bonnet*.

MURSA.

Magnentius occiſo Conſtante Auguſto Imperator à militibus appellatus, Gallias cum Hiſpania & Britannia, Italiamque & Africam occupavit, ac per triennium cum Conſtantio Aug Conſtantis fratre bellum geſſit. Prima apud *Murſam Pannoniæ* inferioris civitatem, quam aliqui *Murſiam* vocant, inter ambos pugna commiſſa eſt Ibi magno atrocique prœlio ſuperatus, ac iterum in Alpibus Juliis ad manſionem Longaticum, cùm ſe in Italiam recepiſſet, apud Ticinum Liguriæ urbem plurimos Conſtantianos fudit, incautiùs & audaciùs perſequentes. Poſtea *ad Murſam*

caſtellum Galliarum victus Magnentius & in munimentum illud compulſus eſt. Περὶ Μύρσαν (φρούριον ἐστὶ τῆς Γαλλίας) ὁ Μαγνέντιος ἡττηθεὶς συνεκλείσθη. Deinde circa *Montem Seleucum* locum ita dictum pugnâ conſertâ, omnes copias ſuas amiſit, ac ſolus fugit Lugdunum urbem Galliæ, *quæ à Murſa caſtello abeſt itinere tridui*, ubi obſeſſus necem ſibi intulit. Φεύγει μόνος εἰς Λουγδοῦνον πόλιν τῆς Γαλλίας, εἰς ἣν ἀπὸ Μύρσων ἐστὶ τοῦ φρουρίου τριῶν ἡμερῶν ὁδός: ut ſcribit Socrates in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libri II. capite XXXII. *Murſam* ſuam vel *Murſa caſtellum Galliarum* vocans, & trium dierum itinere ab urbe Lugduno Galliæ diſtare diſertè aſſerens. In Gallia igitur locum aliquem ejus nominis fuiſſe aperteſſimè indicat Socrates, tam exacta deſignatione diſtantiæ Murſæ ſuæ à Lugduno Segusianorum, quæ diſtantia niſi in locum aliquem Galliæ cadere ac convenire non poteſt: in Murſam utique Pannoniæ non cadit, uti omnes vident, cùm & *Murſam* de qua heic loquitur, *caſtellum Galliarum* Socrates appellat. *Murſam* iſtam, *Galliæ caſtellum, tridui itinere diſtantem ab urbe Lugduno*, ubi Magnentius periit, exiſtimo eſſe eam, quæ ſublatâ unâ litterâ nunc appellatur Mura, *la Mure*, & in Dalfinatu poſita eſt, abeſtque ab urbe Lugduno leugas circiter XXV. aut etiam XXX. quæ trium dierum iter facilè conficiunt.

MURTENA.

Murtenam caſtrum in Burgundiæ Regno memorat Hermannus Contractus in Chronico, quod Odo Princeps Gallicæ Campaniæ ceperit cum *Nuenburg*, ac præſidio firmaverit anno MXXXII. *Murtenam* inſequenti anno ab Imper. Conrado hieme fruſtra obſeſſam, anno MXXXIV. cum Geneva & pleraque Burgundia receptam fuiſſe ſcribit. *Murtena* incolis *Murten*, Noſtris *Morat* dicitur, nomenque dedit *lacus Murtenenſi*, *Murtenſee*, non longè à Friburgo & Berna opidis haud antiquis. Litteræ Chuonradi datæ anno DCCCCXXXII. pro Murtena *Muratum*, & lacum cui adſidet *Muratenſem lacum* appellant. Hic eſt locus Caroli Burgundiæ Ducis clade & Helvetiorum de eo victoriâ nobilis anno MCCCCLXXVI. Quidam *Murtenam* opidulum Comitatus Rotundimontenſis vocant; quod dum obſidet aut potiùs oppugnat, Carolus acie fuſus eſt, amiſſis armatorum millibus ampliùs XX.

MUSCIACUM.

Vetus eſt locus ad flumen Tarnim in Cadurcis *Muſciacum*, priſco Monaſterio illuſtre, quod vulgò *Moiſſac* appellant. *Monaſterium Muſciacum* Vita Ludovici Pii Aug. numerat inter Monaſteria ab eo in Aquitaniæ Regno reparata, aut à fundamentis extructa: ejuſdem decretum de Monaſteriis anno DCCCXVII. *Monaſterii Muſciaci* meminit. Rigordus de Geſtis Philippi Aug. in anno MCXCVIII. *Moiſacum caſtellum* ad Comitem Toloſæ pertinens vocat; Petrus Monachus Vallium Cernaii in capite LXIII. libri de bello Albigenſi *caſtrum Moſaicum, ſitum ad pedem montis in planitie prope fluvium Tarnim, dulciſſimis fontibus* intra muros *abundans*: quod & *Moiſiacum* appellat, & à *Mois*, id eſt aqua, nomen accepiſſe falsò exiſtimat. Nam ex *Muſciaco Moiſiacum* & *Moiſacum* fecimus, ex *Moiſaco Moiſſac*. Caſtri *Eccleſiam nobiliſſimam & ampliſſimam*, & *Monaſterium mille* olim *Monachorum* ibidem celebrat.

N

NAMNETES,

ET CIVITAS NAMNETUM.

NANNETES à Julio Cæſare vocantur in libro III. Commentariorum belli Gallici, ponunturque inter civitates oræ maritimæ Galliæ Celticæ: Plinio in Lugdunenſi Gallia *Nannetes ultra peninſulam ſpectatiorem excurrentem in Oceanum à fine Oſiſmiorum*: Straboni *Namnitæ*, Ναμνῖται; Ptolemæo Ναμνῆται, *Namnetæ*: ut eidem Meldæ, Carnutæ, Andicavæ, qui aliis Meldi, Carnutes, Andicavi: *Namnetes* in Hiſtoriæ Miſcellæ MS. libro VI. vulgò *Nantois*, mediâ ſyllabâ truncato nomine *Namnetum*.

Eorum Urbs à Ptolemæo appellatur Κονδιούϊγκον, *Condivicnum*, Gallico nomine compoſito ex *Condate* quod confluentes deſignat, & *Vicnum* vel *Juicnum*. Eſt enim poſita ad confluentes Ardræ interfluentis & Ligeris alluentis, contra oſtium Separis Namnetici cognominati. *Portus Namnetum* in tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana dicitur, quòd ex provinciis locisque maritimis eò merces adverſo flumine Ligere important majora quæque navigia æſtu Oceani ſublata. Notitia Imperii in tractu Armoricano & Nervicano *Grannonam* ponit & *Blabiam*, *Venetos*, *Oſiſmios*, *Mannatias*, *Aletum*, *Conſtantiam*, *Rotomagum*, *Abrincatas*. Ubi loco *Mannatias* emendandum puto *Namnatas* aut *Namnatis*, ſive *Namnetas* vel *Namnetis*. Hæc *civitas Namnetum* in veteribus Notitiis Provinciarum civitatumque Galliæ pleriſque; *civitas Nannetum* in nonnullis nuncupatur ac in provincia Lugdunenſi III. numero quinta ponitur. At apud recentiores nomine Gentis appellatur *Namneta*, ut vulgò *Nantes*. Sic Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VI. Hiſtoriæ capite XV. & octavi XLIII. *Namnetas* nuncupat, necnon *urbem Namneticam*, & *Namneticam civitatem*; Fortunatus quoque in libro III. Carminum, & Jonas de Vita Columbani, ac veteres nummi *Namnetas*, & *Namnetis*; Fredegarius in libri V. ac ultimi Chronici capite XXXVI. unâ litterâ ablatâ *Nametas*; Jonas idem in libello de Vita S. Columbani Abbatis *Nammetenſe opidum* & *Nammetenſem urbem*; Notitia Galliæ quædam *civitatem Nammetum*; Aigradus in Vita S. Anſberti Rotomagenſis Epiſcopi *Nemetenſem urbem ac regionem*. Ex quo intelligitur, qui *Nannetes* atque *Namnetes* à veteribus Hiſtoricis ac Geographis cùm Latinis tum Græcis dicti ſunt, eoſdem nunc ſublatâ, nunc mutatâ litterulâ modò *Nametas*, modò *Nammetas*, interdum & *Nemetes* dictos eſſe à recentioribus.

Gregorius in libri IX. capite XVIII. & in decimi libri capite XXV. more ſuo *Namneticos* appellat non modò civitatis urbiſve *Namnetum*, ſed etiam totius *pagi Namnetici* incolas atque habitatores: ut in Turonicis, Cenomannicis, Redonicis, Pariſiacis, Sueſſionicis, Bituricis, Santonicis, Petragoricis vel Petrocoricis ab eo factum obſervavimus. Ita *Æduicum* nuncupavit Auſonius eum, qui in Æduis, ſeu in capite Æduorum Auguſtoduno natus erat.

Idem Gregorius in libro IX. Hiſtoriæ Franciæ *terminum Namneticum* non ſemel, *territorium Namneticum* quoque, & *terminum Namnetica urbis* vocat, quem alii *pagum Namneticum*. *Ager Namneticus* ſive *Namnetum* vulgò dicitur à Noſtris truncato nomine *le Nantois*, totuſque ferè cis Ligerim eſt. Scobritum tamen ſeu S. Vitalis, Monaſterium Deæ vel S. Filiberti de Grandi lacu in pago Herbatilico, & Machicollium, locus pagi Ratêlis trans Ligerim, ſunt in Namnetica Diœceſi.

Robertus de Monte in Chronico anno MCLXXIV. *Mediam* & *Andegavenſem pagum* junctim ut contiguos pagos commemorat, & anno MCLVIII. ita ſcribit. *Reddidit Regi urbem Nannetis cum toto Comitatu Media*: quæ verba videntur indicare, *Mediam* ſive Comitatum Mediæ à *pago* Comitatuque *Namnetico* ſolo nomine differre.

Regnante apud Francos Carolo Calvo, *Redona* ac *Namneta* cum *Ratenſi pago* Britanniæ

acceſſere: quas urbes Nomenoius Britannorum Regulus armis occupavit, & Carolus Herispoio ejus filio ſucceſſorique condonavit. Nihilominùs tamen *pagus Namneticus* poſtea à Britannia diſtingui non deſiit. Legi litteras Alani Britannorum Comitis & Ermengardis ejus uxoris, vetantium quidquam exigi pro omnibus, *quæ de Britannico & Nannetico Conſulatu ad Fontem Ebraldi ducerentur veherentúrve*. Ubi vides *Namneticum Conſulatum* ſive Comitatum à *Britannico Conſulatu*, id eſt Comitatu apertè diſtingui. Fulco Comes Andegavenſis, Fulconis Comitis Andegavenſis ex filia nepos, qui de Conſulibus Andegavenſibus ac de ſeipſo ſcripſit paucis, & à Luca Acherio V. C. nuper eſt editus, *Conſulatum Andegavinum* XXVIII. *annis*, *& Turonenſem, Nannetenſem, & Cenomanenſem tenuiſſe ſe* memoriæ tradit: & Goſfridum Martellum Comitem Andegavorum, avunculum ſuum *guerram habuiſſe cum Guillelmo Conſule Pictavorum, & cum Aimerico Vicecomite Toarcenſi. & cum Hoelio Comite Nannetenſi, & cum Britannorum Comitibus, qui civitatem tenebant Redonenſem, & cum Hugone Cenomanenſi Conſule*. Quæ apertè docent, ætate Fulconis hujus, Andegavorum circa annum MXXC Comitis, *Namneticum Comitatum* à Comitatu Ducatúve Britanniæ, & *Comitem Namnetenſem* à *Comite Britannorum*, aut Duce Britanniæ fuiſſe diſtinctum. Hodieque ſuus eſt *Namnetis* totique pago Namnetico rector, à Britanniæ rectore diſtinctus.

NAMUCUM.

Mamucum caſtrum vocant Geſta Regum Francorum, in quibus invenimus apud *Mamucum caſtrum* Giſlemarum, Præfectum Palatii, Pippini Ducis copias fraude ac perjurio deceptas oppreſſiſſe, ac plurimos Auſtraſiorum nobiles viros interfeciſſe. Poſtea tranſpoſitis litteris *Namucum* dici cœptum: quo nomine à Sigeberto in Chronico, ab Anſelmo, plurimiſque aliis veteribus ſcriptoribus deſignatur: demum corrupto nomine & inſertâ r litterâ vocatum *Namurcum*, item *Namurcium*, & *Namurum*, ac *Namurſium*, ac *Nemurcium*. Locus eſt ad Moſam inter Deonantum & Hoium, Comitatûs ac novi Epiſcopatûs titulo inſignis, vulgò *Namur* dictus: ejus incolæ Latinè *Namucenſes* nuncupandi, Noſtris *Namurois* dicuntur, ut Clivenſes *Clevois*, Gelrenſes *Gueldrois*, Lucilburgenſes *Luxembourgois*. Comes Sueſſionenſis in litteris ad Ludovicum Francorum Regem ejus nominis ſeptimum *Comitem de Namur* commemorat: ex quo apparet ante annos D. nomen ejus caſtri vulgare in uſu eſſe. In Chronico Frodoardi nomen ejus corruptum eſt. *Anno* DCCCCLX. *Quidam Brunonis hoſtium Rotbertus nomine Manurcum caſtrum muniebat*. Ubi legendum *Mamurcum*, aut certè *Mamucum*, ſicuti in Geſtis Francorum nuncupatur.

NANCEIUM.

Nanceium (Nancy) caput Lotharingiæ Moſellanæ vel ſuperioris, Ducumque ejus ſedes ad flumen Mortam, Cameriaco (*Chambery*) capite Ducatus Sapaudiæ haud multo eſt clarius atque vetuſtius. Johannes Pariſienſis qui Memoriale Hiſtoriarum Philippi IV. Francorum Regis anno regni XXIV. ante annos CCCLXII. compoſuit, *Nanceii* mentionem facit, & Lotharingiam Moſellanam *Ducatum Lotharingiæ ſeu Nanceii* ſemel atque iterum appellat, non quòd Mettis, Veroduno ac Tullo urbibus, quas eidem Lotharingiæ attribuit, *Nanceium* præferri deberet, ſed quòd Ducum ſedes eſſet.

NANTOGILUM.

Nantogilum eſt in pago Vadenſi, *Nanteüil le Haudouin* vulgo dictum, hoc eſt *Nantogilum Hilduini*. Auctor Vitæ Ludovici Pii ante annos octingentos *Nantogilum* hoc commemorat, & inter *Monaſterium S. Dionyſii* atque *Cariſiacum villam Regiam* Noviomago proximam ponit, convenienti ſitu. Eſt & aliud *Nantogilum* ripæ fluminis Matronæ adpoſitum inter Firmitatem ſub Jotro & Caſtellum Theodorici, ſed huic quam illi propius, vulgò *Nanteüil*: quod in libro de Miraculis S. VValdeberti Luxovienſis Abbatis *vicus famoſi nominis Nant*, necnon *prædium Nant* nuncupatur. Eſt & *Nantogilum* in pago Porcenſi vel Reiteſtino, ad flumen Axonam inter Reitelle & caſtellum Portianum poſitum, *Nenteüil* vel *Nanteuille* nuncupatum: quod *Nantoilum* dicitur, & inter villas ad Remenſe Monaſterium S Remigii pertinentes numeratur in MS. codice ejus Monaſterii. Nimirum *Nantogilum*, *Nantoilum*, & *Nantolium* una res eſt: ut Vernogilum, Vernoilum, Vernolium, *Verneüil*; Bonogilum, Bonoilum, Bonolium, *Boneüil*; Argentogilum, Argentoilum, Argentolium, *Argenteüil*; Corboilum & Corbolium *Corbeüil* vel *Corbeil*. *Nantogilum* nomen accepit à *Nanto*, veteri vocabulo, quo Galli & Britanni rivum aquæ decurrentis, & multitudinem aquarum confluentium deſignavere. Multa ſunt alia ejus nominis loca in Gallia.

NANTUADIS.

Monaſterium Nantuadis in Statuto Imper. Ludovici Pii de Monaſteriis Regni Francorum memoratur anno DCCCXVII. & in Chronico S. Benigni hiſce verbis. *Carolus* (Calvus) *Imper. fines Lugdunenſium pertingens, ibidem vitâ defunctus eſt, atque in Monaſterio Apoſtolorum Petri & Pauli conditus, loco qui dicitur Nantoide à multitudine aquarum ibi confluentium*. *Nantuadis* igitur vel *Nantoidis*, locus Monaſterio veteri inſignis, ab aquis ibi confluentibus nomen accepit. Eſt enim poſitus inter duos lacus, ex quibus rivus paulo infra Nantuadim in alium amniculum decurrit, eumque auget. Silveſter Giraldus Britto, qui circa annum MCC. floruit, natuſque erat in Cambria ſeu VVallia, in qua Britanni ſedes habebant poſt adventum Saxonum & Anglorum in Britanniam, in capite III. libri I. Itinerarii Cambriæ nomen iſtud interpretatur his verbis. *Nant rivus dicitur aquæ decurrentis. Unde uſque hodie ab accolis*

locum iſte linguâ Cambricâ Landewi Nant-Hodeni vocatur, id eſt Eccleſia Davidis ſuper rivum Hodeni. Eadem autem lingua veterum Gallorum & Britannorum fuit, ut Cluverius alii que docent: quæ hodieque in Britannia noſtra interiore, & in VValia ſeu Cambria, parte inſulæ Britanniæ, in uſu eſſe perſeverat.

Paſchalis Papa II. in litteris anno MC. datis *Namtoacum* numerat inter Cellas Cluniaco ſubjectas; idemque in litteris anni MCIX. *Prioratum Nantoaci* appellat. *Nantuadis* igitur vel *Nantoidis* primum dictus eſt, deinde *Namtoacus* vel *Nantoacus*, aut *Nantuacum*, locus in Brexia Diœceſique Lugdunenſi, veteri Monaſterio ad Cluniacum pertinente inſignis, vulgò truncato nomine *Nantua* nunc vocatus.

NANTUATES.

J. Cæſar in libro III. Commentariorum *Nantuates, Veragros, Sedunoſque* conjungit, *qui à finibus Allobrogum & lacu Lemano & flumine Rhodano ad ſummas Alpes pertinent*, id eſt ad fontes Rhodani: & Servium Sulpicium *cohortes duas in Nantuatibus collocaviſſe* ait, & *incolumem legionem in Nantuates, inde in Allobrogas perduxiſſe.* Idem in libro IV. *Rhenum oriri ex Lepontiis, & longo ſpatio per fines Nantuatium & Helvetiorum citatum ferri* ſcribit. A Plinio in libri III. capite XIX. refertur inſcriptio è tropæo Alpium, in qua *Lepontiis & Salaſſis Nantuates, Seduni, Veragri* medii interponuntur. Straboni dicuntur Ναντουᾶται, *Nantuatæ*: qui Cæſarem more ſuo ſecutus, fontes Rheni non procul abeſſe à *Nantuatibus* prodit. Et *Veragros* quidem ac *Sedunos*, ac urbes amborum novimus; *Nantuates*, aut eorum opidum aliquod non novimus. Marlianus *Antuates* in libro III. Cæſaris legit, & in ejuſdem libro IV. *Nantuates* ad Rhenum: & alteros ab alteris ita diſtinguit, ut exiſtimet *Antuates inter Allobroges & vicum Veragrorum Agaunum* collocari oportere, *Nantuates nunc Conſtantienſes eſſe, civitatem Epiſcopalem provinciæ Moguntiacenſis.* Alii *Nantuadis* loci veterrimo Monaſterio inſignis, qui nunc *Nantua* dicitur, incolas interpretantur. Joſephus Scaliger utriuſque de Nantuatibus opinionis auctores irridet. Refellit Samſon auctoritate Strabonis, Plinii, & tabulæ Peutingerianæ eos, qui *Antuates* apud Cæſarem legunt pro *Nantuates*: & *Nantuates* non Rhenum, ſed Rhodanum attingere aſſerit, ac Focimaci & patriis Cablaſii incolas eſſe exiſtimat, propterea quòd à Cæſare inter Veragros & Allobroges collocantur. *Nantuates* nomen habent à *nante* vel *nant*, nomine Gallico aquam decurrentem ſignificante; & in tabula Peutingeriana *Nantuani* vocantur.

NANTUS.

Auctor vetuſtiſſimus libri de Vita S. Marculfi Abbatis ſcribit, Marculfum locum quemdam & *fiſcum in pago Conſtantino, cui Nantus eſt vocabulum*, cum omnibus ſuis reditibus rebuſque ad eum pertinentibus à Childeberto Rege Francorum petiiſſe ac obtinuiſſe: ubi Monaſterium conſtruxerit, Monachoſque non paucos adunaverit. *Nantus* vulgò nunc dicitur *Nanteüil*; & à rivo decurrente olim nomen ſuum accepit. *Nant* enim Britannicè vocabatur olim rivus aquæ defluentis, ut Giraldus Cambrenſis docet. Linguâ autem eâdem Galli ac Britanni veteres utebantur.

Hermiricus *Nantis* alterius meminit in libro de Miraculis S. VValdeberti Abbatis Luxovienſis, qui eam patriam habuit. *Intra fines Franciæ* (inquit) *in pago Meldenſe famoſi vicus eſt nominis, priſco nomine Nant vocatus.* Ibidem *prædium Nant* vocat. Vulgo *Nanteüil* nunc dicitur, eſtque vicus Firmitati ſub Jotro proximus, ad Matronam flumen poſitus, cellâ hodieque Cluniaco ſubjectâ inſignis. Uterque *Nantus* vel *Nant*, cùm in pago Conſtantino tum in Meldico, haud dubiè & *Nantogilus* vel *Nantogilum* nomine compoſito olim eſt appellatus: uti docet amborum locorum appellatio vulgaris, *Nanteuil*, quæ ex *Nantogilo* vel *Nantoilo* deducta eſt.

NARBO MARTIUS, COLONIA DECUMANORUM.

Galliæ Narbonenſi nomen dedit *Narbo*, vulgò *Narbonne*, urbs pervetus & illuſtris Volcarum Tectoſagum: quò Porcio Marcioque Coſſ. deducta eſt colonia Romana à Licinio Craſſo Oratore anno Urbis conditæ DCXXXVI. prima omnium in Gallia, poſt triennium quàm Carthago extra Italiam prima deducta fuerat. Tum *Colonia Narbo Martius* à Romanis cognominari cœpit, ſive à Marte cognomine deducto, ut plerique exiſtimant: ſive potiùs à Martia decima legione. *Narbo* enim *Decumanorum colonia* erat. Quidam *Narbonem Marcium* ſcribunt, atque ita cognominatum putant à Marcio, quo Conſule ea deducta colonia eſt: quos errare docet hemiſtichium Auſonii. *Nec tu Martie Narbo ſilebere.* Nam à Martius in V. caſu fit Martie, à Marcius Marci: docet & Sidonius, *Narbonem nuper Martium factum*, ob Gothos à mœnibus repulſos dicens. Ciceroni pro Fonteio dicitur *Narbo Martius Colonia noſtrorum civium, ſpecula populi Romani, ac propugnaculum iſtis ipſis nationibus* (Gallorum) *oppoſitum & objectum*: eidem ibidem, & in Bruto *Narbonenſis Colonia*; in oratione pro Cluentio & in libro II. de Officiis *Colonia Narbonenſis*. C. Julius Cæſar Dictator in libris III. & VII. de bello Gallico *Narbonem* commemorat, qui eò iterum coloniam miſit, & à Tiberio Claudio Nerone Tiberii Auguſti patre deducendam curavit: ut Suetonius in Tiberio refert. Quare ab eo *Colonia Julia* dicta eſt. Profert Jacobus Sirmundus monumentum vetus, in quo V. litteras C.I.P.N.M. *Coloniam Juliam paternam Narbonem Martium* interpretatur: ego *coloniam Juliam piam* interpretari malim: licèt *Colonia Julia paterna* dici poſſit, ut omnes intelligant deductam eſſe à Julio patre, non autem à Julio filio ſeu ab Octavio, qui à Caio Julio Cæſare filius adoptatus, & Caius Julius Cæſar

appellatus eſt. Joſephus Scaliger inſcriptionem marmoris Narbonenſis vulgavit, in qua ſex litteris hiſce, C. I. P. C. N. M. bis adſcriptis, *Coloniam Juliam Paternam Carium Narbonem Martium* deſignari ait. In marmore ibidem effoſſo anno Chriſti MDLXVI. *Coloni incolæque* C. I. P. N. M. ſeu *Coloniæ Juliæ paternæ Narbonis Martii*, & *ara Narbone in foro poſita Imp. Cæſari Divi filio Auguſto*, ſeu *ara numini Auguſti dedicata à plebe* Narbonenſi fusè memorantur. In nummo Tiberii *Col. Narbo Mart. Decumanor.* id eſt *Colonia Narbo Martius Decumanorum* appellatur. Strabo Narbonem ponit ad oſtium *Atacis lacuſque Narbonenſis*. Νάρβων ὑπέρκειται τῶν τοῦ Ἄτακος ἐκβολῶν καὶ τῆς λίμνης τῆς Ναρβωνίτιδος, μέγιστον ἐμπόριον τῶν ταύτῃ. *Lacus Narbonenſis* eſt, qui Mellæ & Plinio *Lacus Rubreſus* aut *Rubrenſis* dicitur, vulgò *l'eſtang de la Rubine*. Pomponius Mella in capite v. libri II. de Narbone ſic refert. *Urbium quas habet*, (Gallia Narbonenſis) *opulentiſſimæ ſunt Vaſio Vocontiorum, Vienna Allobrogum*, &c. *Sed anteſtat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia, unde olim his terris* (id eſt Galliæ Narbon.) *auxilium fuit, nunc & nomen & decus eſt, Martius Narbo*. Coloni incolæque Narbonis *Atacini* ab Atace fluvio cognominantur; *Decumani* à militibus decimę legionis, Julii Cæſaris juſſu eò deductis. Si Plinio creditur, *Narbo Martius Decumanorum colonia*, XII. *m. libus paſſuum à mari diſtat*. A Claudio Ptolemæo in Volcis Tectoſagibus Galliæ Narbonenſis *Narbo Colonia & urbs clara* ponitur, ἡ Ναρβὼν κολώνια ἐπίσημος. Diodorus in libro IV. Hiſtoriæ tradit, è Britannia inſula ſtannum per Galliam equis convehi Maſſiliam atque *Narbonem*. *Emporium Narbonis* non Strabo tantùm & Stephanus celebrant, ſed etiam Auſonius in *Narbone* clarorum Urbium XII. ex Oriente, ex Africa, ex Hiſpania, ex Sicilia & toto orbe claſſem ſeu cataplum huc appellere affirmans, & Sulpicius Severus de Virtutibus Orientalium Monachorum. *Ubi Narbonâ* (inquit) *navem ſolvimus, v. die portum Africæ intravimus*: & infra: *In Ægypto navem onerariam offendi, quæ cum mercibus Narbonam petens, ſolvere parabat.* Sidonius in carmine quod *Narbonem* inſcripſit, eam urbem inclytam ait eſſe

> civibus, ambitu, tabernis,
> Portis, porticibus, foro, theatro,
> Delubris, capitoliis, monetis,
> Thermis, arcubus, horreis, macellis,
> Pratis, fontibus, inſulis, ſalinis,
> Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto.

Habuit ergo *Narbo* & Theatrum ſeu potiùs Amphitheatrum, & Capitolium, & Monetam, thermas, porticus, arcus, horrea publica: quorum operum Romanorum nulla pridem exſtant veſtigia. Capitolium quidem quod habuit ex marmore egregium, ſua ætate non duráſſe ſcribit Auſonius. Tamen in actis concordiæ anno MCCLI. initæ inter Guillelmum Narbonis Archiepiſcopum & Amalricum Vicecomitem ſeu Proconſulem urbis, *Dominus Vicecomes Capitolii civitatis Narbonenſis à Bertrando de Capitolio recognitionem recepiſſe & illud emiſſe ab eodem* dicitur. Anno MLXVI. queſtus eſt Guifredus *Narbonenſis* Archiepiſcopus, quod Bernardus Berengarius Vicecomes civitatis *auferret ei ipſum Capitolium*. Petrus Archiepiſcopus de Amalrico Vicecomite anno MCCXLII. queſtus eſt, quòd per vim occupaſſet *medietatem tinctura pannorum granæ*, & *medietatem monetæ*: quorum alterum ad *baphium Narbonenſe*; alterum ad monetam ibi olim percuti ſolitam pertinet. In Notitia autem Imperii *Procuratorem baphii Narbonenſis* fuiſſe reperio, ob glaſtum infectorum cortinis utile. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *metropolis civitas Narbonenſium* vocatur, & ponitur in provincia Narbonenſi prima, caput ac mater urbium; in Itinerario Burdigalenſi *civitas Narbo*; In Itinerario Æthici *Narbo* inter Beterras & Salſulas. Ceterùm *Narbonem Martium*, primùm Volcarum Tectoſagum urbem, deinde Atacinorum Decumanorumque Coloniam, demum Septimaniæ ſeu provinciæ Narbonenſis primæ clariſſimam metropolim & caput, Atax è Pyrenæo monte demiſſus, navigabilis amnis attingit: quem ſpatioſus admodum lacus, Rubreſus vel Spinianenſis nomine, acceptum olim emittebat in mare. Nunc Atax minimè lacum permeat, ſed foſſæ per Narbonem ductæ quam pridem *Robinam* vocant immiſſus, in mare Gallicum effunditur ad VII. ab urbe miliare: ut in libro XXIV. Rerum Francic. docuimus.

Narbo, poſt ademtam ſibi Toloſam & in metropolim evectam, X. habet Epiſcopos ſuffragantes, Carcaſſonenſem, Biterrenſem, Agathenſem, Leutevenſem, Magalonenſem, Nemauſenſem, Ucecienſem, Elenenſem, S. Pontii Tomeriarum, & Electenſem.

Bebryces olim circa *Narbonem* habitáſſe ad mare reperio: à quibus Bithyniam priùs *Bebryciam* dictam accepimus. De his Marcianus in periplo Galliæ ſic refert

> Βέβρυκες ἔπειτα μεγάλα κατέχουσι τόπον
> Λίμνας ἔχοντες, καὶ πάλιν Ἐλλανίδας.

Rufus Feſtus Avienus, in Oræ maritimæ libro, poſt Pyrenæum jugum & amnis *Roſchini* ſeu Ruſcinonis oſtium, *Sordicenam terram* & paludem, id eſt *regionem Sardonum* deſcribit, ſubjicitque

> Genſque Bebrycum priùs
> Loca hæc tenebat: atque Narbo civitas
> Erat ferocis maximum Regni caput.

Et Silius *Pyrenen*, *Bebrycis* Regis filiam virginem ab Hercule per Gallias Hiſpaniam petente compreſſam eſſe dicit, ac in montibus periiſſe, qui ab ipſa *Pyrenæi* cognominati ſint: etſi alii ab ignibus paſtorum nomen Pyrenæorum deducere malunt.

Eccleſiæ *Narbonenſis* Archidiaconi fuere, Archidiaconus major Narbonenſis; Archidiaconus Corbarienſis, Archidiaconus Redenſis, Archidiaconus Fenolleti: ut diſcimus ex *actis apud Narbonam in Eccleſia BB. Martyrum Juſti & Paſtoris anno Domini* MCCLX. *regnante Rege Lodoico* VIII. *Idus Madii*. Corbarienſi Archidiaconatui nomen ſuum dedit *Vallis Corbariæ palatium* in Appendice Chronici Fredegarii memoratum prope Birram fluvium, vulgò *Corbiere* dictum, à quo mon-

tes proximi *Cerbarienſes* cognominantur, *les montagnes de Corbiere*. Redenſis Archidiaconatus caput habuit *Redas* opidum, Theodulfo celebratum; à quo Comitatus & *pagus Redenſis* dicitur, *le Raſez*. Electam & caſtrum Limoſum continens. Fenolletenſis Archidiaconi ſedes fuit Fenolletum, *Fenoullet*.

Fuiſſe *Narbone* non ſolùm *Capitolium*, ſed etiam *portam Regiam*, & *portam Aquariam*, cum ſuo quamque caſtro, *portam Epiſcopalem*, & *portam B ſbalis* præter ceteras; item *Palatium novum*; *Turrim Mauricam*, quam *Mauriſcam* & *Maureſcam* dixere à Mauris, qui eam aliquamdiu tenuerunt, aut quibus fuit oppoſita; & *caſtrum Amalrici*, docent contentiones inter Archiepiſcopos & Vicecomites Narbonenſes, anno MLXVI. MCCXLII. MCCL. MCCLI. & LII.

A *Narbone* nomen accepit pars Galliarum IV. eaque nobiliſſima, *Narbonenſis provincia* veteribus dicta, & *Narbonenſis Gallia*: quæ una diutiſſimè fuit, ac poſtremò in provincias V. diviſa eſt, *Narbonenſem I. Narbonenſem ſecundam*, *Viennenſem*, *Alpes Graias*, *Alpeſque Maritimas*. Nomen dedit *Narbo* & mari Gallico ante Narbonenſem provinciam, quod *mare Narbonenſe* Strabo appellat: liber VIII. Chronographiæ ſeu diverſarum hiſtoriarum incerti auctoris, quem ſcriptum olim legi, *Narbonicum mare* nuncupat his verbis. *Pippinus Regnum Aquitania obtinet, à Rodano ad Pyrenaum, à litore Narbonici maris ad Ligerim extenſum*. Sic Fortunatus *mare Rotomagenſe* vocat Oceanum Gallicum, in quem Sequana effluit, à vicina urbe & clara Rotomago.

Diœceſis *Narbonenſis* continet Narbonem, Caput ſtagni *Capeſtan*; Podium Soricarium *Puy Serguier*; Licinianum *Leſignan*; Rivos *Rieux*, Petriacum in pago Minervenſi *Peyriac de Minerbou*; Ripam altam *Ribaute*; Villam-Siccam *Villeſeque*; Caſtellum Maurum *Caſtel Maure*; Leucatam *Leucate*; Palmam *la Palme*; Montem Penſatum *Mont Peſat*; Ruſiacum *Roſiac*; Juncarias à iunci copia cognominatas, *Jonquieres*.

NASIUM.

Naſium caſtrum fuit Leucorum antiquiſſimum, poſitum ad flumen Ornam, inter Andelaum & Tullum Leucorum. Ptolemæus urbes in Leucis ponit *Tullum*, & *Naſium*, Νάσιον. In Itinerario Æthici *Naſium* inter Caturrigas vel Caturicas & Tullum collocatur, ab urbe Tullo XVI. à Caturrigis IX. millibus paſſuum diſtans, in itinere à Durocortoro Divodurum.

Fredegarius in libri V. ac ultimi Chronici capite XXXVIII. ſitum loci, qualem ſuprà dixi, deſignat his verbis. *Anno XVII, regni Theuderici Lingonas de univerſis Regni ſui provinciis menſe Madio exercitus adunatur: dirigenſque per Andelaum, Naſio caſtro capto, Tullum civitatem perrexit*. In vetuſtiſſimo codice qui Jacobi Sirmundi fuit, ultima verba ſic ſcripta reperi. *Naſio caſtra captum. Tullo civitate perrexit & cepit*. Fredegarii verba auctor Chronici Divionenſis Monaſterii S. Benigni ita tranſcripſit, ut fluvium inſuper ad quem *Naſium* eſt poſitum, nominet, nobis alioquin futurum incognitum. *Anno XVI. regni ſui Theodericus movet exercitum: & Lingonis de univerſis Regni ſui provinciis menſe Maio exercitus adunatur: dirigenſque per Andalaum, Naſio caſtrum ſuper Ornam fluvium ſitum cepit, & inde Tullo civitatem perrexit*. Per Lingonas autem & Andelaum (*Andelot*) Tullum petentibus occurrit ad Ornam fluvium *Naſium*. Eſt enim ad ripas ejus fluminis hodieque vicus *Petit Nanci*, proximus vico alteri dicto *Grand Nanci*: quorum alter haud dubiè *Naſium* veterum fuit, nunc in vici formam redactus, ac nihil præter nomen antiquum ſervans & ſitum, à Fredegario ante annos ferè MXXX. obſervatum.

Malè itaque Joſias Simlerus cum aliis multis *Naſium* apud Æthicum putat eſſe *Nanceium* Lotharingiæ caput, *Nanci*: cùm *Naſium* ad *Ornam* flumen poſitum fuerit, inter Andelaum & Tullum Leucorum urbem Moſellæ adſitam; Nanceium autem ſit ad *Mortam*, non modò trans amnes Ornam & Moſam, ſed etiam ultra Tullum & Moſellam. Buiſſonius *Naſium Naſi* eſſe mihi olim aſſerebat, locum hodieque ſic nuncupatum non procul Tullo: quem ignorare me fateor. Nec (ut quidam ſentiunt) *Naſium* poteſt haberi pro vico *Nas Nanceio* proximo, repugnante *Naſii* ſitu ad Ornam Andelaum inter ac Tullum.

NASONACUM.

Imperatorum Valentiniani, Valentis & Gratiani Auguſtorum lex legitur, in libri VI. Codicis Theodoſiani titulo IV. *ad Bapponem Præfectum Urbi data XI. Kal. Septemb. Naſonaci Modeſto & Arinthæo Coſſ.* & in titulo VII. altera eorumdem Imperatorum *ad Ampelium P. V. data III. Nonas Jul. Naſonaci* ſupradictis Coſſ. In titulis IX. XI. & XIV. eorumdem Imper. ad eumdem Ampelium Præf. Urbi data lex reperitur eodem die, eodem in loco, eiſdemque Coſſ. Alia in titulo XXI. dicitur *data IV. Nonas Jun. Naſonnaci Mod. & Ar. Coſſ.* alia in titulo VII. libri VIII. *data III. Kal. Jun. Naſonaci: accepta VI. Kal. Dec. Mod. & Ar. Coſſ. Naſonacum* iſtud vel *Naſonnacum* videtur mihi eſſe *Schoneck* vel *Schonnech*: quod eſt municipium, aut certè caſtellum, inter Prumiam & Bedam vicos inſignes poſitum ad fluvium Nemeſam, (*Nyms*) quem cum Pronea vel Prumia Sura in Moſellam defert. Erunt forſitan, qui malint *Naſonacum Naſſoin* vel *Naſſogne* exponere, quem locum Latinè *Naſſoniam* appellant. Eſt autem *Naſſonia* vel *Naſſonium* vicus illuſtris in Arduenna ac in Diœceſi Leodicenſi, ſub ditione Abbatis Andaini ſive Monaſterii S. Hucberti, à quo duo millia paſſuum abeſt; Mononis Scoti ibi à ſicariis confoſſi ſepulcro patrocinióque inſignis: cujus vici appellatio cùm Latina tum vulgaris ad *Naſonacum* haud dubiè proximè accedit.

NAVA FLU. ET NAVENSIS PAGUS.

Nava fluminis meminit Tacitus in libro IV. Hiſtoriarum, in quo *Bingium*, & *Navæ fluminis pons* memorantur: meminit & Auſonius in Moſella primo hocce verſu.

Tranſieram celerem nebuloſo flumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico,
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas,
Infletæque jacent inopes ſuper arva catervæ.

Hic *vetus vicus* reparatus ac novis mœnibus cinctus, videtur eſſe Bingium, *Bingen* Germ. Noſtris *Bing* dictum, caſtrum nunc, aut etiam opidum ad Rheni & Navæ confluentes poſitum: ubi quondam Galli maximam & qualem ferè Romani apud Cannas cladem acceperint. Deſignari his verſibus putat Henricus Valeſius frater meus cladem Vindicis atque Gallorum rebellium, à Virginio Ruſo Romaniſque legionibus ad ripam Rheni Bingiumque cæſorum acie: cujus ſententiæ facilè accedo.

Nava fluvius, vulgò dicitur *Naha*, aliàs *Nahe*. Pagus circumjacens ab eo nomen accepit, & *pagus Navenſis* eſt olim nuncupatus, Germanicè *Nachgouve* & *Nachgouva*, ſi qua Brouvero fides habetur: ex quo cognoſcitur *Navam* olim à Germanis *Nach* appellatum eſſe.

NELFA.

Nelfa, vulgò *Neaufe* vel *Neaufle*, in Veliocaſſibus ſeu in parœcia Rotomagenſi, Giſortium inter & Dangutum ſita ad Ittam flumen, à Frodoardo in libri III. Hiſtoriæ Remenſis capite XVI. memoratur. *Villa* (inquit) *Rotomagenſis Epiſcopii quæ Nelfa* dicitur. Irmino Abbas Pratenſis Monaſterii S. Germani, principatu Caroli Magni villas ad Cœnobium ſuum pertinentes, & cenſum annuum quem pendere debebant, litteris mandavit. In eo libello vocatur *villa Nidalfa*, & S. Germano *ad luminaria* Baſilicæ data eſſe dicitur. Sunt & duæ in Carnutibus *Nelfæ*, altera alteri proximæ, non longè à caſtro Monteforti Amalarici: major *Nelfa caſtellum*, *Neaufle le Chaſteau*; minor *Nelfa villa*, *Neaufle*, aut *Nelfle la ville* cognominatæ. *Nelfam villam*, quidam *Nelfam Aquoſam* cognominant, & *Neaufle l'Aiueux* pro *Neaufle la ville* vulgò dici aiunt. *Aive* enim & *eue* Noſtri olim aquam dixere, quam Gothi & Vaſcones ac Arverni *aygue*, & *ague*. *Nelfam* autem *villam* alluit Maldra fluvius, *Mandre*; *Nelfam caſtellum* non attingit.

NEMUS OPIDUM.

Nemus, olim *Nemox* & *Nemoux*, nunc *Nemours*, à re nomen habet. Eſt enim in Senonibus, proximum nemori vel ſilvæ Bieriæ opidum, veteri Ducatûs titulo inſigne, ad fl. Lupam. Quidam, in his Rigordus, *Nemoſium* & *Nemoſum* appellant nomine corrupto. Hugo Pictavinus in Hiſtoria Viceliacenſis Monaſterii, quam anno MCLXVII. ſub Guillelmo Abbate abſolvit, loci ejus meminit ante annos quingentos. *Egreſſi ſunt omnes cum Rege & Optimatibus ſuis in Nemore conſito ſupra Moretum. Ubi cùm Abbas referret*, &c. Legendum puto *in Nemore condito ſupra Moretum*. Et infrà: *Convenerunt in Nemore, quod eſt ſupra Moretum. Nemoſum in Vaſtineto* rectè vocat Monachus Cœnobii S. Dionyſii, qui Chronicon ſodalis ſui Guillelmi Nangiacenſis ad annum MCCCLXVIII. deduxit. Eſt enim ſitum in pago VVaſtinenſi. Poſitum eſt hoc opidum inter ſilvas Bieriam & Montis Argiſi; Bieriæ tamen quàm alteri multo propius: ſed olim omnino antequàm pars nemoris excideretur, in ipſa ſilva Bieria poſitum erat. Neque enim *Nemus* dictum eſſet, niſi fuiſſet in nemore.

NEUSTRIA.

Poſt Chlodovei mortem nova nomina à Francis excogitata ſunt, & Galliarum provinciis Belgicæ ac Lugdunenſi impoſita. *Auſtriam* vel *Auſtraſiam* appellavere Franci partem Galliæ ad orientem Solem ſpectantem, quæ Rheno ac Moſa fluminibus continetur: partem ad occaſum Solis vergentem, quæ inter Moſam ac Ligerim interjacet, *Neuſtriam* vel *Neuſtraſiam*, aut *Neuſter*, nonnumquam *Neptricum* vel *Neptriam* vocavere: Burgundiæ & Aquitaniæ ſua nomina reliquere. Et Franci quidem qui *Neuſtriam* incolebant, *Neuſtraſii*; qui *Auſtriam* habitabant, *Auſtraſii* ſunt dicti: *Auſtria* & *Neuſtria* junctim & ſeparatim, communi nomine ſæpiſſime *Francia* appellatæ. Certè ita Gregorius noſter ac Fortunatus præter ceteros ambas vocitant, eoque vocabulo ab Aquitania & Burgundia utramque diſtingunt: propterea quòd *Auſtria* & *Neuſtria* primæ in Gallia Francorum ſedes fuerunt, & ante Aquitaniam ac Burgundiam ſunt à Noſtris occupatæ. Ambas quoque Fortunatus in libri VI. Carmine I. atque VII. à Francis Gente Germanicæ originis *Germaniam* & *Regna Germanica* cognominat. Poſtea Langobardi, natio & ipſi Germaniæ, cùm partem Italiæ armis obtinuiſſent, Francorum exemplo quaſdam ibi ditionis ſuæ regiones à ſitu *Auſtriam* & *Neuſtriam* dixere, ſuo *Tuſcia* nomine relicto: quemadmodum ex legibus Langobardorum & ex Paulo Langobardo in Geſtis eorum diſcimus, atque ex libello Epiſcoporum Italiæ adverſus Elipandum, qui *Liguriæ* ac *Æmiliæ* Italiæ provinciis *Auſtriam* & *Heſperiam*, id eſt *Neuſtriam* interponit. Ubi notandum eſt, Gregorium Turonicum Epiſcopum ac Geſta Regum Francorum *Auſtraſiorum* quidem meminiſſe; at *Neuſtraſiorum* nuſquam. Sed ut qui Orientem Solem nominat, Occidentem quoque agnoſcit; ita Gregorius quum *Auſtraſiorum* mentionem fecit, *Neuſtraſios* qui eis opponebantur, non ignoraſſe credendus eſt. Nam ea nomina (ut ita loquar) relativa, uno eodemque tempore ſunt nata. Fredegarius utrorumque ex æquo memi-

nit, *Neuſtraſiorum* & *Auſtraſiorum*.

Ex his intelligitur errare graviter eos, qui repugnante veterum codicum omnium & ſcriptorum noſtrorum auctoritate, *Neuſtriam* corruptum eſſe nomen exiſtimant, & confidenter pro *Neuſtria* vel Neptrico *VVeſtriam* ubique ſcribendum affirmant, ut *Auſtria* opponatur. *Neuſtriam Auſtria* à Monarchis Franciæ prælatam eſſe, ſedemque imperii Francici fuiſſe; & jam inde à Chlothario poſteriore Dagoberti patre ſub uno eodemque Rege Merovingo Burgundiam adjunctam habere cœpiſſe, atque ob id ambas communibus nominibus *Regnum Occidentale* Hermanno, *Franciam* quoque noſtris Hiſtoricis ſæpe appellari, & *Neuſtriæ Burgundiæque* unà incolas, cum alibi tùm in Geſtis Francorum plerumque *Francos* dici, pluribus obſervavimus in libro XIX. & XXI. Rerum Francicarum; cum antea ſolis *Neuſtriæ* & *Auſtriæ* (ſicuti diximus) nomen *Franciæ* tribueretur.

Neuſtriam atq; *Burgundiã*, duo Regna juncta in unum à Chlothario Chilperici filio, ut ex eo tempore uni Regi paruerunt, ita jam inde à Chlodoveo minore Dagoberti filio unũ etiam eumdemque Majorem domûs habuiſſe, notavimus in libro XXIII. Rerum Francicarum.

Neuſtria, *Francia Sequanorum* vocatur in libello de Converſione S. Hucberti, id eſt Francia ad flumen Sequanam. *Hucbertus exſecratus omnes actus Ebroini, Franciam Sequanorum deſeruit, & in Auſtriam ſe contulit.*

Poſtea circa principatũ Caroli Magni *Neuſtria* eſt imminuta, & quę priùs à Moſa ad Ligerim pertinebat, Sequanâ ac Ligeri fluminibus claudi cœpit. Id nos docet Adrevaldus Floriacenſis Monachus in libri de Miraculis S. Benedicti capite XXXIII. hiſce verbis. *Lamberto & Rotberto, necnon Raivulfo Ducibus varia pereuntibus ſorte, omnis ferè Neuſtria, quæ à Genabenſi urbe per tranſverſum Luteciam uſque Pariſiorum pertingit oppidum, Nortmannicæ patuit feritati.* Quæ Adrevaldi verba VVillelmus Gemeticenſis Monachus in libri II de Geſtis Normannorum capite VII. tranſſcripſit. Genabum autem Carnutum ſeu civitas Aurelianorum eſt ad flumen Ligerim, ſicut Lutecia Pariſiorum ad Sequanam. Aimoinus quoque Floriacenſis Monachus Adrevaldi exemplo *Neuſtriam* inter Sequanam & Ligerim ponit. *Hujus teſtes rei ſunt non ſolùm Sequanico Ligericoque litori, quibus Neuſtria nobilitatur fluminibus; Dordonia ſeu Garonna, quarum Aquitania inſignitur fluentis, adhærentium urbium, verumetiam præminentium rupes ædificiorum.* Idem in libri II. de Miraculis S. Benedicti capite XIV. *Inferiorem Neuſtriam* appellatam eſſe docet partem ejus quæ ad Oceanum & ad Ligerim pertinet. Ita enim ſcribit. *In inferioribus hujus Neuſtriæ partibus, in Andegavenſi, Ainfredus quidam apud Monaſterium S. Albini ex Clerico Monachus ſponte factus eſt.* Apud Conradum Abbatem Urſpergenſem *Neuſtria pars eſt Galliæ Celticæ, illa ſcilicet quæ Sequanæ Ligerique interjacet.* Neuſtria igitur tum inter Ligerim & Sequanam jacebat, qui olim Armoricæ fines fuerant: & hic *Ducatus inter Ligerim & Sequanam* vocatus in veteribus noſtris Annalibus: quem Lambertus, Rotbertus, Hugo, Abbas vel Clericus cognominatus, Odo Rotberti filius, qui pòſt regnavit, Rotbertus, Hugo Magnus ejus filius, ac Hugo Hugonis filius, antequàm regnaret, obtinuere: ex quibus aliqui, in primis Hugo Magnus, *Duces Francorum* ſunt appellati. Certè à Frodoardo in Chronico annis DCCCCXLIII, DCCCCXLIV. & DCCCCXLVI. *Hugo Dux Francorum* vocatur: ex quo apparet, Ducatum inter Sequanam & Ligerim, ſive Ducatum *Neuſtriæ*, ſæpe *Ducatum Francorum* eſſe nuncupatum. Incolæ *Neuſtriæ*, ſive regionis inter Sequanam & Ligerim, à Noſtris Hiſtoricis veteribus, qui principatu Caroli Calvi eiuſque poſterorum ſcripſerunt, *Tranſſequani* & *Tranſſequanenſes* appellantur.

Eum in modum artatis *Neuſtriæ* limitibus, pars quondam eius, inter Sequanam Scaldim & Moſam jacens, *Francia* dicta eſt: & quoties *Franciam* à *Neuſtria* & *Auſtria* Gallica Noſtri ſcriptores nominatim diſtingunt, haud dubiè hanc *Franciam*, portionem veteris *Neuſtriæ* deſignant, quæ hodieque ex parte appellationem *Franciæ* circa Luteciam & trans Sequanam retinet. *Mediam Franciam* videtur eam vocâſſe Ludovicus Pius Aug. Ejuſce *Franciæ* Carolus Magnus in Diviſione Regni inter filios, Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXC. Abbo in libro II. de obſidione Luteciæ, aliique meminerunt.

Ut *Armorica* quæ Sequanâ & Ligere terminabatur, pro ſola tandem Britannia accepta eſt: ſic *Neuſtria* quæ Moſa primùm ac Ligeri, deinde Sequana ac Ligeri claudebatur, iterum minor facta & in artum coacta eſt, & pro regione quam *Normanniam* vocamus, ſumi cœpta. In Geſtis Nortmannorum reperio, *Carolum* minorem ſeu *Simplicem Regem Francorum anno* DCCCXCV. *Rolloni Nortmannorum Duci Neuſtriam tradidiſſe. quam Normanniam Nortmanni vocaverint.* Ordericus Vitalis qui in anno MCXLI. deſinit, in libro III. ſic ſcribit de vinea Domini. *Hæc nimirum in regione, quæ olim Neuſtria, nunc verò vocatur Normannia, laborantibus colonis paſſim ſuas propagines emiſit.* Guibertus Abbas Novigenti qui ante annos D. vixit, in præfatione Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ idem de *Neuſtria*, quod de *Auſtria* affirmat his verbis. *Si ea quæ olim Neuſtria, modò Normannia appellatur, & quæ Auſtria, nunc Lotharingia pro aliquibus accidẽtiis nuncupatur: idem apud Orientales quomodo fieri non credatur?* Matthæus VVeſtmonaſterienſis qui in anno MCCCVII. deſinit, *Rollo* (inquit) *terram totam, quæ tunc Neuſtria, modò verò Normannia ab ipſis Norvvegenſibus dicitur, ſub ſua poteſtate recepit.* Idem Milo Criſpinus in Vita Lanfranci, Chronicon Beccenſe, Gervaſius Tiſleberienſis, aliique docent, *provinciam Neuſtriam, nunc Normanniam vocari.* Sed ut *Armorica*, ſic & *Neuſtriæ* appellatio paullatim exolevit, ac in uſu eſſe deſiit: & quemadmodum prior *Britannia*, ita poſterior *Normannia* nuncupari occœpit.

Ceterùm quod Aimoinus & Hugo Floriacenſes Monachi, ac Bernardus Guidonis aliique Rheno & Moſa veterem *Auſtriam* clau-

dunt, Moſa & Ligeri fluminibus priſcam Neuſtriam terminant, haud uſquequaque verum aut exactè dictum eſt. Quippe cis Moſam eſt, & inter eum fluvium ac Sequanam iacet Campania Gallica, Auſtriæ olim portio non contemnenda, & Moſomagum, Duciacum, ac Maeerias ad Moſam; ad Axonam Sindunum, Attiniacum, Reiteſte, Caſtrum Portianum ac Pontem Varenſem habet; ad Vidulam Durocortorum Remorum & Fines; ad Matronam Catalaunos & Sparnacum; ad Albam flumen Barrum, & Arciacam: quæ omnia opida & caſtella ac loca uſque ad Albam, ad Auſtraſiorum Reges pertinuere. Sed & Pontico in Campania villa erat Regia Regum Auſtriæ, & celeberrimum Palatium, quod vulgò *Pontion* hodieque appellant, parum diſtans à Victoriaco Incenſo. Eidem Campaniæ contribuebatur Lugdunum Clavatum, Ducum Campaniæ Auſtriacæ olim ſedes, non longè à Ponte Varenſi ac fluvio Axona. Jam Camaracum opidum ad Scaldim nobile, Theodorico, eiuſque filio ac nepoti, atque etiam Childeberto Auſtraſiorum Regibus paruiſſe conſtat: quod cis Moſam eſt, & ab eo flumine multis millibus diſtat.

NICÆA MASSILIENSIUM.

Lucanus in libro I. quum *finem Heſperiæ promoto limite Varum* appellat, *Nicæam* Italiæ haud dubiè attribuit tacitus. Idem facit ſed apertiſſimè Plinius, in libri III. capite V. Liguriæ initium, & finem Galliæ Narbonenſis Varû faciens hiſce verbis. *Igitur ab amne Varo Nicæa opidum à Maſſilienſibus conditum; Alpes, populique Inalpini*, &c. Ab Ptolemæo quoque in Italia ponitur Νίκαια Μασσαλιωτῶν, Nicæa Maſſilienſium, licèt is Varum Galliæ terminum ſtatuat.

Contrà Strabo *Nicæam* in Gallia Narbonenſi ponit omnino, quum ait *Maſſilienſes Antipolim & Nicæam Liguribus Alpinis oppoſuiſſe*, & *oram à Maſſilia ad Varum uſque promiſſam loca habere* coloniaſve *Maſſilienſium, Taurentium, Olbiam, Antipolim, Nicæam.* Adſcribit ergo Galliæ Strabo Nicæam, licèt Varum Galliæ terminum inter Antipolim & *Nicæam* fluere fateatur. Adſcribit & Mella, qui in capite V. libri II. oram Galliæ Narbonenſis deſcribens, *Nicæa* (inquit) *tangit Alpes, tangit opidum Deceatum, tangit Antipolis*: cùm tamen idem ibidem Galliam *à Varo ad Pyrenæum uſque promittit*, & in ſuperiore capite *Varum flumen Italiam finire* prodat. Trans Varum autem eſt Nicæa, ita dicta à Maſſilienſibus, quòd eam ceu victoriæ de Liguribus Alpinis recens relatæ monumentum condidiſſent. Galliæ *Nicæam* attribuit etiam Ammianus in libro XV. quum enumeratis Viennenſis prov. civitatibus, ſubdit. *His prope Saluvii ſunt, & Nicæa, & Antipolis, inſulæque Stœchades.* Attribuit & Stephanus, cui dicitur Νίκαια πόλις Κελτικὴ Μασσαλιωτῶν ἄποικος, *Nicæa urbs Gallica, Maſſilienſium colonia*: quam Æthicus in Itinerario portuum & poſitionum navium ab Urbe Arelatum uſque, *Niciam plagiam* appellat, & inter Olivulam ac Antipolim portus ponit. Nec mirum *Nicæam* quæ trans Varum eſt, collocari tamen in Gallia, cùm Cemenelum ultra Varum quoque poſitum, ſeu inter Alpem ſummam & Varum ſitum, Æthicus adſcribat & Galliæ ſic. *Alpe ſumma* M. P. VI. *Uſque huc Italia: nunc Gallia. Cemenelo* M. P. IX. *Varo flumine* M. P. VI. *Antipoli* M. P. X. Sed ſcriptores qui hoc faciunt, Varum pro Italiæ Galliæque termino habere, ac ſecum pugnare non debent.

Sanè *Nicæam* urbem fuiſſe Provinciæ, à Vitige Oſtrogothorum Rege Francorû Regibus conceſſæ, docet Gregorius in capite XXXVII. libri IV. ubi Lãgobardos partim *per Nicæam urbem*, partim *per Ebredunum* Galliam ingreſſos eſſe ait; & in capite VI. libri VI. ubi *Hoſpitium Recluſum apud urbem Nicenſem* adventum Langobardorum in Gallias prædixiſſe ſcribit, & Monaſterii ſui Monachis ceteriſque ut fugerent & in loca ſe munita conferrent ſuaſiſſe; *Auſtadiumque* tum *Epiſcopum civitatis Nicenſis* appellat. Synodo Arelati habitæ juſſu Conſtantini Maximi Aug. inter Epiſcopos, Preſbyteros & Diaconos Gallicanos interfuere ac ſubſcripſere *Innocentius Diaconus, Agapius Exorciſta ex portu Nicenſi*; Concilio Aquileienſi Gratiani principatu *Amantius Nicenſis Epiſcopus* inter Antiſtites Galliarum; Concilio Aurelianenſi V. anno DXLIX. habito juſſu Childeberti Franc. Regis, Aetius Preſbyter, miſſus *à Magno Epiſcopo Eccleſiæ Cemelenſis & Nicænſis*; Concilio Matiſconenſi II. quod Guntchramni Regis juſſu coactum eſt, quidam vices agens *Catullini Epiſcopi à Nicia*. *Nicæa* ergo tum Galliæ urbs habebatur atque erat, parebatque Francorum Regibus, qui in Italia nihil obtinebant. Quare in Annalibus priſcis & Chronicis, & in Vita Caroli Magni, atque apud Eginhardum invenio, Anno DCCCXIII. *Mauros Centumcellas Tuſciæ civitatem, & Nicæam Provinciæ Narbonenſis vaſtaviſſe. Nicæa Provinciæ Narbonenſis civitas* rectè dicitur, cùm eſſet civitas provinciæ Alpium Maritimarum, quæ Galliæ Narbonenſi olim fuerat attributa. Quin & Robertus in Chronico, circa annum MCCX. compoſito, *civitatem Nicæam* in Alpibus Maritimis IV. loco ponit: & Gervaſius Tiſlebarienſis *ſub Ebredunenſi Metropolitano Nicienſem* Epiſcopum II. loco collocat, ut & quædam Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ. Hodieque *Nicenſis* Epiſcopus Ebroduni capitis Alpium Maritimarum Archiepiſcopum pro Metropolitano ſuo agnoſcit. In veteribus autem Notitiis prov. & civitatum Galliæ ponitur *civitas Cemelenenſium*, omiſſo *caſtello Nicenſi*, quoniam uterque locus nonniſi unum Epiſcopatum componebat, prævalente Nicææ Cemenelio: itaut alterius ex duobus locis mentionem feciſſe ſufficeret, Ebrodunenſi Metropolitano ſemper (ut docet Hilarus Papa) ſubjectis.

Conſtat certè *Nicæam* poſtea ad Comites Provinciæ pertinuiſſe, partemque Comitatûs Provinciæ & Forcalquerii fuiſſe: donec anno MCCCXXCVIII. *Nicenſes* ab exercitu Ludovici II. Regis Siciliæ ac Provinciæ Comitis obſeſſi, quoniam à Ladiſlao Rege nullis auxiliis juvabantur, Amedeo VII. Comiti Sapaudiæ ſeſe

dediderunt. Unde hodieque Duces Sapaudię ſe *Nicaa Comites* vocant. Ac nihilominùs recentiores ſcriptores noſtri ac hiſtorici *Nicaam Provinciæ* cognominant. *Nice en Provence*: cùm regioni Subalpinæ ſeu Pedemontanæ pridem adſcripta ſit.

Nicaa *Nice* Noſtris, Italis *Niza* aut *Nizza* nuncupatur: *Nicenſes*, quos corruptè quidam *Nicanſes* ſcribunt, vulgò *Niſſars* dicuntur. A *Nicaa* enim *Nicenſes* Latinè, non *Nicanſes* aut *Nicaenſes*; ut à *Phocea Phocenſes*, non *Phocanſes* aut *Phocaenſes*: uti Joſ. Scaliger falsò exiſtimavit.

Ceterùm poſita eſt *Nicaa* ad oſtium *Paulonis*, amniculi trans Varum fluentis, qui accolis *Palion*, Noſtris *Paillon* nuncupatur. Hujus obſcuri fluvii meminiſſe Meliam animadverto in capite IV. libri II. hiſce verbis. *Tum Paulon & Varum flumina, utraque ab Alpibus delapſa: ſed Varum quia Italiam finit, aliquanto notius.* Eiuſdem fluvii mentionem facit Plinius in libri III. capite V. eum in modum. *Igitur ab amne Varo Nicaa, opidum à Maſſilienſibus conditum, fluvius Pado, Alpes, portus Herculis Monoeci.* Sic Plinii exemplaria anno MDXVI. Luteciæ typis impreſſa præferunt, quæ propter vetuſtatem editionis nobis eſſe debent ſcriptorum codicum loco. Fluvius ille *Pado* eſt omnino Melæ *Paulon*. Sed apud Plinium emendandum eſſe cenſeo fluminis nomen, & pro *Pado Palo*, vel *Paslo*, aut etiam *Paulo* legendum.

Comitatus Nicenſis dividitur in IV. Vicariatus, & loca plus XXX. muris clauſa continere dicitur, ac in longitudinem millia XXII. in latitudinem XI. patere. Ibi eminet *Nicaa*, urbs muris validis & propugnaculis atque arce munita, amœna, & frequens, domibus quinûm aut ſenûm tabulatorum conſpicua, vicis velut ad perpendiculum directis ſpectabilis. Inter eius pagi Comitatuſve opidi non ultimum tenet locum Villa Franca, caſtrum portus ſui commoditate notabile.

NIGELLA CASTRUM.

Hermannus Monachus, Guiberti Abbatis Novigenti æqualis auctor, ante annos DL. floruit, & de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis ad Bartholomæum Epiſcopum Laudunenſem libros III. compoſuit. Hic in libro II. *caſtrum quod Nigella vocatur, in pago Vermandenſi* memorat, & *dominum Radulfum*, *patrem domini Ivonis, ejuſdem caſtri principem.* Guibertus Abbas ſuprà laudatus *Nigellam caſtellum*, atque etiam *opidum* nuncupat, & *Radulfum dominum caſtri*, cum cuius ſupra mentio facta eſt. *Ivonem Nigellenſem dominum*, Radulfi videlicet filium reperio, & *Radulfum Nigellenſem Caſtellanum*, qui ab eo aliquid *in feodum habuerit*. *Caſtellum Nigellam ſuper fluvium Lingon*, & *villam Alaniam ſuper fluvium Alam* vel *Hale* commemorant litteræ Adalberti Comitis Viromanduorum. Nunc fluvius, vel potiùs amniculus *Lingo* vel *Lingon*, qui Nigellam caſtrum alluit, vocatur *Ingo*, *Ingon*, & in Suminam defluit. In litteris tamen Adalberti forſitan articulus nomini fluvii adhæſit, & *Lingon* dicitur ac ſcribitur pro *le Ingon* aut *l'Ingon*. Inter Philippi Aug. vexillarios Milites Flandriæ, poſt Comitem Hollandiæ ſecundum locum obtinet *Johannes de Nigella*, & cùm aliis magnis Proceribus, *Caſtellanis*, *Advocatis*, *Heredibus*, *Dominis* ac *Præpoſitis*, tum in primis *Comiti Guinarum* ſeu Ginarum præponitur: & inter *Milites Viromanniæ*, (ſic Viromandiam vocant) ultimus numeratur *Caſtellanus de Nigella*. Pro Hugone de Gaſtina apud Pontem Bovinum anno MCCXIV. capto Philippus Rex Franc. *Johannem de Nigella* de centum marcis prædem accepit: quem Rigordus *Johannem de Nigella*, *Militem procerum & forma venuſtiſſima* appellat. Guillelmus Armoricus in libro II. Philippidos *Nigellæ* etiam meminit, & eius nominis ſyllabam I. uti oportuit, brevem facit hoc verſu

> Nam Deſiderii Mons, Roia, Nigella, Perona.

Nigellam olim Noſtri *Neelle* vocavere; nunc *Nele* appellitant: cujus nominis eſt & vicus adpoſitus flumini Iſaræ, è regione Inſulæ Adami, *Nelle*, aliaque loca.

Nigella ut exiſtimo Latino nomine appellata eſt, quòd frumenta eius ſint maximè omnium obnoxia rubigini, quam nigellam Noſtri nuncupant, *nielle*; vel quòd eius ager abundet melanthio, ſemen nigrum ferente frutice. Melanthium recentiores ſcriptores Latini *nigellam* vocavere: Noſtri & *nielle* vocitant, vocabulo ad *Nelle* proximè accedente. Conſtat quidem nomina *Nelle* & *nielle* ex *Nigella* eſſe deducta.

Matthæo Abbati Monaſterii S. Dionyſii, & *domino Simoni de Nigella* Ludovicus IX. Francorum Rex iterum mare tranſiturus, viris ſapientibus, prudentibus ac fidelibus curam ac tutelam Regni ſui delegavit anno MCCLXIX. & quum Philippus eius filius ac ſucceſſor bellum Aragonenſium Regi intulit, ſecum duxit *Radulfum de Nigella*, *Franciæ* (ut vulgari utar verbo) *Conſtabularium*; à quo, aut certè à Simone eius patre *domus Nigellenſis* apud Luteciam, *l'Hoſtel de Nelle* nomen accepit: quæ domus dominorum Nigellenſium portæ urbis cui proxima erat, ſuum vocabulum dedit, *la Porte de Nelle*.

Habet collegium Canonicorum *Nigella*: cuius domini veteri *Marchionum* titulo fruuntur.

NINIVE.

In litteris datis anno MCXXXVIII. memoratur *Ninive*, locus Abbatiâ inſignis in Flandria: à quo Johannes Deſpauterius Grammaticus, ibi natus, *Ninivita* cognominatus eſt, qui *Ninivenſis* potiùs debuit appellari. Vulgò *Ninoven* dicitur, aliàs *Ninove*.

NIORTUM.

Niortum eſt clarum caſtrum in Pictonibus, poſitum ad ripam fluvii *Separis*, quem ut à Separe Namnetico diſtinguant, *Separim Niortenſem* cognominant, *la Sevre Niortoiſe*. Eius caſtri vel opiduli mentionem facit pri-

ter ceteros Guillelmus Armoricus in Philippidos libro VIII. hoc verſu.

Laudunumque ferax Cereris, Bacchique Niortum.

Ager ſeu *pagus Niortenſis*, vulgò dicitur *le Niortois*. Geſta Ludovici VIII. Francorum Regis *Niordum caſtrum nobile* appellant; *Niortium* alii; incolæ *Niort*.

NITA FLU. ET NITENSIS PAGUS.

Nita fluvius cognominatus Germanicus, vulgò *die Teutſche Nide* vel *Nied*, Noſtris *le Nied Aleman*, aliàs *la Nied Alemande*, propterea quòd eius accolæ linguâ Germanicâ utuntur, oritur in ſilvis Lotharingiæ, multoſque vicos ignobiles præterlapſus, accipit *Nitam* Gallicum cognominatum propter accolas linguâ Gallicâ loquentes, *le Nied François*, alius *la Nied*, Germanicè *die VVelſche Nide*, hoc eſt Nitam Romanum, qui præ ceteris vicis Aldoniſvillam *Haudonville*, Stagna *les Eſtangs*, locum ſtagnis adjacentem, ac Nitæ-Burgum *Nid-Burg*, à fluvio prælabente ita dictum alluit, ac demum Nitam Germanicum ſive majorem auget. *Nita* his incrementis validus Bodonis Monaſterium vel Boſonis Monaſterium, titulo Abbatiæ locum inſignem, *Boſonville* attingit, atque in Saravum devolvitur. A *Nita* quem recentes ſcriptores Latini *Nidam* appellitant, nomen habet *pagus Nitenſis*, in Annalibus Fuldenſibus memoratus his verbis. *Hoc anno* DCCCLXXX. *in VVormacenſe & in Nitenſe, & in plurimis locis Regni Hludouvici ſterilitas frugum Germanicum populum afflixit.* Nimirum pagus *VVormacenſis Nitenſiſque* ut ſitu proximi erant, in relatione conjunguntur: propterea quòd VVarmatia à fluminibus Nava, Saravo & Nita non longè abeſt. Hic pagus in Diviſione Regni Lotharii inter Glor. Reges Hludouvicum & Karolum anno DCCCLXX. facta vocatur *Nitachouva*, & inter *Bedagouvam* ac *Sarachouvam inferiorem* ponitur. *Nitachouva* autem linguâ Germanicâ eſt *Nitenſis pagus*, aut pagus ad Nitam; quem amnem ante annos octingentos *Nitam* dictum eſſe, ex eo loco intelligitur. Eginhardus primus omnium pagi huius mentionem fecit ante annos DCCCLXX. in capite XV. libri III. de tranſlatione Martyrum Marcellini & Petri, & *Nitagouve* Germanicè appellavit. *Gouve* enim & *Chouve* jamtum pagus erat Germanis. *In pago Nithagouve fundus eſt Vrſella vocatus, in quo*, &c. De eodem pago in capitibus XIII. & XIX. ſcribit.

Sunt & duo alii eiuſdem nominis fluvii, nimirum *Nita* vel *Neta*, alter maior, alter minor cognominati: qui nomen hodieque ſervant in Campania Brabantina, *Kempenland* vulgò dicta, & ad op dum Brabantiæ *Leds* olim, *Liram* nunc appellatum (*Lier*) coeunt. In litteris Henrici Regis datis anno MVIII. ad Baldricum Leodicenſem Epiſcopum & Baldricum Comitem, memorantur *eorum ſilva inter duo flumina quæ Nitha vocantur.* Eſt quoque *Nita* fluvius, *Nette*, qui paullo infra confluentes Moſellæ & Rheni recipitur Rheno non procul ab Antunnaco.

Fallitur Brouverus, qui *Nitachouvam*, aliàs *Nitahgouvam*, Nitgouvam vocat, & à *Neta* vel *Nita Aiſſenſi* ſive Eiſſleuſi rivo dictam eſſe conjicit.

NITIOBRIGES ET AGINNUM NITIOBRIGUM.

Qui Straboni in Aquitania *Nitiobriges* inter Petrocorios & Cadurcos; iidem Ptolemæo ſub Petrocoriis ſiti *Nitiobriges*, Νιτιόβριγες; Cæſari in libro VII. ter *Nitiobriges*, ſemel *Nitiobroges* inter Celtas: quibus V. hominum millia ſunt imperata ad Aleſiam obſidione Romana liberandam. Scribit Cæſar, *Teutomatum Ollovicônis filium Regem Nitiobrigum, cujus pater ab Senatu* Romano *amicus erat appellatus, cum magno equitum ſuorum numero & quos ex Aquitania conduxerat, ad Vercingetorigem perveniſſe.* Corrupte à Plinio vocantur *Antobroges* pro *Nitiobroges* vel *Nitiobriges*. Verba Plinii ſunt. *Aquitanicæ ſunt Narbonenſi provinciæ contermini Ruteni, Cadurci, Antobroges, Tarneque amne diſcreti à Toloſanis Petrocori*: quæ ſic emendari oportere Scaliger meritò aſſerit. *Narbonenſi provinciæ contermini Ruteni, Cadurci: Nitiobroges Tarne amne diſcreti à Toloſanis, Petrocori.* Scaligeri emendationem ſitus Gentium locorumque ipſe confirmat. Quippe *Nitiobriges* vel pagum Aginnenſem Tarnis fluvius à pago Toloſano dividit: Petrocori nec Tarnim, nec Toloſanos attingunt, Aginnenſibus interpoſitis. *Nitiobriges* Sidonius vocat in epiſtola X. libri V. *Nitiobroges* tabula Peutingeriana: quo nomine *Vcecia & Montiſpeſſulani* incolas deſignari *in Bituricenſi provincia*, ridiculè ait Marlianus, cùm Ucecia & Monſpeſſulanus vel Magalona Volcarum Arecomicorum civitates ſint, in provincia Narbonenſi prima conſtitutæ; *Nitiobriges* Gens Aquitaniæ ſecundæ ſeu provinciæ Burdigalenſis, à Monte peſſulano VI. dierum itinere diſtans. Quidam *Nitiobriges* pro Iculiſnenſibus habent: quæ omnia monſtrat partit audax inſcitia.

Caput *Nitiobrigum* urbem *Aginnum* eſſe docet unus qui inſtar omnium eſſe debet, Claudius Ptolemæus: itaut *Nitiobriges* non alios quàm *Aginnenſes* & Aginnenſis pagi incolas eſſe, dubitare nemo poſſit. ὑπὸ τὴς Πετροκορίους κείμενοι Νιτιόβριγες, καὶ πόλις Ἀγιννόν. In tabula Theodoſiana, & in epiſtola XXIII. Auſonii *Aginnum* vocatur prima ſyllabâ brevi; in Itinerario Æthici nunc *Aginnum*, nûc *Agennum* inter *Fines* & *Excifum*, *Eixſe*, à Burdigala Biturigum Viviſcorum LXXIV. à Veſunna Petrocoriorum LIII. à Lactura XV. millibus paſſuum diſtans. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Agennenſium* ſæpiùs quàm *civitas Aginnenſium* nuncupatur, & inter prov. Aquitanicæ ſecundæ ſex civitates à Burdigala metropoli proximum locum tenet, civitatibus Santonum atque Pictavorum, multo nobiliorum validiorumque *Nitiobrigibus* populorum, quod mirere, prælata: quem ordinem & Robertus in Chronico ſecutus eſt. Sed eum ut ita loquar errorem recentiores Notitiæ, nimirum Gervaſii

vaſii Tiſſeberienſis ante annos CCCCLX. & aliæ duæ altera ante annos ferè CCCC. altera paullo poſt annum MCCCCXII compoſitæ contexerunt, & ſub Metropolitano Burdigalenſi *Pictavenſem* Epiſcopum primo loco, *Santonenſem* ſecundo poſuerunt, *Aginnenſi* poſt Ecoliſmenſem etiam atque Petrocoricenſem in ultimum locum rejecto.

Hieronymus in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis *Agennum Galliarum*, & *Phœbadium Agenni Galliarum Epiſcopum* appellavit, quaſi altera eiuſdem nominis urbs extra Galliam eſſet, quam ignorare me fateor. Gregorius Turonicus Epiſcopus modò *Aginnum*, modò ſicuti & Fredegarius aliique, *Agennum* vocat: quod opidum poſitum ad Garumnam Noſtri *Agen* nuncupant vulgò. Apud Magnonem hæc legimus, *Niſiobrox*, *Aginum*: ubi legendum eſt *Nitiobrox*, *Aginnum*.

Pagus Aginnenſis, quem Fredegarius & Geſta Dagoberti *pagum Agennenſem* appellant, & inter pagum Cadurcinum & Petrocoricum locant, Aimoinus in libri III. capite XV. *Aginnenſem pagum* vocat, à Noſtris dicitur *l'Agenois*, vel *le pays d'Agenois*. Pars eius pagi trans Garumnam poſita erat in finibus provinciæ Novempopulanæ vel Vaſconiæ circa Condomium Quippe in vetuſtiſſimis Annalibus legimus, regnante Pippino pluiſſe frumento *in pago Aginnenſe ultra Garumnam*, id eſt in Vaſconiæ pago Condomienſi. Seneſcalcia *Aginnenſis* duos Epiſcopatus continet, cis Garumnam Aginnenſem, trans flumen in Vaſconia Condomienſem.

N I V I A L A.

Niviala in vetere Vita S. Gertrudis atque à priſcis noſtris auctoribus nuncupatur, quam recentiores *Nivigellam* & *Nivellam* dixere, atque ita nunc appellitant. In eo opido Itta, amiſſo viro ſuo Pippino Majore domûs per Auſtriam, cùm ſe Deo devoviſſet, de domo ſua Eccleſiam unà cum Monaſterio nobiliſſimo fecit, dotavitque liberaliter ac magnificè inſtruxit, filiamque Gertrudem Virginem Deo conſecratam Monaſterio ſuo præpoſuit: ubi ipſa anno ætatis LX. deceſſit, atque in B. Petri Apoſtoli baſilica ſepulta eſt: quò & tranſlatus eſt poſtea ex villa ſua Landino Pippinus, & iuxta feretrum S. Gertrudis filiæ ſuæ collocatus: uti in libro XVIII. Rerum Francicarum docuimus. Landinum autem, Landa quibuſdam dictum, vulgò *Landen*, villa Pippini fuit in Haſbaniæ Brachantique confinio prope opidum Monaſteriumque S. Trudonis: ubi Prætorium exſtruxit, ac plerumque habitavit, obiitque demum ac ſepultus eſt, antequàm Nivialam transferretur, atque ideò à Landino Landinenſis cognominatus eſt; qui locus continuis Brabantiones inter & Leodicenſes bellis ſæpe dirutus ac incenſus, vix hodie opiduli nomen meretur. In veteri libello de Vita S. Adalberti Diaconi, quem VVillibrordi comitem & Egmundæ Patronum fuiſſe aiunt, fit mentio *Nivialæ*. *Tunc pars devotionis ſtudio Nivialenſe properant ad Cœnobium, ubi mirâ ſignorum gratiâ ſacra effulget Virgo Gertrudis.*

NOBILIACUM PICTONUM.

Nobiliacum Abbatiali Monaſterio inſigne, *Novaillé*, abeſt ab urbe Pictavis millia paſſuum circiter duo: ad Clenni & Medioximi confluentes poſitum, quorum alter vulgò *le Clen*, alter *Mioſſan* appellatur: ſi Maſſono fides habenda eſt. *Monaſterium Novaliacenſe* vel *Novaliacum* plures appellant; *Monaſterium Noviliacum* Vita Imper. Ludovici Pii. Eſt & in Lemovicibus *Nobiliacum*, quod nunc opidum S. Leonardi nomine cenſetur, *S. Leonard*, ita cognominatum à veteri Monaſterio S. Leonardi, quod in Collegium Canonicorum mutatum eſt, & ad flumen Vingennam ſupra Lemovicas urbem eſt poſitum. Locus in quo Monaſterium S. Vedaſti exſtructum eſt ad ripam Crientii vel Crientionis fluvioli, (*Crinchon*) *Nobiliacum* quoque dicebatur: quod Monaſterium civitati Atrebatis ita demum acceſſit, ut muris tamen & portis ab ea divideretur, & alterius urbis inſtar efficeret. Urbem etiam hanc vocant, *la Ville*; illam verò *civitatem*, *la Cité*.

NORTMANNIA FRANCICA, QUÆ ANTE NEUSTRIA, ET PROVINCIA LUGDUNENSIS II.

Inter Septemtrionales Europæ nationes maximè olim eminuere *Dani*, *Suethidi*, atque *Normanni*, qui ſubactis finitimis populis, tria Regna non obſcura condiderunt, & Germaniam, inſulam Britanniam, ac Galliam multis ac ſævis incurſionibus vexaverunt. Jordanes in libro de origine geſtiſque Gothorum ante annos MCXXX. *Danorum Suethidorumque* meminit, & inter *Scanziæ* ſuæ XXVIII. nationes ambos numerat. *Sunt* (inquit) *& his exteriores Oſtrogothæ, Finni mitiſſimi, Scanziæ cultoribus omnibus mitiores, necnon & pares eorum Suethidi, Cogeni, in hac gente reliquis corpore eminentiores: quamvis & Dani ex ipſorum ſtirpe progreſſi, Erulos propriis ſedibus expulerunt, qui inter omnes Scanziæ nationes nomen ſibi ob nimiam proceritatem affectant eximium.* Scriptores rerum Anglicarum *Danorum*, *Suethidorum*, *Nortmannorumque* mentionem faciunt: ex quibus *Danos* Henricus & Rogerus, & Alexander PP. III. aliique, notioris nominis ſimilitudine decepti, falsò *Dacos* appellant; *Suethidos* verò *Suathedos* & *Suvathedos* nuncupant; *Normannos* notiore & recentiore nomine *Norvvagenſes*, *Norvvegenſes*, & *Northegenſes* vocant. Henrici Huntindonienſis vel Huntendunenſis Archidiaconi verba hæc ſunt in prologo libri V. Hiſtoriarum, quas ad annum MCLIV. deduxit. *Immiſit Dominus omnipotens velut examina apum Gentes crudeliſſimas, quæ nec ætati nec ſexui parcerent, ſcilicet Dacos cum Gothis, Norvvagenſes cum Suathedis, VVandalos cum Freſis.* Rogerus Houedenius qui in anno MCCIV. aut V. deſinit, in Annalium parte priore Henricum tranſſcripſit hunc in modum. *Immiſit ergo eis* (Anglis) *Dominus o. v. a. e. Gentes crudeliſſimas q. n. a. n. ſ. p. ſcilicet Dacos cum Gothis, Northegenſes cum Suvathedis, VVandalos cum Freſis: qui ab exordio regni*

Edelvvlfi Regis (Occidentalium Saxonum) *uſque ad adventum Normannorum & VVillelmi Regis per annos ducentos & triginta terram hanc vehementer affligentes & deſolantes vaſtaverunt.* Ubi pro *Northegenſes* legendum videtur *Northuvegenſes.* Idem dicit eiſdem ferè verbis Matthæus VVeſtmonaſterienſis Monachus, qui in anno MCCCVII. deſinit, ſed pro *Dacis Danos* rectè appellat. Et Dani quidem quos non pauci mendosè ac falsò *Dacos* dixere, ab ipſiſmet *de Danſke*, ab Germanis *die Danen* ſive *Daenen* vocantur, à Noſtris *Danois*; & eorum Regnum *Dania*, ac vulgò Danomarchia, *Danemarck*: *Suethidi* autem aut *Suethedi* patriâ linguâ *the Suenſke*, Germanis qui cis Codanum ſinum ſedes habent, *die Svveden*, Noſtris *Suedois* & *Suedes* dicuntur, & eorum Regnum à Danis, à Nortmannis, atque ab ipſiſmet *Suerige* nuncupatur, hoc eſt *Suethidorum Regnum.* Magiſter Adamus, qui circa annum MLXXX. ſcripſit hiſtoriam, *Suethidos* promiſcuè *Sueones* ac *Suedos*, & eorum regionem *Sueoniam* vel *Suediam* appellat; Nortmannorum verò vel Norvvagenſium regionem modò *Nordmanniam*, modò *Nordvvegiam*. Certè nunc *Nordmannos Sueoneſque*; nunc *Nordmanniam*, & *Sueoniam vel Suediam*, *duo latiſſima aquilonis Regna*; ſæpe *Daniam*, *Suediam*, *Nordvvegiamque* conjungit. Helmoldus qui in anno MCCVIII. deſinit, ſimiliter *Suethidos* Danis jungit, & nunc *Sueones*, nunc truncato Suethidorum vocabulo *Suedos* vocat, ac eorum regionem *Suediam*. *Suetos* contracto *Suethidorum* nomine ſemper & ubique vocat Saxo Grammaticus, qui ante annos CCCC. Hiſtoriam Danicam ſcripſit, & eorum Regnum ipſe, ſicut Alexander Papa III. *Suetiam* nuncupat; Giraldus Cambrenſis qui circa annum MCC. floruit, in Topographia Hiberniæ *Sueviam provinciã, quæ nunc Suitia dicitur.* Vita S. Bernardi, & recentiſſimi ſcriptores Gentẽ *Suecos* pro *Suedis* aut *Suetis*; Regnum Gentis *Sueciam* vocant. Cluverius Adamum & Helmoldum ſequitur, & qui Jordani *Suethidi*, aliis recentioribus *Sueti* ſunt vel *Suedi*, à priſcis Geographis *Sueones* dictos eſſe non arbitratur ſolùm, ſed affirmat; *Nortmannos* autem ſeu *Norvvagenſes* olim *Sitones* appellatos fuiſſe, nomine Gentis obſcuræ ac incognitæ.

Ego Eginhardum, virum ætatis ſuæ doctiſſimis adnumerandum, Geographiæ utique (ut ſcripta eius docent) peritiſſimum, Caroli Magni & Ludovici Pii Imperatorum æqualem, Adami & Helmoldi auctoritati facilè antepono: quorum alterum Eginhardus ducentis & quinquaginta annis, alterum CCCXXC. anteceſſit. Verba Eginhardi in libro de Vita Caroli Magni talia ſunt. *Sinus quidam ab Occidentali Oceano Orientem verſus porrigitur, longitudinis incomperta, latitudinis quæ nuſquam centum millia paſſuum excedat. Hunc multa circumſident nationes. Dani ſiquidem, ac Sueones quos Nordmannos vocamus, & ſeptemtrionale litus & omnes in eo inſulas tenent. At litus Auſtrale Sclavi, & Aiſti* (*Æſtij*, *Eſtiones* & *Eſtones* aliis dicti) *& aliæ diverſæ incolunt nationes.* Accedit Eginhardo Rembertus in libro de Vita S. Anſcharii, cuius diſcipulus & in Archiepiſcopatu Bremenſi ſucceſſor fuit regnantibus Ludovici Pii filiis ante annos DCCC. qui *Horicum Regni Danorum monarchiam tenuiſſe* ſcribit: *Sueonum* autem *Reges* tres nominatim commemorat, *Bem*, *Avenudum*, & *Olef* ſive Olavum, & *portum Regni ipſorum qui Byrca dicitur*: ubi Bem & Olef Reges Sueonum ſedere conſueverint, Olef etiam concilium totius Gentis habuerit. *Byrca* autem *Sueonum portus & vicus*, Regumque ſedes vetus, hodieque celeberrima eſt totius Regni Norvvagenſis urbs, licèt plancas tantùm ſeu palos pro muris habeat, ut fatetur ipſe Cluverius. Et ſuus eſt Epiſcopus, ſuuſque Præfectus. Nomen vetus eadem ſervat. Dicitur enim *Bergen* incolis, Noſtris *Berge*; y in e, c in g ex more converſis. Provinciale ante annos CCCC. compoſitum ac ſcriptum legi, in quo ex novem Epiſcopis *Norvagiæ Archiepiſcopo Nidroſienſi* vel Trondemnenſi ſuffragantibus primus eſt Byrcenſis, qui *Bergenſis* ibi nuncupatur. Ex his apertiſſimè (ni fallor) cognoſcitur, nomen *Sueonum* non *Suethidis*, ſed *Norvvagenſibus* Nortmanniſve convenire, idque ante annos octingentos & quinquaginta inter doctos & claros ſcriptores noſtros planè conſtitiſſe: quibus recentiores auctores, indoctos homines & obſcuros, minuſque diligentes abſit ut comparem, abſit ut etiam anteponam.

Sueones igitur ſunt, qui poſtea *Nortmanni*, ac demum *Norvvagenſes* ſunt nuncupati: *Sueonia* eſt eorum regio, quæ deinde *Nortmannia*, ac poſtremò *Norvvagia* vel *Nortvvegia* eſt appellata. Hodieque (ſi qua Cluverio fides) hi patriâ linguâ & à finitimis populis dicuntur *Normender*, item *Norbagger*, necnon *Norſke*, id eſt *Nortmanni* atque *Norvvagenſes*: regio eorum *Norrige* & *Norge*, hoc eſt *Nortmannorum* vel *Norvvagenſum* Regnum. Ait Cluverius, provincias *Biarmiam*, *Lappiam* vel *Lapponiam*, *Finnomarchiam* vel *Fennorum Marchiam*, *Findmarck*, Norvagici Regni portionem, *Botniam*, *Suediam*, ac *Norvvagiam* contineri *Scandinaviâ peninſulâ*, quam Plinius *ſinus Codani inſularum clariſſimam* falsò vocat; *Scanziam inſulam* eodem errore nuncupat Jordanes, *officinam Gentium aut vaginam nationum*, *Screrefennarum* vel Scritofinnorum, *(Skrikfinner)* *Oſtrogothorum*, *Finnorum*, ac *Suethidorum* præter ceteros patriam: *Scanziam* inquam *inſulam* non ſemel nuncupat Joadanes, à Claudio Ptolemæo malè intellecto deceptus, qui inter inſulas ſinus Codani maximam memorat *Scandiam*; Pomponio Mellæ *Codanoniam* Teutonorum, vulgò *Selandiam* aut *Sieland* dictam, à Scandinavia utique magnopere differentem.

Sueones quum Galliam incurſionibus ſuis vexare cœperunt, (cœperunt autem Caroli Magni principatu ante annos ferè nongentos) jamtum *Nortmanni* à ſitu vocabantur, id eſt Aquilonales homines. *Nort* enim vel *Nord* aquilonem; *man* hominem maſculum, ac populum linguâ Germanorum ſignificat. Quod *Nortmannorum* nomen licèt omnibus Septemtrionalibus Aquilonalibuſque natio-

nibus ex æquo convenire poſſe videretur, tamen *Sueonibus* præcipuè, atque nonnumquam *Danis*, ut Eginhardus & Aimoinus Sanctigermanenſis Monachus docent, necnon (ſi qua Liutprando fides) *Ruſſis* ab Germanis attribuebatur. *Sueones* autem regnante apud Francos Carolo Magno Imperatore jamtum appellatos eſſe *Nordmannos*, ex eo apparet, quòd à priſcis noſtrarum rerum ſcriptoribus omnibus *Nortmanni* & *Nordmanni*, aut ad molliendam nominis duritiem *Normanni* plerumque nuncupantur. Eginhardus, Abbo, Aimoinus ejus diſcipulus, aliique promiſcuè nunc *Nordmannos*, nunc *Danos* vocant, quòd ut finitimi alteri alteris erant, ita alteri alteris juncti ſæpe piraticam exercebant: præterea noſtris popularibus *Dani* propiores erant quàm *Nortmanni*, atque notiores. *Cynocephali* etiam dicti ſunt per jocum à Noſtris, quod more canum capita haberent plana: ut hodieque in eorum poſteris, Nortmannis videlicet noſtris agnoſcimus, ſi quando capite ſunt raſo. Certe Monachus Sanctigallenſis in libri II. de Geſtis Caroli Magni capite XXI. eum Principem de Godefridi Regis Nordmannorum cæde ac copiis hac illacque dilapſis ita loquentem inducit. *Videre non merui, quomodo Chriſtiana manus mea cum Cynocephalis illis luſerit.* *Nortmanni* vocati ſunt à Noſtris & *Bigothi*, propterea quòd Rollo Nortmannorum Dux *bi Goth*, hoc eſt per Deum juraverat, ſe pedem Caroli Francorum Regis pro accepta Neuſtria nequaquam oſculaturum. In Chronico ad annũ MCXXXVII. deducto hæc lego. *Hic Carolus Stultus vel Capet dedit Normanniam Rolloni: cumque ſui Comites illum admonerent, ut pedem Regis in acceptione tanti Beneficij oſcularetur, linguâ Anglicâ reſpondit, Ne ſe bi Got: quod interpretatur, non per Deum. Rex verò & ſui illum deridentes, & ſermonem ejus corruptè referentes, illum vocaverunt Bigoth. Unde Normanni adhuc Bigothi dicuntur.* Quidam *Bi God*, & Nortmannos *Bigodo* vocatos eſſe ſcribunt. Aliam nominis cauſſam affert Guillelmus Nangiacenſis, ſcribitque anno DCCCXCVI. Rollonem Ducem Normannorum à Carolo Rege Francorum qui Simplex cognominatus eſt, terram maritimam ab Etta fluvio uſque ad Britannicos limites accepiſſe, ipſumque jam baptizatum cum ſuis linguâ patriâ fidem Regi *bi Got*, hoc eſt per Deum promiſiſſe atque juraviſſe: ex eo tempore *Normannos* à Francis per jocum & per ignorantiam linguæ Normannicæ *Bigot* ſeu *Bigotos* ſolitos eſſe appellari. In libro II. de S. Berchario corruptum eſſe hoc nomen animadverto. *Erumpentibus ab occiduis partibus Haſtingo Duce VVisigotis, qui & Normanni.* Pro *VVisigotis* legendum planè eſt *VVigotis*, vel *Bigotis*.

Nortmanni à Noſtris nonnumquam appellantur *Noroni*; a Fulcherio Carnotenſi in libro II. Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ *Noroenſes*; à Matthæo VVeſtmonaſterienſi Monacho nunc *Norvvegenſes*, nunc mutilato nomine *Norenſes*. Radulfus de Diceto, Symeon Dunelmenſis, aliique Nortmannos ſeu Norvvagenſes *Norreganos* nuncupant, & eorum regionem *Norregam*: quam Eginhardus & veteres noſtri Hiſtorici *Nortmanniam* appellare conſueverunt. *Norrega* autem ad *Norrige* & *Norge*; *Norregani* ad *Norſke* proximè accedunt: quibus nunc nominibus vetus Nortmannia ſeu Norvvagia, & ejus incolæ deſignantur. *Arvegre Rex Noricorum* nuncupatur in Chronico ſuprà laudato, ad annum MCXXXVII. deducto, qui *Haroldus Harvager Rex Norreganorum* à ſcriptoribus rerum Anglicarum dicitur: ex quo intelligitur & à Noſtris *Nortmannos* nonnumquam *Noricos* appellatos fuiſſe, nomine ad vulgarem appellationem *Norſke* accedente. Abboni in libris II. de obſidione Luteciæ nunc *Allophyli*, nunc *Gentiles* ab idolorum cultu dicuntur; aliis ſimiliter & *Pagani*. Quidam etiam, ſed falsò *Suevos* olim dictos eſſe credidere: quod nomen *Suethidis* vel *Suetis* Giraldus Cambrenſis attribuit. In Codice bibliothecæ Thuaneæ hæc de Nortmannis apud urbem Turonos cæſis reperi, Vitæ & Miraculis S. Martini ſubjuncta. *Dani, Suevique, quos Teotiſci linguâ ſuâ Northmannos id eſt Aquilonales homines appellant, ſubinde Galliarum provincias uſque adeò depopulati ſunt, ut, &c.* Hactenus de variis nominibus Nortmannorum, quos Norvvagia olim Regnum, nunc Regni Danici provincia, frigore ac nivibus ſqualida, & maximis ſilvis ac montibus à Suetia diviſa, per annos ampliùs centum regionibus noſtris immiſit.

Et *Nortmanni* quidem Caroli Magni principatu primùm piraticam exercuere: deinde majore claſſe contracta, Friſiam & Saxoniam Germaniæ regiones maritimas, ac litora Galliæ vaſtavere. Regnante apud Francos Ludovico Pio, idem à Barbaris factum, & ora Galliæ quà Oceano alluitur, cum inſulis Friſiaque vexata, ac tributum ab incolis nonnullis in locis exactum. Mortuo Imperatore Ludovico Pio, ortoque inter tres eius filios bello civili graviſſimo, ea occaſione uſi Nortmanni multo quàm antè atrociùs, crebriúſque ſævierunt, & nunc junctis in unum viribus, nunc diviſis claſſibus, uno tempore diverſis ex partibus Galliam aggreſſi ſunt, ac maiora flumina adverſa ſubeundo, loca omnia ripis fluviorum adpoſita igni ferroque vaſtaverunt. Pauciſſimæ urbes, rara caſtella munitionibus ſuis tuta manus eorum evaſerunt. Sacra profanaque direpta; innumerabiles homines cæſi, capti, decimati: ſpoliatis miſeris incolis tributum imponebatur, quo accepto prædones domum reverterentur. Hæc ſub Carolo Calvo, eiuſque filio ac nepotibus paſſa Gallia eſt à variis Nortmannorum Archipiratis ac Regulis. Ex quibus Rollo cùm ferociſſimè jugulis Noſtrarum immineret, Carolus Francorum Rex, quem vulgò Simplicem cognominant, Caroli Calvi nepos, eum cum ſuis, dummodò Chriſtiani fieri vellent, in Galliæ finibus collocare conſtituit, conſentientibus Optimatibus univerſis. Provincia Lugdunenſis ſecunda tum *Neuſtria* vocabatur, & incolæ *Neuſtriani*, nomine Neuſtriæ, quæ à Moſa ad Ligerim primùm, deinde à Sequana ad Ligerim pertinuerat, tum ſoli provinciæ Lugdu-

nenſi II. attributo. Hæc provincia, quæ VII. civitates continet à fluvio Itta ad fines Britanniæ, Rolloni data eſt anno DCCCXCVI. qui iam Metropolim eius Rotomagum occupaverat. Nortmanni abluti cum Duce, ibi conſedere, & ſuum regioni nomen dedere, ita ut nunc veteri nomine *Neuſtria*, nunc novo *Nortmannia* promiſcuè appellaretur. *Nortmannia nova* vocari rectè poteſt, ut diſtinguatur à Nortmannia veteri, ſive Norvvagia, patria Nortmannnorum. Sigebertus in Chronico eam *Nortmanniam Francorum*, id eſt in Regno Francorum poſitam vocat, ut diſtinguat à Nortmannia Norvvagenſium: idem eamdem abſolutè *Nortmanniam* nuncupat: quum ſcribit, *anno* MXXXII. *Rotbertum & Richardum à Nortmannia Francorum digreſſos, Apuliam petiiſſe*, & *anno* MXXXVIII. *copiis ſuis è Northmannia paullatim adauctis, caſtella & urbes Apuliæ aut dolo aut virtute cepiſſe.*

Frodoardus in Chronico *Rollonem* hunc *Nordmannorum Principem* appellat; *VVillelmum* quoque *Principem Nordmannorum*; & *Richardum, filium VVillelmi, Nordmannorum Principem.* Glaber Rodulfus in libri II. capite VII. *Ducem Rotomagorum Ricardum* appellat, quem in capite inſequenti *Ricardum Rotomagorum Comitem* à Metropoli provinciæ & à ſede ſua vocat. A Sigeberto in anno MVI. *Richardus Comes Northmannorum* dicitur, in anno MLXVI. *Guillelmus Comes Northmannorũ, Rotbertus* item in anno MXCVI. *Comes Normanniæ*, quem & Anſelmus Abbas Gemblacenſis *Rotbertum Comitem Northmanniæ* appellat, Fulcherius Carnotenſis *Robertum Normanniæ Comitem.* Sæpius tamen *Duces Nortmannorum* ſunt à Noſtris nuncupati, ac etiam *Marchiones*: ex quibus Guillelmus anno MLXVI. Haraldo Rege Anglorum fuſo acie & cum multis ſuorum millibus cæſo, Angliæ Regnum occupavit. Hæc eſt Nortmannia Apuliâ & Calabriâ potita quondam; hæc in Sicilia dominata, terrori etiam fuit Imperatoribus Orientis; hæc Antiochiæ etiam principatum obtinuit.

Ceterùm ut *Nortmanni veteres* ſeu Norvvagenſes vulgò hodieque dicuntur *Normender*; ſic *Nortmannia* noſtra vel *Francica*, d litterâ inſertâ, aut certè in ultimi n locum ſubſtitutâ, (habet enim n littera cum d communionem, ut ait Donatus) vocatur *la Normandie*: *Nortmanni* ejus provinciæ incolæ nuncupantur *Normans*. *Dux Nortmannorum* inter laicos Duces, *Pares Franciæ* ultimum locum tenuit, Ducibus Aquitaniæ atque Burgundiæ vetuſtatis & ſplendoris cauſâ præcedentibus.

NOVALICIUM.

Opidum Novalicienſe vetertimo Monaſterio quod S. Petrum Apoſtolorum Principem Patronum habuit, illuſtre admodum fuit ac opulentum, villis & Cellis cùm in Gallia, tum in Italia dives, ſitum in valle Seguſina inter montem Ciniſium, *le mont Cenis*, & opidum Seguſium, & ab utroque paribus diſtans intervallis. Vulgò *la Novaleſe* vocant. De *Novalicio*, deque Abbatibus Cœnobii Novalicienſis fusè refert Chronicon ejus Monaſterii, in ſex libros diviſum, & ad annum circiter ML. ſeu ad Henricum eius nominis II. Imperatorem deductũ. Ex Chronico iſto diſcimus, multas olim Eccleſias, multas domos eo in opidulo ac Monaſterio fuiſſe, quod in nomine ludens auctor *Monaſterium Nova lucis* pro *Novalicij* ibidem appellat, & à Saracenis direptum ac incenſum eſſe dicit.

NOVEMPOPULANA PROVINCIA, QUÆ NUNC VASCONIA AQUITANICA: ET DE VASCONIBUS GALLICANIS.

Aquitania Garumna flumine, Pyrenæis montibus, & Oceano continebatur ætate Julii Cæſaris: quam poſtea Auguſtus uſque ad Ligerim XIV. Gentium adjunctione promovit. Hæc *Aquitania* ſic aucta, diu nihilominùs una provincia fuit: donec à Conſtantino Maximo, ut videtur, in duas provincias diviſa eſt, *Aquitaniam* & *Novempopulanam*. Poſtmodũ tres ex tota Aquitania factæ provinciæ, *Aquitanica prima*, *Aquitanica II.* & *Novempopulana*. *Novempopulana* dicta eſt Aquitania vetus & propriè vocata, quam Cæſar Garumna & Pyrenæo Oceanoque terminari ſcripſit. Hanc Rufus Feſtus V. C. in Breviario rerum geſtarum populi Rom. *Novempopulanam* appellat; Notitia Imperii Rom. nunc *provinciam Novempopulanam*, nunc *Novempopulos*; veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ, & Robertus in Chronico *provinciam Novempopulanam*; *Novempopulanam* & Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri II. Hiſtoriæ Franc. capite XXV. vetus inſcriptio apud Goltzium *Gentem Novempopulanam*. In Concilio Aquileienſi, & in edicto Honorii Aug. ad Agricolam Præfectum Prętorio Galliarum, eadem nuncupatur *Novempopulania*. Auſonius in Parentalibus, & in libro de Profeſſoribus Burdigalenſibus, Hieronymus in epiſtola ad Agerochiam de Monogamia, Ammianus Marcellinus in libro XV. aliique *Novempopulos* vocavere à numero populorum quos ea provincia continebat. Hi novem populi fuerunt, ut exiſtimo, Eluſates, Auſci, Aquenſes vel Aquitani, Lactorates, Convenæ, Conſoranni, Tarbelli vel Boates, Vaſates, Bigerrones ſeu Bigerri: qui hodieque ſunt provinciæ *Novempopulanæ* populorum clariſſimi, exceptis unis Eluſatibus. Nam Benarnenſes, Aturenſes & Eloronenſes, qui ejuſdem provinciæ finibus continentur, nomina urbium ſunt, non populorum quos Geographi norint. Ortelius quidem *Viviſcos*, Gentem Aquitaniæ II. clariſſimam, & *Medulos* ac *Boios* popellos obſcuros & ignobiles, & ab Auſonio ac Paullino primùm his nominibus dictos, malè *Novempopulis* accenſet: cùm Burdigala caput Biturigum Viviſcorum, & Meduli ac Boii ei ſubjecti, licèt trans Garumnam ſint in Novempopulanæ finibus, tamen Aquitaniæ ſecundæ attribuantur.

A quibuſdam hæc regio novo, ſed non inepto vocabulo vocatur *provincia Aquitan-*

nia tertia, in primis ab Iſidoro qui circa annum DCCC. Notitiam quamdam Galliarum edidit, veterum Epiſcoporum Romanorum epiſtolis haud multo meliorem. Ab aliis nuncupatur *Provincia Auſcenſis* vel *Auſcitana*; nonnumquam & abſolutè *Auſcitania* à capite & metropoli provinciæ. Recentiores *Auxitanam* & *Auxitaniam* corruptè ſcribunt. Livius in libro XXI. partem Novempopulanæ *Aquitaniam ſubjectam Pyrenæis montibus* videtur appellaviſſe; Sulpicius Severus in libro II. Hiſtoriæ Sacræ *interiorem Aquitaniam*.

Demum à *Vaſconibus* qui eam occupaverunt, dicta *Vaſconia* eſt, ac etiamnum ita appellitatur, *la Gaſcogne*. Nimirum Vaſcones montani à Regibus Veſigothorum, cùm aliis, tum Gundemaro, Siſebuto, Suintila & VVamba multis bellis exagitati, quòd imperata facere ſitu locorum confiſi nolebant, crebrò effudere ſeſe in Novempopulanam, & occaſione bellorum civilium inter Francos uſi, paullatim ibi ſedem cepere, totamque tandem obtinuere. Provinciæ nomen *Vaſconia* impoſitum, quo primus utitur Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VI Hiſt. capite XII. *Bladaſtes Dux in Vaſconiam abiit, maximamque partem exercitus ſui amiſit.* Et *Vaſcones* quidem iſti à filiis Childeberti Theodeberto ac Theodorico tributarii facti, Duxque eis Genialis præpoſitus. Deinde Charibertus Dagoberti frater, qui Toloſatibus, Aginnenſibus & Santonibus imperabat, *Vaſconiam* cum copiis ingreſſus, totam ſuæ ditioni ſubjecit: cujus mortui Regnum unà cum *Vaſconia* Dagobertus in ſuam poteſtatem redegit; & anno XIV. principatûs ſui *Vaſcones*, regnum quod Chariberti fuerat devaſtantes, armis compeſcuit: ac inſequenti anno Seniores Optimateſve Vaſconum ad Dagobertum venere, & in baſilica S. Dionyſii juravere, ſe poſteroſque ſuos Dagoberto, filiiſque ejus ac poſteris Francorum Regibus ſemper fideles futuros; uti Fredegarius ſcribit. Anno DCCLXIX. Lupus *Dux Vaſconum* ſeipſum totamque terram ſuam ſeu provinciam cui præerat, Karoli Regis ditioni poteſtatique ſubmiſit, quemadmodum Eginhardus ceterique noſtri Hiſtorici tradunt. Ex his intelligitur errare non ſemel Scaligerum, quum in Notitia Galliæ prodit, *Vaſcones devictos primùm à Pippino, deinde à Ludovico Caroli Magni filio, Aquitaniæ Rege, de Pyrenæorum ſaltu in plana Novempopulanæ deductos atque demiſſos, nomen ei regioni dediſſe Pippini principatu.* Neque enim Pippino Francorum Regi res umquam fuit cum *Vaſconibus* propriè dictis; qui trans Garumnam habitabant, ſed cum VVaifario Duce *Aquitanorum*, quos ſæpe ſcriptores noſtri veteres impropriè *Vaſcones* appellaverunt. *Vaſcones* quidem anno DCI. à Theodeberto ac Theodorico fratribus ſtipendiarii facti fuerant; adeò à *Pippino primùm* circa annum DCCLX. *devinci* non potuere. Ludovicus Pius Caroli Magni Aug. filius, cum Rex Aquitaniæ, tum poſtea Imperator, aliquot eos expeditionibus pacavit: ſed neminem è noſtris Hiſtoricis legi, (omnes autem legi) qui dixerit *Vaſcones à Ludovico* iſto, aut ab alio quoquam *in plana Novempopulanæ* fuiſſe *deductos*. Et *Vaſconiæ* noſtræ ſuprà meminit Gregorius in anno VI. Regis Childeberti, Chriſti DXXCI. ante Pippini regnum annis CXXC. adeò regnante apud Francos Pippino, *Novempopulana* nomen ſuum mutare, & tum primum *Vaſconia* appellari non potuit.

Vaſcones, Gens Hiſpaniæ Tarraconenſis magna ex parte libera, provinciam Novempopulanam, inter Pyrenæos montes Oceanumque & Garumnam flumen jacentem, regnantibus apud Francos Chlotharii magni filiis ac nepotibus vaſtavere, ac ſenſim fines ſuos proferendo, ferè omnem tandem, Francis ſub Majoribus domûs bello civili laborantibus occupavere, atque *Vaſconiam* appellavere, Ducemque ſuæ Gentis ac ſui etiam juris, excuſſo Francico jugo habuere. In finibus Cantabriæ montibuſque Pyrenæis inter Regna Francorum Gothorumque ſiti erant, pertinebantque ad Oceanum & ad fines Aquitaniæ: Gens audax, inquieta, famis ac laboris patiens, corporum, armorum, atque etiam ingeniorum levitate inſignis, ſitu demum locorum ac ſaltuum latebris ad inſidias opportunis quàm viribus tutior. Et *Vaſcones* quidem qui urbes in plano poſitas incolebant, quales Pompelonenſes, Calaguritani, Iturisſenſes aliique erant, Gothorum Regibus parebant: ut Concilia Hiſpaniæ docent. Ceteri qui montana caſtella habitabant, non contenti libertatem ſuam defendere, proxima populari conſueverant, & nunc provinciam Tarraconenſem in Hiſpania, nunc *Novempopulanam* in Aquitania incurſionibus vaſtabant: ſicuti in libro XI. Rerum Francicarum ſcripſimus. Bladaſtes Dux cum exercitu adverſus eos miſſus à Rege Chilperico, anno DXXCI. in *Vaſconia* maximam copiarum partem amiſit. Poſtea pueritia Regum Francorum belliſque civilibus in occaſionem ſuam uſi, partem aliquam provinciæ *Novempopulanæ* Pyrenæo ſubjectam armis occupavere: ſed miſſo à Theodeberto ac Theodorico exercitu victi, domiti, tributariique ſunt facti: Dux eis Genialis præpoſitus. Ab Chariberto poſtea Dagoberti fratre ſtipendiarii facti; deinde à Dagoberto ipſo prœlio ſuperati, & ad deditionem fidemque Regi ac Regno Francorum promittendam Aighina Duce compulſi ſunt. Hos Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, Baudemundus de Vita S. Amandi, Audoënus & Fredegarius ipſe antiquitùs *Vacceos* dictos eſſe, falsò ſcribunt: quæ Hiſpaniæ Tarraconenſis Gens, Durii amnis accola, longè à Pyrenæo Vaſconibuſque abeſt. Eoſdem Amandus Trajectenſis Epiſcopus auguriis deditos, idololatras etiam pleroſque ab errore revocare conatus eſt. *Vaſconiæ citerioris* ſeu *Novempopulanæ*, cis Pyrenæum jacentis, primus meminit Gregorius Turonenſis Epiſcopus in libri VI. Hiſtoriæ Franc. capite XII. At Hiſpanienſes *Vaſcones* ex parte *Navarri* dicti: unde *Pompelonem Navarrorum oppidum* Eginhardus appellavit, ante annos DCCCXI. ſed in anno DCCCVI. *Navarros* à *Pampilonenſibus* diſtinguit. Idem & *Iberum am-*

nem apud Navarros oriri ait in Vita Karoli Magni : quem Plinius in capite III. libri III. tradit *oriri in Cantabris haud procul opido Iuliobriga*. Ex quo intelligitur *Navarros* ætate Caroli Magni latiùs quàm nunc patuiſſe. Nam hodie *Navarra* fontes Iberi non attingit.

Noſtri Hiſtorici Caroli Magni æquales *Vaſconiæ* nomine ſæpe abutuntur, eoque vocabulo non provinciam *Novempopulanam* modò, à Vaſconibus ferè omnem occupatam, ſed etiam totam reliquam Aquitaniam uſque ad Ligerim impropriè appellitant : ut in rebus Caroli Ducis Franc. adverſus Eudonem, & Pippini Francorum Regis adverſus VValfarium Aquitaniæ Principem obſervavimus. Nam auctor æqualis qui de Pippino ſcripſit, propriè dictos *Vaſcones ultra Garonnam commorari* ſemel atque iterum affirmat : & auctor ſimiliter æqualis, qui de Vita Ludovici Pii Aug. librum compoſuit, *Garonnam fluvium Aquitanorum & Vaſconum conterminum* appellat : ut appareat Vaſconiam ad Garumnam pertinuiſſe eoque flumine ab Aquitania dividi conſueviſſe. Eginhardus quoque *Vaſcones trans Garonnam & circa Pyrenæum habitare* tradidit in Annalibus. In Geſtis etiam Ludovici VIII. Francorum Regis, & in Chronico Guilielmi Nangiacenſis *anno* MCCXXIV. *omnes Aquitaniæ Principes, exceptis Gaſconibus qui ultra Garonnam fluvium erant, fidelitatem Regi Ludovico promiſiſſe* traduntur. Et in Vita Imper. Ludovici Pii ſuprà laudata, *Vaſcones citimi Pyrenæo jugo propinqua loca incolere* dicuntur, vulgò *Gaſcons* Noſtris nuncupati : qui u in g convertere ſolent, & vaſtare *gaſter*, Vartimpam flumen *Gartempe*, vaginam *gaine*, VVactam ſeu excubias *le Guet* dicunt, Vardonem *le Gard*, vuerpire *guerpir*.

Sedes Vaſconum in Gallia fuit *Aquitania* Julii Cæſaris, Pyrenæo, Oceano, & Garumnâ à fonte fluminis ad oſtium uſque clauſa ac cincta : quæ poſtea *provincia Novempopulana* dicta eſt, ac demum à Vaſconibus poſſeſſoribus *Vaſconiæ* nomen accepit circa ætatem Gregorii Turonici Epiſcopi, ante annos mille & octoginta, atque ita à Noſtris hodieque appellatur *la Gaſcogne*, indigenis *Guaſcoigne* : Eluſam primùm, deinde Auguſtam Auſcorum pro metropoli habens, unde & *provincia Auſcitana* nuncupatur.

Gervaſius Tiſleberienſis *Vaſconiæ* quam *Gaſconiam* nominat, duas Metropoles facit, Auſcitanam & Narbonenſem, & non provinciam *Novempopulanam* modò ſive Auſcenſem, ſed etiam provinciam Narbonenſem primam, ſeu Gothiam Septimaniámve Vaſconiæ attribuit more Eccleſiæ Romanæ. Idem facit Notitia Epiſcopatuum Galliæ circa mortem Philippi Audacis, ſeu circa annum MCCXXCV. compoſita : idem Vitæ quędam Sanctorum, in primis Ferreoli Uceciæ Epiſcopi, qui *Martyrio coronatus à Vaſconibus* dicitur, id eſt à Septimanis ſuis vel Gothis, apud quos Epiſcopus erat. At aliæ Notitiæ duæ, altera Ludovico Philippi Audacis patre apud Francos regnante, altera poſt annum MCCCXII. compoſitæ Vaſconiæ Archiepiſcopatum Auſcitanum ſolum adſcribunt unà cum decem ſedibus ei ſuffraganeis.

Arnaldus Oihenartus *Vaſconiam* Aquitanicam vel Novempopulanam dividit in ſuperiorem & inferiorem, & in varios Comitatus ac Vicecomitatus. Et in *Vaſconia* propriè dicta, aliàs *Vaſconia majore* vel *ulteriore*, quæ nunc ſuperior vocatur, Vaſatenſem, Aquenſem, Aturenſem, & Lactorenſem Diœceſes; Vicecomitatus Leomanienſem, (*Lomaigne*) Gavarritanum, *le Gabardan*, à Gavarrito capite ſuo (*Gabarret*) cognominatum, Martianenſem, Aquenſem, Tartaſſienſem, Tursanenſem, Lupanerienſem, & Juliacenſem, ac Leporetanum vel Lebretenſem, nunc Ducatum ponit : Vaſconiæ autem citeriori quæ nunc inferior nuncupatur, Vaſcitaniam ſeu Vaſcorum regionem, præfecturam Lapurdenſem, & pagum Benearnenſem attribuit. Idem Comitatus ibi fuiſſe aſſerit Vaſconiæ ſuperioris, Vaſconiæ inferioris, Fidentiacum, Aſtariacenſem *Eſtarac*, Bigerricum Convenenſem, & Gauram, Manhoacenſem vel Maiennacenſem, (*Magnoac*) & Inſulanum ab Inſula Iordanis cognominatum : ex Fidentiacenſi Comitatu Armaniacenſem; ex Aſtariacenſi Pardiniacenſem (*Pardiac*) Comitatus eſſe decerptos atque detractos.

NOVESIUM.

Noveſium cum *Gelduba* & *Gugernorum pagis* à Tacito memoratur, necnon ab eodem alibi *Noveſium* cum *Bonna*. Claudius Ptolemæus *Novaſium* appellat, Νουαίσιον : ſed in magna Germania illud collocat magno errore, cum ſit caſtrum Ciſrhenanum Agrippinæ proximum in provincia Germania inferiore vel ſecunda, parte veteris Galliæ Belgicæ. Ammianus Marcellinus in libro XVIII. *Noveſium* etiam nuncupat, aut (ut codex Regius ſcriptum habet) *Niveſium* inter *Tricenſimam* vel *Triceſimam* & *Bonnam*. Tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana *Noveſium* Aſciburgium inter & Agrippinam ponit, ab Aſciburgio XVI. ab Agrippina XI. millibus paſſuum diſtans : Æthicus inter Calonem & Coloniam Agrippinam, vel potiùs & propiùs inter Buruncum & Geldubam, & ibi legionis V. alam fuiſſe in præſidio tradit. Vulgò aliis *Neus*, aliis *Nüſſe*, aliis *Nuys* dicitur. Sulpicius Alexander *Niviſium caſtellum* ad Rhenú appellat apud Gregorium Turonicum Epiſcopum, uti ſuprà Ammianus MS. *Niveſium* : Chronicon de rebus geſtis Normannorum in anno DCCCLXIV. *caſtellum Noveſium*; Annales Metenſes *caſtellum Nuiſam in Ribuariorum finibus*, id eſt in Ripariis; Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Niu Monaſterium*.

In capite ultimo libri ultimi Flori Druſus *Bonnam & Geneſiam pontibus junxiſſe, claſſibuſque firmaviſſe* dicitur. Sic codices veteres ſcriptum habent, cùm in libris editis mendosè *Bononiam & Geſoriacum* reperiamus, excepta veteri editione, in qua *Bonnam & G*[…]*niam* inveniri teſtatur Cluverius. Ego *Bonnam & Nogeſiam* vel *Noveſium* credo reſtitui oportere, mendâ ortâ ex tranſpoſitione duarum priorum ſyllabarum, & u in g

mutatione. Certè & *Noveſiam* ſemel Æthicus appellat. & Tacitus *Noveſium* ac *Bonnam* ut vicina caſtella junctim commemorat. Abeſt Noveſium à Bonna XXVII. millia paſſuum, mediâ Coloniâ Agrippinâ, ſicut Æthicus docet. Druſus igitur pontes duos fecit, alterum apud Bonnam, alterū apud Noveſium, qui utrumque caſtellū Germaniæ Tranſrhenanæ, & citeriorem ſeu ſiniſtram Rheni fluminis ripam ulteriori vel dextræ ripæ jungerent: ſicut Coloniæ Agrippinæ Rhenum ponte ſtraviſſe dicitur Conſtantinus Maximus, ut faciliùs & magnificentiùs cum exercitu quoties vellet tranſiret in Franciam, tum ei objacentem. Poſſet quis & apud Florum emendare, *Bonnam & Noveſium portubus auxit, claſſibuſque firmavit*: ut *portus claſſibus* ibi ſtantibus reſponderent ac convenirent. Sed nihil mutandum in his duobus Flori verbis arbitror. Ceterùm Cluverii, mag ii a'loquin viri, mira heic eſt infelicitas, in libro II. de antiqua Germania à priſcis membranis tantopere recedentis, & pro *Geſoſiam* apud Florum *Mogontiacum* nobis obtrudentis, repugnante veterum codicum auctoritate.

NOVIGENTUM AD SEQUANAM, ET DE NOVIGENTIS.

Novigentum ad Sequanam in Tricaſſibus, *Nogent ſur Seine*, opidum eſt non ignotum. Multa ſunt ejus nominis loca in Galliis: quæ in veteribus codicibus ſine littera g. nonnumquam ſcripta reperio. *Novigentum* ſupradictum, aliis *villa Novigentum* in pago Mauripenſi, ad Monaſterium S. Dionyſii pertinebat: de quo Annales Bertiniani. *Anno* DCCCLIX *Oſſa B. Mart. Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii metu Danorum in pagum Mauripenſem, in villam ſui juris Novientum devecta ſunt.* Alterum erat *Novigentum* ad Sequanam quoque in Pariſiis, nunc S. Chlodoaldi nomen ferens. Aliud erat & *Novigentum* in pago Andicavenſi. Eſt & vicus in pago Briegio *Novigentum Artaldi* dictus, *Nogent l'Artaud*, ad Matronam flumen, proximus *Novigentulo* aut *Novigentello*, *Nogentel*. Omitto *Novigentum* alterum ad Matronam in Pariſiis, non longè à Confluentibus, *Nogent*, villam olim Regiam: & *Novigentum* ad Iſaram flumen in Bellovacis, oppoſitum Credilio, vulgò *Novigentum Virginum* cognominatum, *Nogent les Vierges*.

NOVIGENTUM IN PAGO LAUDUNENSI.

Novigentum, villa publica pagi Laudunenſis, à finibus Sueſſionum Aquilâ amne dividitur: ut docet Guibertus ipſe Abbas *Novigenti*. Ejus villæ Regiæ fit mentio in rebus geſtis Ebroini, Theodoricum Regem Francorum ac Leudeſium Majorem domus Regiæ perſequentis incautos. Vulgò vocatur *Nogent ſous Conci*, quòd caſtro Codiciaco Novigentum illud ſubjectum ſit & proximum. *Noviandum* vocat Manaſſes Sueſſionenſis Epiſcopus in litteris anni MCVII. *Monaſterium S. Mariæ apud Noviandum*, & *dominum VVibertum Abbatem* Monaſterii memorans, id eſt Guibertum ſupradictum. *Noviandum* autem idem eſt ac *Novientum*, e in a, t. in d ut ſæpe fit converſis. *Novientum* porrò ſæpe pro *Novigentum* dici ſcribique obſervavi in priſcis codicibus.

NOVIGENTUM ROTROCI.

Novigentum Rotroci, *Nogent le Rotrou*, à Rotroco Comite Pertici, poſſeſſore ſuo ac forſitan conditore nomen accepit: quem quidam Rotroldum appellant, in primis Brito in libro III. Philippidos hoc verſu.

Pertica Rotroldo gaudet nemoroſa recepto.

Hoc eſt, Perticus lætatur ſe Novigentum Rotroci recepiſſe. *Nogentum in Pertica* vocat Ordericus in libro XIII. *Nougentum opidum in Perticenſi pago* Guillelmus Brito in anno MCXXCIX. Heic ſiunt culter optimi, qui non à loco, ſed à pago ipſo ſive regione Perticenſes vocantur, *couteaux Pergois*. Ab eo paucis millibus diſtat vicus *Novigentum Bernardi* dictus, *Nogent le Beſnardi* X. aut XII. leugis abeſt Novigentum Regis ad flumen Auturam, *Nogent le Roy*, cognomine ſuo *Novigento Rotroci Comitis* velut oppoſitum, ab eoque diſtinctum. Dictum eſt auté *Novigentum Regis*, quòd ibi Philippus VI. Rex Francorum anno MCCCL. obiit. Quidam aliter ſentiunt, & *Novigentum Iſemberti*, vel *Eremberti* ab Iſaſelle Bleſenſi Philippo Aug. Francorum Regi datum eſſe affirmant, ac inde mutato cognomine *Novigentum Regis* dici cœpiſſe. Eſt & ad eumdem Auturam vicus, Novigentum ad Auturam cognominatus à ſitu, *Nogent ſur Eure*.

NOVIODUNUM ÆDUORUM, QUOD ET NIVERNUM.

Noviodunum erat opidum Æduorum ad ripas Ligeris opportuno loco poſitum. Huc Cæſar omnes obſides civitatum Galliæ, frumentum, pecuniam publicam, ſuorum atque exercitûs impedimentorum magnam partem contulerat: huc magnum numerum equorum, hujus belli causâ in Italia atque Hiſpania coëmtorum, miſerat. Eporedorix Viridomaruſque Ædui interfectis Novioduni cuſtodibus, quique eò negotiandi aut itineris causâ convenerant, pecuniam atque equos inter ſe partiti ſunt: opidum quod ab ſe teneri non poſſe judicabant, ne cui eſſet uſui Romanis, incenderunt: ut ſcribit Cæſar in libro VII de bello Gallico. Dio in libro XL. Νοουίδουνον Αἰδούων appellat, res à Julio Cæſare in Gallia geſtas referens. Hoc opidum poſitum eſt ad confluentes Niveris & Ligeris, & à *Nivere* vel *Nevere* (*Nieure*) *Nivernum* aut *Nivernum* poſtea cognominatum eſt, depoſita veteri appellatione. Certè Æthicus in Itinerario provinciarum, in itinere ab urbe Auguſtoduno Luteciam. *Nivernum* ponit inter Deceriam atque Condate: quod Hieronymus Surita, & Joſias Simlerus in priſcis Æthici exemplaribus modò *Nevirnum*, modò *Nivernum*, nonnumquan *Nevernum* & *Nivernum* ſcribi appellarive

affirmant. In tabula Theodoſiana quæ & Peutingeriana vulgò nuncupatur, *Ebirnum* mendosè ſcriptum reperio pro *Nebirnum* ſeu *Nevirnum* ſic : *Degecia, Ebirno*, *Maſſava*, (*Meſue*) *Brivoduro*. *Belea, Cenabo*: cùm apud Æthicum in itinere Auguſtoduno Luteciam, eodem ordine collocentur *Decetia*, *Nevernum*, *Condate*, *Bribodorum*, *Belca*, *Canabum*. In vetuſtiſſima omnium Notitia provinciarum & civitatum Galliæ circa Honorii Aug. Principatum compoſita, & à Jacobo Sirmundo edita, atque in tribus aliis Notitiis ab Andrea Cheſnio vulgatis, nulla *Niverni* fit mentio : ex quo non abſurdè colligi videtur poſſe, *Nivernum* imperante Honorio civitatum numero minimè habitum eſſe. Sunt tamen duæ in bibliotheca Thuanea Notitiæ MS. quarum altera in provincia Lugdunenſium IV. civitates octo, & earum ultimam ceu recentiſſimam *civitatem Nevernenſium* ponit; in altera *civitas Nevernus* quarto loco conſtituitur ante Tricaſſium, Aurelianorum, Pariſiorum, Meldorumque civitates. Gregorius in libri Hiſtoriæ VIII. capitulo I. *Nivernenſem urbem*, ac *Nivernum* appellat; Jonas quoque in Vitis Abbatum Columbani & Euſtaſii *Nivernenſe oppidum* ante annos mille nuncupavit, & juxta illud Chriſti Virginum Monaſterium ſub B. Columbani regula à Theodulfo Babeleno exſtructum eſſe tradidit. Gervaſius Tiſleberienſis, Mareſcalcus Regni Arelatenſis in libro de Otiis Imperialibus, quem ad Ottonem IV. Imperatorem poſt annum MCCX. compoſuit, inter Epiſcopatus Metropoli Senonenſi ſubjectos poſt Pariſienſem, Carnutenſem & Aurelianenſem, quartum *Nivernenſem* collocat, & Autiſſiodorenſi, Tricaſſino, Meldenſique præponit licèt vetuſtioribus : Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ duæ, altera circa obitum Philippi Audacis ſeu annum MCCXXCV. altera paullo poſt annum MCCCXXII. ſcriptæ, Gervaſium ſequuntur atque tranſſcribunt.

Ne quis autem dubitet *Noviodunum Æduorum* apud Cæſarem idem eſſe quod *Nivernum*: Joſephus Scaliger affirmat, in quadam Notitia provinciarum Galliæ quæ Cujacii I. C. fuit, *Noviodunum Nivernenſium* appellari : cujus hæc ſunt verba, ſi Samſoni credimus, *In Lugdunenſi IV. Nivernenſium civitas, id eſt Noviodunum*. Ab Aimoino Floriacenſi Monacho inter præcipuas Galliæ Lugdunenſis Celticæve urbes ac ipſius ætate notiſſimas ultima ponitur *Nivedunus*, *quam quidam* (inquit) *Nivernis eſſe putant*. Vivebat autem Aimoinus regnante apud Francos Rotberto ante annos DCL. qui dum ait *quoſdam* ita ſentire, apertè negat omnium hanc eſſe ſententiam, & ipſe ſatis indicat ſeſe ea de re dubitare : quod tamen minimè facere eum oportuit. Hugo Floriacenſis Monaſterii Monachus in libro III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quam anno MCIX. compendioſè ſcripſit, collega & confratre ſuo Aimoino conſtantiùs credit & affirmat, Noviodunum Nivernum eſſe his verbis. *Urbes in ea* (Lugdunenſi Gallia) *multæ & opulentæ : Lugdunum, Cabillonus, Ædua quæ & Auguſtodunus : Senonis, Autiſſiodorus. Nivedunus quæ & Nivernus.* Sequitur Hugonem Robertus Monachus Autiſſiodorenſis in Chronico, quod deſinit in anno MCCX. à quo in Senonenſi provincia octava & ultima ponitur *civitas Nivedunum, quæ & Nivernus*. *Nivedunum* corrupto nomine tres iſti auctores dixere pro *Noviodunum*: uti *Noviomagum* Palatium ad Vacalim, noſtri ſcriptores *Ninmagam* & *Nenmagam* ſæpe appellant : *Noviomagum* ad Draheni & Moſellæ confluentes, Auſonius *Nivŏmāgum* nuncupat, vulgò *Numagen*. *Nivernos* iidem ſeu *Nivernis* in plurali numero Latinè dixerunt, ſicut & vulgus patriâ linguâ *Nevers*, quemadmodum in Annalibus Bertinianis *Alvernos* vocari videmus *Auvers*, vicum ad Iſaram flumen proximum Brivæ-Iſaræ. Guido Coquillius in libro Antiquitatum Nivernenſium prodit, *Nivernum* veterem fuiſſe urbem ad Ligeris & Niveris confluentes in Æduis, diſtantem ab Elaveris & Ligeris confluente III. millibus paſſuum; quæ *Noviodunum oppidum Æduorum* à Cæſare appelletur, à Nivere deinde amniculo, qui X. leugas aut XXX. circiter paſſuum millia percurrat, novum nomen acceperit : ipſum *Nivernum* in Notitia provinciarum civitatumque Galliæ, civitatibus provinciæ Lugdunenſis nequaquam adnumerari, propterea quòd civitati Æduorum ſive Auguſtodunenſium tum parebat, ſtante adhuc Imperio Romano : quidquid veteribus ejus muris altis & latis validiſque includitur, *Civitatem* vocari; ibi eſſe majorem Eccleſiam matrem ceterarum; ibi Epiſcopum & Canonicos ſeu Clericos majoris Eccleſiæ habitare; ibi domicilium Ducis, quod *caſtellum* vulgò appellatur, ibi Monaſteria Dominicanorum & Franciſcanorum, ibi complures cerni privatorum domos, parœciis ſive Eccleſiis Baptiſmalibus S. Servatoris & B. Johannis attributas. Quod *Civitatis* nomen, (ut in Lutecia Pariſiorum doceo) & major Eccleſia cum Epiſcopi domo indicant, vetus ibi Nivernum fuiſſe, & hanc urbis partem ut vetuſtiſſima erat, ſemper Epiſcopatûs ſedem exſtitiſſe. Maſſonus in Notitia Epiſcopatuum Franciæ Coquillium ſequitur, & *Nivernum* à Nivere in Ligerim ibi effluente nomen accepiſſe ait, *ubi Noviodunum Æduorum fuerit*. Joſephus Scaliger quoque in Notitia Galliæ ſcribit, *Noviodunum ad Ligerim Æduis proximum, civitatem Nivernenſium eſſe, multis conjecturis exploratum ſibi jam fuiſſe*; antequàm in quadam Notitia Provinciarum Galliæ *Noviodunum Nivernenſium* dici reperiſſet : *cujus in oppidi inveſtigatione multi multa nugati ſint*. At *Noviodunum* noſtrum non *Æduis proximum*, ſed in Æduis ſive intra Æduorum fines poſitum fuit ſine dubio, cùm à C. Julio Cæſare *oppidum Æduorum* diſertè appelletur : nec in Notitia Galliæ Cujaciana de qua Scaliger loquitur, *Noviodunum Nivernenſium* appellatur, ſed *civitas Nivernenſium, id eſt Noviodunum*. Noviodunum Æduorum Nivernum eſſe, exiſtimat & Samſon Geographus Regius in ſuis ad Julium Cæſarem Notis. Sed quod adjicit, *Nemoſſum metropolim* à Strabone in Arvernis, & *Noviomagum Vadicaſſium* à Ptolemæo illud nuncupari ſibi videri, haud

haud dubiè falſum eſt: cùm Arvernorum & Vadicaſſium fines, atque ambarum Gentium, alterius Aquitanæ, alterius Celticæ capita, habere nihil poſſint cum Æduorum finibus & uno aliquo eorum opido commune. Conſtat præterea *Noviodunum* atq; *Noviomagum* diverſorum locorum nomina ſemper eſſe diverſa; nec umquam alterum pro altero à priſcis ſcriptoribus poni conſueviſſe. Certè nuſquam obſervo *Noviomagum Lexoviorum* exempli causâ, aut *Noviomagum Batavorum* vocari *Noviodunum Lexoviorum*, *Noviodunum Batavorum*: nuſquam video *Noviodunum Sueſſionum*, & *Noviodunum Æduorum* dici *Noviomagum Sueſſionum*, & *Noviomagum Æduorum*.

Heic notetur fines Æduorum tam latos fuiſſe, ut unius provinciæ terminis contineri non poſſent. Nam Auguſtodunum, Cabillonum & Matiſco Æduorum cum pagis ſuis in provincia Lugdunenſi prima erant, ut & ſunt hodie: *Noviodunum Æduorum* ſeu *Nivernum* in provincia Lugdunenſi IV. vel Senonia. Notetur quoque fines Æduorum ab Arari non ad Ligerim modò, ſed etiam ad flumen Elaver pertinuiſſe. Nam ea pars pagi Burbonenſis quæ inter Ligerim & Elaver jacet, & Molinas ipſas caput pagi includit, ad Elaver, eſt hodieque in Diœceſi Auguſtodunenſis Epiſcopi, quòd in Æduis poſita ſemper fuerit, Boiorum ſedes multis credita. Præterea inter Ligerim & Elaver flumina ſunt S. Petri Monaſterium, Caſtellum Novum ad Elaver, aliaque loca Æduis attribuenda, cùm *Novioduni Æduorum* ſeu *Niverni* Epiſcopo pareant.

Nivernum ex Comitatu & Pariatu à Franciſco I. Francorum Rege anno MDXXXVIII. in Ducatum & Pariatum evectum, nomen dat pago Ducatuique Nivernenſi, *le pays & Duché de Nivernois* Pagi Nivernenſis fit mentio in Diviſione Regni Caroli Magni inter filios hiſce verbis. *De civitate Nivernis quæ eſt ſita ſuper fluvium Ligerem, cum ipſo pago Nivernenſe*: item in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum anno DCCCLIII. editis, ubi *Nivernifus* ex more dicitur pro *Nivernenſis*. In Nivernenſi pago (uti ait Coquillius) ſunt urbes, & opida ac caſtella præcipua, *Nivernum*, Dececia, Climiciacum, *Clamecy*, Molæ vel Molinæ Engilbertorum *Moulins les Engilbers*, S. Petri Monaſterium, *S. Pierre le Monſtier*, S. Salvius, *S. Sauve*, Luciacum *Luzy*. Primariacum *Premery*. Corbiniacum ad S. Leonardum *Corbigny*, Donziacum vel Domzeium caput pagi cognominis, *Donzi*, Dreva, Interamnis, aliàs mendosè *Interranis*, tota ferè ſtagnis cincta, *Entrain*, S. Servatoris *S. Sauveur en Puiſaye*, Condate *Coſne*, Cuſiacum, Caſtrum Cenſorium. Sed multo latiùs patet pagus Nivernenſis Diœceſi Nivernenſi. Nam Climiciacum, & Condate, & Interamnis, ne de ceteris loquar, pagi quidem Nivernenſis ſunt, ſed Diœceſeos Autiſſiodurenſis: S. Petri Monaſterium, Caſtellio in agro Baſſenſi, *Chaſtillon en Baſois*, & Dececia ſunt ut pagi ſic & Diœceſeos Nivernenſis., quæ CCLXX. parœcias ſibi ſubjectas habet.

Nivernum IV. tantùm portas habet, in his unam, *Nivernenſem* dictam à fluvio Nivere, *la Porte de Nieure*. Niverni pons eſt impoſitus flumini Ligeri, XX. arcubus & pilis è lapide conſtans, omnium ad Ligerim pontium latiſſimus, celſiſſimus, atque pulcherrimus. Hinc & inde pars pontis extrema turre valida munitur.

NOVIODUNUM BITURIGUM.

Opidum Biturigum poſitum in via Noviodunum in libro VII. memorat Caius Cæſar, Genabo Carnutum Avaricum Biturigum petentibus occurrens; quod armis prolatis, equis productis, obſidibus datis in deditionem accepit. Hoc nunc ſervare partem veteris ſui nominis dicitur, & appellari vulgò *Neuvy ſur Baranion*. Baranio autem in Avaram influit, (*Eure*) inter Magdunum & Virſionem, Avara in Carum, Carus in Ligerim. *Noviodunum Biturigum* poſitum eſt inter Albiniacum & Virſionem. Alter eſt locus ad Ligerim flumen inter Condate (*Coſne*) & Brivodurum *Briare*, dictus *Neufvi* vel *Neuvi* quem & Noviodunum olim vocatum eſſe puto, Noviodunum inquam Senonum. Nam Diœceſi Autiſſiodorenſi attribuitur *Neuvi*: Autiſſiodorum autem pars Senonum eſt. Sed hunc poſteriorem locum Aimoinus de Tranſlatione Georgii & Aurelii Martyrum *Novum Vicum* appellat his verbis. *Teutgandus quidam in Novo Vico qui eſt ſuper Ligerim fluvium, admodum infirmus.*

NOVIOMAGUS BATAVORUM, VEL SECUNDÆ GERMANIÆ.

Noviomagus ad Vacalim in Inſula Batavorum, memoratur in tabula Theodoſiana inter Carvonem (*Grave*) & Arenatium (*Arnhem*) ſic. *Carvon* XIII. *Caſtra Herculis* VIII. *Noviomagi* X. *Arenatium* VI. &c. Villa fuit Regia jam inde à Carolo Magno, de quo Eginhardus ita refert. *Inchoavit & Palatia operis egregii, unum haud longè à Moguntiaco, juxta villam cui nomen eſt Ingelheim; alterum Noviomagi ſuper Vahalem fluvium, qui Batavorum inſulam à parte meridiana præterfluit.* Idem *Rex* anno DCCLXXVII. *primo vere Noviomagum profectus eſt, & poſt celebratam ibidem Paſchalis feſti ſollemnitatem*, &c. Anno DCCCVI. *Imperator de villa Theodonis Palatio per Moſellam & Rhenum ſecundâ aquâ Noviomagum navigavit, ibique ſanctum Quadrageſimale jejunium & ſacratiſſimam Paſchæ feſtivitatem celebravit.* Anno DCCCXVII. Imper. Ludovicus *Noviomagum profectus, venatu ſeſe exercuit*. Anno DCCCXXI ab Imper. Ludovico *iterum Conventus menſe Maio Noviomagi habendus condictus eſt*. Hæc Eginhardi verba protuli, ne quis dubitet *Noviomagum Batavorum*, villam fiſcalem Regum noſtrorum fuiſſe, quam egregio Palatio Carolus Magnus ornaverit, ubi Quadrageſimam & Paſcha celebraverit, ubi ejus filius ac ſucceſſor Ludovicus & hiemârit, & venatu exercuerit corpus, & Conventum Francorum habuerit: quæ omnia Reges ac Imperatores noſtri in villis publicis facere conſueverant. Theganus *Novio-*

măgum & Poëta Saxo in anno DCCLXXVI. qui ex eo nomine dactylum & ſpondæum facit.

Ceteri ſcriptores rerum noſtrarum, & Annales veteres in anno DCCLXXVII. nunc *Niomagam*, nunc *villam Neumagam*, & *Niumagam* appellant. Auctor æqualis, qui librum de Vita Imper. Ludovici Pii compoſuit, eumdem locum variis nominibus nuncupavit, modò *Noviomagũ*, ut in anno DCCCXVII. modò velut Græca appellatione *Neomagum* in rebus anni DCCCXXIX. ac mox ibidem *Niumagum*; *Niumagum Palatium ingentis magnitudinis mirique operis* Annales Mettenſes & Regino in anno DCCCXXCI. quæ omnia vocabula, nimirum *Niumagum*, *Niumagam*, *Niomagam*, *Neomagum* & *Neumagam*, ex *Noviomagi* nomine corrupto orta eſſe conſtat.

Noviomagus incolis dicitur *Niumegen*, & nonnumquam contracto nomine *Nimmeghen* aut *Nimegen*; Noſtris *Nimegue*, interdum *Nimaye*: quam Gelriæ urbem aſſignant, caputque ejus faciunt.

NOVIOMAGUS NEMETUM.

Nemetes à Cæſare, à Plinio, à Tacito atque Ptolemæo cum Vangionibus & Tribocis Trebociſve junctim memorantur: ex quibus Plinius & Tacitus hoſce tres populos *Germaniæ Gentes* appellant, & Rheni ripam accolere in provincia Belgica ſcribunt; Ptolemæus in ſuperiore Germania quæ pars eſt veteris Belgicæ, eos ponit: Cæſar in libro I. *Germanos* vocat. *Tum verò demum neceſſariò Germani ſuas copias è caſtris eduxerunt, generatimque conſtituerunt paribuſque intervallis, Harudes, Marcomanos, Triboces, Vangiones, Nemetes, Suevos.* Nimirum ea triga populorum (ne de ceteris nunc loquar) paullo ante Cæſaris in Gallias adventum in parte Belgicæ Rheno flumini proxima conſederat, ex Germania in Galliam vel tranſlata, ut de Tribocis ait Strabo, vel ſponte profecta.

Nemetes II. ſyllabam longam habent. Νέμητες enim per η à Claudio Ptolemæo dicuntur. Νέμιτζοι & Νέμιτζοι Zonaræ in Nicephoro Botaniate vocantur. *Nemetzi*, & *Nemizi*, *Gens Celtica*, id eſt Germanica. ἔθνος δὲ οἱ Νέμιτζοι Κελτικόν. *Nemetes*, credo quòd origine Germana Gens erant, nomen videntur dediſſe Germanis. Certè à Sclavinis Germanos *Niemcy* appellari, ab Ungaris *Nemetek* affirmat Cluverius, nomine à *Nemetibus* ni fallor deducto.

Urbs Nemetum Ptolemæo *Noiomagus*, Νεμητῶν μὲν Νοιόμαγος; ceteris *Noviomagus*: in tabula Theodoſiana *Noviomagus* inter *Borgetomagum* vel potiùs Borbetomagum & *Tabernas* media, à priore XII. millibus, à Tabernis Rheni XI. diſtans; in Itinerario Æthici *Noviomagus* inter *Concordiam* & *Bingium*, item inter *Tabernas* & *Bormitomagum* ut ſuprà, necnon Bormitomagum inter & Argentoratum.

Accidit Noviomago, quod plurimis Galliæ urbibus videmus contigiſſe, ut veteri ac proprio nomine depoſito, Gentis cujus caput erat appellationem reciperet, atque à Nemetibus *Nemetæ* diceretur: uti ab Atrebatibus Atrebatæ, à Tricaſſibus Tricaſſæ, à Silvanectibus Silvanectæ, à Redonibus & Namnetibus Redonæ ac Namnetæ, à Lingonibus Lingonæ, à Baiocaſſibus Baiocaſſæ, ab Eburovicibus Ebroicæ, à Senonibus Senonæ, à Sueſſionibus Sueſſionæ, à Biturigibus Cubis Biturigæ, à Lemovicibus Lemovicæ, à Vaſatibus Vaſatæ, à Caturigibus Caturigæ. Certè *Noviomagus Nemetum* ab Ammiano Marcellino in libris XV. & XVI. & ab Hieronymo in epiſtola ad Ageruchiam non aliter appellatur quàm *Nemeta*: è quibus Ammianus *in prima Germania* eam ponit. In Notitia Imperii Rom. *Nemetes* dicitur pro Nemetæ, ut à pleriſque ſcriptoribus *Vangiones* pro Vangionæ: *Præfectus militum Vindicum Nemetes.* In Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ *civitas Nemetum*, inter prov. Germaniæ primæ civitates tertium obtinens locum nuncupatur. Annales Fuldenſes & Bertiniani *Nemetum* in anno DCCCXLIII. & DCCCLXXVI mendosè vocant, pro *Nemetas*, aut *civitatem Nemetum*.

Notitiæ ſuprà laudatæ pleræque tertium ac recentius nomen urbis adjiciunt his verbis. *Civitas Nemetum Spira*; aliàs, *civitas Nemetum, id eſt Spira.* Zacharias Epiſcopus Urbis Romæ nunc *David Spironenſem Epiſcopum*, nunc *civitates VVormaciam Spiraciámque* commemorat in epiſtolis ad Bonifacium Mogontiacenſem Epiſcopum. *Spiram* vocat & Nithardus in libro III. Ex quibus intelligitur *Spiram* aut *Spiraciam*, atque etiam (niſi menda ſubeſt) *Spironam* ante annos nongentos appellari occœpiſſe civitatem Nemetum. Hodieque eo nomine cenſetur, ac Latinis ſcriptoribus *Spiracia* nonnumquam, plerumque *Spira* vocitatur, Germanis *Speir*, aliàs *Speers*, Noſtris *Spere*. Nomen hoc habet à fluviolo *Spira*, qui Germanicè *die Speyr* vel *Speer* dicitur, & quinque millia emenſus, urbem Nemetas perluit, ac Rheno ibi confunditur: ſicuti Saletio amniculus, *Seltz* vulgo nuncupatus, Saletioni caſtro ad Rhenum nomen ſuum dedit, poſito ad ipſius & Rheni confluentes. *Spira* autem amnis nomen Latinum videri poteſt, à flexuoſis recurſibus & gyris, ſpiras ſerpentium referentibus.

Pagus Nemetenſis vel *Nemeticus*, in Annalibus Bertinianis vocatur compoſito nomine Germanico *Sperohgouvvi*, id eſt *Spirenſis pagus*, & in Ducatu Ripariorum poni videtur his verbis. *Anno* DCCCXXXIX. *Ducatum Ribuariorum, VVormazfelda, Speroh-gouvvi*, &c.

NOVIOMAGUS TREVIRORUM.

Eſt in provinciæ Belgicæ primæ introitu *Noviomagus*, locus ab Auſonio in Moſella ſuo celebratus, qui *per* flumen *Navam* & *veterem vicum* novis mœnibus reparatum, id eſt Bingium, perque *arentem Dumniſſum* & *Tabernas perenni fonte irriguas* iter ſe feciſſe ſcribit, deinde *Noviomagum* vidiſſe, Augu-

ſtam Trevirorum quæ ſedes Imperatorum Valentiniani & Gratiani erat, petentem. Verſus Auſonii ſunt.

> Et tandem primis Belgarum conſpicor oris
> Novomagum, Divi caſtra inclyta Conſtantini.

Novomagum, aut ut alii legunt *Noviomagum* vocat Auſonius *caſtra Divi Conſtantini*, vel quòd ibi Conſtantinus Maximus caſtra olim poſuerat cum Francis pugnaturus, vel quòd eo in loco caſtrũ condiderat ad Germanorum incurſiones reprimendas. Iter Auſonii deſcribit & tabula Peutingeriana ſic: *Bingium*, *Dumno*, (Auſonius *Dumniſſum* appellat) *Belginum*, *Noviomago*, *Auguſta Trevirorum*. Ejuſdem meminit Æthicus in itinere *à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum*, & inter Bingium ac Treviros ponit. *Bingio* M. P. XXVI. *Noviomago* M. P. XXXIIII. *Treveros* M. P. XIII. Abeſt ergo Noviomagus à Bingio XXXIV. ab Auguſta Trevirorum XIII. paſſuum millia; cùm ab eodem Bingio Noviomagus Nemetum per Mogontiacum & Bormitomagum XLVIII. millibus paſſuum diſtet. *Urbem* (*ſ*) propinquam Treviris *Noviomagum* quidam dicunt: veriùs Cluverius *vicum nunc eſſe* ad Moſellam ait, vulgo *Numagen* nuncupatum.

NOVIOMAGUS VEROMANDUORUM.

Opidum Sueſſionum Noviodunum Cæſari memoratum, non eſſe *Noviomum*, ut Marianus, Maſſo, & fere omnes putarunt, Samſon hac una fere aut ſaltem potiſſimum ratione probat, quod *Noviomus* in Veromanduis, non autem in Sueſſionibus eſſe debeat, cùm Auguſtæ Veromanduorum dirutæ ſucceſſerit, atque ejus Diœceſis totum Veromanduorum agrum complectatur, & capite cujuſlibet gentis everſo, ad aliam ejuſdem plane Gentis aut populi urbem transferri debeat ac ſoleat everſæ matris auctoritas. Addere debuit Samſon, *Noviomum* à nemine veterum dictum eſſe *Noviodunum*, ſed ab omnibus *Noviomagum*. Ita certe vocatur Æthico in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam, inde Durocortorum & Geſoriacum ſic: *Durocatalaunis* M. P. XXXIII. *Durocortoro* XXVII. *Sueſſionis* M. P. XXXVII. *Noviomago* M. P. XXVII. *Ambianis* M. P. XXXIV. Notitia quoque Imperii Romani eamdem urbem *Noviomagum* appellat his verbis. *Præfectus Laetorum Batavorum Contraginenſium Noviomago Belgicæ ſecundæ.*

In quadam vetere Notitia civitatum Galliæ, in Belgica II. memoratur *civitas Veromandorum*, *quæ nunc Noviomagus*, & Roberto Monacho in Chronico, *civitas Veremandorum, quæ & Noviomum*: id eſt cuius ſedes Epiſcopalis tranſlata eſt *Noviomagum* à Medardo, ſi credimus Sigeberto, aut potiùs ab aliquo poſteriore Antiſtite. Eligius *conſtitutus* fuit *cuſtos urbium ſeu municipiorum*, *Vermanduenſis*, *quæ eſt metropolis urbs*, (hoc eſt caput Gentis & Epiſcopatus ſedes) *Tornacenſis*, *Noviomagenſis*, *Flandrenſis*, *Gandenſis etiam & Corturiacenſis*: ut ſcribit Audoënus in Vita Eligii. Eginhardo in Annalibus, in anno DCCXLVIII. *Noviomagus civitas* vocatur; *Noviomacus* in Capitulis Caroli Magni & Ludovici Pii; in vetuſtiſſima B. Medardi Vita, ſub Rege Theodeberto Chlotharii Magni pronepote compoſita, *caſtellum Noviomacum*. *Noionem* appellat Henricus II. Anglorum Rex. Recentiores truncato nomine ex more *Noviomum* appellavere: uti ex Rotomago Rotomum fecerunt & Rodomum.

Ceterùm Noviomagenſes Epiſcopi pictos in ſcuto ſuo præferunt hodieque duos baculos ſeu virgas Epiſcopales, cum VIII. liliis, propterea quòd ab Achario per annos ferè quingentos Turnacenſem quoque Eccleſiam rexerunt, & Noviomagenſes ac Tornacenſes Epiſcopi conjunctim ſunt vocati.

Errat Joſephus Scaliger, qui *Noviomagum Vadicaſſium*, *Noyon* eſſe exiſtimat.

Noviomagi ſitum diligenter deſcripſit ante annos DC. Radbodus Noviomagenſis Epiſcopus in libro de Vita S. Medardi apud Surium his verbis. *Ipſe inter duos rivulos conſtitutus eſt Noviomus, ab oriente Galliola, ab occidente Margareta circumluitur, quos ambos tertius ſuſcipit qui Verſa nominatur: & ſic pariter confluentes, non longè à mœnibus illius in Iſaram qui magni eſt nominis, delabuntur.* Galliolam *la Golle*, Margaretam *la Marguerite*, Verſam *la Verſette* hodieque vulgò nominant: uti Carolus Cointius obſervat.

Ab *Noviomago pagus Noviomagenſis* nomen accepit, qui & à *Noviomo Noviomenſis* recentioribus dictus eſt; in Capitulis Caroli Calvi *Noviomiſus*, *le Noyonois*; Frodoardo in Hiſtoriæ Remenſis libro II. *pagus* quoque *Noviomenſis*, à quo nominantur *loca trans flumen Iſaram in pago Noviomenſi*, *Varina*, *Trapiacus*, *Jeruſalem*. Noviomagi, ut in claris Galliæ urbibus omnibus, ſuum fuit Regibus noſtris Palatium, quale antea Imperatoribus Rom. fuerat. Certe Chlotharius Chlodovei junioris filius, Dagoberti nepos, Godebertæ nobili Virgini ſuum Noviomagenſe Palatium cum ſuburbano oratorio Georgii Mart. duaſque villas fiſcales, ac aliquot puellas regendas dediſſe dicitur.

Eſt ad Indellam fluvium vicus non procul à Ponte Arcus & Sequana, *Noyon ſur Andelle*, aliàs *Nogent* vulgò dictus: quem olim *Noviomagum* primò, deinde truncato nomine *Noviomum* dictum eſſe exiſtimo.

NOVUM CASTELLUM CAMARACENSIUM.

Auctor qui de Vita Domini Lietberti Camaracenſis Epiſcopi librum compoſuit, ejus loci meminit his verbis in capite IX. *Lietbertus cum eo* (Gerardo Epiſcopo ſuo) *aſſiduus eſſe non poterat, quoniam apud Novum Caſtellum ipſius cuſtodiæ deputatum manebat.* Tum autem Lietbertus erat Præpoſitus ſive procurator domus Epiſcopi atq; ſimul Archidiaconus. *Novum Caſtellum* à re nomen habuit, quòd eſſet omnium circà caſtellorum recentiſſimum atque noviſſimum. Nunc ſublato *Novi* cognomine, appellitatur à Noſtris *Caſtellum in Camaracenſi* pago, vel (ut vulgò loquun-

tur) *in Cameraceſio, Chaſteau en Cambreſis*, vel *Caſteau Cambreſi*. In capite XIV. *Itaque divertens ad Novum-Caſtellum*, (Lietbertus) *cum honore & lætitia recipitur à ſuis, ibique aliquamdiu manſit*, excluſus nimirum Camaraco à Johanne Advocato Atrebatenſi, qui Camaracenſem Caſtellaniam à Lietberto novo Epiſcopo ſibi conferri cupiebat, aut veriùs volebat: qui Lietbertus *Dominus & Dominus, & Princeps patriæ, & Patronus, & Princeps* ibidem appellatur in Vita ſcripta ante annos circiter CCCCLX. Sancti Andreæ Apoſtoli memoria in Cœnobio quod eſt apud *Novum Caſtellum* ſitum, colebatur. In capite XLIII. de Lietberto intonſo adhuc, ſicut à peregrinatione Hieroſolymitana redierat, ſic auctor refert. *Erat in animo ejus fixum, non priùs intrare Cameracum, quàm reviſerit Novum Caſtellum, ſui principatus fidele municipium, quod ob S. Andreæ memoriam diligentiùs excolebat I. NovumCaſtrū & Abbatiam S. Andreæ A. & Cœnobium S. Humberti ſemper fovit* Ibidem *Oſiacum municipium* Hugonis Caſtellani Camaracenſis, ob rebellionem eius, dicitur diruiſſe Lietbertus, *Letbertus* aliàs nuncupatus, Camarac. Epiſcopus, quod vulgò *Oiſi* vocitant Noſtri, ad caput Sabis flum. poſitum. Diruit & Lietbertus alterum municipium Hugonis, à civitate Camaraco X. millibus diſtans, *Porgivallem* dictum, vulgò *Vaux*: quem locum ceu ſpeluncam latronum incendi iuſſit. *Oſiacum* autem & *Porgivallis*, ſicut *Novum Caſtrum*, municipia ſunt vel caſtella pagi Camaracenſis. *Novum Caſtrum S. Mariæ*, ac abſolutè *Novum Caſtrum* vocant litteræ Gerardi Camaracenſium & Atrebatenſium Epiſcopi, datæ anno MXLVI. litteræ Imper. Conradi, non minùs prioribus ſuſpectæ, *Caſtrum S. Mariæ*: quod ab Herluino Epiſcopo favente Ottone III. Imper. extructum eſſe aiunt adverſus finitimorum incurſiones, eoque caſtro villas ſuburbanas, *Peronam* Cœnobio ſeu Abbatiâ S. Andreæ nobilem, & *Vendelgeras* (Vendegies) maiori ex parte incluſas fuiſſe. Hermannus in libri tertii de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis capite XX. *Cœnobium S. Sepulcri Camaracenſis, S. Andreæ de Novo Caſtello, Haſnonienſe*, & *Fidemienſe (Femy en Cambreſis)* præ ceteris memorat: ex quibus *Monaſterium S. Andreæ* ad *Novum Caſtellum* de quo agimus, pertinet. Archiepiſcopus Camaracenſis ſe *Camaraci Ducem, Comitem Cameraceſii*, id eſt Camaracenſis pagi, & *Marchionem Caſteli*, hoc eſt *Novi Caſtelli Camaracenſium* nuncupat.

NOVUM CASTELLUM IN ARDUENNA.

Novum Caſtellum Arduennæ proximum, non iam Novum, ſed vetus caſtellum dici debet. Quippe anno DCCXLI. Carolomannus Dux & Princeps Francorum, conſentiente Pippino fratre, Gripponem fratrem ſuum in eo *Novo Caſtello* cuſtodiri iuſſit: ut veteres noſtratum rerum Annales docent. *Novum Caſtellum* vocatur hodieque *Neuf-Chaſtello*, nec multum abeſt à ſilva Arduenna & à Monaſterio S. Hucberti. Sunt & multa *Caſtella Nova* in Gallia, ſingula *Chaſteau-Neuf* aut *Caſtelnau* dicta; multæ *Nova Villa*, & *Villa Nova*, additis variis cognominibus diſtinctæ aliæ ab aliis, & *Neuville*, ac *Villeneufve* quæque nuncupatæ, ut *Villa Nova Regis*, *Villa Nova Archiepiſcopi*, *Villa Nova S. Georgii*, mille aliæ. *Novi* item *Burgi*, & *Burgi Novi* ſunt aliquot, à veteribus eo cognomine diſtincti.

NOVUS BURGUS.

Novus Burgus in Normannia, *Neuf-Bourg*, locus eſt inter flumina Riſelam & Sequanam poſitus medio fere intervallo, Haricuriæ vel Harecorti proximus, ab Orderico Vitale in libro Hiſtoriæ XII. memoratus.

NOVUS MERCATUS.

Novus Mercatus, Neuf-Marché, municipium eſt Gornacum inter & Giſortium ad flumen Ittam poſitum, Orderico in libro XII. Hiſtoriæ memoratum.

NUCETUM.

In litteris Chlodovei Regis Francorum, viri Inluſtris, eius nominis tertii, datis in *Luſarca Palatio*, *Nuceti* huius fit mentio, quod *Nocitum* vocatur his verbis. *Villa nuncupante Nocito, ſita in pago Camiliacenſe*. *Nucetum*, quod corruptè *Nocitum* & *Nocidum* etiam recentiores dixere, à copia nucum nomen accepit, (cuius nominis multa ſunt loca in Gallia) & poſitum eſt ad ripam fluminis Iſaræ in Bellovacis inter Morantiacum *Morancy* & Bellum Montem, nec longè abeſt à Luſarca, *Luſarche*, & à Camiliaco vel Camliaco *Chambly*, unde pago Camiliacenſi vel Camliacenſi, in Geſtis Dagoberti Regis memorato attribuitur.

O

OBRINCA FLU.

OBRINCA, ἡ Ὀβρίγγα Ptolemæo, ſed uni dictus, fluvius eſſe creditur Moſella: ſicut idem Geographus *Tabudam* pro Scaldi, *Frudem*, φρούδιν pro Sumina primus & ſolus ignotis nec à quoquam veterum uſurpatis nominibus appellavit; ut Joſepho Scaligero & ceteris ferè omnibus doctis placet. Excipiendus eſt Cluverius, qui credo ut aliquid novi afferre videretur, confidentiſſimè Ptolemæi *Obrincâm* in *Abrincam* mutavit, & *Abrincam* iſtum eſſe fluvium vel potiùs amniculum *die Are* vel *Aar* dictum credidit, qui infra Confluentes Moſellæ & Rheni apud Sentiacum in Rhenum effunditur.

OBRIS FLU.

Obris notiſſimus eſt Narbonenſis primæ fluvius, Straboni Ὄβρις dictus, & Pomponio Mellæ *Obris* quoque; *Orobis* Ὄρβις Ptolemæo: quem ambo ſecundum Bliteras fluere tradunt. *Orobum* Rufus Feſtus Avienus vocat.

At nunc Heledus, nunc & Orobus flumina.

At *Orubionem* ſeu *Orobionem* putant eſſe *Ourbion*, qui Atacem auget. In ſtatuto Ludovici Pii Aug. de Monaſteriis Regni Francorũ *Monaſterium S. Mariæ ad Orobionem in Septimania* reperitur. *Obris* Vulgò *Orb* ab incolis dicitur, & fontem ſuum habet in finibus Rutenorum Alluit Villam Magnam veteri Abbatiâ illuſtrem, *Villemaigne*, Redas *Redes*, Ponticulos *Pontols*, Columbarium *Colombier*, Volucam *la Volte*, Rupem Fuſcam *Roquebrune*, ad S. Nazarium *S. Nazari*, Ceſſenonem, Caſulas *Caſoux*. Beterras *Beziers*: & inter Villam Novam & Caſtellum Novum *Caſtelnau* in mare effluit. Hoc flumen à Plinio non memoratur. Nam cùm in veteribus editionibus ante annos CL. legatur, *flumina Tichis & Obris: opida Illiberis, Ruſcino Latinorum*: in priſcis codicibus & in emendatioribus editionibus reperitur, *flumina Tecum, Vernodubrum*, aliàs *Vernodubrium*. Et *Tecum* quidem, vel *Tichis* aut *Thicis*, fluvius eſt qui Illiberim alluit: at *Vernodubrum* eſt Mellæ *Telis*, & Græcorum *Ruſcino*, amnis qui per Ruſcinonem & Perpiniacum decurrit in mare: itaut nihil ad Beterras & ad Obrim fluvium Beterrenſem ulla ex parte pertinere poſſit.

OCELUM.

Ocelum, opidum citerioris provinciæ extremum à I. Cæſare dictum in I. Commentario, Marlianus ridicule Novalicium, aut ut ipſe loquitur *Novaleſium* interpretatur, *la Novaleze*: cùm ſit *Exilles* locus in Dalfinatu & in valle Duriæ Seguſini, inter montem Matronam ſeu Genebram & Seguſium, ſed Seguſio propior. Ὤκελον Græci appellant.

ODORNENSIS PAGUS.

Nithardus in libro I. *Odornenſem* pagum inter Tullenſem & Bedenſem ponit in *Burgundia*, ut & Bleſenſem, Partenſem, aliosque, magno errore: cùm Tullum Leucorum & Beda vicus, pagique Tullenſis, Odornenſis, Bedenſis, Bleſenſis atque Partenſis (ne de ceteris quos heic attingit loquar) Auſtriæ ſemper fuerint, non Burgundiæ. *Pagus Odornenſis* in duas partes duoſve Comitatus dividebatur principatu filiorum Ludovici Pii. Pars una *Sarachonvæ ſuperiori* proxima, quam Bernardus Comes habuerat, obtigit Ludovico Regi Germaniæ anno DCCCLXX. altera pars quam Tetmarus Comes obtinuerat, inter territorium *Tullenſe & Barrenſe* poſita, obvenit Carolo Galliarum Regi in Diviſione Regni Lotharii: in qua pars prior vocatur *Odornenſe quod Bernardus habuit*; poſterior *aliud Odornenſe quod Tetmarus habuit*.

Odornenſi pago nomen dediſſe mihi videtur *Odorna*, aliàs *Orna* fluvius, vulgò *l'Orne*, Fortunato notus libri X. carmine XII. qui in Moſellam effluit, medio inter Mettas & Theodoniſvillam ſpatio, & fonti ſuo appoſitum habet vicum *Odornam* vel *Ornam*, *Orne*, inter Moſam & Moſellam ſitum. ſed Moſæ propiorem, ab urbe Veroduno & caſtello Domini-Villari non multum diſtantem. *Odorna* vel *Orna* alluit *Odornam* vel *Or-*

nam villam, Stagnum caſtellum *Eſtain*, Boſciacum *Buſy*, Confluentem *Conflan*, ubi fluviolum recipit, & ad Ricomontem *Richmont* in Moſellam devolvitur, navium minimè capax. Pagus ei adjacens vocatur *Odornenſis* vel *Ornenſis*, vulgò *l'Ornois*, & ut VVilthemius ſcribit, à vico *Orna* ad Moſellam uſque promittitur. Legi litteras Drogonis Mettenſis Epiſcopi, in quibus *Bibonis mons* (*Bomont*) *in pago VVabrinſe ſuper fluvium Orna* memoratur. In tabulis ſcriptis anno DCCCLXXXV. *Gandriliſia* (*Jandeliſe ſur Orne*) *in pago Virduninſe ſive VVabrenſe. In una fronte fluvius Orna currit.* In tabulis Adalberonis Mett. Epiſcopi datis anno DCCCCXXXIII. *Confluentis* (*Conflan*) *in pago VVabrinſe, in Comitatu Virduninſe ſuper fluvium Horna.* Ex quibus apparet *pagum* iſtum *Odornenſem* vel *Ornenſem* pagi Vabrenſis finibus comprehenſum olim fuiſſe, ac velut eius partem extitiſſe.

ODREIA VILLA.

Odreia villa in Capitulis Caroli Calvi memoratur, ac inter villas Regias numeratur: quæ aliis auctoribus *Audriaca* dicitur, & inter urbes Ambianos & Atrebatas ſita fuiſſe, à quibuſdam creditur, in primis à Miræo.

OGÆ.

Ordericus Vitalis in libro XIII. Hiſtoriæ *Ogarum* mentionem facit his verbis. *Stephanus Rex ex Anglia in Normanniam venit, & Ogas applicuit.* Hic olim portus pagi Conſtantini, ut & Barbaflot, Anglorum ex inſula Britannia in Normanniam appulſu valdè celebrabatur, nunc ignobilis & obſcurus ac infrequens. Vocatur hodieque *la Hogue Saint Vaſt*, id eſt *Oga S. Vedaſti*, vel Portus Oga, *Port de la Hogue*: poſituſque eſt hic locus ad amniculi Conſtantiam alluentis oſtium.

OIA ET AIA INSULÆ.

Baudemundus in Vita S. Amandi Trajectenſis Epiſcopi, cuius diſcipulus fuit, *Oiam* inſulam in Aquitania XL. millia paſſuum à litore abeſſe, & Monaſterium olim ante annos mille habuiſſe, docet his verbis. *Oiam inſulam quæ à litore Oceani maris XL. diſtat millibus, felici navigans curſu, portum Monaſterij petiit, ibique à fratribus ſpiritalibus cum magno receptus eſt gaudio.* *Ogiam* alii ſcribunt, ut pro Noviento Novigentum, pro Aquileia Aquilegiam, pro Segoreiis Segoregios, pro Albienſibus Albigenſes promiſcuè dixere, g inter duas vocales ad mollienda nomina inſerto. Hanc recentiores quidam *Oye* interpretantur, ſimilitudine nominis adducti. Eſt autem *Oye* inſula in finibus Pictonum contra Rupellam poſita, inſulæ Radi quam iſti malè *Reacum* vocant, adeo propinqua, ut poſtquàm receſſit Oceanus, ex altera in alteram ſicco pede tranſeatur; ad Monaſterium S. Michaëlis in Eremo pertinens, & ab Oceani litore IV. tantùm millibus diſtans. Quam à litore diſtantiam cùm in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum animadverteret Cointus minimè *Oiæ* inſulæ convenire, XL. millibus à litore remotæ: ait aut ab his partibus receſſiſſe Oceanum, cui rei multæ ad oram hanc paludes indicio ſint; aut Baudemundum in *Oiæ* inſulæ ſitu diſtantiaq; deſignandis erraviſſe; vel in Vita S. Amandi typographorum negligentiâ notas numeri eſſe depravatas. Quibus ego conjecturis accedere non poſſum. Nam *Oye*, qualis à Cointo deſcribitur, & in tabulis depingitur, pars eſt inſulæ Radis, potiuſquàm inſula ab ea diverſa, quandoquidem æſtu defluente ex inſula Radi in eam ſiccis pedibus tranſitur. Præterea in tabulis recentibus & accuratis oræ Pictonicæ quas vidi, non *Oye* appellatur, ſed *l'iſle de l'Oye*, vicumque habet cognominem, *l'Oye*: itaut inſula & vicus nomen ab anſere vel auca accepiſſe, & cùm hic tum illa *Auca* nuncupari debere videantur.

Exiſtimo igitur *Oiam* inſulam Monaſterio illuſtrem quondam, & à continenti XL. millibus diſtantem, cuius Baudemundus meminit, eſſe *l'Iſle-Dieu*, in quibuſdam tabulis mendosè *l'Iſle de Dieu* dictam, caſtello inſignem: quam Maſſonus ait Latinè non *inſulam Dei*, ſed *inſulam Ovorum* appellari oportere ab ovis avium ibi parientium. *Inſula* quidem *Dei* vocanda non eſt, ſed nec *inſula Ovorum*, cùm vulgò *Iſle d'Oeufs* non dicatur, ſed *Iſle d'Ieu*, id eſt *inſula Oia.* O enim vocalis à Noſtris in *eu* mutari conſuevit. Certe in pago Pictonum Herbatilico vel Arbatilico, (*Arbange*) ab Oceano non multum diſtante, natum eſſe Amandum Milo Monachus Elnonenſis & Philippus Harvengius docent: & Baudemundus eſt auctor, cum adoleſcentem in *Oiam inſulam* navigaviſſe, Monaſteriumque ingreſſum eſſe: inde ut patris minas evitaret atque blanditias, *relicto ſolo parentibuſque* Turonicam Baſilicam S. Martini petiiſſe. Quæ omnia inſulæ *l'Iſle d'Ieu* dictæ optimè conveniunt, à maritimo Pictonum pago Herbatilico XL. millibus plus minùs diſtanti, inter inſulas Herium ſeu Nigri Monaſterii, & Divam Separis oſtio proximam (*la Dive*, aut *l'iſle de la Dive*) jacenti: at inſulæ Aucæ, *l'iſle de l'Oye*, nullo modo conveniunt, quæ Radi inſulæ adjacet, aut potiùs eius portio eſt, in confinio Pictonum & Santonum poſita, abeſtque à continenti IV. ſolummodo millia, à pago autem Herbatilico, Amandi patriâ maximo diſtat intervallo.

Similitudo nominum unâ tantùm litterulâ differentium, & propinquitas locorum facit, ut *Oiæ* inſulæ *Aiam* inſulam ſubjungamus. Petrus Pictavenſis Monachus ad Petrum Abbatem Cluniacenſem Panegyricum compoſuit: ubi inter cetera eum *ad Aiam inſulam transfretâſſe* narrat his verſibus,

> Dum placet Aienſes pie paſtor viſere Fratres,
> Obſequium præſtant ipſa elementa tibi.
> Totus opertus erit pluviis Auſtralibus æther:
> Ut tua vela videt, territus imber abit.

Nimirum ut *Oia* inſula Monaſterio erat illu-

ſtris, ſic & *Aia* inſula cellam ſuam habuit ad Cluniacum pertinentem. Bernardus Santonicus Epiſcopus *Priorem de Au*, necnon *Priorem Aienſem* vocat in litteris anni MCXLIX. & *Eccleſiam de Au*: Ademarus Santonenſis Antiſtes in litteris anni MCXCII. *Eccleſiam Aienſem*. Innocentius PP. III. in litteris anno MCCIV. datis *Agiam* appellavit hanc inſulam g. litterâ inſertâ duas inter vocales: ut de Saientibus Sagienſes, de Reiis aut Reienſibus Regienſes ſunt facti. *Iſle d'Au* vulgò dicitur. Quidam *Iſle d'Aix* ſcribunt, & Latinè *inſulam Aquenſem* nuncupant, veteris ejus nominis neſcii: ut *Aquas Sextias* Noſtri *Aix*, Aquaſgrani *Aix la Chapelle*, Aquas in Utta *Aix en Otte* appellitant. *Aiam* pleríque eſſe inſulam Oceani Santonici, & ad Diœceſin Santonicam pertinere aiunt; quibus libens aſſenſerim: at Polyptychon Cluniacenſe in quo non paucæ ſunt mendæ, Pictavenſi eam Diœceſi adſcribit. Nam inter Monaſteria Cluniaco ſubjecta numerat præ ceteris *Prioratum inſula Aquenſis, Pictavenſis Diœceſis*. Hæc inſula non multum abeſt à Caſtro Alione, *Chaſtel-Aillon*.

OLBIA.

Olbiam Galliæ Narbonenſis opidum, inter Athenopolim Maſſilienſium & Glanum Mella ponit in libri II. de ſitu orbis capite V. Quam urbem Johannes Olivarius, Gaſſendus Provincialis, aliique *Eres* vel *Hieres* eſſe credunt. *Areas* recentiores Latini vulgò appellant, & objectas urbi *inſulas Arearum*. Noſtri *les iſles d'Hieres*; Itali, Ligures nimirum & Tuſci maritimi *Iſole d'Eri*. Nam *Area* ut Noſtris *Eres* aut *Hieres*, ſic Italis *Eri* dicuntur. Innocentius Papa III. in litteris ad Arelatenſem Archiepiſcopum & ad Maſſilienſem ac Agathenſem Epiſcopos *inſulas Arearum* bis commemorat ante annos CCCCLX. ut appareat nomen *Arearum* jamtum in uſu fuiſſe. Guillelmus Nangiacenſis Ludovicum Regem & Francos ex Syria reverſos ad eum portum appuliſſe ſcribit, *ad portum qui dicitur d'Abires in terra Provincia*: *Abires* vel *Hires* appellatione ad *Areas* & *Hieres* proximè accedente. Renatus Rex utriuſque Siciliæ in litteris datis anno MCCCCLXXVI. *villa ſua Arearum* meminit, id eſt urbis ſuæ. *Gabella ſalis antiqua, & magna tracta maris villa noſtra Arearum*.

Strabo tradit Maſſilienſes Rhodam quidé & Agatham barbaris Rhodani accolis, Taurentú autem & *Olbiam*, & Antipolim ac Nicæam Salyis ac Liguribus Alpinis oppoſuiſſe: & oram à Maſſilia ad Varum uſque promiſſam loca Maſſilienſium habere. Taurentum, Olbiam, Antipolim, & navale Cæſaris Auguſti Forum Julii, inter Olbiam ac Antipolim ſitum. Strabonem ſequitur Marcianus Heracleotes, à quo *Olbia urbs Maſſilienſium colonia* vocatur, Ὀλβία πόλις Μασσαλιωτῶν ἀποικία: quæ Ptolemæo *Olbia urbs* dicitur, (Ὀλβία πόλις) inter Citthariſten promuntorium & Argentei fluminis oſtium; Stephano *Olbia urbs Liguſtica, & incolæ ejus Olbiopolitæ & Olbiani, ut Aſiani*. Nimirum *Olbia* in agro Ligurum Gallorum à Maſſilienſibus condita fuerat. Addit Stephanus eſſe & proximum ei *montem Olbianum*. Ἔστι δὲ καὶ πλησίον αὐτῆς ὄρος Ὀλβιανόν. Inter *Areas* autem quam *Olbiam urbem* eſſe aiunt, & Antipolim eſt Forum Julii Octavanorum coloniæ ad amnem Argenteum: item inter promuntorium Cithariſtam & Argentei oſtia ſeu Forum Julii *Area*.

OLIMA CASTRUM.

Caſtrum in Caturcenſi Diœceſi, quod Olima dicebatur, memorat Petrus Monachus in Hiſtoriæ Albigenſis capite LXIV. quod vulgò nunc *l'Olme* nuncupatur, articulo cum nomine loci conjuncto. Ibi Balduinus, frater Comitis Toloſani Raimundi, fraude ſuorum captus, & fratris juſſu de arbore ſuſpenſus eſt. Guillelmus de Podio Laurentii in capite XXIII. libri de bello Albigenſi, *caſtrum Olivam* nuncupat, & in *partibus Aginnenſibus*, id eſt in pago Aginnenſi illud ponit.

OLINA FLU.

A Claudio Ptolemæo in Gallia Lugdunenſi ponuntur inter Viducaſſes ſeu Baiocaſſes, (quos ipſe Βιδουκάσιοι vocat) & Lexovios, in Viducaſſibus tamen, Ὀλίνα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Olinæ fluvii oſtia*; qui contracto nomine *Olna* à pleriſque ſcriptoribus Latinis appellatur, à quibuſdam & *Olena*, vulgò *Orne*. Fontem habet apud Olinonem vel Olnonem, *Aunou ſource d'Orne* inde dictum: interluit Saios Epiſcopatus ſedem, attingit Almaniſcas, *Almeneſches*, Fontanetum vel Fontanacum, *Fontenay*, Argentomum caſtrum, *Argentan*, caſtellum Guntherii, *Gontel*, Scoceium, *Eſcouchy*, Tauriacum, *Tury*, Pratella, *Preaux*, Stratævillam, *Eſtreville*, Lupiniacum, *Louvigny*, Cadomum, *Caën*, ad Oldonis & Olinæ confluentes, Portum, *le Port*: demum ad Stratæhammum, *Eſtrehan*, in Oceanum effluit, ubi ſunt apud Ptolemæum Ὀλίνα ποταμοῦ ἐκβολαί. *Olina* vel *Olna Orne* vocatur à Noſtris l. in r. mutato, ut ulmus, *orme*, Luſciniola, *Roſſignol*. Stratæhammum autem appello *Eſtrehan*, hoc eſt viæ publicæ vicum, quòd ad viam publicam vel militarem ſit poſitus, ejuſque finis: quam ob cauſſam Gregorius noſter ante annos MLX. Argentoratum *Strateburgum* nuncupavit, id eſt viæ Regiæ vel aggeris publici urbem. *Olnam* porrò *fluvium* VVillelmus Nothus & Henricus II. Anglorum Reges, Duces Normannorum & Aquitanorum, ac Comites Andegavorum in litteris ſuis non ſemel appellant. Idem VVillelmus Oldonem qui apud Cadomum in Olinam influit, *Vldunum* ac *Vldonem* vocitat, nunc *alveum veteris Vlduni*, & *Vldunum fluvium*, & *culturam inter duos Vldunos* in villa Venuntio ſitam memorans, nunc IV. *virgatas terræ intra duos Vldones ſitas*. Ex quo etiam intelligitur duos Vldones vel Vldunos tum fuiſſe, veterem alterum, alterum novum, ſeu foſsâ ex veteris alveo dedu-

ctà manufactum. *Vldonem* hunc vel *Vldunum*, Ordericus Vitalis in libro XIII. *Oldonem* ſemel atque iterum nuncupat, *tranſitum Oldonis* referens, & *Oldonis profundum*; *Odonem* & *Oundonem* corruptè litteræ quædam veteres dicunt; Noſtri *Oudon*. Ad eum amnem orientem eſt Alnetum, *Aunai*, Abbatia Ciſtercienſium Monachorum in Baiocaſſium finibus, à Cadomo quinque leugis diſtans ſeu XV. millibus paſſuum, quo ſpatio totus noſtri *Vldonis* curſus continetur.

Ut ad *Olinam* revertar, ejus mentionem fecit Richardus Dux Nortmannorum III. in donatione propter nuptias Adelæ facta anno MXXVI. Indictione IX. his verbis. *Concedo etiam caſtella quæ ibi habentur*, (in Comitatu Conſtantino) *videlicet Caruſburc*, (id eſt Carumburgum *Cherbourg*) *& pagum qui dicitur Haga cum ſilvis & portu maris*, (forſitan *la Hague du Cotentin*) *& in Comitatu Baiocacenſi villam quæ dicitur Cathim ſuper fluvium Olnæ, cum Eccleſiis, foro, teloneo, & portu, & omnibus appendiciis ſuis.* Olinam Richardus *Olnam* vocat, & *villam Cathim* vel potiùs *Cathom*, id eſt Cadomum, cujus Eccleſias, Forum, portumque celebrat.

OLITIS FLU.

Theodulfus in Parænesi ad Judices fluvii ejus unus è primis meminit ante annos DCCC.

Ruta, Moſella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus,
Iſter, Atax, Gabarus, Olitis, Albis, Arar.

Oltim vocat auctor libri de Vita S. Deſiderii Cadurcorum Epiſcopi his verbis. *Ædificavit* (Deſiderius) *ultra amnis Oltis ripam pene è regione matris Eccleſiæ Baſilicam formâ comtam, ubi frater ejus Ruſticus Cadurcorum Epiſcopus fuerat interfectus: quam perfectam in honore S. Petri A. dedicavit.* *Oltam* alii, alii *Oltum* & *Oldum* nuncupant truncato nomine, & mutata terminatione, cùm *Olitis* dici debeat. Sidonii in enumeratione fluminum hemiſtichium tale eſt.

Clitis, Elaris, Atax, Vacalis.

Et *Clitim* quidem pro *Cleno* pleríque cum Maſſono perperam accipiunt, ut in Cleno docui. Ego *Olitem* heic deſignari non dubito, & ita Sidonium emendari oportere.

Oltis, Elaris, Atax, Vacalis.

Olitis enim, à vetere ſcriptore Vitæ S. Deſiderii *Oltis*, & à quibuſdam aliis nuncupatur. Si qua Scaligero fides habetur, Arverni & Caduerci montani per quos decurrit *Olitis*, eum *l'Old* & *l'Ould* nominant, vel ut idem Scaliger in Notitia Galliæ ait, *Oold*, aut cum articulo *l'Oold*: noſtræ tabulæ nunc *Lot*, nunc *le Lot* Hic unus eſt è tribus maximis & navigabilibus fluviis, quibus Garumnam augeri aſſerit Strabo, qui ſunt Tarnis, Olitis, Duranius. *Olitis* igitur Triobrem recipit fluvium Sidonio memoratum. *Trieure*, Salam vel Sordidam *Sale*, & Viridem *Vert*, amnem à colore aquæ ita cognominatum. Alluit Oratorium *Oradour*, Interamnam ſeu Interaquas *Entragues*, Vivarium *Vivier*, Catenacum *Cadenac*, Lupiacum *Loupiac*, Salvianiacum *Salvainac*, Galliacum *Gaillac*, Calviniacum *Calvignac*, Sinaparias *Senevieres*, caſtrum S. Cirici *S. Cirque*, vicum S. Deſiderii *S. Geri*, Divonam Cadurcorum, Caſtellum Francum, Podium Epiſcopi *Pui l'Eveſque*, Condate *Condat*, Villam Novam Aginnenſium, *Villeneufve d'Agenois*, vicum S. Liberatæ *S. Livrade*, Clariacum *Clairac*, Aquilonem *Aiguillon*, ac demum Garumnâ accipitur.

Eſt & *Olda* fluvius per Cenomanos & Andecavos currens, qui in Meduanam defluit, *Oudon* vulgò dictus: *Albertus Sagenſi urbe oriundus*, id eſt Saiis, *ad eremi ſolitudinem cum tribus fratribus pervolaſſe* dicitur, *quam eremi vaſtitatem fluvius nomine Olda impetu ſuo ſcindebat per immenſam denſitudinem ſilvarum*, & ibi *in loco Gambrun Gambronenſe Cœnobium* condidiſſe. Herimbertus Diaconus ſcribit in Vita S. Vincentiani, eum *in provincia Andegavis in villa Nantogilo, quæ ſita eſt ſuper fluvium Olda, ex prædio & familia Beraldi Ducis ortum eſſe.* *Gambronenſe Cœnobium* vel *Gambro* mihi videtur eſſe *Jauron* in Cenomanis, quod recentiores detractâ m litterâ *Gabronem* & *Gabronium* appellitavere: licèt Conſtantiano Arverno originem ejus Monaſterii tribui à quibuſdam videam, non Alberto.

OLIVEIUS FLU.

Fluvium *Oliveium* Chronicon Moiſſiacenſe vel Muſciacenſe, in anno DCCCXVIII. deſinens, memorat in anno DCCXCIII. & inter Narbonem ac Carcaſſonem urbes ponit his verbis. *Qui* (Saraceni) *venientes Narbonam, ſuburbium ejus igne ſuccenderunt, ac prædâ magnâ captâ, ad urbem Carcaſſonam pergere volentibus obviam exivit VVilhelmus & alii Comites Francorum cum eo, commiſeruntque prælium ſuper fluvium Oliveio.* Hic fluvius, cujus vulgare nomen ignoratur, inter Narbonem & Carcaſſonem fluit, ſed Narboni quam Carcaſſoni multo propior eſt, & ſupra Narbonem in Atacem decurrit.

OLONA.

Gaufridus vel Goffridus, Abbas Vindocinenſis, in epiſtola numero XXXIV. *Filiis Goffrido de Surgeriis, Jordano de Podio Rebelli, Rainaldo Cartaldo, Herveo de Olona mandando præcipit, ut in proxima S. Trinitatis feſtivitate Monaſterium Vindocinenſe viſitare non differant*, ſub pœna excommunicationis. *Surgeriæ* ergo, *Podium Rebelle*, & *Olona*, Cellæ erant Vindocinenſi Monaſterio S. Trinitatis ſubjectæ. Ex quibus *Surgeria Surgeres*, & *Podium Rebelle* ſunt in pago Santonico; *Olona* in ora maris Pictonici, vulgò *Olone* hodieque dicta, in ſolo arenoſo poſita, Comitatus titulo inſignis, ac portu: à qua arenæ Olonenſes nomen habent, *les ſables d'Olonne*. Ager *Olonenſis* ſalinis & vineis abundat.

ORBACUM.

Regulus, Frodoardo aliiſque B. *Reolus* dictus, Remorum primùm Comes, deinde & Epiſcopus, permiſſu Theodorici Francorum Regis in loco quem ab ipſo acceperat, Ebroino etiam Majore domus Regiæ ſuffragante, *Monaſterium Orbacenſe* extruxit, & Leudemarum Reſbacenſem Monachum ei Abbatem præfecit: quem ab Odone quodam expulſum Childebertus Rex poſtea reſtituit. Situm eſt *Orbacum* in Sueſſionibus ad rivum vel amniculum, in Matronam paullo ſupra Caſtellum Theoderici effluentem, à quo rivo & nomen accepit, nuncupaturque *Orbay*. Loca ſunt duo, Villaris aut Villare & Capella, inter quæ poſitum eſt Orbacum, quæ ab ipſo cognomen accepere. Nam Villaris ſub Orbaco à ſitu cognominatur, *Villiers ſous Orbay*; Capella ſuper Orbacum, *la Chapelle ſur Orbay*. Ceterùm hic eſt Regulus, quo miniſtro in decipiendo Martino, Præfecto Palatii per Auſtriam, unà cum Ægilberto Pariſiorum Epiſcopo Ebroinus eſt uſus.

ORBECCUM.

Orbeccum memoratum ab Orderico in libro VIII. Hiſtoriæ, nomen retinet: vocatur enim *Orbec*. Hic locus ſitus eſt in finibus Lexoviorum ad rivum Orbeccum, *Orbec*, aut *la riviere d'Orbec*, qui ſupra Noviomagum Lexoviorum caput in Tol[illegible]fluit. *Orbeccus* autem vel *Orbeccum* à ri[illegible]nomen invenit. Scribit enim Bebelius apud Freherum in Originum Palatinarum parte I. *pagum* deducendum videri à *pach* vel *bach*, quod Germanis rivum ſignificet: eſſe enim *pagum* aut vicum plures villas juxta rivum poſitas. Quod Germanis Tranſrhenanis *pach* aut *bach*, idem Flandrenſibus & Brabantenſibus *beke*, & Noſtris *bec*. Quippe Divæus in libri I. Rerum Brabanticarum capite V. ſcribit, familiam nobilem apud Bruſellenſes *Van Rodenbeke* à rubro rivo nomen inveniſſe. *Roden* ergo rubrum, *beke* rivum Germanis Ciſrhenanis ſignificat. Sic ab Orderico in libro V. *Rodebeccus* vocatur, id eſt *Ruber* rivus, vel *Rodenbeke*, quem vulgò truncato nomine *Robec* appellitant. VVillelmus Gemeticenſis Monachus in Hiſtoriæ Normannorum libro VI. de Cœnobio Becco ita loquitur: *Ad locum ſui juris, qui à rivo illic manante Beccus appellatur.* *Orbeccus* igitur amnis dictus eſt, quòd revera rivus veriùs quàm amniculus ſit, & *Orbecco* loco quem alluit, nomen ſuum dedit. Sic Calidum Beccum, *Caudebec*, id eſt calidum rivum dixere à rivulo ibi in Sequanam decurrente: & Monaſterium Beccenſe *Bec*, atq; alia complura loca in Normannia aliiſque Galliæ provinciis, quorum nomina in *Bec* deſinunt, ſingula à rivo cui appoſita ſunt, nomen accepere. Omitto *Orbacum* Monaſterio clarum in Sueſſionibus, à Frodoardo aliiſque memoratum; & *Reſbacem* in Meldis: quæ loca à rivis præterfluentibus cognominata eſſe apparet, ut duabus poſterioribus nominum ſuorum ſyllabis apertè teſtantur.

ORBINIACUM.

Orbiniacus vicus eſt Turonum, *Orbiniacum* aliàs, in confinio Biturigum ac Turonum, duabus plus minùs leugis diſtans à flumine Caro, vulgò *Orbigni*: cujus mentionem Gregorius in fine Hiſtoriæ Francicę facit his de Euphronio XVIII. Epiſcopo Turonico verbis. *Hujus tempore Tauriaco, Cerate, & Orbiniaco vicis Eccleſia ædificatæ ſunt.* Cerate proximum eſt Orbiniaco in Turonibus, ita dictum uti Arelate, Condate, Bibracte; vulgò *Ceray*. *Tauriacum* fortè eſt vicus Turonum dictus nunc *Truie*, inter Andriam & Carum amnes ſitus.

ORGE FONS.

In Narbonenſi provincia nobilis fons Orge nomine eſt. In eo herba naſcuntur intantum expetita bubus, ut merſis capitibus, totis eas quærant viribus. Sed illas in aqua naſcentes certum eſt nonniſi imbribus ali: ut ait Plinius in libri XVIII. capite XXII. Hic *Fons Orge* mihi videtur eſſe *Fons-Aſtorgue*, aliàs *Font-Eſtorgue* in tabulis Geographicis memoratus: unde oritur fluvius Lertius, *le Lers*, qui Macerias *Mazeres* in Comitatu Fuxenſi attingit, atque Areiam flumen Fuxenſe auget, (*l'Ariege*) Garumnæ & ipſum pòſt acceſſurum. Aiunt hunc Lertii fontem in Pyrenæis montibus Galliaque Narbonenſi intra vicenas quaternas horas vicies quater increſcere ac decreſcere, aut ut vulgi utar verbis, naſci & mori: qui ſi eſt *Orge* Plinii, haud dubiè *Fonſaſt Orgue* vel *Fonteſt Orgue* potiuſquàm *Fons Aſtorgue* vel *Font Eſtorgue*, nomen ejus ſcribi convenit.

OROLAUNUM TREVIRORUM.

Orolaunum vicus in Itinerario Æthici memoratur, & inter Epoiſſium ac Andethannalem vicos medius ponitur in itinere à Durocortoro Treviros; ab Epoiſſio vico Trevirorum leugis XXII. ab Andethannale vico leugis XX. diſtans. Vulgò *Arlon* nunc dicitur, eſtque caſtrum montanum Ducatûs Lucilburgenſis, Marchiæ titulo gaudens. In Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta nomen vulgare fert, appellaturque *Arlon* inter *Dulminſe* & *Vaurenſe*. Lupus qui ante annos DCCCXXX. de Maximino Epiſcopo Trevirorum ſcripſit, *caſtellum Arlonis dici* tradit nomine corrupto.

OSCARA FLU. ET PAGUS OSCARENSIS.

Gregorius in libri Hiſtoriæ Francicæ II. capite XXXII. & in libri III. capite XIX. fluvii *Oſcara* meminit, & *ad caſtrum Divionem ſuper Oſcaram fluvium* Chlodoveum Francorum Regem cum Gundobado Burgundionum Rege acie directa feliciter pugnaviſſe

ſcribit, & *Oſcaram fluvium, piſcibus valde prædivitem* appellat. *Oſcharam* Hincmarus in Vita Remigii vocat; Geſta Francorum *Hoſcarum*. Quidam Gregorii codices *Oſcarum* ſcriptum habent. In Chronico Monaſterii S. Benigni *Oſcara* nuncupatur, & in Chronico Beſvenſi, atque alibi paſſim; *Oſcarus* ab Aimoino in libri II. Hiſt. capite XXIV. vulgò *Onſche*, aut addito articulo *l'Onſche*. Hic amnis *pago Oſcarenſi* nomen dedit, priſcis in literis Chronicisque memorato, & Columbaria *Colombiers*, Divionem, Robur *Roure* vel *Rouvre*, Longam Curtem *Longecourt* præterlapſus, contra Latonam in Ararim defluit.

Madelgandus Oſcarenſium Vicecomes in Chronico Benigniano memoratur, id eſt Vicecomes pagi Oſcarenſis incolarum, ſive pagenſium Oſcarenſium. Ibidem hæc legimus. *Conſiſtit ipſa hereditas in Comitatu Oſcarenſe ſuper Sagonam fluvium atque Oſcaram & Tillam.* Arari ergo & Oſcarâ ac Tillâ fluminibus *pagus* ſeu *Comitatus Oſcarenſis* continebatur, à *pago Divionenſi* diſtinctus. Eumdem in veteribus monumentis tabuliſque Burgundiæ nunc *pagum Oſcarenſem*, nunc *Comitatum Vſcarenſem*, & *pagum Vſcarenſem*, necnon abſolutè *Vſcarenſem* dictum reperio, & proximum pago Atoariorum poni. *In Vſcarenſe & in Atoeriis.* Ex quo intelligitur *Oſcaram* amnem nonnumquam & *Vſcaram* nuncupatum eſſe. Ex Uſcara *Onſche* fecimus, ut ex muſca *mouſche*, ex luſco *louſche*. A fluvio *Oſcara* pagus *Oſcarenſis* nomen accepit: ut à *Moſa pagus Moſanus*; à *Moſella pagus Moſellanus*; à *Sara* vel *Saravo Sarachouva ſuperior* & *inferior*, id eſt *pagus Sarenſis* vel *Saravenſis*; à *Nita* fluvio *pagus Nitenſis* aut *Nitachouva*, ab aliis alii.

OSCELLUS INSULA AMNICA.

Dans anno Domini DCCCLXI. *Duce Vuelando cum ducentis navibus per Sequanam adſcenderunt, & caſtellum in inſula quæ Oſcellus dicitur, à Normannis conſtructum & eoſdem Nortmannos obſederunt*: ut legimus in Annalibus Bertinianis ac in Chronico de Geſtis Nortmannorum. *Inſulam loci qui Oſcellus dicitur.* vocat Carolus Rex Francorum cognomine Calvus in libello proclamationis adverſus VVenilonem Archiepiſcopum Senonum. Aimoinus in libro II. Miraculorum S. Germani *Oſcellum* ſimiliter in inſula Sequanæ poſitum eſſe docet his capitis X. verbis. *Nortmanni apud eumdem locum qui dicitur Oſcellus, in quadam Sequanæ inſula reſidentes, Pariſius ſæpe, dum prorſus placebat, navali excurſu veniebant.* *Inſulam Sequanæ Oſcellum* in anno DCCCLVIII. nuncupant non ſemel Annales Bertiniani. In litteris Roberti Nortmannorum Ducis datis anno MXXX. *In pago denique Rotomagenſi & inſulam ſupra alveum Sequanæ quam dicunt nomine Torulinam, alio quidem vocabulo Oſcellum.* Vulgò à ſimilitudine Roſtrum aſini, *l'iſle de Bedaſne*, aliàs *Tourville*, & *Oiſſel* dicitur, id eſt *Torulina*, & *Oſcellus*, & XXV. arui acras, prati tres, ac viminetum continere fertur.

OSISMII ET EORUM URBES.

Oſiſmi Cæſari in libro II. & III. Commentariorum belli Gallici memorantur inter maritimas civitates quæ Oceanum attingunt, atque inter ſocios belli Venetici, ponunturque ab eo inter Unellos & Curioſolitas. Sed utrubique nomen eorum corruptum eſt, & *Oiſinos* legimus pro *Oiſmos*. In ejuſdem libro VII. *Oiſſimi* quoque mendosè ſcripti reperiuntur pro *Oſiſmij*, & uti Curioſolites, Redones, ac Unelli, ſex millia armata Vercingetorigi contulere. Strabo poſt Venetos ſcribit eſſe *Oſiſmios*, (Ὠστιμίους) quos Pytheas Maſſilienſis *Timios* appellet, (Τιμίους) ad Oceanum in promuntorio quodam longè extenſo, nimirum Gobæo: eoſque unà cum Venetis inter Gentes Belgarum maritimorum numerat graviſſimo errore. *Oſiſmios* vocat & Pomponius Mella in libri III. capite II. quum ſcribit *à Garumna exitu latus illud incipere terræ procurrentis in pelagus, & oram Cantabricis adverſam litoribus, ab Santonibus ad Oſiſmios uſque grandi circuitu deflexam, ad Occidentem litus advertere.* Eoſdem nunc *Oſiſmios*, nunc *Oſiſmos* appellat Plinius Secundus, atque in Lugdunenſi Galliâ inter Abrincatuos ac flumen clarum Ligerin ponit: & *peninſulam ſpectatiorem excurrentem in Oceanum à fine Oſiſmorum circuitu* DCXXV. M. P. *cervice in latitudinem* CXXV. *millium* ibidem memorat, *ultra quam Nannetes.* Ab Claudio Ptolemæo in Gallia Lugdunenſi collocantur ultimi uſque ad Gobæum promuntorium *Oſiſmij*, quorum urbs *Vorganium*. Τελευταῖοι δὲ μέχρι τοῦ Γοβαίου ἀκρωτηρίου Ὀσίσμιοι, ὧν πόλις Οὐοργάνιον. Ultimos vocat Ptolemæus *Oſiſmios*, quia in ora Oceani Armorici ad Occidentem verſa ſunt ultimi, ut ſuprà Pomponius & chartæ Geographicæ nos docent. *Ab Oſiſmiis enim iterum ad Septemtriones frons litorum reſpicit, pertinetque ad ultimos Gallicarum Gentium Morinos*: quemadmodum ait Pomponius. In veteribus Notitiis provinciarum Galliæ nunc *Oſiſmi*, vel *Oxiſmi*, quod idem eſt, (x enim in duo ſſ. ſæpiſſime vertitur) nunc *Oſiſmi*, & corruptè *Ociſmi* appellantur; *Oiſimi* quoque in Hiſtoriæ Miſcellæ libro VI. MS. Caroli Calvi Principatu *Oximenſes* etiam ſunt dicti. Unde factum eſt, ut pro Oximis prope Saios facilè à quibuſdam haberentur.

Urbem Oſiſmiorum *Vorganium* nuncupat Ptolemæus; tabula Peutingeriana per compendium litterarū *Vorgium* ductâ ſuprà lineâ, hoc eſt *Vorganium*. Magnoni quoque *Othiſmus*, *Vorgium*: id eſt *Oſiſmus*, cujus caput *Vorgium*, vel *Vorganium*. Notitia Imperii Romani nomine Gentis cujus caput eſt, eam appellat *Oſiſmios*, ponitque in tractu Armoricano, & Maurorum Oſiſmiacorum præſidium ibi fuiſſe ſub Præfecto indicat his verbis. *In tractu Armoricano & Nervicano Præfectus Maurorum Oſiſmiacorum Oſiſmiis.* Eadem urbs in priſcis Notitiis provinciarum civitatumque Galliæ modò *civitas Oſſiſmorum* vel *Oxiſmorum*, modò *civitas Oſiſmorum* vo-

catur Robertus Monachus Autiſſiodurenſis Oſiſmos more multorum & Oximos Oximùmve confundit in Chronico, quum in provincia Turonenſi pro civitate Oſiſmorum ponit *civitatem Oximum, id eſt Sagienſem.* Nam in provincia Turonenſi eſt civitas Oſiſmorum vel Oſiſmiorum, in provincia Rotomagenſi civitas Saiorum vel Sagienſium, Oximis (*Hieſmes*) Oximove ſuæ Diœceſeos oppido propinqua & Robertum quidem. Aimoinus, ac Hugo Floriacenſes Monachi videntur decepiſſe, qui inter Lugdunenſis provinciæ urbes *Oximum, id eſt Sagienſem* numeraverant, haud dubiè pro civitate Oſiſmiorum *Oximum* prope Saios, quæ numquam civitas aut ſedes Epiſcopalis fuit, ſubſtituendo.

Quidam, in his Maſſonus, & Albertus Britto, in Oſiſmiis urbem nobis ingerunt *Leſobiam* vel *Lexobiam* neſcio quam ad mare, ſedem Epiſcopatus Leſobienſis priſcis omnibus ſcriptoribus incogniti: quâ urbe à Danis everſâ, ſedem aiunt eſſe tranſlatam in peninſulam *Trecor*, diſtantem à Leſobiæ ruinis IV. leugis, circa annum Domini DCCCXXXVI. à qua peninſula *Trecora* urbs dicatur: ibi ſediſſe Epiſcopos in Monaſterio S. Tudgualli. Sed haſce de Leſobia & Epiſcopatu Leſobienſi fabellas nulla auctoritate fultas valere jubeo. Epiſcopatus quidem iſte ab urbe quæ ſedes ejus eſt, vocatur nunc *Tregorenſis*, nunc *Trecorenſis* apud Gervaſium Tilleberienſem qui ante annos CCCCL. floruit, & in veteribus Notitiis Epiſcopatuum Galliæ, & inter Briocenſem ac Leonenſem medius, qualis ſitu eſt, ponitur. Robertus de Monte in Chronico ſuo eam civitatem ſæpe *Trigel* appellat.

Nicolaus Samſon ſcribit *Verganium Oſiſmiorum* ſeu *Oſiſmios*, apud Bertrandum Argentræum Britannico nomine *Cozgueondet*, hoc eſt urbem veterem (*Cozgueandet* apud Albertum aut *Lexobiam*) appellari: quâ ante multa ſecula dirutâ, ex ejus antiqua Diœceſi ac unica ſede tres eſſe factas, nimirum Leonenſem, Trecorenſem, ac Briocenſem, *S. Pol de Leon*, *Treguier*, & *S. Brieu*: itaut tres hæ Diœceſes Britanniæ totius maximè ſeptemtrionales veteribus Oſiſmiorum finibus contineantur, meridiana regionis obtinentibus Curioſolitibus, Venetis, atque Namnetibus. Sed de illa *Vrbe veteri*, ſive Lexobia aut *Leſobia*, nihil apud graves auctores ullos reperio. Et regnante quidem apud Francos Carolo Calvo, ex Monaſterio S. Brioci ſedem Epiſcopalem factam eſſe conſtat à Nomenoio Regulo Brittonum in Oſiſmiis. At *civitatis Oſiſmiorum* nomine utra deſignetur, Tregorenſis, (*Treguer* aut *Landtriguier*) an Leonenſis, (*S. Paul de Leon*) & utra alteram vetuſtate præcedat, ſitque urbs primaria & caput Oſiſmiorum, haud facile dictu eſt.

Ceterùm *Sena in Britannico mari, Oſiſmicis adverſa litoribus* cur Mellæ dicatur in libri III. capite IV. neſcio. Hæc enim inſula, vulgò dicta *l'Iſle de Sain*, Curioſolitum litoribus adverſa eſt, non *Oſiſmiorum*, qui Gobæo promuntorio ſive S. Matthæi (*S. Mahé*) terminantur, ut ſuprà Ptolemæus docet.

OXIMENSIS PAGUS.

Fortunatus in capite LIV. libri de Vita Germani Pariſ. Epiſcopi *pagum Oximenſem* primus aut inter primos memoravit, & in eo *villam Taſiliacum*, vulgò *Ville Taillac* dictam. Hic pagus, in Capitulis Caroli Calvi vocatur *Oxmiſus*, id eſt Oxmenſis, & inter pagos *Corliſum* & *Liſuinum*, id eſt Corlenſem & Lexovienſem ponitur. *Oxonenſis* nuncupatur idem in Capitulis Caroli Magni, & *Livino pago* conjungitur, corruptè ita dicto pro *Lixuvino*: *Oximenſis pagus* Orderico in libro XI. in litteris Richardi II. Normannorum Ducis & Alexandri PP. III. vulgò *l'Hieſmois*, aut *le pays d'Hieſmois*; apud VVillelmum Gemeticenſem in libri V. capite III. *Oximenſis Comitatus*. In Miraculis S. Vulframni invenio, *in Oximenſi pago ſitum eſſe caſtrum, quod Faleſia nuncupatur*. In Chronico Fontanellenſi hæc legimus. *Huic glorioſo Præſuli largitus eſt quidam illuſtris nomine Berius portionem aliquam de villa Diemaniaco, quæ ſita eſt in pago Oſſimenſi, in Centena Alancionenſi, & illam rem quæ vocatur Venda in Centena Saginſe.* Ex quibus intelligitur, pagum *Oximenſem* vel *Oſſimenſem* pagos minores duos ſive Centenas, nimirum Alentionenſem & Saienſem tum continuiſſe. Aimoinus in libri II. de Miraculis S. Germani capite I. *pagi Oximenſis* meminit; meminit & Adalheſmus Saienſis Epiſcopus in libro de Vita S. Opportunæ Virginis, quem ſub finem ſæculi IX. compoſuit.

Nomen huic pago dedit *Oximus*, vel *Oximi*, vulgò *Hieſmes* vel *Exmes*, locus Saienſi Epiſcopo ſubjectus. Apud Ordericum Vitalem in libro VI. in Oximenſi pago *locus qui Monsfortis dicitur, locus amœnus ſilvis & fontibus*, & *duo caſtella Oximis & Guaceium* ſeu *Vaceium* memorantur, *Hieſmes* & *Gaſſay*: in libro XII. *Oximus* inter Faleſiam & Fiſcannum, & incolæ ejus *Oximenſes* in libro VIII. Idem auctor in libro XIII. *Oximos* vocat, & inter Argentomum ac Danfrontem ponit; ſcripti libri & priſcæ litteræ *Oximas*. Aimoinus in Hiſtoria Francica, Hugo Floriacenſis Monachus, & Robertus Monachus in Chronico *Oximi* meminere. Ab his enim inter civitates provinciæ Lugdunenſis ponitur *Oximus*, *quæ & Sagienſis*. At *Oximus*, & *Saii* duo ſunt loca diverſa, & *Oximus* ſemper (ut exiſtimo) *Saiis* paruit, nec umquam civitas, aut ſedes Epiſcopi Saienſis, caputve Gentis fuit. Quamquam Sirmundus cùm *Litaredum Epiſcopum Eccleſiæ Oxomenſis* Concilio Aurelianenſi primo Chlodovei juſſu interfuiſſe, eumque in priſcis codicibus nunc *Litaredum Epiſcopum de Vxuma*, nunc *ex civitate Vxoma Litaredum* appellari animadverteret; *Vxumam Vxomamve* iſtam *civitatem* vel *Oxomenſem* pro *Oximo*, capite pagi Oximenſis, Saienſi Epiſcopo ſubjecto habendam putavit, adſecitque *famam eſſe, Oximis olim Epiſcopalem ſedem fuiſſe, quæ inde poſtea Saios tranſlata ſit.* Sed vir doctus & judicio

ſingulari præditus uni famæ priſcis teſtimoniis deſtitutæ inniti non debuit, quæ

> Tam ficti falſique tenax, quàm nuntia veri.

Non invitus quidem conceſſerim, Epiſcopos Saienſes nonnumquam Oximi conſediſſe, ob idque *Oximenſis Eccleſiæ Epiſcopos* nuncupatos eſſe: ſicuti eamdem ob cauſſam quidam Epiſcopi Carnuteni *Epiſcopi Eccleſiæ Dunenſis*; Epiſcopi Conſtantienſes *Epiſcopi Eccleſiæ Brioverenſis* ſunt appellati. Sed non ideò magis tum Oximus apud Saios vera, vetus, conſtanſque ſedes Epiſcopatûs fuit, quàm aut caſtellum Dunum in Carnutibus, aut Briovera apud Conſtantienſes; non ideò minùs Oximus Saios pro capite Gentis & pro cathedra Antiſtitis ſui agnovit, caſtrum Dunenſe Autricum Carnutum, Briovera Conſtantiam.

P

PACIACUM.

PACIACUM Britto in libris Philippidos III. & IV. vocat; *caſtellum Paceium* Ordericus in libro XII. & Robertus de Monte S. Michaëlis, qui Sigeberti Chronico quædam adjunxit. Opidum eſt ad flumen Auturam poſitum in Aulercis Eburovicibus, inter Ebroicas & Meduntam medium, vulgò *Paci* dictum hodieque: quamquam à pleriſque *Paſſy* corruptè ſcribitur, & ita excuſum ferè omnibus in tabulis reperitur.

PALATIUM.

Concilio Agathæ habito *Meſſalla V.C.Conſule, anno* XXII. *regni Domni Alarici Regis, Petrus Epiſcopus de Palatio* inter ceteros ſubſcripſit die III. Idus Septembreis. Quod ſit illud *Palatium* ſede Epiſcopatûs honoratum in Gallia, nemini cognitum puto. Nulla enim in provinciis Galliæ Alarici olim ditioni ſubjectis, ac in tota etiam Gallia urbs reperitur ejus nominis, quæ & caput Gentis alicujus fuerit, & Antiſtitis cathedram habuerit. Credent forſitan aliqui *Epiſcopum de Palatio* heic nuncupari Epiſcopum Palatinum, qui Ariano Regi Arianus obſequeretur & ſacra faceret: ſicut *Clericos de Palatio* vocarunt Noſtri ſcriptores Clericos Palatinos, qui in Aula curſum Eccleſiaſticum coram Regibus Francorum decantabant. Sed minimè veriſimile eſt Epiſcopis Catholicis Gallis, qui permiſſu Alarici Agatham convenerant, Arianum aliquem Antiſtitem vel à latere Regis admiſtum fuiſſe. Vidi, qui *Palatium Palum*, vel *caſtrum Palum* (*Pau*) opidum in regione Benarnenſi clarum & illuſtre interpretaretur. Quæ interpretatio à nemine probari poteſt. Neque enim Caſtrum Palum proprium ac domeſticum Epiſcopum umquam habuit: ſed ſemper ad Epiſcopos Benarnenſes pertinuit, ut hodieque pertinet. *Galactorius* autem *Epiſcopus de Benarno*, & *Gratus Epiſcopus de civitate Olorone* vel *Elorone*, altera pagi Benarnenſis ſede Epiſcopali, Agathenſi Concilio interfuere atque ſubſcripſere: ne quis forſitan nomine *Epiſcopi de Palatio* Epiſcopum Benarnenſem deſignari arbitretur. Quidam *Epiſcopatum* iſtum *de Palatio* vel *Palatinum* Hiſpaniæ attribuunt, Alarico maxima ex parte ſubjectæ. At nullus eſt in Hiſpania ejus nominis locus, qui ſede Epiſcopali gaudeat: ut omittam ſolos Epiſcopos Aquitaniæ & Galliæ Narbonenſis Alarico parentes cum Turonico Antiſtite Concilio Agathenſi interfuiſſe: quibus unum & ſolum ex Hiſpania Epiſcopum temere & ſine cauſa permiſcere non convenit. Exiſtimo igitur *Palatium* locum fuiſſe in Lemovicibus, civitati Lemovicis proximum, *le Palais* vulgò dictum, appoſitum Taurioni fluvio in Vingennam mox caſuro; aut certè alterum *Palatium* (*Palais*) eidem amni adſitum, ſed à civitate Lemovicum remotius: & in hoc vel illo Palatio, verùm in priore potiùs, tum Epiſcopos Lemovicenſes, ac præ ceteris Petrum noſtrum commorari conſueviſſe, qui & ob id *Epiſcopum de Palatio* ſe ipſe appellaverit: ſicuti Epiſcopi Saienſes eamdem ob cauſſam *Oxomenſes* vel *Oximenſes* nonnumquam dici voluerunt; Epiſcopi Pictavorum *Ratiatenſes*; Conſtantienſes Epiſcopi *Brioverenſes*, Carpentoratenſes *Vendaſcenſes*; Carnuteni Epiſcopi interdum *Dunenſes* ſunt nuncupati. Certè ſi hunc Petrum excipias, nullus alius Epiſcopus Eccleſiæ Lemovicinæ decretis Synodi Agathenſis ſubſcripſerit. Præterea eſt in urbe ipſa Lemovicis locus nomine Palatium, *le Palais*: ut non longè aut à locis ſuburbanis, ſed à Palatio ipſo intramurano petenda ſit forſitan Petri Epiſcopi Lemovicenſis appellatio. Nam uti in pleriſque Imperii Romani urbibus quæ alicujus nominis claritatiſque erant, ſic Lemovicis Imperatores & Cæſares Palatium habuere, ubi dum provincias ſuas obibant, commodè habitarent alieno non egentes hoſpitio. His Palatiis ſtante Imperio Rom. majores Magiſtratus, his ſucceſſores Imperatorum ac Cæſarum in Galliis Reges Veſigothorum ac Burgundionum, & victores utriuſque Gentis Reges Noſtri ſunt uſi. Sed quoniam Reges Veſigothorum raro admodum ac ferè numquam Lemovicas tum adibant, potuit Petrus Epiſcopus ejus in urbis Palatio habitare, atque ex eo appellationem trahere. De his quiſque quod voluerit ſentiat.

Priorem quidem meam de Palatio ſuburbano conjecturam facilè poſteriori præpono.

PAREDUM.

Glaber Rodulfus in Hiſtoriarum libri III. capite II. ſcribit, *Hugonem filium Lamberti Cabillonenſis Comitis, Epiſcopum Autiſſiodori, Monaſterium conſtruxiſſe in pago Auguſtidunenſe, quod dicitur Paredo, in honore S. Mariæ Sanctique Iohannis Baptiſta: in quo etiam ſepultus honorificè quieſcit.* Paſchalis Papa II. in litteris datis anno MCIX. & Ludovicus Rex Francorum, cognomine Craſſus, in Privilegio anni MCXIX. *Paredum* numerant inter Prioratus ad Cluniacum pertinentes. Hodieque locus *Paroy le Moinal* vocatur, id eſt *Paredum Monachale*, & Monaſterium in pago Auguſtodunenſi habet Cluniaco ſubjectum. Eſt & *Paredum Fratrum* non procul à Burbone Anſelli, à Fratribus ſeu Monachis ita cognominatum, *Paray le Frairy* vulgò dictum.

PARISII: ET DE CLARIS CASTELLIS AC VICIS PAGI PARISIACI.

PARISIORUM in libro VI. Commentariorum C. Julius Cæſar mentionem fecit his verbis. *Cæſar Concilio Galliæ primo vere indicto, cùm reliqui præter Senones, Carnutes Treviroſque veniſſent, initium belli ac defectionis hoc eſſe arbitratus, ut omnia poſtponere videretur, Concilium in Luteciam Pariſiorum transfert, (Confines erant hi Senonibus, civitatemque patrum memoriâ conjunxerant, ſed ab hoc conſilio abfuiſſe exiſtimabantur) ac re pro ſuggeſtu pronuntiata, eodem die cum legionibus in Senones proficiſcitur.* Quibus verbis nihil aliud indicat Cæſar, quàm *Pariſios* cum finitima Gente Senonum ſocietatem & amicitiam fœduſve perpetuum iniiſſe ante annos XL. aut L. quàm ipſe Gallis bellum inferret: nihilo tamen minùs eoſdem Senonum contra Romanos arma capere molientium conſilium improbaviſſe, huicque ſe defectioni ſubtraxiſſe. Nicolaus Samſon, Geographus Regius, verba Cæſaris ſuprà laudata ſic explicat, ut exiſtimet *Pariſios* primò partem Senonum exſtitiſſe, deinde ante Cæſaris in Gallias adventum à Senonibus eſſe ſeparatos, *Senoneſque* in *Senones* & *Pariſios*; *Pariſios* poſt Cæſaris ætatem in *Pariſios* & *Meldos*; *Senones* iterum in *Senones* & *Tricaſſes* diviſos fuiſſe: ſicuti Bituriges, Arverni, Senones, Ædui, Carnutes & Aulerci, qui primi in Italiam Belloveſi ductu tranſierunt, ſinguli poſtea in binos aut ternos populos ſint diviſi. Quæ mera ſunt ſomnia, à mente Cæſaris prorſus aliena. Nemo enim è veteribus ſcriptoribus haſce Galliæ populorum aliorum in alios diviſiones commemorat. Quippe ut in ceteris omnibus provinciis atque regionibus, ita in Galliis alii erant majores populi, qui reliquos virtute præcedebant, & hominum numero ac latitudine finium: quales *Ædui*, *Senones*, *Remi*, *Treviri*, *Carnutes*, *Bituriges Cubi*, *Arverni*, *Sequani*, *Helvetii*, *Lemovices*, *Pictones*, *Santones*: alii minores, qui & anguſtiores fines & imbecilliores habebant vires; quales *Silvanectes*, *Ambiani*, *Tricaſſes*, *Pariſii*, *Meldi*, *Abrincatui*, *Saii*, *Lexovii*, *Redones*, *Namnetes*, *Curioſolites*, *Diablintes*. E minoribus populis alii erant liberi ac ſui iuris, ut *Meldi*, ut *Pariſii*, qui Senonum quidem ſocii & amici ætate C. Julii Cæſaris fuerunt, eorum clientes non fuerunt, nec niſi domeſticis magiſtratibus aut Regibus, (ſi tamen Reges habuerunt) & totius Galliæ Concilio paruerunt: alii validioris alicujus gentis clientes habebantur, ut *Seguſiani*, *Ambivareti*, *Aulerci Brannovices*, & *Brannovii* vel *Brannonii*, *Boiique* Æduorum; aut erant potentiorum imperio ſubjecti, ut *Cadurci*, *Gabali*, *Vellavi* Arvernorum. Quin & nonnullis majoribus clarioribuſque Galliæ populis nonnumquam accidit, ut finitimorum imperia fidemque ſequerentur. Certè auctor eſt Cæſar, ante adventum ſuum in Galliam Æduos ipſos bis victos ſub Sequanorum ditione atque imperio fuiſſe, aut veriùs Arioviſti Germanorum Regis; civitatem Senonum antiquitùs in Æduorum fide fuiſſe; Carnutes in Remorum clientela. Non ideò tamen Seguſiani & Boii Æduorum, quorum clientes erant, nec Cadurci, Gabali atque Vellavi Arvernorum, quorum ſub imperio eſſe conſueverant, nomine cenſebantur, aut ipſorum pars exſtiterunt: ſed non minùs quàm Arverni & Ædui, ipſi per ſe populi erant. Quare C. Plinius Secundus in Naturalis Hiſtoriæ libro IV. inter Lugdunenſis Galliæ populos *Boios*, & *Seguſianos liberos, in quorum agro colonia Lugdunum*, numerat: *Boios* in Gallia memorat & Tacitus. Strabo Lugdunum præſidere Genti Seguſianorum tradit; Claudius Ptolemæus eoſdem Seguſianos Galliæ Lugdunenſis populis adnumerat, eiſque urbes tribuit Forum Seguſianorum & Rodumnam. Similiter Cadurci, Gabali, atque Vellavi à Strabone atque Ptolemæo Aquitaniæ gentibus adſcribuntur. Cadurcorum & Gabalum inter Aquitanicæ populos meminit & Plinius; Vellavorum neſcio quam ob cauſſam non meminit. Quis igitur dubitet Seguſianos, Cadurcos & Gabalos, ac Vellavos, quales à veteribus Geographis deſcribuntur, non tantùm ante adventum Julii Cæſaris, ſed etiam à prima origine Galliarum populos exſtitiſſe? Quæ ſi vera ſunt de his, qui in potentiorum populorum clientela, aut etiam ſub eorum erant imperio: (ut haud dubiè ſunt veriſſima) quanto magis idem de *Tricaſſibus*, de *Pariſiis* & *Meldis*, populis liberis ac nemini ante Cæſaris adventum parentibus affirmare poſſumus, ipſos per ſe ſingulos ac ſuo nomine Galliæ populos fuiſſe; nec *Tricaſſes* & *Pariſios Senonum*, *Meldos Pariſiorum* umquam partem exſtitiſſe? Quos *Tricaſſes*, *Pariſios* & *Meldos* à Strabone, à Plinio atque Ptolemæo inter Galliæ Lugdunenſis populos non minùs quàm *Senones* numerari conſtat. At Tricaſſium (inquit Samſon) non meminit Cæſar. non meminit & Meldorum. Quid inde? Ideone Senonum à Cæſare memoratorum ambo portio fuere? Quaſi Cæſar omnium Belgicæ & Lugdunenſis Galliæ ac Aquitaniæ gentium mentionem fecerit. An Abrincatuos, an Viducaſſes, an Vadicaſſes in Celtica com-

memorat ? An Bituriges Viviſcos, Aquitanos vel Aquenſes, Convenas, Conſorannos, Lactorates in Aquitania ? An in Belgica Toxandros, Verunos, Silvanectes ? ne de ceteris loquar. Dicat Samſon etiam omnes iſtos populos, quoniam à Cæſare omiſſi ſunt, aut tum omnino nullos fuiſſe, aut partem majorum aliquarum gentium fuiſſe, ac ſub earum veluti nominibus latuiſſe. Quòd ſi Livius tradidit, Belloveſo duce Bituriges, Arvernos, Senones, Æduos, Carnutes & Aulercos, nimirum Eburovices, primùm in Italiam tranſiiſſe, quos deinde Cenomani & Lingones, ac noviſſimi Senones imitati ſint ac ſecuti: cur tanti Hiſtorici auctoritati non acquieſcemus ? Cur ut toti ferè Galliæ hujuſce tranſitûs gloriam aſſignemus, gratis comminiſcemur & affirmabimus Bituriges, Arvernos, Senones, Æduos, Carnutes & Aulercos qui primi Alpes tranſgreſſi ſunt, ſingulos poſtea in binos aut ternos populos eſſe ſubdiviſos ? Aut cur non potiùs credemus, quod ait Livius, potentiſſimos iſtos Galliæ populos, & prægravi domi turba laborantes, vel ſolos in Italiam exercitus coloniaſque miſiſſe, vel ex ignobilibus humilibuſque populis finitimis pauciſſimos ſecum armatos trans Alpes duxiſſe, qui ut memoriâ digni non erant, ob id à Livio ceteriſque Hiſtoricis ſint prætermiſſi.

Notandum eſt, quod in libro VII. ſcribit & Cęſar, cùm ad Aleſiam obſidione Romanorum liberandam armatur Gallia, & certus cuique civitati numerus imperatur, *imperata eſſe Turonibus & Pariſiis & Helvetiis ſena millia;* Curioſolitibus, Redonibus, Caletis, Oſiſmiis, Unellis itidem ſena; Ambianis, Mediomatricis, Petrocoriis, Nerviis, Morinis, Nitiobrogibus V. millia; Aulercis Cenomanis totidem; Atrebatibus quatuor millia; Veliocaſſis, Lexoviis, Aulercis Eburovicibus terna. Ex quo judicari poteſt quæ jamtum eſſet *Pariſiorum* potentia, qui Helvetiis, Turonibus, Redonibus, Oſiſmiis, Curioſolitibus, & Caletis Unelliſque, nobilibus populis æquarentur; Ambianis, Mediomatricis, Nerviis, Morinis, Nitiobrigibus, Petrocoriis, Cenomanis, Atrebatibus, Veliocaſſibus, Lexoviis & Eburovicibus, claris & validis Galliæ Gentibus etiam anteferrentur. Æquatos illis dico *Pariſios*, quibus parem armatorum numerum contulerunt; prælatos his, quibus majorem.

Sunt (ut ait Ptolemæus) *Periſi* vel Pariſi, Παρίσοι in inſula Britannia ad ſinum quem *μέγαν εὐλίμενον* vocat, & urbs eorum *Petuaria*, Πετουαρία: quos credere poſſumus ex *Pariſiis* noſtris ortos eſſe. Multos enim cùm ex Belgio tum etiam ex Celtica in inſulam Britanniam prædæ cauſsâ tranſiiſſe, & ibi remanſiſſe, ac nomina civitatum ſuarum ſervaviſſe, & Julius Cæſar, & vetera nomina urbium Britanniæ apud Ptolemæum priſcoſque Geographos & in Itinerariis provinciarum Imperii Romani docent.

Pariſii unde nomen habeant, haud facile dictu eſt. Quis enim apud nos veterem Gallorum linguam notam nunc habet ? Nomen autem Gentis Gallicæ Gallicum utique haud dubiè, niſi cui Gallici ſermonis notitia ſit, intelligere ac interpretari nemo poteſt. Abbo tamen Monachus qui Luteciam à Nortmannis oppugnatam annis DCCCLXXXVI. & DCCCXXCVII. miſerabili carmine deflevit, obſidionique ipſemet interfuit, *Pariſios*, cum populum tum urbem maximè, ab *Iſia* urbe totius Græciæ media, portu commercioque inclita, ſed Geographis omnibus veteribus ac recentioribus planè incognita, dictos eſſe ait, quaſi *pares Iſiæ*.

> Dic alacris ſalvata Deo Lutecia ſummo.
> Sic dudum vocitata; geris modò nomen ab urbe
> Iſia, Danaûm latæ mediâ regionis.
> *Iſiæ* quaſi *par* merito polles tibi conſors.

Rigordus in Geſtis Philippi Aug. Francorum Regis *Pariſios* à Troianis deducit, quorum XXIII. millia *ſedem ſuam Luteciæ conſtituerunt, & à Paride Alexandro filio Priami ſibi nomen impoſuerint, Pariſioſque ſe vocaverint, ſatis ſimplicem vitam ibidem longo tempore ducentes. Vel ſecundùm alios* (inquit) *dicti ſunt Pariſii à Græco nomine Pariſia,* (Παρρησία) *quod interpretatum ſonat audacia.* Idem refert in ejuſdem Regis Vita Guillelmus Armoricus, ſed poſteriorem interpretationem approbat magis. *Sibi à Paride filio Priami nomen Pariſios impoſuerunt: vel potiùs ἀπὸ τῆς Παρρησίας quod ſonat audacia, vocati ſunt Pariſii.*

> Et ſe Parthiſios dixerunt nomine Græco,
> Quod ſonat expoſitum noſtris audacia verbis.

Ut etiam in libro primo Philippidos ſcribit. Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum Rigordum Guillelmumque tranſcribit, & *Pariſios à Paride filio Priami, vel à Parrheſia Græcè, quæ eſt audacia Latinè*, vocatos tradit. Amant certè *Pariſii* noſtri loquendi & quodcumque libeat dicendi carpendique libertatem, ac ſummorum labrorum tenus audaces ſunt, plerumque verbis feroces, impares factis: quod accolis Sequanæ & Ligeris, ſive Armoricis olim tributum reperio. Unde & in veterrimis Plinii Secundi exemplaribus ante annos CL. editis *Parrhiſii* reperiuntur, nomine ad *παρρησίαν* accedente. Sed quemadmodum ſuprà diximus, nec *Pariſii* orti ſunt à Troianis; nec à *Paride Pariſii*, aut ἀπὸ τῆς παρρησίας Parthesii aut *Parrhiſii* cognominati ſunt; neque à templo Iſidis, quaſi *παρ' Ἴσιδος Pariſii* dicti: cùm interpretationem nominis Gentis Gallicæ non apud Troianos nec in Græcia, verùm nuſquam alibi quàm in Gallia quæri conveniat.

Pariſiorum nominis ſyllaba prima apud Ericum, apud Abbonem & Guillelmum Armoricum longa eſt, ſecunda brevis: cùm è contrario primam brevem eſſe debere, ſecundam longam doceat Fortunatus, qui ante annos mille & octoginta floruit, cujus hi ſunt verſus

> Celſa Pariſiaci Cleri reverentia pollens.
> Ipſe Pariſiaca properat Dionyſius urbe.

Et Cæſar quidem in libro VI. ac VII. *Pariſios* Senoneſque conjungit, atque amborum ſimul mentionem facit: itavt cùm initio libri II. Senones *Gallis* vel Celtis *qui finitimi*

Belgis erant, diſertis verbis adnumeret, idem de *Pariſiis* haud dubiè ſentire videatur. Certè qui in libro II. inter Belgarum populos *Pariſios* non numerat, & qui initio libri I. Commentariorum Celtas ſeu Gallos a Belgis Matronâ & Sequanâ dividi aſſerit, is planè non Belgis, ſed Celtis *Pariſios* adſcribere cenſendus eſt: quorum opidum caputque *Lutetiam* poſitum fuiſſe in inſula fluminis Sequanæ, ripæ Celticæ quàm Belgicæ propiore, nemo neſcit. Strabo qui Narbonenſem Galliam & Aquitaniam utcumque deſcripſit, Celticam Galliámve Lugdunenſem, & Belgicam ita in unum miſcet atque confundit, ut alteram ab altera ſecernere, & utri Pariſios accenſeat diiudicare non poſſis. Quippe Morinis, Bellovacis, Ambianis, Sueſſionibus & Caletis Belgicæ populis (ex quibus Caleti poſtea Galliæ Lugdunenſi ſunt attributi) *Pariſios*, Meldos, Lexovioſque tamquam unius ejuſdemque provinciæ populos continuò ſubjicit, quos ſemper in Lugdunenſi Gallia omnes Geographi poſuerunt. Περὶ τὸν Σηκουάναν ποταμόν εἰσὶ καὶ οἱ Παρίσιοι, νῆσον ἔχοντες ἐν τῷ ποταμῷ καὶ πόλιν Λουκοτοκίαν. *Ad flumen Sequanam ſunt Pariſii, & inſulam habent in flumine atque urbem Lucotociam.* Plinio in Gallia Lugdunenſi *Parriſii* inter *Meldos* & *Trecaſſes*: Claudio Ptolemæo *Pariſii* in eadem Lugdunenſi Gallia, & *urbs Pariſiorum Lucotecia*: Παρίσιοι, καὶ πόλις Παρισίων Λουκοτεκία.

Pariſiorum ager, aliis *Pariſiacus terminus*, aliis *pagus Pariſiacus* appellatur. Gregorius Epiſcopus Turonicus in libri Hiſtoriæ Francicæ VI. capite XIV. ſcribit, *in Pariſiaco termino verum ſanguinem ex nube defluxiſſe, & veſtimenta multorum hominum horrendo tabo maculaviſſe*. In Geſtis Regum Francorum Dagobertus *mortuus eſſe* dicitur *in Spinogilo villa in pago Pariſiacenſe*. Spinogilus autem vicus poſitus ad ripam Sequanæ, non multum abeſt à Baſilica & Monaſterio B. Dionyſii Martyris, quod *Franciæ* accenſetur. Geſta Dagoberti Francorum Regis *Clippiacum ſuperius, Idcinam, Salicem* ſeu *Aquamputam* vicos in *pago Pariſiaco* ponunt: Hincmarus quoque de Vita Remigii *villam Novientum* quam Baſilicâ auctam Chlodoualdus Regalis Preſbyter Eccleſiæ Pariſiacæ matri ſuæ donavit, & quæ ab ipſo ibi ſepulro nomen nunc habet, *pago Pariſiaco* attribuit. In Capitulis Caroli Magni, anno regni ejus II. Chriſti DCCLXX. latis *Pariſiacus Melcianuſque*, hoc eſt Meldicus junguntur, item in Capitulis Silvacenſibus anni DCCCLIII. *Pariſiacus* & *Melcianus* pagi: apud Nithardum in libro I. *Caſtrenſis* & *Pariſiacus*. Ex quo intelligitur veteres noſtros ſcriptores nomine *pagi Pariſiaci* non totos Pariſiorum fines totámve Diœceſin Pariſiacam deſignaviſſe, cùm Caſtra *paguſque Caſtrenſis* hodieque *Pariſiorum* ſint, uti ante annos octingentos erant, & Eccleſiæ Pariſiacæ Antiſtiti pareant. Odo in libro de Vita Burchardi Comitis caſtellum *Corboilum*, quod hodieque *Pariſiorum* exſiſtit, & Pariſiacæ Diœceſeos finibus continetur, cum quibuſdam vicis proximis in *pago Pariſiaco* collocat his verbis. *Sunt autem ipſæ res non magnæ ſitæ in Pariſiacenſi pago non longè à caſtello Corboilo, ſed in circuitu ejuſdem caſtri: hoc eſt in villa quæ vocatur Licias, villulam quæ dicitur Burgunnaria, item prope caſtrum Farinarium quod vocatur Tolvia. Cetera verò ſunt contra caſtellum S. Exſupery, & in juniori & in veteri Corboilo, & in Atteias, & in Soſiaco, atque in Sintrio.* Hos vicos nunc vulgo vocant *Lices, Attes, Soiſi, Sentri*. Sugerius quoque in Vitæ Ludovici Craſſi Francorum Regis capitulo VIII. *Corboilum* quod *Curbolium* vocat, *Montem Leotherici* & *Caſtellum Forte* in *pagi Pariſiaci* extremis finibus ſtatuit verbis diſertis, quæ talia ſunt. *Cumque à fluvio Sequanæ Curbolio, medio via Monte Lebery, à dextra Caſtello Forti pagus Pariſiacus circumcingeretur: inter Pariſienſes & Aurelianenſes tantum confuſionis chaos firmatum erat, ut*, &c. Hodieque *Corboilum* pæne extremis *Pariſiorum* in finibus poſitum eſt; *Mons Leotherici* & *Caſtellum Forte* non item; cùm *Caſtris* & *Caproſiæ* id potius conveniat.

Pariſii à ſiniſtra ripa Sequanæ ad fines Carnutum & Senonum ac Meldos pertinent; à dextra ciuſdem fluminis ripa quatuor populorum Diœceſibus coartantur, Meldorum, Silvanectum, Bellovacorum, & Velocaſſium ſeu Rotomagenſium: è quibus Velocaſſes & Meldi Celticæ Lugdunenſive Galliæ, Bellovaci ac Silvanectes Belgicæ adſcribuntur. Quæ ad ſiniſtram ripam fluminis ſunt Pariſiorum, in Celtica; quæ ad dextram, in Belgarum finibus propriè conſiſtunt. Quæ tamen inter dextrum Sequanam & lævum Matronam Pariſiacæ Diœceſeos ſunt in Briegio, Celtica ſunt: itaut *Pariſii* ſemiceltæ ac ſemibelgæ dici poſſe videantur.

Intra *Pariſiorum* fines fluunt Sequana, & Matrona, ac Iſara, flumina Galliæ clariſſima & maxima: & minores fluvii, vel potiùs amniculi, Crodoldus *le Crou*, qui Rodonum recipit, *Rone*; Edera *Jerre*; Bevera aut Beveris, *fluvius Biber* Aimoino, *Bievre* vulgò dictus; Urbia qué vulgò *Orgiam* nuncupamus, *Orge*, qui Iveram & Remandam vel Remardam recipit; & Junna *Jaine*; necnon Separa, aliis Savara, *Sevre*, qui vico nomen ſuum dedit, & in Sequanâ olim non procul à Novigēto effluebat. Edera vicum cognominé alluit, ut & Bevera.

Finibus *Pariſiorum* nunc continentur à dextra ſeu Belgica ripa Sequanæ *Francia* propriè dicta, *la France*, non tamen tota, à qua multa loca cognomen accipiunt, & quam aliqui ad utramque fluvii ripam ponunt: *ager Pariſiacus*, (*le Pariſis*) veteris pagi Pariſiaci vix quinta portio, à quo & multi vici cognominantur: *Alnetum*, (*l'Aunay*) à vico alnis quondam abundante Alneto, *Aunay* dictum: à ſiniſtra ſeu Celtica ripa Sequanæ *pagus Joviacenſis*, vulgò nuncupatus *Joſas*, aliàs *Huripenſis*; & *pagus Caſtrenſis*, quorum alter Joviaco *Joüy*, alter Caſtris *Chaſtres* nomen ſuum debet: *Vallis Galliæ*, *le Vau de Gallie*, à Gaudii Valle Abbatia (*Jyre en Val*) & Meo Gaudio (*Monjoye*) uſque ad Verſalias & Monaſteriolum, ac vicum S. Chlodoaldi pertinens: atque inter Sequanam & Matronam *pars pagi Briegenſ.* vel *Briegy*. *Francia* autem vocatur ager Lutetiæ Pariſiorum proximus, ſive quòd ſit particula

veteri

veteris Neuſtriæ vel Franciæ Occidentalis, inter Moſam & Ligerim quondam jacentis, quæ *Francia* propriè nuncupabatur: ſive quòd ſit exigua portio Inſulæ Franciæ, regionis in veteri Neuſtria aut Francia occidua poſitæ, & Sequanâ, Matronâ, Axonâ ac Iſarâ ex una parte; ex altera eiſdem Sequanâ, Iſarâ, Tarâ & Ittâ more inſulæ ferè undique clauſæ. Quamquam aliqui *Inſulam Franciæ* multo minorem faciunt: pagum autem Pariſiacum (*le Pariſis*) à porta urbis Luteciæ hinc ad Brivam Iſaræ, inde ad Cloiam (*Claye*) pertinere aſſerunt.

Veteres tabulæ & Chartularia Eccleſiæ Pariſiacæ, ſcriptoreſque priſci rerum noſtrarum caſtella *in Pariſiis* ponunt aliquot, quæ heic ſunt recenſenda.

BRAIA in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi ponitur in vetere Polyptycho: quam recentior Catalogus à Jacobo Brolio vulgatus corruptè *Briam Comitis Roberti* appellat, & in Decanatu Veteris Corboili ſub Archidiacono Briegii collocat. *Braia* vocatur & in antiquitatum noſtrarum monumentis. *Caſtri Braia* meminit quoque Rigordus his verbis. *Anno Domini* MCXCI. *Philippus Rex exſiſtens apud S. Germanum de Laia, auditâ cujuſdam Chriſtiani morte ignominioſâ à Judæis perpetratâ, ad caſtrum quod Braiam vocant velociter venit, & poſitis in portis ipſius caſtri cuſtodibus, comprehenſos Judæos olloguta & eo ampliùs fecit comburi. Comitiſſa enim ipſius caſtri tradiderat eis quemdam Chriſtianum*, &c. *Comitiſſâ caſtri Braiæ* vocat Rigordus impropriè, Comitiſſam Drocarum & Brenæ, quæ *Braiæ* domina erat. *Braia* enim non Comitatus, ſed dominium erat, & à Roberto majore Comite Drocarum, Ludovici Craſſi Francorum Regis filio, atque à Roberto juniore vel ſecundo, Roberti majoris filio, Comite Drocarum unà cum Torcaaco caſtro in Briegio per annos circiter octoginta poſſeſſa eſt uſque ad annum MCCXVIII. atque ab altero eorum *Braia Comitis Roberti* cognominata, quòd Roberto Comiti Drocenſi diu paruerat. Vulgò *Braye Comte Robert*, aut *Bray Comte Robert*; in pleriſque tabulis Geographicis *Bri Conte Robert* corruptè. Legi litteras Roberti minoris, domini Drocarum & *Braiæ*, & Jolendis Comitiſſæ uxoris ejus, datas anno MCCIX. ut & litteras *Philippi Bellovacenſis Epiſcopi, fratris Nobilis viri Comitis Roberti, domini Drocarum & Braiæ*, de compoſitione inter ipſos & Petrum Pariſ. Epiſcopum *ſuper donatione Præbendarum S. Thomæ de Lupera Pariſ.* Ab luto nomen accepit, quod Galli noſtri *Braium* appellavere. VVillelmus Britto in libro I. Philippidos de *Braia* ſic ſcribit.

> Terra Brienſis habet caſtellum nominé Braiam:
> In quo Judæos plures Comitiſſa Brenenſis
> More ſuo nummos dantes ad fenus habebat.

BRUERIÆ ad Remandam ſitæ non procul à Caſtris Urbienſibus, à myricis nomen habent, quas vulgus bruerias *bruieres* appellare conſuevit: ut & vicus in pago Pariſiaco Bruerix, *les Bruieres*; & *Alta Bruería* Monaſterium Virginum Font braldenſium ei vico proximum, in Vita Petri Tarentaſienſis Archiepiſcopi qui anno MCLXXI obiit, celebratum à Gaufrido, *Hautes Bruieres* vel potiùs *Haute Bruiere*, à ſilvæ Aquilinæ myriceto in quo ſunt, appellationem trahunt. *Bruería* noſtræ Remandenſes vel ſolo vulgari cognomine teſtantur ſe caſtellum fuiſſe. Vocitantur enim *Bruieres le Chaſtel*, vel *Brieres le Chaſteau*. In Catalogo recentiore quem Jacobus Brolius edidit, *Bruericum caſtrum* nuncupatur hic locus in Decanatu Caſtri Fortis; in vetere Polyptycho MS *Bruería* prope Villã Juſtam & Gomedum Caſtrum in ſupradicto Decanatu. In MS. Catalogo Abbatiarum & Prioratuum Diœceſeos Pariſiacæ qui veteri huicce Polyptycho ſubjicitur, ponitur *Prioratus Bruerïarum* in Decanatu Maciaci.

CAPROSIA ad flumen Ivetam, *Chevrenſe*, à capratum multitudine haud dubiè Latinum ſuum nomen accepit, *Caproſia* dicta quaſi *caproſa*. In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ quod in anno MCCXCII. deſinit, *caſtrum & caſtellania Caproſia* præter cetera inter *Feuda Pariſienſis Epiſcopi*, ſedente Odone Antiſtite refertur. Ibi hæc legimus. *Anno* MCCXXVIII. *Guido Dominus Caproſiæ fecit hominagium ligium VVillelmo Pariſienſi Epiſcopo de tota caſtellania Caproſiæ, & fuit inveſtitus per annulum aureum.* Item. *Iſti ſunt qui portaverunt Dominum VVillermum Parſ Epiſcopum, videlicet dominus Johannes de Soiſeio pro domino Guidone de Caproſia qui infirmabatur: & juravit ſe habere mandatum. Anno* MCCLXVIII. *die, præſentibus, fecerunt homagium D. Stephano Pariſ. Epiſcopo qui infrà ſcribuntur: dominus Herveus, dominus Caproſia, qui fuit inveſtitus per annulum aureum.* Hic portat. Appendix Chronici Guillelmi Nangiacenſis in anno MCCCIV. *Anſellum Comitem, dominum Caproſiæ* memorat, *virum fidelem ac ſtrenuum probataque militia, Regis Vexilliferum, ſeu deferentem Auriflammã.* In veteri Polyptycho MS. quod huic Chartulario ſubjectum eſt, hæc de *Caproſia* reperio. *In Decanatu Caſtri Fortis, de donatione domini Caproſia Capella dua turris Caproſia: Capella leproſorum Caproſia*, ad Epiſcopum Pariſienſem pertinens; *Eccleſia Caproſiæ* ad Abbatem Burgolii. Polyptychon excipit Catalogus Abbatiarum & Prioratuum Eccleſiæ Pariſiacæ MS. in Decanatu Maciaci *Prioratum Caproſiæ* ponens. *Caproſia* nunc novi Ducatûs caput eſt.

CASTRA à re nomen habent, & ita dicta ſunt quòd ibi caſtra metati ſint olim Romani, atque ex eis poſtea oppidum factum fuerit, ad caſtra vallo & foſſa munita ex proximis vicis undique confluentibus accolis, muroſque caſtris circumdantibus, ut eſſent ab omni hoſtium incurſione & oppugnatione tutiores. Quod ſæpe à provincialibus factum eſſe obſervo. Erant enim caſtra Romana urbium ſimillima, ſi muros excipias: cùm & quatuor ut plurimùm haberent portas, & aggere ac vallo atque foſſa circumdata, viiſque v. ſecta quadratâ formâ, ac opportunis in locis fermè poſita eſſent. Inde originem habuere *Caſtra Lælia*, & *Caſtra Cornelia* in Africa minore ſeu propriè dicta, locus Pu-

blii Cornelii Scipionis copiis quondam inſeſſus : *Caſtra Nova* in Mauritania ; *Caſtra* vel *Ad Caſtra*, in Norico locus à Ponte Æni millibus paſſuum CL. diſtans ; & *Caſtra* in Macedonia proxima Heracleæ. Auguſtus Cæſar Cantabros & Aſtures montibus deduxit, & (uti ait Florus) *fiduciam montium timens in quos ſe recipiebant, caſtra ſua ſed quæ in plano erant, habitare & incolere eos juſſit.* Et ut ad noſtros Gallos revertar, *latrones & convenas Cn. Pompeius, edomitâ Hiſpaniâ ad triumphum redire feſtinans, de Pyrenæi jugis depoſuit, & in unum opidum congregavit : unde & Convenarum urbs nomen accepit* : quemadmodum adverſus Vigilantium ſcribit Hieronymus. Unde *in opidum contributos Convenas* Plinius appellat : quos in caſtris ſuis quæ in plano erant, Pompeius haud dubiè collocavit. Jam *Vetera* ad Rhenum flumen, ſeu *Caſtra Vetera* locum apud Tacitum non ſemel memoratum, & *Caſtra Ulpia* locum Veteribus proximum, nemo neſcit caſtra fuiſſe legionum Romanarum, ripæ Rheni prætentarū oppoſitarumque Germanis, quæ ex caſtris opida evaſerint. Idem ſentiendum eſt de *Caſtris Conſtantiis* urbe provinciæ Lugdunenſis II. de *Caſtris Albienſium* in provincia Aquitania I. de *Caſtris* in Briegio, & de *Caſtris* noſtris Tranſſequanis : quæ vetus polyptychon ponit in Decanatu Linarienſi, recentius in Decanatu Montis Letherici, Catalogus Abbatiarum & Prioratuum Diœceſeos Pariſiacæ in Decanatu Montis Gemelli : qui unus idemque eſt Decanatus, varias variis temporibus ſedes ſortitus. *Caſtra ſub Monte Letherici* à ſitu vocat Guillelmus Nangiacenſis in Geſtis Ludovici IX. Franc. Regis : quæ vulgò *Chaſtres* abſolutè, & nonnumquam *Chaſtres ſous Montleheri* à Noſtris dicuntur. Abſunt enim à Monte Letherici millia paſſuum vix quinque. *Caſtra* ad flumen Urbiam poſita, duas habent Eccleſias, alteram S. Germani, alteram S. Clementis, quæ parœcia, & cella ſimul eſt ſive Prioratus, ad Abbatem Foſſatenſem olim pertinens. *Caſtrenſi pago*, quæ pars eſt pagi Pariſiaci, *Caſtra* nomen dedere. Hunc pagum in Vitæ S. VVandregiſili Abbatis capite XVIII. *territorium Caſtrinſe*, id eſt *Caſtrenſe* appellari reperio. *Celebrata ea fuit in territorio Caſtrenſe, in eo palatio, quod deminutivo vocabulo cenſetur Palatiolum.* Palatiolum ergo pago *Caſtrenſi* olim attribuebatur : quod à *Caſtris* leugas abeſt plus minùs IV. necnon etiam pars ſilvæ Aquilinæ, & in ea locus S. Arnulfi cæde, tumulo, ac nomine illuſtris, *S. Arnoul en Jveline* : ut Sigebertus docet. Nithardus in libro I. pagum *Caſtrenſem* inter *Stampenſem* & *Pariſiacum* medium facit, qualis hodieque eſt : Carolus Calvus in Capitulis Silvacenſibus, ſimiliter pagum *Caſtriſum*, id eſt *Caſtrenſem* inter *Stampiſcum* & *Pinceſiſum*, hoc eſt inter Stampenſem & Pinciacenſem pagos ponit. *Pagus* ergo *Caſtrenſis* præter cetera Palatiolum, Orceium, Marcocias, *Montem Letherici*, Linaria, *Caſtra*, Tortam Fagum, Villam Juſtam, Gomedum Caſtellum, Gomedum Villam, Fontanetum, Bruerias Caſtellum, Limogias, Forgias ſeu Fabricas, & vicum S. Arnulfi in Aquilina continebat.

Corbinianus VValdechiſi filius ortus eſſe *ex regione Melitonenſi, natus in vico qui vocatur Caſtrus*, dicitur Ariboni, & primus apud Baioarios Noricum incolentes in caſtro Friſinga Epiſcopatûs ſedem ſtatuiſſe, ac multa admiranda geſſiſſe. Quod ſi de *Caſtris* Urbienſibus verè ſcripſit Aribo, credendum eſt *Caſtra* licèt Pariſiorum eſſent, pago Melodunenſi primùm eſſe attributa, ac deinde ei detracta, proprium & ſibi ſubjectū ſui nominis pagum habuiſſe. Sugerius in Geſtorum Ludovici Craſſi capite XVII. *Caſtras honoris Montis Leherij opidum* bis vocat : itaut eo etiam nomine *Caſtra ſub Monte Letherici*, hoc eſt ſub dominis Montis Letherici appellari potuerint.

CASTRA alia ſunt in Decanatu Veteris Corbolii ſub Archidiacono Briegii, *Caſtra in Bria*, id eſt in Briegio cognominata in recentiore polyptycho : quæ vetus polyptychon in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi ponit, & *Caſtra* abſolutè appellat, ejuſque loci Eccleſiam ad Priorem Cellæ pertinere docet. Vulgò *Chaſtres*, aut etiam *Chaſtres en Brie* Noſtri appellitant, hoc eſt *Caſtra Briegenſia*, ut diſtinguant à *Caſtris Urbienſibus*. Vicus nunc eſt in Briegio inque ultimis Pariſiorum finibus poſitus inter Turnomium & Vivarium.

CASTRUM FORTE dictum eſt, quòd eſſet natura & arte munitum ac validum, vulgò *Chaſteau-fort*. *Caſtellum-Forte* vocat Sugerius, Abbas Monaſterii S. Dionyſii, in Geſtis Ludovici Regis Francorum cognomine Craſſi his verbis. *Cùm à fluvio Sequana Curbolio, medio via Monte Leherij, à dextra Caſtello Forti pagus Pariſiacus circumcingeretur : inter Pariſienſes & Aurelianenſes tantum confuſionis chaos firmatum erat, ut*, &c. Ibidem *Caſtellum Forte* iterum commemorat, ac cum Rupe Forti conjungit, Comitis olim ſede, quæ vulgò *Roche-fort en Iveline* dicitur. Erat igitur regnante apud Francos Ludovico Craſſo notum ac illuſtre in pago Pariſiaco *Caſtellum Forte* ante annos DL. Vetus polyptychon MS. meminit *Decanatus Caſtri Fortis*, in quo *Eccleſia Caſtri Fortis, ac Sancta Trinitas Caſtri Fortis*, ad Abbatem Burgolii pertinentes, & *Capella Leproſorum* ejuſdem loci ſint poſitæ. *Prioratum Caſtri Fortis* in Decanatu Maciaci collocat Catalogus MS. Abbatiarum & Prioratuum Eccleſiæ Pariſiacæ. Recentior Catalogus à Jacobo Brolio editus in Decanatu *Caſtri Fortis* duas parœcias *Caſtri Fortis* ponit. Certè hodieque *Caſtellum Forte*, licèt à Regibus noſtris pridem everſum fuerit, duas habet Eccleſias Baptiſmales cum Præpoſitura & Caſtellania. *Caſtellum Forte* Comitivæ olim caput exſtitiſſe, & Montem Letherici Comitem etiam ſuum habuiſſe, regnante apud Francos Ludovico Craſſo, ſcribit in Annalibus Nicolaus Ægidius : quod falſum puto : cùm nec *Caſtelli Fortis*, nec Montiſletherici dominos, Comites uſquam à veteribus dictos repererim.

CAUDA caſtrum memoratur in Chartulario ſcripto Eccleſiæ Pariſiacæ, ſæpe à nobis laudato ac ſæpe laudando, quod in anno M[illegible]XXCII. definit : in quo *Maciacum, burgus S. Marcelli apud S. Dionyſium*, id eſt ſub-

urbium ; *caſtrum & caſtellania Montai, caſtrum & caſtellania Confluenti, caſtrum &c. Turnonni, caſtrum &c. Luſarchiarum, caſtrum &c. Gornaij, caſtrum &c. Caudæ, villa Pilla, villa Charentonnum, caſtrum &c. Caproſiæ, caſtrum Corbolienſe, caſtrum Montis Letherici, caſtrum Firmitatis Adelaidis, Torciacum, villa Epiſcopi, aliqua apud Rodolium, Villeranum, Brittiniacum*, Feoda Pariſienſis Epiſcopi, ſedente tum Odone, eſſe dicuntur circa annum Chriſti MCC. *Caſtri Caudæ* meminit vetus polyptychon ſcriptum his verbis. *In Decanatu Latiniacenſi ac donatione Epiſcopi Eccleſia de Cauda.* Meminit & recentius polyptychon à Brolio editum, in Decanatu Latiniacenſi *Caudam in Bria* ponens ſub Archidiacono Briæ, hoc eſt Briegii. Vulgò dicitur *la Queuë*, è caſtro nunc vicus inter Combellos & Ambaellam, ita vocatus, quòd caudæ caninæ modo longus eſſet & anguſtus. Eugenius PP. III. in litteris datis anno MCXLVII. *Eccleſiam in caſtro quod dicitur Cauda*, numerat inter Eccleſias ad Pariſ. Monaſterium S. Martini pertinentes.

CONFLUENTES ISARÆ ET SEQUANÆ, vulgò à Patrona loci *Confluentes ad Sanctam Honorinam*, vel *Confluens S. Honorinæ* dicuntur, vulgò *Conflans*, vel *Conflans Sainte Honorine*. In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ *caſtrum & caſtellania de Confluento* numeratur inter *Feoda* ſeu beneficia *Pariſienſis Epiſcopi* : & ibidem hæc legimus. *Anno* MCCLXVIII. *die* 1. *præſentibus N. & N. Canonicis Pariſienſibus, fecerunt homagium domino Stephano Pariſienſi Epiſcopo Maheus* (id eſt Matthæus) *dominus Moranciaci de eo quod habet apud Conflans, & de eo quod habet apud S. Marcellum de S. Dionyſio : & fuit inveſtitus per annulum aureum. Hic portat. Portavit pro eo dominum Epiſcopum dominus Galterus de Chevriaco, qui venit cum litteris patentibus ad excuſandum eum. Anno* MCCLXXI. *in octavis Pentecoſtes Maheus* (*Mattheus* ibidem dictus) *Miles, dominus Montis Morantiaci, fecit duo homagia ligia de duobus feodis, & de his* II. *feodis fuit inveſtitus per* II. *annulos aureos* : qui & ob id *homo eſſe Pariſ. Epiſcopi, & debere duos Milites, ſumtibus Epiſcopi mittendos in exercitum* dicitur. Ibidem hoc caſtrum *Confluentium* nuncupatur ; in veteri polyptycho quod huicce Chartulario ſubjicitur, nunc *Coſtans*, nunc *Coſtant*. Quippe *Eccleſiam de Coſtans* à Cancellario Pariſienſi ; Gonſenvillæ, Villaris Adæ, Betemontis, Chauveri vel Calveriaci, & S. Gratiani Eccleſias à *Priore de Coſtant* donari conferrive, ibi reperio. *Prioratum de Confluentio* in Decanatu Sarcellæ memorat vetus catalogus Monaſteriorum Diœceſeos Pariſ. ſupradicto polyptycho attextus. Polyptychon à Iacobo Brolio editum in Decanatu Montis Maurentiaci *Confluentium Sanctæ Honorinæ* ponit.

CORBOILUM primò dictum videtur eſſe *Corbogilum*, ex quo *Corboilum*, ac poſtremò *Corbolium* ſcriptores noſtri fecerunt : uti ex Altogilo Altoilum & Altolium, ex Spinogilo Spinoilum & Spinolium, ex Nantogilo Nantoilum & Nantolium, ex Bonogilo Bonoilum & Bonolium, ex Vernogilo Vernoilum & Vernolium. *Corbogilum* autem nomen eſt Gallicum, compoſitum ex *Gilum*, & *Corbo*, ut *Corbo*, *Corbonenſis pagus*, *Corbilo* apud Strabonem, *Corbunacus* vel *Corbanacum* villa, *Corbeia*, *Curbio*. *Corbeil* vulgò nuncupatur, corruptè pro *Corbeüil*. O enim Latinum in *eu* Noſtri convertere conſueverunt. Sunt &, qui *Corbuel* & *Corboil*, ſcribant. Opidum vel potiùs caſtrum eſt Pariſiorum, ad Sequanæ & Iunnæ qui mutato nomine ibi Exona vocatur confluentem poſitum, veteris ante annos ſeptingentos Comitatûs caput. Quippe *Comes Corbolii caſtri Haimo* cùm deceſſiſſet, ducta ejus uxore Eliſabet, ab Hugone Rege Francorum *Corbolii* & caſtri Milidunı *Comes Regalis* factus eſt Burchardus, & *Comitatum Corbolienſis caſtri, ac Comitatum Milidunenſem* dum vixit obtinuit, ut Odo in Vita ejus ſcribit. Sugerius Abbas in Geſtis Ludovici cognomine Craſſi Francorum Regis *Comitem Corbolienſem Odonem, filium Burchardi ſuperbiſſimi Comitis* non ſemel commemorat, quem & *Corbolienſem Comitem* appellat, & à Stephano Comite interfectum acie eſſe tradit. Sæpe laudatum vetus polyptychon MS. in Decanatu Linarienſi *Eccleſiam S. Mariæ Corbolienſis* ponit, & *majorem* ejus *capellam cui adnexa ſit Cura* ; in Decanatu autem Morſiaci Epiſcopi *Eccleſiam Veteris Corbolii*. Catalogus Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ, qui ei polyptycho ſubjunctus eſt, in Decanatu Montis Gemelli *S. Guinailum Corbolienſem*, & *S. Johannem Bapt. Corbolienſem* Prioratus collocat. Polyptychon à Brolio vulgatum Decanatui quidem Montis Letherici ſub Archidiacono Ioſacenſi trans flumen Sequanam *Corbolium*, & *S. Guinailum Corboly* attribuit ; *Decanatui* autem *Veteris Corbolii* vel *Corbolii ſub Archidiacono Briæ* præter cetera loca *vetus Corbolium, cum ſuo ſuccurſu S. Iacobi in ſuburbiis Corbolii*. Nimirum flumen Sequana *Corboilum* duas in partes dividit. Pars major trans Sequanam poſita ſub Archidiacono Ioſacenſi in pago Hurepenſi, & in Decanatu Linarienſi vel Montis Gemelli, quem nunc Decanatum Montis Letherici vocant, Eccleſiam S. Mariæ, & S. VVenaili vel Guinaili, atque S. Iohannis Baptiſtæ Cellas ſeu Prioratus, magnam turrim & arcem, Noſocomiumque complectitur, & olim *caſtrum Corboilum* propriè vocabatur. Pars altera eaque minor, ſita cis Sequanam in Briegio ſub Archidiacono Briegii in Decanatu Morſiaci Epiſcopi, qui nunc Veteris Corboili dicitur, *Vetus Corboilum* appellabatur, ac hodieque nomen iſtud ſervat, Eccleſiamque Veteris Corboili, ac S. Iacobi Eccleſiam ſuburbanam continet. In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ *caſtrum Corbolienſe* numeratur inter feoda ſeu beneficia Pariſienſis Epiſopi, ſedente Odone. Sedebat autem Odo anno Domini MCC. qui in litteris datis anno MCCI. *Caſtellaniam Corboly* commemorat. Unde poſtquàm *Corboilum* & Mons Letherici Regibus noſtris ceſſere, quibus fuerant antè terrori, hæc ibidem legimus. *Iſti ſunt qui portaverunt dominum VVillelmum Pariſ. Epiſcopum : videlicet dominus Balduinus de Corbolio, & dominus Theobau-*

dus Macer. Milites deſtinati à Domino Rege pro Corbolio & pro Monte Letherici : pro Firmitate Aalidis dominus Anſellus de Gallanda. Item. *Anno Domini* MCCL. *Dominicâ poſt tranſlationem S. Martini portaverunt Epiſcopum Reginaldum Caſtellanus de Lupera, Bartholomæus de Coſtreio, & Guido Lupi pro domino Rege.* Quid his dici, quid ſcribi vanius, quid inſolentius poteſt? Hoc unum videlicet noſtris Epiſcopis deſuit, ut ab ipſis Francorum Regibus veherentur, & ut dominos ſuos pro militibus ſuis, pro hominibus jurejurando ſibi devinctis, pro vaſſis ſuis haberent. Corbolium Præpoſituram ſuam habet.

FOSSATUM BACAUDARUM, alias *caſtrum Bacaudarum*, & *locus Foſſatenſis*, in Vita Babolení Abbatis memoratur, *fiſcus* olim *Regalis*, ſeu villa publica atque fiſcalis: & Monaſterio veteri ejuſdē nominis illuſtratur, quod & *Sancti Mauri Foſſatenſe Cœnobium*, & *Monaſterium Foſſatum* dicitur, à quo Mauro locus nomen accepit. *Foſſati* autem nomine recentiores deſignavere caſtra, quòd eſſent aggere ac latâ foſsâ munita. *Caſtrum Bacaudarum Foſſatum* dictum Chlodoveus junior Francorum Rex Blidegiſilo Archidiacono Eccleſiæ Pariſiacæ petenti dediſſe fertur: ubi ille baſilicam S. Mariæ, & Petro ac Paulo Apoſtolis molitus ſit, Monaſteriumque ædificaverit, cujus Abbas à Chlodoveo Babolenus fuerit cōſtitutus. Quare Burchardus Comes Meloduni atque Corbolii agnoſcit, *Eccleſiam Foſſatenſis Cœnobij Regali ſubditam dominio, Regumque fiſcum eſſe*: & Hugo Francorum Rex, *cùm conſtet Regalem ſemper fuiſſe Abbatiam*, negat à ſe eam Burchardo petenti ex toto poſſe donari. A Foſſato vel Foſſatis *Monaſterium Foſſatenſe* unà cum vico ipſo dicitur *Monaſterium S. Mauri de Foſſatis*, *S. Maur de Foſſez*, ob tranſlatas eò (ut aiunt) ex Glannafolio B. Mauri Levitæ & Abbatis reliquias: & baſilica Monaſterii Foſſatenſis, quæ antea *Eccleſia B. Petri* nuncupabatur, ut docet Odo Abbas in libro Miraculorum B. Mauri, *Eccleſia S. Mauri* cœpit eſt appellari. Anno regni Chlodovei minoris V. Chriſti DCXLIII. Audobertus Pariſiorum Epiſcopus Monaſterium Foſſatenſe in Babolení Abbatis gratiam ditioni ſuæ ac ſucceſſorum ſuorum exemiſſe dicitur ac immunitate donaviſſe: cui privilegio ipſe cum XI. Epiſcopis cumque Rege Chlodoveo Luteciæ ſubſcripſerit. Habent Foſſatenſes vicani ſuam Eccleſiam baptiſmalem ſeu parœcialem, S. Nicolai titulo inſignem. Ad *Monaſterium Foſſatenſe* pertinent Cellæ ſive Prioratus, Monaſteriorum in Carnutibus, (*Monſtiers*) S. Clementis in Caſtris, S. Johannis Baptiſtæ in caſtro Corbolio, S. Dionyſii in caſtro Turnomio: Eccleſiæ Oratorii, (*Oſoir la Ferriere*) Ferreolenſis, S. Hilarii Varennenſis, Manſionum, (*Maiſons*) Nobiliaci, (*Neüilly*) Nuceti, Brociæ, (*la Broſſe*) Buſciaci, (*Boiſſy*) Capella vetus, & Capella nova, ac ſupradicta Eccleſia S. Nicolai de Foſſatis in Decanatu Calenſi. Litteras Chlodovei Franc. Regis junioris profert Jacobus Brolius, in quibus Rex *Blidegiſilo Diacono conceſſiſſe* ſe ait *terram in Pariſiacenſi pago conſiſtentem, illum videlicet caſtellionem qui Foſſatus dicitur, & quem vulgari lingua caſtrum Bagaudarum appellat, ſuper fluvium Maternæ ſitum, habentem ab introitu ſuo uſque in alveum Maternæ buinaria* XII. *cum tota terra vocabulo Varenna, quæ eſt in circuitu ipſius caſtellionis, & quam Materna gyrat, & foſſatus aquæ concludit.* Ut ex caſtro caſtellum per deminutionem fit, ſic ex caſtello caſtellio.

GOMEDUM CASTELLUM, eo cognomine à *Gomedo villa* diſtinguitur, vulgò *Gomets le Chaſtel*. *Gomed caſtrum* vocat vetus polyptychon, *Eccleſiam Gomed caſtri* in Decanatu Caſtri Fortis ponens, ad Abbatem Salmurenſem pertinentem. *Gomets caſtrum*, vel potiùs *Gometum caſtrum* in Decanatu Caſtri Fortis memorat & catalogus à Iacobo Brolio vulgatus. *Caſtrum Gumet* Teulfus in libro II. Chronici Mauriniacenſis vocat. & à Rege Ludovico Craſſo captum eſſe ſcribit.

GORNACUM, *Gournay*, caſtellum olim fuit ad flumen Matronam in agro Pariſiaco; in epiſtola Stephani Pariſienſis Epiſcopi ad Gaufridum Carnutenſem Epiſcopum data anno MCXXX. *Domini Stephani caſtrum quod Gornacum dicitur, inter Abbatiam Monialium quæ eſt Crelis,* (id eſt Calæ) *& Pariſios.* Suggerius Abbas Monaſterii S. Dionyſii mentionem ejus facit in Geſtorum Ludovici Francorum Regis cognomine Craſſi capite x. & *Gornacum caſtrum ſuper fluvium Matronæ ſitum, caſtrū muniriſſimum vallo arto & rigido, ſuperiùs glande inferiùs torrentis profunditate pene inexpugnabile* appellat: cumque Hugo de Pompona Miles ſtrenuus, Caſtellanus *Gornaci*, in via Regia vel publica mercatorum equos rapuiſſet ac *Gornacum* abduxiſſet: Ludovicus caſtrum & inſulam caſtro ſubjectam oppugnavit, ac Theobaldi Comitis Palatini fuſis fugatiſque copiis, Hugonem vana ſpe fruſtratum ad deditionem compulit, receptumque caſtellum Garlandenſibus commiſit, ut idem Abbas ſcribit. Sic Guido Rubeus Comes Rupis Fortis, ac filius ejus Hugo Creciacenſis *caſtrum Gornacum* amiſere: qui Guido Rubeus cum uxore Adelhaide circa annum MCXXIV. Monaſterium ibi dicitur extruxiſſe: cujus ad Priorem pertinent Eccleſiæ Noiſelli, Roiſſiaci, (*Roiſſi en Brie*) Bercheriarum (*Berchelles*) & *Capella Gornaci* in Decanatu Latiniacenſi, Eccleſia Exonæ in Decanatu Linarienſi, Eccleſia Oratorii in Decanatu Monaſterioli. *Caſtrum Gornay* cum caſtellania inter feuda Pariſ. Epiſcopi numerat Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ. Eugenius PP. III. in litteris datis anno MCXLVII. inter Eccleſias & Prioratus Monaſterii Sancti Martini Campenſis refert *Eccleſiam S. Mariæ extra caſtrum Gornai*; Lucius PP. *capellam Gorneij*, & *vetus Gorneium*. *Gornaium* vocant polyptycha Eccleſiarum, & catalogus MS. Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ, & *Prioratum Gornaii capellamque* loci in Decanatu Latiniacenſi commemorant. In eo loco pons eſt flumini Matronæ impoſitus, notatus in quibuſdam tabulis Geographicis nomine Pontis Gornacenſis, *Pont de Gournay*: qui in proverbii ludicrum venit. Nam Luteciæ plebeiæ mulierculæ ſi cui impudicitiam objiciunt, ita

loqui ſolent. *Hæc pontem Gornacenſem tranſiit, ac pudorem exhauſit. Elle a paſſé le pont de Gournay, elle a ſa honte beuë.* Nimirum *Gornacum* à Cala interfluente Matronâ vix tria millia paſſuum abeſt. Itaque olim Monachi Gornacenſes ad Calenſes Monachas vicinas ſuas ventitâſſe, interdum etiam ipſæ puellæ tranſito Matronâ ad Gornacenſes ſeſe contuliſſe dicuntur. Quod ſi qua ſeculer, tamquam quæ virum apertè quæreret, pontem Gornacenſem tranſiiſſe, ac pudorem omnem extinxiſſe & conſumſiſſe ferebatur. Hæc eſt haud dubie origo proverbii, poſtea ad quaſlibet libidinoſas feminas impudicaſque tranſlati. Eſt & Gornacum ad Ittam flumen in Veliocaſſium quibus attribuitur Bellovacorumque confinio, *Gournay*, Orderico Vitali in libro XII. Hiſtoriæ memoratum haud ſemel, & Rigordo aliiſque: à Guillelmo Armorico deſcriptum in Vita Philippi Auguſti, à quo captum eſt opidum illud anno MCCI. & in libro Philippidos VI. ubi *vicum populoſum, ditem, & triplice muro munitum* vocat. Gornacum item eſt ad Aronam, *Gournay ſur Aronde*, in finibus Bellovacorum. Arona autem fluviolus vel Arunda Monaſteria, (*Montiers*) Medianam villam, (*Moyenville*) Novumvicum, (*Neufvy*) Gornacum ubi ponte jungitur, & Montiacum Petroſum, *Monchi le Perreux* alluit, atque infra Compendium in Iſaram famæ majoris amnem effluit. Hugo Monachus de Vita Hugonis Abbatis Cluniacenſis, *virum illuſtrem Abbatem de Gornaco in Belnacenſi pago* commemorat, & in epiſtola ad Pontium Cluniacenſem Abbatem, in *Bellnacenſi territorio Gornacum ſuper Aronam* ponit.

LIURIACUM inter caſtra ſemel atque iterum numerat Sugerius in Geſtis Ludovici Craſſi his verbis. *Paganus de Montegaio querelâ caſtri Liuriaci deceptus, cùm uno menſe idem caſtrum clauſurâ dirutum, ſequente verò multo fortiùs pecuniâ Regis Anglici reſtitutum præcordialiter doluerit.* Item. *Rex Franc. Ludovicus feſtinato exercitu Liuriacum obſedit caſtrum, & erectis impugnatoriis machinis, frequenti invaſione crebro aggrediens impetu, fortiſſimè expugnavit, & fortiſſimum caſtrum funditùs ſubvertit.* Eugenius PP. III. in litteris datis anno MCXLVII. *Liuriacum* vocat, & inter Eccleſias ad Monaſterium Pariſiacum S. Martini pertinentes *capellam Liuriaci* numerat, atque Bunzeias cum Eccleſia. (*Bondis*) Catalogus MS. Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ in Decanatu Kalæ *Abbatiam Liuriaci* ponit. In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ quod in anno MCCXXCII. deſinit, legi litteras ante annos CCCCL. datas, in quibus *Liviriacum* bis nuncupatur ſeu *Liveriacum*, pro *Liberiacum*, quod verum & ſincerum loci nomen eſt à Liberio. Vetus polyptychon MS. *Livri* in Decanatu Monaſterioli collocat, ejuſque loci Eccleſiam, ut & Bunzeiarum vel *Bonzies* præ ceteris ad Priorem S. Martini de Campis pertinere indicat. Recentius polyptychon à Brolio vulgatum in Decanatu Calenſi *Liuriacum in Alneto* appellat. Vulgò dicitur *Livry en l'Aunay* [illegible] ſicuti librum *un livre*, libram *une livre* nuncupamus; liberare pro tradere *livrer*, deliberare *delivrer*, hoc eſt ſolvere ac liberare dicimus b. in u. converſo. Ab eo vico qui Abbatiâ inſignis eſt, ſilva proxima ſeu alnetum nomen accepit. Vocatur enim ſilva Liberiacenſis, *la foreſt de Livry*.

LUSARCHIÆ caſtellis quoque pagi Pariſiaci adnumerantur, vulgò *Luſarche*, in Pariſiorum quorum utique ſunt, & Bellovacorum Silvanectumque confinio. *Luſariam Palatium* vocant Chlodovei III. Regis Francorum litteræ; *Luſarcam villam* litteræ Caroli Magni. At Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ *caſtrum & caſtellaniam de Luſarchiis* ponit inter feoda Epiſcopi Pariſienſis; & anno MCCLXVIII. *Fecerunt homagium domino Stephano Epiſcopo Pariſienſi qui infrà ſcribuntur, Bartholomæus de Meru dominus Luſarchiarum, & fuit inveſtitus per annulum aureum: qui portavit dominum Epiſcopum perſonaliter. Hic portat* ibidem *caſtrum & caſtellania de Luſargiis* in litteris anni MCCLXIX memorantur. Ex quo intelligitur, hoc caſtrum *Luſargias* etiam dictum eſſe ante annos quadringentos, & *Luſarcam* vel *Luſarcias* verum ac incorruptum caſtri nomen fuiſſe, quod poſtea in *Luſarchias* degeneraverit, c. & g. in ch mutatis ex more. In eodem Chartulario *Comes Bellimontis dimidium caſtri & caſtellaniæ Luſarchiarum tenuiſſe* dicitur à *Comite Clarimontis*, (qui tum Rex Philippus Aug. erat) & *Comes Clarimontis ab Epiſcopo Pariſienſi*. Sugerius *caſtrum nomine Luſarchium*, cujus dimidium ab Hugone Claromontenſi, ejus filiâ in matrimonium ductâ acceperat, totum occupatum eſſe à Matthæo Comite Bellimontis: ſed à Ludovico Craſſo Rege deſignato ferro ac igne mox expugnatum fuiſſe, turrimque militari præſidio ab eo munitam, & Hugoni reſtitutam ſcribit. Vetus polyptychon *Luſarchas* vocat, & *Eccleſiam de Luſarchiis in Decanatu Goneſſa* ponit, & Canonicos loco attribuit. Recentius polyptychon à Brolio editum *in Decanatu Montis Maurentiaci Luſarchias* locat; Catalogus MS. Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ *capitulum Luſarchiarum* in *Decanatu Sarcellæ*. Quod ne cui mirum videatur, tamquam idem locus in tribus diverſis Decanatibus ponatur: notandum eſt, tres eſſe Eccleſiæ Pariſiacæ Archidiaconos, nimirum Archidiaconum Pariſienſem qui & major vocatur, Archidiaconum *Joſacenſem* vel *Hurepenſem*, & Archidiaconum Briegenſem: ſub Archidiacono Pariſienſi duos eſſe Decanatus rurales, *Montis Maurentiaci*, qui olim in Goneſſa, & in Sarcella variis temporibus fuerit; & *Calæ*, qui olim in Monſterolio vel Monaſteriolo exſtiterit: ſub *Archidiacono Joſacenſi* duos ſimiliter eſſe Decanatus, alterum *Montis Letherici*, qui nunc in Monte Gemello, nunc in Linais aut Linariis olim ſedem habuerit; alterum *Caſtri Fortis*, qui in Maciaco olim conſederit: ſub Archidiaconi Briegii vel Briæ diſpoſitione duos quoque Decanatus eſſe, *Latiniacenſem*, qui numquam ſedem mutavit, & *Veteris Corbolii*, cujus in Moiſſiaco Epiſcopi ſedes olim exſtitit. Decanus autem Calæ exempli cauſâ eſt Preſbyter Eccleſiæ majoris loci, Decanus Montis

Maurentiaci, Preſbyter caſtri.

MALLIACUM caſtellum à Mallio cognominatur, *Marly le Chaſtel*, proximum Stagno & Alpeco vicis adſitis Sequanæ, & Malliaco Burgo, *Marly le Bourg*. In Catalogo MS. Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ, in Decanatu Maciaci ponitur *Prioratus Malliaci*. *Marleium* corrupto nomine appellat vetus Polyptychon MS. Eccleſiarum Epiſcopatus Pariſiaci, & *Eccleſiam S. Mariæ de Marleio* in Decanatu Caſtri Fortis locat. Recentius Polyptychon à Brolio editum *Marliacum caſtrum* ac *Mariacum burgum* conjunctim memorat in Decanatu Caſtri Fortis: & Guillelmus Armoricus in Geſtis Philippi Auguſti Franc. Regis. *Anno Domini* MCXCVI. *in territorio Pariſienſi in caſtro quod dicitur Marliacum, Spiritus quidam loquebatur hominibus in domo pauperis hominis.*

MALUS REPASTUS & inter caſtella pagi Pariſiaci olim fuit, vulgò *Maurepas* inter Altam Brueriam & Nemus Arſicii, vix vico dare nomen idoneus. Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, in anno MCCXXCII. deſinens, ejus meminit non ſemel, atque *caſtrum & caſtellaniam de Malo-repaſtu, quodam movens ab Epiſcopo Pariſienſi* appellat in Decanatu Caſtri Fortis. *Malus* autem *Repaſtus*, id eſt malus paſtus malúmve convivium, à re nomen habuit, quòd viatores propter loci inopiam male ibi accipi paſcique conſueviſſent. Sic Malamanſio *Malemaiſon*; Malataberna *Maletaverne*, vici ab eadem cauſa cognomen invenerunt.

MONS GAIUS inter caſtra agri Pariſiaci quondam locum non ultimum habuit, vulgò *Montjay*, vel *Mongay*, aliàs *Mongé*. Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ *caſtrum & caſtellaniam de Monjai* numerat inter feoda Epiſcopi Pariſienſis. Ibidem hæc legimus. *Anno* MCCXXVIII. *Iſti ſunt qui portaverunt dominum VVillelmum Pariſ. Epiſcopum, videlicet dominus Petrus de Buciaco pro domino Montis Guaij, cujus litteras attulit. Iſti fecerunt homagium, dominus Montis Gay, dominus Montis Maurentiaci, dominus Caprofiæ, dominus Anſellus de Gallanda, Comes Britanniæ, Theobaldus de Bedomonte. Anno* MCCLV. *fecit homagium D. Reginaldo Epiſcopo Pariſ. Odo dominus de Borbonio, filius Ducis Burgundiæ Odonis, de feodo caſtellaniæ Montis Gay.* Anno Domini MCCLXVI. idem Reginaldus *Iohannem dictum de Demiete, filium Illuſtriſſ. Regis Domini Ludovici, ad homagium caſtri & caſtellaniæ de Montegaio recepit, & per annulum aureum de eo feodo inveſtivit. Dominus autem Iohannes ſibi fecit fidelitatem & homagium. Anno Domini* MCCLXVIII *idem D. Iohannes Comes Nivernenſis fecit homagium D. Stephano Epiſcopo Pariſienſi de caſtro & caſtellania Montis Gay. & fuit inveſtitus per annulum aureum: & pro ipſo dominus Anſorrandus de S. Remigio portavit dominum Epiſcopum die Dominica ante feſtum S. Dionyſii. Excuſavit enim ſe Dominus Iohannes per litteras patentes. Anno Domini* MCCLXX. *Domina Iolandis Comitiſſa Nivernenſis* cum viro orbata *homagium fecit Epiſcopo Pariſ. de caſtro & caſtellania de Montegay* in nemore Vicenarum. Sugerius Abbas in Geſtis Ludovici Francorum Regis cognominati Craſſi, *dominum Montis Gay Paganum* ante annos DLX. à Guillelmo juniore Anglorum Rege captum eſſe ſcribit, *& hominio* ac jurejurando adverſus Dominum ſuum Regem Francorum *obligatum*: idem eundem *Paganum de Monte Gaio* à Theobaldo Comite Carnotenſi *donis ac promiſſis illectum* ad defectionem, & *querelâ de caſtro Livriaco deceptum* ait. Vetus Polyptychon MS. *Montaium* memorat his verbis. *De donatione Abbatis Raræ Curiæ Eccleſia de Pompona, Eccleſia de Veres*, (*Vere* vulgò) *Eccleſia de Bro*, (*Brou* vulgò) *Eccleſia de Montaio* in Decanatu Monſteroli. In recentiore Polyptycho *Mons Gaius* vocatur, & in Decanatu Calenſi ponitur. Catalogus MS. Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ *Prioratus Montis Gay* in Decanatu Kalæ mentionem facit. *Mons Gaius* autem, (ſic enim potius, quàm *Mons Gaij* dicendus eſt) ſeu *Mongaius* aut *Monjai* ſcriptoribus Latinis veteribus nuncupatur à ſitu haud dubie, hoc eſt Mons jucundus & gratus, ex quo deſpectus eſt in amœnam planitiem. Certè hodieque *gay* jucundum, hilarem, lætumque noſtrâ linguâ ſignificat; *gay* inquam, hoc eſt *gaius*. Pro *gaio* & *gay* nonnunquam *jaium* & *jay* Noſtri dixere, ac *Montem Iaium* & *Monjay*, id eſt *Montjay*, quoniam eſt i litteræ cum g quædam cognatio, & ſæpe altera in alteram tranſit. *Gaubertus de Monte Gaio* præter ceteros cum Ludovico VII. Rege Franc. crucem ſumſit.

MONS LETHERICI inter caſtella pagi Pariſiaci olim eminuit, *Montlehery*, à ſitu & à Letherico domino & conditore appellationem trahens: quale nomen fuit Archiepiſcopi Senonici regnante apud Frãcos Rotberto. Dicitur principatu Rotberti *Theobaldus cognomine Filans ſtupas, ejus Foreſtarius, Montem Lethericum firmaviſſe*, id eſt clauſiſſe atque muniviſſe, & muris foſſiſque ac vallo cinxiſſe. In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ *caſtrum Montis Letherici* numeratur inter *feoda Epiſcopi Pariſienſis*. *S. Petrus de Monte Letherico* memoratur in Catalogo MS. Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ: *S. Trinitas de Monteleherico*, & duæ aliæ *ejuſdem loci parœciæ in Decanatu Montis Leherici ſub Archidiacono Ioſacenſi trans flumen Sequanam*, in Polyptycho quod Iacobus Brolius edidit. *Sanctæ Mariæ*, item *S. Petri de Monlehery* in Chartulario ſuprà laudato fit mentio; in vetere polyptycho *Eccleſia S. Petri*, & *Eccleſia S. Mariæ* inter Longum Pontem & Bondullam in Decanatu Linarienſi, non adjecto nomine loci: quem *Montemlehericum* vocat & Philippus Auguſtus in litteris datis anno MCXXCIV. *Mons Letherici* tres hodieque habet Eccleſias Baptiſmales, ſeu Parœcias. S Trinitatis, S. Mariæ, & S. Petri, quæ & cella eſt ſive Prioratus. *Montem Lethericum* Teulfus appellat in libro II. Chronici Mauriniacenſis; *Montem Leheri* Sugerius in Geſtis Ludovici Craſſi, qui propter perfidiam incolarum & Philippi fratris ſui, *totam caſtri munitionem præter turrim dejecit*, uti Sugerius ait: qui & *Caſtias* (id eſt Caſtra) *honoris Montis Lehery*

oppidum vocat : & cùm Philippus Philippi Regis Franc. filius, in matrimonium ductâ Guidonis Truſelli filiâ unicâ, *caſtrum Montis Leberij* recepiſſet, aut potiùs patri ſuo fratrique Ludovico ſervandum tradidiſſet, *teſtabatur pater filio Ludovico, ejus defatigatione ſe acerbiſſimè gravatum: Age, inquiens, fili Ludovice; ſerva excubans turrim, cujus vexatione penè conſenui, cujus dolo & fraudulentâ nequitiâ numquam pacem bonam & quietem habere potui.* Hæc apud Sugerium leguntur, æqualem auctorem Ludovici Craſſi. Guido autem iſte Truſellus, Philippi ſocer, filius erat Milonis de *Monte Leherii*. Turris quà Ludovicus intactam reliquiſſe dicitur, ibi hodieq; ſupereſt ac viſitur, quæ Regibus noſtris olim terrori fuit. *Mons Letherici* etiamnum Præpoſituram ac Caſtellaniam ſuam habet. In litteris datis principatu Philippi Franc. Regis *magni VVidonis de Monte Letherici filij Milo ac VVido.* Lethericus ſeu Leuthericus, aliis Lehericus, Leheri & Leherius, aliis Lihericus dictus, nomina loco varia dedit: itave nunc *Mons Letherici*, (quod ſincerum eſt nomen) nunc *Mons Leherici*, nonnumquam *Mons Leherij* aut *Mons Leheri*, interdum *Mons Liherici* vocaretur. Nam qui *Montem Lethericum*, aut *Montem Lehericum* vel *Lihericum*, pro *Monte Letherici* vel *Leherici* appellant, corruptè & malè appellant. *Mons Letherici* nunc Comitatûs titulo inſignis eſt.

MONTIS MAURENTIACI mentionem facit Hugo de Cleeriis, Miles Comitis Andegavenſis Fulconis, in libello de Majoratu & Seneſcalcia Franciæ his verbis. *Cùm Deus voluit ſublimare Rotbertum filium Ducis in Regem, Goffridus Griſa gonnella cum XII. millibus armatorum ſerviebat domino ſuo Regi Rotberto. Otto ſiquidem Rex Alemannorum cum univerſis copiis ſuis Saxonum & Danorum Montem Morenciaci obſederat, & urbi Pariſius multos aſſultus ignominioſè faciebat.* Otto iſte qui *Montem Maurentiacum* obſedit, erat Otto ejus nominis tertius, natione Saxo, qui anno DCCCCXCIV. regnare in Germania occœpit, & anno DCCCCXC. Imperator Romæ eſt ſalutatus, atque anno MII. deceſſit, Rotberto apud Francos jam ſolo regnante. Meminit eiuſdem caſtri Sugerius in Geſtorum Ludovici Craſſi capite II. *Movit* (inquit) *formoſus juvenis arma in Burchardum nobilem virum, dominum Mommorenciacenſem, & in complices ejus confœderatos, Matthæum Bellimontenſem Comitem & Drogonem Montiacenſem: terram ejuſdem Burchardi depopulans, municipia & curtes præter caſtrum ſubvertens peſſumdedit; incendio, fame, gladio contrivit. Cumque de caſtro reſiſtere pariter niterentur, obſidione Francorum & Flandrenſium, Roberti avunculi & ſuorum caſtrum cinxit. His & aliis contritionum verberibus humiliatum, voluntati & beneplacito ſuo curvavit, & ab infeſtatione B. Dionyſii compeſcuit.* Quantum & quale tum fuerit caſtrum *Mons Maurentiacus*, ex ſuperioribus intelligi poteſt, quod & Otto tertius Rex Germanorum ac Lotharienſium, & Ludovicus Craſſus Rex Francorum deſignatus, Roberti II. Flandrenſium Comitis, avunculi ſui, copiis adjutus obſediſſe, nec tamen cepiſſe aut expugnaviſſe dicuntur. *Mons Morenciacus*, item *Morenciacum*, necnon *Mons Maurenciacus* vocatur hoc caſtrum in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, & *Mabam dominum Morenciaci*, vel *dominus Montis Maurenciaci*: & ibidem vetus eſt polyptychon, in quo *Eccleſia Montis Morenciaci, & capella Montis Morenciaci in Decanatu Goneſſa*, à Canonicis loci donari vel conferri dicuntur. Eodem in codice reperitur Catalogus Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ, *Capitulum Montis Maurenciaci*, hoc eſt Eccleſiam collegiatam caſtri in Decanatu Sarcellæ ponens. Catalogus à Brolio editus *in Decanatu Montis Maurentiaci Montem Maurentiacum* locat. *Mons* igitur *Morenciacus*, aliis *Mons Morenciacus*, vel *Morenciacum*, aliis *Mons Maurentiacus* & *Mons Maurenciacus* dictus eſt à ſitu, quaſi *Maurentiacum* aut *Morenciacum* in monte poſitum, vulgò *Montmorenci*. Vallis *Montis Maurentiaci* incolæ pleruumque *Morancy*, id eſt *Maurentiacum* nuncupant: cujus dominus ex Barone Dux & Par factus eſt ab Henrico II. Francorum Rege. Eſt & Morantiacum, *Morancy* ad Iſaram inter Bellum Montem & Credilium in Bellovacis, in litteris Caroli Calvi *Maurenciacum*; item *villa quæ nuncupatur Maurinciagocurtis, ſita in Comitatu Cambliacenſe ſuper fluvium Iſere.*

TORCIACUM in Decanatu Latiniacenſi ponit utrumque polyptychon, vetus ac recentius, ſub Archidiacono Briegii, & Eccleſiam loci ab Epiſcopo donari ſolitam, vulgò *Torci*: quod caſtellum in Briegio, fortè olim *Turciacum* à Turcio dictum eſt, deinde *u* litterâ in *o* converſâ *Torciacum*: nec longè abeſt à flu. Matrona, & à Nuceruolo vico caſtroque Gornaco. Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſ. *Torciacum* numerat inter feoda Epiſcopi Pariſienſis, & *Anno Domini* MCCLXVIII. *die Martis poſt feſtum S. Martini hiemalis D. Reginaldus de Barro, dominus Torciaci, fecit hominium de Torciaco D. Stephano Epiſcopo Pariſienſi, & eſt homo ligius: fuit inveſtitus per annulum aureum. Pro ipſo dominus Philippus de Buciaco portavit dominum Epiſcopum. Anno* MCCLXXI. *fecit* eidem *Epiſcopo hominium de terra Torciaci Comes Barri. Præpoſituram & caſtellaniam* ſuam habet hodieque *Torciacum* in Briegio: ut appareat caſtellis olim adnumeratum fuiſſe. Eſt & *Torciacum* villa Monaſterii S. Eparchii ad fluvium Nottam, Monacho Ecoliſmenſi in Vita Caroli Magni memorata.

TURNOMIUM, aliàs *Tornomium* nomen eſt compoſitum ex voce Gallica turn aut torn ſignificationis incertæ: ſicuti Turnacum Belgicæ II. civitas ad Scaldim flu. Turno ad Rhodanum, *Tournon*; Tornomagus vicus in Turonibus, *Tournon* vulgò dictus, *vici Tornomagenſis* appellatione à Gregorio deſignatus; Tornedrum vel Tornodorum, *Tonerre*; Turnholt locus in Belgica. Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ *caſtrum & caſtellaniam Turnonni*, vel potiùs *Turnomij* numerat inter feoda ſive beneficia Pariſienſis Epiſcopi, & D. Anſellum de Gallanda Militem, dominum Tornomii anno MCCXXVIII. *D. VVillelmo Pa-*

riſienſi Epiſcopo hominagium ligium feciſſe de caſtello & tota caſtellania Tornomij, ac fuiſſe annulo aureo inveſtitum, Epiſcopumque portaviſſe pro caſtro Tornomij docet: *anno* quoque MCCXLIX. *Johannem fratrem Anſelli hominium ligium feciſſe ac juraviſſe Galtero Pariſ. Epiſcopo de parte quam habebat in caſtro & caſtellania Turnomij: Anſelmum* etiam aut Anſellum potiùs *de Gallandia dominum Turnomij feciſſe hominium D. Stephano Epiſcopo Pariſienſi anno* MCCLXVIII. atque *annulo aureo inveſtitum* fuiſſe. Polyptychon vetus *Tornem* vocat, ac in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi ponit. Catalogus Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ, Polyptycho MS. ſubjectus *Decanatui Moiſſiaci Prioratum Turnonni* aut potiùs Turnomii attribuit: qui nunc eſt in Decanatu Veteris Corboili ſub Archidiacono Briegii, S. Dionyſii Mart. titulo inſignis, & ad Foſſatenſe Monaſterium S. Mauri pertinens. *Turnominum* vel Tornomium caſtrum, quod & *Tornem* quidam; alii *Turnonnum* & *Tornonium* corruptè appellant, Præpoſiturà illuſtre, vulgò *Tournan* nuncupatur, & *Tournam en Brie*, non procul à Caſtris.

VILLÆ PETROSÆ varia nomina priſcis in monumentis reperio. Nunc enim *Villa Petroſa* dicitur à ſaxoſo ſolo; nunc *Villa Puerorum* & *Villa Peru* nunc à fertilitate & copia pirorum *Villa Pirorum*, *Villa Piroſa*, *Vallis* etiam *Pirorum*: vulgò *Villepreux* & *Villepereux*. Certè in quibuſdã litteris *Ernaudus dominus Feritatis & Villæ Petroſæ*, filius Ebrardi *domini Villæ Puerorum* nuncupatur; necnon idem *Ernaudus dominus de Firmitate & Villa Puerorum*: & *caſtellum quod dicitur Villa Puerorum*, ac *Eccleſia S. Nicolai apud Villam Petroſam* memoratur: quæ *Eccleſia B. Nicolai de Valle Pirorum* ſemel atque iterum dicitur in litteris Guillelmi domini Feritatis. Hujus Guillelmi frater Ebrardus vel Evrardus Miles anno MCCIX. litteras dedit, in quibus ita de ſe refert. *Ego Evrardus de Villa Pirorũ Miles dedi & conceſſi Eccleſiæ B. Nicolai de Villa Pirorum, & Monachis Majoris Monaſterij ibidem commorantibus, tresdecim arpennos terræ & dimidium continuos, in præſentia domini Petri Pariſienſis Epiſcopi*: cujus nimirum in Diœceſi eſt conſtituta. Hodieque hæc Cella ad Majus Monaſterium pertinet. Denique in litteris Ervei de Feritate, datis anno MCCXXXII. fit mentio litis motæ adverſus Monachos de *Villa Peru*, *ob uſagium in foreſta prope Villam Petroſam*, & *ſtagni de Villa Petroſa*. Ex quibus omnibus intelligitur, *Villam Petroſam*, *Villam Puerorum*, *Villam Peru*, *Vallem Pirorum*, ac *Villam Pirorum*, varias eſſe unius ejuſdemque loci appellationes. Ceterùm ut ſuprà *Villa Pirorum*; ſic in Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ quod in anno MCCLXXXII. deſinit, *Villa Piroſa* vocitatur, nonnumquam & recepto magis nomine *Villa Petroſa*. Certè ibi *in Decanatu Caſtri Fortis Capella leproſorum Villæ Piroſæ* ponitur, quam Epiſcopus Pariſ. donat: & *de donatione Abbatis Majoris Monaſterij* eſſe dicuntur *Eccleſia de Villa Piroſa*, *Eccleſia de Breteſchia*, (*la Bretêche*) *Eccleſia de Nemore Arſicy*: (*Bois d'Arcis*) *Eccleſia* inquam *de Villa Piroſa*, S. Nicolai titulo illuſtris, quæ *Prioratus de Villa Piroſa* in Decanatu Maciaci ibidem nuncupatur, in enumeratione Monaſteriorum Eccleſiæ Pariſiacæ finibus incluſorum. *Villam* autem *Petroſam* à multitudine petrarum, id eſt ſaxorum; *Villam* item *Piroſam* à copia & fertilitate pirorum cognominarunt, ut *Villam Pomoſam* à pomis, *Pomenſe*; amnem *piſcoſum* qui piſcibus abundaret; loca *nemoroſa*, loca *palmoſa*, in quibus nemora eſſent atque palmeta; mare *oſtreoſum*, quod fertile eſſet oſtreorum. Æthicus *Diodurum* vel *Diodurum* Durocaſis & Lutetiæ medium interponit, à Durocaſis XXII. à Lutecia XV. millibus paſſuum diſtans: quo *Diodurі* nomine *Villam Petroſam* deſignari potiùs exiſtimo, quàm Montem Fortem Amalarici: idque & ſitus & diſtantia locorum videtur indicare.

In Pariſiacæ Eccleſiæ finibus vetera Chartaria numerant vicos ampliùs trecentos & ſexaginta: quibus acceſſere recentiores ſeu poſtea conditi vici circiter LXX. Celeberrimos quoſque ac præcipuos litterarum ordine exponemus. Sunt ergo hi, quales in priſcis Eccleſiæ Pariſiacæ Monaſteriorumque Chartulariis, & in antiquis rerum Francicarum Annalibus Chronicisque à me potuerunt reperiri.

Alberti-Villare, *Aubervilliers*, aliis *Albervillare* mutilato nomine, & *Aubervillare*.

Alneta, *Aunois*, ab alnis ſuum nomen habent. Hic vicus in Decanatu Caſtri Fortis atque in extremis ferè Pariſiorum finibus ad Ivetam amnem poſitus, à Patrono vulgò dicitur S. Pauli de Alnetis, *S. Paul des Aunois*, aut *des Aunais*.

Alnetum, vulgò *Aunay*. Cellâ veteri nobile, à multitudine alnorum quoque nomen accepit, ut Fontanetum à fontium abundantia, Pometum, Nucetum, Caſtanetum à copia malorum, nucum, caſtanearum; Quercetum à quercubus, Spinetum à ſpinis, Prunetum à prunis, Fraxinetum à fraxinis, Ulmetum ab ulmis, Coryletum à corylis, Salictum à ſalicibus, Roſetum à roſis, Buxetum à buxo. Nomen ſuum dedit *pago Alnetenſi*, ſeu *Alneto*, agri Pariſiaci particulæ, vulgò *l'Aunay*: à quo pago vici nonnulli cognominantur, *Cloppiacum in Alneto*, Liberiacum, id eſt *Livriacum in Alneto*, aliique. Multa ſunt ejus nominis loca in Gallia, ut Alnetum in Carnutibus, aut in Belſa parte Carnutum, vulgò *Aunay*, aliaque.

Alpecum, ſeu *Aupicum*, *fiſcus quondam Regius Alpicus* in Vita S. Eremberti: *villa quæ vocatur Alpiccum, ſita in pago Pinciacenſi ſuper alveum Sequanæ* in Chronico Fontanellenſi malè, cùm ſit in Pariſiaco pago: *Aupec* vulgò, vel *Port-Aupec*; corrupto & truncato nomine quibuſdam in Chartis Geographicis *le Pec*. Eſt autem hic locus poſitus ad ripam fluminis Sequanæ, non longè à vico & Monaſterio S. Germani in ſilva Ledia, unde & *portûs* cognomen accepit. *Album Portum* etiam dictum reperio. Certè litteras legi anno MCCXVII. datas, in quibus ad Monaſterium S. Dionyſii pertinere dicitur *aqua Secana à fluvio Savara uſque ad locum qui dicitur*

tur Albus Portus : vel (ut loquitur in litteris ſuis Carolus cogn. Calvus) *foreſta aquatica à fluvio Savara uſque Cambreias* : quæ verba apud Dupletum in Relatione quadam anni MCCCCXCV. patrio ſermone ſic exprimuntur. *Depuis le fleuve ou le ru de Sevre, dit autrement Marinel prés S. Clou, juſques au ru de Chambries appellé Tancul prés le port Aupec. Al* ergo album, *pec* portum apud Gallos videtur olim ſignificaviſſe.

Altogilum, quod pòſt *Altoilum*, poſtremò *Altolium* dixere, vulgò *Anteüil*, ad Sequanam. Sunt & aliqua alia eodem nomine loca in Gallia, ut *Altogilum* in pago Vadenſi non procul à Firmitate Milonis, *Anteüil*; *Altogilum* in Bellovacis, *Anteul*.

Andeliacum, quod tabulæ quidem noſtræ *Andely* reddunt; vulgus tamen *Andilly* appellare conſuevit. Eſt & in Veliocaſſibus *Andely* ad Sequanam, Latinè *Andeliacum* vel *Andeleium* dictum. Litteris Sugerii datis anno MCXLVIII. ſubſcribunt præter ceteros *Ruricus de Andilli*, & *Guido de Groëla* : ex quo apparet ante annos DXX eam villam *Andilli* ſicuti nunc vocatam eſſe.

Antoniacum ad Beveram, quibuſdam *Antogni*, *Antonium* aliquem conditorem ac dominum habuit,& ſui nominis auctorem. Vulgò *Antony* dicitur, & ei vico proximus pons ad Beveram, *Pons Antoniacenſis*, *Pont Antony*. Eſt & *Antoniacum* in Pictonibus; & *Antoniacum* vel *Antonium*, *Antoin* in Hainoo. Iterius Abbas Turonici Monaſterii S. Martini legavit *Cella S. Pauli* ſeu *Cormarico* præ ceteris *in pago Pictavo Antoniacum Villam*, ut docent litteræ datæ anno XXIII. regni Caroli Regis, Indict. XIV. Litteræ Ludovici Pii, & Caroli eius filii, in pago Pariſiaco *Antoniacum* & *Spinogilum* memorant. *Anno* MCCCXLVI. *Rex Francorum Philippus exiens de Pariſius, & veniens apud Antoniacum ultra Burgum Reginæ tentoria fixit : & dum ibi Regem Angliæ Eduardum (ut dicebatur) eâ tranſiturum per duos dies exſpectaret illuſus, Eduardus*, &c. ut ſcribit Monachus Monaſterii S. Dionyſii in poſteriore Appendice Chronico Nangiacenſi ſubiuncta.

Aqua bona, *Eau bonne* à re nomen invenit. Vicus hic, ut & Balbiniacum, *Bobigni*, aſſidet rivo qui in Crodoldum effluit. Contrà alius vicus in agro Pariſiaco, ab aquis corruptis aut putidis dictus eſt Aquaputa, *Puteaux* non longè à Sequana & vico Curva Via inter Nemtodorum & Suriſnas. Eſt & altera *Aquabona*, *Eaubonne*, (niſi nos chartę Geogr. decipiunt) proxima Ermon & Soſiaco *Soiſi* vicis, ſtagnoque Montis Maurentiaci.

Arcolium, *Arcueil* ad amnem Beveram, dictum ab antiquis arcubus ſeu fornicibus pontis, qui noſtra ætate renovatus eſt, ut quemadmodum olim factum putatur, inde aquæ in urbem Pariſiorum Luteciam inducerentur. *Arcoleum* in veteribus litteris vocatú reperio.

Argentogilum, quod poſteà *Argentoilum*, ac demum *Argentolium* dixere, *Argenteüil*. Vicus eſt ad Sequanam, veteri Monaſterio ac vineis ſuis celeber. *Argentogilum* vel *Argantogilum* à Gallis nuncupatum eſſe puto nomine compoſito ex *Argento* aut *Arganto*, & *Gilum* vel *Gelum* : quæ Gallica eſſe nomina, ſed ſignificationis ſolis noſtris Britannis ac inſularibus notæ, non dubito. Certè *Argantum* quidem & *Argentum* ferunt variorum Galliç locorum Celtica vocabula compoſita, ut *Arganto-magus* Biturigum, vulgò Argentonus; *Arganto-varia*, quam corruptè *Argentuariam* recentiores dixere, & *Argentariam* ac caſtrum *Argentarienſe*; *Argentoratum*, *Argentina* & Stratæburgus poſtea nuncupatum. *Gilum* autem aut *Gelum* retinent *Alto-gilum*, *Spinogilum* vel *Spinogelum*, *Bonogilum*, *Nantogilum*, ac plurima ejuſmodi alia. Adelhaidis Regis Hugonis uxor *conſtruxit Monaſterium puellarum in territorio Pariſienſi, in villa quæ dicitur Argentoilus, & ſub honore S. D. G. Mariæ o. Domino dedicari voluit*, ut ait Helgaldus. *Argenteolum* quędam tabulæ veteres appellant. At Sugerius *Cœnobium Argentoilenſe* ab Hermenrico conſtructum fuiſſe ait, & Pippini Regis principatu *B. Dionyſii Abbatiam exſtitiſſe*; ſed à Carolo Magno permiſſu Monachorum Dionyſianorum datum illud eſſe filiæ Theodradæ : quod ipſe poſt annos ampliùs trecentos expulſis puellis vix receperit.

Aſinaria ad Sequanam, recentioribus *Aſneria*, vulgò *Aſneres* à gregibus aſinorum dictæ : ſicut *Vaccaria*, & *Porcaria* à multis bubus & ſuibus.

Atteia ab Atteio aliquo conditore vel ſaltem domino nomen invenere, *Aties*, *Atteia* & Odoni in libro de Vita Burchardi Comitis dictæ. Ibi eſt Cella ad Monaſterium S. Victoris pertinens. Aliqua ejuſdem nominis loca in Galliis reperio. Ac ne de ceteris ſcribam, fuit villa publica Regni Sueſſionici *Atteiæ* in Viromanduis, vulgò & *Aties* dicta : in qua Radegundis tenera virgo educata eſt antequàm Chlothario nuberet, & Regina quoq; ſæpe eſt commorata. Sunt, qui pro *Atteiis* *Attegias* à vilibus caſis ac tuguriis appellandas exiſtiment. Frodoardus in capite II. libri IV. Hiſtoriæ Remenſis Eccleſiæ *Atteias* memorat, ponitque inter *Virtudem* & *Mantacum*, vulgò *Atis*, in Campania ad Matronam flumen inter Catalaunos & Sparnacum.

Atteiola dictæ ſunt quaſi *parva Atteia*, in recentioribus Catalogis Eccleſiæ Pariſiacæ *Atteola* corrupto nomine, vulgò *Attoles*, aut *Etiolles*, in quibuſdam tabulis Geographicis *Etioulle*. Vicus hic eſt poſitus inter Sequanam & Ederam fluvios medio ferè ſpatio in Briegio.

Attiliacum ab Attilio cognominatur, vicus in Briegio, *Attilly*, *Atilliacum* aliàs.

Aureliacum ab Aurelio, recentioribus truncato nomine *Orliacum*, *Orly* ad ſiniſtram Sequanæ ripam.

Autrenvilla, *Eutrainville*, non procul ab Vrbia fluvio & Caſtris.

Axona (*Eſſone*) ad amnem *Axonam*, (ſic enim ibi mutato nomine Junnam appellant) Exona vocatur Fortunato in libri de Vita S. Germani Pariſiorum Epiſcopi capite XV. *Quidam in Exona vico de fiſcalibus famulis Coildemerus nomine*. Quibus ex verbis videtur colligi poſſe, tunc eam villam Fiſcalem ſeu Regiam fuiſſe. Certè & regnantibus Merouci

poſteris percuſſos ibi nummos reperio, quod vix alibi quàm in urbibus, aut in villis publicis ſeu Dominicis fieri conſueverat. In manus meas venere duo trientes aurei Regum Merovingorum, alter *Exona*, alter *Axſona* C. inſcripti, eodem ambo capite Regis ſignati, ſed ſine litteris. In litteris Pippini Francorum Regis apud Jacobum Dupletum, anno regni ejus XV. datis vocatur *villa cognomine Exona, ſita ſuper fluvium Exona in pago Pariſiaco.* Acta Synodi Sueſſionicæ inter villas à Ludovico Abbate Monaſterii S. Dionyſii Monachis ſuis conceſſas *villam Exonam* numerant. Sugerius Abbas in libri de rebus in adminiſtratione ſua geſtis capite XVII. memorat *Axonem burgum S. Dionyſii ſuper fluvium Iſſonam, antiqua Regum* (fortè Pippini) *liberalitate Sanctis Martyribus collatum*, & capite XVIII. *matrem Eccleſiam Axonæ*. Quod ſi Monaſterio S. Dionyſii ab aliquo Regum noſtrorum donata eſt *Axona*, uti donatam eſſe conſtat, cùm id aſſerat Sugerius: haud dubiè villa Regia ſeu fiſcalis antea erat, cùm nihil niſi de fiſco Reges noſtri cuiquam dare potuerint. Ibi autem *Junna* qui & *Junta*, nomen mutat, & vocari incipit *Axona*, & uſque ad oſtium ſuum, hoc eſt uſque ad caſtrum Corboilum ubi in Sequanam effluit, per aliquot paſſuum millia *Axona* appellitatur aut *Exona*, recentioribus *Iſſona*: ſicuti ſuprà Pippini litteræ & verba Sugerii docent: quemadmodum vicus ipſe dicitur *Eſſonia* in veteri Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ, & in litteris Eugenii PP. III. ac Lucii PP. II. In litteris Ludovici Regis Francorum ac Ducis Aquitanorum ante annos quingentos fit ejuſdem *Iſſonæ* amnis mentio: *In aqua quæ eſt apud Curboilum, quæ Iſſona vocatur.* Conſtat autem ſolum Junnam, qui infra Stampas Loâ augetur, & apud Axonam vicum nomen mutat, ſolum inquam, nec quemquam alium amnem apud caſtrum Corboilum in Sequanam evolui. Ex *Junna* ergo ad *Exonam* fit *Exona* vel *Iſſona*, ut ex Danubio Iſter.

Balbiniacum à Balbino aliquo nomen habet; *Baubigni* in catalogis Eccleſiarum Pariſiacæ Diœceſeos ante annos ferè CCCC. dictum, vulgò *Babigni* non procul ab Aquabona.

Balloilum, in actis Synodi Sueſſionicæ anno DCCCLXII. regni Caroli XXIII. *Baliolum*, *Bailleuil* aut *Bailleul* Noſtris olim dictum, nunc corrupto vocabulo *Baillet*. Pars ejus eſt Fagetum, *Fayet*, à fagis quas Noſtri *fayes* olim vocavere, cognominatum: *Fagidum* in actis Synodi Sueſſionicæ, *in Fagido de colonica Nova villa manſum unum.*

Balneola unde dicta ſint nemo non videt. *Balneolas* quidam catalogi etiam appellant non malè. Nam ut balnea veteres ſic & balineas balneaſque vocavere: vulgò *Baigneux* inter Montem-Rubeum & Vanvas. Sunt & Balneola *Bagnaux* in pago Tornodorenſi. Eſt & *Baignolet* vicus, in Chartario Foſſatenſi *Balneolũ*, necnon *Bagnolæ juxta Charronẽ* dictus.

Bedolitum in actis Synodi Sueſſionicæ ante annos DCCC. habitæ dictum reperitur, in veteri Catalogo *Baalas*, vulgò *Beloy en France*.

Bevera aut *Beveris*, quibuſdam *Bibara*, à fluviolo quo alluitur nomen accepit, vulgò *Bievre*, nonnullis ad vulgare nomen accedente vocabulo *Bevra*.

Bigargium in Geſtis Dagoberti, & in libri Aimoini IV. capite XXX. vocatur *locus & Palatium* ſeu villa Regia, quò Dagobertus anno regni XIV. generalem Francorum conventum indixit. Nunc *Garges* vocari puto trunco nomine. *Garges* quoque in veteri Catalogo nuncupatur, non procul à Crodoldo, ac Bonogilo villa etiam Regia: *Gargiæ* in priſcis Chartis. Eſt & alius vicus in Pariſiis trans Sequanam prope Rocconis curtem ac Verſalias, vulgò dictus *Garches*.

Bogivallis, *Bongival*, ac plerumque corrupto nomine *Buzenval*: nõ longè abeſt à Rotoialo.

Bonogilus vel Bonogilum, *Boneüil*. Apud Fredegarium in libro V. & ultimo Chronici *Anno XXXIV. regni Chlotharius VVarnacharium Majorem domus cum univerſis Pontificibus Burgundiæ & Faronibus in Bonogilum villam ad ſe venire præcepit.* Sed cùm duo ſint ejus nominis vici in Pariſiaco pago, alter ad Matronam flumen in Briegio, alter ad Crodoldum in Francia, utrum deſignet Fredegarius haud facile dictu eſt. Quidam vetus Catalogus Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ *Bonogilum* ad Matronam *Boneuil*; *Bonogilum* ad Crodoldum nunc *Bonuel*, nunc & *Bonum Oculum* ſeu *Eccleſiam de Bono Oculo* corruptè appellat nomine Latino vulgarem pronuntiationem exprimente, quaſi non *Boneüil*, ſed *Boneil* dici ſcribique oporteat. Recentior Catalogus utrumque *Bonolium* nuncupat. Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſ. Bonogilum ad Crodoldum *Bonolium prope Goneſſam* à ſitu appellat. Eſt enim hic vicus Goneſſæ proximus. Nec aliter eorum alterum vocat & Chronicon Fontanellenſe in anno DCCCLVI. deſinens, ubi Monachi Fontanellæ Carolum Regem Franc. in villa publica *Bonogilo* commorantem, anno DCCCXLVII. adiiſſe dicuntur his verbis. *Ipſo anno perreximus Bonolium pro prædiis noſtris recipiendis.* Utrubique cùm apud Fredegarium tum in iſto Chronico nomine *Bonogili villæ* Regiæ ſeu *Bonolii* deſignari puto *Bonogilum* ad Matronam in Briegio, altero Bonogilo Burgundiæ propiorem utique locum, & propter opportunitatem magnorum fluminum Sequanæ atque Matronæ, Reges noſtros adeuntibus commodiorem vicum. De quo & in Vita Ludovici Pii Aug. iſta legimus: *Porro VVarinus & Bernardus Comites plurimis ſociorum ex Burgundiæ partibus coactis, ad Matronam fluvium uſq; pervenerunt, & ibi in villa Bonogilo & eis prædiis quæ circumjacent, aliquot diebus conſedere.* In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ annorum ferè CCCC. *Johannes Preſbyter Curatus de Servone, & Johannes Capellanus Capellaniæ de Villaribus (Villiers ſur Marne) fecerunt homagium D. Stephano Epiſcopo Pariſ. de decima de Bonolio (Boneuil ſur Marne) & de Succiaco. (Sucy en Brie)* Ex *Bonogilo Bonolium* factum, ut ex *Nantogilo Nantolium*, ex *Vernogilo Vernolium*, ex *Spinogilo Spinolium*: pro quo & *Bonoilum*, & *Nantoilum*, & *Vernoilum* ac *Spinoilum* dixere. Sunt & alii ejuſdem nominis vici in Galliis, inprimis in pago Meldico.

Bonna, vulgò *Bonnes*, ita dictæ videntur, quod ſint in confinio Pariſiorum & Senonum poſitæ ad Junnam flumen. *Bonnes* vocantur in vetere catalogo. Bonna autem olim limes & terminus à Noſtris dicebatur, hodieque *borne*. *Bona* tamen hic vicus dicitur in Chronico Mauriniacenſi.

Borda, aliàs Bordæ, *la Borde*, ad ſiniſtram ripam Sequanæ. Borda autem apud Germanos olim & apud Noſtros domunculam, manſionem, fundum etiam ac villam ſignificabat. Hi *borde*, ilii *bord* dixere.

Br[illegible]um, in recentiore Catalogo Parœciarum Eccleſiæ Pariſiacæ vocatur *Braiacum ſuper Maternam*, hoc eſt Braiacum ad Matronam; in veteri Catalogo *Briacum*, vulgò *Bry*. Hic vicus, ut & Braia Comitis Roberti, à braio dictus eſt, quo nomine Galli lutum deſignavere: eumque auctor libri de Vita S. Baboleni Abbatis, *fiſcum Regium nomine Brittonicum, in præripio Maternæ ſitum* (ni fallor) appellat.

Breteſcia, *la Bretéche*, ſæpe à S. Nonio cognominatur *Saint Non de la Breteche*. *Breteſciam* majores noſtri locum munitum & muris pinnatis clauſum appellitavere. Quare multa eo nomine loca in Galliis, præſertim inter Sequanam & Ligerim reperiuntur.

Britiniacum, vulgò *Bretigny*, numeratur inter beneficia Epiſcopi Pariſ. in Chartulario MS. ejus Eccleſiæ, quod in anno MCCXCII. deſinit. Vicus eſt inter Urbiam & Iunnam fluvios poſitus; *Bretiniacum* in recentiore catalogo dictus. Mihi videtur nuncupatum primò eſſe *Britanniacum* à Britannis ſeu Brittonibus: cùm & proximum ſit Brittonariæ (*Bretoniere*) vico à Brittonibus nomen habenti?

Brocia vel *Brucia*, *la Broſſe* in Briegio. Eſt & trans Sequanam Pleſſeium Bruciarum, *les Broſſes*, aut *le Pleſſis les Broces*. Brucia autem ſilvam apud Gallos olim ſignificavit: quo factum eſt, ut multa loca ſilvis adjacentia, aut etiam in nemoribus poſita, Bruciarum appellationem ſuſciperent in Galliis. Inde majores noſtri venari *broceller*, & humiliores ſilvas *brouçailles* ſeu bruciolas, & ſilvas pervagari *brocer*, id eſt bruciare dixerunt. In Chartulario Auguſtodunenſis Eccleſię hęc legi: *Et en un autre bois que l'on appelle la Broce*; in litteris anni MCCXCIII. Ergo ſilva & brucia, *la broce*, res eadem.

Brueria, *les Bruieres*, prope Altam Bruariam Monaſterium S. Virginum. Uterque locus ita dictus eſt à myricis, quas vulgò bruerias appellamus.

Bungeia, aliis *Bonzeia* & *Bonzia*, *Bonzies* in veteri Catalogo, nunc vulgò *Bondis*. Hic vicus nomen ſuum ſilvæ proximæ dedit, ut & Liberiacum, *Livry*, itave nunc ſilva Bungeienſis, nunc Liberiacenſis appellitetur, *la Foreſt de Bondis*, *la Foreſt de Livry*. *Vungeias* vocat Heinricus Franc. Rex in litteris datis anno MLX. in pago Pariſienſi: *villam Bonzeiam* Urbanus PP. II. anno MXCVII. *Bondias* alii. *Bunzeias* Eugenius PP. III. anno MCXLVII. numerat inter Eccleſias Pariſienſis Monaſterii S. Martini.

Burgus Reginæ in utroque Catalogo memoratus, nomen ſuum retinet. Vocatur enim hodieque *Bourg-la-Reine*, inter Antoniacum & Montem Rubrum poſitus. Cui Francorum Reginæ nomen ſuum acceptum referre debeat, incertum eſt aut potiùs incognitum. *Briquet* antea dictus eſſe fertur hic vicus, ſive à ponticulo aliquo latericio, ſive à lateraria, in qua ibi tegulæ è latere conficerentur.

Buſciacum vel *Boſciacum S. Georgii*, & *Buſciacum S. Martini*, vulgò *Boiſſy S. George*, & *Boiſſi S. Martin*, vici ambo à boſco vel buſco, id eſt à ſilva proxima nomen accepere in Decanatu Latiniacenſi: *Buciacum* & *Buſſiacum* corruptè in polyptychis dicti. Eſt & Boſciacum ſub vico S. Ionii vel Æonii cognominatum, *Boiſſi ſous Saint Jon*.

Buxeus vicus, vulgò *Bouſſi* vel *Boſſi*, ad flumen Ederam in Briegio prope vicum & Monaſterium Ederam. *Rex Chlodoveus ad idem Monaſterium* (Foſſatenſe) *vicum qui Buxeus dicitur tradidit*: ut legimus in Vita S. Baboleni Abbatis. *Buxiacus* alias ſcribitur. *Boſſiacum* vocat vetus polyptychon in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi: cujus loci Eccleſia ad Abbatem Foſſatenſem pertineat. Eſt & *Boiſſi* vicus proximus Suciaco, inter Sequanam & Matronam, *vicus Bucciacus* Fortunato in Vita Germani non ſemel dictus.

Calliacum, *Chailli* in Decanatu Linarienſi. *Calloellum*, *Chailloellum* & *Challoel* in litteris Philippi Franc. Regis datis anno MCCXXII. & in veteri Polyptycho, vulgò *Charlleau*, in pleriſque tabulis corruptè *Chaliot*.

Cala Villa Regia quondam fuit, Gregorio nunc *Cala*, nunc *villa Calenſis*, & *Calenſis Pariſiaca urbis villa*, id eſt pagi Pariſienſis, ſimiliter *Cala Pariſiaca civitatis villa* dicta, *diſtans ab urbe Pariſiaca quaſi centum ſtadiis*: in Vitis Bertilæ Abbatiſſæ & Balthildis Francorum Reginæ *Regalis villa* & *Monaſterium Kala*; in Geſtis Francorum *villa Calenſa in Pariſiaco*, id eſt *Calenſis*; Bedæ in libri III. capite VIII. *Cale*. Stephanus Pariſienſis Epiſcopus, in epiſtola ad Gaufridum Carnutenſem Epiſcopum & Apoſtolicæ Sedis Legatum data anno MCXXX. locum corrupto & uſitato tum nomine *Chelas* vocat: *Abbatiam* (inquit) *Monialium quæ eſt Chelis*. *Chelam* vocat & Gerbertus, Stephano CXXX. annis vetuſtior, in epiſtola ad Canonicos B. Martini, quos *ad placitum Chelæ habendum* venire ipſe cum ceteris Epiſcopis jubet. Ibi hodieque vicani oſtentant veſtigia Palatii Chilperici Francorum Regis, qui quum venationi operam dabat, exemplo avi ſui Chlodovei Magni, amœnitate loci ob propinquitatem ſilvæ Bungeienſis admodum delectabatur, atque ibidem eſt interemtus. Eo in loco Chrothildis Chlodovei majoris uxor oratorium B. Georgio molita eſt: vel (uti ait auctor libelli de Vita Balthildis) *Cœnobium ſacrarum Virginum in honore S. Georgii prima conſtruxit*: & hodieque ibidem eſt Baptiſmalis Eccleſia, S. Georgii titulo inſignis. Eodem in loco vel vico *Cala*, qui *Decanatui Kalenſi* nomen dedit, Balthildis Chlodoveo junio- ꝛe viro ſuo orbata, ac Chlotharii filii tutelam

gerens puellarum Monaſterium diruto Sancti Georgii oratorio nobiliſſimum extruxit, & plurimis ampliſſimiſque poſſeſſionibus ac villis dotavit: quò & demum ſeceſſit, ex Regina Monacha facta, & Bertilæ Abbatiſſæ ſubjecta Obiit in Monaſterio ſuo III. Kalendas Februarias, & in Baſilica S Crucis quam à fundamentis ædificaverat, honorificentiſſime ſepulta eſt. *Chelles* vel *Chelle* vulgò dicitur à Noſtris, ad Gerberti *Chelam* & ad Stephani *Chelas* proximè accedēte vocabulo. *Chelle* inquam dicitur à Noſtris *Cala*, ut ſcala *eſchelle*, c Latino in ch & a in e ex more cōmutatis: quamquam videtur utrumq; nomen potiùs cum uno l. ſcribi oportere, *Chele*, *eſchele*, ſicuti apud Latinos.

Camps ad Matronam, à circumjacentibus campis nomen invenere, *Champs* vulgò, aliis *Champs Moteux*.

Campiniacum, *Champigni* ad Matronam flumen: in actis Synodi Sueſſionicæ ante annos DCCC. memoratum. *Campaniacum* priùs dictum eſt à Campano.

Campiplantarium, in veteri Catalogo *Campiplantum* mendosè, vulgò *Champlant*. Poſitus eſt hic vicus ab Iveta amne non procul & ab Orcecio, *Orcay*, ac Palatiolo.

Campus lupi dicitur in veteri Catalogo *Chantelou*: qui eſt vicus proximus Caſtris ad Urbiam, *Chantelou* pro *Champdelou*. Eſt & *Chantelou* in Briegio; & inter Sequanam ac Iſaram: ſunt & alia alibi ejuſdem nominis loca, quæ *Campos lupi* quàm *Cantus lupi* malim nuncupari.

Cannaberia, *Chenevieres*, à multa cannabe nomen habent. Tres ſunt in Pariſiorum finibus eius nominis vici. Aliæ enim *Cannaberiæ* ad Iſaram, non procul ab Iſaræ & Sequanæ Confluentibus: aliæ ad Matronam, non longè ab eius & Sequanæ Confluente; ambæ *Cheneveriæ* nomine Latino corrupto dictæ in veteri Catalogo, poſterior *Canabera* in recentiore Catalogo, in veteri etiam *Canaveria*: ambæ Noſtris *Chenevieres* nuncupantur. Sunt & tertiæ in Pariſiis Cannaberiæ prope Lupercas, *Chenevieres* item vulgò vocatæ.

Cantriacum, ni fallor, *Sintrium* vocatur Odoni de Vita Burchardi Comitis prope Soſiacum; *Sentri* in vetere Catalogo in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi. *Cintrium* & *Centri* ſcribi malim. In priſco nummo *Cantriaco vico*: vulgò *Sentri* nuncupatur.

Cantus Lupi, *Chantelou*, in veteribus recentioribuſque catalogis memoratus, & à caſu nobis ignoto cognominatus impropriè. Non enim cantus ſed ululatus convenit lupo. Poſitus eſt hic vicus in Briegio Latiniacum inter & Turnomium: qui *Campus lupi* meliùs diceretur quàm *Cantus lupi*. Certè nunc *Cantus lupus*, nunc *Campus lupi* vocatur in Appendice Chronici Nangiacenſis.

Capella S. Audoeni, *Saint Ouen* vel *S Oüyn* ad Sequanam. Animadverto enim in actis Synodi Sueſſionis habitę anno DCCCLXII. eum vicum vocari *ſuper Sequanam Capellam S. Audoeni*; in veteri catalogo *Eccleſiam S. Audoeni apud Sanctum Dionyſium*, id eſt prope Monaſterium S. Dionyſii, *S. Oüin lez S. Denis*, aliàs *S. Ouen lez Paris*. Hæc fuit olim villa Regia, in qua Johannes Francorum Rex anno MCCCLI. menſe Januario Milites Stellæ inſtituit: quam in eodem Palatio ſuo Carolus eius filius abjecit, & Præfecto Vigilum dedit.

Capella Milonis, *la Chapelle Milon*, ad amnem Ivetam, non longè à Caproſia.

Capella S. Dionyſii, proxima Lutetiæ, *la Chapelle S. Denis*, ad Monaſterium S. Dionyſii pertinens.

Capriacum, *Chevry*, vicus in Briegio, nomen à capris mihi videtur accepiſſe, & *Cabrianecum* in veteri nummo nuncupari: in quo legitur *Cabrianeco*. Quæ inſcriptio docet, nummum in ea villa quæ tum fiſcalis aut Regia eſſet, percuſſum fuiſſe. Lucius PP. in litteris datis anno MCXXCIV. *Caurilium* vocat quaſi Caprilium.

Caput villa, *Chaville*, non longè ab amne & vico Bevera. Eius vici in veteribus Catalogis (quod mireris) nulla fit mentio; in priſcis litteris Epiſcoporum & Regum aliqua.

Carenton vel *Carento* ad Matronam, alias *Carētonium*, vulgò *Charenton*, vicus *Charenton* etiam dictus in vetere Catalogo, vetuſtus admodum & ante annos nongentos ponte ſuo ad Matronam nobilis. Quippe eius mentionem faciunt Annales Bertiniani his verbis. Anno DCCCLXV. *Carolus fidelium ſuorum conſilio pontes ſuper Iſaram & Matronam refici curat. In locis quæ dicuntur Alvernis & Carenton, quoniam ab incolis qui ex antiquo pontes ipſos fecerant, propter infeſtationem Nortmannorum refici non valebant: ab eis*, &c. *Pontem Carantonis* vocat Vita S. Mederici. *Alverni* autem ſunt *Auvers*, vicus hodieque non ignobilis in Velocaſſibus ad Iſaram, ſupra Brivam Iſaræ: de quo vico & Acta Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. mentionem faciunt, quum Ludovicus Abbas Monaſterii S. Dionyſii *in Alvernis manſos duos* præter cetera Monachis ſuis attribuit.

Carolivenna, in veteri Catalogo *Karolivena* corruptè pro *Karolivenna*, locus ad flumen Sequanam inter Alpecum & Rotoialum, anno DCCCXLVI. regnante Carolo Calvo ſtatione Nortmannorum nobilis: quemadmodum Aimoinus in libro I. Miraculorum S. Germani Pariſiorum Epiſcopi refert. *Chalevane* vulgò vel *Chalvaine* hodieque nuncupatur. *Venna* autem vel *Vanna* linguâ Gallicâ piſcatoriam ſeu locum in flumine piſcationi deſtinatum paratumque ſignificat. In litteris Childeberti Francorum Regis de Baſilica S. Vincentii. *Piſcatoria quæ appellatur Vanna*. In Actis Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. *Cenſum de Venna, quæ eſt ſuper fluvium Lith.* Dicta eſt *Karolivenna* à Karolo Duce & Principe Francorum, patre Pippini Regis, qui ibi piſcariam in Sequana fieri conſtruique iuſſit, ut docent litteræ Imper. Ludovici Pii, anno III. imperii eius datæ, his verbis. *Piſcariam, quam olim proavus noſter bonæ memoriæ Karolus in pago Pinciacenſe, in villa quæ vocatur Riolum, in fluvio Sequana fieri juſſit, ad Monaſterium S. Germani, ubi ejus corpus requieſcit, & ubi Hirmino paſtorali fungitur officio, libentiſſimè conceſſimus.* quem locum Ludovicus ibidem ſemel atque iterum *Karolivennam*, id eſt Caroli piſcariam vel capturam appellat, & *Riolum* ante dictum

eſſe, atque in pago Pinciacenſi poſitum fuiſſe, apertè videtur indicare. Inter Montem Gemellum & Palatiolum eſt Carolipons, *Chalpon* vel *Chalepon* vulgò dictus vicus, uti Carolivenna *Chalvaine* aut *Chalevane* à *Carolo*, quem noſtri *Chal* ſeu *Chale* truncato nomine dixere.

Carrona, aliàs *Charrona* & *Charronna*, vulgò *Charonne*. Inter XIII. *Preſbyteros Cardinales, qui debent intereſſe quum Epiſcopus celebrat in Eccleſia Par.ſ. in Natali Domini, Paſcha & Aſſumtione, Preſbyter de Charrona, Preſbyter S. Stephani de Greſſibus Pariſ. Preſbyter S. Iuliani Pauperis Pariſ. & Preſbyter S. Iohannis in Grevia* cum IX. aliis memoratur in Chartulario Pariſiacæ Eccleſiæ MS. annorum ferè CCCC. *Carronam* vocat Eugenius PP. III. anno MCXLVII.

Caſtanetum à caſtanearum copia nomen invenit, *Chaſtenay*, non procul à Vitrariis vico & à fluvio Bevera. Eſt & alterum Caſtanetum, *Chaſtenay* quoque dictum vulgò, in agro Pariſiaco propriè nuncupato, non longè à Luperis. Utriuſque *Caſtaneti* mentionem faciunt veteres ac recentiores Catalogi Parœciarum Eccleſiæ Pariſiacæ. *Caſtanetum* Luperis proximum Eugenius PP. III. in litteris anni MCXLVII. corruptè *Caſtenetum* vocat; Urbanus PP. II. in litteris anni MXCVII. corruptiùs *Caſlentinum*.

Caſtellio, vulgò *Chaſtillon*, vicus eſt ad Sequanam prope Luteciam Pariſiorum, inter Montem-Rubeum & Vallem Gerardi poſitus. Plurima ſunt ejus nominis loca in Galliis, ita dicta ut equidem exiſtimo, à munitionibus, quòd parvorum caſtellorum inſtar eſſent.

Caticantum ad Beveram, *Cachant*, in Catalogo veteri ac novo omiſſum, in priſcis tabulis non indictum, nomen à cantu fælis quem catum & muſionem vocarunt, videtur inveniſſe, ut *Cantus lupi*, *Liri cantus* à cantu gliris vel liri, *un Ler.* Omittitur in Catalogis, quia Eccleſiam Arcolii pro ſua habet, cùm domeſticâ careat.

Catolacum nummis etiam Regiis inſcriptum legitur. Vicus olim fuit ad fluvium Crodoldum, tumulo ac Baſilica B. Dionyſii Martyris, primi Epiſcopi noſtri, ſociorumque ejus inſignis: qui propter Monaſterium ab Dagoberto Francorum Rege ibi extructum, cum opibus ſuis tum maximè Principum noſtrorũ ſepulcris illuſtre, è vico caſtellum, ac poſtremò opidum non contemnendum evaſit, à S. Dionyſio dictum *la Ville de S. Denis en France.* Hunc *vicum Catulliacum, ab urbe Lutecia* V. *ferè millibus diſtantem* vocant Geſta Dagoberti; *vicum Catuliacum* Aimoinus in libro Hiſtoriæ IV. *Villam B. Dionyſii* Sugerius in litteris datis anno MCXXV. *Catolacum* vel *vicum Catolacenſem* liber de Vita B. Genovefæ; *Cadolagum locum* Fulradus Abbas Monaſterii S. Dionyſii in ſuo teſtamento.

Catonacum in veteribus Regum noſtrorum nummis legitur: quod quidam *Chaton* eſſe putant, vicum ad Sequanam non longè ab Argentoilo.

Caveniacum vocat Sugerius vicum Villæ Petroſæ proximum, qui *Chavenay* hodieque dicitur.

Cebrantum, in litteris Eugenii PP. III. anno MCXLVII. datis *Ceverentum*; in litteris Urbani PP. II. anni MXCVII. *Seurenum*; in veteri polyptycho *Ceuren* in Decanatu Monaſterioli: vulgò *Seuran* non lougè ab Alneto.

Cella ultra Sarnainum in veteri Catalogo memorata, *Cella* abſolutè in recentiore Catalogo dicta, vulgò *la Celle*, ita vocatur, quòd ad Monaſterium S. Germani pertineat. *Cellam Equilinam* eam vocat Irmino Abbas Sancti-Germanenſis, quoniam ſilvæ Aquilinæ proxima eſt. Eſt & altera *Cella juxta Bogivallem* cognominata à ſitu in antiquo Catalogo, quia proxima eſt Bogivalli, *Bougival* vel *Buzenval*. *Cella* autem nuncupatur, quoniam una eſt è Cellis, hoc eſt Prioratibus Monaſterii Columbenſis, cujus ad Abbatem hodieque pertinet ejus Cellæ donatio. Vulgò *la Celle*, aliis Cella S. Chlodoaldi ab Eccleſiæ forſitan loci Patrono, *la Celle S. Clou*.

Centeniacum à Centenio conditore vel domino nomen accepit, in Chartulario Foſſatenſi, & in veteri Catalogo non indictum, vulgò *Centeny*. Situs eſt hic vicus in Briegio, nec multum abeſt à Braia Comitis Roberti.

Centum Nuces à re nomen habent. Ita enim dictæ ſunt, quòd in eo vico, aut certè in ejus vici agro centum eſſent nuces. Vicus iſte non procul abeſt à Sequana & Argentoilo, *de Centum Nucibus* in catalogis priſcis ac novis appellatus: ut *Centumcella* in Tuſcia maritima; *Centumputei* in Bellovacis, *Champuy*, vel *Sampuis*; in Remenſi pago *Septem-Salices*, vulgò *Sepſaux*. Ac primò quidem *Centnois* vulgò Noſtri *Centumnuces* appellavere, deinde *Cennois*, ac demum corrupto vocabulo *Sanois*. *Centinodium* Sugerius in libro de adminiſtratione ſua vicum hunc vocat. Nimirum nucem Noſtri atque adeò nucetum *nodam* & *notam* etiam dixere, vulgò *la Noüe* aut *Noux*.

Cheſnetum in veteri Catalogo, id eſt Quercetum, vulgò *le Cheſnay*, quod idem eſt ac *la Cheſnaye*, à quercu, quam Galli caſnum olim vocaverunt, dein chiſnum ac cheſnum.

Ciconiola à multitudine pullorum ciconiarum cognominatæ, ut *Columbe* à copia columbarum, nonnumquam *Ceognole*, item *Cuegnole*, ac etiam *Ciaconelle* corruptis nominibus in tabulis ac catalogis veteribus dicuntur, ponunturque in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi in Briegio. Legi Chartarium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ in anno MCCXXCII. deſinens, in quo nunc *Eccleſia de Ceognolis*, nunc *de Cuegnolis* nuncupatur: & in quo de Andrea quodam Clerico hæc reperio. *Andreas de Ciconiolis Clericus* (ibidem *Andreas Clericus de Cuegnolis* dictus) *tenet ab Epiſcopo Pariſienſi in feudum in capite ſuo, in territorio de Noiſi,* XII. *arpenta terræ: & D. Anſellus & Milo de Montibus Milites, ſororij ejuſdem Clerici, tenent ab ipſo Clerico* XXXVI. *arpenta terræ in Parochia de Cichoniolis. De his omnibus quæ ipſe Clericus tenet in capite ſuo, & alij tenent ab eo tam ad cenſum quam ad feudum, fecit hominagium ligium VVillelmo Pariſienſi Epiſcopo Clericus memoratus.* Nunc vicus ille nomen

vetus ſed corruptum ſervat. Vocatur enim *Segnolles* vel *Songnolles* pro *Cigognoles*, poſitui; eſt ad flumẽ Ederam in Briegio non procul à Nuceto, (*Noiſi*) cujus ſuprà, uti & *Parœciæ Cicontolarum* fit mentio. Eſt & vicus *Segnolles* non procul à flumine Iſara, inter Petramlatam & Berceucortem (*Beſancourt*) medius, à *Ciconiolis* haud dubiè nomen nanctus: ſed qui priore multo recentior mihi videtur, propterea quòd in Catalogis Parœciarum Eccleſiæ Pariſiacæ nequaquam memoratur. In finibus Biturigum Cuborum ad ripam fluminis Cari alius quoque vicus eſt poſitus, *Ciconiolæ* olim, nunc *Sigongnolles* aut *Cigognoles* dictus.

Civiliacum à Civile aliquo poſſeſſore aut etiam conditore cognominatur: in veteri Catalogo mendosè *Civilliacum*, vulgò *Chevilly*.

Clippiacum villa quondam Regia fuit in agro Pariſiaco ad flumen Sequanam, Regibus Chlothario juniori, Dagoberto, Chlodoveo, Chlodoveique filio Theodorico antequàm in ordinem cogeretur, notiſſima ſedes ac gratiſſima. Nimirum Lutecia jaminde à Chlodoveo Magno Regum Francorum ſedes caputque Regni eſſe ocœperat: quæ fuit cauſſa tantorum Luteciæ incrementorum, & Regiarum in publicis pagi Pariſiaci villis, Cala, Clippiaco, Spinogilo, Rotoialo, Bonogilo, aliiſque exſtructarum. Ab copia cuniculorum cognominatur *Clippiacum in Varenna*, vel Clichiacum in Garenna, *Clichi la Garenne*; à ſitu in actis Synodi Sueſſionicæ *Clippiacum ſuper Sequanam*, ut diſtinguatur ab altero ejuſdem nominis vico, quem in Pariſiorum quoque finibus ſitum prope ſilvam Libertacenſem, *Clippiacum in Alneto* nuncupant, *Clichy en l'Annay*. Utrumque autem *Clippiacum*, vulgò *Clichi* vocatur p in ch verſo: quemadmodum apio, Gamapio, Attipiaco, ſimilibuſque nominibus in linguam noſtram tranſlatis videmus accidiſſe. Fredegarius qui primus de Dagoberto ſcripſit, & in IV. Chlodovei ejus filii regni anno deſiit, *Clippiacum Cuniculoſum* primus omnium commemorat ante annos plus mille, & in capite LIII. libri V. ac ultimi Chronici refert, Dagobertum Regem Auſtraſiorum *in Clippiacum non procul Pariſius veniſſe* ad patrem annum regni XLII. agentem, ibique *Gomadrudem in conjugium accepiſſe*: & anno regni ſui XLIV. Chlotharium, Dagoberti patrem, Pontificum & Procerum Neuſtriæ atque Burgundiæ conventum egiſſe *in Palatio Clippiaco*, ac Æghynam Saxonum Optimatem, cujus à famulis Ermenarius tum ibi fuerat interfectus, *in Monte Mercore juſſu Chlotharii reſediſſe*. Ita in veterrimo Fredegarii codice qui Jacobi Sirmundi fuit, ſcriptum reperi, cùm libri ejus editi ſeu typis impreſſi *Montem Mercomirem*; Aimoinus *Montem Marcomirum* corruptè vocet. Eſt autem *Mons Mercore*, vel potiùs *Mons Mercorii* ſeu *Mons Mercurii* proximus hodieque *Clippiaco Cuniculoſo*, is quem Abbo non ſemel *Montem Martis*; Hilduinus Abbone vetuſtior, Frodoardus & alii à cæde Dionyſii Epiſcopi noſtri Ruſticique & Eleutherii *Montem Martyrum* nuncupant. Dagobertum *apud Clippiacum reſidentem* anno regni XIV. adiit *Judacaile Rex Brittanorum, & ſemper ſe & Regnum Brittaniæ ſubjectum Francorum Regibus* futurum *promiſit*: uti Fredegarius, Florentius Abbas in Vita S. Judoci, Geſta Dagoberti, ac Aimoinus produnt: ex quibus Florentius & Geſta Dagoberti *Palatium Clippiacum*; Aimoinus in libro IV. *villam Clippiacum* appellat, Vitæ SS. Epiſcoporum Amandi & Audoëni *villam Clippiacum*. *Anno XV. regni Dagoberti*, qui eſt Chriſti Domini noſtri DCXXXVII. *omnes Seniores terræ Vaſconiæ cum Aginane Duce ad Dagobertum Clippiacum venerunt*, ei de incurſionibus ſatisfacturi, *& in Eccleſiam domini Dionyſii* metu Regis *confugerunt*. Parum verò abeſt à vico *Clippiaco* hodieque Baſilica S. Dionyſii Mart. tumulo ac Monaſterio illuſtris. Amandus, qui poſtea Tungrorum ſeu Trajectenſium Epiſcopus fuit, *venit ad Dagobertum Regem, in villa cui vocabulum Clippiaco eſt commorantem*, filium ejus Sigibertum vel Siggybertum XL. dierum infantem ablucturus: ut in libro de Vita B. Amandi ſcribit auctor æqualis. *Anno III. regni Chlodovei* Dagoberti filii, *Æga* Major domus Regiæ *in Clippiaco villa vexatus febre moritur*: ſicuti ait Fredegarius, quem Geſta Dagoberti Aimoinuſque tranſſcribunt. *Clippiagum villam Regalem, ſuburbanam Pariſiorum civitatis* vocant haud falsò Geſta Regum Francorum *Clippiacum* noſtrum. Vix enim duabus leugis abeſt ab urbe Lutecia. In hiſce Geſtis ac in Vita S. Audoëni invenio, Audoënum Dadonem Rotomagenſem Epiſcopum, annis & meritis gravem, poſt legationem de pace ad Pippinum Auſtraſiorum Ducem feliciter obitam, cùm in *villam Regiam Clippiacum* ad Regem Theodoricum ac VVarattonem Majorem domus Regiæ veniſſet, in febrim incidiſſe, ibidemque deceſſiſſe. Nicolaus Ægidius in Annalibus Francicis *Clippiacum* ubi Audoënus mortem obiit, interpretatur *vicum S. Audoëni* ſuburbanum, *Saint Oüen*. Sed errat haud dubiè. Aliud enim eſt *Clippiacum*, nimirum *Clichi*; aliud *vicus S. Audoëni*, ſeu *Capella S. Audoëni*, *S. Oüen*: licèt ambo vici ad Sequanam poſiti & alter alteri proximi ſint. Certè Acta Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. utrumque vicum diſtingunt, & hunc quidem *ſuper Sequanam Capellam Sancti Audoëni* (uti obſervo) vocant; illum *Clippiacum ſuper Sequanam*: vetus Catalogus poſteriore nomine nunc uſitato *Clichi* vel *Eccleſiam de Clichi*, priorem *Eccleſiam S. Audoëni apud S. Dionyſium*, hoc eſt juxta Monaſterium S. Dionyſii appellat. Ægidium nihilominùs ſecutus eſt Brolius, ſecuti Sanctamarthani.

Clippiacum alterum, in recentiore Catalogo Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ nuncupatur à ſitu *Clippiacum in Alneto*, *Clichi en l'Annay* vel *Clichi l'Annay*: *Clippiacum Superius* ni fallor, in Geſtis Dagoberti, quòd ſit trans montes in ſilva Libertacenſi. Dicitur autem Dagobertus anno regni XIV. *Clippiacum Superius, Idcinam, & Salicem ſeu Aquam putam* villas in pago Pariſiaco conſtitutas Baſilicæ Dionyſii Mart. donaviſſe. Quod nulli alii quàm *Clippiaco in Alneto* conve-

nire poſſe mihi videtur: cùm regnante apud Francos Theodorico, Dagoberti hujus nepotum minimo, *Clippiacum* ad Sequanam villa adhuc Regia ſeu publica eſſe perſeveraret, & ad fiſcum, non ad Monaſterium S. Dionyſii pertineret, nec hodieque pertineat, eoque Audoënus ad Regem & ad Præfectum Palatii venerit, legationem ſuam relaturus.

Cobreum in vetere polyptycho, vicus in Decanatu Monaſterioli, vulgò *Comberon* ad ſilvam Bungeienſem.

Collis Longus, vicus in Briegio ita dictus à ſitu, vulgò *Coulon*. *Eccleſia de Collolongo* in veteri Catalogo nuncupatur.

Columbæ à multitudine columbarum dictæ, ut *Ciconiolæ* in Pariſiis, & *Ciconiæ* in Turonibus, *Cigogues*, inter Carum & Audriam fluvios, à magno ciconiarum numero: vulgò *Coulombes* ad Sequanam contra Spinogilum. Alia ſunt ejuſdem nominis loca in Galliis, in primis Columbæ, *Coulombs* vel *Coulome*, inſignis Monaſterio vicus in Diœceſi Carnutina non procul Novigento Regis ad Auturam flumen.

Combelli, ut & *Columba*, in utroque Catalogo noſtro veteri ac recentiori memorati, vulgò *Combeaux* aut *Combaux*. A *combellis* ſeu parvis concædibus vicus hic, in Briegio non procul à Matrona poſitus, nomen videtur accepiſſe. *Combros* porro concædes ſignificare, docent Geſta Francorum capite xxv. in quibus Chlotharius major Rex Francorum dicitur, *in ſilvam Arelaunum confugiſſe feciſſeque combros*: quem Gregorius in libro iii. ſcribit, metu fratris fratriſque filii *concides magnas in ſilva feciſſe*. Ex *combro* autem fit *combellus*, ut ex pulchro pulchellus, ex nigro nigellus, ex macro macellus, ex cancro per diminutionem cancellus, ex fratre fratellus pro fraterculus. Fuit olim villa Regia vel publica, & ibi nummi percutiebantur. Certè in quodam veteri nummo Regum noſtrorum, quem Claudius Botarotius in ſuo opere de Nummis Francicis profert, ſcriptum reperio, *Combellis fit*: quod de *Combellis* noſtris Brigenſibus accipi oportere nemo negaverit.

Combis Villa in recentiore Catalogo memorata, eſt *Con-la-ville*, aliàs *Combs la ville* ad flumen Ederam in Briegio: *Cons*, ſeu *Eccleſia de Cons* in veteri Catalogo dicta. In Chartulario quoque Eccleſiæ Pariſiacæ nunc *Cons*, nunc *Combis Villa* appellatur hic vicus his verbis. *Anno* mcclv. *fecit homagium domino Reginaldo Pariſienſi Epiſcopo dominus Guillelmus de Edera Miles, de feodo de Cons.* Idem autem *dominus Guillelmus de Edera, dominus Combis-Villæ & Rovegnei* infrà nuncupatur, & anno mcclxviii. D. Stephanum Pariſ. Epiſcopum vexiſſe dicitur. Hæc villa ad Monaſterium S. Germani olim pertinebat. Aimoinus in libro i. de Miraculis S. Germani ante annos dccc. ejus *corpus de ſuo effoſſum ſepulcro, in poſſeſſionem ejuſdem Eccleſiæ quæ Cumbis dicitur, delatum eſſe* tradit. *Cumbas Villam* memorat & Irmino Abbas Regalis Cœnobii Sancti Germani de Pratis. *Cumba* loci nomen eſt ſincerum & incorruptum: qui locus & *Cumba Villa* vel *Combæ Villa* rectiùs quàm *Combis Villa* vocaretur. Provinciales, Dalfinates ac Sapaudi præter ceteros convalles *cumbas* appellitant, *combes*: & loca inter montes poſita eodem ab eis nomine cenſentur. In Sapaudia eſt Cumba, *Combe*; eſt & Monaſterium *Alta Cumba* inter duos montes ſive in convalle non procul à Rhodano ſitum, *Haute Combe*. Ab eodem ſitu *Cumbæ* noſtræ nomen acceperunt haud dubiè, *Combis Villa* vulgo dictæ: & de *Combellis* vel *Cumbellis* ita etiam forſitan ſentiendum, eum vicum non à combris, ſed à parvis *cumbis* ſive *cumbellis* appellationem traxiſſe.

Concha in veteri Catalogo MS. quem legi; *Conchiæ* in recentiore quē Brolius edidit, vulgò *Conches*, vicus in Briegio non procul à flumine Matrona & Latiniaco. Eſt in Aquitania nobile Monaſterium ac vetuſtiſſimum, quod à loco in quo ſitum eſt, *Monaſterium Concas* appellat auctor libri de Vita Ludovici Pii Aug. Ludovicus ipſe in ſtatuto de Monaſteriis Galliæ atque Germaniæ & Baioariæ *Monaſterium Conquas*, vulgò *Conches*. Eſt & ejuſdem nominis locus in Normannia Gallica ſeu in provincia Lugdunenſi ii. *Conchæ*, aliàs *Caſtellio*, Monaſterio veteri inſignis prope Mediolanum Aulercorum Eburovicum, *Conches*: à quo non longè abeſt vicus dictus *veteres Conchæ*, *vieux Conches*.

Confluentes Matronæ & Sequanæ; necnon *Confluentes Iſaræ & Sequanæ*, ambo vici vulgò *Conflans* dicti. Confluentes tamen Iſaræ & Sequanæ ſæpe à S. Honorina patrona loci Confluentes ad S. Honorinam dicuntur, *Conflans Sainte Honorine*. Uterque vicus nunc *Confluentia*, *Confluentium*, & *Confluentum*, nunc *Conflentium*, interdum *Coflent*, nonnumquam & *Coflans* in veteribus tabulis & catalogis corruptè nuncupatur: à quibuſdam prior, *Confluentium juxta Carentonem*; poſterior, *Confluentium S. Honorinæ*, inter caſtella à quibuſdam numeratus, ut ſuprà notavimus.

Biberis ac Sequanæ Confluentia memorat Aimoinus in capite xiii. libri ii. Miraculorum S. Germani.

Corcorona in Catalogis Parœciarum Eccleſiæ Pariſiacæ notatur, vulgò *Courcouronne*, non procul ab Exona.

Cormiliæ vel *Cormeliæ* à ſorbo arbore quam cormiliam vocamus, (*un cormier*) quæ ibi plurima eſſet, videntur eſſe dictæ; uti *Cormiliæ* in Veliocaſſibus (*Cormeilles*) non procul à Briva Iſaræ; *Cormiliæ*, *Cormeille*, in confinio Pariſiorum & Silvanectum; necnon Cormiliæ (*Cormeille*) prope Auguſtam Sueſſionum; *Cormes* vicus in Pertico non procul à Novigento Rotroci; *Cormeliæ* ad Riſelam prope Pontem Audomari, *Cormeilles*; aliaque ejuſdem nominis loca in Gallia. In Actis Synodi Sueſſionis habitæ anno dccclxii. inter villas à Hludovico Monaſterii S. Dionyſii Abbate Monachis ſuis ad victum veſtitumque attributas numeratur inprimis *villa Cormiliæ in pago Pariſiaco ſita* non ſemel, *Cormiliæ* ibidem dicta; in Catalogo veteri *Cormeliæ*; *Cormeliæ Pariſienſes*, vel *in pago*

Pariſienſi apud Sugerium, vulgò *Cormeilles en Pariſis*, non procul à flumine Sequana.

Corquetena, *Croquetaines*, vicus in Briegio Ciconiolis proximus, ita in veteri Catalogo Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ dictus.

Coryletum à multitudine corylorum nomen accepit. *Corylum* autem vulgò *codrum* nuncupamus, *un coudre*; locum corylis conſitum, coryletum vel corylôna, *un coudray*, aut *une coudraye*. *Codretum* inde vocatur hic vicus in Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ; *Coudretum* in recentiore Catalogo; *Coldretum* aliis; *Coudray* ad Sequanam non procul à caſtro Corboilo. In Chartulario ſuprà laudato hæc legi, quæ ob faſtum Epiſcopalem ferre non potui. *Anno Domini* MCCL. *Dominicâ poſt Tranſlationem S. Martini portaverunt Epiſcopum Pariſ. Reginaldum Caſtellanus de Lupera, Bartholomæus de Codreio, & Guido Lupi pro Domino Rege*: qui nimirum Corboilum & Montem Leotherici Epiſcopi Pariſ. beneficio poſſidere dicebatur. Nam ibidem, *Iſti ſunt qui portaverunt dominum VVillelmumPariſ. Epiſcopũ, videlicet dominus Balduinus de Corbolio & dominus Theobaudus Macer Milites, deſtinati à Domino Rege pro Corbolio & pro Monte Letherici*. Scilicet vicarios Milites pro ſe mittere debuit Francorum Rex, & ſe litteris excuſare, quòd Epiſcopum in cathedra ſedentem non ipſe portaturus eſſet.

Criſtoilum, *Criſtolium* in veteribus noviſque Catalogis, vulgò *Creteil* pro *Creteüil*: ut Corboilum vel Corbolium *Corbeil* pro *Corbeüil*; Bonogilum vel Bonolium *Boneil* pro *Boneüil*, Spinogilum vel Spinoilum *Eſpinay* aut *Eſpineil* pro *Eſpineüil* nuncupare conſuevimus. In Chartulario Foſſatenſi modò *Criſtoilum*, modò *Criſtolium* dicitur. Vicus hic ad Sequanam in Briegio eſt notiſſimus, quem Robertus Autiſſiodorenſis Monaſterii S. Mariani Monachus, ſeu quis alius in Chronico ad annum MCCX. perducto, *vicum cui nomen Criſtoilum prope urbem Luteciam* appellat: ubi ab *Altino* & *Eodaldo* S. Sabiniani diſcipulis *Aggoadum* & *Glibertum* eminentes viros cum magna multitudine Chriſtianos factos, fano loci antiquiſſimo diruto, & à Præſide Pariſiorum miſſis militibus, Claudii ſoceri Neronis principatu cæſos eſſe ſcribit, fabuloſas Martyrum paſſiones & acta commenticia ſecutus. In Chartario Monaſterii Foſſatenſis, quod legi annorum circiter CCCC. ſunt litteræ veteres patriâ linguâ ſcriptæ, ac Latinis permiſtæ & inſertæ, in quibus *Criſtoilum* ſemper *Criſtoill* nuncupatur: uti & *Corboilum*, ſemper *Corboill*. Eadem ratione Chartularium Monaſterii S. Bertini in caſtro S. Audomari *Monaſteriolum* Ambianorum *Monſteroel* appellat.

Crociacum, *Croci* in vetero Catologo, vulgò *Croiſy* aut *Croiſſy*, vicus eſt ad Sequanam contra Carolivennam MalamqueManſionem, fortè ita dictus à croco plurimo ibi proveniente, vel à Croco loci domino. Nam apud Gallos, ut apud Alamannos Crocus nomen viri proprium fuit.

Crona in veteri Catalogo, *Croſna* in recentiori, nomen vetus hodieque ſervat. Vocitatur enim *Crône*, eſtque vicus ad amnem Ederam non procul à VillaNova quæ S. Georgii cognominatur in Briegio, in Chartario Foſſatenſi *Crone* etiã appellatione deſignatus.

Curia Bardi vocatur in Catalogo recentiore, quæ *Corbaart* in veteri, vulgo *Conbert* pro *Courbert*, vicus in Briegio proximus Braiæ Comitis Roberti. *Curtis Bardi* dici deberet. Nam cohors vel chors, quæ à recentioribus ſcriptoribus *curtis* vocatur, convenit vico ſuburbano, convenit villæ: at *curia* ſeu conſeſſus judicũ urbi convenit. Sed à noſtris Hiſtoricis ſæpe curia pro curte uſurpatur.

Curtis Nova, *la Cour Neuve*, id eſt Villa Nova, proxima eſt Monaſterio S. Dionyſii: de qua Rigordus hæc refert. *Anno Domini* MCXCIV. *puerulus* III. *annorum de Curte Nova, fortè in aquis extinctus, per preces & merita B. Mart. Dionyſii reſuſcitatus eſt.*

Curvena in vetuſto Catalogo memorantur: qui vicus eſt in Briegio non procul ab amne & Monaſterio Edera, vulgò dictus *Convres* aut *Couve*.

Curva Via, vulgò *Courbe Voye* vel *Courbe-Voye*, à re nomen habet, vicus ad & trans Sequanam prope Columbas. Sic *Curva Villa* in Carnutibus à ſitu dicta olim eſt, *Courville*.

Darentiacum, *Darenci* in veteri Catalogo, vulgò *Drancy* vocatur: vicus proximus parvo Burgo (*le Bourget*) atque Graulido, dictus videtur à Darentio aliquo, ut Mons Maurentiacus à Maurentio.

Diogilum vetuſtate ſua, & Cella locuplete ſive (ut vulgò loquuntur) Prioratu celeberrimus eſt vicus ſub Monte Maurentiaco, & in antiquis tabulis ſæpe memoratur. In veteri Catalogo *Diogilum* ſincero & incorrupto nomine, in recentiore *Dulium* mendosè pro *Duolium* appellatur; vulgò *Dueil*, aliàs *Deuil* pro *Deüil*. *Diogili* meminere ante annos DCCC. acta Synodi Sueſſionicæ: Sugerius Abbas in litteris datis anno MCXXXVIII. nunc *Diogilum*, nunc *Duolium* vocat.

Domuntum in veteri Catalogo appellatur. *Doſmuntum* & *Doſmontum* in priſcis tabulis familiæ Dominorum Montis Maurentiaci, propterea quòd in dorſo montis quod *dos* vulgò vocamus eſt conſtitutum: *Dômont*. Eugenius PP. III. in litteris anno MCXLVII. datis *Dolmontem* nuncupat.

Domus, *Eccleſia de Domibus* in vetere & novo Catalogo, ad Abbatem Foſſatenſem quondam pertinens: vicus eſt ad flumen Sequanam in Briegio, ſupra Luteciam, in Chartario Foſſatenſi nunc *villa Domorum*, & *Domus ſupra Secanam*, nunc *Manſiones* appellatus, vulgò *Maiſons*. Domos enim Noſtri *Maiſons* appellare conſueverunt. Eſt & alter in Pariſiorũ finibus ejuſdem nominis vicus, ad Sequanam ſimiliter ſed infra Luteciam poſitus prope ſilvam Lediam, aliis *Domus*, aliis *Manſiones* ſimiliter nuncupatus, *Maiſons*.

Donna-Petra in veteri Catalogo, *Damni-Petra* in recentiore, vulgò *Dam-pierre*, ad amnem Ivetam non procul à caſtro Caproſia Vallibuſque Sarnaii. *Damna Petra* vocatur in litteris Henrici Abbatis S. Dionyſii datis anno MCCXVII. *Domna Petra* in libro de adminiſtratione Sugerii Abbatis.

Donnus

Donnus Medardus, ſeu *Eccleſia de Donno Medardo* in veteri Catalogo memoratur non ſemel, Cellâ ſuâ ad Abbatem Hermeriarum pertinente inſignis: quæ Cella ſive Prioratus à loco atque Prioratu Sancti Medardi trans Sequanam ſito differt. Nam non longè abeſt à flum. Matrona & Latinisco, ac nuncupatur *Dommart* vel *Dammart*: uti Donnam Petram *Dampierre*, Domnum Martinum *Don Martin* aut *Dammartin* vocitamus. Ex domino autem Latini ſcriptores recentiores Domnum, & per deminutionem Domnulum ac Domnolum: ex Domno etiam poſtea Donnum fecere, ut ex Chramno Chrannum, ex Bertchramno Bertchrannum & Berthrannum. Majores noſtri pro Domno aut Donno *Dom* vel *Don*, & *Dam* vel *Dan*; pro Medardo *Mard* aut *Mart* dixere.

Dravernum in priſcis Regum noſtrorum litteris memoratur, ad Sequanam vicus in Briegio, *Dravel* in vetere Catalogo, *Dravellum* in recentiore, & in Chartulario Pariſiacæ Eccleſiæ: vulgò *Drever*, alias *Drevel*: in pleriſque tabulis Geographicis corruptè *Drovet*.

Drionnum vicus, cujus in nummo quodam Regio fit mentio DRIONNO VICO apud Claudium Botarotium, videtur eſſe *Trienxon*, in quibuſdam tabulis *Trianon* prope Luſarchias. Quippe D litteræ cum T. eſt quædam cognatio, ut ait Quintilianus. *Laudes* & *vendas* in priſcis tabulis dici reperio, quas nunc vocamus *lots & ventes* d in t. mutato. Eſt & *Trianon* vicus trans flumen Sequanam, proximus Trappis & Villæ Petroſæ.

Edera vicus Monaſterio ſacrarum Virginum antiquo inſignis, *Ierre* vulgò dictus, in Briegio poſitus eſt ad flumen Ederam, à quo & nomen accepit. In Vitæ Petri Archiepiſcopi Tarentaſienſis qui anno MCLXXI. obiit, capite XL. Gaufridus Abbas Altæcumbæ ejus Monaſterii meminit his verbis. *In pago Pariſiacenſi Cœnobio cuidam edera nomen dedit: ubi multæ Sanctimoniales habitant mulieres.* *Edera* vici & Eccleſiæ meminere Catalogi in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi.

Erbleium, *Herbelay* aut potiùs *Erblay* ad Sequanam, non procul ab ejus & Iſaræ Confluentibus, *Arbelay* quibuſdam dicitur: *Herbleium* in litteris anno MCCVII datis.

Ereniacum in litteris Eugenii PP. III. *Erigni* in vetere polyptycho, vulgò *Eragni*, ad flumen Iſaram.

Ermen in veteri Catalogo memoratus vicus, nomen retinet priſcum prope Aquam-Bonam.

Eſcuina in recentiori Catalogo; *Eſcuem* in veteri; *Eſcuen* in litteris Eugenii PP. III. datis anno MCXLVII. vulgò *Eſcouen*, vicus frequens, & arce ſua nobilis. Ac videri etiam poſſit in Geſtis Francorum *Iſcuina* appellari. Ibi enim in capite XXXVII. Chlotharius minor in pago Senonico ad flumen Aroannam, non procul à Doromello vico acie victus eſſe dicitur à Theodorico Rege Burgundiæ, & Melodunum caſtrum Senonum, urbem Pariſios, ſilvamque inde Arelaunenſem fugâ petiviſſe: Theodorico inſecuto, & poſt vaſtatam igne ferroque regionem uſque ad *Iſcuinam* aut *Scionam* vicum, cum ingenti præda domum reverſo. In Geſtis qualia à Marchardo Frehero edita ſunt, hæc legimus. *Theudericus quoque regionem illam devaſtans atque ſuccendens uſque Sciona vico, cum multo ſpolio reverſus eſt.* Duo codices qui fuerunt V.C. Alexandri Petavii, pro *uſque Sciona vico* ſcriptum habent, *uſque Iſcuinam vicum*: quo *Iſcuina* vel *Sciona vici* nomine *Eſcouen* mihi videtur poſſe deſignari, vicus non longè ab urbe Pariſiorum Lutecia inter flumina Sequanam & Iſaram medio ferè loco poſitus, Theodorici Chlotharium perſequentis vaſtationis terminus. *Scionam* tamen *vicum* olim cùm Hiſtoriam Francicam ſcribebam, non alium eſſe locum exiſtimavi quàm Exonam vel Axonam vicum, (*Eſſonne*) inter Melodunum & Luteciam ſitum ad flumen Exonam, quâ fugiſſe victum Chlotharium conſtat, & quouſque Theodoricus eum inſequens potuit pervenire. Quam conjecturam non dubito plurimis placituram. Utra opinio alteri anteferenda ſit, lector ſapiens & doctus judicet.

Euriacum, in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi ponit vetus Catalogus, quod *Aiureum*, necnon *Iureum* vocat Odo in Vita Burchardi Comitis: vulgò *Euri*, in quibuſdam tabulis Geographicis *Every*, ad Sequanam prope Corbolium. In Chartulario Monaſterii Foſſatenſis nunc *Everiacum*, nunc *Euriacum ſupra Secanam* dicitur.

Fabariæ à copia fabarum ibi provenientium dictæ videntur, ut *Aſinariæ* ab aſinis, *Cannabariæ* à multa cannabe, *Brueriæ* à myricis quas vulgò brueriás vocamus. *Faveriæ* corruptè nuncupantur in utroque Catalogo noſtro, & in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, in quo *Eccleſia Faveriarum & Lodoville* junguntur: vulgò *Favieres*, aut à Patrono loci *Saint Sulpice de Favieres*. Vicus eſt inter flumina Urbiam & Junnam poſitus, non procul à vicis Eglies & Chetenvilla. (*Egli & Chetinville.*)

Fabariæ in Briegio, non procul à *Turnomio* caſtro, *Faveriæ* item in utroque Catalogo appellantur; *Faveriæ* & *Faveriæ in Bria* ſimiliter in Chartulario Foſſatenſi; vulgò *Favieres*.

Ferrariæ à ferrariis ſeu ferrifodinis nomen videntur accepiſſe, *Ferreriæ* corruptè in veteri Catalogo dictæ, *Ferrariæ* ſincero nomine in recentiore: vulgò *Ferrieres*. Acta Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. *Ferrarias* iſtas cum Campiniaco memorant. Vicus eſt in Briegio ac in Decanatu Latiniacenſi poſitus inter Pontem Quadratum atque Turnomium. Multa ſunt ejuſdem nominis loca in Galliis, in primis *Ferrariæ* ſeu Bethlehem vicus Monaſterio vetuſtiſſimo inſignis in pago Vaſtinenſi. *Ferrariæ in Caſtrenſi pago ſitæ* memorantur in litteris Caroli Craſſi Imper. mihi ignotæ.

S. Ferreolus, vel ad S. Ferreolum, *Saint Forgel*, vicus eſt ad amnem Ivetam non procul à caſtro Caproſia.

Ferrolæ notæ in Catalogis Parœciarum

Diœceſeos Pariſiacæ, verus nomen retinent. Dicuntur enim *Ferolles*, ſitæque ſunt in Briegio prope Braiam Comitis Roberti. Videntur olim nuncupatæ eſſe *Ferreola* à Ferreolo loci domino vel auctore. Certè *Eccleſiam de Ferreolis* dictam eſſe apud Brolium reperi, & inter Eccleſias ad Abbatem Foſſatenſem pertinentes numerari. In Chartulario Monaſterii Foſſatenſis ſæpe *Ferreola* ſincero nomine; *Ferrolæ* item atque *Ferrolia* non rarò corrupta appellatione nuncupantur.

Floriacum à Floro vici conditore aut poſſeſſore nomen deducit: vulgò *Fleury*. Vicus eſt poſitus inter fluvios Urbiam & Junnam, atque inter vicos Orengiacum (*Orangu*) & Corcoronam; in Catalogo veteri non indictus.

Eſt & Floriacum, Fleury, inter Modunum & Balneola, vicus non antiquus: item *Floriacum* in ſilva Bieria Diœceſeos Senonicæ, cella Monachorum inſigne, *Fleury en Biere*: & alia.

Fontaneta in pago Pariſiaco ſunt multa. Vetus Catalogus Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ *Fontanetum* quoddam memorat prope Sarclidas, Gif, Bures, & Cellam ultra Sarnaium: quod vulgò *Fontanetum Floridum* cognominatur, *Fontenay le Fleury*; aliàs *Fontanetum ad Roſas*, *Fontenay aux Roſes*; nonnumquam *Fontanetum juxta Balneola*. Alterum *Fontanetum* collocat circa Lardiacum, Eſcharconem, (*Eſcherron*) atque Moncellos, (*Monceaux*) quod *Fontanetum Vicecomitis* nuncupatur, *Fontenay le Vicomte*, aliis *Fontanetum Comitis*, quoniam (ut exiſtimo) ad Comitem aut ad Vicecomitem Corbolii olim pertinuit. Tertium *Fontanetum in Decanatu Muſterioli* vel *Monſterolii*, hoc eſt Monaſterioli ponit prope Novigentum & Muſteriolum: quod vulgò *Fontanetum ſupra nemus Vicenarum* appellitant à ſitu, *Fontenay ſur le Bois*, ut & Monaſteriolum ipſum cognominatur *Monſtreüil ſur le Bois*. Quartum vocat *Fontenetum* pro Fontaneto, ponitque inter Ermenovillam & Luperas: quod à ſitu recentior Catalogus nuncupat *Fontanetum juxta Luperas*; in Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ veteres tabulæ *Fontanetum juxta Marolium* appellant, *Fontenay-Mareüil*; nonnulli *Fontanetum in Francia*, *Fontenay en France*; Acta Synodi Sueſſionicæ ante annos DCCC. *Fontanidum* prope Gunſanevillam. Quintum omittit *Fontanetum juxta Brias* cognominatum in recentiore polyptycho, propterea quòd vicinum eſt Briis vel Bries, vico vulgò *Bris* dicto, ſed multo vicinius Caſtris fluminique Urbiæ. Eſt & *Fontanetum* præter cetera in pago Briegio non procul à Caſtris Briegenſibus, quæ ſunt Eccleſiæ Pariſiacæ ſubjecta, Pariſiiſque attributa. Sed *Fontanetum* iſtud ut Calmis Senonum eſt proximum, ad Pariſios ni fallor non pertinet. Fontaneta autem quotquot ſunt in Galliis, quin à multitudine & abundantia fontium dicta ſint dubitare nemo poteſt aut debet.

Footellum vel *Foetellum*, à fago parva quam fotellum ſeu *fonteau* vulgò nuncupant Noſtri, nomen videtur accepiſſe, aliàs Mala Noda, *Malenoë* vel *Malenoux* in Briegio prope Gornacum. Ibi eſt Abbatia B. Virginis *de Footello*, dicta & S. Mariæ de Nemore, aut de Boſco, vel *Mala Noda* in Decanatu Latiniacenſi.

Forgiæ, ſeu *Eccleſia de Forgiis* in vetere polyptycho Eccleſiarum ſedi Pariſiacæ ſubjectarum, non longè ab Orceio, vulgò *Forges*, *Forgia* & in recentiore Catalogo.

Foſſæ in Catalogis veteri ac recentiore notæ, nomen Latinum retinent. Vocitantur enim *Foſſes*: qui eſt vicus proximus Bellofonti, *Belle Fontaine*, Puteolis & Caſtaneto vicis in extremis Pariſiorum finibus. Sic *Foſſatum Bacaudarum*, & abſolutè etiam *Foſſata* ac *Foſſatos* nuncupaverunt vicum ad Matronam Monaſterio inſignem, *Saint Maur de Foſſez*.

Francorum Villa in priſco polyptycho dicitur, *Franconvilla* in recentiore, vulgò *Franconville*, vicus nobilis inter Centum Nuces atque Cormilias. Acta Synodi habitæ Sueſſionis anno DCCCLXII. *Francorum Villam* commemorant inter vicos ad Monaſterium S. Dionyſii in totum aut ex parte pertinentes, & Sugerius in litteris anni MCXXXVII. & in ſuis rebus geſtis. Dicta autem videtur *Francorum Villa*, quòd à Francis condita eſſet, ab eiſque incoleretur: ſicuti contrà *Romana-Villa*, *Romainville* à Gallis auctoribus habitatoribuſque nomen accepit, qui ut Itali, Hiſpani, ceterique populi Romanæ quondam ditionis, vulgò *Romani* appellabantur.

Fraxinus, *Freſne* ſeu *Eccleſia de Freſne* vocatur in veteri polyptycho; *Fraxini* in recentiore. Tamen in tabulis Geographicis noſtris *Freſne* nuncupatur, non autem *Freſnes*. Vicus eſt proximus villæ Ceteris, & Ponti Antoniacenſi. Sic *Quercus* aut *Caſnus* vocatur, *le Cheſne*, vicus ad flumen Matronam oppoſitus Nuceto.

Gannиſſa vocatur in Actis Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. *Goneſſa* & *Goneſcha*, *Gonneſſia* quoque in veteri polyptycho & in MS. Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ; *Goneſſa* in recẽtiore Catalogo, quem Brolius publicavit. *Goniſſam* etiã & *Goneſſiam* in antiquis tabulis legere memini, vulgo *Gonneſſe* ad flumen Crodoldum. Pariſiacum (*le Pariſis*) à porta Luteciæ uſque ad Brivam Iſaræ ex una parte, ex alia ad Cloiam uſque verſus Briegium patere aiunt plerique, eique attribuunt *Ganniſſam*, Luperam, Cormelias, Eſcuinam, Vemartium, Vileronem, & alios vicos, qui ob id *in Pariſiaco* cognominantur, ut *Gonneſſe en Pariſis*, *Louvre en Pariſis*. *Ganniſſa* ſua eſt Præpoſitura: eſt & ſuum Xenodochium cum oratorio, exſtructum ante annum MCCX.

Gentiliacum agri Pariſiaci villa Regia, à Gentile domino ſuo nomen videtur accepiſſe. Primus ejus loci meminit Dado in libri II. de Vita B. Eligii capite XVII. ante annos mille his verbis. *Erat vir quidam habitans in ſuburbio Pariſiaco, haud procul à Baſilica B. Petri Apoſtolorum principis commanens: quem Eligius pro fide & devotione ſua familiariter diligebat, ipſeque ab eo pro reverentia ſanctitatis unicè diligebatur. Accidit ergo quadam die, ut poſt prædia Monaſterii ſui Eligius luſtrata, & à Gentiliaco jam digreſſus, Pariſius remea-*

ret : cumque non longè à domo ejus cum ſuo nobili, ut ſolebat, comitatu tramitem præteriret, &c. Nimirum Baſilica S. Petri quæ poſtea B. Genovefæ nomen accepit, & domus viri iſtius pii ei propinqua, erant tum ſuburbanæ ſeu extra muros Luteciæ poſitæ : & Eligium luſtratis prædiis Monaſterii ſui Pariſiis conſtituti, quod S. Eligii jamtum dicebatur, cùm egreſſus vico *Gentiliaco* rectà Luteciam peteret, non procul à Baſilica S. Petri ac domo iſta iter facere oportebat. Nimirum inter prædia Monaſterii S. Eligii *Gentiliacum* tum erat. Quare & in litteris Ludovici Balbi Franc. Regis *villulam Abbatiæ S. Eligii quæ vocatur Gentiliacus*, dici reperio in Parvo Paſtorali. Sed quî ergo villa Dominica eſſe potuit regnante Pippino *Gentiliacum*, ſi & multo ante & poſt Pippini principatum ad S. Eligii Monaſterium pertinebat? *Anno* D.CLXII. *Rex Pippinus hiemavit in villa Gentiliaco, atque in ea Natalem Domini ac Paſchalis feſti ſollemnitatem celebravit.* Anno DCCLXVI. idem Rex *Natalem Domini Salmonciaci, Paſcha verò Gentiliaci celebravit. Ortâ autem quæſtione de S. Trinitate & de Sanctorum imaginibus inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam, id eſt Romanos & Græcos; Rex Pippinus Conventu in Gentiliaco villa congregato, Synodum de ipſa quæſtione habuit magnam : eoque peracto, ad bellum conficiendum poſt Natalem Domini* (immo *poſt Paſcha*) *in Aquitaniam proficiſcitur* ut Eginhardus in Annalibus ſcribit, Annales vivo Carolo Magno compoſitos ſecutus: quem Ado, Reginoque in Chronicis, & ceteri veteres Annalium Chronicorumque Francicorum ſcriptores tranſcripſere. Synodum hanc, quam *in agri Pariſiacenſis villa Gentiliaco anno* DCCLXVII. *celebratam* dicunt Hiſtorici noſtri, hodie non habemus. *Gentiliacum* & priſcæ tabulæ, & veteres Catalogi Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ commemorant : nonnumquam *Gentilliacum* & *villam Gentilli* pro Gentiliaco; ut *Civilliacum* pro *Civiliaco*, *Attilliacum* pro *Attiliaco* corruptè appellitant. Vicus eſt hodieque ad Beveram fluvium poſitus, ac vulgò *Gentilly* vel *Jantilly* dictus, nomenque ſuum dat fluvio. *Beveram* enim nos Pariſiaci è vico iſto Luteciæ mœnibus proximo venientem, ac per Sanctorum Marcelli atque Victoris burgos, hoc eſt per media ſuburbana noſtra decurrentem, *Gentiliacenſem fluvium* nuncupare conſuevimus, *la riviere de Gentilly*. Turrim ibi rotundam fuiſſe, veteris Palatii Regalis haud dubiè reliquias, docet Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, in anno MCCLXXXII. deſinens, in quo *turris rotunda de Gentiliaco* memoratur. Anno MCCCXXVII. dominus Alfonſus de Hiſpania, Regis Francorum Caroli conſanguineus, ex Canonico ac Archidiacono Pariſienſi factus Miles, febre quartana quam in Vaſconica expeditione contraxerat, *apud Gentiliacum juxta Pariſios, in domo Comitis Sapandiæ interiit, & apud Prædicatores Pariſiis ſepultus eſt* : ut Appendix Chronici Nangiacenſis docet.

Gerciacum, ubi puellare Monaſterium ſeu Abbatiam ordinis S. Auguſtini Alfonſus Comes Pictavorum & Toloſæ, ac Johanna ejus uxor extruxere. Vulgò *Gerſy* in Briegio prope Combis Villam ac flumen Ederam. *Gerciacum*, cujus tum Eccleſia eſſet *Varenis*, vetus Catalogus ponit *in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi*. Guillelmus Nangiacenſis Johannam Comitiſſam in *Abbatia Monialium Garciaco, quam in pago Meledunenſi prope Abbatiam Ederæ fundaverat*, ſepultam eſſe ait.

S. Germani Pariſienſis Monaſterium cum Eccleſia S. Vincentii in ſilva Ledia extructum à Rotberto Rege Francorum ſcribit Helgaldus : à quo vicus cognominatur S. Germani in Ledia, *S. Germain en Laye*, jaminde à Rotberto ſaltem villa Regalis ante annos DCLX. Eduardus Rex Angliæ anno MCCCXLVI. *villam S. Germani in Laia ſpoliavit, & domum Regiam quæ ibi erat, incendit*: ut ait Monachus S. Dionyſii.

Geviſiacum, in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ ac in veteri polyptycho *Giviſiacum*, in recentiore Catalogo *Juviſiacum*, vulgò *Juviſy*, vicus celeberrimus ad Urbiam. Geviſiacum *Juviſi* dicimus, ut Gemeticum *Jumiege*, gemellum *jumeau*, g. in i & e in u converſis : ut contrà junicem *geniſſe* nuncupamus i in g. & u. in e commutatis.

Gif vicus in veteri Catalogo memoratus & in recentiori, *Giffum* aliàs, vulgò *Gif*. Sanctimonialium Abbatiâ inſignis eſt ad Ivetam flumen in Decanatu Maciaci.

Gomedus Villa ab Helgaldo de Vita Rotberti Francorum Regis memoratur : quum ait Rotbertum *in villa quæ dicitur Gomedus, Eccleſiam in honore Sancti Anniani ædificaviſſe*. *Gomed Villa* nuncupatur in veteri Catalogo prope *Gomed Caſtrum*, *Gometi Villa* ſeu potiùs *Gometus Villa* proxime *Gometi Caſtrum* in recentiore. Hanc *Gomets la Ville* hodieque appellamus ; illud *Gomets le Chaſtel*. *Prioratus de Gomed in Decanatu Maciaci*, refertur in Catalogo MS. Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ, hoc eſt Prioratus Regius S. Anniani in *Gomedo Villa*.

Gragiacum, *Gragi* in veteri Catalogo; *Gregiacum* in recentiori: vulgò *Gregi* in Briegio.

Granchia in veteri Catalogo, aliàs *Granchia Regis* cognominata in Briegio, vulgò *la Grange le Roy*. *Grangia Nivelonis* in recentiore polyptycho uno fit mentio, vici Briegenſis. *Graneam* vel *granicam* pridem Noſtri corruptè vocavere granarium : deinde ex granea granicave *granchiam* & *grangiam* fecere.

Granlidum in actis Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. memoratur inter Diogilum & Petram Fictam ; *Groolaium* dictum in antiquo Catalogo inter Diogilum & Goneſſam : vulgò *Grôlay* ; *Groela* in ſtatutis Sugerii Abbatis.

Villa & Eccleſia *de Greſſibus*, id eſt de Gradibus, aut certè de ſilicibus, in recentiore polyptycho vocatur, vulgò *Gres* in Briegio.

Guidonis Curia, in veteri polyptycho ac recentiore memorata, vulgò dicitur *Guiencourt* aut *Guiancourt*, non procul à Beveræ fluvii capite. *Guidonis* autem *Curia* impropriè nuncupatur pro *Guidonis Curtis*. Cohors enim vel chors, recentioribus curtis aut cortis appellata, Noſtris *baſſe court* ſeu inferior curtis,

convenit villæ; at *curia* non convenit. Quare curtis nomine villa atque etiam vicus non rarò deſignatur: uti totum appellatione partis deſignari conſuevit. *Guidonis Curtam* aut Curtem *Guiencourt* Noſtri appellitant, ut Rocconis Curtem *Roquencourt*, Bettonis Curtem *Betoncourt* in finibus Caletorum, à Guidone vel VVidone, à Roccone aut Ruccone, atque Bettone. De quibus villarum conditoribus laborare, aut qui fuerint, quando vixerint, quidve rerum egerint ſcire velle, ſeriò inſanire eſt. Quippe ſi veterum urbium origines maxima ex parte ignotæ ſunt nobis; quanto minùs obſcurorum vicorum aut vilium villarum auctores, humiles pleroſque ac ignobiles noſſe poſſumus & debemus?

Gunſanavilla in actis Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. *Gonſenvilla* in vetere polyptycho Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ dicta, vulgò nuncupatur *Gonſamville*, vicus ad Crodoldum flumen. *Gunſana* autem, vel *Gonſen* aut *Gunſena*, à qua villa hæc appellationem traxit, nomen eſt Germanicum mulieris Francæ, idem planè quod *Chunſena* apud Gregorium Turonicum Epiſcopum. *Gunſina* apud Fredegarium & in Geſtis Francorum.

Herivallis, *Herivaux* vulgò, vicus eſt in extremis Pariſiorum finibus, Abbatiâ inſignis, in Decanatu Sarcellæ.

Hermeria, *Hermieres*, vicus in Briegio inter Latiniacum & Criſciacum, ſeu inter Matronam & Mucram amnes, Abbatiâ ſuâ nobilis in Decanatu Moiſſiaci. Ibidem & vicus *Hibernale* dictus, corruptè *Hivernal* & *Ivernale*, nomen dans Abbatiæ in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi.

Holles, id eſt *Holla* in priſco polyptycho, vulgò *Hoüilles*, vicus non procul à flumine Sequana & Beſuns.

Heſſeta in veteri Catalogo, vulgò *la Houſſoie*, vicus in Briegio confinioque Pariſiorum atque Meldorum, non longè à Mucra fluvio, cognominatus à copia aquifoliæ, quam vulgo *hoiſſum* vel *huſſum* Noſtri vocitant, *du houx*. Hic locus *Huſſetum* dici poteſt aut *Aquifolietum* ab huſſo ſeu aquifolia, uti à quercu Quercetum, à multo vimine viminetum, à multis ceraſis ceraſetum, & ſimilia.

Jahenniacum, in veteri Catalogo *Jahenni*, vulgò *Jagny en France*. Villa *Gehenni*, item *Gehanni* in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſ. dicitur.

Joiacum in veteribus Catalogis Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ memoratur, vicus in Archidiaconatu *Joſas* dicto & in Decanatu Caſtrifortis poſitus. Aliis *Joviacum* à Jovio nomine Latino nuncupatur, vulgò *Joüy en Joſas* ad flumen Beveram. Hic vicus nomen haud dubiè dedit pago *Joviacenſi* vel Joiacenſi, *Joſas*.

Jos in veteri polyptycho appellatur, aliàs *Joiacum*, vicus alter in Francia poſitus, ac vulgò dictus ſimiliter *Joüy*. Sunt & alia ejuſdem nominis loca in Galliis, ut *Joviacum* ad Mucram in Meldis atque Briegio, *Joüy ſur Morin*; nec procul hinc *Joviacum Caſtellum*, *Joüy le Chaſtellet*; *Joviacum* in Carnutibus & pago Aurelianenſi, *Joüy en Pitnerau*, necnon *Joviacum* aut Joiacum *Poterij* in Secalonia, *Joüy le Potter*. Ceterum *Joüy* tam *Gaudiacum* Latine quàm *Joviacum* dicendum videri poſſet à gaudio, quod vulgò *joye* vocamus.

S. Jonij vicus & Eccleſia in polyptychis Eccleſiæ Pariſiacæ appellatur, ac ibidem locus ipſe à Patrono ſuo dicitur *Sanctus Jonius*, vulgò *Saint Yon*: vicus inter Urbiam & Iunnam amnes, veteri nigrorum Monachorum Cella inſignis. *Jonius* autem corruptè dictus videtur pro *Æonius*. Teulfus in Chronici Mauriniacenſis libro II. *Paganum S. Jonij dominum*, & *Monachos de Sancto Jonio* commemorat. In Martyrologio Uſuardi de *S. Jonio* hæc reperio. *Nonis Aug. caſtro Corboilo S. Jonij Martyris*: quem nomen ſuum dediſſe *vico S. Jonij* puto, à caſtro Corboilo VI. circiter leugis diſtanti.

Iſſiacum in Catalogis dicitur vicus ad Sequanam, nomen antiquum ſervans hodieque. Vocatur enim *Iſſy*. Si Childeberti majoris Francorum Regis litteris fidem habemus, fuit olim villa fiſcalis vel Regia: & Baſilica B. Vincentii Mart. in fundo ad ipſam pertinente exſtructa eſt ab Childeberto, qui eam *fiſcum Iſciacenſem*, & *fiſcum Iſciacum in pago Pariſiaco prope alveum Sequanæ* incorrupto nomine appellat.

Iveta Cellâ ſuâ nobilitatur: *Prioratum de Iveta* vocat Chartularium Foſſatenſe. Hic vicus à flumine *Iveta* cognomen traxit: qui ibidem dicitur *in pago Pariſienſe villa nomine Equata, in finibus ſilva Aquilina ſita*.

Juriacum in Catalogis ſeu polyptychis Eccleſiarum Epiſcopo Pariſienſi ſubjectarum cùm veteribus tum recentioribus memoratum, in Decanatu Linarienſi, cujus Eccleſia ad Capitulum S. Marcelli pertinet, nomen antiquum ſervat etiamnum. Quippe *Ivry* appellatur, vicus ad ripam fluminis Sequanæ. Aliquot habet Gallia ejuſdem nominis loca, quæ variè à variis ſcriptoribus Latinis nuncupantur, *Ibreium*, *Ibriacum*, *Jureium*.

Laiacum, *Lay*, vicus ad flumen Beveram, in Catalogis Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ memoratus.

Lardiacum, *Lardy* ad fluvium Iunnam, in veteri polyptycho non omiſſum.

Latiniacum ad Matronam, ubi pontem habet ſibi impoſitum, *Laigni*, haud dubiè à *Latino* aliquo vel *Latinio* nomen accepit. *Latinius* nomen olim proprium fuit, quod tulit præter ceteros *Latinius Pacatus Drepanius*, is qui Theodoſium Aug. oratione laudavit. *Venit de Hibernia vir ſanctus nomine Furſeus ad Orientales Anglos. Erat autem de nobiliſſimo genere Scotorum. Hic relictis omnibus quæ habebat in patria, ab inſula Hibernia diſceſſit, & cum paucis fratribus per Brittones in provinciam Anglorum venit: inde cum altero fratre Ultano navigavit in Galliam, ibique à Rege Francorum Lothovvio vel Patricio Erconvaldo honorificè ſuſceptus, Monaſterium conſtruxit in loco Latiniaco nominato, ac non

multo pòſt morbo obiit: uti Beda in libri III. Hiſtoriæ capite XIX. tradit. *Monaſterium* ergo *Latiniacenſe* ante annos mille à Furſeo Scoto Hiberniensi conditum eſt, regnante apud Francos Chlodoveo juniore Dagoberti filio: cui Cœnobio ſuus Abbacomes eſt. Furſeus ab Erchinoaldo Præfecto Palatii, aut (ut aliis placet) à Rege ipſo Chlodoveo impetrato Latiniaco, Cœnobium ibi conſtruxit, Monachiſque congregatis, tres Baſilicas condidit, & Eloquio populari ſuo & propinquo moriens Cœnobii Latiniacenſis curam omnſque delegavit. Geſta Dagoberti Francorum Regis narrant, eum Principem *Latiniacum villam ſitam in territorio Meldico*, quam rerum fiſcalium commutatione quæſiverat, Baſilicæ S. Dionyſii contuliſſe, & Nanthildem Reginam poſt Dagoberti viri obitum anno IV. *Latiniacum villam quæ ſita eſt in Brieio*, hoc eſt in Briegio, eidem Baſilicæ donaviſſe. Neutrum autem illorum *Latiniacum* noſtrum ad Matronam eſſe mihi videtur: licèt vulgò dicant pagum Brigenſem à Latiniaco incipere. Quomodo enim aut Erchinoaldus, aut ipſe Chlodoveus dare Furſeo *Latiniacum* ad Monaſterium extruendum potuit, ſi jam antè illud ipſum Monaſterio S. Dionyſii Dagobertus pater ejus tribuerat, materve Nanthildis? Quæ ſunt ergo hæc loca duo ejuſdem nominis? dicet aliquis. Equidem in pago Briegio præter noſtrum nullum aliud *Latiniacum* reperio: in pago Meldico *Latiniacum* cognomine *Siccum* reperio, ſeu in Goella parte pagi Meldici, vulgò *Lagny le Sec*, quod aquis careat; eo cognomine à *Latiniaco irriguo*, poſito ad Matronam diſtinctum, & in actis Synodi Sueſſionicæ memoratum. Quod *Latiniacum Siccum* cùm in Diœceſi Meldica ſitum ſit, in *Latiniacum villam territorii Meldici*, à Dagoberto Baſilicæ S. Dionyſii donatam planè convenit: licèt *Latiniacum Siccum* nunc ad Monaſterium B. Dionyſii minimè pertineat: quod nemo mirabitur, qui ſciet Monachos multa cum aliis permutaviſſe, plurima Abbatum ſuorum largitionibus aut incuria, Advocatorum impotentiâ, vicinorum Procerum rapacitate amiſiſſe. *Latiniacum* nomen dedit *Decanatui Latiniacenſi*, in quo olim vicorum plurimorum Eccleſiæ erant, & *Abbatia Latiniacenſis* ac *Footellenſis*, ac Prioratus *Villa Nova Latiniacenſis*, ut vetus Catalogus Abbatiarum & Prioratuum docet. Sunt in opido *Latiniaco* præter Cellam ſeu Prioratum Villæ Novæ Latiniac. tres Eccleſiæ baptiſmales, S. Furſei, S. Pauli, & S. Servatoris. *Latiniacum* truncato nomine *Laniacum* appellat Anſelmus Gemblacenſis Abbas in Chronici ſui anno MCXXIX. *ara* & miraculis *perpetuæ Virginis* celebre.

Lengue, *Lognes*, vicus in Briegio prope Malam Nodam atque Combellos, in veteri Catalogo *Eccleſia de Lengnis*; *Lognia in Bria* in recentiore polyptycho appellatus.

Liciæ ſunt in Decanatu Linarienſi vel Montis-Letherici, *Eccleſia de Liciis* in Catalogis dictæ, vulgò *Lices*, inter Urbiam, Junnam, & Sequanam: in Vita Burchardi Comitis *villa quæ vocatur Licias*, *diſtans à caſtro Corbeilo miliario & dimidio*.

Limariacum, ubi Regum noſtrorum nummos percuſſos videmus, fortè eſt *Lemarais*, ad Sequanam inter Argentolium & Beluns poſitus vicus, in tabulis *le Marais* corruptè ſcriptus.

Limogia in veteri ac recentiori polyptycho memorantur. Vetus Catalogus in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi eum vicum ponit, numeratque *Eccleſiam de Limogiis* inter Eccleſias ad Pariſienſe Monaſterium S. Martini de Campis pertinentes. Eugenius quoque Papa III. in litteris datis anno MCXLVII. inter Eccleſias & Prioratus ejus Monaſterii, *Limogias & Furcas* recenſet. *Lemovecas villam* quidam appellavere. Legi litteras Rotberti Francorum Regis duas, datas *Aurelianis III. Idus Nov. anno XIX. regnante Rotberto Glorioſiſſimo Rege*, in quibus Anſoldus Miles & uxor ejus Rotrudis *villam quæ vocatur Lemovecas cum Eccleſia*, & VII. *manſos in Comitatu Pariſiaco*, *in villa quæ dicitur Furcas*, *Canonicis S. Dionyſii de Pariſiaco Carcere*, *aſſenſu Rainaldi Milidunenſis pagi Comitis & ſedis Pariſiacæ Epiſcopi* dediſſe dicuntur: quam donationem Rex Anſoldi precibus annuens, litteris confirmat. Nemo autem neſcit Baſilicam S. Dionyſii Mart. de Carcere ad Monaſterium Campenſe B. Martini hodieque pertinere. *Lemoveca* vel *Limogiæ*, vulgò vocantur *Limoges*, vicus in Briegio & in extremis finibus Pariſiorum: quod *Lemovecarum* vel *Lemovicarum* nomen & civitati Lemovicum, capiti Gentis in Aquitania I. *Limoges* ſimiliter nuncupatæ tribui conſtat.

Limogiæ in recentiore Catalogo, in Decanatu Caſtri Fortis *ſub Archidiacono Joſiæ*; *Limos*, vel *Eccleſia de Limos*, aut *Limoves* in vetere polyptycho dicitur, ad Abbatem Burgulienſem pertinens, vulgò *Limons* & corruptè *Limours*: vicus in ſilva Aquilina inter Ivetam & Remandam amnes, proximus Forgiis, & Gomedo Caſtello ac Gomedo Villæ, dictus nunc *Limos*, *Limoa*, nunc *Limodia*, *Limogia*, nunc *de Limoſis* aut *Limoſiis* à limo: quod verum nomen loci eſſe puto atque ſincerum. Sic *caſtrum Limoſum* vel *Limoſium* quod Atax alluit, ſcriptores Latini nuncupavere; Noſtri *Limoux* nunc appellitant, aut *Limours*. Innocentius PP. inter Eccleſias ad Burgolium pertinentes recenſet *Prioratum S. Petri de Limos*; in litteris datis anno I. Dom. MCCVIII. Paſchaſius *Eccleſiam de Limois*; Innocentius alius *Eccleſiam de Limodiis* vel *Limoſiis*. Hic vicus Comitivæ titulo nunc gaudet.

Limolium, in priſco Catalogo *Limuel*, prope *Bonuel*, vicus in Briegio in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi, qui primò dictus eſt *Limogilum*, deinde *Limoilum*, ac poſtremò *Limolium*: ſicut ex Bonogilo Bonoilum ac Bonolium factum, à Noſtris *Bonuel* vel *Bonoüil*. Vulgò *Limeil* aut *Limeüil* prope Villam Novam S. Georgii & Valentonem.

Linaus, à quo vico *Decanatus de Linaïs* in vetere Polyptycho, *Linois* aliàs; *Eccleſia S. Mederici de Linariis* in recentiore Catalogo; vulgò *Linas*, & *Linois*, vicus proximus Monti Leotherici. Ibi eſt Eccleſia collegiata (ut vocant) S. Mederici.

Liſigni in vetere Catalogo vocatur, *Liſigniacum* in recentiore, alibi vero & incorrupto nomine Latino *Licinîacum* à Licinio conditore, vulgò *Leſigny*: vicus in Briegio non longè à Braia Comitis Roberti diſtans. *Liſimacum* etiam nuncupatur in tabulario Foſſatenſi MS.

Livia à Livio dictæ, *Livies* in veteri polyptycho, aliàs *Levia*, *villa Longa* etiam, vulgò *Levis* aut *Leves*, vicus non procul ab Iveta fluvio, proximus alteri vico, quem *Sancti Nony de Levis* recentior Catalogus appellat, vulgò *Saint Non de Levis*.

Loandum, *Loand* in veteri polyptycho in Decanatu Linarienſi, vulgò *Loüans* aut *Loüens*, vicus IIII. millibus paſſuum diſtans à Sequana.

Locus Sanctus, vicus eſt in Briegio nomine ſuo veluti conſecratus, qui unde cognomen iſtud traxerit, haud facile dictu eſt. Proximos habet vicos Moiſſiacum Epiſcopi, *Moiſſi l'Eveſque*, ubi Decanus Chriſtianitatis eſt, & Villam Epiſcopi, *Ville l'Eveſque*: à quibus forſitan *Loci Sancti* nomen accepit. Quippe quæ Epiſcoporum ſunt, quodammodo ſancta & ſacra habentur. Niſi ſi fortè vir ſanctus heic vixit, qui virtutibus miraculiſque claruerit. Vetus polyptychon in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi *Eccleſiam de Loco Sancto* ponit; at recentius *Locum Sanctum* in Decanatu Veteris Corboili ſub Archidiacono Briegenſi. Duos veterum Regum noſtrorum nummos publicavit Claudius Botarotius in opere de Nummis Francicis, ambos inſcriptos *Loco Sancto*. Ex quibus colligo, *Locum Sanctum* villam fiſcalem ſeu Regiam fuiſſe, ibique hos nummos juſſu Regum Francorum fuiſſe percuſſos. Vulgò *Lourſaing* corruptè dicitur, aliàs *Lieurſains* pro *Lieuſaint*.

Longus Pons, poſitus vicus ad amniculum qui in Urbiam effluit, à pontis ſui ei impoſiti longitudine nomen accepit: in veteri ac recentiori polyptycho memoratus, Cellâ antiquâ Monachorum vel ut vulgò loquuntur Prioratu inſignis, *Longpont*. Ad eam Cellam pertinent vicanæ Eccleſiæ villæ Longi Pontis, Forgiarum, Orceii, Peſcuſæ aut Piſcoſorum, Bondoſſæ (*Bondouſle*) vel Bunduſſi, Orengiaci, (*Orengis*) Floriaci, & Baſilica Sancti Juliani Mart. Lutecicæ, Veteris ac Pauperis cognominati, Nooreii, Campiplanti. Eſt & *Longus Pons* in Sueſſionibus, Monaſterio Ciſtertienſium inſignis.

Ludovilla aliàs *Ledovilla* in Decanatu Linarienſi ponitur in veteri polyptycho, vulgò *Ledeville*, *Ledevilla* quibuſdam dicta. Apud Claudium Botarotium nummum reperio, percuſſum ac inſcriptum *Ludedis vico*: qui vicus *Ludedi*, mihi videtur eſſe *Ludovilla*, publica villa inter Urbiam & Junnam amnes non procul à Caſtris.

Lupera in Decanatu Montis Maurentiaci ſub Archidiacono Pariſienſi memorantur in recentiore Catalogo; in veteri polyptycho *Louvres* in Decanatu Goneſſæ: vulgò *Louvres en Pariſis*. *Luvras* vocat Eugenius PP. III in litteris datis anno MCXLVII. *Loveras* Urbanus PP. II. anno MXCVII. *Luperam* Carolus Calvus & Ludovicus Craſſus. Idem nomen eſt & domus Regiæ apud Pariſios, quam *Luparam*, *Luparæ arcem*, *Luparæ caſtrum*, *Luperam* & *Luvre* ante annos CCCCLX Noſtri appellavere: *le Louvre* nunc vocamus. Quæ cum vici ſuburbani tum Palatii Regalis appellatio haud dubiè Gallica vetuſque eſt, ſed incertæ ſignificationis ac nobis incognitæ. Nugatur enim Hallianus, quum Palatium Regum noſtrorum *Louvre*, quaſi *Opus*, *L'euvre* aut *L'ouvre* dictum eſſe putat, articulo cum nomine coaleſcente: tamquam ignorare quis poſſit aut debeat, nomen vulgare *Louvre* non ab *opere* ſed à *Lupara* deduci oportere, & ut lupam *louve*, ſic Luparã *Louvre* ab Noſtris nuncupari.

S. Lupi vicus, *S. Leu lez Taverni* in Decanatu Goneſſæ: cujus Eccleſiam ad Pontiſarenſe Monaſterium S. Martini pertinere, ut & Berceucortis, & Taberniaci, ac Tori vel Tauri Eccleſias, docet polyptychon vetus.

Lupicina in veteri Catalogo, *Lupicena* in recentiori, in Decanatu Caſtri Fortis ſub Archidiacono Joviacenſi. Verum & incorruptum loci nomen eſt *Lupicina* vel *Lupiciana* à Lupicio. Vulgò hic vicus dicitur *Louciennes*, aliàs *Louveciennes* non procul à Sequana flumine & Carolivenna. *Lovecenas* vocat Sugerius in litteris datis anno MCXXXVII. & in libro de rebus in adminiſtratione ſua geſtis.

Maciacum, *Maſſy* vulgò, in Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ primum inter feuda Pariſienſis Epiſcopi numeratur, & nomen dedit Decanatui Maciaci: vicus Antoniaco & Beveræ flu. proximus. Videtur autem *Matiacum* à Matio appellari, & ita ſcribi oportere.

Magneium, vulgò *Magny les Eſſarts*, aut *Magny l'Eſſart*, hoc eſt Magneium de Exarto vel *de Exartis*, quòd ibi ſilva fuerit exciſa. Vicus eſt proximus Caſtro Forti.

Maiſnile Auberti vocatur in veteri Catalogo, & in Decanatu Goneſſæ ponitur: quod *Manſionile Alberici* meliùs appellaretur. Quippe vulgò dicitur *le Meſnil Aubry*. At Albertus Noſtris eſt *Aubert*, Albericus *Aubery* vel *Aubry*.

Malus Campus in recentiore polyptycho memoratur, vulgò *Mauchan* corruptè pro *Mauchamp* dictus, vicus in confinio Pariſiorũ & Senonum, non procul ab urbe Stampis.

Mala Manſio, *Male-Maiſon*: vicus ad & trans Sequanam, inter Carolivennam & Rotoialum.

Malus-Reſpectus in Decanatu Montis Maurentiaci, vulgò *Mauregard* prope *Eſpiers* (*Eſpies*) memoratur in Chartulario MS.

Manaſſiacum à Manaſſe nomen habet, vulgò *Menecy* aut *Manecy*: vicus trans flumen Iunnam in extremis Pariſiorum finibus poſitus, & in antiquo polyptycho non omiſſus.

Mandra in recentiore Catalogo, vulgò *Mendres*: vicus in Briegio non procul à Braia Comitis Roberti, à mandris, id eſt caſulis tumultuario opere ex ligno factis nomen nanctus.

Manſiones, *Maiſons*. Duo ſunt in Pariſiis ejus nominis vici: alter ad Sequanam & ſilvam Lediam; alter & ad Sequanam in Briegio prope Confluentes, Odoni de Vita Burchardi Comitis memoratus. Ambos jam ſub nomine *Domorum* attigimus.

Marcocia in veteri polyptycho, *Marcocia-*

cum in recentiore, vulgò *Marcouſſit*, aliàs *Marcouſſy*: vicus in Decanatu Caſtri Fortis non procul à Monte Leotherici poſitus.

Marleium. in *Decanatu Caſtri Fortis*; in recentiore polyptycho *Marliacum Burgus*, à Marliaco Caſtello eo cognomine diſtinctum prope Villam Petroſam: *Marly le Bourg*. Utrumque ſincero & incorrupto nomine olim vocatum eſt *Malliacum* à Mallio. Certè in enumeratione Monaſteriorum Eccleſiæ Pariſiacæ ſubjectorum *Prioratus de Malliaco* memoratur, in Decanatu Maciaci, id eſt Prioratus Malliaci Caſtelli, *de Marly le Chaſtel*: quod nomen tam Burgo quàm Caſtello haud dubiè convenit. Ibidem in Decanatu Sarcellæ *Prioratûs Malliaci Villa* fit mentio: quæ villa nunc vocatur *Marly*, aliàs *Marly la Ville*, proxima Caſtaneto & Puteolis.

Marolium in Decanatu Caſtri Fortis ponunt Catalogi Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ: qui eſt vicus in ſilva Ledia, vico S. Germani proximus, hodieque dictus *Mareüil*.

Marolium alterum vetus polyptychon ſeu Catalogus MS. ſæpe laudatus ponit in Decanatu Goneſſæ; omittit recentior Catalogus, quem Brolius edidit. Hic vicus parum abeſt à Fontaneto & à Caſtaneto, dictus & ipſe vulgò *Mareüil*. Ex *Marogilo Marolium*, deinde & *Marolium* factum, ſicuti alibi obſervavimus.

Media Curia memoratur in vetere polyptycho non procul à caſtro Caproſia: quam *Mediam Curtim* aut *Mediam Cortem* vocari oporteret; ut ſuprà de aliis jam diximus: vulgò nuncupatur *Maincourt*, id eſt *Mediana Curtis*.

Merrolæ duæ ſunt, ſi vetus polyptychon ſequi volumus, altera in Decanatu Linarienſi inter S.Germanum de Caſtris & Ludouillam, vulgò *Marolles* dictæ: altera in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi, *Marolles* quoque nunc appellata prope Suciacum, *Suſſy*; *Marolia*, *Merolia*, & *Merrolia* in Chartulario Foſſatenſi: quas recentior Catalogus à Brolio publicatus *Marolas* nuncupat, & in Decanatu veteris Corboili ſub Archidiacono Briegii conſtituit. *Matriolæ* primùm ambæ videntur dictæ. *Marolas* quippe (*Marolles*) ad Icaunæ & Sequanæ confluentes, *Matriolas* vocant in litteris Ludovicus & Lotharius Auguſti.

Meſneium S. Dionyſii in vetere Catalogo, *Meſnile S. Dionyſii* Sugerio in libro de adminiſtratione ſua, hoc eſt parva manſio ſeu manſionile S.Dionyſii, *Meſnil Saint Denis*, *Maiſnilium* quibuſdam dictum.

Mintriacus villa, vulgò *Mitry*, in libello de fundatione novæ Corbeiæ ante annos DCCC. compoſito: *Mitriacum* aliàs.

Modunum à monte ſeu duno in quo poſitum eſt nomen accepit, vulgò *Meudon*: *Modun* in veteri polyptycho dictum, *Medo* in recentiore; *Moldun* aliàs in Decanatu Caſtri Fortis. Samſon *Metioſedum* Julii Cæſaris in libro VII. (ita enim legendum eſt, non *Joſedum*, aut *Melioſedum*) IV. millibus paſſuum ab urbe Lutecia diſtans ſecundo flumine Sequana, *Modunum* ſeu *Meudon* eſſe putat, ac veriſimillimis rationibus probat, ex ipſius Cæſaris narratione petitis: quod Metioſedum Raimundus Marlianus Corboilum Pariſiorum; *Meliacum* aut *Miliacum* in pago Vaſtineſi alii; (*Milly en Gaſtinois*) Joſephus Scaliger Melodunum Senonum ac recentiſſimi quidam interpretantur.

Moiſſiacum Epiſcopi, vel ſimpliciter *Moiſſiacum*, *Moiſſy l'Eveſque*, à quo *Decanatus Moiſſiaci Epiſcopi* in Briegio nomen accepit. Ejus vici mentio fit in Catalogis Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ: quem *Meſſiacum* à meſſibus appellari oporteret, aut certè *Muciacum* à Mucio, aut *Metiacum* à Metio. *Villam Epiſcopi Pariſienſis Moſiacum* vocat Sugerius in capite XIX. Geſtorum Ludovici Francorum Regis: ubi mendosè *Moſaicum* ſcriptum reperitur.

Molerie in veteri Catalogo in Decanatu Caſtri Fortis, vulgò *les Molieres*, non procul ab Iveta fluvio & a Giffo Monaſterio.

Molignum, id eſt Molendinum parvum: Sugerio in litteris datis anno MCXXXVII. *villa quæ dicitur Molignum*, ſemel atque iterum, necnon in libro de adminiſtratione ſua. Vulgò *Moulignon*.

Monaſteriola II ſunt in Pariſiorum finibus, alterum prope Vertalias, *ad Leone* cognominatum, *Monſtreüil aux Lions*, aliàs a ſitu *Monaſteriolum in Valle Galliæ*, *Monſtreüil en Vau de Gallie*; *Monſterul* in vetere Catalogo, *Monſterolium* in recentiore: Alterum *Monſterolum* in veteri polyptycho, *Monſterolium* in recentiori, *ſupra nemus Vicenarum* cognominatum, *Monſtreüil ſur le Bois*, Decanatu olim inſigne; *Monterolium*, & *Moſterolium* in Chartulario Foſſatenſi. Utrique loco, ut & ceteris cognominibus nomen dedit parvum Monaſterium.

Moncelli in veteri polyptycho dicti quaſi *Monticelli*, id eſt Monticuli à ſitu; in Actis Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. *Monticelli* vocantur, vulgò *Monceaux*. Vicus eſt inter Iunnam & Sequanam fluvios non longè ab Exona atque Corboilo: cujus nomine multa alia loca cenſentur in Gallia.

Moncetot in veteri Catalogo vocatur, vulgò *Monſont* vicus in confinio Pariſiorum & Bellovacorum, prope Maffliare vicum in Bellovacis poſitum, *Maffliers*, aliàs ſed corruptè *Maffliée*.

Monci in veteri polyptycho, aliàs incorrupto nomine *Montiacum* à Montio in litteris Urbani PP. II. datis anno MXCVII. dicitur. Vetus Catalogus MS. Monaſteriorum Diœceſeos Pariſiacæ *Prioratum de Monci* in Decanatu Sarcellæ, aliàs Goneſſæ ponit. Vulgò *Moucy le Neuf*, id eſt *Montiacum Novum*, aut *Moncy en Pariſis* vocant: ubi hodieque Prioratus Benedictinorum eſſe fertur. Adalh[illegible]us Satenſis Epiſcopus *locum Montiacum prædiumque & villam* in Miraculis S.Opportunæ ante annos DCCLXXX. vocavit, cujus Virginis Reliquiis locus ille etiamnum gloriatur.

Mons-Abrem vel *Mons Abreni* in veteri polyptycho, vulgò *Mont-Evrain* vel *Mont Evrin*, vicus in Briegio non longè à Latiniaco; *Mons Verannus* dictus in recentiore Catalogo apud Brolium, in Decanatu Latiniacenſi

ſub Archidiacono Briegii, qui potiùs *Mons Verani* vocari deberet.

Mons Æſtivus locus Abbatiâ inſignis, vulgò *Montivier*.

Mons Falconis, vicus non procul à Giffo Monaſterio & Iveta amne, vulgò *Saint Jean de Mont-Faucon* dictus à patrono loci, in recentiore polyptycho memoratus.

Mons Fermolius in vetere polyptycho, & in Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ celebratus, Prioratu ſuo inſignis, in Decanatu Kalæ, vulgò *Montfermenil* aut corruptè *Montfermeil*: quibuſdam *Mons Firmolius* dicitur.

Mons Gemellus (uti obſervo) vocatur à ſitu vicus, in recentiore Catalogo mendosè dictus *Longus Jumellus*, aliàs *Longum Gemellum*; in Chartulario Foſſatenſi *Longum Jumellum*: vulgò *Lonjumeau* corruptè pro *Montjumeau*. Certè in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, ponuntur *in Decanatu Montis Gemelli S. Jonius, S. Clemens de Caſtris, S. Petrus de Monte Letherico*: & eidem Chartulario ſubjicitur vetus Catalogus Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ, toties ſuprà laudatus, in quo *Mongimel* corruptè pro *Mons Gemellus* nuncupatur, & *Eccleſia de Mongimel* in Decanatu Linarienſi ponitur. *Mons* autem *Gemellus* dicitur, vel quia in monte bicipiti ſitus eſt, vel quia duos montes habet, qui ob ſimilitudinem gemelli vocantur.

Mons Gironis in recentiore polyptycho, *Mongeron*, vicus in Briegio inter Sequanam & Ederam fluvios, fortè *Mons Gerungi* dicendus, aut *Geroldi*.

Mons noſter ſuburbanus, olim à ſimulacris Mercurii & Martis nunc *Mons Mercurii*, nunc *Mons Martis* appellabatur: poſtea à paſſione inclytorum Teſtium, Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici Preſbyteri & Eleutherii Diaconi *Mons Martyrum* vocatus eſt, ut ſcribit Hilduinus: atque ita hodieque nuncupatur, *Mont Martre*. *Montem Martyrum* præter Hilduinum vocat & Frodoardus in Chronico, in anno DCCCCXLIV. quòd ibi Dionyſius cum Preſbytero ſuo & Diacono capite truncatus eſt. Fredegarius in capite LV. libri V. & ultimi Chronici MS. *Montem Mercore* quidem, id eſt *Montem Mercurii* à templo Mercurii veteri nomine appellat; *Montem Marcomirum* Aimoinus, deceptus corrupto Fredegarii codice, in quo *Monte Mercomire* ſcriptum erat; Abbo in libro II. de obſidione Lutetiæ *Montem Martis* & *cacumina Martis*. Tamen ſenſim uſus obtinuit, ut Chriſtiana ethnicæ, nova veteri appellatio prævaleret, & ut ab omnibus *Mons Martyrum* diceretur, qui eorum eſſet ſanguine conſecratus: uti in Defenſione Diſceptationis meæ de Baſilicis Regum noſtrorum docui. Ibi ſtructum oratorium, in veteribus tabulis *Capella de Sancto Martyrio* appellatur. Vicus eſt Eccleſiâ & veteri Abbatia Virginum illuſtris. In libro II de Miraculis S. Dionyſii Mart. ante annos DCCC. compoſito *Montis Martyrum*, & loci Eccleſiæ S. Dionyſio exſtructæ fit mentio, in capite XXXVIII. *Cùm Eccleſia, quæ eſt in loco, qui olim (ut perhibetur) Mons Martis, nunc felici mutatione Mons Martyrum dicitur, opifices conſumtam ſitu contignationem deponerent: quædam clariſſimorum favore Martyrum* (Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, qui Eccleſiæ Patroni erant) *ruinæ periculo liberatus eſt*.

Mons Melianus, à Sugerio Monaſterii S. Dionyſii Abbate in libro de adminiſtratione ſua memoratus inter vicos & Eccleſias ad Cœnobium ſuum pertinentes; *Monmeliant* in veteri polyptycho, in Decanatu Goneſſæ. Vicus eſt in Pariſiorum Silvanectumque confinio, poſitus in monte, atque inde dictus *Mons Melianus*, quaſi Mons Melii: vulgò *Montmelian* aut *Monmellian* prope *Vemar* & *Vileron* veteres vicos.

Mons Rubens in Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ, *Mons Ruber* ibidem dictus in litteris datis anno MCCXXV. nomen hodieque ſervat. Quippe nuncupatur vulgò *Montrouge* à colore montis & ſoli ſui.

Mons Taxonis in recentiore Catalogo memoratur, & in Decanatu rurali Montis Maurentiaci ponitur, vulgò *Mont-Teſſon*. Vicus eſt ad flumen Sequanam, qui mihi à taxonum beſtiolarũ copia *Mons Taxonum* potiùs appellandus videtur. Guibertus in libro III. de Vita ſua, taxonis animalis meminit his verbis. *In pago Vilcaſſino venatores taxonem malè fugacem cavea intrudentes, ſacco excipiunt*. Meminit & Silveſter Giraldus, Guiberto ſuppar, ante annos ferè quingentos, in capite XX. de topographia Hiberniæ, taxumque & melotam appellat pro mæle. *Eſt hîc taxus qui & melota dicitur, animal mordax & immundum, montoſa frequentans & ſaxoſa, ſtrobes ſubterraneos pedibus ſcalpens & effodiens ſibi ipſe conformat*. Taxo, vulgò *teſſon* aut *taiſſon*; aliàs *blarellus* Noſtris dicitur; (*un blereau*) mæles Varroni in libro III. de lingua Latina, & Plinio in libri VIII. capite XXXVIII. qui refert *in metu mæles ſufflata cute diſtentas ictus hominum & morſus canum arcere*. Eſt in Decanatu Gauniſſæ *Tecenæ villa* in veteri polyptycho dicta; *Teſſonvilla* in Decanatu Montis Maurentiaci, in recentiore Catalogo Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ; vulgò *Teſſonville*: quæ & videri poſſet à taxonibus nomen accepiſſe, & *Taxonum Villa* appellanda eſſe. Litteræ Philippi Francorum Regis datæ anno MCCXC. *in boſco S. Chlodoaldi* hiſce villis vicino *teſſones* fuiſſe docent, hoc eſt taxones.

Mons Valeriani in litteris Odonis Pariſiorum Epiſcopi datis anno Domini MCCIV. dicitur, *le Mont-Valerien*. Mons eſt non procul à vico Nemprodoro trans Sequanam flumen, forſitan à Valeriano Aug. patre Imperatoris Gallieni ita dictus.

Montiniacum, olim *Montaniacum* dictum à Montano; ut *Campaniacum* à Campano, quod poſtea *Campiniacum*; *Britanniacum* à Britannis, quod poſtea *Britiniacum*, & alia. In vetere polyptycho *Montigni* in Decanatu Goneſſæ; *Montiniacum* apud Sugerium de Adminiſtratione ſua, villa S. Dionyſii: vulgò *Montigny*, vicus non longè à Corneliis & Argentoilo diſſitus. Eſt & alterum Montiniacum, *Montigni*, prope Capellam Milonis & Guidonis Curiam non procul à fonte Beveræ.

Morcencum, in Decanatu Moiſſiaci Epiſ-

copi

copi *Mortent* in vetere Polyptycho; *Murcent* in litteris datis anno MCCXXVI. vulgò *Morſan*, vicus in Briegio ad flumen Sequanam non procul à Vetere Corbolio. Eſt & alter vicus trans Sequanam ad amnem Vrbiam, non longè à Vitriaco & Geviſiaco; qui à Noſtris *Morſang* nuncupatur.

Muſcella in Actis Synodi Sueſſionis anno DCCCLXII. habitæ inter villas S. Dionyſii numeratur: quæ in veteri Polyptycho *Moiſſeles* vocatur, & in Decanatu Goneſſæ ponitur, vulgò *Moiſſelles* hodieque, quaſi *Muſcellæ* in plurali numero.

Nemptodorum, veterem vicum agri Pariſiaci ad ripam fluminis Sequanæ, Conſtantius Presbyter in libro de Vita Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi, & Gregorius Turonicus Antiſtes in libro X. ac ultimo Hiſtoriæ Francicæ commemorant: qui locus B. Genovefæ Virginis, Pariſiorum Patronæ natalibus gloriatur. Ibidem Chlotharium juniorem, Regem pupillum annorum ſeptem, fratris ſui Chilperici filium, è ſacro fonte Rex Guntchramnus excepit. Gregorii de eo verba notanda ſunt. *Rex acceſſit Pariſius: exinde ad Rotoialenſem villam ipſius urbis properans, evocato puero juſſit baptiſterium præparari in vico Nemptodoro.* Ita in codicibus quos legi, ſcriptum reperi. Ex quo colligo Guntchramnum Nemptodorenſem Eccleſiam Rotoialenſi prætuliſſe, ut Chlotharius ablueretur in Eccleſia, in qua beatiſſima Genovefa & tincta olim fuiſſet, & à Germano Sacerdote Virgo benedicta, ſicuti Conſtantius refert. Et forſitan *Nemptodorum* non minùs quàm Rotoialum villa Regia ſeu fiſcalis erat. Erricus Monachus Autiſſiodorenſis Monaſterii S. Germani, in libro III. de Vita ejus Epiſcopi *Metodorum* corruptè vocat, ſecutus Conſtantii mendoſum exemplar.

Pariſienſis iter carpſerunt protinus agri.
Metodorus feſſis tribuit ſolatia noctis.

Nemtodorus apud Conſtantium & Erricum reſtitui debet expuncto *Metodoro*. In vetere Polyptycho vocatur *Nanturra*, & in Decanatu Caſtri Fortis ponitur, *Nanturra* aliàs; in recentiore Catalogo *Nanetodorũ* nuncupatur, quibuſdam *Nemetodorũ*, aliis *Nammetodorum*, & *Nantodorũ*, *Namtuerre* in MS. Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ, vulgò *Nanterre*. Sincerũ & incorruptum loci nomen eſt *Nemetodorum*, & per contractionem *Nemtodorum*. In codice Thuaneæ Bibliothecæ veteri ac bonæ notæ reperi Vitam B. Genovefæ Virginis, omnium fortè vetuſtiſſimam: in qua *Nemetodorenſi parochiâ orta* dicitur Genovefa patre Severo, matre Gerontiâ.

Nemus Arſicu in veteri polyptycho; *Boſcus Arciſi* in recentiore, in Decanatu Caſtri Fortis, corruptè pro *Boſcus Arſicy*, vulgò *Bois d'Arcis*, id eſt nemus ſacro igne exuſti: quales Noſtri *Arſicios* & *Arſos* vocavere. Vicus eſt inter Trappas & Villam Petroſam.

Nonna Villa, id eſt Monachæ villa, *Nonnevilla* in Catalogo veteri corruptè dicta, vulgo *Nonneville* in Decanatu Goneſſæ & in Alneto; *Nainville* aliàs quaſi *Nonnainville*.

Nooreium in Decanatu Caſtri Fortis ponit vetus polyptychon, vulgò *Nouray*. Vicus eſt proximus Caſtris.

Norvilla in veteri Polyptycho, in Decanatu Linarienſi, vulgò *Norville*, vicus proximus Caſtris Urbienſibus.

Nova Villa, *Neuville* aut *la Neuville* vulgo dicitur, vicus ad ulteriorem ripam Sequanæ, oppoſitus Clippiaco.

Novigentum in pago Pariſiaco ad flumen Sequanam fuit, quod nunc *ad S. Chlodoaldum* dicitur, *Saint Cloud*, propterea quòd ibi Chlodoaldus Regis Francorum Chlodomeris filius, Presbyter piiſſimus deceſſit, & in Baſilica quam extruxerat eſt ſepultus, qui & locum Eccleſiæ Pariſiacæ donavit. In Vita S. Chlodoaldi Confeſſoris, Presbyteri Eccleſiæ Pariſiacæ, ante multa ſæcula compoſita, quam in codice annorum minimùm DC. vidi perlegique, hæc de Novigento Sequanico B. Chlodoaldi invenio. *Condidit Monaſterium in loco, cui olim vocabulum Novigentum, nunc ob inſigne ejus meritum ſanctitatis vocatur Monaſterium S. Chlodoaldi, cujus & nomine pollet & merito: quod & ſufficientibus ditavit opibus, & congrua habitacula ſibi, & Servis Dei ſecum morantibus & in reliquum ævum Domino militaturis ædificavit, atque Matri Eccleſia ejuſdem civitatis* (Pariſ.) *videlicet S. Mariæ perpetuò habendum teſtamento delegavit.* Auctor Geſtorum Francorum in capite XXIV. *Novientum villam Pariſiaci ſuburbanam* appellat, ubi Chlodoaldus depoſitus eſt: quæ villa ab urbe Lutecia VI. millia paſſuum abeſt. Ejuſdem villæ Hincmarus de Vita Remigii, Aimoinuſque in Hiſtoriæ libro II. meminere; ex quibus Hincmarus *Villam Novientum in pago Pariſiaco*; Aimoinus quoque *Novientum villam territorii Pariſiacæ urbis* nuncupat. *Novientum* autem & *Novigentum*, unum idemque eſt, ut Segoregii & Segoreii; Toliſtobogi & Toliſtoboii, aliaque. Sed ut conſtat nomen hoc Gallicum fuiſſe, cùm plurima in Gallia Celtica & in Belgica loca *Novigenti* appellatione cenſeantur; ita ſignificatio ejus nominis incerta, vel potiùs nobis incognita eſt, cùm vetus lingua Gallica pridem exoleverit.

Novigentum alterum eſt in pago Pariſiaco ad flumen Matronam, vulgò *Nogent ſur Marne*, in quo Gregorius anno DXXCI. Regem Chilpericum commoratum eſſe cum ſuis, in libro VI. ſcribit, ac *Novigentum villam* appellat: ex quo intelligitur eam villam Regiam tum ſeu fiſcalem fuiſſe ante annos mille octoginta ſex. In vetere Polyptycho *Novigentum* cum Eccleſia ſua memoratur, & in Decanatu Monaſterioli ponitur. *Novigentum villam ſuper Maternã fluvium ſitam* nuncupat Aimoinus de Miraculis S. Germani; *Nogentum* recentiores.

Noviliacus vel *Noviliacum*, Odoni de Vita Burchardi Comitis *Nobiliacum*, vicus ad flumen Matronam Novigento proximus, vulgò *Neüilly* vel *Nully*, ad Abbatem Foſſatenſem olim pertinens: in vetere polyptycho *Nulli* in Decanatu Monaſterioli; in recentiore Catalogo *Nulliacum ſuper Matronam* in Decanatu Montis Maurentiaci, corrupto & trunco utrubique nomine nuncupatur. In Chartario Foſſatenſi ſimiliter *Nulliacum*,

& *Nulli*, *Nulliacum* etiam non rarò, necnon *Nobiliacum* veteri nomine, ac *Nulliacum ad Placitum* appellatur; (*Nulli aux Plaids*) item *Nulli* ibidem & *Nulli* in litteris patriâ linguâ ſcriptis. *Villa noſtra qua Nobiliacus appellatur*: item, *Nobiliacum quod vulgariter Nulliacum ad Placitum eſt vocatum: in quo loco ſeu villa*, &c. Eſt & alter ejuſdẽ nominis vicus ad flumen Sequanam, ponte & portu ſuo inſignis, *Novilìacus* Latinis ſcriptoribus; *Nully* aut *le Port de Neully* Noſtris dictus, Curvæ Viæ contrarius.

Novum Monaſterium, *Neufmouſtier*, vicus à re nomen habens, in Briegio inque Decanatu Veteris Corbolii ſub Archidiacono Briegenſi poſitus, non procul à caſtro Turnomio.

Nucetum villa quondam Regia ad flumen Matronam, regnante apud Francos Childerico, nepote Chlodovei Magni, ante annos MC. à nuceto ſuo appellationem trahens, vulgò *Nucetum Majus* dicitur, *Noiſi le Grand*, ut diſtinguatur à vico proximo ejuſdem nominis ad Matronam, quem *Nucetulum* vel *Nucetum Minus* appellant. *Nuceti* meminit Gregorius in Hiſtoriæ Francicæ libri V. capite XL. *Ipſe Rex* (Chilpericus) *Calam Pariſiacæ civitatis villam advenit. Regina* (Fredegundis) *vinctum juſſit eum* (Chlodoveum) *tranſire Matronam fluvium, & in villa cui Nuceto nomen eſt cuſtodiri: in qua cuſtodia cultro percuſſus interiit, ipſoque in loco ſepultus eſt.* Ita in veteri codice ſcriptum reperi, cùm in libris editis *Noceto* legatur, corrupto haud dubiè nomine. Quippe *Nucetum* à copia nucum dictum eſt, ubi Chlodoveus juſſu Fredegundis novercæ ab uno è cuſtodibus ſuis cultro percuſſus, ac ſub ſtillicidio Oratorii ſepultus eſt. In vico autem Cala commorantibus tranſeundus eſt Matrona, ut ad *Nucetum* ripæ ulteriori fluminis adjacens perveniant. *Nucetum* alii *Nuciacum* appellant à nucibus quoque, alii *Nucetum*. In litteris Urbani PP. II. datis anno Domini MXCVII. *Nucetum Magnum* nuncupatur. Ex *Nuciaco Nuſiacum*, *Noſiacum*, ac *Noiſiacum* recentiores fecerunt. *Nuſiacum villam* Eugenius PP. III. in litteris datis anno MCXLVII. numerat inter Eccleſias Pariſienſis Monaſterii S. Martini; Heinricus Francorum Rex in diplomate anni MLX. *Noiſiacum ſuper Maternam ſitum* vocat; *Noiſiacum Magnum* vetus ac recentius polyptychon appellat, atque in Decanatu Latiniacenſi ponit.

Nuceto propinquum eſt *Nucetulum* aut *Nucetellum*, vel *Nucetum Minus*: quod Urbanus PP. II. in litteris datis anno MXCVII. *Nucetum Minus* vocat; Eugenius PP. III. in litteris anni MCXLVII. & Lucius PP. anno MCXXCIV. *Nuſiellum villam* corruptè nuncupant pro *Nucellum* aut *Nucetellum*; utrumque Polyptychon Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ *Noiſellum*, & *Noiſellum ſupra Maternam*, necnon *Noiſellum juxta Ambaellam* corruptiùs multò atque mendoſiùs: vulgò *Noiſiel*, hoc eſt *Nuciacum Minus*, *Noiſi le petit*; in quibuſdam tabulis Geographicis *Noiſiere* malè, *Noiſel* quoque & *Noiſeau*. Sic *Meriel* vocatur vicus ad Iſaram flumen proximus Madriaco, quaſi Madriacellum, *le petit Mery*. Sic *Carentonio* ſuum eſt *Carentoniolum*, vel *Carentonellum*, villa proxima, *Carentoneau* dicta vulgò. Sic *Campiniaco Magno* (*Champigni*) proximum eſt *Campiniacum Parvum*, aut *Campiginellum*, villula *Champignel* vocata: ut docet Chartarium Foſſatenſe. Omnia autem heic quondam circumquaque nucetis ac nucibus abundabant ad Briegenſem ripam Matronæ. Cui rei indicio ſunt vici, *Nucetum Majus*, ac *Nucetum Minus*; item vicus dictus *Ad S. Germanum de Nucibus*, (*Saint Germain des Noyers*) & alius dictus *Ad Nucem*, (*le Noyer*) necnon *Mala-Noda*, (*Malenoue*) hoc eſt *Malum Nucetum*, vicus Monaſterio inſignis.

Nucetum, in veteri polyptycho *Noiſiacum*, id eſt *Nuciacum*, in Decanatu Monaſterioli, vulgò *Nucetum Siccum* cognominatur, *Noiſi le Sec*, quod nullis aquis irrigetur: ut diſtinguatur à Nuceto poſito ad ripam fluminis Matronæ, quod ſuprà commemoravimus Magnumque cognominatum eſſe diximus, & à Nuceto adjacente fluvio Ederæ in Briegio inque Pariſiorum finibus, non procul à caſtro Braia Comitis Roberti, quod *Noiſi* quoque appellatur. *Nucitum Superiorem*, hoc eſt *Nucetum Superius* vocant haud dubiè Acta Synodi Sueſſionicæ anno DCCCLXII. habitæ, atque inter villas numerant ad Regale Monaſterium S. Dionyſii pertinentes, ut hodieque pertinet. *Nucitum* inquam *Superiorem* vocant, propterea quòd hic vicus poſitus eſt trans montes noſtros ſuburbanos non longè à ſilva Bungeienſi vel Liberiacenſi: ſicut Clippiacum in Alneto Geſta Dagoberti Francorum Regis nuncupant eamdem ob cauſſam *Clippiacum Superius*, ut diſtinguant à Clippiaco Sequanæ appoſito. In Chartulario Foſſatenſi *Noiſiacum Siccum* memorari video, ut & *Noiſiacum Magnum*, & *Noiſiellum*, ſeu Noiſiacum Parvum. In Gallia multa ſunt ejus nominis loca, inprimis Nucetum, *Noiſi* inter Carolivennam & Villam Petroſam trans flu. Sequanam in Pariſiaco pago: & extra Pariſiorum fines alia plurima; ut *vicus qui Noſiacus Siccus dicitur* circa Melodunum caſtrum, in libro de Vita Burchardi Comitis.

Ocinæ, in veteri polyptycho *Eccleſia de Ocinis* in Decanatu Caſtri Fortis, *Ocines* aliàs, vulgò *Ourſines* aut *Vrſines*, vicus inter Caputvillæ & Separam poſitus non procul à Bevera fluvio ac vico, *Vrſini* dictus in recentiore Catalogo, ſub Archidiacono Joſacenſi.

Oratorium in Decanatu Monaſterioli, ad Priorem Gornacenſem pertinens, memorat vetus Polyptychon Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ: quod *Oratorium Repoſitorij* vocat recentior Catalogus, atque in Decanatu Calenſi ponit.

Oratorium alterum in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi ponit, & ad Abbatem Foſſatenſem pertinere ait vetus Catalogus; quod recentior à Jacobo Brolio publicatus in Decanatu Veteris Corbolii collocat, atque *Oratorium Ferraria* vocat: quo nòmine nunc etiam deſignatur. Dicitur enim *Oſoi la Ferriere*, aut potiùs *Oſoir la Ferriere* à proximo vico Fer-

ratia vel Ferrariis *Ferrieres*. Eſt autem *Oratorium Ferrariæ* poſitum in Briegio inter Liciniacum atque Turnomium : quod ſicut & ſuperius à re nomen accepit. In Chartario Foſſatenſi quod ſcriptum legi, nunc *Oratorium la Ferriere*, & *villa Oratory la Ferriere*, nunc *Oratorium* abſolutè nuncupari reperio. Eſt & *Oratorium*, vulgò *Oroer*, locus in Bellovacis Monaſterio Sacrarum Virginum clarus; & *Oratorium* in Arvernis, Marchiæ titulo inſigne, *Oradour*.

Orceium in Decanatu Caſtri Fortis, vulgò *Orſay* non procul à Giſſo Monaſterio & Iveta fluvio, vicus Cella ſeu Prioratu illuſtris.

Ormeia in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi memoratur in vetere polyptycho : quem vicum recentior Catalogus apud Brolium *Ulmetum* vocat meliùs, & in Decanatu Veteris Corboili ſub Archidiacono Briegii ponit. Veteres à ſilva ulmea *Ulmetum* nuncupavere. Vulgo *Ormay* Noſtri vocant maſculino genere, quemadmodum Alnetum *Aunay*, Caſtanetum *Chaſtenay*. Coryletum *Coudray*, Salicetum *Sauſay*, Quercetum *le Cheſnay* : quæ omnia nonnumquam, immo verò ſæpiùs feminini generis faciunt, atque ita efferunt, *une ormaye*, *une aunaye*, *une chaſtaigneraye*, *une coudraye*, *une ſauſaye*, *une cheſnaye*.

Paciacum, in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, vicus ad Sequanam, vulgò *Paci* à Pacio.

Palatiolum à re nomen habuit. Fuit enim villa publica vel Regia, una de minoribus. Villas autem Regias aut fiſcales Noſtri olim *villas Palatij* & *Palatia* appellitabant, propterea quòd Reges Francorum magnifica ibi Palatia habere conſueverant. *Palatiolum* igitur dictum eſt quaſi parvum Palatium, parva villa Regia : quam villam Pippinus Francorum Rex Monaſterio ſuburbano S. Dionyſii Mart. pro anima patris ſui Caroli ibi ſepulti dedit. *Palatiolum* memorant Catalogi Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ vetus ac recentior, in Decanatu Caſtri Fortis ſub Archidiacono Joviacenſi ſeu Joſiacenſi. *Prioratum* tamen *Palatioli* ponit *in Decanatu Maciaci* Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, quod in anno MCCXXCII. deſinit. *Paleiſol* in veteribus tabulis vicum hunc dictum eſſe video, Marchiæ titulo nunc illuſtrem : quem vulgò *Paleſeau* vel *Palaiſeau* Noſtri appellant corruptè pro *Paleſieul* aut *Palaiſieu*. VVandregiſilus Abbas Chlotharium annum regni IX. agentem adiiſſe fertur, tum *in loco territory Caſtrenſis* nomine *Palatiolo* commorantem : quæ Regis in *Palatiolo* mora docet, eam villam Regiam tum exſtitiſſe.

Paretum in Decanatu Linarienſi ponit vetus Catalogus : at recentior in Decanatu Montis Leotherici idem *Paretum* collocat. Vulgò *Paray* dicitur vicus Civiliaco proximus, in quibuſdam tabulis *Perez* mendosè.

Paretum alterum *in Decanatu Veteris Corboili* ſub Archidiacono Briegii enumerat inter Parœcias Eccleſiæ Pariſiacæ recentior Catalogus à Jacobo Brolio editus : quod vetus polyptychon *Paretum* nuncupat, & in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi collocat. *Paretum* autem vel *Paredum*, nomen eſt Gallicum ſignificationis ignotæ. Certè in polyptycho Cluniacenſi reperitur *Paredum*, *Decanatus in Æduis* ſeu in Diœceſi Auguſtodunenſi, vulgò *Paray* aut *Paroy le Moinal*, id eſt Paredum Monachale.

Pariſium à *Pariſiis* Gente ſua nomen habet, vicus in agro Pariſiaco propriè dicto poſitus, vulgò *Ville Pariſis* aut *Ville Pariſi*. *Eccleſiam de Pariſio* vocat vetus Polyptychon, ponitque in Decanatu Monaſterioli.

Pentinum dictum eſt à clivo ſeu devexitate, quam *pentam* vocamus, *une pente*, quòd de monte pendeat, vulgò *Pentin* aut *Pantin*; *Pentin* in vetere quoque Polyptycho, in Decanatu Monaſterioli vel Monſtrolii : in litteris Urbani PP. II. datis anno MXCVII. & Eugenii PP. III. MCXLVII. *Pantinum* inter Eccleſias Pariſienſis Monaſterii Sancti Martini.

Peſcuſa in Decanatu Caſtri Fortis, fortè ita dicta quaſi Piſcoſa.

Petra Frixa vocatur in veteri polyptycho; & in Decanatu Goneſſæ ponitur : quam in Decanatu Montis Maurentiaci collocat, & *Petram Fictam* meliùs nuncupat recentior Catalogus à Jacobo Brolio editus; *Petram Fictam* & Chartulariū MS. Eccleſiæ Pariſiacæ *Petram Fictam* appellāt quoque acta Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. & numerant inter Eccleſias ad Monaſterium Regium S. Dionyſii pertinentes. Vulgò *Pierre Fite* dicitur : in quibuſdam tabulis Latinis & Gallicis *Petra Frixa*, & *Pierre Frite* corruptè, tamquam lapides aut petræ in ſartagine frigantur. *Petra Ficta* dicitur à fingendo, ut figulus & fictile. A figendo *Petram Fixam* aliqui vocant. Multi ſunt ejus nominis vici in Gallia, Latinè ſinguli *Petra Ficta*, nonnumquam *Petra Fixa* dicti, vulgò *Pierre Fite*.

Petra Lata in Decanatu Goneſſæ ponitur in veteri polyptycho; in Decanatu Montis Maurentiaci in recentiore Catalogo; vulgò *Pierre late*, aut potiùs *Pierre lée*. Latum enim vocamus *un lé* in telis & pannis. Ei vico nomen dedit petra aliqua latitudine notabilis. *Petram Latam* reperio & in litteris Henrici Abbatis Monaſterii S. Dionyſii datis anno MCCVII.

Pinus in Decanatu Monaſterioli vicus eſt, à pinu aliqua clara & celſiſſimum in cacumen elata nomen nanctus, & in veteri polyptycho memoratus, vulgò *le Pin*, in quibuſdam tabulis *Au-Pin*, id eſt *Ad-Pinum*.

Piſcoſi in recentiore Catalogo vicus eſt in Decanatu Montis Maurentiaci, vulgò *Piſcot* dictus, inter Andeliacum atque Sarcellam.

Pleſſeium Comitis, *le Pleſſis*, vicus proximus Corboilo, cujus à Comitibus cognomen videtur accepiſſe, in Decanatu Montis Leotherici poſitus ſub Archidiacono Ioſacenſi. Plexiaca autem propriè dixere, quæ pòſt Pleſſeia vel Pleſſiaca, vulgò *Pleſſis*, à plectendo, nemora clauſa ſæpto vel ſæpe ex virgis & ramuſculis implexis aut ex cratibus : ut quidam non abſurdè exiſtimant.

Pomponia à Pomponio dicta in Chartula-

rio MS. Eccleſiæ Pariſiacæ; *Ponpona* corruptè in veteri polyptycho vocatur, & in Decanatu Monaſterioli ponitur, in recentiore Catalogo *Pompona* in Decanatu Calenſi: vulgò *Pompone*, ad Matronam vicus Cellâ Monachorum inſignis. *Pompone* meminit Sugerius in capite XVIII. libri Geſtorum Ludovici Franc. Regis; & Chartularium Capituli Eccleſiæ Pariſienſis.

Pons Quadratus in Decanatu Latiniacenſi ponitur in recentiore Polyptycho, vicus à pontis ſui figurâ ita dictus, *Pont quarré*.

Popini Curtis, id eſt Popini villa, *Popincourt* vulgò, à Iohanne *Popin* cive Pariſienſi nomen habuit, de quo Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſ.

Pratella vicus eſt parvis in pratis, à quibus nomen accepit, *Praeria* in veteri polyptycho mendosè dictus, in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi; *Priſl a* in recentiore Catalogo, in Decanatu Veteris Corboili: vulgò *Preſles* aut *Prelles*, non procul à caſtro Turnomio.

Puteoli vicus à puteis ſuis nomen invenit: in Decanatu Goneſſæ ponitur in veteri polyptycho; in Decanatu Montis Maurentiaci in recentiore Catalogo: vulgò *Pizeux*, aut *Puiſeux*, aliàs *Puiſieux en France*.

Quadraria, vulgò *Carrieres*; aliàs *Carriere S. Denis*. Quadraria ſeu *Lapicidina S. Dionyſii*, vicus ad ripam Sequanæ, à lapide quadrato qui inde eruitur dictus. Eſt & alius vicus ad Sequanam & ad ſilvam Lediam poſitus, atque inde *Quadraria ſub ſilva* nuncupatus, *Carrieres ſous le bois*: alius item ad Sequanam in Veliocaſſibus, Pinciaco Carnutum opido oppoſitus atque contrarius, Quadrariæ ad Pinciacum, *Carrieres lez Poiſſi*: & alius viculus ad Confluentes Matronæ & Sequanæ, vulgò *les Carrieres prés Charanton*, Quadrariæ ad Carentonem.

Quintiacum ad Ederam flumen in Briegio, vulgò *Quincy* dicitur, à Quintio cognominatum, proximumque alteri *Quintiaco* quod Magnum ſive Maius cognominatur, *Quincy le Grand*.

Reſchia in Decanatu Maciaci, Cella ſeu Prioratu ſuo inſignis, inter Capreſiam & Caſtrum Forte, memoratur in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, vulgò *Raſche*, alias *Villeras*.

Ries vicus & Eccleſia in Decanatu Linarienſi ponitur in vetere polyptycho, aliàs *Ria*, vulgò *Ru*: quem vicum recentior Catalogus *de Riſu* ridiculè nuncupat, & in Decanatu Montis Leotherici collocat.

Rocconis Curtis in actis Synodi Sueſſionis anno DCCCLXII. habitæ memoratur inter villas in totum aut ex parte pertinentes ad Regale Monaſterium S. Dionyſii: *Roquencort* dicta in veteri polyptycho: vulgò *Rocquencourt* aut *Roquancourt* non procul à Lupicinis. *Rocconis curtis*, eſt *villa Rocconis* ſeu *Rucconis*. Curtis enim ſive cortis, veteribus chors & cohors etiam appellata, pars erat villæ, in qua aves & pecora alebantur: unde & ſæpe à Noſtris curtis appellatione villa deſignatur. *Rocconis Curtis*, *Roquancourt* vulgò dicitur, ut *Bettonis Curtis Betancourt* in Caletis, Grimonis Curtis *Grimancourt*, *Taſonis Curtis Teſſancourt*, Pinciaco Carnutum proxima: quæ IV. villæ, ut plurimæ aliæ, à conditoribus aut dominis ſuis nomen acceperunt, prior à Ruccone vel Roccone, altera à Bettone, tertia à Grimone, poſtrema à Taſone.

Romana Villa in Decanatu Monaſterioli ponitur in vetere Catalogo Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ: quam recentius polyptychon à I. Brolio vulgatum in Decanatu Calenſi collocat. Vulgò *Romainville* nuncupatur, abeſtque parum à Bongetis atque Nuceto Superiore vel Sicco. Unde nomen traxerit, in *Francorum Villa* ſupra obſervavimus.

Romiliacum villa fuit publica aut Regia agri Pariſiaci, in qua Gomatrudem uxorem ſuam ob ſterilitatem repudiavit Dagobertus Francorum Rex, Nanthildemque unam è puellis ejus in matrimonium accepit: ſicuti Fredegarius ſcribit in Chronici ſui libri V. ac ultimi capite LVIII quem auctor Geſtorum Dagoberti & Aimoinus in libro IV. tranſcripſere. Verba Fredegarii ſunt. *Dagobertus Pariſius venit, ibique Gomatrudem Reginam in Romiliaco villa relinquens*, &c. Ex quibus verbis intelligitur *Romiliacum* proximum Luteciæ Pariſiorum viculum fiſcalem exſtitiſſe, qui nunc (ut mihi videtur) vocatur contracto nomine *Reu lly lez Paris*, vicus Luteciæ & S. Antonii Burgo proximus ad Orientem verſùs, olim *la Granche de Rullly* dictus.

Rooneium in Decanatu Goneſſæ ponit vetus Catalogus: quem vicum veteres tabulæ ante annos CCCCLX. ſcriptæ *Rooſneium* appellant, vulgo *Rôny*. Sunt autem continui monticuli ab urbe Lutecia Pariſiorum uſque ad Pomponiam Latiniaco ferè oppoſitam, per leugas circiter V. è regione Matronæ fluminis conſurgentes: ubi hinc vici, Carrona Ad Rotá, *Charrenne* Bella Villa, Balneolum *Baignollet*; Manſionile Montanum, *Meſnil-Montant*, *Roſgni*, Rooneium *Rôny*; Villa Munbla *Ville-Monble*; Manſio Mathildis aut Domus Machildis, *Maiſon-Mahaut*; Mons Fumolius, *Montfermeil*; Villa Nova, *Villeneufve*, & Pomponia, *Pompone* ad Matronam: inde Villula, *la Villette*; Pratum S. Gervaſii, *Pré Saint Gervais*; Pentinum *Pantin*; Romana-Villa, *Romainville*; Nucetum Superius vel Siccum, *Noiſi le Sec*; Brolium *Brou*, & Tauriniacum, *Torigni* ad Matronam in Decanatu Monaſterioli, *Toregni* in vetere Polyptycho dictum. Legi litteras datas anno MCCXCII. in quibus *Roogniacum* dicitur, quod aliàs *Rooneium* & *Rooſneium*; in Chartularii Foſſatenſis litteris datis anno MCXXC. *Rooniacum* nuncupatur.

Roſſiacum in Decanatu Goneſſæ ponit vetus Polyptychon Parœciarum Diœceſeos Pariſiacæ: *Prioratum Roiſſiaci* (ita enim appellat) & ſimul vicum ipſum *in Decanatu Sarcillæ* collocat Catalogus Prioratuum ejuſdē Diœceſeos. Hic vicus Rigordo *Roſſiacū*, vulgò nuncupatur *Roiſſi en France*, quòd in Francia propriè dicta eſt poſitus nō procul à vicis Caſtellione & Goneſſa, eoque cognomine à Roſſiaco Briegenſi

diſtinguitur. *Roſſiacum* utrumque à ruſco ſeu myrto ſilveſtri, cujus magna ibi copia, priùs dictum eſſe videtur *Ruſciacum*; ex quo *Ruſſiacum* & *Roſſiacum* per ignorantiam factum, ut ex *Boſciaco Boſſiacum* & *Buſſiacum*.

Roſſiacum alterum in Briegio atque in Decanatu Latiniacenſi ponit antiquum polyptychon, quod *Roiſſiacum* vocat. Vulgò *Roiſſy en Brie* dicitur, & parum abêſt ab Ambaella, *Emboiſſe*. *Roiſſiacum* in litteris Eugenii PP. III. anni MCXLVII; in litteris Lucii PP. anni MCXXCIV. *Ruſſeium villa* inter Eccleſias & Prioratus ad Pariſiacum Monaſterium S. Martini pertinentes vocatur.

Rotoialum villa fiſcalis fuit aut Regia in agro Pariſiaco ad flumen Sequanam per annos ampliùs trecentos: ſed poſtea à Carolo quem Calvum cognominant, Baſilicæ S. Dionyſii donatum eſt. *Rotoialenſem villam urbis Pariſiacæ* vocat Gregorius, nec longè à vico Nemptodoro poſitam eſſe indicat in libri Hiſtoriæ X. capite XXVIII. his verbis. *Guntchramnus Rex acceſſit Pariſius: exinde ad Rotoialenſem villam ipſius urbis properans, evocato puero juſſit baptiſterium præparari in vico Nemptodoro.* Guntchramnus ergo Rex contulit ſe in villam Rotoialum, & Chlotharium fratris ſui Chilperici filium ſeptennem eò evocavit ad ſeſe, ut in vico Nemptodoro qui Rotoialo erat proximus, ubi baptiſterium parari curaverat, ablueretur, & de ſacro fonte ab ipſo exciperetur: ex quo intelligitur *Rotoialum* villam tum Dominicam ſive Regalem fuiſſe, cum ibi Reges noſtri conſiderent. Idem Hiſtoricus eumdem vicum nomine parumper immutato *Rigoialum* pro Rotoialo, ſeu *Rigoialenſem villam* appellat haud dubie in libri IX. capite XIII. *VVilulfus civis Pictavus cùm ad urbem Pariſiacam veniſſet, apud villam Rigoialenſem facto teſtamento defunctus eſt.* Fortunatus in Vita S. Leobini Carnutenſis Epiſcopi, exemplo Gregorii amici & Mæcenatis ſui *Rotoialum* quoque nuncupat, atque Regem Childebertum, Chlodovei Magni filium, ibi commoratum eſſe ſcribit, & Leobinum eò evocaviſſe. *Dum Glorioſiſſimus Rex B. Leobinum Epiſcopum Rotoialo ſperaret ad ſe venturum*: id eſt in villam *Rotoialum*. Jaminde igitur à Chlodovei filiis villa fuit Regia *Rotoialum* ante annos MCLX. *Rodolium* dicitur in vetere polyptycho Eccleſiæ Pariſiacæ, *Rotoiali* nomine corrupto atque unâ ſyllabâ truncato, & t in d mutato. T enim & D litteræ ſunt inter ſe affines, & invicem ſæpe ſuccedunt. Quidam *Rotoilum agrum* vocant, in his Audoënus. Ejuſdem vici meminit Fredegarius Scholaſticus in Chronici libri V. & ultimi capite III. *Guntramnus perrexit Pariſius, ibique Fredegundem cum filio Chilperici Chlothario ad ſe venire præcepit: quem in Rioilo villa baptizari jubet, & eum de ſancto lavacro excipiens, in Regno patris firmavit.* Ita ſcriptum reperi in codice Jacobi Sirmundi, qui eſt optimus ac vetuſtiſſimus: cùm in libris Fredegarii editis legatur *Riogilum*. Fredegarius in *villa Rioilo* ablutum eſſe Chilperici filium & à Guntchramno patruo de ſacro fonte exceptum falsò tradit: cùm in vico Nemptodoro, non autem in *villa Rotoialo* ſive *Rioilo* intinctum fuiſſe aſſerat Gregorius Turonicus Epiſcopus: cui auctori æquali haud dubiè major fides habenda eſt, quam Fredegario ſuppari, qui iſta non vidit, ſed tantùm audita aut etiam lecta narravit. Ut *Rioilum villam* Fredegarius, ita *Crioilum villam* (ni fallor) vocavit Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus in capite XIII. libri I. de Vita Eligii Noviomagenſis Epiſcopi. *Eligius rediens domum perduxit ſecum Regem (Brittanorum) cum multo exercitu generis ſui, eumque Crioilo in villa Regi Francorum (Dagoberto) præſentans, pacifice confœderavit.* Quamquam Fredegarius capite LXXVIII. id in villa *Clippiaco* factum eſſe dicit. *Quod audiens Judacaile Rex Brittanorum, curſu veloci Clippiacum cum multis muneribus ad Dagobertum perrexit.* Æquales quidem fuere Eligius, Dado qui & Audoënus, & Fredegarius. Sed de Eligio cujus Vitam ex profeſſo deſcripſit, credere Dadoni malim quam Fredegario: Dadoni inquam tum in aula verſanti, & quæ ibi gerebantur videnti, Dagoberti etiam Principis Referendario libentius ac tutiùs acceſſerim, quàm Fredegario non viſa, ſed audita & incertis nonnumquam rumoribus accepta referenti. *Rioilum* autem & *Riogilum*, quod utrumque ex *Rigoialo* Gregorii factum videtur, unum idemque eſt: ſicuti Nantoilum & Nantogilum, Bonoilum & Bonogilum, Maroilum & Marogilum. *Riogilum fiſcum Regium* exemplo Fredegarii villam hanc vocat Carolus cognomine Calvus; cujus in litteris verba hæc ſunt. *Villam juris noſtri Riogilum, quæ villa ſita eſt in pagu Pariſiaco & Pinciacinſe, necnon foreſtam aquaticam à fluvio Saura uſque Camborenas Monachis S. Dionyſii confirmamus.* Ex quibus intelligitur villam Regiam *Rotoialum*, quæ in pago Pariſiaco poſita eſt, & ab opido Pinciaco Carnutum abeſt, bis interfluente Sequanâ, millia paſſuum circiter IX. habuiſſe fundos & agros ad ſe pertinentes ſibive attributos & ſubjectos non in pago ſolùm Pariſiaco, ſed etiam in Pinciacenſi. *Fiſcum Riogilum* dictum reperio & in libris Miraculorum S. Dionyſii, principatu Caroli Calvi compoſitis. Sugerius Abbas Monaſterii Regii S. Dionyſii in libro de rebus in adminiſtratione ſua geſtis, & in litteris datis anno MCXXXVII. *Ruoilum* nuncupat, appellatione ad *Rioilum* Fredegarii & Audoëni proximè accedente. *Carolus Imperator tertius ſumptibus ſeptem lampadum ante ſanctum altare die & nocte ſemper arſurarum, & anniverſarii ſui, & Servorum Dei refectioni, poſſeſſionem ſuam quæ dicitur Ruoilum cum appendiciis ſigillis aureis confirmavit.* Ibidem eumdem *Karolum Calvum, Imperatorem tertium* ejus nominis pro ſecundo vocat, Carolum Martellum ipſius abavum, qui ne Rex quidem Francorum fuit ſed Dux tantùm & Princeps, Imperatoribus falsò adnumerans. Ex *Ruoilo Ruolium* factum, ut ex *Corboilo Corbolium*, ex *Bonoilo Bonolium*, ex *Argentoilo Argentolium*. *Ruolium* appellat Henricus Abbas Monaſterii S. Dionyſii in litteris datis anno MCCXVII: appellant & verſus tumulo Caroli Calvi inſcripti in Baſilica S. Dionyſii Mart. quâ in inſcriptione dicitur

Sequanii fluvii Ruolique dator.

Propterea quòd nimirum Monachis Cœnobii S. Dionyſii non modò *Rotolalum* villam publicam contulit, ſed etiam jus piſcandi in flumine Sequana, ſeu *foreſtem aquaticam à fluvio Sautra uſque Cambreias*: ut verbis Caroli donatoris utar ſuprà laudatis. Catalogus recentior Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ *Ruolium* ſimiliter vocat, ac *in Decanatu Caſtri Fortis ſub Archidiacono Joſacenſi* ponit; *Ruolium* & pleríque ſcriptores. Vulgò nunc *Ruel* in tabulis Geographicis corruptè ſcribitur, cùm *Rueuil* aut *Rueil* ſcribi debeat. Quippe o Latinum Noſtri in eu convertere conſueverunt: uti omnes ſciunt.

Rotulum, vulgò *le Rolle*, aliàs *le haut & bas Roulle*, vicus eſt procul à burgo ſive ſuburbio S. Honorati: cujus mentionem fieri video in litteris Philippi Francorum Regis anni MCCXXII. *pontem de Rollo* memorantis, & in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, litteras Paparum & Regum ad Epiſcopatum Pariſienſem pertinentes continente. Ibi enim litteras legi datas anno MCCXCIII. in quibus *domus & congregatio pauperum Cæcorum Pariſ. ſita prope S. Honoratum, domus de Lupara, & muri terra Tegulariarum* memorantur; tum adduntur hæc verba: *per deverſus Rotulum*, &c. id eſt *par devers le Roulle, vers le Roulle*, aut *du coſté du Roulle*. Ceterùm *rotulus*, item *rotula* quaſi parva rota à rotunditate, necnon per contractionem *rollus* & *rolla* dicebatur epiſtola brevis, quæ non plicata ſed inſtar veterum Rom. voluminum voluta mittebatur. Quare Baldricus in carminibus quæ ante annos circiter DLX. compoſuit, ipſam quidem chartulam convolutam *rotulum* paſſim & *rotulam*; qui verò ejuſmodi rotulos deferret, *rolligerum* appellat.

Rungiacum in Decanatu Linarienſi ponit vetus Polyptychon, quod & veteres tabulæ non ſemel memorant. Vulgò *Rongi* vel *Rungy* dicitur, vicus inter Villam Ceteris & villam Julitæ poſitus.

Sabiniacum à Sabino nomen accepit. *Saviniacum* polyptycha Parœciarum Eccleſiæ Pariſiacæ vocant: & vetus quidem polyptychon in Decanatu Linarienſi; recentius in Decanatu Montis Leotherici ponit. Sic *Sabinianum* primum Senonum Epiſcopum, *Savinianum* Odorannus & vetera Chronica ac Martyrologia appellant. Sic Noſtri *S. Savinum* pro *Sabino* dixere, & Monaſterium S. *Savini* in Aquitania, Monaſterium quoque S. *Savini* in Vaſconia ante annos octingentos nuncupavere, ac *Savinam* herbam pro *Sabina*. Vicus eſt ad Urbiam flu. hodieque dictus *Savigni ſur Orge*, cujus ponticulus in proverbium vertit, *le Pont de Savigni en l'air*. Eſt & alterum *Sabiniacum in Alneto* inter Alnetum & Villam Pictam, vulgò *Savigni*.

Salices vicus à copia ſalicum ita dictus, Prioratu ſuo celeber: quem Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ in Decanatu Maciaci ponit; recentior Catalogus, à Jacobo Brolio editus, in Decanatu Caſtri Fortis; vulgò *la Sauſaie*. Eſt & *Salix*, *Saux* prope Montem Leotherici, vicus in Geſtis Dagoberti memoratus.

Sarcella in Decanatu Goneſſæ ponitur in veteri polyptycho. Chartularium tamen MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, in Catalogo Abbatiarum & Prioratuum ad eam Eccleſiam pertinentium, *Decanatum Sarcella* memorat, cui Prioratus vel Cellas Argentolii, Confluentii ad S. Honorinam, Taberniaci, Dommo. tis, Diogili, Villaris Beli, Roiſſiaci, Malliaci Villæ, Montiaci, Boſci S. Petri, vel *Nemoris S. Petri*, (*le bois S. Pierre*) Capitulum Montis Maurentiaci, Capitulum Luſarchiarum, Abbatias Herivallis & Vallis S. Mariæ (*l'Abbaye du Val*) attribuit. *Cerſilla* dicitur in litteris Odonis Francorum Regis, qui & fiſcum ſuum, hoc eſt villam Regiam ſeu publicam fiſcalemve fuiſſe docet his verbis. *Ex fiſco noſtro Cerſilla manſum unum cum ductu aquæ ex utraque parte ſupra & ſubtus fluvio Rodono*, (vulgò *Rone*) *& molendinum juxta Monaſterium ſuper fluvium Crodoldi ſuper pontem Tricina, Eccleſiæ S. Dionyſii concedo*. *Cerſilla* vicus eſt ad Rodonum amniculum, qui in Crodoldum effluit, & nomen priſcum retinet. *Serrelle* quippe aut *Cerſelle* hodieque vocatur, & Marchiæ titulo ante paucos annos illuſtrata eſt. *Sarcella*, ut & Piſcoſi, Pleſſiacum Gaſſoti, Bonogilum, Roſſiacum, Cannabariæ, Ballolium, Bedolitum, Seurenum, Jahenniacum, opidum S. Dionyſii, Mitriacum, Fontanetum, Thieux, Villa Nova, Montiacum Franciæ attribuuntur, & inde cognomen accipiunt, ut in Francia eſſe dicantur.

Sarclos in veteri Polyptycho memoratus vicus, vulgò *Saclay* inter Beveram & Giſium vicos poſitus, interque amnes Beveram & Ivetam.

Sarnaium in vetere Polyptycho memoratum cum *Cella ultra Sarnaium*, (*la Celle*) *Cernaium* aliàs, & *Sarneta*, & *Serneium*, vulgò *Sernai la ville* dicitur, vicus in extremis Pariſiorum finibus ac in ſilva Aquilina: qui proximo vico nomen ſuum dedit, veteri Monaſterio inſigni, quem *Valles Sarnay* appellant, vel *Valles Cernay*, *le Vaux de Sernai*, aut *les Vaux de Cernay*. Cœnobium ipſum, *Abbatia Vallium B. Mariæ de Sernetio* in Decanatu Maciaci vocatur in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ; *Vallium Cernay Monaſterium* à Petro ejuſdem loci Monacho, qui anno MCCXVII. de bello Albigenſi ſcripſit; *Abbatia de Sarneia* impropriè in litteris Innocentii PP. II. Eſt autem Monaſterium ordinis Ciſtercienſis.

Sarriei in veteri Polyptycho Parœciarum Eccleſiæ Pariſiacæ vocatur, & in Decanatu Latiniacenſi ponitur, vicus Briegenſis, vulgò dictus *Serris*, aliàs *Serry* non procul à Matrona flumine.

Sartori Villa in litteris Sugerii Monaſterii S. Dionyſii Abbatis, datis anno MCXXXVII. & in vetere Polyptycho memoratur, vicus in Decanatu Goneſſæ olim poſitus, ac vulgò dictus hodieque *Sertronville*, aliàs *Sartonville*, ad Sequanam non procul à Cormeliis & Argentoilo. *Sartorum Villam* dici malim.

Savegium fortè eſt *Sucy*. Chlotharius Chlo-

dovei junioris filius dedit Monaſterio Foſſatenſi *vicum Savegium, cujus nomine gaudet mons ſupereminens*: ut legimus in Vita S. Baboleni Abbatis. *Sucracum* in vetere polyptycho dicitur.

Savara in litteris Childeberti Francorum Regis, Chlodovei filii; *Saura* in litteris Caroli cognomine Calvi dicta; *Sevra* in vetere Polyptycho inter Eccleſias ab Epiſcopo conferendas; *Separa* in recentiore Catalogo, in Decanatu Caſtri Fortis, non procul à flumine Sequana & à Novigento S. Chlodoaldi; vulgò *Sevre*, a fluviolo ſuo nomen accepit. Inde cognominatus eſt *Simon de Sevra* in litteris anni MCCLXXI. *Simon de Separa* in litteris anni MCCLXVI. *Simon de Seppara* MCCLXVIII. Fortunatus de Vita S. Germani Pariſ. Epiſcopi capite XXVI. *Savaram* vocat. *Magnoſledis puella ſervo Dei in villa Savara præſentata eſt.* In Chartulario Capituli Eccleſiæ Pariſ. nunc *Separa*, nunc *Sepera* dicitur promiſcuè, ut Lupara & Lupera; item *Sievre* pro *Sevre*, ut *Nanteuerre* pro *Nanterre*.

Sanlicia in veteri Polyptycho, vulgò *Sanliſſes*, vicus non longè à caſtro Caproſia.

Servon in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi ponit vetus Catalogus: qui vicus hodieque nomen priſcum ſervat. Dicitur enim *Servon*, & proximus eſt Braiæ Comitis Roberti in Briegio: *Servonem* Chartularium MS. Eccleſię Pariſiacæ vocat.

Sorſi alterum in Decanatu Goneſſæ ponit vetus Polyptychon, qui vicus & nunc *Sorſi* dicitur, proximus Andeliaco: alterum *Sorſi* in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi collocat in Briegio: quem vicum ad flumen Sequanam poſitum, vero & incorrupto nomine à Soſio *Soſiacum* appellat Odo Monachus Foſſatenſis in libello de Vita Burchardi Comitis caſtrorum Corboili atque Meloduni ante annos ſexcentos. *Soiſi ſur Seine* vulgò vocatur, in quibuſdam tabulis *Choiſy* mendosè; *Soiſiacum* in Decanatu Veteris Corboili ſub Archidiacono Briegii in recentiore Catalogo vel Polyptycho; *Soiſetum* in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ.

Solarram in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi ponit vetus Polyptychon Parœciarum Diœceſeos Pariſ. qui eſt vicus in Briegio, vulgò dictus *Soulare* ad flumen Ederam.

Spinetum in Decanatu Goneſſæ ponitur in vetere Catalogo, & *Capella de Spineto* inter *Eccleſiam de Luſarchis* & *capellam de Laci*: quem vicum recentior Catalogus à ſitu vocat *Spinolium juxta Luſarchias*, vulgò *Eſpinay*. A ſpinis & ſpinetis ſuis nomen accepit, ut & vicus ſequens, ac multa alia ejuſdem appellationis loca in Galliis.

Spinetum in Decanatu Linarienſi ponit vetus Polyptychon: quod nuncupat *Spinoletum ſupra Orgeam*, & in Decanatu Montis Letherici collocat recentior Catalogus, ſive *Spinoletum ad Urbiam flumen*: qui vicus vulgo *Eſpinay ſur Orge* dicitur.

Spinolium in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi memorat vetus Polyptychon, cujus Eccleſia ad Monaſterium Pariſiacū S. Genovefę pertineat: quod ibidē in enumeratione Prioratuum Eccleſiæ Pariſ. dicitur *Eſpinoletum S. Genovefæ*, ſive potiùs *Spinoletum S. Genovefæ*. Vulgò *Spinolium in Briegio* cognominatur, *Eſpinay en Brie* pro *Eſpineil* aut *Eſpineuil*; aliàs *Eſpinay ſur Senart* à ſilva propinqua: & olim *Spinogilū* primò, deinde *Spinoilum* ac *Spinolium* dictum videtur.

Spinogelum vel *Spinogilus* villa publica fuit ante annos MXXX. Palatio Regum noſtrorum & letali morbo Dagoberti majoris nobilis, poſita ad flumen Sequanam, ab urbe Lutecia Pariſiorum tribus plus minùs leugis diſtans, à Monaſterio S. Dionyſii unâ. Ibi ægrotare cœpiſſe Dagobertum, & paucis pòſt diebus apud Baſilicam S. Dionyſii Martyris quò ſe deferri juſſerat, extremum ſpiritum fudiſſe ſcribit Fredegarius in libro V. Chronici, atque in ea Baſilica ſepultum eſſe: quem Geſta Dagoberti, Aimoinus, auctores Chronicorum Beſvenſis & Sancti Benigni, & plerique alii Hiſtorici noſtri ferè ad verbum tranſcripſerunt ac ſecuti ſunt. Verba Fredegarii ſunt. *Anno XVI. regni ſui Dagobertus profluvio ventris in Spinogelo villa ſuper Sigona fluvio nec procul à Pariſius ægrotare cœpit: exinde ad Baſilicam S. Dionyſii à ſuis defertur: poſt paucos dies amiſit ſpiritum, ſepultuſque eſt in Eccleſia Sancti Dionyſii, quam ipſe priùs condignè in circuitu fabricare præceperat.* Fredegarii ſententiæ acceſſerim libens, qui Dagobertum videre Principem potuit, ejuſque ambobus filiis apud Francos regnantibus floruit. At auctor Geſtorum Francorum qui centum ferè annis poſt Fredegarium fuit, Dagobertum & ægrotâſſe & mortuum eſſe in *villa Spinogilo*, tradit in capitulo XLIII. quod haud dubie falſum eſt. *Rex Dagobertus à febre valida correptus, ægrotans mortuus eſt in Spinogilo villa in pago Pariſiacenſe, & in Baſilica B. Dionyſii Martyris ſepultus eſt.* Aimoinus in libro IV. *Spinogilum villam ſuper flumen Sequana ſitam haud procul à Pariſius* nuncupat. Quam veteres *Spinogelum* vel *Spinogilum* villam; recentiores *Spinoilum* & *Spinolium* vocavere. Vetus Polyptychon in Decanatu Goneſſæ ponit *Spinolium* noſtrum; recentior Catalogus in Decanatu Montis Maurentiaci, & *Spinolium juxta Sanctum Dionyſium* appellat. In tabulis Geographicis, & in libris Noſtrorum vulgarem pronuntiationem ſequentium corruptè dicitur *Eſpinay*: cùm *Eſpineüil* dici ſcribique debeat. Nam *Eſpinay* quidem Spinetum eſt; *Eſpineüil* autem aut *Eſpineil* Spinogilum vel Spinoilum. Vulgò dicitur *Eſpineüil ſur Seine*, vel *Eſpineüil lez S. Denis*. Vicus quippe eſt ad Sequanam, propinquus Regio Monaſterio S. Dionyſii; at inſulæ amnicæ S. Dionyſii multo propior.

Stagnum à ſtagno ſuo nomen accepit, vulgò *l'Eſtang*, vicus ad Sequanam inter Alpecum & Calceiam poſitus, & in vetere Polyptycho memoratus: in recentiore Catalogo *Lacus* dici mihi videtur, in Decanatu Caſtri Fortis. Eſt & *Stain* vel *Stains*, proximus Mitriaco & Manſionili Dominæ Rentiæ vicus: quem Latinè olim *Stagnum* aut *Stagnus* dictum eſſe exiſtimo, uti ſtannum *eſtain* vulgò appellamus. *Stain* quoque vicus inter Petram Fictam & vicum S. Leodegarii non procul à Monaſterio Sancti Dionyſii, idem (ni fallor) apud Latinos ſcri-

ptores vetus nomen habuit.

Suciacum in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi ponit vetus polyptychon : quod *Sulciacum* appellatur in MS. Chartulario Eccleſiæ Pariſiacæ, & cum Bonolio (*Boneüil ſur Marne*) Villaribuſque (*Villiers ſur Marne*) conjunctim memoratur. Vulgò *Suci en Brie*; in tabulis Geographicis *Suſſy* & *Suſy* corruptè. Neque enim c litteram Latinam Noſtri in ſ. præſertim duplex commutare conſueverunt. In Chartario Foſſatenſi paſſim *Suciacum*, & non ſemel *Sulciacum* vocatur. *Sulciacum* nominant & quædam tabulæ Pariſienſis Eccleſiæ, quas legi. *Savegium* in Vita Baboleni Abbatis Foſſatenſis dici videri, ſuprà notavimus. In tabulario Capituli Eccleſiæ Pariſ. modò *Succiacum*, modò *Suſciacum* nuncupatur.

Suriſna in litteris Roberti *Abbatis Cœnobii S. Vincentii Levitæ & Martyris, & Germani Pariſiorum tutoris*, datis anno MLXX. memoratur his verbis. *In noſtra poſſeſſione quæ Suriſnis dicitur.* Certè hodieque ad Abbatem S. Germani de Pratis *Suriſna* pertinent. *Suriſnas* appellant & litteræ Caroli quem Simplicem vulgò cognominant. *Soriſnas* alii; alii *Soreſnas* appellant. *Soreſnes*, id eſt *Soreſnas* nuncupat, & in Decanatu Caſtri Fortis collocat vetus Polyptychon; *Surennas* recentior Catalogus à Jacobo Brolio vulgatus in Antiquitatibus Pariſienſibus. Vulgò *Surênes* vocitant.

Taberniacum bis vocat recentior Catalogus à Brolio vulgatus, & in Decanatu Montis Maurentiaci locat. *Taberniacum* vocat & Chartularium Capituli Eccleſiæ Pariſienſis: quod vetus polyptychon in Decanatu Goneſſæ ponit, & *Taverni* nomine etiamnum uſitato appellat. Ab tabernis nomen hic vicus videtur accepiſſe, quòd militibus Romanis iter facientibus inſtar tabernarum eſſet. In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſ. *Taberniaci Prioratus* memoratur in Decanatu Sarcellæ. In *villa Taverniaco, quæ ab Eccleſia S. Dionyſii IV. milliaribus & ampliùs diſtet*, graviter ægrotaviſſe Johannem Ducem Normanniæ anno MCCCXXXV. ſcribit Appendix Chronici Nangiacenſis.

Taurinniacum à Taurino veteres dixere: quod recentior Catalogus Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ apud Brolium in Antiquitatibus Luteciæ *Torinniacum* au in o mutato appellat, ac in Decanatu Latiniacenſi ponit: vetus polyptychon *Toregni* corruptiore ac vulgari nomine nuncupat, & in Decanatu Monaſterioli collocat. *Torigniacum* vocat Monaſterii Foſſatenſis Chartularium. Vulgò *Torigny* dicitur, vicus ad Matronam flu. Latiniaco ferè oppoſitus. Aliquot ſunt ejus nominis loca in Gallia.

Telliacum in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ appellatur, quod in vetere Polyptycho *Telleium* in Decanatu Goneſſæ, *Tilleium* alibi: vulgò *Tilly*, aliàs *Tillay*, vicus inter Gunſanæ Villam & Villare Bellum poſitus, fortè à tilia *Tilietum* & *Tiliacum* olim dictus: quam arborem *teil*, *tillet* quoque, & *tilleul* vel *tilleau*, id eſt tiliolam Noſtri nuncupant. Petrus de *Telliaco* Noſocomium cum Oratorio in vico Goneſſa ante annum MCCX. exſtruxit.

Theodaxium in pago Pariſiaco memorant litteræ Caroli Calvi, quas Monachi Sancti-Germanenſes ſervant inter Monaſterii ſui privilegia atque diplomata, & quas Jacobus Brolius Aimoini Hiſtoriæ inſeruit. *Vinum autem in potum cottidianum refectionis ex Theodaxio & Villa Nova Fratribus dari cenſuimus. Villa Nova*, hodieque dicitur Villa Nova S. Georgii à Patrono loci; *Theodaxium* verò *Tiais*; in tabulis Geographicis corruptè *Tiere*, *Tiers*, aut *Quiers*: vicus ad Sequanam Aureliacum inter & Vitriacum poſitus: quem recentior Catalogus à Brolio editus *Theodoſium* appellat, & in Decanatu Montis Leotherici ſub Archidiacono Joſacenſi ponit. Vetus Polyptychon *Tias* nuncupat, collocatque in Decanatu Linarienſi, & Eccleſiam vici numerat inter Eccleſias, quas Abbas Monaſterii S. Germani de Pratis donare conſuevit. *Thies* dicitur in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſ. Nomen autem vici hujus Galliæ non incelebris cùm ſine dubitatione Gallicum ſit, non Græcum, adſpiratione carere debet, & *Teodaxium* ſcribi dicique, non *Theodaxium*; *Teodoſium*, non *Theodoſium*: quod nomen Græcum ex Theodaxio per ignorantiam duabus litteris mutatis eſt detortum. In quibuſdam litteris priſcis ſimili errore *villa Theophilum* vocatur. *Teodaſium Sancti Germani villam* appellat Aimoinus in libro I. de Miraculis S. Germani, ad cujus hodieque Monachos pertinet; *Teodaxium* Irmino Abbas, Caroli Magni æqualis, in libro deſcriptionum vel de cenſibus.

Tor in Decanatu Goneſſæ ponit vetus Polyptychon: qui vicus ad ripam fluminis Iſaræ poſitus eſt inter Meriacum & ſilvam inferiorem, quam vocant *la Baſſe Foreſt*. Vulgò dicitur *Stors*, nonnullis & *Toures* & *Store* corruptè: cùm *Tors* aut *Tore* appellari debeat.

Torta Fagus à fago aliqua procera quæ ibi tortum primis ab annis truncum haberet, nomen invenit. *Tortæ Fagi* meminit vetus Polyptychon, & eam in Decanatu Linarienſi ponit. Meminere ejuſdem vici & priſcorum Regum noſtrorum litteræ, ac Monaſteriorum Chartularia: cujus loci Eccleſia ad Abbatiſſam Montis Martyrum pertinet. Vulgò dicitur *Torfou* aut *Tourfou*, vicus proximus Caſtris ſub Monte Leotherici. Fagum quippe Noſtri nunc *fou*, nunc *fau*, interdum & *la faye* appellaverunt; ut Podium Fagi, *Puy du Fou*.

Trappæ à trappis nomen accepere. Sugerius Abbas Monaſterii S. Dionyſii in libro de rebus à ſe geſtis, ſemel atque iterum *Trapparum* in agro Pariſiaco mentionem fecit ante annos ampliùs quingentos. Vicus eſt proximus Nemori Aſicii & Villæ Petroſæ, hodieque *Trappes* nuncupatus.

Trimilidum acta Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. memorant inter Eccleſias ad Monaſterium S. Dionyſii pertinentes. *Trimilidum* inquam vocant corrupto jam tum nomine pro *Tremulidum*, à populo alba quam *tremulam* nuncupamus, *tremble*, quòd ejus arboris folia pediculo ſunt tremulo. *Tremu-*

litum

tidum pro *Tremuleto* dixere, quemadmodum *fagidum* pro fageto, *alnidum* pro alneto, *rubridum* pro roboreto. *fraxinidum* pro fraxineto. *Trembliacum* appellat Sugerius in litteris datis anno MCXXXVII. *à Trembliaco frumentum*: idemque in libro de adminiſtratione ſua *Trembliacum villam S. Dionyſii* prope Domnum Martinum commemorat. *Trembleium* vocant Polyptycha Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ, in Decanatu Monaſterioli, aliàs in Decanatu Calenſi. Vulgò *Tremblay* dicitur non procul à Luperis & Villa Picta, aliàs *Grand Tremblay*. Ex *Tremuleto* fecimus *Tremblay*: ut ex Caſtaneto *Chaſtenay*, ex Alneto *Aunay*, ex Spineto *Eſpinay*, ex Coryleto vel Codreto *Coudray*, ex Salicto vel Saliceto *Sauſſay*, ex Roboreto *Rouvray*, ex Querceto vel Caſneto *le Cheſnay*, ex Ulmeto *Ormay*, ex Betuleto *Boulay*. Eſt & alterū *Trembliacum* trans Sequanam non longè ab Altis Brueriis, *Tremblay* ſimiliter dictum; *Trembleium* in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ.

Tunon vel *Turnos* dictus eſt olim vicus S. Præjecti, *S. Prix*, proximus vicis Taberniaco & S. Lupi. (*Taverni* & *S. Leu*) Quippe in Polyptycho quodam reperio *Prioratum S. Præjecti de Turnos*, & *Curam S. Præjecti de Tunon*, hoc eſt Eccleſiam Baptiſmalem, *in Diœceſi Pariſiaca*, ad Pontiſarenſem Abbatiam S. Martini pertinere, & utraque à Monaſterii Abbate conferri.

Valenton in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ & in vetere Polyptycho nondum edito, in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi; *Valento* in recentiore Catalogo, in Decanatu Veteris Corbolii ſub Archidiacono Briegii. Vicus eſt in Briegio, proximus Villæ Novæ S. Georgii & Cronæ, non procul à flumine Sequana, forſitan à Valente appellationem hanc nanctus: qui hodieque dicitur *Valenton*, aut *Valanton Paroiſſe*. Fiſcum Regium nomine *Valentonium* S. Vincentii loco largitus eſſe dicitur Rex Chlodoveus junior in Vita S. Baboleni Abbatis: qui hodieque cum Villa Nova & Crona ad Monaſterium S. Germani de Pratis pertinet. *Valento* ergo villa olim Regia fuit: quem vicum *Valentonem* paſſim appellat, & in nominativo *Valento* Chartularium Foſſatenſe.

Valles ad Sequanam, *Vaux*, vicus proximus Alpeco.

Vallis Criſonis à Sugerio Abbate Monaſterii S. Dionyſii in litteris datis anno MCXLV. memoratur his verbis. *Villa nova quam ædificamus, quæ Val-Creſſon appellatur*: & in libro de adminiſtratione ſua ita ipſe de ſe refert. *Apud Vallem Criſonis villam ædificavimus, Eccleſiam & domum conſtituimus, & carrucâ terram incultam dirumpi fecimus. Vallis Creſſon* vocatur in vetere polyptycho, & in Decanatu Caſtri Fortis ponitur, vicus ita dictus à ſitu, & à copia naſturtii, quod *criſonem* ſeu *creſſon* vulgus appellitat. Vulgò *Vaucreſſon* dicitur inter Novigentum S. Chlodoaldi atque Verſalias. Verba veteris polyptychi ſunt. *De donatione Abbatis S. Dionyſii Pariſienſis, Eccleſia de Valle Creſſon.*

Vallis Joſi dicitur in vetere polyptycho, & in Decanatu Monaſterioli ponitur: quæ *Valli Joſa* in recentiore Catalogo nuncupatur in Decanatu Calenſi; *Val Jonc* in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſ. Prioratu S. Nicolai inſignis *in Decanatu Kalenſi*, prope Pariſium. (*Ville Pariſis*) Vulgò *Vanjour* dicitur corruptè pro *Vanjont* aut *Van-jonc*. Nam t quidem in d, c in g mutare ſolent Noſtri: neutram earum litterarum in r mutare conſueverunt. *Vallis Gaudy* appellatur in litteris datis anno MCCXXCVI.

Vallis Profunda, una eſt ex Abbatiis Diœceſeos Pariſiacæ, in Decanatu Maciaci, ut & *Porrois*: quæ ambæ Abbatiæ ſunt obſcuræ.

Vallis item *S. Mariæ*, quam vulgò Abbatiam Vallis vocitant, *l'Abbaye du Val*: Monaſterium eſt non procul à flumine Iſara & à Mairiaco, dictum Vallis, *le Val*; nonnullis in tabulis *Vaux* mendosè, in Decanatu Sarcellæ.

Varennæ in Decanatu Monaſterioli ponuntur in vetere polyptycho, & *Eccleſia Varennarum* ibidem numeratur inter Eccleſias quas Abbas Foſſatenſis donare conſuevit: quem vicum *Varennam* vocat recentior Catalogus, & in Decanatu Calenſi collocat; vulgò *Varennes*, aut à ſitu *la Varenne S. Maur*, id eſt Varennam S. Mauri appellant. Eſt enim locus proximus Monaſterio Foſſatenſi quod S. Mauri cognominatur, & cuniculis abundat. Solent autem Noſtri loca cuniculoſa *Varennas* appellare, *Garennes*. Ejus loci mentionem fieri reperio in MS. Vita S. Baboleni Abbatis hiſce verbis. *Rex Chlodoveus decrevit ſcripto atque ſigillo, eamdem quam nuperrimè incipiebant Eccleſiam* (*Foſſatenſem*) *cum omni Varenna quam Materna girat fluvius, ab ingreſſu Foſſatuum præfati caſtelli veteris ab aqua in aquam, irrefragabiliter ab omni inquietudine cunctorum malorum perpetuò manere liberam atque ſecuram.* In Chartulario Foſſatenſi diſtinguntur *Varenna*, aliàs *Varenna villa* à *Clauſa Varenna* villa: quæ *Clauſa Varenna* villa *Varennis* & *Foſſato* Monaſterio ac vico propinqua eſſe, ibidem dicitur.

Varennæ aliæ in Decanatu Veteris Corbolii ſub Archidiacono Briegenſi, ponuntur in recentiore polyptycho.

Vemar in Decanatu Goneſſæ ponit vetus Polyptychon: quem vicum *Vemarrium* in veteribus tabulis vocatum reperio. Vulgò *Vemars* dicitur hic vicus, proximuſque eſt Monti Meliano.

Venva, in vetere Polyptycho *Venves* in Decanatu Caſtri Fortis; *Vanua* in recentiore Catalogo; *Vanvia* in priſcis monumentis, butyro ſuo nobiles: vicus inter Vallem Gerardi & Clamart poſitus, *Venva* dictus in litteris anni MCXVI.

Ver Magnum, & *Ver Parvum* Veri Magno vicinum in Decanatu Linarienſi memorat vetus polyptychon, memorat & recentior Catalogus Parœciarum Eccleſiæ Pariſiacæ in Decanatu Montis Letherici. Vici ſunt duo, alter alteri proximi, inter Junnam & Urbiam fluvios poſiti, ſed Junnæ quàm Urbiæ propiores, prior *Ver le grand*, poſterior *Ver le petit* dicti.

Veres in Decanatu Monaſterioli ponit MS.

polyptychon vetus Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ: & in Catalogo Abbatiarum ac Prioratuum, *apud Veres unus eſſe Canonicus* dicitur. Hic vicus nomen hodieque ſervat. Vocatur enim *Vere*, poſituſque eſt ad Matronam flu. inter Pomponiam & Calam.

Verneles in Decanatu Moiſſiaci, Cellâ ſive (ut vulgari utar nomine) Prioratu nobilis vicus in Briegio, non longè ab Edera Monaſterio & fluvio, vulgò dictus *Vernaux*, aliàs *Verneau*, hoc eſt Vernelli.

Vernulellum Sugerius Abbas M. S. D. in libro de Adminiſtratione ſua commemorat his verbis. *De Vernulello* x. *libras recipimus: cujus loci reditus ad nos pertinentes Fratribus infirmis ex integro contulimus.* Ex *Vernulio* aut *Vernolio* factum *Vernulellum* aut *Vernolellum*, id eſt parvum *Vernulium* aut *Vernolium*, ſeu *Vernoliolum*. Vulgò dicitur (ni fallor) *Vernoullet* in Briegio, proximumque eſt Vernolio *Verneuil*.

Verſaliæ in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ quod in anno MCCXXCII. deſinit, ſæpe memorantur, & nonnumquam *Verſalla* dicuntur. Ibi inter eos qui *fecerunt hominagium ligium* domino VVillelmo Pariſiorum Epiſcopo, numeratur *Gilo de Verſaliis*. Ibidem anno MCCLIII. *Domicella Mathildis, relicta Johannis de Verſaliis Armigeri, fecit homagium Domino Reginaldo Pariſ. Epiſcopo de nemoribus Verſaliarum & quodam vico ejus villæ: ad quod homagium admiſit eam, & inveſtivit.* In vetere polyptycho Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ quod huic Chartulario ſubjicitur, *Verſalla* vocantur in Decanatu Caſtri Fortis, his verbis. *De donatione Abbatis S. Maglorij Pariſienſis, Eccleſia de Verſallis, Eccleſia de Bries,* (*Bris* vulgò) *Eccleſia de Ocinis.* Et in Catalogo Abbatiarum & Prioratuum ejuſdem Diœceſeos qui polyptycho ſubtexitur, ponuntur *Verſaliæ* cum Prioratu ſuo in Decanatu Maciaci. *In Decanatu de Maciaco Prioratus de Verſaliis.* Recentius polyptychon veteri meliùs atque correctiùs *Verſalias* nuncupat, ſed in Decanatu Caſtri Fortis ſimiliter ponit. Vicus eſt non longè à Novigento S. Chlodoaldi & à Valle Criſonis, vulgò *Verſailles* dictus: cujus amœnitate captus Ludovicus Juſtus, locum pecuniâ comparavit, ex eoque villam publicam fecit: ubi Palatium Ludovicus Magnus ſemper Auguſtus pro ſua magnificentia auxit, ornavit, inſtruxit.

Vicenæ dictæ mihi videntur Latino nomine, quòd *vicenis* ſeu viginti *ſtadiis* abeſſent ab urbe Lutecia; hoc eſt paſſibus bis mille & quingentis. Stadium enim centum viginti quinque paſſus continet. Sic & Gregorius Turonicus Epiſcopus in Hiſtoriæ Franciciæ libri VI. capitulo XLVI. & ultimo de Cala ſcribens ait: *Chilpericus ad villam Calenſem quæ diſtat ab urbe Pariſiaca quaſi centum ſtadiis, accedit.* Id eſt, duodecim paſſuum millibus & quingentis, vel quatuor Noſtrorum leugis: ſi unicuique milliari octo ſtadia, ſingulis leugis tria circiter millia paſſuum aſſignemus. Quibus ex Gregorii verbis intelligitur, Gallos atque in primis Pariſiacos ſtadia notiſſima habuiſſe, nec leugis tantum atque milliaribus, ſed etiam ſtadiis itinera metiri conſueviſſe. Ita locum qui erat ad triceſimum lapidem ab urbe Aquileia, ſeu qui XXX paſſuum millia aberat Aquileiâ, *Ad Triceſimum* dixere Romani: locum item viâ Salariâ centum ab Urbe millibus diſtantem, *Ad Centeſimum* nuncupavere; vicum etiam qui à colonia Narbone XX. millibus diſtabat, necnon alterum qui eodem intervallo ab urbe Heraclia aberat, *Ad Vigeſimum* ſeu *Ad Viceſimum* vocavere. *Philippus Auguſtus cognomine Adeodatus Chriſtianiſſimus Francorum Rex, anno* MCXXCIII. *nemus Vicenarum quod toto tempore prædeceſſorum ſuorum fuerat diſcluſum, & omnibus tranſeuntibus patens & pervium, muro optimo circumcingi fecit*: & hinnulos cervorum, damulas, & capras ſilveſtres ab Henrico Rege Anglorum ex tota Normannia & Aquitania collectas, atque adverſo flumine Sequanâ ad ſe Luteciam miſſas, *in nemus Vicenarum juxta prædictam civitatem includi fecit, poſitis ibi perpetuò cuſtodibus*, uti Rigordus ſcribit in Vita Philippi Aug. Idem paucis refert Guillelmus Armoricus in Geſtis Philippi Franc. Regis. Anno ab Incarn. Domini MCXXCIII. *circumcinxit Philippus Magnanimus nemus Vicenarum muro fortiſſimo & delectabili, & incluſit ibi maximam multitudinem caprorum & damarum & cervorum.* Idem eodem in nemore Prioratum B. Virginis conſtituit, & Monachis cum Grandimontenſibus contulit. Ex Rigordi verbis intelligitur, multo ante Philippi Aug. Principatum cum vico Vicenis *nemus Vicenarum* ad majores ejus diu pertinuiſſe, qui nemus illud apertum reliquerint & iter facientibus patens. *Anno Domini* MCCLXX. *die Jovis poſt feſtum B. Martini hiemale nobilis domina Jolendis Comitiſſa Nivernenſis, filia Odonis b. m. Ducis Burgundiæ, relicta domini Johannis dicti de Demiete, filij Illuſtriſſimi Regis Domini Ludovici, fecit homagium domino Epiſcopo Pariſiorum Stephano apud manerium Regale, quod vocatur Nemus de Vicennis, de caſtro & caſtellania Montis Gaij: & Epiſcopus recepit ibi homagium de gratia, ad preces Dominæ Reginæ & ipſius Comitiſſæ, ac inveſtivit eam per anulum aureum*: ut reperitur in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ. *Vicennæ* heic vocantur, quæ alibi ferè ſemper vero & incorrupto nomine *Vicenæ*: in litteris datis anno MCLXXIII. & anno MCLXXIX. *Vicena.* In nemore igitur vici *Vicenarum* anno MCCLXX. jamtum domus erat Regia, in qua Reges noſtri ac Reginæ habitabant, quò Epiſcopi, quò Optimates Regni, Duces nimirum & Comites convenire conſueverant: quæ domus in Chartulario ſupradicto *Manerium Regale*, id eſt manſio Regia, domus Regia, vel Palatium Regium appellatur, & forſitan à Philippo ipſo Aug. poſt cinctû muris nemus Regale ædificata fuerat ante annos circiter LXX. Certe & Ludovicus ejus nominis decimus Rex Francorum, cognomine Hutinus, & frater ejus Carolus IV. qui cognominatus eſt Pulcher (ne de Carolo IX. loquar) ibi deceſſere: quos utique Palatium in eo nemore ſuum habuiſſe, & ibi obiiſſe credendum eſt: quod Palatium *ædes Vicenarum* nuncupatur in hoc verſu de Caroli Pulchri

morte, quæ anno MCCCXXVII. Kal. Februarii accidit.

Æde Vicenarum letum guſtavit amarum.

Nemus de Vicenes vocatum reperio in Chartulario Monaſterii Foſſatenſis. *Caſtellum Vicenarum* inchoaviſſe dicitur Philippus Valeſius anno MCCCXXXVII. jactis fundamentis, Johannes Philippi filius ad tertiam contabulationem perduxiſſe, Carolus V. qui ibidem natus erat, conſummaviſſe. Vulgò *Vincennes* vocatur hic locus, aut *le bois de Vincenes* insertâ litterâ n, ut in Ecoliſma & Igorandi vel Egoranda in Pictonibus, quas *Angouleſme* & *Ingrande* appellamus. Fuit in *nemore Vicenenſi* caſtellum à pulchritudine *Bellitas* aut *Bellitatis* dictum propter venuſtatem ſtructuræ & amœnitatem loci, *le Chaſteau de Beauté*: quod aliqui non in nemore Vicenarum, ſed prope ipſum fuiſſe veriùs ſcribunt. Froſſartus quidem in capite CXXII. Voluminis II. *Bellitatem caſtellum* in nemore Vicenarum ponit hiſce verbis. *Le Chaſtel de Beauté, qui ſied au Bois de Vincennes.* At libellus de Conventu Caroli IV. Imperatoris & Caroli V. Francorum Regis anno MCCCLXXVIII. *Bellitatem ad Matronam* domum Regiam vocat, *Beauté ſur Marne*, & ut facere debuit, à *Nemore Vicenarum*, atque à *caſtello Regio* ejus *Nemoris* ſemper diſtinguit. (*le Chaſteau du Bois de Vincennes*) Nicolaus Ægidius quoque *Bellitatem* à *Vicenis* ſecernit, quum ait anno MCCCLXXVIII. à Rege Carolo in *Nemore Vicenarum*, & apud *Bellitatem* Imperatorem Carolum, ipſius avunculum, convivio exceptum eſſe. *Le Roy le mena & feſtoya au Bois de Vincennes, à Beauté, & ailleurs.* Idem in Carolo VII. *Bellitatem caſtellum prope Nemus Vicenarum* ponit; *la place & Chaſtel de Beauté pres le Bois de Vincennes.* Et Carolus ejus nominis quintus Francorũ Rex in *Palatio ſuo apud Bellitatem ad Matronam, non longè à domo Regia Nemoris Vicenarum* anno MCCCXXC. dicitur deceſſiſſe: *en ſon hoſtel de Beauté ſur Marne, pres celuy du Bois de Vincennes.* Thomas Cantipratanus qui anno MCCXL. floruit, in libri I. de Apibus capite III. *Vicennias prope Pariſios* appellat: ſupra quas *Vicenas* ad flumen Matronam *Bellitas* fuit.

Vicinia in Decanatu Caſtri Fortis memorantur in recentiore Polyptycho, quod Jacobus Brolius edidit & Antiquitatibus Pariſiorum ſubtexuit. Vulgò *Voiſins* dicitur hic vicus, proximus Capellæ Milonis & Ivetæ fluviolo.

Vilero ſeu *Vileron* villa nota eſt veteri polyptycho, in quo *Eccleſia S. Germani de Vileron* in Decanatu Goneſſæ memoratur. Nomen hodieque retinet, diciturque *Villeron*, non procul à Luperis diſſitus vicus.

Villa ad Silvam, vulgò *la Ville du Bois* dicitur, id eſt Villa Boſci, quòd ſit appoſita ſilvæ Marcocienſi prope Longum Pontem & Montem Leotherici, non procul à Villa Bona, *Villebon*.

Villam Abbatis in Decanatu Linarienſi ponit vetus Polyptychon, cujus loci Eccleſiam ab Abbatiſſa Ederæ donari conferrique ait. Recentior Catalogus in Decanatu Montis Letherici eam collocat. Vulgò dicitur *Villabbé* duobus in unum conjunctis nominibus, poſituſque eſt hic vicus ad flumen Junnam non procul ab Exona: qui *Villa Abbatiſſæ* potiùs appellandus videri poſſet, cùm ad Abbatiſſam Monaſterii Ederenſis pertineat. Niſi ſi *Abbatis* in feminino genere heic ponitur pro Abbatiſſæ. Hæc villa eſt prope villam *Regias* vel *Retas*, *Ris* aut *Reys* vulgo dictam, *in Caſtellaria Corbolii* ſitam, ut docent litteræ Ludovici Francorum Regis, anno MCLIX. datæ.

Villa Cereris à cultu & fano Cereris nomen habet. In Chartulario Capituli Eccleſiæ Pariſienſis nunc *Villa Cereris*, nunc corrupto nomine *Viceour*, item *Viceours* ac *Vicours* nuncupata: ex cujus nominis corruptione natum eſt monſtrum *Huiſous* aut *Huitſous*, tamquam ab *Otlo Solidis* nomen habeat.

Villa Crana in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi, vulgò *Ville-Crône* in Briegio inter Limuel & Patriniacum, vulgò *Perigni* dictum, in quibu dam tabulis *Pringi* corruptè. Hæc villa in veteri polyptycho memoratur.

Villa Dei, *la Ville Dieu*, proxima eſt Malo Repaſtui & Villæ Petroſæ caſtellis.

Villa Epiſcopi in Decanatu Caſtri Fortis ponitur in recentiore polyptycho, mihi prorſus ignota.

Villa Epiſcopi altera reperitur in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ & his verbis deſignatur. *Petrus de Biſtiſiaco Miles fecit hominagium VVillelmo Pariſiorum Epiſcopo de omnibus illis quæ habet Pariſius in domibus, & de terra quam habet ad campos* (id eſt in campis, ſeu extra urbem Lutetiam Pariſiorum) *in Villa Epiſcopi: & debet roncinum de ſervitio.* Hoc eſt, debet Epiſcopo equum militarem, *doit un roncin de ſervice*, quo Epiſcopus in bello uti poſſit. In eodem codice *Villa Epiſcopi* numeratur inter feuda Pariſienſis Epiſcopi, ſedente Odone. Hæc vulgò dicitur *la Ville l'Eveſque*, nec longè abeſt à ſuburbio vel burgo S. Honorati, & ita nuncupata eſt, quòd ad Epiſcopum Pariſienſem pertineret, ac inter ejus beneficia eſſet. Ibidem in polyptycho quod Chartulario ſubtexitur, ad Capitulum S. Germani Autiſſiodorenſis pertinere dicitur *Eccleſia Villæ Epiſcopi* cum S. Germani Autiſſiodorenſis, S. Landerici, Altolii, & S. Leufredi Eccleſiis. Sed an ea ſit *Villa Epiſcopi* proxima burgo S. Honorati, an altera in Briegio prope Locum Sanctum & Moiſſiacum Epiſcopi, vulgò *Ville l'Eveſque* dicta, neſcio.

Villa Genart. Capella Villæ Genart in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi ponitur in vetere polyptycho: quam in Noſtrorum tabulis Briegii notatam non reperio, & quæ *Villa Genardi* à domino ſuo primùm dicta eſt.

Villa Julitæ vocatur in veteri polyptycho, & in Decanatu Linarienſi ponitur: quam *Villam Judeam* nuncupat recentior Catalogus recentiore & corrupto nomine, & in Decanatu Montis Letherici collocat. *Villa Julitæ* ſcribitur in Chartulario MS. & in antiquo polyptycho pro *Villa Julitæ* à Julita Martyre, hodieque (ut aiunt) loci Eccleſiæ Patrona, quæ cum filio ſuo Cyrico Antiochiæ XVI. Kalendas Julias ſanguinem pro

Chriſto fudit. Vulgò *Ville-Juiſve* dicitur corrupte pro *Ville-Juite*. *Ville-Juite* enim primò nuncupata eſt à Noſtris, eliſâ ut ſæpe aliàs litterâ. Demum Noſtri ex *Ville-Juite* fecerunt *Ville-Juiſve* aut *Ville-Juive*, quaſi *Villa Judæa* aut *Villa-Judæorum* à priſcis ſcriptoribus Latinis eſſet appellata. Idq; nomẽ jam in uſu fuiſſe Principatu Caroli V. Francorũ Regis ante annos trecentos, docet Radulfus de Pratellis. In litteris tamen Capituli Eccleſiæ Pariſ. *Villa Julita* à *Villa Judæa* videtur diſtingui. Cur enim una eademque villa duobus diverſis nominibus eodem tempore deſignaretur? Sanè in litteris anni MCCXXXVI. *Petrus Helloyni de Villa Julita*; *dominus Jocelinus de Villa Julita* in litteris anni MCCXXXVIII. memorantur; & *Natalis de Villa Judæa*, *frater Erembergis*, *uxoris Matthæi de Villa Judæa* in litteris anni MCCXLIII. in quibus *Villa Judæa* ante annos CXXI. quàm Carolus ejus nominis V. apud Francos regnare inceperit, mentionem factam video.

Villa Juſta in Decanatu Caſtri Fortis ponitur in vetere polyptycho MS. ſub Archidiacono Joſacenſi, necnon in recentiore Catalogo vel enumeratione Parœciarum Diœceſeos Pariſiacæ, quam Jacobus Brolius edidit. Vulgò *Ville Juſt* nuncupatur, vicus proximus Marcocis. *Villa* autem *Juſta* dicta eſt, villa numeris omnibus abſoluta, & cunctis rebus neceſſariis inſtructa, quæ ex ſuis omnibus partibus membriſve conſtaret: ſicut *juſtum exercitum* veteres vocavere copias armis, equis, impedimentis, ſpectabili militum numero, ac ceteris rebus omnibus quæ exercitui conveniunt, inſtructas.

Villa S. Laurentii prope Pariſius in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ memorata, fuit ea haud dubiè, in qua *Eccleſia S. Laurentii*, quæ nunc baptiſmalis, & *Eccleſia S. Lazari* erant conſtitutæ. Olim quippe Lutecia Pariſiorum civitas inſulâ fluminis Sequanæ continebatur claudebaturque: & Eccleſia S. Nicolai ac Monaſterium S. Martini, quoniam extra urbem & in campis diu fuerunt, à Campis cognomen invenere: quod etiamnum retinent, licèt urbis mœnibus includantur. Minùs ut mirum ſit, utriſq; remotiorem multo *Baſilicam S. Laurentii*, quæ nunc in burgo vel ſuburbio Luteciæ ſita eſt, poſitam olim fuiſſe in villa, quæ ob id *Villa S. Laurentii prope Pariſios* diceretur, & quæ poſt auctum non ſemel Luteciæ pomœrium ſuburbio Martiniano conjuncta ſit. Sicut Villam S. Marcelli, in qua Eccleſiæ S. Marcelli, S. Martini & S. Hippolyti ſunt, cum villa Lupercianis, *Lourcienues* olim, nunc *la ruë de Lourcines* dicta, ſuburbii S. Marcelli fines attingere, ac ejus pæne partem factam eſſe cernimus, ni tenuis ac humilis murus interjectus obſtaret. Certè & ſimiliter *Villam S. Laurentii* à burgo S. Martini murus nuper dividebat: donec nuper ante annos III. aut IV. ejus in muri locum cancelli è ferro cum porta ferrea ſunt ſubſtituti. Hodieque & nominibus diſtinguntur. Nam burgus S. Martini ſive ſuburbanum S. Martini, *le Faux-bourg S. Martin* nuncupatur: Villa S. Laurentii *le Faux-bourg S. Laurent*, id eſt ſuburbanum S. Laurentii.

Villa Magnonis, aut certè *Villa Magnulfi* dici Latinè debet, quæ vulgo *Ville Menou* in Briegio prope Conteniacum & Servonem.

Villa Meſſium in Decanatu Linarienſi poſita, memoratur in veteri Polyptycho; vulgò *Ville-Moiſſon*: vicus ad Urbiam flumen non longè à Sabiniaco, haud dubiè à ſoli ſui fertilitate cognominatus, quòd ibi magna vis frumenti quotannis demeti conſueviſſet.

Villa Mumbla in Decanatu Monaſterioli collocatur in vetere Catalogo: quæ *Villa Mobilis* nuncupatur in litteris Chartularii Foſſatenſis datis anno MCCXXC. *Villa Mobilis* in recentiore polyptycho, & in Decanatu Calenſi ponitur, vulgò *Ville Meuble*, vicus inter Montem Firmolium & Rooſneium ſitus.

Villa Nova eſt in Decanatu Latiniacenſi, cujus loci Eccleſiam Abbas Monaſterii S. Dionyſii donare conſuevit, ut in veteri Polyptycho reperitur: quæ & *Villa Nova Comitis* dicitur, *Ville Neufve le Comte*, & in Briegio poſita eſt inter Fabarias ſeu Faveries & Hermerias, non longè à Criſciaco caſtro & fluvio Mucra. Alia eſt *Villa Nova*, quam recentior Catalogus à Jacobo Brolio editus in Decanatu Calenſi ponit: quæ vulgò *Ville Neufve* dicitur, & ſita eſt inter Montiacum Vetus & Mitriacum in Pariſiorum Meldorumque confinio, non longè à vico vel caſtro Domni Martini.

Eſt & *Villa Nova ad Aſinos*, à multitudine aſinorum cognominata, in Decanatu Calenſi, cujus idem Catalogus mentionem facit. Hæc vulgò *Ville aux Aſnes* dicitur, & ſita eſt Mitriacum inter & Villam Pictam, in quibuſdam tabulis *Ville Neuve aux Aſnes*.

Villa Nova S. Georgii memoratur in Catalogo Broliano, & ponitur in Decanatu Veteris Corbolii ſub Archidiacono Briegii: quæ *Villa Nova* ſimpliciter & abſolutè vocatur in veteri Polyptycho MS. & in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi collocatur hiſce verbis. *De donatione Abbatis S. Germani de Pratis*, *Eccleſia de Villa Nova*, *Eccleſia de Crona*, *Eccleſia de Valenton*. In Chartario Foſſatenſi appellatur *Villa Sancti Georgii*; in Parvo Paſtorali nunc *Villa Nova* abſolutè, nunc *Villa Nova S. Georgii*, in litteris Roberti Comitis Drocarum & Jolendis ejus conjugis. Certè hodieque Eccleſia *Villæ Novæ S. Georgii* ad Abbatem Pratenſis Monaſterii S. Germani pertinet, qui & eam Presbytero donare aut conferre conſuevit, ut & Cronenſem ac Valentonenſem Eccleſias. Vulgò appellatur *Ville Neufve S. George* à Georgio Martyre loci Patrono, vicus non procul ab Ederæ & Sequanæ confluentibus poſitus in Briegio: cujus meminiſſe Fortunatum puto in capite XXIV. libri de Vita Germani Pariſiorum Epiſcopi. *In pago Pariſiaco*, *Vico Novo res geſta eſt*. *Vicus Novus* appellatur à Fortunato, id eſt *Villa Nova*. In capite XL. ejuſdem loci videtur mentionem facere: *Igitur Paſtor bonus cùm de vico Novigento ad Vicum Novum viſitandi gregis curâ ſolitâ perveniſſet*. Si incolæ *Novigenti* & *Vici Novi* grex Germani erant, quem ex more curare & viſitare deberet, erant utique in Pariſiaco pago, non in Biturico, qui nihil ad Germanum pertinebat. *Novigentum* illud eſt *Nogent* ad Matronam; *Vi-*

cus *Novus Ville Neufve S George*, IV. ab *Novigento* leugis diſtans, aut certè *Villa Nova Regis*.

Villa Nova Regis in Decanatu Linarienſi, alias in Decanatu Montis Letherici ſub Archidiacono Joſacenſi trans flumen Sequanam, memoratur in utroque Polyptycho vetere ac recentiore. Vulgò *Ville Neufve le Roy* dicitur, vicus poſitus ad Sequanam inter Anceliacum & Ablonem: quem ab uno è Regibus noſtris conditum fuiſſe, & inde cognomen accepiſſe, atque adeò inter villas olim Regias extitiſſe credo, & *Novi Vici* appellatione deſignari in quodam vetere nummo Regio apud Botarotium, qui inſcribitur *Nove Vico*. *Novus Vicus* & *Vicus Novus* unum idemque eſt, ut *Nova Villa*, & *Villa Nova*. In aliis autem villis quàm in publicis aut Regiis nummi Regum noſtrorum percuti non ſolebant. Eſt & *Villa Nova Regis* ad flu. Icaunam, proxima Agedinco Senonum.

Villa Perſica à copia malorum Perſicarum nomen invenit, quam in Decanatu Calenſi ſub Archidiacono Pariſienſi cis Sequanâ ponit recentior Catalogus à Jacobo Brolio vulgatus: fortè *Ville Peſque*, quaſi *Ville Peſche*.

Villa Picta in actis Synodi Sueſſionis habitæ anno DCCCLXII. numeratur inter villas ad Monaſterium Regale S. Dionyſii Martyris pertinentes: eam in Decanatu Calenſi ponit Catalogus Brolianus. In Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, quod iri anno MCCXXIII. deſinere non ſemel jam diximus, refertur *Villa Picta*, ut & Torciacum, Villa Charenton, Villa Epiſcopi, Victoricium, & Britiniacum aliaque loca, inter feoda Pariſienſis Epiſcopi Odonis de Solliaco, qui anno MCC. ſedebat. Vulgò dicitur *Ville Pinte*, eſtque inter Sabiniacum & Trembliacum poſita, non procul à Nova Villa ad Aſinos.

Villa Regis in Decanatu Montis Leotherici ſub Archidiacono Ioſacenſi ponitur in recentiori Catalogo, vulgò *Ville-Roy*. Hæc villa ad flu. Iunnam poſita, nomine ſuo indicat, ſe ad Reges Francorum pertinuiſſe, & inter villas Regias vel publicas olim fuiſſe: ſicut & altera Villa Regis, *Villeroy*, flumini Icaunæ adſita, & Pontibus-Icaunæ proxima, ceteræque cognomines.

Villa Tignioſa in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ toties ſuprà laudato non omittitur. Ibi enim legi litteras Henrici Abbatis Monaſterii S. Dionyſii, datas anno MCCXVII. quibus in litteris *Villa Tignioſa* ſemel atque iterum fit mentio, ut & *Ruoly*, *Columbarum*, *Aſneriarum*, *Villa Picta*, & *Petræ Fictæ Parœciarum*. *Villa* autem *Tignioſa* non à tignis nomen habuit: (nam *Villa Tignoſa* dicenda eſſet) ſed ut puto à tineis, & *Tignioſa* corruptè nuncupata eſt pro *Tineoſa*. *Tineas* Noſtri *tignes* & *tanes* appellitavere, vermes qui veſtes erodunt. Quare vulgò *Ville Taneuſe* nuncupatur, vicus Petræ Fictæ & Diogilo proximus, quòd tineis ſcateat, *tanes* linguâ patriâ dictis. In recentiore Catalogo Eccleſiarum Diœceſeos Pariſiacæ appellatur *Villa Tennoſa* in Decanatu Montis Maurentiaci ſub Archidiacono Pariſienſi: appellatur inquam *Villa Tennoſa*, forſitan pro *Tanioſa*. *Tineas* enim cùm veſtibus tum corporibus innaſcentes, ſæpe & *taenias* à ſimilitudine longarum tęniarum aut vittarum muliebres capillos vincientium, veteres vocaverunt, in primis Plinius.

Villarium in Decanatu Latiniacenſi inter Campos & Briacum, ponitur in vetere polyptycho MS. vulgò *Villiers* in Briegio non procul à flumine Matrona, & à vico Campis; vicus *Villaria* in numero plurali, & *Villare* etiam dictus in Chartulario Foſſatenſi.

Eſt & *Villaris*, vicus ad Sequanam contra Curvam Viam & Aſinarias, vulgo *Villers* aut *Villiers* vocatus, in actis Synodi Sueſſionis anno DCCCLXII. habitæ memoratus. *Villare* autem vel *Villaris* villulam, aut parvam villam ſignificat, ſeu parvum vicum, aut viculum.

Villare-Adæ in Decanatu Goneſſæ collocat vetus polyptychon, cujus Eccleſia ad Priorem Confluentis pertineat. Vulgò *Villers-Adam*, aliàs *Villiers l'Adam*, non procul ab Iſara fluvio & Mairiaco. Huic vico Adam Miles, loci dominus nomen dedit. *Guido* & *Adam Milites de Vilers* in Parvo Paſtorali ante annos CCCC. ſcripto junctim commemorantur: de quo Adamo & infrà referemus.

Villare Bellum in Decanatu Goneſſæ eſt, & ejus loci Eccleſiam, ut & S. Bricti, Abbas Pariſienſis Monaſterii S. Victoris donare conſuevit: ut vetus Catalogus docet. Ibi hodieque eſt Prioratus, ad ſupradictum Monaſterium pertinens. *Villare Bellum*, id eſt pulcra villula ab amœnitate dicitur, vulgò *Villiers le Bel*, non procul à Gauniſſa. *Adamus* autem Miles ut *Villare Adæ* ſic & *Villare Bellum* poſſedit, ac utriuſque vici dominus fuit. Nam ut in Chartulario MS. Eccleſiæ Pariſiacæ reperio, *dominus Adam de Villers Le Bel Miles fecit homagium VVillelmo Pariſ. Epiſcopo de feodo XL. librarum Pariſienſium in tranſverſo de Confluentiis, quantum habuit ab Adam de Gargiis Clerico.* VVillelmus iſte anno MCCXXVIII. & MCCXL. ſedebat.

Villare Siccum, *Villiers le Sec*, ab ariditate ſoli ſui cognomen accepit: aquis enim caret. Vicus eſt in Decanatu Gauniſſæ proximus Atenvillæ, *Atinville*, in veteri Polyptycho memoratus.

Villula S. Lazari, *la Villette S. Lazare*, Pariſiis proxima, nec multum diſtans à Monaſterio ſuburbano S. Lazari, *Villa S. Lazari* vocatur in Parvi Paſtoralis litteris datis anno MCCXXXIV. Alano Carterio in Carolo VII. *la Villette S. Ladre prés Paris*. *S. Lazarum* Noſtri *S. Lazare*, & *Saint Ladre* promiſcuè appellant: & leproſi ante annos D. *Lazari*, necnon *Miſelli* vocantur priſcis in litteris, qui *Ladres* & *Meſeaux* hodieque nuncupantur.

Vinolia vocat Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ, ubi *Adam de Vinoliis*, *Gervaſius de Glatiniaco*, (*Glatigni* prope Suriſnas) & *Gilo de Verſaliis* præter ceteros dicuntur *fecisse homagium* domino VVillelmo Pariſienſi Epiſcopo. Hunc vicum *Venolium* appellat Catalogus recentior à Jacobo Brolio vulgatus, & in Decanatu veteris Corbolii ſub Archidiacono Briegii ponit: quem vetus Polyptychon MS. *Vigneuſ* nuncupat, ejuſque Eccle-

ſiam à Monaſterii S. Victoris Abbate donari ait. *Vinolia* vel *Vinolium* vicus eſt ad Sequanam poſitus in Briegio, non longè à Draverno, à vini ſuaveolentis copia cognominatus, vulgò *Vigneüil* dictus, alias *Vigneulx* numero multitudinis.

Vitriacum inter Spinetum ad Urbiam & Saviniacum ſeu Sabiniacum in Decanatu Linarienſi ponit vetus Catalogus MS. quod nuncupatur vulgò *Viri*, in pleriſque tabulis corruptè *Vitry* pro *Viry*, non longè à fluvio Urbia & Sabiniaco. *Vitriacum* commemorat & Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſiacæ inter *Eſſonam* & *Linois* ſeu Linais, vulgò *Linas* dictum: commemorat & Catalogus Brolianus in Decanatu Montis Letherici ſub Archidiacono Joſacenſi, & Paſtorale maius ac minus Pariſ. Eccleſiæ. *Veriacum* primò dictum eſt à Vero, (quod nomen viri proprium apud Romanos fuit) deinde *Vitriacum*, quia Verus ac Virus promiſcuè dicebatur. Certè Gregorius Turonicus *Virum* Viennenſem Epiſcopum appellat; *Virum* item *Eulalii Comitis nepotem* multo ſæpiùs quàm *Verum* nuncupat: & Voluſiani in Epiſcopatu Turonico ſucceſſor, eidem modò *Verus*, modò *Virus* eſt, ſi qua fides priſcis codicibus ſcriptis habetur.

Vitraria à re nomen habent. *Vitri* enim ibi officinæ fuerunt. Vicus eſt in Decanatu Caſtri Fortis ſub Archidiacono Joſacenſi, ad fluviolum Beveram prope Antoniacum & Caſtanetum: cujus Eccleſiam, ut & Antoniaci & Suriſnatum ad Monaſterium S. Germani de Pratis pertinere docet vetus polyptychon, *Vitreriaſque* corruptè pro *Vitrarias* appellat; recentior Catalogus corruptiùs *Verrerias*. Vulgò Noſtri *Verrieres* vocitant. *Vedrarias* appellat liber de tranſlatione S. Germani, *cecum nomine Rantfredum de villa Vedrarias* memorans; & Irmino Abbas Monaſterii S. Germani, æqualis Caroli Magni, in codice Cenſuali.

Vitriacum, *Vitri* nuncupat vetus polyptychon, & *Eccleſiam S. Germani* ejus loci in Decanatu Linarienſi collocat. *Vitriacum* recentior Catalogus vocat, & in Decanatu Montis Letherici ponit duas vici hujus Eccleſias, alteram *S. Germani*, *S. Gervaſii* alteram. Chartularium MS. Eccleſiæ Pariſ. *Vitriacum* memorat inter *Thiei* ſeu Teodaxium & *Villam-Julita*, ac *Sanctum Gervaſium de Vitriaco*: quod & *Victoricium* paſſim appellat, & numerat inter feoda Pariſ. Epiſcopi, qui tum Odo de Solliaco erat. Ego *Victoriacum* dici quàm *Victoricium* mallem: licèt quidam eadem ratione *Plexicium* dicant pro Plexiaco vel Pleſſiaco. Vicus eſt ad Sequanam, *Vitri* hodieque dictus, proximus Villæ Julitæ, Caticanto & Arcolio. Multi vici, multa caſtella atque etiam opida eo nomine gaudent in Galliis: quorum unumquodque primò *Victoriacum*, deinde *Victriacum*, ac demum *Vitriacum* vocatum eſt: & idem de *Vitriaco* noſtro ſentiendum eſſe non dubito.

Vlmechon in litteris Sugerii Abbatis datis anno MCXXXVIII. memoratur hiſce verbis. *In molendino uno quod eſt apud villam, quæ dicitur Vlmechon.* In litteris Ludovici Craſſi Franc. Regis fit & ejus loci mentio. *Villam quæ dicitur Vlmechon.* Ab ulmo quam ormum vocitant noſtri, nomen videtur accepiſſe. Vulgò *Ormeçon* dicitur aut *Ormeſon*, vicus Diogilo proximus.

Vlmetum prope Corbolium, vulgò *Ormoy*, à Iohanne in Memoriali Hiſtoriarum memoratur.

Hi ſunt ergo Pariſiorum in finibus vici: quorum aliqui è vicis opida evaſere, ut Carolacum VII. Parœcias & II. Noſocomia, Cellam S. Dionyſii de Strata, collegium Canonicorum S. Pauli, & aliquot nova Cœnobia cum Regio Monaſterio complexum; Latiniacum veterrimo Monaſterio, tribus Parœciis ac pulcherrimo fonte inſigne. Aliqui caſtellis acceſſere, ut Vicenæ, Marcociæ, Villa Regia S. Germani in ſilva Ledia. Quidam vicorum magnitudinem exceſſere, quales vulgò burgos nuncupant Noſtri: ut Eſcuina, Cala Regali Monaſterio Virginum, Eccleſiâ S. Andreæ, Eccleſiâ S. Georgii alias S. Crucis, tribus Oratoriis, ac Noſocomio illuſtris; Argentoilum, Gauniſſa vel Goneſſa, Novigentum ad Sequanam in Pariſiis, S. Chlodoaldi nomine ac tumulo nobile; Exona, Mons Gemellus Marchiæ titulo clarus, Verſaliæ, Carento, Palatiolum, Sarcella, Villare Bellum.

PARISIORUM URBS LUTECIA.

Primus omnium quorum opera nunc ſuperſunt auctorum, meminit *Lutecia* Julius Cæſar in libro VI. qui *Concilium Galliæ Luteciam Pariſiorum tranſtuliſſe* ſe ſcribit; & in libro VII. ubi ait: *Labienum cum quatuor legionibus Luteciam profectum eſſe: id eſſe opidum Pariſiorum, poſitum in inſula fluminis Sequanæ: hoſtes re cognita ab his qui à Melodnno profugerant, Luteciam incendi ponteſque ejus opidi reſcindi juſſiſſe.* Strabo quoque ſcribit *ad flumen Sequanam eſſe Pariſios, qui inſulam habeant in flumine & urbem Lucotociam.* Περὶ τὸν Σηκοάναν ποταμόν εἰσι καὶ οἱ Παρίσιοι, νῆσον ἔχοντες ἐν τῷ ποταμῷ καὶ πόλιν Λουκοτοκίαν: quam Dio in libro XL. omiſſo loci nomine vocat *inſulam fluminis Sequanæ*, τὴν νῆσον ἐν τῷ Σηκοάνᾳ ποταμῷ οὖσαν; Ptolemæus πόλιν Παρισίων Λουκοτεκίαν, *urbem Pariſiorum Lucoteciam*. Julianus Aug. in Miſopogone Græcum Gallicæ urbi nomen dare conatur, & tranſpoſitis ſyllabis Λευκετίαν pro Λουτετίαν, *Leucetiam* pro *Leutecia* vel *Lutecia* appellat: ſicuti Ludovicus aut Lodoicus Græcis ſæpe Δολόϊχος dictus pro Λοδόϊκος; Scudilo Σκολύδων Socrati pro Σκουδίλων. Juliani qui *Lutecia* hiemavit, verba ſunt. τὴν φίλην Λευκετίαν. Ὀνομάζουσι δὲ οὕτως οἱ Κελτοὶ τῶν Παρισίων τὴν πολίχνην. Ἔστι δὲ οὐ μεγάλη νῆσος ἐγκειμένη τῷ ποταμῷ, ὅς καὶ αὐτὴν κύκλῳ πᾶσαν καταλαμβάνει. Ξύλιναι δὲ ἐπ' αὐτὴν ἀμφοτέρωθεν εἰσάγουσι γέφυραι. *Caram Leucetiam. Sic nuncupant Celtæ Pariſiorum urbeculam. Eſt autem inſula non magna, jacens in flumine ac tota eo circumdata, quæ ex utraque parte ligneis pontibus aditur. & abeſt ab Oceano ſtadia pluſminus nongenta*, hoc eſt CXII.

milliaria & dimidium, ſive leugas noſtras vulgares circiter XXXVII. Certe hodieque ab urbe *Lutecia* diſtare Rotomagus dicitur XXVIII. circiter leugis, ab Harefloto, id eſt ab oſtio Sequanæ ſive ab Oceano Britannico X. itaut XXXVIII. leugæ ab urbe *Lutecia* ad Oceanum computentur: cùm tamen ſi Itinerarium Æthici ſequi volumus, à Carocotino portu LXXIV. tantummodò millibus paſſuum diſtet *Lutecia*; à Juliobona Caletorum opido maritimo LXIV, à Rotomago ſolùm XLVI. alio itinere LXVII. Ammianus Marcellinus in libro XV. eiuſdem inſulæ mentionem facit, de Gallis ſive Celtis loquens. *A Belgis eamdem Gentem Matrona diſcernit & Sequana, amnes magnitudinis geminæ: qui fluentes per Lugdunenſem, poſt circumclauſum ambitu inſulari Pariſiorum caſtellum Luteciam nomine conſociatim meantes, protinus prope caſtra Conſtantia funduntur in mare.* Vocat Ammianus *Luteciam caſtellum Pariſiorum* pro urbe vel opido, propterea quòd parva quidem & exigua in inſula poſita erat, ſed naturâ & arte egregiè munita more modoque caſtellorum: ſicuti Julianus & Zoſimus πολίχνην eam ambo, hoc eſt *opidulum* vel *civitatulam* appellant; Michaël Syncellus circa annum DCCCLXX. τὴν Παρισίαν τῇ πηλικότητι τῶν κατὰ Γαλλίαν ἐλαττουμένην πόλεων, magnitudine ceteris Galliæ urbibus inferiorem. Ex quibus Zoſimus in libro III. Hiſtoriæ *Pariſium Germaniæ urbeculam*, Παρίσιον Γερμανίας πολίχνιον magno errore nuncupat: cùm ab omnibus Galliæ Lugdunenſi ſemper fuerit attributa *Lutecia*. Vibius Sequeſter in libello de fluminibus ad Virgilianum filium ſcribit, *Sequanam Galliæ Luteciam Pariſiorum interfluere & inſulam facere.* Meliùs dixiſſet, *circumfluere.* Aſſer Menevenſis quoque in Vita Alfredi Anglorum Regis tradit, anno DCCCXXCVI. toto obſeſſam eſſe à Nortmannis *Pariſiam civitatem, quæ in medio fluminis Sigue ſita ſit in inſula parva*: & Abbo de eadem obſidione ita refert.

Nam medio Sequanæ recubans, culti quoque Regni
Francigenûm, temet ſtatuis præcelſa.
Inſula te gaudet fluvius ſua fert tibi gyro
Brachia complexo muros.

Ejus ibidem *pontes* utrimque, ejus utrimque tam ultra quàm citra flumen *Falas*, id eſt turres ſeu caſtella commemorat.

Lutecia ergo, urbs & caput *Pariſiorum*, parva olim ætate Julii Cæſaris fuit, cùm parvam inſulam fluminis Sequanæ tantùm occuparet, quadraginta circiter iugera continentem, ſi menſoribus Maſſonoque creditur. *Lutecia Pariſiorum* tota ea in inſula poſita erat, & utrimque ligneo ponte adibatur. Hæc vetus civitas *Pariſiorum* exſtitit, Gentis ſedes primaria. Unde hodieque cùm incrementa *Luteciæ* trans & citra Sequanam variis nominibus appellentur; hæc inſula in medio poſita nomen *Civitatis* retinet, *la Cité*: quo nomine vulgus in pleriſque Franciæ provinciis, ac præſertim in Burgundia urbem Epiſcopatûs ſedem deſignare conſuevit. Certè ibi quondam, ſicut & nunc, major Eccleſia; ibi Antiſtitis cathedra jaminde à Marcello, ſicut hodieque cernitur, certiſſimum argumentum primatûs ac dignitatis loci: ibi Palatium Regum noſtrorum jaminde ab Hugone Hugonis Magni filio, nunc Iudicum conſiſtorium clariſſimum nobiliſſimumque, à quo & Inſula Palatii nuncupatur, *l'Iſle du Palais.*

Quamvis autem circa initia, ætate etiam Julii Cæſaris ac Strabonis *Luteciam* extra inſulam ſuam amoenam nihil aut parum admodum ædificiorum habuiſſe exiſtimem: poſtea tamen ſub Imperatoribus Romanis, ac præcipuè ſub Juliano & Valentiniano majore qui ibi hiemavere, trans Sequanam ſuburbanis auctam eſſe credo. Quâ enim ratione Imperatores ac Cæſares, officia Palatina, Proceres, milites ac magiſtratus ad aulam cõfluentes exigua inſula ſine opidanorum incommodo capere potuiſſet? Itaque & Palatium cum magnificentiſſimis Thermis ibi ultra Sequanam, Amphitheatrum quod Arenas vulgò appellant, aliaque opera Romani condidere. Sed poſt Francorum in Gallias adventum cùm Chlodoveus *Luteciam* Regni ſedem elegiſſet, & omnes à Chlodoveo Reges, Childebertus, Chilpericus, Chlotharius, Dagobertus, Chlodoveus minor, Chlotharius junior, Childericus ac Theodoricus ejus exemplum ſecuti eſſent: per annos CXXC. non contemnendis appendicibus crevit *Lutecia*, & exſpatiantia extra inſulam tecta, egregiæque Baſilicæ, in primis Sanctorum Apoſtolorum, B. Vincentii, Sancti Laurentii, Iuliani Martyris trans flumen, ac S. Pauli cis Sequanam, alterius urbis inſtar addiderunt. Pippino, Caroloque Magno, & eorum poſteris nulla certa ſedes fuit, ex occaſione bellorum hiberna mutantibus, & plerumque in villis publicis conſidentibus; & Rotberti Fortis filius ac nepote *Luteciam* occupantibus. Quare regnante apud Francos Caroli progenie, *Lutecia* nihil incrementorum accepit: cùm bellis civilibus, & aſſiduis oppugnationibus Nortmannorum attrita, vix inſulæ ſe ſuæ mœnibus, ac naturali propugnaculo Sequanâ, turribuſque ad capita pontium poſitis tueretur, & ſuburbanas Baſilicas à direptione & incendio Barbarorum defendere aliter quàm auro non poſſet. Soli Hugonis poſteri, cùm *Luteciæ* ſemper conſtanterque habitaverint, & ornavere Regiam ſuam & auxere, atque ex ſimplice triplicem fecere, ultra citraque Sequanam non ſemel prolatis pomœriis, & adjunctis inſulæ ex utraque fluminis parte duabus (ut ita loquar) ampliſſimis urbibus: quibus urbis Pariſiorum nomen dari poteſt ac debet; *Luteciæ* nomen dari non debet.

Quod ad urbis Pariſiorum nomen attinet, *Lutetiam* nunc omnes appellant & ſcribunt, cùm *Lutecia* ſit nuncupanda, tertiâ ſyllabâ à littera c incipiente, non à t. Certè id Strabo & Ptolemæus indicant: quorum alter *Lucotociam*, alter *Lucoteciam* vocat. Sublata autem ſecundâ nominis ſyllabâ ex *Lucotocia* fit *Lutocia*, ex *Lucotecia Lutecia*. Leguntur litteræ Childeberti Regis Francorum, viri Illuſtris, in quibus ſcribit, ſe *cœpiſſe conſtruere templum in urbe Pariſiaca prope muros civitatis, in terra quæ adſpicit ad fiſcum Iſciacenſem, in loco qui vocatur Locotitia*, (aliàs *Locotitio*) *in*

honore S. Vincentij Martyris, cujus Reliquias de Spania abſportaverit. Robertus Gaguinus quoque in libro Hiſtoriæ I. locum in quo Baſilica S. Petri Apoſtoli ab Chlodoveo exſtructa eſt, *collem Lecutitium* appellat. *Collem* hunc ſeu montem *Lecutitium*, in quo condita eſſe dicitur à Chlodoveo Baſilica Apoſtolorum; & *locum Locotitiam* vel *Locotitium* ubi Baſilica B. Vincentii cum Monaſterio ſtructa fertur à Childeberto Chlodovei filio; ad Græcorum auctorum *Lucotociam* & *Lucoteciam* non modo proximè accedere, ſed etiam pertinere, ait Jacobus Brolius in Antiquitatibus *Lutecia*: quod haud dubiè falſum eſt. Quippe nomine *Lutecia*, quam Græci iſti ſcriptores *Lucotociam* & *Lucoteciam* appellant, unam tantùm inſulam Sequanæ, & civitatem Pariſiorum in ea poſitam veteres auctores deſignavere; extra inſulam poſita non deſignavere. Quare etiamſi Childeberti litteris & Gaguini verbis crederemus: tamen planè negaremus *Luteciam* ſive *Lucoteciam Pariſiorũ* cum *loco Locotitia* & *colle Lecutitio* quidquam habere commune; ſive *Lutecia* appellationem extra inſulam tranſque flumen Sequanam ad ſuburbana loca Monaſteriorum S. Genovefæ & B. Germani poſſe transferri. Ut redeam unde digreſſus ſum, *Luteciam* per e litteram in tertia ſyllaba efferri ſcribique oportere, docet tabula Theodoſiana, vulgò Peutingeriana dicta, in qua *Lutecia* disertè nuncupatur: docet etiam Æthici Itinerarium provinciarum, in quo nunc *Lutecia Pariſiorum*, aliàs *Parrhiſiorum*, nunc ſimpliciter *Lutecia* appellatur. Hieronymus Surita qui notis ſuis Æthici Itinerarium illuſtravit, ait *exemplaria MS. ubique in omnibus itineribus ſemper Luticiam præferre.* Joſias quoque Simlerus Tigurinus, qui Baſiliæ anno MDLXXV. idem Itinerarium cum adnotationibus edidit, *Luticiam Pariſiorum*, & abſolutè *Luticiam* ſepties ſcribi curavit, admonuitque lectores, *ita plerumque ſcribi in veteri codice V. CL. Petri Pithœi I.C. quem ſecutus ſit: licèt impreſſa typis exemplaria Luteciam uſitato more nominent*: quod nemo doctus mirabitur, cùm conſtet e in i crebrò mutari conſueviſſe. Magno Regis Caroli æqualis *Pariſini* (inquit) *Luticia*: id eſt *Pariſius*, cujus populi caput eſt *Luticia*. Monachus Monaſterii S. Bertini qui res geſtas Caroli Calvi ſucceſſorumque ejus uſque ad annum DCCCXCII. litteris prodidit, & cùm in ceteris, tum in locis quibuſque proprio ac veteri nomine deſignandis diligentiſſimus fuit, *Pariſiorum Loticiam* in anno DCCCXLII. *Loticiam Pariſiorum* in annis DCCCXLV. & DCCCLVII. atque alibi paſſim appellat. *Loticia* autem & *Luticia* idem eſt atque *Lutecia*; propterea quòd o atque u necnon e & i invicem permutari apud Latinos ſcriptores conſueverunt. *Luteciam à luti fætore nomine antiquo dictam eſſe civitatem Pariſiorum, quoniam eam palus & ſoli pinguedo luteſam reddebat*, Rigordus & Guillelmus Armoricus in Geſtis Philippi Aug. Iohannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum, aliique falsò tradiderunt. *Lutecia* enim nomen eſt Celticum ſeu Gallicum, à Celtis vel Gallis urbi Gallicæ impoſitum: ut *Pariſii* nomen eſt Celticum Gentis Celticæ, utrumque ſignificationis incertæ ac nobis incognitæ. In Celticis autem vocabulis etymologiam Latinam quærere, abſurdum eſt. Tantùm affirmare tutò poſſumus, non magis *Luteciam* à luto, quàm *Pariſios Parrhiſioſve* à Paride filio Priami, vel διὰ τῆς παῤῥησίας, id eſt à fiducia & loquendi libertate deduci oportere.

Poſtea *Lutecia* nomen Gentis cujus caput erat accepit, itaut *Pariſii* dici cœperit, ſicuti Durocortorum Remi, Cæſaromagus Bellovaci, Samarobriva Ambiani, Iuliomagus Andicavi, Auguſtoritum Pictavi. Certè *Pariſios* Ammianus Marcellinus in libro XVII. aliiſque urbem ipſam vocat: vocat & Sulpicius Severus in libro I. de Vita S. Martini *Pariſios civitatem.* In Codice Theodoſiano legitur reſcriptum Valentiniani & Valentis AA. datũ *Pariſiis.* Notitia Imperii Rom. docet, *in provincia Lugdunenſi Senonia Præfectum claſſis Anderitianorum Pariſiis* fuiſſe, & *Præfectum Sarmatarum Gentilium à Chora Pariſios uſque.* Ex quo apparet *claſſem* quæ *Anderitianorum* dicebatur, unà cum *Præfecto* ſuo fuiſſe *Lutecia* ſtante Imperio Romano: & Sarmatas Gentiles cognominatos, quæ legio Romana erat, à *Chora* loco flumini Choræ in Icaunam effluenti appoſito uſq; ad urbem *Luteciam*, per caſtella & urbes ripæ Icaunæ ac Sequanæ fuiſſe diſperſos atque in præſidio conſtitutos. Pæne autem mihi perſuadeo, Luteciam quæ claſſem apud ſe in portu amnico ſemper ſtantem cerneret, jamtum navem inſtructam pro inſigni habere cœpiſſe. Proſper in Chronico *Pariſios* quoque appellat: Gregorius Turonicus Epiſcopus (ut in priſcis codicibus ſcriptum ſemper reperi) *Pariſius* pro Pariſios, ſicuti *Arvernus*, *Pectavus* pro Arvernos & Pictavos nuncupat: quem recentiores ferè omnes ſunt ſecuti. Idem Hiſtoricus nunc *Pariſienſem civitatem*, nunc *Pariſiacam civitatem*, aliquando *urbem Pariſiacam* vocat. Epiſtola Synodica Concilii Pariſiis habiti anno Chriſti CCCLXII. *Pariſiam civitatem*, ut & Aſſer Menevenſis.

Veteres Notitiæ provinciarum Galliæ in provincia Lugdunenſi IV. quæ & Senonia a Metropoli dicitur, ſextam ac penultimam ponunt *civitatem Pariſiorum*: quam Robertus Monachus S. Mariani ante annos CCCCL. in Senonenſi provincia tertiam collocavit honoris causâ poſt civitates Senonum atque Carnutũ. Gervaſius Tiſleberienſis, & duæ Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ, altera circa annum MCCXXCV. altera paullo poſt annum MCCCXXII. ſcriptæ, *urbem Pariſiorum* à Metropoli ſua proximam faciunt, credo quòd caput Regni Francici ſedeſque Regum erat: & inter ſeptẽ Epiſcopatus Senonenſi Archiepiſcopo ſubjectos, primum ac nobiliſſimum *Pariſienſem* ponunt, mutato veteri ordine civitatum Senoniæ. *Pariſios* Noſtri, atque Hiſpani appellant *Paris*; Germani *Pariis*; Angli *Pariſe*; Itali *Parigi*, litterâ s in G. more ſuo mutatâ. *Pariſiorũ* incolas ſeu *Lutecia* natos *Pariſiacos* ſemper vocat Gregorius; quos Noſtri ſcriptores *Pariſienſes*, ac ſæpius *Pariſinos*; Rigordus & Guillelmus Armoricus nunc *Pariſios*, nunc etiam *Pariſianos* appellant, *Pariſiens.*

Ab

Ab ea urbe quæ caput Regni Francici & ſedes Regum jaminde à Chlodoveo eſſe cœpit ante annos MCLXX. Principes noſtri pro Regibus Francorum *Reges Pariſiorum* ſunt dicti. Certè Gregorius in libro de Vita Patrum, in Patroclo Recluſo Chlodovei filium *Childebertum Pariſiorum Regem* appellat; Guillelmus Britto in libro x. Philippum Auguſtum *Regem Pariſianum*.

Quod autem ſuprà ait Ammianus, *Matronam & Sequanam amnes, poſt circumcluſum ambitu inſulari Pariſiorum caſtellum Luteciam nomine, conſociatim meare*; etſi falſum eſt, cùm *Lutecia* poſita ſit in inſula fluminis Sequanæ jam Matronâ aucti, tertio lapide à Confluentibus: tamen id ita explicari poteſt, ut Ammianus crediderit *Luteciam* poſitam eſſe ad Sequanam & Matronam, qui hinc & inde circum inſulam fuſi mox confluant, veroſque eſſe infra *Luteciam* amborum fluminum confluentes. Certè & Gregorius in capite XXV. libri VI. Hiſtoriæ idem videtur ſenſiſſe his verbis. *Nam tantam innundationem Sequana Matronaque circa Pariſius intulerunt, ut inter civitatem & Baſilicam S. Laurentij naufragia ſæpe contingerent.* Robertus Monaſterii S. Mariani Monachus, aut ut quibuſdam placet Canonicus, ſecutus eſt hanc ſuæ ætatis hominum ſententiam in Chronico quod anno MCCX. edidit: ubi de Mauricio Pariſienſi Epiſcopo ita refert. *Anno* MCLXXV. *hic inter præclara opera ſua, Eccleſiam cui præerat à fundamentis exſtruxit, duoſque pontes lapideos condidit, alterum ſuper Sequanam, alterum ſuper Matronam. Pons ſuper Sequanam* ad lævam erat, ubi nunc Pons Minor cognominatus, aut ubi Pons S. Michaëlis: Pons ſuper Matronam erat ad dextram, ubi eſt Pons S. Mariæ, aut Pons Menſariorum vel Cambitorum, aliàs Major. Hoſce duos pontes, ut & Eccleſiam majorem non alibi quam *Lutecia* exſtruxit Mauricius: alioquin Robertus loca ubi ambo pontes eſſent facti nominaturus fuit. Hodieque nautæ noſtri Matronæ aquas diſcernere ſe aiunt ab aquis Sequanæ, à Confluentibus uſque ad civitatem Pariſiorum Inſulamve: & aquam Sequanæ propter altitudinem fluvii aquâ Matronæ nigriorem apparere.

De Vetuſtioribus Luteciæ Baſilicis, & de priſco titulo ac ſitu Eccleſiæ Pariſiacæ anno MDCLX. librũ edidi, cui & addere aliqua non cõtemnenda decreveram: præterea clariora urbis loca, priſcorum etiam vicorum ac portarum nomina ex veteribus monumentis petita, & quoties prolatum Luteciæ pomœrium fuerit, notare ſtatueram, clariſſimamque & cariſſimam patriam pro captu mediocritatis meæ variis, nec à quoquam hactenus animadverſis obſervationibus illuſtrare. Nihil enim in tabulariis Eccleſiæ Pariſiacæ & aliarum Baſilicarum inexcuſſum reliqui, quod ad propoſitum pertineret. Sed Typographis inſtantibus, mutandum conſilium ac cœpto abſiſtendum eſt, & mihi neceſſariò nunc omittenda, atque in alíud tempus differenda ſunt feſtinanti, quæ poſt perfectam *Notitiam Galliarum*, ſi Deus faverit, appendicis loco ſubjiciam.

PATAVIUM.

Locus iſte in Belſa nunc *Patavium* vero & incorrupto nomine, nunc *Pataium* atque etiam *Pateium* nuncupatur, vulgò *Patay en Beauſſe*. *Monachos S. Florentini de Bonavalle apud Pataium degentes*, & *Priorem de Pataio* reperio in litteris datis *anno* MCXCI. *regnante victorioſiſſimo Rege Francorum Philippo*: atque ita paſſim appellatur. In litteris anni MCCXXI. eſſe dicitur *Parochia de Pataio in territorio S. Petri Puellaris Aurelianenſis*: in aliis *Prioratus de Pateio membrum Monaſterij S. Florentini Bonæ Vallis* nuncupatur. In litteris Hugonis de Ororio Militis datis anno MCCXVII. *Patavium* ſincero & veteri nomine vocatur his verbis. *Super minutis decimis, tam domus meæ quàm hoſpitum meorum de Patavio pertinentibus,* &c. *Patavium* dictum eſt à Noſtris *Patay*, vel *Patey*, ut *Alingavia* in Turonibus, *Lengay* aut *Langey*, litterâ u eliſâ.

PATRICIACUM.

Aimoinus Floriacenſis Monachus in libri II. de Miraculis S. Benedicti capite XV. *Patriciacus* (inquit) *dicitur villa in Auguſtudunenſi territorio regionis Burgundiæ ſita. Hanc Echardus Comes Burgundionum ditiſſimus Fratribus Floriacenſis Monaſterij contulit: in qua Eccleſiam in honore Dei & B. Mariæ ac S. Benedicti, delatis Floriaco ejus Reliquiis, conſtruxere.* Ibidem *Solmaricenſe prædium Patriciacenſi Cœnobio* ſubditum memorat. *Patriciacum* à *Patricio* nomen accepit; ut *Paterniacum* à *Paterno*, Cella Cluniacenſis Abbatis diſpoſitioni ſubjecta, *Luperciacum* à *Luperco*. *Patricius* enim & *Paternus* ac *Lupercus* apud Romanos propria virorum nomina fuerunt, ut & apud Gallos, qui Romanorum appellatione cenſebantur. *Patriciacum* vulgò nunc dicitur *Pr[illegible]*, aliàs *Percy*, locus in Diœceſi Auguſtodunenſi, Prioratu inſignis ad Floriacenſe Monaſterium pertinente, qui inter Prioratus circiter XXV. & Præpoſituras V. Floriaco ſubjectas tertium locum tenet.

PAULIACUM.

Filibertus Gemeticenſis Abbas, in fundo Amalberti illuſtris ac potentis viri *Pauliaco*, ad decimum lapidem à Gemetico Cœnobium Puellarum ſtatuit, eique Auſtrabertam Virginem prudentem & nobilibus parentibus genitam præfecit. *Pauliacum* iſtud vel *Paulliacum* à *Paulo* aliquo nomen videtur accepiſſe: nunc vocatur *Paüilly*, Eccleſiâ S. Auſtrabertæ & opidulo etiamnum clarum. *Monaſterium* quidem *Pauliacenſe* à Nortmannis pridem everſum eſt, & ex Abbatia Prioratus evaſit.

Adrevaldus in libri de Miraculis S. Benedicti capite XXXVII. alterius *Pauliaci* meminit, Floriaco Monaſterio proximi. *Quidam homo ex familia S. Patris* (Benedicti Floriacenſis) *in Pauliacenſi pago manſiunculam ex levi ſtructura, viminibus ſcilicet ac geneſta ſuper hereditatem conſtruxerat ſuam.* Hic pagus

Pauliacenſis, vel *Pauliacus vicus*, non longè diſtans à Floriaco, *Poüilly* vulgò dicitur.

PENETALE MONASTERIUM.

Penetale Monaſterium in minore Britannia conditum eſſe dicitur à Samſone, & Dolenſi Monaſterio ſubjectum. Vulgò *Peneti* nuncupatur, & Dolenſi Diœceſi continetur. Ejus loci Monaſterio veteri clari meminit veterrima Vita Samſonis, quam in membranis ſcriptam perlegi.

PENNELOCUS.

Pennelocus ab Æthico in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, memoratur locaturque inter *Tarnadas* & *Bibiſcum*, à Tarnadis XIII. à Bibiſco VIIII. millibus paſſuum diſtans. Tabula Peutingeriana *Pennolucos* appellat, inter *Viviſcum* ſimiliter & *Tarnaias*. Simlerus qui Æthicum Scholiis illuſtravit, *Nüvnenſtatt* ad lacum Lemanum forſitan eſſe ait, qui locus à Noſtris *Villeneuve* & *Villenuef* dicitur. Nam quod Novavilla ſeu novum opidum linguâ noſtrâ; idem Germanicâ *Nüvnenſtatt*, ſeu *Novumſtadam* aut *Noveſtate*. *Pennelocos* in codicibus Æthici nonnullis reperiri aſſerit Surita.

PERRONA VIROMANDUORUM.

Primus ejus loci meminit Fortunatus Preſbyter ante annos circiter MLXX. in Vita S. Radegundis, quam manuſcriptam legi: in qua *Perunna villa* appellatur, id eſt vicus *Perunna*. Aiunt Furſeum natione Scotum, cùm ex inſula Hibernia veniſſet in Gallias, ab Erchinoaldo illuſtri Patricio & Principe (ſic Majorem domûs vocant) honorificè exceptum, quodam loco nomine Latiniaco donatum, ut ibi Cœnobium ædificaret quemadmodum fecit, ac *in vico Veromanduorum Perrona* ab eodem ſepultum eſſe in Baſilica SS. Apoſtolorum quam ibi conſtruxerat: cujus corpus poſt annos IV. incorruptum in cultiorem Baſilicam, à ſe & à Leutſinde conjuge ſua conditam, honorificè ob crebras miraſque virtutes Erchinoaldus tranſtulerit. Ita vetus auctor libri de Vita S. Furſei refert. Beda in libri III. Hiſtoriæ Anglicanæ capite XIX. ſcribit, Erchinoaldum Majorem domûs Regiæ quem *Ercenvaldum Patricium* vocat, corpus B. Furſei *in villa ſua Perrona*, in Baſilica quam extruendam curaverat, ſepeliri juſſiſſe. Ultanus Furſei & Foillani frater in vico Veromanduorum *Perrona* ad flumen Suminam Monachis Abbas egregius præfuit, & Theodorico Chlodovei junioris minimo filio regnante deceſſit. Exiſtimo Erchinoaldum beneficio Regis *Perronam* poſſediſſe: propterea quòd ibi & palatium habuit, & filium ſuum baptizari juſſit, & B. Furſei corpus eodem deportandum, ac duas ibi Baſilicas, alteram poſt alteram conſtituendas curavit, & primarii loci habitatores è familia ejus fuerunt: ſed quoniam villa fiſcalis eſſet, morte Erchinoaldi cui data fuerat, fiſco eſſe reſtitutam *Perronam*. Certè *Palatium Perronenſis vici* liber de Vita Furſei appellat, & Chronicon Fontanellenſe *Peronam Palatium*: in quo dicuntur *anno* DCCCXLIX. *menſe Januario Chlotarius & Carolus Rex ad Peronam Palatium acceſſiſſe*. Villas autem Regias conſtat à re *Palatia* dici, & Reges noſtros eò convenire olim conſueviſſe.

Ceterùm Cœnobium *Perronenſe* ab Erchinoaldo Patricio exſtructum, in quo B. Furſeus Scotus ſepultus eſt, & cui Ultanus Furſei frater Abbas præfuit, *Scotorum Monaſterium* vulgò olim appellabatur: propterea quòd Scotum Abbatem & multos ejuſdem nationis Monachos, & Furſeum ac Ultanum auctores cum Erchinoaldo conditoreſque ſuos habuit. Certè Annales Metenſes in anno DCXC. *Perronam Scotorum Monaſterium* nuncupant; Sermo vetus de relatione corporum SS. Quintini & Caſſiani, *Peronam Scotorum*; Rigordus & Guillelmus Britto *caſtrum Peronam*.

Perrona porrò ut in Veromanduis ſita eſt, Auguſtæ Veromanduorum Epiſcopis olim ſubjecta exſtitit; nunc Noviomagi Antiſtitibus, qui eorum in locum ſucceſſerunt, paret. Vicus eſt in Hainoo proximus Binchio vel Bintio, *Bins*, dictus ſimiliter Perrona, *Perone*. *Peronam opidum Veromandenſe* vocat Appendix Chronici Guillermi Nangiacenſis in anno MCCCIII. Vita Sancti Furſei veterrima, ab Andrea Cheſnio edita ex parte, *Palatii Perronenſis vici*, necnon *villam Perronam* vocat, & *Montem Cygnophii qui Perrona nuncupatur*. In alia Vita S. Furſei quam ſcriptam legi, *Præparabo Montem Cygnopum, qui Perrona nuncupatur*: item, *deduxerunt ad Montem Cygnopum*. *Perrona* igitur vel *Perunna* alio nomine *Mons Cygnopus* dicebatur potius quàm *Mons Cygnophii*. Quidam Chronographi *caſtrum Parronam*, & *caſtellum Perronam*; Frodoardus *Perronam*, aliàs *Parronam* vocat. Radulfus Veromanduorum Comes, Hugoni de Clecriis *Perronæ Comes* dicitur.

Quod autem ſuprà dixi, *Perronam Scotorum Monaſterium*, & *Perronam Scotorum* olim nuncupatam eſſe, nemo mirari debet. Nam multa in Gallia à Scotis Hibernis Monaſteria olim exſtructa ſunt: in primis Monaſterium Latiniacenſe à Furſeo; à fratre eius Foillano Voſſuenſe vel Foſſenſe in pago Leodicenſi; ab Ultano amborum germano Cœnobium Perronenſe, S. Furſei tumulo inclytum; à Sidonio Furſei populari & (ut putant) propinquo in Caletis *Monaſterium S. Sidonii*, *S. Saens*; Monaſterium Luxovienſe in Voſago à Columbano; à Gallo eius populari ac diſcipulo Monaſterium S. Galli. Monaſteria S. Martini, & S. Pantaleonis in urbe Colonia Scoti quoque rexere. Omitto Bobium in Italia à Columbano conditum, & Cœnobium S. Petri in urbe Toringiæ Erfesfordia, quod *Monaſterium Scotorum* Lambertus Schaſnaburgenſis vocat.

PERTENSIS PAGUS.

Pagus Pertenſis, *le Partois*, ab opidulo eiuſdem nominis adjacente flumini Matronæ appellationem traxit. In Præcepto *Ludovici Imper. Auguſti, anno* XIX. *imperii domini Ludovici Piiſſimi Aug.* dato, memoratus his

verbis. *Ando venerabilis Abbas Monaſterij cujus vocabulum eſt Ders, quod conſtat eſſe conſtructum in pago Pertenſe ſuper fluvium Ivera, quod olim vocabatur Puteolus, à S. Berchario Abbate cujus corpus ibidem requieſcit*, Childerico Rege Francorum *conſtructum*. Hic pagus Campaniæ Gallicæ *Pertiſus* etiam dicitur in Capitulis Caroli Calvi, id eſt *Pertenſis*; *Partenſis* Nithardo in libro I. *pagus Portinſis*, hoc eſt *Portenſis* Frodoardo in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis; *Portenſis* quoque in Diviſione Regni Lotharii ſic: *Barrenſe, Portenſe, Salmoringum*. *Partenſem* quoque Barrenſibus proximum facit Nithardus in libro locoque laudato, cum pagum inter *Bleſenſem* & *utroſque Barrenſes* ponens. Ut appareat *Partenſem pagum* Nithardi, & *Portenſem* in Capitulis Caroli Calvi ſeu in Diviſione Regni Lotharii, unum eumdemque eſſe. Fatendum tamen eſt, *pagum Portenſem* in Diviſione Regni Lotharii, & apud Frodoardum non malè pro pago *Portiano* accipi poſſe.

Opidulum quod pago nomen dedit, Martino Bellaio in libro X. bis *Parte* dicitur, ceteris *Perte*, eſtque opido S. Deſiderii proximum: quod municipium *Pertam* vel *Partam* vocari poſſe, docent varia nomina pagi ab ipſo cognominati: quem pagum *Pertenſem*, *Partenſem*, ac *Portenſem* olim promiſcuè nuncupari conſueviſſe, ſuprà docuimus.

PERTICUS SALTUS ET PAGUS.

Perticus ſaltus, quem Nithardus *ſaltum Perticam*, *Perticam ſilvam* Vita Betharii Carnutenſis Epiſcopi, *Particum ſaltum* Chronicon Fontanellenſe vocat, nomen *pago Pertico* vel *Perticenſi* dedit, *le Perche*: cujus incolæ *Perticenſes* vocantur, *les Percherons*. *Pertici ſaltus* meminit Theodulfus hoc verſu, de fonte Sartæ ſcribens in epiſtola ad Moduinum Auguſtodunenſium Epiſcopum.

Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.

Aimoinus Floriacenſis Monachus ætate Regis Rotberti ante annos DCL. *In Lugdunenſi Gallia ſilvæ* (inquit) *multæ, ſed eminentior ceteris Perticus*. Idem ſcribit Hugo. Guillelmus Britto nunc *Perticum*, nunc & *Perticam* appellat. Sic enim in III. Philippidos.

Pertica Rotroldo gaudet nemoroſa recepto.

id eſt Novigento Rotroldi vel Rotroci. Ordericus quoque modò *Particum* vel *Perticum*, modò *Perticam* nuncupat, *Proceres Partici & Corbonia* memorans, & *Nogentum in Pertica*. In ſaltu pagoque *Pertico* oritur & Autura. *Saltum Particum*, & *abditiſſimam ſolitudinem ſilvæ quæ Particus dicitur*, vocant vetera acta B. Launomari. Durabat adhuc ſilva *Perticus* regni Henrici I. anno I. ante annos DCXL. Gaufridus enim Vicecomes Caſtridunenſium, qui Abbatiam S. Dionyſii Novigenti fundavit, in ſuis litteris datis anno I. regni Henrici, Chriſti MXXXI. ita loquitur. *Omnibus hominibus illorum omnes ſaltus meos, excepto Pertico, ita concedo*. Item: *Et homo illorum* (*Monachorum*) *intra ſaltum Pertici habitet*. Gaufridus Caſtri Moritoniæ Comes, filius Rotroci Comitis, nepos Gaufridi Vicecomitis Caſtri Duni, inter Jogunam fluvium & caſtrum Nogentum vel Nogiomum Baſilicam Dionyſii Mart. ab avo & patre inchoatam abſolvit: cujus in litteris hæc leguntur. *Paſnaticum omnium porcorum de ſilva Reſno & de omnibus foreſtis meis do: Perticum verò ad uſum meum & ad uſum Monaſterij S. Dionyſii ita in proprio meo retineo, ut quæcumque fuerint ad uſum Monaſterij neceſſaria, ex eo Monachi faciant, & homo illorum intra ſaltum Pertici habitet. Do etiam totam decimam tam de Pertico quàm de omnibus ſaltibus meis. Omnes meos ſaltus conſuetudinarios eſſe jubeo uſibus Eccleſiæ, & habitaculis Monachorum, excepto Pertico, ita concedo, ut &c.* Ex quibus intelligitur, *Perticum ſaltum* circa Novigentum Rotroci vel Nogentum caſtrum, & circa Jogunam amnem vel Jogniam, *Huinam* vulgò dictum, fuiſſe adhuc, domino Odone Palatino Comite, majore ex parte intactum: quem *ſaltum Perticuli* appellat Urbanus Papa in litteris, quibus donationem Gaufridi confirmat. Gaufridus III. Comes Perticenſis in litteris datis anno MCCV. *in foreſtibus* (inquit) *meis de Belliſmo, Reſno, Mauriſſilva, Pertico, Campo Rotundo & ceteris Comitatus mei*. In Inventario domus Alentionenſium Comitum anno MCCCXIII. memorantur *la foreſt du Perche*, & *la foreſt de Reno*, id eſt *ſilva Perticus*, & *ſilva Reſno*: Mauriſilva vulgò vocatur *Mauriſſeure*. In litteris datis anno MCXC. Robertus Comes Pertici *nemorum conſiſtentium in Pertico* meminit, & permittit Monachis S. Dionyſii Novigenti in Carnutibus, *ſummarium unum habere in Nemore quod dicitur Perticulum, ad mortuum nemus*. *Perticulum* vel *Perticulus* ſilva vel nemus, vocatur *le bois de Perchet*; ut Clergerius obſervat. VVando Turonicæ Baſilicæ S. Martini Theſaurarius in litteris datis anno MXLVI. *Pertici* ſilvæ mentionem facit hiſce verbis. *Deinde augeo eis* (Sanctimonialibus S. Aviti in pago Dunenſi, *S. Avij*) *paſtionem centum porcorum in ſilva mea quæ vocatur Perticus, & ligna ejuſdem ſilvæ ad calefaciendum ſeu operandum, ubicumque opus fuerit ſibi, abſque ulla calumnia & conſuetudine*. *Monaſterium S. Aviti de Caſtriduno* vocat Alexander Papa ſuis in litteris, & *lucum Pertici datum ei à VVanelone Theſaurario* S. Martini Turonenſis ſcribit.

Avitum hunc *in vaſta Pertici ſolitudine commorantem* vocat vetus ſcriptor libri de Vita S. Leobini Carnutenſis Epiſcopi, ſeu Fortunatus, ſeu quis alius: quem & *tunc temporis moratum Eremitam in Pertico*, & à Leobino juvene bis aditum, ac ibidem mortuum ait. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro de Gloria Confeſſorum ejuſdem meminit his verbis. *Avitus Abbas Carnoteni Pagi quem Pertenſem vocant, honorificè apud Aurelianenſem urbem humatus eſt: ſuper quem Fideles Chriſtiani Eccleſiam conſtruxerunt: cumque anniverſarius ejus aſſumtionis dies cum ſummo coleretur honore*, &c. Legendum eſt omnino emendandumque *Perticenſem*. Erat enim Avitus Abbas & Monaſterium ſuum habebat in ea parte *pagi Perticenſis*, quæ ad

Carnutes Diœceſimque Carnutinam pertinebat, & ob id non ſuâ ſolùm & propriâ, ſed etiam pagi *Carnoteni* appellatione potuit deſignari. Apparet igitur jam ante annos MXXC. *Pertici* ac *Perticenſis pagi* nomen notum ac uſitatum atque litteris mandatum fuiſſe à ſcriptore Gallo, cujus ſedes ab ipſo pago non longè aberat.

Hæc regio IV. ad populos pertinet quatuorque Diœceſes, ut ait Samſon. Partem eius aliam ſibi vindicant Cenomani, aliam Saii, aliam Aulerci Eburovices, aliamque Carnutes: è quibus Cenomani ſunt provinciæ Lugdunenſis tertiæ; Saii & Eburovices Lugdunenſis ſecundæ; Carnutes Senoniæ ſeu quartæ Lugdunenſis. Errant Marlianus & Samſon: quorum alter Unellos pro Perticenſibus habet, alter poſterior Aulercos Diablintes, quē alibi refellimus. Sub Saiis ſunt Belliſmum, Moritonium, & Petraria, *la Perriere*, ac Curbio *Corbon*, opida Regia vel municipia: in Diœceſi Carnutina Novigentum Rotroci; in Cenomanica Ceto, *Ceton*, aliaque loca Pertici Goëti. Ita *Perticum* ſub III. tantùm Epiſcopatibus eſſe aſſerit Clergerius: qui & *Perticum* dividi ait IV. in partes, in agrum Francicum, *terre Françoiſe*; *Perticum majorem*, *le Grand Perche*, qui & propriè *Perticus* dicatur, & Belliſmum, Moritonium, Petrariam ac Novigentum Rotroci contineat; in *Perticum Goëti*, à Guillelmo Goëto ita dictum, aliàs *Perticum minorem*, *le Perche Goüet*, vel *Petit Perche*: ubi Alto, *Auton*, Baſochia, *la Bazoche*, Mons Mirabilis *Mommiral*, Avallocium vel Alogia *Aluie*, & Braiotum *Brou*, quinque Baronatus eminent. Quartam *Pertici* partem nuncupari ſcribit dominia diſtracta, *les terres demembrées*: cui parti adſcribantur Caſtellum Novum in Teodemerenſi pago, *Chaſteau Neuf en Timerais*, Senonciæ, *Senonches*, Campus Rotundus *Champ Rond*.

PERTINACULUM.

In libro II. de Vita Bernardi Abbatis Claravallenſis, quem Bernardus Abbas Bonæ Vallis, aut ſi codicibus fidem habere malumus, Arnaldus vel Hernaldus compoſuit, in capite VI. *Pertinaculi* fit mentio hiſce verbis. *Itaque apud Pertinaculum hinc & inde conveniunt*, Guillelmus videlicet Comes Pictaviæ, Abbas Claræ Vallis Bernardus, & Epiſcopus Carnutenſis, de pace Eccleſiæ Aquitanicæ acturi. *Pertinaculum* velut à pertinacia dictum eſt, ut retinaculum, crepitaculum, miraculum. Mabilio Monachus pius & doctus, qui Bernardi opera ante aliquot annos magna cum cura edidit, *Partiniacum* heic legit; *Partiniacum* quoque vocat Alanus in compendioſæ Vitæ S. Bernardi capite XXI. alii *Partinacum*. Vulgò *Partenay* dicitur: quod eſt opidum in agro Pictonico. Legi litteras *Hugonis dicti Archiepiſcopi*, *Militis*, *domini Partiniaci*, *Volventi*, & *Mareventi*, datas anno MCCLXIII. Voluentum autem (*Vouvant*) & Mareventum *Mervant*, Partiniaco proxima ſunt loca. *Partiniacum* & *Partiniacenſe caſtrum*, proximum *Secundiniaco caſtro*, (*Secondigni*) memorant litteræ, Philippo apud Francos regnante datæ circa annum MC. *Partenacum* vocant Rigordus in anno MCCVII. & Guillelmus Armoricus.

PERVICIACUM.

Æthicus in itinere à Caſtello Coloniam *Perviciacum* memorat, & inter Geminiacum atque Aduacam Tungrorum ponit, à Geminiaco XXII. ab Aduaca XIV. millibus paſſuum diſtans. Miræus *Pervez* vel *Perves* interpretatur: quod eſt Brabantiæ Gallicæ opidum. Quædam tamen Æthici exemplaria *Perniciacum* ſcriptum habent, & *Perticiacum*, ut Simlerus teſtatur.

PETINESCA.

Æthicus in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, *Petineſcam* memorat inter Aventiculum & Saloturum, ab Aventiculo XIII. à Salotoro X. millibus paſſuum diſtantem: ubi Surita in veteribus membranis nunc *Petineſcam*, nunc tranſpoſitâ ſyllabâ *Peneſticam* inveniri aſſerit. Tabula Theodoſiana tranſpoſitis duabus litteris *Petenſicam* vocat, & ſicut Æthicus, inter Aventicum Helvetiorum ac Salodurum ponit. Vulgò *Barren* dicitur: ſi qua Simlero viro docto ac diligenti fides habenda eſt.

PETIVERIUS CASTRUM.

Ludovicus cognomine Craſſus Francorum Rex in litteris datis anno MCXIX. inter Prioratus XLV. Cluniacenſis Monaſterii in Regno ſuo poſitos, ante annos DL. numerat *Prioratum de Petiveris*: quam *Eccleſiam S. Petri Pituerenſis* in litteris anni MCXXX. idem nuncupat; *Eccleſiam de Petuerio* appellat Honorius PP. II. in litteris anni MCXXV. *Belſa Pitueriensi* nomen ſuum dedit hic locus, ut Autricum Carnutum *Belſa Carnotenſi*, Caſtellum Dunum *Belſa Dunenſi*, ut in Belſa notavi. In litteris Leonis PP. VI. inter villas Eccleſiæ Aurelianenſis S. Crucis *Petuerius* numeratur. In litteris Eugenii PP. III. datis anno MCL. *Eccleſia S. Georgy Piverenſis*, *caſtrum Piveris*, & *Piverum Vetus* ad Eccleſiam Aurelianenſem pertinere dicuntur. Anaſtaſius Papa *pagi Pitverenſis*, & *caſtri* à quo nomen habet, meminit. *In pago Pituerenſi, tam in caſtro quàm juxta caſtrum.* In litteris Caroli Calvi Franc. Regis *Pedeverius* vocatur, uti ſuprà *Petuerius* non ſemel, & in Hugonis Regis Franc. tabulis *curtis Peduerius*. Legi litteras Philippi Francorum Regis anno MXXCIX. datas, in quibus hæc verba reperi. *In poſſeſſione ſuper vadum Pitueris Eccleſiam unam.* Ludovicus Franc. Rex, Philippi filius, *Pontem Piveris* memorat, atque Eccleſiam eo in loco ad Cluniacum pertinentem; litteræ Johannis Aurelianenſis Epiſcopi, quibus Odo Archidiaconus Maudunenſis ſubſcripſit, *Eccleſiam S. Petri Pitueris*. Incertus Monachus Floriacenſis in libri de Miraculis S. Benedicti capite XXXII. *Boſonis Villa quadam, S. Patris noſtri* (Benedicti Floriacenſis) *dicitur poſſeſſio, juxta caſtrum quod Petueris vocatur*,

ſita: & in capite XI. *Teſcelinum Petuerenſem virum Nobilem* appellat, qui ſub ſe Milites haberet. Variè ergo à variis appellatur, & diverſas accipit terminationes, *Petiverus*, *Pitiveris*, *Pedeverius*, *Peduerius*, *Petuerius*, *Pituerius*, *Pituerus*, *Petuerus*, *Piverus*, *Piverum*: & nunc *villa*, aut (quod idem eſt) *curtis* cognominatur; nunc *caſtrum* nobiliore titulo nuncupatur. *Petiveris*, *Pitiveris*, *Pitueris*, aut *Petueris* vel declinatur ut navis, & turris: vel certè eſt ſextus caſus pluralis à recto *Petivers*, & declinatur ſicuti Aureliani, Turoni, Pariſii. Hoc caſtrum haud dubiè dictû eſt ab amniculo *Pituere*, cui pontem habet impoſitum: cùm ſuprà *vadum* Pitueris, & *Pontem* Piveris de alio quàm de amne caſtri Pituerenſis accipere non poſſimus. Vulgò dicitur *Putiv ers*, & vicus ei proximus *Puttiveers le Vieil*, ante annos DXX. *Piverum Vetus* Eugenio PP. III. ſuprà dictus. *Petiviers* & *Pitiviers* alii ſcribunt rectiùs: pro quo plerique *Plaviers* mendoſè efferunt. Ab eo caſtro nomen accepit *pagus Petiverenſis* vel *Pituerenſis*, Carolo Calvo aliiſq; memoratus, *le Pitueraìs*: in quo eſt *Joviacum* cum ſua S. Andreæ Eccleſia Baptiſmali, *Joüy en Pitueraìs* vulgò dictum. Ab eodem caſtro cognominata eſt olim pars Belſæ *Belſa Pituerenſis*. Inter ſex Eccleſiæ Aurelianenſis Archidiaconatus ſecundum locum tenet *Archidiaconatus Pitiverenſis*, uni Archidiaconatui majori, ſeu Aurelianenſi poſtpoſitus, prælatus ceteris, nimirum Archidiaconatui Belſæ, Archidiaconatui Secaloniæ, Balgentiacenſi, & Solliacenſi.

PETRÆ PONS, PONS PETREUS, ET PETRÆ FONS.

Frodoardus in Chronico ejus loci meminit his verbis. Anno DCCCCXXXVIII. *Giſlebertus cum Lotharienſibus Hugoni & Heriberto venit in adjutorium contra Regem Ludovicum: caſtrumque Petrapontem vi capiunt.* Caſtrum hoc à ponticulo lapideo nomen videtur accepiſſe, poſitumque eſt ad amniculum in pago Laudunenſi, non longè à Letia, *Lieſſe*, ac *Pierrepont* etiamnum dicitur. Alter eſt *Petra Pons* in pago Picardiæ Santerienſi inter Gornacum ad Aronam & Montem Deſiderii: qui nunc in vicum redactus, vulgò *Pierrepont* nuncupatur. Tertius eſt *Petreus Pons* aut *Petra Pons* in pago Ducatuque Barrenſi. *Petra Pons* à Frodoardo memoratus, poſtea *Petri Pons* dici occœpit, & ejus incolæ *Petripontenſes*. Certè Guibertus Abbas Novigenti de Vita ſua *Montacutanos*, *Petripontenſes*, *Feranos*, *Codiciacenſes* junctim commemorans, non alios quàm *caſtri Petrapontis* ab Frodoardo celebrati incolas *Petripontenſium* nomine deſignavit.

Alius eſt *Pons Petreus*, Gregorio Turonico Epiſcopo memoratus in libri V. capite XVIII. Guntchramni & Childeberti Regum colloquio anno DLXXVII. habito nobilis, in confinio Burgundiæ atque Auſtriæ. *Qui ad Pontem quem Petreum vocant conjuncti ſunt, conſalutantes atque invicem oſculantes ſe.* Iſte *Pons Petreus*, Noſtris vocatur *Pontpierre*, poſituſque eſt ad flumen Moſam inter caſtella Motam (*la Mote*) & Novum Caſtellum, (*Neuf Chaſtel*) vicus nunc ignobilis in ſilva ac monte Voſago.

Petra Fons locus eſt in Sueſſionibus pagoque Vadenſi, hodieque *Pierrefons*, aliàs *Pierrefont* vocatus, à fonte qui è petra vel ſaxo oriebatur, cognomen trahens. In litteris anno MCLXXVIII. datis *dominum Petra Fontis* reperio ante annos ferè quingentos. *Petrafons* in quodam Polyptycho dicitur, in quo *Prioratus S. Sulpicij de Petra Fonte, in Diœceſi Sueſſionenſi* memoratur. Eſt & *Petra Fons* vel *Petreus Fons*, locus in Sequanis Comitatuque Burgundiæ, *Pierrefontaine*.

PETROCIA.

Petrociam, *Petruſſe* vel potiùs *Petruce*, vetuſtiſſimum caſtrum in ſuperiore Arvernia memorant antiqui noſtri Annales, Eginhardus, & quotquot de bello VVaifario Aquitanorum Duci à Pippino Rege Franc. illato ſcripſere. Eginhardi in Annalibus verba ſunt. Anno DCCLXVII. *Rex Pippinus caſtella multa, & petras (roccas aliis dictas) atque ſpeluncas, in quibus ſe hoſtium manus plurima defendebat, cepit: inter quæ præcipua fuere Scoraliia, Torinna, Petrocia.* Hæc ergo caſtella clara & celebria.

PETROCORII ET VESUNA PETROCORIORUM.

Qui Cæſari in libro VII. *Petrocij*, vel potiùs *Petrocij*, id eſt *Petrocorij*, Straboni quoque *Petrocorij* dicuntur Πετροκόριοι, adnumerati XIV. Gentibus Aquitaniæ Julianæ conterminis, eique ab Auguſto attributis & adjunctis: Ptolemæo ſub Cadurcis *Petrocorij*; Plinio in Aquitania *Petrogori*. In veteribus Notitiis nunc *Petrocorij* & *Petrocores*; nunc *Petrogorij* & *Petrogorici*; nonnumquam *Petragori*, & *Petragorici* nuncupantur; aliis *Petrocori*, *Petregori*, *Petregori*: vulgò *Perigordins* aut *Perigourdins* appellantur à Noſtris, quaſi Petrocoritani. Quibuſdam videntur *Petrocorij* à petris ſeu lapidibus nomen accepiſſe, propterea quòd eorum ager eſt lapidoſus. Ego *Petrocorios* nomen eſſe Gallicum Gentis Gallicæ ſeu Celticæ, quæ pòſt Aquitaniæ populis adſcripta ſit, magis crediderim, nihilque ad *petras* in ſummo terræ *corio* naſcentes vocabulum iſtud pertinuiſſe. *Petricordios* quidam & *Petricordiates* dixere. Certè Paullinus qui libros VI. de Vita S. Martini verſibus ſcripſit, & Perpetuo Turonenſi Epiſcopo dedicavit, vocatur *Petricordius* à patria ſua, & in alio vetere codice *Petricordius*. *Petricordias* declinavere Noſtri (niſi nos codices iſti decipiunt) ut Vaſas, Eluſas, Attrebas. In quibuſdam tamen membranis vocatur hic *Paullinus de Petricordia*, hoc eſt de urbe Petrocoris.

Claudio Ptolemæo *Petrocoriorum urbs* eſt *Veſuna*, Οὐεσοῦνα. In tabula Peutingerana dicitur *Veſonna* ſic. *Mediolano Santonum*, *Condate* (*Cognac*,) *Sarnum*, *Veſonna*. In Itinerario Æthici, in itinere à Burdigala Argan-

tomagum occurrit *Veſunna*, inter Aginnum Nitiobrigum & Auguſtoritum Pictonum, ab Aginno LIII. ab Auguſtorito XLIX. millibus paſſuum diſtans. Vetus marmor ibi repertum urbis meminit hiſce verbis. *Tutelæ Aug. Veſunnæ Secundus Soter D. S. D.* Apud Magnonem qui ſuum cuique Genti caput adjungere conſuevit, iſta legimus: *Petragoricus*, *Veſonna*. Hodieque hæc urbs bifariam dividitur in civitatem veterem & novam: vetus civitas unà cum turri veterrima admirandi operis nomen priſcum ſervat, vocaturque *Veſuna* aut *Veſunna*, *Viſune*, ut ait Scaliger, quē Savaro ſequitur. Addit Scaliger, *Auguſtæ Veſunnæ Petrocoriorum vetuſtiſſimum ſplendorem teſtari adhuc Romanas inſcriptiones, Amphitheatrum, & turrim, quæ ſola nomen Veſunnæ retineat.* In veteri civitate Baſilicam Stephani Martyris, quæ major Eccleſia erat, & Epiſcopium ampliſſimum Calviniani everterunt. A *Veſunna Veſunnici* Sidonio dicuntur epiſtolâ XI. libri VIII. Veſunnæ incolæ, urbis ad flumen Ellam poſitæ.

In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Petrocoriorum* appellatur variis corruptiſque nominibus, ut ſuprà indicavimus, & provinciæ Aquitanicæ II. civitas ſexta ac ultima nominatur, uti & in Chronico Roberti. Sed apud Gervaſium Tiſleberienſem & in recentioribus Notitiis eadem urbs pænultimum obtinet locum, Aginno quod mireris præpoſita. Rectè autem Joſ. Scaliger in expoſitione Notitiæ Galliarum *civitatem Petrocoriorum* Epiſcopatum Petrocoriorum urbis interpretatur; & *civitatem* nunc *Epiſcopatum*, nunc *pagum* exponit. Quippe in Notitiis *civitas* non modò urbem caput Gentis, aut unum ex capitibus, ſed etiam totum urbis agrum pagumve aut Diœceſin deſignat.

Poſtea *Veſunna* nomen vetus depoſuit, & exemplo multarum Galliæ urbium, Gentis cujus erat caput nomine cenſeri maluit, dicique *Petrocori* & *Petrocorij*, vulgò *Perigueus*. Sic Sulpicius Severus in libro II. Hiſtoriæ Sacræ *Paternum* à *Petrocoriis* Sacerdotio pulſum tradit. Apollinaris Sidonius *Petrogoros* in epiſtola VI. libri VII. appellat. Paullinus Preſbyter apud Gregorium *Pegaſium Petrocoriis* præter ceteros Sacerdotes Fide ac religione floruiſſe ætate ſua ſcribit. Fortunatus libri IV. Carmine VIII. *Chronopium Epiſcopum civitatis Petrocoricæ* mortuum laudat: quæ urbs ita in priſcis Conciliis appellatur; *urbs Petrecori* in Geſtis Pippini Francorum Regis; *civitas Petragorica* Aimoino, Hugoni, Roberto, Gervaſio, ceteriſque recentioribus.

Petrocori nunc duas Diœceſes continent: *Petrocoricam* veterem, *Sarlatenſem* recentiorem, ex Epiſcopatu civitatis Petrocoricæ detractam.

Pagus Petrocoricus, vulgò dicitur *le Perigord*, quaſi *Petrigordius*, & in ſuperiorem inferioremque dividitur, *Petricordia tellus* Theodulfo dictus. Hunc *pagum Petrogoricum* appellat Gregorius, quem Geſta Dagoberti & Aimoinus ſequuntur; *Petrocorecum*, & *pagum Petrocorenum* Fredegarius; *Petregoricum*, & *pagum Petrocorrecum* Geſta Pippini Francorum Regis; *territorium Petragoricum* Eginhardus; *Petrocoricum* rectè veteres rerum Pippini Annales. Hic pagus ante annos CCC. *Petregort* & *Peregort* dicebatur. Ex quibus intelligitur, ut in priſcis Notitiis ſic à veteribus rerũ Francicarum ſcriptoribus nomen Gentis *Petrocoriorum* vel *Petrocororum* variè eſſe corruptum, & nunc *Petrogoros*, nunc *Petragoros*, & *Petregoros* multo ſæpiùs quàm *Petrocoros* eos appellatos fuiſſe.

PETROMANTALUM.

Petromantalum, vel *Petromantalium*, aut *Petromanontalum* ſemel atque iterum in Itinerario Æthici memoratum, opidum eſt ad Sequanæ ripam in Carnutibus poſitum, à petra ſeu monte ſaxeo ad quem ſitum eſt, ita dictum: vulgò *Mante*. Robertus Abbas Montis S. Michaëlis in Chronico *Meduntam* vocat, necnon *Medantem*, & *Medantiam*: inter quam & Paceium *Marcam* ponit, id eſt limitem Franciæ atque Normanniæ: *Medantenſe caſtrum* nuncupant litteræ Philippi I. Francorum Regis *Meduntam* appellitant & VVillelmus Armoricus in Philippide, Samſon Remenſis Archiepiſcopus, ceterique recentiores; *Medantam* Ordericus in libro XII. Radulfus de Diceto *Mantuam* mendosè; *caſtrum Meduntenſe* Sugerius in Ludovico Craſſo; *Medontam* Robertus Comes Mellenti in litteris ſuis; *caſtrum Medantam* Ludovicus Francorum Rex anno MCLXXI. Auctor Chronici Fontanellenſis, cujus aliquot paginas Andreas Cheſnius edidit in tomo II. Rerum Francic. à Chronico Fontanellenſi Lucæ Acherii planè diverſas, *Petromantalum* non pro *Medunta* ſed pro *Piſtis* accepit his verbis. *Piſtæ caſtrum, quod olim Petromantalum vocabatur*: ubi legendum *Petromantalum* vel *Petromantalum*. Sed cùm Æthicus *Petromantalum* vel *Petromantalium* nunc inter Rotomagum & Luteciam; nunc inter Cæſaromagum Bellovacorum & Brivam-Iſaræ ponat, atque à Rotomago XVI. millibus paſſuum diſtare notet, à Lutecia XXIX. à Cæſaromago XVII. à Briva-Iſaræ XIIII. nemo non videt hunc *Petromantali* ſitum nequaquam in Piſtas, ſed in *Meduntam* apprimè convenire.

Meduntenſibus ſua erat, ut uſitato utar nomine, Communitas vel Communia. In quibuſdam litteris quas in Chartario Fiſcannenſi legi, hæc reperio. *Actum eſt hoc N. Majore Communitatis Medunta, iſtis Paribus, Otone de Ver, Gaufrido Familia, Huberto de Arnovilla, Bartholomao Peſletoc.* Unde apparet opidanis qui communitatem habebant, *Majorem* ſuum & *Pares* ſeu Scabinos ſuos, hoc eſt judicem & aſſeſſores fuiſſe.

Proxima eſt caſtro *Medunta Medunta Villa*, *Mante la Ville*, eo cognomine à *Medunta caſtro* diſtincta, quod olim *Mante le Chaſteau* cognominatum eſſe non dubito: ſicut cognomen docet hujuſce vici ei proximi, qui *Medunta Villa* nuncupatur. Sic Nelſa caſtellum, & Nelſa villa, Gomedus caſtellum, & Gomedus villa, Malliacum caſtellum, & Malliacum villa, ac plurima alia loca, alia aliis vicina, & his cognominibus diſtincta occurrunt in Galliis.

PICARDIA.

Picardia, unius de maximis Regni Francici provinciis, ſicuti Dalfinatûs, non vetus eſt nomen. Legi in priſco codice titulum litterarum qui talis eſt. *Dimiſſio terræ S. VVandregiſili in Alba Via, quæ terra Caput Vaccæ appellatur, facta à Clemente agnomento Picardo anno* MXXV. *domino Abbate Adamo procurante*. Auctor incertus in Geſtis Francorum ab anno MXCV. ad annum MCCIX. deductis, libro IV. ait *Anſelmum de Ribotmont*, (aliàs de Ribodi Monte *Ribemont*) *VVilhelmum Picardum, & alios plures tuliſſe Martyrium in obſidione trimeſtri caſtri Archæ*. Jamtum ergo *Picardus* nomen erat in uſu: ſed erat ut puto amborum cognomen tantùm, non omnium habitatorum ejus provinciæ quæ *Picardia* nunc dicitur. Nicolaus de Braia, qui de Geſtis Ludovici VIII. Francorum Regis carmen compoſuit, Philippum Comitem Bononiæ, quæ eſt urbs Picardiæ, *gloriam Picardorum* vocavit ante annos CCCCL.

> At Comes egregius & Martius ille Philippus
> Boloniæ, patris imitans pia geſta Philippi,
> Gloria Picardis.

Ex quibus verbis apparet, Nicolaum *Picardorũ* nomine Gentem totã Picardicam deſignaviſſe. Matthæus Pariſiẽſis qui in anno MCCLXXIII. deſinit, in anno MCCXXVIIII. Picardorum Gentis etiam meminit. *Erant* (ait) *de partibus conterminis Flandriæ, quos vulgò Picardos nominamus*. Guillelmus Nangiacenſis ſcribit anno MCCLI. *quoſdam latronum principes primò per Flandriam & Picardiam tranſiiſſe*, & in anno MCCXXCI. tradit *Clericos Anglicos domos Picardorum confregiſſe Pariſiis*: quos & *Clericos nationis Picardiæ* appellat. Eberhardus in Annalibus, quos Caniſius publicavit in anno MCCCV. deſinentes, *Picardiam & Flandriam* in anno MCCXXCV. commemorat; Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum ante annos CCCLX. *Picardiam* non ſemel, quam & à *Viromandia* diſtinguit. Stero qui Annales ad annum MCCCXXXIV. deduxit, & Hainricus *Picardiæ* meminere, hic in anno MCCCXLVI. ille in anno MCCXXCVII.

Picardos autem dictos arbitror non à pilis quas picas vocamus, quibus in prœliis primi ſunt uſi; quales olim *Picquenaires* dicebantur, nunc *Piquiers*: ſed quòd vino aut levi convicio facilè ad iracundiam concitarentur. Iraſci autem ſine cauſſa Noſtri dicunt *picari* ſeu pungi, *ſe piquer*, & rixã *une pique*. Igitur majoris partis Belgicæ ſecundæ incolas,, quoniam temerè ac ſubitò excandeſcere rixariq; conſueverant, *Picardos*, *Picardi*; & eorum regionem *Picardiam* appellaverunt, *la Picardie*. Quam appellationem primùm Luteciæ in ſcholis ortam eſſe exiſtimo petulantiâ Scholaſticorum Clericorumve, condiſcipulis Belgis levitatem & iracundiam exprobrantium, *Picardoſque* per jocum vocitantium: deinde à ſcholaſticis ad totam Gentem provinciamque tranſiiſſe. Vidi qui à pica nomen *Picardorum* deducere mallent. Eſt enim avis maximè contumax & iracunda, inſaniſque clamoribus & intento roſtro hominem à quo provocata eſt inſequitur obſtinatè, ac vix abigi placarique poteſt; atque etiam non rarò inopinantes aggreditur. Sed prior etymologia mihi magis arridet. Sic enim Flandrenſes, qui Picardis & finitimi, & moribus ſimiles, atque ad iram non minùs ipſis proni ſunt, *Flamingos*, aut potiùs (ut Appẽdix Chronici Guillelmi Nangiacenſis ſemper vocat) *Flãmingos* vulgò *Flamens* aut *Flamans* ἐτυμικῶς Noſtri appellavere, quòd facillimè ac temerè iraſcerentur, ac ſæpe ſine cauſſa *flammato* eſſent *corde*, ac furore incenderentur, nec ad rixas modò, ſed etiam ad ſeditiones, atque ad bella cùm civilia tum externa igneo quodam ac ſubito impetu efferveſcerent. Eodem modo phœnicopteros à flammeo colore alarum *flammãtes* Latinè, vulgari ac patriâ linguâ *flamans* nuncupamus. Sanè animadverto nomina, quibus vitia animi & corporis apud Noſtros per jocum deſignabantur, pleraque in *ard* deſiiſſe, ſeu ſyllabâ *ard* fuiſſe terminata. Sic *Picards* dicti, qui ad iram facilè concitarentur ipſi, alioſque concitarent, rixoſi, iracundi: loquaces, linguardi *languards*, babilardi *babillards*, bavardi *bavards*; pulſator botardus *boutard*; irriſor gogenardus, *un goguenard*. Otioſos & ceſſatores, quales vulgò habentur litterati ac ſtudioſi bonarum artium, *Muſardos* Noſtri vocavere *Muſards*; mulieroſum paleardum, *paillard*; ſpurium baſtardum, *baſtard*; fallacem tricardum, *trichard*; Guiſcardum vel VViſcardum *guichard*, erronem; plenis hominem genis giſlardum, *giſiard*; ſtrabonem luſcardum, *louſchard*; virum mœchæ cornardum, *cornard*; pigrum à tardè faciendo *faitard*; levem & petulantem gaillardum, *gaillard*; excordem & puſillanimem ac timidum caudardum, *coüard*. *Piquet*, necnon *Picot*, idem quod *Picard* Noſtris fuit, & pervicacem, rixoſum, ad iram proclivem, ad iracundiam concitare concitarique facilem ſignificavit: quæ hodieque nonnullarum Luteciæ & aliis in Galliæ locis familiarum ſunt nomina.

Continet *Picardia* qualis nunc eſt, majorem partem provinciæ Belgicæ II. nimirum civitatem Sueſſionum, civitatem Veromanduorum ſeu Noviomagenſium, civitatem Silvanectum, civitatem Bellovacorum, civitatem Ambianenſium, civitatem Morinûm, civitatem Bononienſium, civitatem Laudunenſium; quæ ſunt octo ampliſſimæ Diœceſes. His finibus includuntur pagi majores ſupradictarum civitatum, videlicet Sueſſionicus, *le Soiſſonois*; Veromandenſis, *le Vermandois*; Noviomagenſis, *le Noyonois*; Silvanectenſis, *le Senliſien*; Bellovacenſis, *le Beauvaiſis*; Ambianenſis, *l'Amienois*; Morinenſis vel Tarvennenſis; Bononienſis, *le Boulonois*; Laudunenſis, *le Laonois*. Majoribus hiſce pagis pagi minores contribuuntur, Vindoilenſis, (*le Vendelais*) Cameliacenſis vel Camliacenſis, *le Chamblìois*, & Braium *Bray* in Bellovacenſi pago Comitatuque ac Diœceſi: pagus Comitatuſque Pontivus, *le Pontieu*, pagus Santerienſis, *Santers* vel *Santerre*, & Vitmau vel Vinemacus pagus, *le Vimeu*, in Ambianis: Ter-

nenſis pagus, *le Ternois*, à fluviolo cognominatus, in quo Comitale opidum S. Pauli, *S. Paul en Ternois*, Blanziacum vel Blangiacum *Blangi en Ternois*, Balliolum *Bailleuil en Ternois*, ab urbe Tarvenna pridé everſa & Atrebatis non multum abeſt. Sueſſionico pago *Roſſontenſis* pagus cum *Tardanenſi* adſcribitur. Pagus Vadéſis, *le Valois*, pars eorumdem Sueſſionum, pars Silvanectum. Ad Bononienſem Diœceſin pertinent pagus Comitatuſque Gilnenſis, *le Comté de Guines*; & ager Aucenſis, (*la terre d'Oye*) poſitus inter Gravenengas & *Calaſinum*, in litteris anni MCCLIX. ita dictum: quod *Calaiſinum*, atque etiam *Calays* in Chartulario MS. Monaſterii S. Bertini apud caſtrum S. Audomari nuncupari animadverto. Pago Ducatuique ac Diœceſi Laudunenſi ex majore parte contribuitur *Teoracia, la Tierache*. Nam partem ejus, in primis Ruminiacum *Rumigni* Remi ſibi vindicant.

PICTONES ET AUGUSTORITUM PICTONUM.

Cæſar cum Venetis bellum geſturus, Gallicas naves *ex Pictonibus* & Santonibus reliquiſque pacatis regionibus convenire juſſit: eoſdem *Pictones* unà cum Senonibus, Pariſiis, Cadurcis, Turonis, Aulercis, Lemovicibus, Andis ſibi adverſus Romanos adjunxit Vercingetorix Arvernus adoleſcens: & ad Aleſiam obſidione Romana liberandam à Principibus Galliæ octo hominum millia *Pictonibus* imperata. Strabo & *Pictonum* meminit, quum ait Ligerim inter *Pictones* & *Nannetes* effluere, ὁ δὲ Λίγηρ μεταξὺ Πικτόνων καὶ Ναμνιτῶν ἐκβάλλει: quos *Pictones* cum Santonibus ad Oceanum ponit, adnumeratque XIV. Gentibus inter Garumnam & Ligerim ſedes habentibus, Aquitaniæ contributis. Plinio inter Aquitanicæ populos *Anagnutes* & *Santones liberos Pictones* memorantur; memorantur & Claudio Ptolemæo, ac vocantur *Pictones*, Πίκτωνες, atque *Septemtrionalia Aquitaniæ tenent ad flumen* (Ligerim) *& ad Oceanum: quorum urbes Auguſtoritum, Limonum*: ὧν πόλεις αἵδε Αὐγουστόριτον, Λίμωνον.

Capita igitur *Pictonum* duo, *Auguſtoritum* & *Limonum*: ſed *Auguſtoritum* ut primo loco memoratur à Ptolemæo, ita primas tenet ac ſemper tenuit: in tabula Peutingeriana compendio litterarum *Augritum* dictum pro Auguſtoritum; ut *Augnemetum* pro Auguſtonemetum: in Itinerario Æthici, in itinere à Burdigala Argantomagum *Auguſtoritum*, aliàs *Auguſtoretum*, inter *Veſunnam* & *Argantomagum*, à Veſunna Petrocoriorum XLIX. ab Argantomago XXI. millibus paſſuum diſtans. Magno qui Notas Tironis & Senecæ aliorumque collegit, & Notas quoque juris quæ exſtant inter opuſcula veterum Grammaticorum, Regi Karlo dedicavit, exemplo ac more modoque Ptolemæi Gentes nationeſque Galliæ enumerare conſuevit, ac ſuum cuique Genti caput unà ſubjungere. Is *Auguſtoritum* quidem commemorat, ſed Lemovicibus illud falsò attribuit, cùm *Pictonibus* ſit adſcribendum, ut docet Ptolemæus præter ceteros, diligentiſſimus ac vetuſtiſſimus Geographus. *Lemoſex*, (inquit Magno) *Auguſtoretum*. In veteri inſcriptione apud Goltzium *cohors* XIII. *Auguſtoritum* reperitur; ut ibidem *cohors* XVII. *Hiſpalum equitum*; & *cohors* XXVII. *Batavodurum*; *cohors* XXIX. *Singidunum*. Sive heic *Auguſtoritum* ponitur in nominativo pro Auguſtoriti, *Hiſpalum* pro Hiſpali, *Batavodurum* pro Batavoduri, *Singidunum* pro Singiduni: ſive ea IV. nomina in genitivo plurali ſunt poſita, itaut ex Auguſtorito ſit factum *Auguſtorites* pro Auguſtoritenſes, ex Hiſpalo *Hiſpales* pro Hiſpalenſes, ex Batavoduro *Batavodures* pro Batavodurenſes, ex Singiduno *Singidunes* pro Singidunenſes. *Auguſtoritum* nomen eſt compôſitum ex *Auguſto* vocabulo Latino, & *ritum*, quod nomen Gallicum, incognitæ nunc ſignificationis; tulit & caput Gabalorum *Anderitum*. *Auguſtoritum* igitur nomen ſemilatinum ac ſemigallicum habuit, & ab Auguſto Cæſare haud dubie appellationem iſtam accepit. Joſ. Scaliger *Auguſtoritum* Pictonum pro capite Pictonum habet, ac *Poitiers* interpretatur: quem Maſſonus ſequitur.

Poſtea *Auguſtoritum* more multarum Galliæ urbium propriam veteremque appellationem depoſuit, & à Gente Pictonum cujus erat caput, *Pictavi* cognominari occœpit. Ammianus Marcellinus *in provincia Aquitanica Burdigalam & Arvernos excellere, & Santones & Pictavos* ſcribit. Notitia Imperii Romani *Præfectum Sarmatarum & Taifalorum Gentilium Pictavis in provincia Aquitania* II. ſeu Præfectum præſidii militaris collocat. *Pictavos* vocant & Sulpicius Severus in libro II. Hiſtoriæ Sacræ, & Hieronymus, & Socrates atque Sozomenus: ex quibus alter *Hilarium Pictavorum*, Πικτάβων *urbis Aquitaniæ ſecundæ Epiſcopum*; alter eumdem *Pictavorum* Πικτάβων *urbis Aquitaniæ Antiſtitem* appellat. Gregorius Turonicus Epiſcopus & urbem & opidanos communi nomine *Pictavos* vocat, *urbem Pictavam* quoque, & *Pictavenſem civitatem*: nonnumquam & *Pictavum* abſolutè, id eſt *Pictavum opidum*, quod vocabulum omittitur quidem, ſed ſubaudiri debet. Fredegarius Gregorium imitatus urbem caput Gentis *Pectavos* nuncupat: ejus incolas nunc *Pectavos*, nunc *Pectavenſes*. Auſonius, Sulpicius Severus, Iſidorus, & Eginhardus eo nomine malè utuntur: ex quibus Auſonius de Profeſſoribus Burdigalenſibus, Iſidorus in libro XIV. & Eginhardus urbé hanc pro *Pictavis Pictavium* corruptè appellant; Sulpicius in libro I. de Vita S. Martini *Pictaviam civitatem*, cùm *civitatem Pictavam* dicere debuerit. Hos tamen IV. auctores ſequuntur pleríque recentiores ſcriptores noſtri, & urbem non *Pictavos*, ſed *Pictavium*; incolas non *Pictavenſes*, ſed *Pictavienſes* mendosè vocitant. Veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ *civitatem Pictavorum*, nonnullæ & *civitatem Pectavorum*, aut *Pictavenſium* nuncupant; omnes inter VI provinciæ Aquitanicæ ſecundæ civitates pænultimo eam loco conſtituunt, & Aginnenſibus ſeu Nitiobrigibus, Ecoliſmenſibus, atque Santonibus poſtponunt, ſicuti & Robertus in

Chronico.

Chronico. Quod equidem miror: cùm & Nitiobrigum & Ecoliſmenſium & Santonum multo anguſtiores ſemper fuerint ac etiamnum ſint fines quàm *Pictonum*, minoreſque vires. Sed poſtea animadverſus eſt error, & habita ratione dignitatis ac potentiæ ſingularum Galliæ civitatum exactiùs, ſuum *Pictonibus* jus ſervatum, ſuus *Pictavis* locus attributus: itave inter Epiſcopos Burdigalenſi Metropolitano ſuffragantes primas teneret *Pictavenſis*; *Santonenſis*, *Ecoliſmenſis*, *Petrocorienſiſque* ſequerentur; & qui primus à Burdigalenſi fuerat, omnium ultimus eſſet *Agirinenſis*: quemadmodum Gervaſius Tiſleberienſis & quædam Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ eo recentiores docent.

Pictavi ſeu *civitas Pictavorum*, *Poitiers* vulgò dicitur, eſtque ad Clennum flumen poſita, omnium Aquitanicæ & Celticæ urbium maxima, ſed infrequens: à qua Auſonius in epigrammate L. *Rufum Rhetorem Pictavicum* vocavit. Proſper in Chronico *Exſuperantium Pictavum Præfectum Prætorij Galliarum* quum nuncupat, natum in urbe *Pictavis* vult intelligi. Eadem ratione Gregorius & Fredegarius *Pictavos* & *Pectavos* urbis *Pictavorum* atque etiam totius *pagi Pictavi* incolas appellaverunt. A *Pictavis* originem ut nomen habet *Pictavina*, *Picta* etiam truncato nomine nuncupata, *une Pite*, aliàs *Poitevine*, minutus nummus: cujus ſæpe in priſcis tabulis mentionem fieri video, ut & *Semipicta*, *une Demie Pite*, id eſt dimidiæ Pictavinæ.

Altera urbs *Pictonum* à Ptolemæo nominatur *Limonum*, Λίμωνον. Hirtius in Commentario VIII. ſcribit, C. Caninium Legatum *in fines Pictonum ad opidum Lemovicum contendiſſe; quò cùm adventaret, ex captivis cognoviſſe, Dumnaco Duce Andium, Duracium clauſum Lemovicum oppugnari*; *Dumnacum* autem fruſtra oppugnatis Caninii caſtris, *rurſus ad obſidendum Lemovicum rediiſſe*. Ibi ter erratum in uno nomine: legendumque eſt *ad opidum Lemonum*, item *Lemoni oppugnari*, & *ad obſidendum Lemonum*. Agitur enim de opido Pictonum, non Lemovicum: quod Cæſaris veteres codices alii *Limonum*, & *Lemonem*, alii *Lemonum*; libri editi *Lemovicum* ſed mendosè appellant; tabula Peutingeriana *Lemunum*; Æthicus in itinere à Burdigala Auguſtodunum *Lemonnum*, aliàs in membranis *Lomonum* & *Limonum* meliùs, inter Rauranum vel Rauranam, id eſt *Rom*, & Argantomagum *Argenton*. *Limonum* Pictonum Samſon caput Gentis *Poitiers* interpretatur, ſecutus haud dubiè Magnonem, apud quem legimus: *Pictavus*, *Lemonum*: id eſt caput *Pictavorum* vel Pictonum *Lemonum*. Nos Ptolemæum ſequi, ut Scaliger & Maſſonus aliiq; docti viri malumus, & *Auguſtoritũ* quidem cum Ptolemæo pro *Pictavis* ſeu *Poitiers* capite Gentis accipimus; *Limonum* vel *Lemonum* quæ urbs fuerit, fatemur non conſtare.

Pictonicus Oceanus dictus eſt, quà Pictones alluebat. *Pictonicum litus* Auſonius in epiſtola XIII. *Pictavorum oras* & *Pictonicas oras* Paulinus in libro I. de Vita S. Martini commemorat.

Ager Pictonum Pictavenſem olim Epiſcopatum tantummodò continebat: nunc tres Epiſcopatus complectitur, *Pictavenſem* veterem, *Malliacenſem* & *Lucionenſem* recentiores, ex Monaſteriis factos imminuto *Pictavenſi*. Regionem *Pictonum* Gregorius Turonicus Epiſcopus non ſemel *Pictavum terminum* vocavit; *Pictavum* quoque abſolutè cùm in libri IX. capite XIX. tum alibi: ubi agrũ, aut pagum, aut territorium, aut terminum ſubaudiri neceſſe eſt: *pagũ Pictavum* appellat Hincmarus. Vulgò dicitur *le Poitou*; recentioribus ſcriptoribus Latinis *Pictavia* & *Pectavia* ac *Pictonia*: dividiturque in ſuperiorem, & inferiorem. Inferior *Pictavia* ad Oceanum Aquitanicum jacet; ſuperior mediterranea eſt, & ab Oceano remotior. *Pictones* ſeu pagi Pictavi totius incolas veteres noſtri Hiſtorici, Gregorius, Fredegarius, aliique *Pictavos* ſæpe appellaverunt, nonnulli *Pictavenſes*, quidam & *Pictavinos*: Noſtri *Poitevins* vocant. Froſſartus & Theobaldus de Maroilo, aliique *Petaux* nuncupant, ut Bituriges Cubos *Bidaux*, ac utroſque cum Normannis, Picardis, Genuenſibuſque conjungunt, atque à lancearis cataphractis equitibuſque diſtinguunt, pediteſque faciunt. Ex quo cognoſcitur heic milites variarum Gentium, ex quibus lecti erant, nominibus deſignari, & quemadmodum *Normanni*, *Picardi*, atque *Genuenſes* pedite fuerunt ex Normannia, Picardia, ac Liguria coacti; ſic *Petaux* & *Bidaux* gregarios milites vel pedites extitiſſe, Gentium & regionum ex quibus venerant, nimirum *Pictavorum* & Biturigum appellatione deſignatos: quod à nemine hactenus miror animadverſum.

Heic notandum eſt Raimundum, VVillelmi Pictavorum Comitis & Aquitanorum Ducis filium minorem, Conſtantiæ virum, & nomine uxorio Antiochiæ Principem, à Niceta Choniate in libro III. de Vita Manuëlis Aug. *Petevinum* Πετεβῖνον vocari, & *Italum* fuiſſe falsò dici. Non enim genere Italus fuit, ſed Francus *Pictavinus*. Itaque ridicule Nicetas Raimundum, omiſſo proprio nomine, cùm Gentis ſuæ nomine imprudens *Petevinum* appellaret, *Poitevin*; nihilominùs eum Italum fecit ſeu Ἰταλιώτην: falsò quoque Mariam ejus filiam, vivo patre, Manueli Imper. nupſiſſe aſſerit, cùm poſt ejus mortẽ anno circiter XII. Conſtantinopoli nuptiæ ſint factæ.

Pagus Pictavus, Comitibus olim ſuis inſignis, ut eſt maximus, & longè ac latè patens, ab ortu Turonibus, Biturigibus & Lemovicibus, ab occaſu Oceano Aquitanico, à Septemtrione Namnetibus, Andicavis & Turonibus, à meridie Santonibus, Ecoliſmenſibus Lemovicibuſque terminatur, & minores pagos non paucos continet. In his ſunt pagus Caſtellairaldenſis, *le Chaſtelerandois*, Lauſdunenſis *le Lodunois*; Mirebellenſis vel Miribellenſis, *le Mirebalais*, à caſtro Miribello dictus *Mirebeau*; Toarcenſis pagus *Touarcois*, cui nomen dedit caſtrum Toarcis; Vaſtinenſis pagus, *Gaſtinois*, à ſqualore & ſilvis ſuis

ita cognominatus; pagus Ratiatenſis vel Ratenſis, Annalibus Bertinianis notus, *pays & Duché de Rais* vel *Retz*; pagus Arbatilicus à Gregorio Turonico Epiſcopo memoratus, *Arbange*; pagus Lucionenſis *le Luſſonois*; pagus Niortenſis *le Niortois*; pagus Medalcenſis à Meldaco nuncupatus, in Charta Caroli Calvi *pagus Medalgus*, necnon *pagus Madalgicus* dictus, *les Mauges*: *pagus Teſalgicus* eidē Regi memoratus, à Taifalia nomen habens.

Urbes & opida ac caſtella celebriora in Pictonibus ſunt, Auguſtoritum Pictonum vel Pictavi; Taifalia *Tiſauge*; Moritonia *Mortagne*; Monſacutus *Montagu*; Gaſnapia *la Ganache*; Belluſviſus *Beauvoir ſur mer*, aliàs Bellum videre; Caſtellum Airaldi *Chaſtelerand*; Auriniacum, Lauſdunum caſtrum *Lodun*, quod & Laucidunum, & Laudunum vocatur; caſtrum Toarcis vel Toarcius *Toüars*; Moncontorium vel Mons Contorius *Moncontour*; Mirebellum caſtrum, aliis Mirabellum & Miribellum, *Mirebeau*; Partiniacum, aliis Pertinaculum *Partenay*; Secundiniacum *Secondigni*; Volventum *Vouvant*; Caſtanetum *la Chaſtaigneraye*; turris Talemundi ad mare *Talmond*; Rupes ad Ionem *Roche ſur Ion*; Aſpermons *Aſpremont*; Lucio *Luſſon*, aut potiùs *Luçon*, Fontanacum Comitis, aliàs Fontanetum *Fontenay le Comte*; Malliacum *Maillezay*; Niortium vel Niortum *Niort*; opidum S. Maxentii Monaſterio illuſtre, *S. Maixent*; Liciniacum *Luſignan*, Mortuum mare *Mortemar*; Luciacum *Luſſac*, Calviniacum *Chauvigny*; Mons Maurilionis *Mont Morillon*; Tremolia *Trimoüille*; Genciacum *Genzay*; Metullum caſtrum, ſæpe *Metulum*, *Mella* quoque in priſcis litteris dictum, *Melle*, monetâ olim ſuâ nobile.

Inter Ligeris flu. & Canenteli, hoc eſt Carantoni oſtia ponit Ptolemæus ad mare *Pictonicum promuntorium*, & *Secor* Σηκὼρ: ex quibus *promuntorium Pictonicum* quibuſdam videtur eſſe Rupella, opidum poſitum ad Caput Baiæ, *Chef de Baye*, aliis caput Boſium fortè meliùs dictum, *Chef de Bois*: quod promuntorii nomen eſt. Sed Rupella ſemper Santonum fuit, ac noſtra demum ætate cum inſula Radi detracta Diœceſi Santonicæ eſt, atque Malliacenſis in Pictonibus Epiſcopatûs ſedes & portio facta: itaut promuntorii Pictonici nomine à Ptolemæo aut à quoquam alio deſignari non potuerit. *Secor* quid ſit, haud facilè dixerim.

PINCIACUM.

Pinciacum, *Poiſſi* vulgò, eſt in finibus Carnutum ad Sequanam: à quo pagus *Pinciacenſis* nomen accepit, in Capitulis Caroli Magni prope *Carnotenſem* pagum, ac in Privilegio Caroli Calvi memoratus; in Capitulis ejuſdem Caroli poſterioris *Pincetiſus*, hoc eſt *Pincecenſis* vel *Pinciacenſis* dictus, & inter pagos *Caſtriſum* & *Madreciſum*, id eſt Caſtrensē & Madricenſem vel Madriacenſem poſitus; *le Poiſſeois*. Helgaldus in Vita Rotberti Franc. Regis *Piſciacum*, *ſedem Regalem ſupra Sequanam poſitam, Francorum Regibus ſatis* (id eſt valde) *eſſe opportunam* ait: in qua Monaſteria antiqua tria ſint, S. Mariæ, S. Johannis & S. Martini. Sugerius in Vita Ludovici Craſſi Franc. Regis *caſtrum Pinciacum* meliùs Helgaldo; Ivo pro *Pinciaco* corrupto jam nomine *Pixiacum* appellat; *Pexeium* Ordericus Vitalis in libro XII. Hiſtoriæ; *Caſtrum Poiſſiacum* Guillelmus Nangiacenſis.

Eccleſia S. Petri de Ver in litteris Gaufridi Epiſcopi Carnutenſis memoratur: quæ vulgò dicitur *Ver en Pincerais*, id eſt *Ver* in *pago Pinciacenſi*: eſt & inter VI. Archidiaconos Eccleſiæ Epiſcopatuſve Carnutenſis, unus & quartus vulgò dictus *Archidiacre en Pinſerais*, hoc eſt Archidiaconus Pinciacenſis: ut appareat iſtum pagum qui nunc appellatur *le Poiſſiois*, olim nuncupatum eſſe *le Pincerais*, nomine ad vetus loci vocabulum nimirum *Pinciacum* accedente. Aimoinus in libri II. Miraculorum S. Germani capite IV. *pagum Pinciacenſem* memorat his verbis. *Ex quadam poſſeſſione ipſius Beati viri*, (Germani Pariſ. Epiſcopi) *quæ in pago Pinciacenſi ſita Prunidus dicitur, fuit homo n. Adoardus*, &c. Prunidus *Prunay* vulgò dicitur: quem vicum *Prunetum* primò dictum eſſe non dubito à copia prunorum arborum, ac poſtea corruptè *Prunidum*. Irmino Abbas Monaſterii S. Germani, in libello de Cenſibus Cœnobii, villam *Magedenem*, vulgo *Meignon* pago *Pinciacenſi* attribuit: quæ hodieque *Pinciaco* & Sequanæ proxima eſt. Ludovicus Pius Aug. in litteris datis anno Imperii III. in *pago Pinciacenſi* villam *Rioilum*, aliàs *Karolivennam* ponit; Carolus qui vulgò Simplex cognominatur à recentioribus, ſuis in litteris *Suriſnas* quoque in eodem collocat pago. *Carolivenna* autem & *Suriſna* ſunt Pariſiorum & in Pariſiaca Diœceſi. Ex quo videtur colligi poſſe, *Pinciacenſem pagum* duarum fuiſſe Diœceſeon, ac duorum populorum, & partim ad Carnutes, partim ad Pariſios pertinuiſſe.

Ceterùm *Pinciacum* à Pincio dictum eſt: ut *Sollemniacum* à Sollemne, *Lucilliacum* à Lucillio, *Lucaniacum* à Lucano, *Maurentiacum* à Maurentio, & mille alia: quod caſtrum *Pixiacum* & *Piſciacum* tamquam à *pice*, aut à *piſcibus* quidam recentiores corruptè nominaverunt: quoniam ut locus ipſe *Poiſſi*; ſic piſcis *poiſſon*, & pix *poix* Noſtris vulgò dicitur, & picare vel pice inducere *poiſſer*: quæ nomina ad *Poiſſi* proximè accedūt.

PINKENIACUM.

Hermannus in libro II. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis *Pinkeniaci* meminit ante annos quingentos his verbis. *Guermundus de Pinkeni, de Ambianenſi erat regione.* Hic locus Hermanno quidem *Pinkeni* vel *Pinkeniacum*; aliis *Pinquiniacum* dicitur, eſtque poſitus ad flumen Suminam non longè ab urbe Ambianis, Vicedominatûs ejus Eccleſiæ titulo inſignis, ac vulgò nuncupatur *Piquigny*. Johannes Bromto in Chronico inter eos qui in obſidione Ptolemaidis ſeu Aces (*Acram* vulgò vocant) mortui ſunt, numerat VVillelmum *de Pynkeny Caſtellanum*, quem locum *Pynkeney* etiam appellat. Gervaſius Monachus Durovernenſis in Chronici

anno MCLXX. *Gilebertum de Pinkeni* memorat, eodem quo Hermannus nomine eum locum appellans. *Apud caſtellum Pinquiniacum* (alias *Pinchiniacum*) *juxta fluenta Somena Arnulfus Comes Flandrenſis Guillelmum Principem Nortmannorum, ad colloquium invitatum mala fraude peremit*; ut docet Hiſtoria à Ludovico Pio ad Regem Rotbertum deducta. *Pinqueniacum* ſemel atque iterum vocant litteræ anno MCCLXVII. datæ. Enumeratio Militum & Armigerorum qui anno MCCLXXI. à Philippo Rege Francorum juſſi ſunt ad bellum Fuxenſe proficiſci, *Piquini* nominat, & filium Johannis de Nigella *Vicedominum de Piqueni, Militem*.

P I N N A.

Pinna caſtrum eſt in finibus Nitiobrigum, à firmis pinnatiſque muris ita cognominatum, aliàs *Penna*, vulgò *Penne d'Agennois*, id eſt *Pinna Aginnenſium*, vel in pago Aginnenſi. Petrus Monachus in libri de bello Albigenſi capite LXIII. *caſtrum Pennam in territorio Agennenſi* appellat, & *caſtrum Pennæ*, ac *burgum* ejus memorat, ac *caſtri munitionem*: atque à Simone Comite Montis Fortis ad deditionem compulſum eſſe tradit anno MCCXII. quod & ita deſcribit. *Erat caſtrum Pennæ nobiliſſimum in territorio Aginnenſi. In collis ſiquidem amœnitate ſitum, latiſſimis & fecundiſſimis circumquaque vallibus cingebatur. Ornabat caſtrum hinc terrarum opulentia, illinc pratorum planities gratioſa, hinc delectabilis ſilvarum amœnitas, illinc lætificans fertilitas vinearũ: arridebat inſuper aëris ſalubritas, & circumcurrentium jocunditas fluviorum. Ipſa autẽ caſtri munitio ſupra rupem fundata maximam & nativam, muris munita fortiſſimis quaſi inexpugnabilis videbatur. Richardus ſiquidem Rex Angliæ munitionem hanc fortiſſimè munierat, puteumque in ea fodi fecerat: quia caſtrum illud erat quaſi caput & clavis totius territorii Aginnenſis.* A pinnis ergo *murorum* quos *fortiſſimos* Petrus ſuprà fuiſſe ait, caſtrum *Pinnæ* nomen accepit. Eadem eſt cauſſa nominis *caſtri Pinnæ* in pago Albigenſi, quod idem Petrus eodem in capite *caſtrum fortiſſimum Pennam in Albienſi* nuncupat. Fuit in regione Italiæ quarta Veſtinorum opidum Pinna, Plinio ac Ptolemæo notum, cujus incolæ *Pinnenſes* dicti. Guillelmus Nangiacenſis in Chronici anno MCCXI. *Pinnam* Aginnenſis pagi caſtrum *Penes in Agennenſi caſtrum inexpugnabile* nuncupat.

P I P I M I S I U M.

Jonas de Vita Euſtaſii Luxovienſis Abbatis, *Pipimiſium villam* in *ſaltu pagoque Briegio* ponit, & ab urbe Meldis II. circiter millia paſſuum abeſſe tradit: quam fuiſſe ait *villam Chagnerici* viri nobilis, Theodeberti Regis Convivæ, Chagnoaldi qui poſtea Laudunenſem Eccleſiam rexit, & Burgundofaræ clariſſimæ Abbatiſſæ Evoriacenſis patris. *Villa* autem nomine vicum Jonas ex more deſignat: quo in vico ſicuti antea Columbanus, ſic tum Euſtaſius Chagnericum convenit, & filiam ejus Burgundofaram, Faram aliis dictam, febre liberavit. Verba Jonæ in codicibus ſcriptis talia ſunt. *Fuit ergo arrepti itineris via per ſaltum pagumque Briegium; perventumque eſt ad quamdam villam Chagnerici, quò dudum aliquantiſper moratus fuerat.* (Euſtaſius) *Villæ vocabulum Pipimiſium dicitur, diſtans ab urbe Meldorum circiter millibus duobus.* Apud Surium *Pipimiſicum* ſcriptum reperitur mendoſè: cùm & Hildegarius Meldenſis Epiſcopus, qui ante annos DCCC. libellum de Vita Faronis Antiſtitis compoſuit, *Pipimiſium* vocet *villam Hagnerici, ab urbe Meldis II. millibus diſtantem*. Hoc *Pipimiſium* eſt haud dubiè *Poinſy* vicus fluminì Matronæ adpoſitus, à civitate Meldorum II. aut III. paſſuum millibus diſtans: quod non ſitus ſolùm, ſed etiam vulgaris loci appellatio à veteri non recedens planè confirmat. Hanc obſervationem V. C. Caſtellano Eccleſiæ Pariſiacæ Canonico debeo, ac libens acceptam refero.

P I S C E N Æ.

Plinius in capite IV. libri III. *Piſcenas* memorat prope *Nemauſum Arecomicorum*; & in capite XLVIII. libri VIII. lanam *circa Piſcenas provinciæ Narbonenſis* commendat. In litteris datis anno MCLXXVII *Piſenatium* vocatur; in teſtamento Guilielmi domini Montiſpeſſulani anno MCCII. facto *Peſenatium*. Petrus de bello Albigenſi capite XXXIV. *caſtrum in territorio Agathenſi Piſenacum* nuncupat; vulgò *Peſenas*. Videntur autem *Piſcenæ* dictæ quaſi Piſcinæ. Certe apud Plinium in capite XLVIII. libri VIII. *circa Piſcenas prov. Narbon.* plerumque reperio pro *Piſcenas*. Biterrenſes & *Piſcenenſes* feminas forma & cultu ceteris Gallis antecellere, accepi ab amico, qui diu fuerat utrubique commoratus: & Montepeſſulanas utriſque cultu proximas eſſe.

Piſcenæ veteri Prioratu claræ, ſed rectoris Septimaniæ ſede clariores, Agathenſi Diœceſi attribuuntur.

P I S O S T U M.

Gaufridus, Abbas Vindocinenſis Monaſterii, Ludovici VI. cognomine Pinguis, Francorum Regis, & Fulconis Rechini Andicavorum Comitis æqualis, *Piſoſtum* in epiſtola XXIII. libri II. commemorat hiſce verbis. *Paganus autem, ejus* (Urſionis) *patruus molendina noſtra, quæ apud Piſoſtum habebamus, igne cremavit.* Odo Tuſculanus Epiſcopus, Legatus Sedis Apoſtolicæ, in litteris ad Abbatem Vindocinenſem anno MCCXLVII. datis, & litteræ fundationis Monaſterii Vindocinenſis anno MXL. datæ *Piſoſti* meminere. Vulgò dicitur *Peſou*, eſtque caſtellum ad ripam Liderici fluminis poſitum inter Fractam Vallem & Vindocinum.

P I S T Æ.

Piſtæ, vel *caſtellum novum apud Piſtas* in veteribus noſtris Annalibus, ubi Carolus Calvus pontem Sequanæ impoſuit præſidioque firmavit ad prohibendas Nortmannorum

navigationes: locus nunc eſt vel vicus in Diœceſi Rotomagenſi, ad Indellæ & Sequanæ confluentem, proximus Ponti Arcus, dictus *Piſtres*. *Super fluvium Sequanam in locum qui dicitur Piſtis, ubi aliquamdiu ſedes fuit Nortmannorum, Carolus Rex, & Epiſcopi, Abbates, & Comites, ac cæteri Fideles convenerunt anno Domini* DCCCLXIII. Notanda ſunt verba auctoris libri de Vita S. Condedi Monachi. *Hanc* (inſulam Belcinnacam) *unda marina tempore malinæ & lidonis ter per revolutionem diei ac noctis undique ambiendo inviſere non negligit: quæ tanto ſui vigoris impetu agitatur, ut ultra hanc inſulam ad Orientalem plagam* LX. *millibus & ampliùs per lympham Sequanæ retrorſum incedens, uſque ad locum qui dicitur Piſtas accedat, cùm à mari uſque ad hanc inſulam lymphaticum iter* XXX. *ferè millibus æſtimetur*. Ergo maris æſtu augetur Sequana per XC. circiter millia, & Oceanus adverſum flumen ingreſſus uſque ad *Piſtas* accedit, locum à mari XC. millibus diſtantem. Certè nemo neſcit hodieque maritimos æſtus accedere uſque ad Pontem Arcus, qui locus eſt poſitus ad Sequanam, *Piſtiſque* proximus. *Piſtas*, *Poſes* Blondellus interpretatur.

PODIOLENUM.

Petrus Abbas Cluniacenſis in libri epiſtolarum II epiſtola XXXI. *Podiolenum in Epiſcopatu Auraſicenſi* memorat, id eſt in Arauſionenſi Diœceſi: quod in *podio* ſeu monte Rhodano imminente poſitum eſt, & à ſitu nomen inveniſſe mihi videtur. Vulgò dicitur *Piolenc* aut *Pioulenc*, & ab urbe Arauſione non multum abeſt; à Caderoſſa quam vulgò *Caderouſſe* nuncupant, multo minùs: & Prioratum habet S. Johannis Baptiſtæ titulo illuſtrem, ac Cluniaco ſubjectum. Ex podio factum podiolum, ex podiolo *Podiolenum*.

PODIUM LAURENTII, ET DE PODIIS.

Nobile caſtrum quod dicitur Podium Laurentii, memorat Petrus Monachus in capite LXII. libri de bello Albigenſi, vulgò *Puy Laurent*: à quo *Guillelmus* qui de bello Albigenſi ſcripſit, *de Podio Laurentii* cognominatus eſt, qui cum quibuſdam aliis *Podium Laurentium* appellat. *Podium* autem *Laurentii* idem eſt ac *Mons Laurentii*: podium quippe ſeu Gallicâ, ſeu Latinâ etiam linguâ montem olim ſignificavit. Sic *Podium Celſum*, *caſtrum in Diœceſi Albienſi* ab eodem Petro memoratum, nomen hoc à ſitu habuit, quòd in celſo monte poſitum eſſet. *Podium Celſis*, & *Podium Celiquenum* quidam apud Catellum corruptè vocant, vulgò *Pechcelſis*. Eſt & *caſtrum in territorio Biterrenſi, nomine Podium Sorguer* eidem Petro in capite XXVII. dictum, *Podium Soricarium* aliis Latino & incorrupto nomine appellatum, id eſt *Mons Soricum* vel *Mons Soricinus* à copia ſoricum; quod incolæ *Puy Salguier* vocant. Galli igitur Narbonenſes & Aquitani *podii* nomine ſæpe montem deſignavere: quod nunc *puy*, nunc *pech*, & *lo puech*, nunc & *poe*, ut hodieque Bigerrones, nuncupare conſueverunt. Hinc & in Vellavis caput gentis & Epiſcopi ſedes nomen accepit. Dicitur enim generali appellatione *le Puy en Velay*, id eſt *Mons*, quoniam ea urbs in altiſſimo monte poſita eſt. *Podium Nanterium prope Carcaſſonem*, Guillelmo de Podio Laurentii memoratum, *Pi Nautier* pro *Pui-Nautier* vulgò dictum. Multa alia in Gallia Narbonenſi & in Aquitania opida & caſtella à *podiis* cognomen accepere: qualia Podium Nortmanni *Puy Norman*; Podium Aluari *Pech Aluari*; Podium Cæſaris, *Pui de Serre*; Podium Siccum, *Puy ſec*; Podium Caninum, *Puy Chenin*; Podium VVitaldi, *Puy Veaut*; Podium Magenfridi vel Manfredi *Puy Manfroy*; Podium Guillelmi, *Puy Guillaume*, caſtrum ad flumen Elaver.

POLEMNIACUM.

Diviſio Regni Lotharii Ludovicum inter & Carolum fratres anno DCCCLXX. facta *Polemniacum* memorat prope Faverniacum & Luxovium: quod eſt opidum, aut caſtrum potiùs in Sequanis, vulgò dictum *Poligny*, poſitum ad amniculum qui in Dubim effluit.

POMPEIACUM CASTRUM.

Eſt in pago Aginnenſi *Pompeiacum*, S. Vincentii Levitæ & Martyris Baſilicâ, Reliquiis, & nomine illuſtre, quem *in civitate Aginno* pro Chriſto V. Idus Junias extremo ſupplicio affectum accepimus ex veteribus Martyrologis, Uſuardo aliiſque, Vincentio Cæſarauguſtano Diacono ſimiliter & Martyri cognominem, cujus natalis XI. Kalendas Februarias in Eccleſia celebratur. Sepulcrum ejus ſtanneis tegulis texiſſe dicitur Leontius Burdigalenſis Epiſcopus. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri Hiſtoriæ VII. capite XXXV. de Baſilica in loco Pompeiaco, tumulo Vincentii Mart. inſigni ſic loquitur. *Venerunt ad Baſilicam S. Vincentii, quæ eſt juxta terminum Agennenſis urbis: ubi ipſe Martyr pro Chriſti nomine agonem dicitur conſummaſſe.* Idem in libro de Gloria Martyrum ejuſdem Baſilicæ meminit. *Pompeiacum caſtrum in Aginnenſi territorio* vocat Paſſio S. Vincentii Martyris, à Pompeio aliquo cognominatum: quod Baſilicâ, & ſepulcro ac nomine illuſtris Diaconi nobilitatur.

PONS ALTUS.

Pons Altus in Chronico Beccenſi memoratur, locus à re nomen habens, Becco Monaſterio proximus in Nortmannia. Vulgò *Pont Auton* vocitant accolæ. Sic *Pons Tremulus*, locus Petro Abbati Cluniacenſi memoratur: ſic *Longum Pontem* in Pariſiis atque in Sueſſionibus Noſtri à longitudine dixere, *Long Pont*; *Pontem Quadratum* in Pariſiis pagoque Briegio non procul à Latiniaco, *Pontquarré*, *Pontem Curvum* Itali à figura. Pontes quoque à fluviis quibus impoſiti erant, ſunt ſæpiſſime cognominati: quales *Pons Elaveris*, *Pont Alier*, qui nobili familiæ nomen dedit; *Pons Sulga*, vel *Sorga*; *Pontes*

Icaunæ, *Pont ſur Yonne*; *Pontes Sequanæ*; *Pons Iſaræ*, *Pontoiſe*, quem *Brivaniſara* omnes Æthici codices vocant, id eſt *Brivam Iſaræ*. Nam litteram m inter duas vocales ſicut n proferebant Romani. A viris quoque qui ipſos condiderant, cognomina varia ſortiti ſunt pontes: *Pons Urſionis*, *Pont Orſon* in Nortmanniæ Britanniæque confinio; *Pons Audomari*, *Pont Audemer* ad flumen Riſelam; *Pons Remigii* ad flu. Suminam, *Pont de Rems*.

PONS ARCUS.

Pons Arcûs, vel *Pons Arquatus*, *Pont de l'Arche*, impoſitus eſt flumini Sequanæ, non procul ab ejus, & hinc Auturæ inde Indellæ confluentibus. Hunc locum Andreas Cheſnius, vir de patria Hiſtoria optimè meritus *Piſtas*, item *caſtellum novum apud Piſtas* in veteribus noſtris Annalibus appellatum eſſe exiſtimabat, & ibi pontem ſtructum eſſe à Carolo Calvo præſidioque firmatum, ne Nortmanni adverſo flu. Sequanâ Luteciam Pariſiorum venirent, & per Iſaram atque Axonam, perque Matronam ac Icaunam ad opida his fluminibus impoſita deveherentur. *Carolus per Ebroicas ſecus caſtellum novum apud Piſtas Ambianos pervenit.* Sed *Piſtas* locum eſſe vel vicum propinquum *Ponti Arcus* vulgò dictum *Piſtres*, aut alium nomine *Poſes*, video nunc omnes conſentire. Ceterùm *Pons Arcûs* hoc eſt fornicis, mendosè ac ridiculè *Pons Arcæ* nuncupatur pleriſque recentioribus Hiſtoricis ac Geographis, ſecutis Guillelmum Armoricum in libro VII. Philippidos ita ſcribentem.

Pons qui dicitur *Arca*.

Nimirum arcam pontis pro *arcu* Latini tum ſcriptores vel potiùs ſemibarbari appellare conſueverant. Monachus Sancti Galli in Vita Caroli Magni *arcas pontis Mogontiacenſis* pro arcubus dixit ante annos ferè DCCC. In litteris MSS. nunc *Pontem Arcæ*, nunc & multo crebriùs *Pontem-Arche* corrupto nomine ſcriptum reperio; in litteris anni MXL. *Pontem de Arcus*; *Pontem Arcus* apud VVillelmum Malmeſburienſem. Apud Valſinghamium *Pont de la arche Cueroiſe* nominari obſervo, id eſt fortè *Pontem arcus currentis*. Ibi enim Sequana parvam inſulam facit: & arcus ab uno ponte per inſulam decurrunt ac tendunt ad alterum. Niſi ſi mavis *Pontem Arcus quadrati* interpretari, id eſt arcuum quadratorum. Quippe pons ille non rectus eſt, ſed curvus & obliquus: qualem habent Fregellæ in Campania Felice, ab eo *Pons Curvus* dictæ. Litteræ Philippi Francorum Regis, datæ anno MCCVII. *Pontem Archia* corruptè vocant; aliæ ejuſdem litteræ anni MCCXI. *Pontem Archa*; *Pontem Archi* aliæ anni MCCXLIV. in Chartario Fiſcamnenſi; *Pontem Arcis* quidam recentiores, id eſt Pontem, ad quem, aut cujus in capite arx ſtructa. Hieronymus Rubeus in Hiſtoriarum Ravennatum libro VI. loci cognominis meminit *ad flumen Martianum, qui Pons-arcus dicitur*.

Arcam ſive eam quæ pro arca pontis ſumitur, ſive eam qua nummi veſteſque conduntur, *arche* vulgò dicimus. Nam & fornices pontis *arches d'un pont* nuncupamus; & opidorum communitate gaudentium arcas communes, *arches communes*, in quibus pecuniæ publicæ & civitatum privilegia ſervantur.

PONS AUDOMARI.

Pons Audomari, vulgò *Pont-Audemer*, vel *Pont-aumer*, ut quidam libri excuſi vocant, ita dictus eſt, quòd Audomarus vir Francus ibi Riſelam parvo ponte junxerit, locumque poſſederit. *Pontis Audomari* meminit Ordericus Vitalis ante annos ferè quingentos: quem in libro VIII. Hiſtoriæ *Pontem Aldemari* nuncupat; in libro XII. *Pontem Aldemari caſtrum ad Riſelam*; *Aldemari* nomine ex *Audomari* vocabulo corruptè jam facto: litteræ veteres, *ſuper fluvium qui dicitur Riſla, apud Pontē Aldemari piſcatoriam* I. memorant. Ridiculi itaque ſunt, qui *Ponticulum maris* appellant propter æſtus maritimos, *Ponteau de mer* ſcribendum putant. Nec minùs fatui, qui *Pontem aquæ marinæ* nuncupant ac *Pont-eau de mer* ſcribunt.

Cluverius hoc opidum in Itinerario Æthici *Breviodurum* vocari exiſtimat, in itinere à Juliobona Durocaſſis: ubi abeſſe dicitur à Juliobona M. P. XVII. Tabula Peutingeriana *Brevodurum* vocat, ac Juliobonæ quoque propinquum facit.

Villa quæ dicitur Pons Audomari, (ſic priſcæ quædam litteræ appellant) eſt ad Riſelam vel Riſlam fluvium, *Rille* vulgò dictum, in finibus Lexoviorum. Litteræ Henrici Abbatis Fiſcannenſis & Roberti Comitis Mellenti in Chartario Fiſcamnenſi *Pontem Audemari* & *aquam Riſle* commemorant, *Pontem Audemer* aliæ litteræ non ſemel, quæ & *burgum*, id eſt ſuburbanum, & commune ſigillum loci incolis attribuunt. *Maſuram quam habebant apud Pontem Audemer in Burgo Fiſcannenſes. Ad majorem hujus rei confirmationem ſigillum communem Pontis Audemer procuravi apponi.* Opidani & municipes, qui Communitate fruebantur, non leges ſolùm, ſed etiam reditus quoſdam, anulum quoque ad ſignandas nomine Communitatis vel Reip. litteras, & judices, nimirum Majorem & Pares aut Scabinos, arcas, multaſque alias res habuere communes.

PONS AXONÆ.

Pontis in Axona meminit Cæſar in libro II. Commentariorum hiſce verbis. *Cæſar flumen Axonam, quod eſt in extremis Remorum finibus, exercitum traducere maturavit. In eo flumine pons erat: ibi præſidium ponit.* Hunc pontem necnon *Caſtellum ad Axonam* Samſon ait eſſe *Pont à Vere*, ait inquam ſed gratis: quem *Pontem Varenſem* appellat vetus codex de reditibus & decimis Remenſis Monaſterii S. Remigii, quem MS. perlegi.

PONS REMIGII.

Pons Remigii locus eſt in Ambianis ad flumen Suminam inter Pinquiniacum & Abbatis Villam, à re cognomen trahens. In dex-

tra enim ripa vicum habet, & pontem Suminæ impoſitum, & in capite pontis ſeu in ſiniſtra fluminis ripa Caſtellum. Vicus cum ponte nuncupatur *Pont de Remi*; Caſtellum *Chaſteau*. Monſtreletius modò *Pont de Remy*, ſeu Pontem Remigii, modo vero & ſincero nomine *Pont S. Remy*, id eſt *Pontem S. Remigii*, ſeu *Pontem ad S. Remigium* à loci Patrono appellat in Voluminis I. capite CCXLVI. & in Voluminis II. capite CXX. inſulam Pontis ad S. Remigium memorans, *l'Iſle du Pont S. Remy*. Nunc *Pontdormy* plerique appellant e in o converſo, & ſublatâ antepenultimâ litterâ: qui locus nomen olim nobili familiæ inter Picardos dedit.

PONS SAI.

In capite X. Vitæ Auguſtini Durovernenſis Archiepiſcopi, quã Goſcelinus Monachus ante annos circiter DC. deſcripſit, & Mabilio vir doctiſſimus nuper vulgavit, hæc legimus. *Agẽs Dominicam Legationem à Roma in Angliam, in Andegavenſi provincia Põtem Sai nuncupatum, milliari tractu ſuper Ligerim fluvium lapideo opere productum, cum illo ſancto choro tranſiit ſociorum.* (XXXIX.) *Quibus adjacenti villæ Sai ejuſdem nominis conantibus ſuccedere, incolæ hoſtilitatem pro hoſpitalitate præſtitere.* Ille pons lapideus Ligeri impoſitus, longus mille paſſus, à vico adjacente cognominatus *Pons Sai*, vocatur hodieque *le Pont de Sé*. Ab aliis vicus non *Sais* vel *Saum* ut ſuprà, ſed *Saeium*, & *Seium* nuncupatur, & *Pons Saey*, ac *Pons Seij*: quæ nomina in priſcis litteris vel tabulis memini reperire. *Villa Saiacus* dici creditur in tabulis anni Milleſimi tertii: *Eccleſiam ſuper ripam Ligeris in villa de Saiaco*. Quidam in numero plurali *Pontes Sai* vocant, *les Ponts de Sé*, propterea quòd ibi inſulæ aliquot interjacentes pontem interrumpunt, itavt non unus ſed plures pontes dici poſſe videantur: quæ & cauſa longitudinis pontis eſt. Nugantur, qui à Caio Julio Cæſare pontem hunc factum eſſe affirmant, & *Pontem Cæſaris* aut *Ca'* velut ab auctore appellant, ac *le Pont de Cé* ſcribi jubent: cùm à vico proximo, cujus nomen à littera s incipit, appellationem traxerit.

PONS SCALDIS.

Æthicus in Itinerario provinciarum Imperii Romani, in itinere à portu Geſoriacenſi Bagacum uſque, *Pontem Scaldis* Turnaco & Bagaco medium interponit, ab utroque loco XII. millibus paſſuum diſtantem. Vicus eſt ad flumen Scaldim, ſuam Eccleſiam habens, à ponte olim Scaldi impoſito cognominatus. Vetus nomen hodieque ſervat: vocatur enim *Flanpont*. Quidam *Pontis Scaldis* nomine deſignari putant Condate in Hainoo, *Condé en Hainau*: quod eſt opidum vel caſtrum ad fluviorum Hainæ & Scaldis confluentes.

PONTES AMBIANORUM.

Æthicus, ſeu quis alius in Itinerario provinciarum inter Ambianos & Geſoriacum *Pontes* ponit, in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam, inde Durocortorum & Geſoriacum ſic. *Ambianis* M. P. XXXIV. *Pontibus* XXXV. *Geſoriaco* M. P. XXXVIIII. *Pontes* hos interpretatur Cluverius *Pont à Selane*, ad oſtium Alteiæ fluminis, aliàs *Pont Aſſelane*: aitque magnam partem veterum Ambianorũ finium inter Suminam & Alteiam flumina, quæ *Samaram* & *Antenam* vocat, ab hiſce *Pontibus* nomen accepiſſe, ac dici hodieque *le Pontieu*, ſeu *pagum Pontivum*.

PONTES ICAUNÆ.

Opidum eſt à multitudine pontium flumini Icaunæ impoſitorum dictum *Pontes Icaunæ*, *Pons ſur Yonne*: qui locus eo cognomine diſtinguitur à *Pontibus Sequanæ*, *Pons ſur Seine*, ubi olim XII. pontes Sequanæ impoſiti fuere, & nunc quoque, ſpargente ſe per agros Sequanâ ac multos ibi alveos faciente, ſunt multi. Sunt & *Pontes* in Santonibus ad amnem in Carantonum influentem, *Pons*, (ut videtur) eamdem ob rem dicti. Guillelmus de Nangiaco ſcribit, *dominum Reginaudum de Pontibus ad Regem in villam de Columberiis, diſtantem à Pontibus I. leucâ, veniſſe, & publicè coram Baronibus Regis feciſſe homagium Comiti Pictavenſi anno* MCCXLII.

PONTES SEQUANÆ.

Qui locus *Pontes Sequanæ* vocatur, *Pons ſur Seine*, olim à numero põtium ibi Sequanæ impoſitorum *Ad duodecim Pontes* appellabatur: ſicuti Fredegarius & Fredegarii tranſcriptor Aimoinus me docent: quod à nemine hactenus obſervatum miror. Fredegarii in capite LXXI. libri IV. Chronici verba ſunt. *Poſtea uno inientes conſilio ambo moverunt exercitum, volentes Guntramnum interficere, Regnumque ejus adſumere: Sigibertus cum exercitu Arciaca reſedens; Chilpericus Duodecim Pontes.* Aimoinus de eadem re in libri III. capite XII. ſic ſcribit. *Reſidente Sigeberto apud Arciacum, Chilperico eo loci quo duodecim Pontes Sequanæ ſuperimpoſiti fuiſſe referuntur.* Ergo ætate Aimoini, ſeu Principatu Rotberti jam ibi duodecim pontes non erãt, ſed multo pauciores, reliquis vetuſtate ruptis. In libro IV Legis Franciceæ caput XI. inſcribitur *de duodecim pontibus ſuper Sequanam faciendis*: tum iſta ſequuntur. *De duodecim Pontibus ſuper Sequanã, volumus ut hi pagenſes qui eos facere debent, eos celeriter reſtaurent.* Sic ferè loquitur Carolus Magnus: ubi puto ſermonem haberi non de duodecim pontibus per totum Sequanam reficiendis; (quantulum enim eſſet id pontium in tanto flumine tamque longo aquarum decurſu?) ſed de *Duodecim Pontibus* noſtris, loco à re ita dicto, ubi pontes ſemirutos reparari Princeps jubeat. *Pontes ſuper Sequanam* quidam vocant. Certè in litteris anni MCCCCLVII. *Stephanus Coulon de Pontibus ſupra Sequanam* memoratur. Nunc eſt opidulum ad Sequanam jam Albâ auctum; complectiturque duas inſulas, quas ibi Sequana facit; & X. aut etiam XII. pontes hodieque habet.

Ceterùm ut ſupradictum locum à numeropontium vocavere veteres *Ad Duodecim Pontes* : ſic alium amni Saravum angenti appoſitum appellamus *Ad Duos Pontes*, *Deux Ponts*, opidum Marchiæ titulo illuſtre, ubi duo pontes amni ſunt impoſiti. Sic & *Tres Fontes*, vulgò *Treſfons*, & *Septem Fontes*, *Sept Fons* Monaſteria Abbatiis clara, à numero fontium ſuorum nomen accepere : quorum alterum eſt in Diœceſi Catalaunica Ducatuque Barrenſi ; alterum idque poſterius in Epiſcopatu Auguſtodunenſi ad flumen Ligerim prope Burbonem Anſelli.

PONTICO.

Pontico vel *Pontigo*, Villa Regia vel publica Regum Auſtraſiorum fuit, ſub Merovingis atque Carlovingis etiam Synodis Epiſcoporum, in primis anni DCCCLXXVI. celeberrimus locus, Gregorio Turonico Antiſtiti ceteriſque noſtris Hiſtoricis memoratus, vulgò *Pontion*. *Ponticonem* David Blondellus Campanenſis ad flumen Ornam poſitum eſſe ait in pago Pertenſi, non procul à Victoriaco Incenſo : quod & tabulæ confirmant.

Maſſonus ſimilitudine nominum deceptus *Ponticonem* vel *Pontigonem* corruptè dici exiſtimat pro *Ponte-Icanna* vel *Ponte-Igona*, *Pont ſur Ionne* : qui locus non *Pons Icannæ*, ſed *Pontes Icannæ* appellari debet, & vulgò *Pont ſur Yonne* in plurali numero dicitur, non *Pont ſur Yonne*, atque abeſt tria circiter millia paſſuum ab urbe Agedinco Senonum : cùm Frodoardus in Chronico *Pontigonem fiſcum* Victoriaco proximum ſtatuat ; Continuator Aimoini eumdem inter Catalaunos & Lingonas ponat ; uterque procul à fluvio Icanna. In Geſtis Pippini Regis mendosè *Pons Hugonis villa publica* ; in Annalibus quoque Mettenſibus anno DCCLIII. vocatur *villa Pons Hugonis*, uno nomine in duo diviſo, quaſi ab Hugone aliquo appellationem nancta eſſet. Litteræ Caroli quem Simplicem & Stultum cognominant, datæ anno DCCCCVII. *Pontigonem villam publicam in pago Pertenſi ſuper fluvios Saltum & Bruſtionem* ponunt : ex quibus *Saltus* fluvius *Saut* etiamnum vocatur. *Locus Pontigonis* dicitur in Synodo Ticinenſi anni DCCCLXXVI. in Annalibus Foldenſibus anno DCCCLVIII. *Villa Regia in Regno Karoli Ponticona* ; *Pontigo fiſcus* à Frodoardo ; *Pontionum* in Chronico de Geſtis Nortmannorum, quod in anno DCCCXCV. deſinit.

PONTIVUS PAGUS.

Pagi hujus fit mentio in Appendice Chronici Fredegarii : quum Ebroinus, Theodoricum Franc. Regem, vel potiùs Leudeſium Majorem domus ejus perſequens, *Criſcecum villam veniſſe in Pontio* dicitur. *Criſciacum* vocant villam hanc Regiam ſive publicam Geſta Francorum, Noſtri *Crect* : à qua & *ſilva Criſciacenſis* in Vita S. Richarii Abbatis Centulenſis memorata, fiſcalis & ipſa, nomen accepit, *la foreſt de Crecy*. Alcuinus de Vita Richarii *provinciam Pontivam* appellat, & Richarium *natum in villa Centula provinciæ Pontivæ* tradit : quæ villa unà cum Monaſterio *S. Richarii* appellatione cenſetur, *S. Riquier*. *Pagum Pontivum antiquis plenum nemoribus, deſertum & invium*, vetus liber de Vita S. Judoci vocat ; vocat & liber vetuſtiſſimus de Vita B. Furſei Abbatis, & ambæ Vitæ Haimonem Ducem in eo pago ſedem habuiſſe tradunt : ex quo intelligitur idem *pago Pontivo* quod Campaniæ Gallicæ contigiſſe, ut de Ducatu poſtea Comitatus fieret. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nunc, ut ſuprà *Pontium* ; nunc corruptè *Ponticum* vocatur pro *Pontivum* ſic, *Civitas Morenum Taravanna*, *Pontium* ; *Civitas Morinorum*, *id eſt Ponticum*, vel *Civitas Morinûm*, *id eſt Ponticum*. At *Pontium* vel *Pontivus pagus* non eſt in Morinis, ſed in Ambianis ; non in Diœceſi Tarvennenſi, ſed in Ambianenſi. Litteræ Ludovici Pii Aug. de Diviſione Regni ſui inter III. filios *Pontium* nominavere, ſicuti Appendix Fredegarii, & Notitiæ quædam Galliarum. *Ultra Sequanam pagi* XVIII. *id eſt Catalonis*, *Meltianum*, *Ambienſis*, (Ambianenſis) *& Pontium uſque in mare*. In Capitulis Caroli Regis qui Ludovici iſtius filius fuit, anno DCCCLIII. apud Silvacum editis *Pontiu* quoque dicitur ſic. *Miſſi in Rotmenſe*, *Tellau*, *Vitnau*, *Pontiu*, *Ambianenſe*. Rectè & Ludovicus & Carolus *Pontium* ſeu *pagum Pontivum* cum pago Ambianenſi conjungunt. Eſt enim *pagus Pontivus* magna pars veterum Ambianorum, inter Suminam & Alteiam amnes jacens, & vulgo hodieque *le Pontieu* nuncupatur, Comitatus appellatione veteri nobilis. *Pontivus* autem pagi vel *Pontiu* nomen eſt Gallicum, uti *Tellau* & *Vitmau*. Quo fit, ut conjecturam Cluverii probare non poſſim, à *Pontibus* in Itinerario Æthici memoratis, & oſtio Alteiæ proximis vulgare nomen pagi *Pontieu* deducentis : qui ſi auctores noſtros legiſſet, haud dubiè aliter ſenſurus fuit. Certè à ponte vel Pontibus fieret pagus *Pontinus* aut *Pontanus*, non *Pontivus* aut *Pontiu*.

PONTONES.

Anonymus in libri de Miraculis S. Benedicti capite XXIII. *Factum eſt* (inquit) *dum Gaſconiam peragraret, ut tranſmeata Garumna fines ejuſdem regionis attingeret : in quibus poſitus eſt locus Pontons, ſcilicet in pago Auſcienſi ſuper fluvium Adurcium*. In capite XXIII. *Altera poſſeſſio vocatur barbarè Pontons, in regione poſita Guaſconiæ, S. Martyris Mauri Reliquiis conſecrata*. *Adurcium* ſuprà pro *Agurcium* vel *Egircium* ſcriptum puto, *Gers* aut *l'Egers*, qui fluvius urbem Auſcorum metropolim alluit. Locus hic *Pontones* Latinum nomen à re habuit, nimirum à pontonibus, in fluvio ibi collocatis ad homines tranſportandos. Eſt quidem proximus Aquis Tarbellicis locus ad Aturrum flumen, (*l'Adour*) *Ponton* vulgò dictus, quaſi *Ponto* ; ſed cùm ab Auſcis & ab Egirtio longè abſit, apparet Monachum anonymum de eo locutum non eſſe.

S. PORCIANI OPIDUM.

Situm eſt in Diœceſi Arvernorum, pagoque Burbonenſi *opidum S Portiani*, vulgò *S. Porcain*, aut *Saint Pourſain*, ita dictum à

S. Porciano Abbate, quem regnante Theodorico Chlodovei filio in Arvernorum finibus ſumma pietate miriſque virtutibus floruiſſe, docet Gregorius in libri de Vita Sanctorum Patrum capite II. quod *de S. Porciano Abbate* inſcribitur. In quibuſdam Martyrologiis hæc legimus. *In territorio Arvernenſi S. Porciani Abbatis & Confeſſoris.* Eſt autem *oppidum S. Porciani* inter Vernoilum (*Verneul*) & Varennas, (*Varennes*) fluvio adſitum Sculo aut Cicaulæ, (*Siolle*) qui III. lapide infra opidum S. Porciani in Elaver effluit: patria Durandi *à S. Porciano*, Theologi clariſſimi, qui ſæculo XIV. floruit. Petrus Biturigum Archiepiſcopus, in epiſtola ad Ludovicum eo nomine VII. Francorum Regem, nunc abſolutè *S. Porcianum*, nunc *Eccleſiam S. Porciani* nuncupat. *Tunc dominus Archimbaudus de Borbonio ex conſilio noſtro apud S. Porcianum diſpoſuit adeſſe.* Evolvi veterem Vitam S. Heptadii Preſbyteri, Chlodovei Francorum Regis & ejus filiorum æqualis, in codice Muſciacenſi, qui nunc eſt V.C. Claudii Jolii Præcentoris Eccleſiæ Pariſiacæ: in qua *Monaſterii S. Porciani Abbatis* tum viventis mentio fit hiſce verbis. *Quodam tempore quum de Monaſterio S. Porciani Abbatis ad Cellulam ſuam Reliquias exhibebat.*

PORTUS ABUCINI.

Provinciæ Maximæ Sequanorum quatuor civitatibus & tribus caſtris ultimum ſubjiciunt Notitiæ veteres Galliarum *Portum Abucini*: qui aliàs *Portus Bucini*, aliàs *Portus Abucina* dicitur, & in una quadam Notitia mendosè *Portus Vbicini*. Sed cùm pæne ſolæ Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ ejus loci portúſque mentionem fecerint: quid eo nomine deſignetur divinare non poſſumus. Eſt ad lacum Lemanum inter Coloniam Equeſtrem & Lauſanam *Buchillon* locus; eſt & *Buſſigni* vicus ad fluvium Venogiam (*la Venoge*) qui in Lemanum effluit, ab urbe Lauſana parum diſtans. Hunc, aut illum ſimilitudine nominum ducti *Portum Abucini* vel *Portum Bucini* olim dictum eſſe, veriſimiliter forſitan ſuſpicabimur.

Holſtenius in ſuis Adnotationibus in Ortelii Theſaurum Geographicum, repugnantibus omnibus codicibus Notitiarum Galliæ, *Portum Lucini* vocandum eſſe ait, quia *ad fluvium Lucinum* (ſi quis tamen ejus nominis fluvius eſt) poſitus ſit, & nunc *Port de Lend* locum hunc appellari affirmat, ſecutus neſcio quem recentem auctorem, cui aſſentire non poſſum. Forſitan locum vult dicere poſitum ad ripam fluminis Lupæ, *la Louve*, non procul à Salinis Sequanorum, qui vulgò *Port Lannay* nuncupatur. Sed ego in vita MS. S. Urbani Epiſcopi urbis Lingonicæ *portus Bucini* mentionem fieri video, cumque inter urbem Lingonas & montem Juram in Sequanis collocari: quem *Portum Abucini* vel *Portum Bucini* Notitiarum noſtrarum eſſe non dubito. Verba ſcriptoris Vitæ talia ſunt: *Valerius Archidiaconus Lingonenſis Eccleſiæ iter Sequanicum ingreſſus, ad Alpium Jurenſium partes tendebat. Pergens igitur quo cœpit itinere, pervenit ad locum, quem haud longè poſitum ex antiquo incola appellant Portum Bucinum.*

PORTUS BALLII.

In Chronici Fontanellenſis capite tertiodecimo hæc legimus. *Magnum miraculum Deus populis in pago Coriovallenſi reſidentibus oſtendere dignatus eſt. Nam Comitatum ejuſdem pagi tenente Richuvino Comite, vas quoddam adinſtar parvæ phari in medio maris juxta locum qui vocatur Portus Bally, ſuper aquam ferri viſum eſt, ſicque paullatim appropinquando, in ipſo emporio conſtitit.* Hic *Portus Bally emporio* celeber, videtur eſſe locus hodieque dictus *Portbail*, ad Oceanum poſitus in pago Conſtantino; *Portbai* in quibuſdam tabulis mendosè vocatus. Quæ ſi vera eſt conjectura, haud dubiè *pagus Coriovallenſis*, pars olim fuerit pagi Conſtantienſis circa illud emporium & portum.

PRATUM MONSTRATUM VEL PRÆMONSTRATUM.

Hermannus Monachus in libri III. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis ad Bartholomæum Epiſcopum capite III. ſic de eo loco refert. *Epiſcopus* (Bartholomæus) *Laudunum rediens, duxit eum in ſilvam Voſagum, oſtenditque ei in ipſa locum quemdam, qui Pratum Monſtratum vel Præmonſtratus* vocatur. De Norberto loquitur. Pleríque *Præmonſtratum* vocitant, *Premonſtré*, ubi Norbertus Monaſterium nobile, caput Ordinis Præmonſtratenſium condidit in Diœceſi Laudunenſi. *Ordo* autem *Præmonſtratenſis* cœpit anno MCXX. inſtitui, ut docet Chronicon MS. Monaſterii S. Medardi, in anno MCCLXI. deſinens, quod evolvi. Ex prato Latini fecere diminutiva pratula & pratella, *preaux*, & *prelles*, & *pradelles* Noſtris dicta: quorum nominum multa ſunt loca in Gallia: ut de podio factum podiolum, (*pujol*) & podietum: (*puget*) quæ locorum apud nos familiarumque ſunt nomina. In interpretatione nominis *Præmonſtrati* multi, etiam non indocti viri fabulas aniles fingere, aut fictis falſiſque credere non erubuerunt.

PRISCINIACUM.

Priſciniacum à Priſcino, vel à Priſcinio poſſeſſore ſuo aut conditore nomen invenit. Vicus eſt agri Lugdunenſis, impoſitus fluvio *Calaroni*. Deſiderii Viennenſis Epiſcopi Martyrio nobilitatus: cujus ab Martyrologis, in primis ab Adone Viennenſi Epiſcopo cùm in Martyrologio tum in Paſſione S. Deſiderii fit mentio. Vulgo *Brignais*, aliàs *Brignave* dicitur. *Calaro* autem fluvius vel amniculus, inter Lugdunum & Viennam in Rhodanum decurrit contra caſtrum S. Symphoriani, *S. Saforin*. & priſcum nomen unâ ſyllabâ truncum retinet. Nuncupatur enim *Garon*, c in g more mutato: uti in nominibus alacer, macer, crypta, plurimiſque aliis factum videmus. Verba Adonis in Martyrologio X. *Kal. Jan.* de loco cædis Deſiderii ſunt: *in villa Priſciniaco*

Priſciniaco ſuper fluvium Calarona. Ado *Calarona* ut puto dixit pro *Calaronem*; ut Ammianus Marcellinus ſemel atque iterum *Cabillona* terminatione Græca pro *Cabillonem*: in libro XIV. *Miles tamen interim omnis apud Cabillona collectus*; & paullo infrà. *Euſebius Præpoſitus Cubiculi miſſus eſt Cabillona.* Quod ſi *Calarona* nomen femininum I. declinationis extitiſſet, haud dubiè vulgò appellaretur *Garone*, non *Garon*: ſicuti Garumna *Garonne*, corona *couronne*, Calonna *Chalonne*, Narbona *Narbone*, Barcinona vel Barcilona *Barcelonne*. Idem tamen Ado in Martyrio ſeu Paſſione S. Deſiderii, ſed mendosè & vitio exemplarium, non errore ſuo, fluvium *Calaronam* vocat pro *Calaronem* vel *Calarona*. Quædam tabulæ Adoni refragantur, & *Priſciniacum* non ad *Calaronem* fluvium collocant, ſed ad amniculum Biocum *Bieu*, qui in *Calaronem* labitur jamjam Rhodano acceſſurum. Ex Priſco fit *Priſcinus* & Priſcinius, ac Priſcianus; ut ex Quinto Quintinus, ac Quintianus; ex Sexto Sextinus, ac Sextianus; ex Fuſco Fuſcinus & Fuſcianus.

Leo PP. VI. anno Pontificatus ſui III. inter res Eccleſiæ Aurelianenſis Cellam *Priſciniacum* numerat in litteris ſuis ad Anſelmum Epiſcopum Aurelianenſem. Idem facit Benedictus PP. in litteris ad Arnulfum Aurelianorum Antiſtitem, ætate Odonis & Gaufredi Comitum, & Hugonis Ducis Francorum.

Et quoniam de *Priſciniaco* & Priſcino nominis loci auctore incidit mentio: omittere non poſſum, quod de Priſciano clariſſimo Grammatico obſervavi, nomen ejus ita me ſcriptum reperiſſe in codice V. C. Claudii Jolii, Eccleſiæ Pariſiacæ Præcentoris, omnium quos legerim emendatiſſimo, antiquiſſimoque, ac optimis in membranis optimè ſcripto: PRÆSCIANI. GRAMMATICI. quaſi non à Priſco *Priſcianus* dictus ille ſit, ſed à præſciendo *Præſcianus*: quod nomen viri proprium alibi invenire non memini.

S. PRIVATI MONASTERIUM ET PRIVATIUM CASTRUM.

In pago Gabalitano eſt *Monaſterium S. Privati*, vulgò *S. Privat* dictum à Privato Gabalitanæ urbis Epiſcopo, qui ab Alamannis Gallias Croco duce pervagantibus fuſtibus cæſus eſt Valeriani Gallienique Principatu. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VI. capite XXXVII. hoc Monaſterium *Baſilicam S. Privati Martyris urbis Gabalitanæ*, cujus Abbas eſſet Lupentius, appellat: non quòd eſſet Baſilica hæc in civitate Gabalorum, ſeu intra urbis muros; ſed quòd in agro Gabalitano: ſicut idem Aredium *Lemovicinæ urbis Abbatem* vocavit, cujus Monaſterium Atanum erat quidem in pago Lemovicino, ſed ab urbe Lemovicis multum diſtabat.

Eſt & caſtrum nomine *Privatium*, vulgò *Privaz*, aliàs *Privat* nuncupatum. In litteris anni MCCCXLIV. *caſtrorum de Privatio & de Turnone* fit mentio. Poſitum eſt hoc caſtrum ad flumen Ardeſcam, *Ardereſche*, quod apud Pontem S. Spiritus Rhodano accipitur, & Ardeſca aliis dicitur, *Ardeſche*.

PROVINCIA.

Gallia *Narbonenſis* à Metropoli ſua, *Braccata* antè à veſte incolarum dicta, à meridie Tuſcum pelagus ſeu internum mare attingit; à Septemtrione terminos habet montes Cebennam & Juram, aut ex Cæſare lacum Lemanum, & flumen Rhodanum; ab oriente amnem Varum & Alpium juga, quibus ab Italia diſcernitur; ab occidente Pyrenæum & Garumnam. Hanc Julius Cæſar in Commentariis rerum geſtarum in Gallia nunc *Provinciam noſtram*, id eſt Provinciam Romanam vel Romanorum, nunc *Galliam Provinciam*, ſæpiùs abſolutè *Provinciam* appellat; Cicero in oratione pro M. Fonteio modò *Galliam*, modò *Provinciam Galliam*: quòd ea pars Galliarum ut Italiæ propior, ſic prior à Romanis ſubacta ac in formulam provinciæ redacta fuerat, multo antequam reliquam Galliam, nimirum Belgas, Celtas & Aquitanos Julius Cæſar perdomaret. Eadem à Plinio in libri III. capite IV. & à Solino *Narbonenſis Provincia* appellatur, *agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum nulli provinciarum poſtferenda, breviterque Italia veriùs quàm Provincia.*

Hæc primò diviſa eſt in *Provinciam Narbonenſem*, ac *Provinciam Viennenſem*; deinde in V. provincias, nimirum in *provinciam Viennenſem*, *provinciam Narbonenſem I. provinciam Narbonenſem ſecundam*, *provinciam Alpium Grasarum & Penninarum*, *provinciam Alpium Maritimarum*: civitates autem circiter XXXVIII. continebat. Sed poſtea neſcio qua ratione factum eſt, ut *Provincia Narbonenſis ſecunda* excepto Vapinco, & *Provincia Alpina Maritima* tota, excepta metropoli Ebroduno, ac *pars Provinciæ Viennenſis* dimidia, videlicet civitates *Vaſio, Arauſio, Cabellio, Avenio, Carpentoracte, Arelatum, Maſſilia*, propriè *Provincia* vocarentur, *Provence*, parte nomen totius ſibi vindicante: quemadmodum ſæpe aliàs contigiſſe video. Quando primùm, & à quo ea regio *Provincia* dicta ſit, incertum eſt. Cornelius Tacitus in Vita Cnæi Julii Agricolæ ſoceri ſui mihi pæne videtur *Provincialem* eo ſenſu uſurpâſſe. *Cnæus* (inquit) *Julius Agricola veteri & illuſtri Forojulienſium coloniâ ortus, ſtatim parvulus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerat, locum Græcâ comitate & Provinciali parcimoniâ mixtum ac bene compoſitum.* Avitus Viennenſis Epiſcopus in epiſtola ad Fauſtum & Symmachum Senatores Urbis, *Provinciam præfixis Regnorum terminatam limitibus* appellat, propterea quòd inter Oſtrogothos & Burgundiones certis finibus diviſa erat. Caſſiodorus Senator in libri Variarum VIII. epiſtola X. modo *Gallias*, modò *Provinciam* (ut ſæpe aliàs) abſolutè nuncupat his verbis. *Mittitur igitur. Franco & Burgundio decertantibus, rurſus ad Gallias tuendas. Adquiſivit Resp. Romana, aliis contendentibus, abſque ulla fatigatione Provinciam.* Avitus autem & Senator una ambo ætate floruerunt ante annos MCLX. Cyprianus in Vita Cæſarii

Arelatenſis Epiſcopi, præceptoris ſui, *Provinciam Arelatenſem* à capite regionis cognominat, quum ſcribit, *Theodericum Italiæ Regem miſſis ducibus ſuis Provinciam Arelatenſem ingreſſum eſſe.* Hoſce tres ſcriptores imitatus Gregorius Turonicus Epiſcopus, *Provinciam* eam paſſim vocat. Idem partem ejus alteram *Arelatenſem Provinciam*, uti & auctor libelli de Vita B. Conſortiæ; alteram *Provinciam Maſſilienſem* nuncupare conſuevit. Quod ut intelligatur, notare convenit, mortuo Chlothario majore, à IV. ejus filiis duas in partes diviſam eſſe *Provinciam*, & alteram quidem *Arelatenſem Provinciam* dictam, in qua Arelatum, Ugernum, Reii, aliæque urbes & caſtella vicique erant, Guntchramno Burgundionum Regi ceſſiſſe: alteram verò *Maſſilienſem Provinciam* appellatam, quæ Maſſiliam, Avenionem, Aquas Sextias, aliaque opida & loca habebat, Sigiberto Auſtraſiorum Regi obtigiſſe. *Provinciæ Arelatenſis* rectores apud noſtros Hiſtoricos nonnumquam *Duces*, ſæpiùs *Patricij* vocantur: Præſides *Provinciæ Maſſilienſis*, à ſcriptoribus rerum Francicarum *rectores Provinciæ*; nonnumquam *Præfecti*, atque etiam *Patricij* appellantur; Arigius & Aſclepiodotus qui parti alterutri præfuere, à Gregorio Romano Epiſcopo *Viri Glorioſi Patricij Galliarum*, item *Patricij in Galliis*: ut in libro XIII. Rerum Francic. obſervavimus. Audoenus in Vita S. Eligii *Villam Ampucium* (*Ampuce* vulgo) *ſitam in ripa Rhodani flum.* ponit in *regione quæ propriè Provincia nuncupatur*, & *Epiſcopos Provinciæ* commemorat. *Provinciam Narbonenſem* vocat Eghinardus hiſce verbis. *Fecit idem à parte Meridiana, in litore Provinciæ Narbonenſis ac Septimaniæ.* Petrus qui de bello Albigenſi ſcripſit, quum in capite XXCIV. *Valentiam, Montilium Ademari & caſtrum Creſtam Provinciæ partibus* attribuit; ſatis oſtendit ſe *Dalfinatum* quem vocant *Provinciæ* nomine deſignare: & (ut ſuprà obſervavi) Dalfinatus olim partim *Sapaudiæ* partim *Provinciæ* confinium regionũ appellatione continebatur.

Provincia autem nonnumquam & *Aquitania* impropriè dicta eſt ab *Aquis Sextiis* capite regionis. Certè Leo Marſicanus in libri I. Chronici Caſſinenſis capite ultimo Hugonem Arelatenſium vel Provincialium Comitem, qui poſtea in Italia regnavit, *Aquitaniæ Ducem* appellat, hoc eſt *Aquenſium* vel *Aquiſextienſium*: quos *Aquitanos* vocatos, & ab his totam Provinciam *Aquitaniam* dictam eſſe Leoni non mirabitur, qui apud Plinium in libri IV. capite XIX. legerit, Aquarum Tarbellicarum incolas dici *Aquitanos, unde nomen provinciæ* Aquitaniæ vel Aquitanicæ propriè dictæ.

Gothiam etiam ſeu Septimaniam ſæpe *Provinciæ* nomine comprehenſam ac deſignatam eſſe reperio. Quippe Gregorius noſter Hiſtoriæ ſuæ libri III. caput XXI. ſic inſcribit. *Quòd Theodebertus in Provinciam abiit:* & tamen Theodebertum iſtum Gothiam tantùm petiiſſe, ac duo ibi in Biterrenſi pago caſtella recepiſſe conſtat. Sigebertus in Chronico ſcribit, Ægidium Carolo Martello apud Francos dominante è Græcia veniſſe in Galliam, atque *in Provincia* virtutibus & ſanctitate vitæ claruiſſe: quem in Gothia floruiſſe, Monaſterium S. Ægidii in valle Flaviana opidumque ejuſdem nominis indicio eſt, à quo Monaſterio opidoque Gothia etiam *provincia S. Ægidij* vocata eſt. Guibertus Abbas Novigenti in libro II. Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ de Raimundo Comite Gothiæ, quẽ *Comitem Provinciæ* ac *Comitem Sancti-Ægidianum* vocat, ſic refert. *Erat antè noſtris Principibus ætate maturior, & exercitu (niſi quantum ad garrulos Provincialium mores ſpectat) nulli inferior.* Et in libro VII. *Ingreſſi igitur Provincialibus*, Sancti-Ægidiani ſcilicet Comitis exercitu. Utrubique Guibertus qui ante annos D. vixit, Gothos Raimundi Comitis ditioni ſubjectos *Provinciales* vocat. Quippe præter *Provinciales* propriè dictos, *Burgundi, Arverni, Vaſcones, & Gothi*, in exercitu Chriſtiano Europæorum Hieroſolymam petentium, *Provinciales* communi nomine *appellabantur: ceteri verò Francigenæ* vel Franci: ſicuti ſcribit Raimundus de Agiles. Lucius PP. in litteris anno MCXLIV. datis, *in Provincia Monaſterium juxta Montem Peſſulanum* Cluniacenſium ditioni ſubjicit præ ceteris. Erat autem Mons Peſſulanus cum Monaſterio ei proximo in Gothia, ut eſt hodie. Petrus Monachus Vallium Cernaii de bello Albigenſi, totam terram Comiti Toloſæ ſubjectam, nimirum Septimaniam totam, & partem Aquitaniæ ac Provinciæ inter Durentiam & Iſaram uno & cõmuni nomine *Provinciam*; incolas *Provinciales* appellat cum alibi, tum in præfatione operis, ſeu in litteris ad Innocentium Papam libro ſuo præfixis.

Veteres noſtri Hiſtorici *Provinciam* à *Burgũdia*, ut & à *Septimania Gothiave* diſtinguunt, & Avenionem, Maſſiliam, Nicæamque ei urbes attribuunt, *Nicæam Provinciæ Narbonenſis civitatem* appellando. Provinciale quoque ante annos CCCC. compoſitum *Provinciam* etiam à *Burgundia* ſeparat: & huic Lugdunenſem ac Senonenſem metropoles; illi *Aquenſem* ac *Arelatenſem* adſcribit. Notitia Epiſcopatuum Galliæ ſcripta paullo poſt annum MCCCXXII. ambas ſimiliter provincias diſtinguit: ſed *Burgundiæ* vel *Sapaudiæ* Darantaſienſem tantùm ac Veſontienſem metropoles unà cum ſuffragantibus, hoc eſt Sapaudiam & Sequanos ac Helvetios; *Provinciæ* *Ebrodunenſem*, *Arelatenſem*, *Viennenſem* ac *Aquenſem* ſeu *Aquiſextienſem* attribuit: quæ IV. Diœceſes majorem Sapaudiæ partem, & Dalfinatum totum Provinciamque complectuntur. Contrà Gervaſius Tilleberienſis & quædam Notitia Galliæ ei ſuppar *Provinciam* *Burgundiæ* nomine deſignant ac ejus finibus includunt, *Burgundiæ* VI. adſcribendo metropoles ac provincias, Veſontienſem, Viennenſem, Darantaſienſem, Ebrodunenſem, Aquenſem, Arelatenſem: quibus finibus non Sequani modò & Helvetii cum univerſa Sapaudia, ſed etiam Dalfinatus atque *Provincia* continentur. At veteres noſtri Annales Carolum Lotharii Aug. filium *Provinciam vel Provinciæ Regnum obtinuiſſe* tradunt, & *Provinciæ Regem* appellant: quem conſtat exceptis Genevâ & Seduno cuncta inter Lema-

num, Rhodanumque, mare Gallicum & Alpes rexiſſe, trans Rhodanum etiam Lugdunum, Vivaria ac Ucetiam tenuiſſe: qui limites unà cum *Provinciæ* Dalfinatum ac Sapaudiam quales nunc ſunt, id eſt Burgundiæ majorem partem includunt. Certè Appendix Chronici Guillelmi Nangiacenſis *Viennam urbem Provinciæ* in anno MCCCXI. appellat.

Incolæ Provinciæ *Provinciales* Latinis ſcriptoribus; vulgò *Provençaux* vocantur.

Provincia jamindè ab anno C. DCCCC. Comitibus ſuis illuſtris, ex tribus provinciis facta eſt, nimirum ex Alpibus Maritimis, ex provincia Narbonenſi II. & ex provincia Arelatenſi, Viennenſis olim parte: ac XIX. minimùm civitates complexa eſt, ex Alpibus Maritimis quidem Diniam, Nicæam, Antipolim, Glannatevam, Sanitium, Vintium; ex Narbonenſi II. Aquas Sextias, Aptam, Reios, Forum Julii, Secuſteronem; ex provincia Arelatenſi Arelatum Maſſiliam, Avenionem, Arauſionem, Valionem, Cabellionem, Carpentorate, ac Telonem: cui numero Duces Sapaudiæ Nicæam exemere. Nam Arauſio licet Naſſauiis pareat, & Avenio, Vaſio, Cabellio, ac Carpentorate licèt Antiſtitibus Eccleſiæ Romanæ obediant, non minùs tamen ob id quàm ceteræ pro urbibus *Provinciæ* haberi debent.

Qui in *Provincia* dominabantur, *Comites Provinciæ & Forcalcarij* vel *Forcalquerij* ſunt dicti; nonnumquam à capite regionis *Comites Arelatenſes* aut *Arelatenſium*. Auctor incertus, cujus Chronicon in anno MCCXC. deſinens Catellus edidit, *Fontem Calcariam* vel potiùs *Calcarium*, & *Fontem Qualquerium* vocat locum à Noſtris *Forcalquier* vulgò dictum: quum in anno MCCLXV. *Carolum Regem, Ducem Apuliæ, Principem Capuæ, Comitem Andegaviæ, Provinciæ, Fontis Calcariæ* nuncupat.

Habuit autem *Marcam* ſeu *Marchiam* ſuam *Provincia*. Unde Raimundus *Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, & Marchio Provinciæ* in III. litteris ad Ludovicum Francorum Regem cognomine juniorem vocatur & Conſtantia ejus uxor cùm Ludovico huic, fratri ſuo ſcriberet, ſe *ejus unicam ſororem, Comitiſſam Toloſæ, Ducem Narbonæ, Marchiſam Provinciæ* ipſa appellavit. Scribit Godefridus in Annalibus, *Comitem Toloſanum* anno MCCXXXV. *de Marchia Provinciæ homagium præſtitiſſe Imperatori, à quo eam recipiebat.* In Appendice Chronici Lamberti Schafnaburgenſis hæc reperio. *Anno* MCLX. *Ludovicus Provinciæ Comes Erfordiæ cum aliis Imperij Proceribus convenit, & auxilium contra Mediolanenſes Imperatori conjurat*: id eſt auxilium Imperatori jurejurando ſeu ſacramento promittit. Nimirum *Provincia* anno MCXXV. à Comitibus Toloſæ & Barcinonis nomine uxorum ſuarum dividi cœpta eſt duas in partes: quidquid *Provinciæ* eſt à Druentia ad Iſaram, Comitatum Vindauſcenſem præter cetera continens, Alfonſo Comiti Toloſano poſteriſque ejus ceſſit, cum dimidia parte Avenionis aliarumque urbium: reliquam *Provinciam* à Druentia ad mare, cum dimidio Avenionis & aliorum opidorũ Comes Barcinonenſis obtinuit: cõventumque, ut hæc pars *Comitatus Provinciæ*; illa portio *Marchia Provinciæ* vocaretur, & ut hujus partis poſſeſſores *Comites Provinciæ*, illius domini *Marchiones Provinciæ* appellarentur. In decreto tamen Urbani Papæ II. anno MXCVI. *Raimundum Comitem Toloſanorum, Ducem Narbonæ, & Marchionem Provinciæ* dictum reperio ante diviſionem Provinciæ ſupramemoratam anno XXX. & Epiſcopum urbis Romæ jamtum in *Marchiam Provinciæ* totam, aut ſaltem in partem ejus ſibi jus vindicaviſſe.

PRUVINUM CASTRUM SENONUM.

Pruvinum in Briegio pago, *Provins*, ad Voſiam flumen, (*la Vouſie*) aliàs *Provinum*; *Provignum caſtrum* in Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis; nomen dedit *pago Pruvinenſi* qui *Provinſiſus* & *Provinenſis* vocatur in Capitulis Caroli Magni & Caroli Calvi. *Moneta Pruvinenſis*, & *Provinenſium ſolidorum* in veteribus tabulis fit ſæpiſſimè mentio. Ejus opidi eo libentiùs memini, quòd optimos habere incolas dicitur, itaut à probitate opidanorum *Probinum* nunc magis quàm veteri nomine *Pruvinum* aut *Provinum* appellari mereatur. Raimundus Marlianus Agedincum Senonum apud Cæſarem alioſque, perperam *Provins* interpretatur: ſuoſque habet ſectatores, quos Joſ. Scaliger *ſtultos* appellat. Nummos non paucos vidimus Caroli Magni poſterorum, percuſſos in caſtro *Pruvino*, ac inſcriptos *Pruvino*. Arnulfus Lexovienſis Epiſcopus, Alexandri PP. III. ac Henrici II. Anglorum Regis & Normannorum Ducis æqualis, in epiſtola XXXIV. *Pruvenum* videtur vocaviſſe his verbis. *Petiit ſibi in eam cauſam* XL. *libras Pruven. numerari.* Petrus Abbas Cellenſis, qui eadem ætate floruit, *Venerabili A. Sacerdoti S. Petri Pruvinenſis* epiſtolam IX. inſcribit.

PULTARIÆ.

Pultariæ Monaſterio veteri nobilitantur: Gerardus Comes & Berta ejus uxor, qui Monaſteria *Viceliacenſe* & *Pultarienſe* condiderunt, *villam Pultarias in pago Laticenſi, in Regno Burgundiæ* appellant: quidam *Pulteiras* nuncupant. Vulgò nunc hic locus *Poutieres* dicitur, ſituſque eſt in Lingonica Diœceſi. *Monaſterium S. Petri Pultarienſe* Johannes PP. VIII. Boſoni Principi & Hugoni Abbati commendavit epiſtolâ, tamquam ſuum, & S. Petro à Gerardo traditum.

PUTEOLUS CASTRUM.

In litteris Theobaldi *Dei gratiâ Comitis Bleſenſis & Franciæ Seneſcalci*, vel Regii Dapiferi hæc legimus. *Actum publicè Aureliani in Capitulo S. Crucis anno* I. V. MCLXIV. *regni verò Domini Ludovici Sereniſſimi Francorum Regis* XXVI. *Epiſcopatus Domini Manaſſæ* XIX. *adſtantibus in præſentia noſtra Hugone filio Ebrardi de Puteolo, Fulcherio de Meſlaio*, &c. Hic *Puteolus*, vulgò nunc vocatur *le Puiſet*

vulgari vocabulo nomini Latino reſpondente. Nam ut *Puteolus* Latinis, ſic Noſtris *Puiſet* parvus puteus eſt. Nomen autem non à puteolo uno aliquo, ſed à multis puteis aqua ſalubri abundantibus nec umquam arentibus (quod in Belſa regione ſqualida & ſicca rarum utique eſt) nomen accepit: ut docet Sugerius his de Ludovico Craſſo Rege Franc. verbis. *Rex non tantùm Hugonem Puteolenſem exheredavit, ſed etiam caſtrum Puteoli, dirutis mœnibus & effoſſis puteis, ſubvertens deplanavit.* Idem *Puteolum caſtrum* appellat: cujus puteos Rex terrâ oppleverit atque complanaverit, & *Tauriaco* (*Touri*) ac *Jonis villa* (*Janville*) proximum illud facit. *Puteolum* & alii nuncupant. Nonnulli *Puteacum*, & *Puteacenſe municipium* vocant; *Puſatum* & *Puiſatum* & *Puſiacum* quædam tabulæ corruptè. Ivo Epiſcopus Carnutenſis quadam in epiſtola *Puteacenſis domini*, & *Puteacenſis caſtri* in Diœceſi Aurelianenſi meminit. *Dominus Gelduinus, vir magni generis, ex nobili ſtemmate Puteacenſium Procerum editus, poſt Monachus Cluniacenſis, & Abbas ſ. ſepulcri Matris Domini de Valle Joſaphat, cum Rege Hieroſolymitano, conſobrino ſuo, perrexit Antiochiam; ſicque devenit Edeſſam, comitante fratre ſuo VValaranno illarum partium Principe*: ut legi in Bibliotheca Cluniacenſi. Quidam Monachus Floriacenſis in libri de Miraculis S. Benedicti capite XXIV. *Rebellavere* (inquit) *contra Philippum Regem Francorum Proceres, opibus & viribus Guillelmi Regis Anglorum fidentes. Ex quibus Hugo de Puteolo adverſus eum arma corripuit, plures ſibi adſciſcens auxiliatores.* Addit *Puteolum* caſtrum à Rege obſeſſum eſſe, & ab Odone Duce Burgundiæ, necnon à Guillelmo Comite Nivernenſium, atque à Gaufredo ejus filio, Autiſſiodorenſi Epiſcopo: ſed improviſa eruptione omnibus portis factâ, ab Hugone captum eſſe cum Comite Nivernenſi patre ſuo Antiſtitem. *Puteolenſe caſtrum* jaminde à Ludovico Craſſo dirutum & in vicum redactum, eſt in Diœceſi Aurelianenſi, & in Archidiaconatu Belſæ, qui unus eſt de ſex Eccleſiæ Aurelianenſis Archidiaconatibus. A *Puteolo* iſto vel *Puteaco* non longè abeſt *Puiſeau*, in pagi Dunenſis Belſæque confinio locus: qui & ipſe Latinè *Puteolus* vocari poteſt appellatione Gallico nomini conveniente.

Eſt in territorio Biturico, in Caſtellania Exoldunenſi villa *Puteoli*, aliàs *Puteolus*, Eugenio PP. III. in litteris anni MCL. memorata, ac Hugoni etiam Regi Francorum. Eſt item in pago Senonico locus *qui dicitur Puteolus*. *Puteoli* in Decanatu Goneſſæ vel Montis Maurétiaci, vicus eſt Pariſiaci agri; *Puiſeux en France* dictus. Eſt *Puteolus*, *Puiſie*, S. Bercharii Monaſterio inclytus in ſaltu Deruenſi. Sunt alii alibi Puteoli, *Puiſieux* vulgò à Noſtris nuncupati.

PUTEUS S. SIGISMUNDI.

Puteus S. Sigiſmundi in Chartulario Eccleſiæ Aurelianenſis ſæpe nuncupatur, & inter Cellas Eccleſiæ S. Crucis numeratur, vicus vulgò dictus trunco nomine *Saint Simond* pro *Saint Sigiſmond*. Locus à re nomen habet, nimirum à puteo, in quem Sigiſmundus Burgundionum Rex captivus cum uxore & ambobus filiis anno Domini DXXIV. Kalendis Maiis juſſu Chlodomeris Regis à Francis dejectus eſt. Vetus auctor qui de Vita, ac de morte Sigiſmundi quam *paſſionem* vocat, libellum compoſuit, Marius in Chronico, Uſuardus, Ado & Notkerus in Martyrologiis ſuis, Sigiſmundum huncce Sanctis Martyribus adnumerant, & una cum conjuge ac filiis capite deorſum verſo in profundum puteum abjectum demerſumque eſſe tradunt: cùm noſtri Hiſtorici, Gregorius, auctor Geſtorum Francorum, Aimoinus, ceterique ante dejectionem jugulatum dicant. In puteo iſto *per triennium Regia corpora in limoſi gurgitis aqua illæſa jacuerunt*, antequam inde ſublata, in Monaſterii Agauni Baſilica à Venerando loci Abbate honorificè ſepelirentur, ubi & Miraculis claruere: quæ Paſſio S. Sigiſmundi uni Sigiſmundo tribuit; Martyrologi noſtri non ipſi ſolùm, verumetiam conjugi ejus ac ambobus filiis aſſignant. Hæc de *Puteo S. Sigiſmundi* primus obſervo, atque alibi docui, hunc *Puteum* à *Columna* vico differre. Et Falcetus quidem olim rectè conjecerat, vicum vulgò dictum *Saint Simon*, à S. Sigiſmundo Rege Burgundionum nomen habere: ſed vicum hunc *Puteum S. Sigiſmundi* ante annos mille appellatum eſſe neſcivit, atque à *Columna* vico differre non putavit. In eo ipſo haud dubiè loco quem *Puteum S. Sigiſmundi* ante multa ſæcula appellatum eſſe obſervavi, reperio eſſe hodieque Baptiſmalem Eccleſiam, unà cum *vico S. Sigiſmundi* titulo illuſtrem, *Curam S. Sigiſmundi* uſitato nunc vocabulo dictam, vulgò *S. Sigiſmond*, aut trunco nomine *S. Simon*, ad Abbatem Monaſterii S. Maximini pertinentem in Archidiaconatu Balgentiacenſi: uti indicat MS. enumeratio Eccleſiarum Parœcialium Antiſtiti Aurelianenſi ſubjectarum, quam à Raimundo Frumentino Aurelianenſis Eccleſiæ Subdecano, viro doctiſſimo accepi. Quare certiſſima eſt obſervatio noſtra, nec ullus dubitationi locus relinquitur.

Q

QUADRIGELLÆ.

QVADRIGELLAS in veteribus tabulis vocari Latino nomine *Charolles* ait Blondellus: quæ pago *Quadrigellenſi* nomen ſuum dederint, *le Charollois*. Hoc opidum Comitatûs titulo illuſtre, ita dictum eſſe nuſquam vidi. Fides ſit penes auctorem. *Cadrellas* paſſim nuncupari video, atque *Kadrellas*: quod nomen truncatum duabus litteris, & ex *Quadrigellis* deductum aliqui credunt. Ego *Cadrellas* dictas eſſe puto, quæ primum ſincero nomine *Quadrellæ* appellarentur à forma quadrata: ſicuti de *Bello-Quadro Bellum Cadrum* recentiores ſcriptores fecerunt. Ita quadrum vel quadratum Noſtri vocitant *carré*, & *cadre*, qu in c convertendo. *Bartholomæus Archipreſbyter de Kadrellis* in Epiſcopatu Æduenſi ſeu Auguſtodunenſi, in litteris datis anno MCCLXXVII. & MCCXXCIV. memoratur. In Comitatu Kadrellenſi eſt *Denegontium*, in rebus Pippini Regis Francorum memoratū ante annos DCCCC. *Digonia* in priſcis litteris, Baroniæ titulo gaudens, vulgò *Digoins*, aliàs *Digoine*, ad Arotium, non longè ab ejus amnis & Ligeris confluentibus, inter Marciniacum & Burbonem Ancelli.

QUADRUGIÆ.

Ordericus Vitalis in libro Hiſtoriæ XIII. *Quadrugias*, unáque & junctim *Scoceium* & *Aſnebec* ut loca vicina memorat. Scoceium eſt Olinæ flumini impoſitum, vocaturque *Eſcouchi*: cui proximus eſt locus nomine *Caronges*, adſitus rivulo in Olinam decurrenti: quem eſſe Orderici *Quadrugias* haud dubito: cùm & ſitus & ſimilitudo nominum non magis de *Quadrugiis* quàm de *Scoceio* ambigere me ſinat. *Carrogium* vocat in litteris ſuis datis anno Domini MCXXXVIII. *Gaufridus cognomine Martellus, Dei gratiâ Andegavorum Comes* his verbis. *Corroboratio hac ſignorum ſuprapoſitorum facta eſt apud Carrogium Normanniæ opidum à Mathilde Comitiſſa, & duobus filiis ſuis Henrico & Guillelmo, præſente patre ipſorum Conſule Gaufrido.* & infrà. *Redeuntes verò à Carrogio Stephanus Burgenſis opidi Salmuri, & Rainaldus de Pinu, S. Florentii Monachus Goffridi Comitis filium adeunt.* *Carroges* alii appellant. Inter Milites Normanniæ Vexilliferos ſub Philippo Aug. Rege Francorum, *Dominus de Carroges* numeratur. Vuillelmus Gemeticenſis Monachus in libri VI. capite VIII. *caſtrum Carrucas* nuncupat, quum ita ſcribit de Duce Nordmannorum Rodberto ejus nominis primo. *Dux non longè à fluvio Coiſnon caſtrum, quod vocavit Carrucas, ſtabilivit.* Certè non procul à capite Coëtni, (*Coiſnon*) & à caſtro Damfronte vel Danfronte abſunt *Quadrugiæ*, nunc Comitatus Hujus loci dominus erat Miles ſtrenuus, qui violatam uxoris ſuæ pudicitiam in ſingulari certamine Griſii Armigeri violatoris cæde vindicavit. *Quadrugiæ* autem dictæ à *quadro*, uti *quadruvium*, quòd eſſent quadratæ. Ex *Quadrugiis*, qu in c & u in o converſis, factum *Carrogium*: qu in c & g in c mutatis factæ *Carrucæ*.

QUANTIA FLU. ET DE QUENTOVICO PORTU.

Quantiam flumen liber de Vita Auſtrebertæ Abbatiſſæ Pauliacenſis, Florentius Abbas de Vita S. Judoci, Hariulfus in Chronico Centulenſi, & multæ veteres tabulæ cōmemorant. *Cantiam* vocat Hugo Rex Francorum in litteris Indict. IV. anno IV. regni datis: *in Pontivo Frovenas ſuper fluvium Canciа.* Nunc vulgò dicitur *la Canche*. Hic fluvius anguſtus, nec tamen vadus alluit Lineium *Ligny*, Heſdinium *Heſdin*, & poſtquàm *Ternam* amnem recepit, *Ternois*, ex opido S. Pauli Blangiacoque venientem, Bellum Ramum caſtellum (*Beau Ram Chaſteau*) attingit, dein Monaſteriolum *Monſtreul*, Stapulas *Eſtaples*: & infra Cellam S. Judoci, *S Joce*, in Oceanum influit. *Quantiam* recentiores *Quentam* vel *Quentum*, & *Quantam*, ac *Cuent* dixere. Hinc natum nomen loci portu & commercio olim celeberrimi, *Quentavvich*, quaſi *Vicus ad Quentam*. *Quentovicum* vocat Imper. Ludovicus Pius in Diviſione Regni inter filios; *Quentouvicum* Carolus Calvus in Capitulis; *Quentavvich portum* Chronicon Fontanellenſe in anno DCCCXLIV. quo

anno à Normannis miſerabili clade vaſtatus eſt. VVilibaldus in Vita S. Bonifacii *flumen* quidem ipſum *Cuent*; locum autem *Cuentavvic* nuncupat: Vita S. Richarii *portum Quentovvig*. Alii *Vicum*, & more Germanico *VVicum* ac *VViccum* nominant, in his Alcuinus, priſcæ Regum noſtrorum litteræ, & veteres nummi. Nummos publicavit Claudius Botarotius inſcriptos modò *VVicco fit*, modò *Vicco fit*, item *VVicus fit*. Alcuini in epiſtola XCIII. verba hæc ſunt. *Martinus in Vico apud S. Jodocum infirmus remanſit*: & in epiſtola XII. *Revertenti mihi de Vvicus*, &c. Quæ verba docent quidem *Vicum* ſeu *Quentovicum* propinquum eſſe Cellæ S. Judoci; Cellam S. Judoci eſſe non docent: quod tamen nonnulli verbis Alcuini malè intellectis decepti exiſtimant. Samſon *Quentovicum* vel *Vicum*, *Quain le Vieil* viculum ad Alteiam malè interpretatur: cùm haud dubiè ad Quantiam vel *Quentum* flumen debuerit eſſe *Quentavuich* portus, ut nomen ipſum indicat. *Cannel* tabulæ Geographicæ ponunt ad ſinum maris trans Alteiam & Quantiam amnes, non procul à fluvio Quantia & Stapulis: quem locum an Samſon deſignare voluerit neſcio. Certè *Quentovicus* Quantiæ vel *Quenti Vicum*, ſeu *Vicum ad Quentum* Quantiamve ſonat atque ſignificat. Quare hic locus & portus (ſi quæ ſunt nunc ejus reliquiæ, ſi qua veſtigia) ad oſtium Quantiæ poſitus fuit, & eſt, non longè à Stapulis aut à Cella Monaſterioque S. Judoci. Beda in libri III. Hiſtoriæ capite I. *portum Quentavic* vocat; tranſlatio Saxonica *Cuentovic*; *VVicus portum* Dagoberti & Caroli Magni litteræ.

QUERCETUM.

Quercetum vocant tabulæ Balduini Comitis Flandrenſis & Hainoenſis, datæ anno MCC. & aliæ anni MCCVI. opidum in Hainoo, vulgò *le Quesnoy* dictum: quod *Caſnetum* à Noſtris etiam nuncupatum reperio. Quam enim Latini quercum; Noſtri olim *caſnum* nominavere, vulgò *un cheſne*, aliàs *queſne*. In priſcis litteris lego. *In ſilva S. Benigni, & ibi taliaſſent vel occidiſſent uno caſno de S. Benigno*: id eſt quercum unam cecidiſſent, ad Divionenſe Monaſterium S. Benigni pertinentem. In aliis litteris, *in ſilvam S. Benigni veniſſent, & caſnum mortificaſſent malo ordine.* Nihil occurrit frequentiùs. Unde in litteris datis regnante Philippo in Francia, ante annos DLXX. *villam Caſnedum* inde dictam reperio, & *poteſtatem Caſnedi*. Ut à *quercu* Latinis *quercetum* dicitur locus quercubus conſitus: ita à *caſno caſnetum*, & t litterâ in d mutatâ *caſnedum* Noſtri dixere, ac ſuo more fecere. Ex Caſneto factum eſt *Queſnoy*, & quod idem eſt, *la Cheſnaye*.

QUINTIACUM.

Quintiacum à Quintio nomen accepit, ac vulgo *Quinçay* nuncupatur: qui eſt locus in finibus Pictonum Diœceſique Pictavenſi, Monaſterio veterrimo ejuſdem nominis nobilis. Filibertus Abbas Gemeticenſis, & multorum aliorum Monaſteriorum pater, *in Pictavo territorio Quintiacum Monaſterium, nobili conſtructum in loco,* Monachis implevit, & uni de ſuis diſcipulis regendum commiſit, regnante apud Francos Theodorico Chlodovei junioris filio, ante annos circiter mille. Sunt & aliquot alia ejuſdem nominis loca in Galliis, quibus eſt vulgare nomen ſingulis *Quincy*, Latinè *Quintiacum*.

R

RADEVERUM.

RADEVERUM vicus eſt in Baiocaſſino pago, vulgò *Rauvers* dictus, clarus olim Monaſterio ejuſdem nominis, quod pridem eſt dirutum.

RADIPONS.

Radipons caſtrum olim nobile fuit ad flumen Indellam in Veliocaſſibus Diœceſique Rotomagenſi, proximum Floriaco, *Fleury*. *Anno* MCCII. *in fine Auguſti Philippus Magnanimus Radipontem per* III. *ſeptimanas viriliter expugnatum cepit, cum* XX. *Militibus ſtrennis & aliis plurimis bellatoribus, qui caſtrum defenſabant*, nimirum centum Servientibus, & XXX. Balliſtariis, ut Guillelmus Armoricus & Rigordus ſcribunt: ex quibus Guillelmus *Ratiſpontem* etiam vocat. Vulgò dicitur *Ratepont* etiamnum, proximuſque eſt *caſtro Gaillardo*, vel *Guallardo*, (*Chaſteau Gaillard*) à Brittone Rigordoque memorato.

RADIS INSULA.

Hunoldus Dux Aquitanorum anno DCCXLIV. cùm annis circiter IX. Aquitaniæ principatū obtinuiſſet, VVaifarium filium ſuum adoleſcentem in locum ſuum ſubſtituit, ac tonſo capite vovit ſe Monachum futurum, atque uxore Cœnobio Virginum incluſa, in Monaſterium quoddam Santonicum poſitum in *inſula* ſinus Aquitanici quæ dicitur *Radis*, intravit: ſicuti Annales Metenſes referunt, ubi hæc leguntur. *Hunaldus coronâ* (ſcribe comâ) *capitis depoſitâ, & Monachi voto promiſſo, in Monaſterium quod Radis inſulâ ſitum eſt intravit anno D. I.* DCCXLIV. Hæc *inſula Radis*, vulgò nunc *l'Iſle de Ré* nuncupatur, nomine ex *Radi* deducto atque corrupto: quam ignari antiquitatis *inſulam Reorum* dictam eſſe exiſtimant, quòd (ſi ipſis credimus) eò rei deportarentur, & eam inſulam pro cuſtodia haberent aut carcere. Monaſterium inſulæ *Radis* ante annos nongentos floruit, cùm à Duce Aquitanorum Hunoldo anno DCCXLIV. ad vitam Monaſticā agendam ſit electum: vulgò nunc dicitur *l'Abbaye de Ré*, aut abſolutè *l'Abbaye*. *Radis* autem videtur mihi dicta eſſe hæc inſula, à vetere nomine Gallico radis, *rade*: quòd nimirum loca ibi eſſent egregia ad tenendas ancoras, ſeu ad naves ſubducendas minimùm tria, ὕφορμοι ἀγκυροβόλια, quas nos vulgò *rades* aut *radas* vocamus. (*des Rades*) Giraldus Cambrenſis in capite VI. libri I. Itinerarii Cambriæ *Ryd Britannicè, vadum Latinè eſſe* dicique ait: unde nomen inſulæ *Radis*, & *radium* appellationem deduco.

Radis inſula, dicta eſt & *Ratis*, vel *inſula Ratenſis*. Sauſſaius vetuſtiſſimum Monaſterii S. Sabini in Levitania Martyrologium, ante D. circiter annos in membranis Pergamenis exaratum laudat, in quo hæc ait legi: XII. *Februarij in inſula Ratenſi S. Baſilii Monachi.* In Martyrologio Letienſi idem eodem in die reperiri aſſerit Henſchenius: *& in inſula Ratenſi S. Baſilii Monachi*: & in Martyrologio Turnacenſi; *& in inſula Ratenſi natalis S. Baſilii Monachi.* Sed quæ, aut ubi ſit hæc inſula, ignorat Henſchenius. *Cracinam Pictavenſem inſulam* eamdē vocari à Gregorio credit Maſſonus in Deſcriptione Galliæ per flumina. Quæ ſi vera ejus conjectura eſſet, *Cratinam* aut *Ratinam* apud Gregorium ſcribi, non *Cracinam* oporteret. *Radis* undecim circiter vicos continet, quos inter eminent Abbatia, *l'Abbaye*, & magnus vicus S. Martini, *S. Martin*, munimento & ancyrobolio eiuſdem nominis notabilis; quorum alterum *Fort S. Martin*, alterum *rade S. Martin* nuncupatur. Mare quo alluitur *Radis*, ſive pars Oceani Aquitanici aut ſinus Aquitanici quâ circumdatur, appellatur ab incolis & nautis mare Ferum aut Silvaticum, *la mer Sauvage*, aut ut eorum verbo utar, *la mer Souvage*.

Radis, ut & Uliarus vel Olario ei propinqua, inſulæ ſunt in finibus Santonum: ex quibus Olario Diœceſi Santonica hodieque continetur, at *Radis* ei detracta eſt, una cum Rupella, poſtquàm Malliacenſis Epiſcopatus, qui in Pictonum opido inſulaque Malliaco erat, Rupellam Santonum tranſlatus eſt.

RADOLIUM.

Ad ripam fluminis Matronæ in Meldis

atque Briegio Monaſterium eſt nomine *Radolium*, à Monaſterio Jotro ſeſquimilliari diſtans, vulgo *Renil*; hodieque Cluniacenſis Archimonaſterii Ordiniſque Cella, vel ut nomine uſitato utar, Prioratus. Hoc Monaſterium à *Radone* quodam, fratre Adonis & Dadonis, ac Theſaurario Dagoberti exſtructum ac cognominatum eſſe, Aimoinus ac Sigebertus aſſerunt, Geſta Dagoberti ſecuti, recentiora & magna ex parte corrupta atque fabuloſa: quem Radonem nec Jonas de Vita Columbani, nec Faronis Vita commemorat, nec Dado ipſe vel Audoënus pro fratre agnoſcit, cùm Adonis fratris mentionem faciat. Neque vero pluris Aimoino ac Sigeberto faciendus eſt Fridegodus in Vita Audoeni, qui *Radolium* Monaſterium indictum reliquit; Radonem iſtum Adonis & Dadonis fratrem non omiſit, nullo cujuſquam veteris ſcriptoris teſtimonio ſubnixum. Quòd ſi ab auctore nomen haberet Monaſterium *Radolium*: à *Radone* utique *Radonium* dici deberet, non *Radolium*. Placuit credo Fridegodo, Aimoino ac Sigeberto, in nominibus ludere, & duobus diſyllabis unâ tantùm litterâ differentibus ac ſimiliter cadentibus tertium adjungere. Quid? quòd & in Chartario Eccleſiæ Meldenſis tam *Rodolium* quàm *Radolium* nuncupatur? & nunc *Radolienſe Monaſterium* ac *Capitulum*; nunc *Prior Rodolii* non ſemel in litteris anni MCCLXIII. memoratur: ne quis à Radone dictum *Radolium* putet, cùm & *Rodolium* appelletur. In libro IV. de Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis *Rivolium* dictum animadverto, nomine à *Radolio* & à *Radone* longè recedente. *Vicum Materna fluvio proximum, quem Rivolium nominant.* Petrus Mauricius Abbas Cluniacenſis in libri II. de Miraculis capite XXXII. *Radolii* meminit. *Regreſſus ab Angliæ partibus, dum Cluniacum tendens per Franciam iter agerem, ad quoddam Monaſterium Cluniacenſis Ordinis, quod Radolium vocatur & ad Caritatem pertinet, hoſpitandi causâ diverti.* Hoc Monaſterium SS. Petri & Pauli patrocinio gloriatur, etiamnum Caritati ſubjectum. Paſchalis PP. II. in litteris anni MCIX. *Rodobium*; Honorius PP. II. in litteris anni MCXXV. *Roddobium* corruptè illud vocant, numerantque inter *Obedientias* & *Prioratus* ad Cluniacum pertinentes.

S. RAGNEBERTI OPIDUM.

In pago Forenſi ſuperiore vel Seguſiano non procul à Foro Seguſianorum eſt opidum ad ripam Ligeris poſitum, *S. Ragneberti* nomine, & ponte ac Monaſterio illuſtre: quod vulgò *S. Ramberti* appellatur, *S. Rambert*. Hic eſt *Ragnebertus*, Radeberti provinciarum inter Ligerim & Sequanam Ducis filius: quem Ebroinus Præfectus Palatii, inſimulatum conſilii in caput ſuum initi potiùs quàm convictú, clàm de medio tolli juſſit. Eſt clarius alterum ejuſdem nominis opidum in Brexia, III. diſtans leugis à flumine Rhodano, ad amniculum qui Indim auget poſitum, & ipſius *Ragneberti* ſanguine conſecratum, *Bredo* olim nuncupatum, ſi Paſſioni S. Ragneberti fides habetur; *Vallis Vebronna* vel *Bebronna* à torrente quo alluitur, ſi Adoni credere malumus. Adonis in Martyrologio verba hæc ſunt. *Kal. Julii in territorio Lugdunenſi, loco qui Vallis Vebronna nuncupatur, depoſitio Beatiſſimi Domitiani Abbatis: qui primus illic Eremiticam vitam exercuit. & plurimos ſibi in Dei ſervitio aggregans, Monaſterium inſtituit, magniſque virtutibus & glorioſis miraculis valdè clarus, collectus eſt ad patres in ſenectute bona.* At in Paſſione MS. S. Ragneberti iſta legimus. *Duxerunt* (Ragnebertum cuſtodes & percuſſores) *per quoddam deſertum in confinium Lugdunenſium Juræ vicinum. Deducentes igitur eum, venerunt noctè ad locum Bredone vocatum, ubi Dei ſervus Domitianus religionis obtentu in honore S. Geneſii Mart. dum in ipſa eremo S. Patrum Eremitarum vivere exemplo, artum conſtruxerat oraculum*: id eſt oratorium; quæ *Eccleſia* ibidem vocatur, & *porticum* habuiſſe dicitur. Locus ille cum Monaſterio in eremo aut deſerto Lugdunenſis pagi, ſeu *Vallis Vebronna* aut *Bebronna*, ſeu *Bredo* nuncupabatur, poſtea dici occœpit *S. Ragneberti*, ac ita nunc appellatur, *S. Rambert*, in Brexia poſitus & in ipſo agri Lugdunenſis montiſque Juræ confinio, propterea quòd ibi Ragnebertus cæſus, ibique ſepultus eſt primùm in porticu Baſilicæ S. Geneſii Martyris Arelatenſis, ab Domitiano Eremita olim exſtructæ, deinde ob virtutum miracula in Baſilicam ipſam tranſlatus, atque juxta analogium vel lectorium humatus eſt.

C. Laborator, Præpoſitus Monaſterii Barbarenſis, *Bredonem* quidem Abbatiali Monaſterio *S. Ragneberti*, ac tumulo etiam ejus olim nobilem, vocat *S. Rambert de Bengey*, ac *l'Abbaye de S. Rambert en Bengey*; id eſt locum & *Abbatiam S. Ragneberti in Belicenſi pago*, parte Brexiæ: at ex loco Bredone SS. Domitianum & Ragnebertum tranſlatos eſſe ſcribit in locum nomine *Occiacum*, Monaſterio S. Andreæ illuſtrem in Comitatu Forenſi trans Ligerim: quod opidum veteri *Occiaci* appellatione depoſita, à *S. Ragneberti* tumulo novum nomen acceperit, dicique occœperit *Ad S. Ragnebertum*, *S. Rambert*.

RAMBERTI PRATUM.

Johannes de Albineio Epiſcopus Tricaſſinus, vel (ut tum loquebantur) Trecenſis in teſtamento ſuo, quod anno MCCCXLI. fecit atque ſignavit, *Ramberti Pratum* in Ambianis ponit hiſce verbis. *Petro de Ramberti Prato Ambianenſis Diœceſis do & lego*, &c. Hic locus vulgò nunc *Rubempré* nuncupatur: quod ſuos quondam ac domeſticos dominos, Marte claros habuit.

RAMBURELLI.

Guarini Epiſcopi Ambianorum litteræ, datæ anno MCXXXVIII. *altare de Ballolio, altare de Ardicurtia, & altare de Ramburellis in Epiſcopatu Ambianenſi* junctim memorant. *Ramburelli* iſti ſunt vicus hodieque dictus *Rambures* in Ambianis.

RAME.

RAME.

Rame inter Brigantionem & Ebrudunum ab Æthico ponitur, in itinere à Mediolano Arelate per Alpes Cottias, à Brigantione XVIIII. ab Ebroduno totidem millibus paſſuum diſtans. Eadem dicitur *Roame* in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam; *Rama* in tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana, inter Eburudunum & Brigantionem. Ejus loci fit mentio & in Itinerario à Burdigala Hieruſalem uſque. Joſias Simlerus *Portam Roſanam* nunc dici ait, *Roſans* vulgò, aut *Porte à Roſans*. Melius dixiſſet *Pertuis Roſan*, id eſt foramen, ſeu *Pertuſum* aut pervium *Roſanenſe*, *fauceſve Roſanenſes*. Eſt enim iter anguſtum inter duos montes, à loco proximo *Roſana* ſic cognominatum. Sed fallitur Simlerus. *Rama* vel *Roame* hodieque nomen ſervat, vocaturque *Rame*, & eſt vicus inter Brigantionem & Ebrodunum, ſola vetuſtate notabilis: qui inter vicos Fraxinariam *Froiſſiniere* & Cantumlupæ *Chantelouve* medius cernitur, hinc pede montis, inde flumine anguſtatus.

RAMERUDUM CASTRUM.

Balſemius qui vulgò *S. Bauſange* dicitur, in agro Artiacenſi à Vandalis XVI. Kalendas Septemb. cum ſociis capite truncatus eſt. Ejus in Paſſione *caſtrum Ramerudum* aut *Ramerudi* memoratur, quod VII. leugis à civitate Tricaſſium, unâ ab Artiaca vel Arceiis diſtat, & ad Albam flumen eſt poſitum. *Caſtri Ramerudenſis* Cella ſive Prioratus S. Balſemii Reliquias ſervat. *Rameruccum* alii appellant; *Ramerus* Albericus in Chronico; Noſtri *Rameru*. In litteris Hugonis Comitis Trecenſis, qui Philippi Francorum Regis principatu floruit, *Comes Andreas de Ramerucο* memoratur.

RANCO.

Ademarus Cabannenſis in Chronico *Haimericum quemdam Principem Ranconenſem* appellat. Alius ex eodem caſtro eademque familia *Haimericus de Rancone* conſtitutionis Monaſterii Vindocinẽſis litteris præter ceteros ſubſcripſit anno MXL. Ex ea familia *Gaufridus de Rancone* à Ludovico ejus nominis VII. Rege Francorum & Duce Aquitanorum Pictonibus eſt præpoſitus. *Ranco* caſtrum eſt, vulgò *Rancon* dictum: *Rancoone* Maſſonus vocat in libro de fluminibus Galliæ, ſitumque eſſe ait in alta rupe ad Tarduetam flumen in agro Ecoliſmenſi. In Chartulario Ecoliſmenſis Monaſterii S. Eparchii nunc *Rancho*, & *Ranchonum*; nunc *Ronco* & *Ronconium* vocatur. Ibi ſunt litteræ *Aimerici de Roncone, & domini Marcilliaci caſtri*, (*Marcilhac*) datæ anno I.V. MCXXI. Ibi litteræ *Gaufredi de Ranchene*, fratris Aimerici, S. Eparchio *omnes arbores lemniarum ſuarum de Pontoi, præter chairſnum & fraxinum. ad ignem & ad alia neceſſaria* donantis. Quidam *Ranconium*; alii *Ranconam* nuncupant.

RATIATENSIS VEL RATENSIS PAGUS.

Vicus Ratiatenſis, quem Gregorius in libro de Gloria Confeſſorum prope urbem Namnetas in finibus Pictonum ponit, nomen dedit *Ratiatenſi pago*, *Ratenſi* in Annalibus Bertinianis dicto: quibus in Annalibus invenio, *Heriſpoium Brittonum Ducem* Regia veſte & *paternæ poteſtatis honore*, hoc eſt patrio Regno à Carolo Calvo Francorum Rege donatum eſſe, additis Redonis, Namnetis & *Ratenſi* pago, qui ex eo tempore Britanniæ, à qua flumine Ligere dividebatur, pars eſſe cœpit. Verba Annalium ſunt. *Anno* DCCCLI. *Reſpogius filius Nomenogii ad Carolum veniens, in urbe Andegavorum datis manibus ſuſcipitur, & tam Regalibus indumentis quàm paterna poteſtatis ditione donatur, additis inſuper ei Redonibus, Namnetis, & Ratenſe.* *Ratiatenſis* vel *Ratenſis pagus* in finibus Pictonum, Ligere amne à Britannia, cui tamen attribuitur, diviſus, Ducatûs titulo gaudet, ac vulgo nuncupatur *le pays & Duché de Raiz*, alias *Retz*. Gregorius in libro ſuprà laudato ſic ſcribit. *Intra ipſum Pictavorum terminum qui adjacet civitati Namnetica, ſed eſt in vico Ratiatenſi, Lupianus quidam à B. Hilario baptizatus, in albis defunctus quieſcit.*

Adelphius Epiſcopus Eccleſiæ Pictavorum Synodo Felice V. C. Conſule Aurelianis habitæ ſubſcripſit, in codicibus Remenſi, Bellovacenſi, aliiſque *ex civitate Pictavis Adelphius Epiſcopus* dictus; at in codice Pithœano *Adelphius de civitate Ratiatica*; in Corbeienſi *Adelfius Epiſcopus de Ratiate*: uti aſſerit Jacobus Sirmundus, qui & ubi Concilio Aurelianenſi II. anno DXXXIII. habito *Aſclepius Presbyter pro Adelphio Epiſcopo Ratiacenſi ſubſcripſiſſe* dicitur, emendandum eſſe ait *pro Adelphio Epiſcopo Ratiatenſi*, hoc eſt Pictavenſi. Pictavenſes enim Epiſcopi *Ratiatenſes Epiſcopi* dicti ſunt nonnumquam à *vico Ratiato* vel *Ratiatenſi intra terminum Pictavorum*, ſive in finibus Pictonum, ubi aliquando ſunt commorati: ſicuti eamdem ob cauſſam Epiſcopi Conſtantienſes appellati ſunt Briovetenſes; Carnutini *Dunenſes*.

Vita S. Vitalis Angli qualis in Breviario Tinurtienſi legitur, meminit *territorii Ratenſis* his verbis. *Erat cellula habitatio B. Viri in ipſo confinio Ratinſis, quodam in monte Scobrit nomine*: vel (ut ibidem reperitur) *in territorio Ratinſis ambitu.* Meminit & Ludovicus Pius Aug. in litteris datis anno DCCCXXXIX. *villam juris noſtri nomine Scobrit, quæ eſt in pago Pictavo, in Vicaria Ratinſe cum Eccleſia S. Vitalis. Scobritum* à S. Vitale Patrono Eccleſiæ loci, & à pago in quo ſitum eſt, *S. Vitalis in Ratenſi* nomen accepit, *S. Viau en Retz.* Calliſtus PP. II. in litteris datis anno MCCXX. pro Ratenſi *Raas* dicit, & in Epiſcopatu Namnetenſi, cum *Monaſterio S. Filiberti* & cum *Machicol, Eccleſiam S. Vitalis de Raas* ad Monaſterium Tinurtienſe vel Trenorcienſe pertinere ait. Monaſterium autem S. Filiberti de Grandi Lacu, in pago Her-

batilico (*d'Herbange*) poſitum erat, quod *Deas* Monaſterium olim vocavere. Armentarius in libro II. de Tranſlationibus & Miraculis S. Filiberti, quem Ermentarium mendosè vocant, *terminum Ratinſim* paſſim memorat, & *Oceani litus inhabitare Ratenſes* tradit.

Scobrito proximus eſt locus dictus *le Reſtail*, qui eſt forſitan *vicus Ratiatenſis* Gregorii, à quo *pagus* vel *terminus*, vel *Vicaria Ratiatenſis* aut *Ratenſis* nomen accepit: quamquam Ludovicus Caſtanerius Epiſcopus Pictavenſis vicum *Ratenſem Rxé* eſſe exiſtimat. Alii vetus caput pagi ejus Comitatuſve intercidiſſe credunt: quod in Diœceſi Pictavenſi, non autem in Namnetica cum majore parte pagi *Ratenſis* ſitum fuiſſe putandum eſt: cùm *Ratiate* & *civitas Ratiatica* ſuprà nuncupetur, nomenque det Epiſcopo Pictavenſi. Nec abs re forſitan idem locus ab Armentario dictus videri poſſit *portus Recíatus* pro *Ratiatus*: quum in libri II. de S. Filiberto capite LXI. ſic ſcribit. *Ex Cinomannico territorio quadam femina Rainildis nomine navem conſcendit, curſuque veloci Sartâ fluvio agente Meduana amnem ingreditur: quâ graviore impetu currente, Ligeris deſcendit in alveum, uſque ad optatum portum qui Reciatus dicitur, à Monaſterio quod Deas vocant octo milliariis, celeriter decurrit.* In litteris Calliſti PP. II. anno MCXIX. datis, quæ leguntur in tabulario Monaſterii Fontis Ebraldi, *locum landa de Machecol* (*Machecou en Raiz*) *ex dono Garſii de Raes* Virginibus Fontebraldenſibus ceſſiſſe reperio. Sed *Raes* heic loci, an pagi nomen ſit, incertum eſt. Locum tamen eſſe magis crediderim, & ſuprà *Raas* nuncupari, quum *Machicol* & *Eccleſia S. Vitalis de Raas* memorantur. Inter milites Britanniæ Vexillarios ſub Philippo Aug. *Bernardus de Machequolem* & *Haculfus de Radiis* referuntur: ex quibus *Machequolem* eſſe *Machecou en Raiz*, & *Radios* eſſe *Raes* vel *Raas* indubitatum eſt.

RAUCIACUM.

Frodoardus in Chronico *Rauciaci* originem deſignat in Chronico his verbis. *Anno* DCCCCXLVIII. *Hugo quamdam munitionem, quam Ragenoldus Comes Ludouvici ſuper Axonam fluvium in loco qui dicitur Rauciacus ædificabat, devenit; ipſamque adhuc imperfectam caſtris vallavit: ſed nec ipſam cepit.* Item. *Anno* DCCCCLIIII. *Rauciacum munitionem Ragenoldi Heribertus Comes per quoſdam ſatellites ſuos furtiva invadit irruptione.* Gerbertus in epiſtola ad Brunonem Lingonenſem Epiſcopum *Roceium* vocat. *Et quia vos apud Roceium audivi pro mea ſalute, merear nunc Silvanectis audiri pro omnium bonorum liberatione.* Vulgò nuncupatur *Ronci*, locus Comitatûs titulo inſignis. *Rauciacum* tamen ante annum Domini DCCCCXLVIII. jam ſtetiſſe crediderim. Neque id Frodoardus ſuprà negat: qui tantùm ait, *Rauciacum locum* à Ragenoldo Comite eſſe munitum. Ex quo intelligitur locum hunc multo antequàm à Ragenoldo muniretur, *Rauciacum* dictum fuiſſe, nec nominis loci, ſed munitionis ſolùm auctorem ipſum exſtitiſſe. Certè in Chronico Fontanellenſi, quod Andreas Cheſnius tomo II. Hiſtoricorum Francorum inſeruit, invenio *anno* DCCCLI. *Regem Carolum placitum ſuum in Rauziaco tenuiſſe, & dona annua ſuſcepiſſe.* Jam tum ergo *Rauciacum* vel *Rauziacum* nomen ſuum habuit: jam tum villa Regia fuit. *Ruciacum* vocat Suggerius in libro de Vita Ludovici Craſſi Franc. Regis, quum *Baronis Ebal. Ruciacenſis* mentionem facit. *Rauciacum*, in Chartario Monaſterii Fuſniaci nunc *Ruciacum*; nunc ſed corruptè *Ruſciacum*, & *Ruſſiacum*; nonnumquam *Roceium* & *Ronceium* dictũ reperio, & ibi *Hugonem Comitem Ruciaci* in litteris anni MCLVII. *Guichardum Com. R.* Hugonis Com. R. filium; *Ingerrannum Comitem Roceii & dominum Cociaci* in litteris anni MCCXI; *Johannem Comitem de Ronceio, dominum Petrapontis* in litteris anni MCCXXXVII. memorari. Inter Vexillarios Milites Philippi Aug. *Alanus de Rociaco* refertur, & *Militibus Cociaci* adnumeratur, quod & *Coci* ibidem dicitur. Ubi *Rociacum* factum eſt ex *Rauciaco*: & *Rociacum* vocatur *Roncy*, ut *Cociacum Coucy*.

Rauciacum ad flumen Axonam in Campania Remenſi vel Gallica, Comitem ſuum habet, unum olim eumque quartum de ſeptem Comitibus Paribus provinciæ Campaniæ.

RAUGA.

Hugo munitionem nomine Raugam, tradentibus eam Heriberti cuſtodibus, ſine difficultate cepit: inquit Frodoardus in Chronico, in rebus anni DCCCCXXXIII. *Rauga* hæc, *Roia* VVillelmo Armorico in libro II. Philippidos; Noſtris vocatur *Roye*; ut auca ſeu anſer *oye*; *Auga* caſtrum ad mare ſitum, *Ou* vulgò dictum & *Eu*: & Diœceſi Ambianenſi continetur, ſicuti & Mons Deſiderii, *Mont-Didier*.

In tabula Theodoſiana videtur mihi *Rodium* nuncupari: *Augusta Viromanduorum, Setucis, Rodium, Lura, Augusta Sueſſionum*: quod poſtea Cluverium ſenſiſſe reperi. Certè & *Rodium*, aliàs *Rode*, opidum Hainoenſium in ſilva Carbonaria vocitatur, vulgò *Reux*, Comitivæ titulo illuſtre in Cameracenſi Diœceſi, extramuranâ Abbatiâ S. Foillani illuſtre.

RAURACI ET AUGUSTA RAURACORUM.

Rauraci opidis ſuis vicisque exuſtis, unà cum Helvetiis domo emigravere, capitum millia XXIII. quos C. Julius Cæſar in fines ſuos unde erant profecti reverti, & opida vicóſque quos incenderant reſtituere juſſit: eiſdemque *Rauracis ac Boiis triginta millia* hominum ad Aleſiam obſidione liberandam eſſe imperata, idem Cæſar memoriæ tradidit. Hos tabula Theodoſiana, Itinerarium Æthici, Ammianus Marcellinus in libro XV. aliique Cæſaris exemplo *Rauracos* vocant; *Rauricos* Plinius, Ptolemæus, ac veteres inſcriptiones, in quibus *cohors* XIIII. *Rauricorum* memoratur. Apud Magnonem *Rabrachus*

ſcribitur pro *Rauracus* : ex quo intelligitur u in nomine *Rauracus* non primæ ſyllabæ ultimam eſſe litteram, ſed ſecundæ ſyllabæ primum elementum, quod in b verterit Magno, ut ſæpe fieri ſolet. Sed forſitan erravit Magno, vitioſa apud Francos ejus nominis prolatione deceptus.

Rauracorum vel *Rauricorum* caput vocatur à Plinio in capite XVII. libri IV. *colonia Raurica*, & ponitur in *Gallia Belgica*; *Rauricum Galliæ opidum* ab eodem in capite XII. ejuſdem libri : ubi Danubium *oriri in Germania jugis montis Abnobæ, ex adverſo Raurici Galliæ opidi, multis ultra Alpes millibus* ſcribit. Vetus inſcriptio de Planco *Coloniam* quoque *Rauricam* nuncupat, in qua *L. Munacius Plancus Conſul in Galliam colonias deduxiſſe Lugdunum & Rauricam* dicitur. Poſtea ab Auguſto coloniæ forſitan amplificatore *Colonia Auguſta* cognominata eſt. Certè in nummo Tiberii *colonia Auguſta Rauracorum* appellatur. Claudius Ptolemæus omiſſo coloniæ nomine *Auguſtam Rauricorum* vocat, & in provincia *Germania ſuperiore* ſive Prima, tum Sequanos & Helvetios continente eam ponit, haud dubiè poſiturus in provincia Maxima Sequanorum, ſi jamtum inter provincias Galliarum fuiſſet Maxima Sequanorum. In tabula quoque Theodoſiana *Auguſta Rauracûm* appellatur. (Sic enim legendum eſt pro *Ruracûm*) & inter *Arialbinnum* ac *Vindoniſſam* locatur, ab Arialbinno XXII. à Vindoniſſa VIII. millibus paſſuum diſtans. Itinerarium Æthici in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, ſimiliter *Auguſtam Rauracûm* nuncupat, à Saloturo (*Soloturn*) XXIII. à Cambete (*Kambs* vel *Kemps*) XII. millibus diſtantem, inter quæ duo loca media conſiſtit.

Ammianus *Sequanis*, id eſt Provinciæ Maximæ Sequanorum eam urbem attribuit, uti facere debuit, & nomine Gentis cujus erat caput, *Rauracos* appellat in libro Hiſt. XV. *Apud Sequanos Biſontios videmus, & Rauracos, aliis potiores opidis multis. Rauracos* appellat & Æthicus in itinere per ripam Pannoniæ à Tauruno in Gallias, & inter Vindoniſſam ac Arialbinum quemadmodum tabula Theodoſiana ponit, ſed à Vindoniſſa XXVII. ab Arialbino XVII. millia paſſuum abeſſe ait. Notitiæ veteres civitatum Galliæ *caſtrum Rauracenſe* vocant; quædam etiam *caſtrum Rauricenſe*, & in prov. Maxima Sequanorum VII. loco, nonnumquam & VIII. addito *caſtro Argentarienſi* collocant : quædam *civitatem Rauracenſem* appellant non immeritò, quia olim ſedes Epiſcopatûs fuit. Urbes autem Epiſcopales *civitatum* nomine deſignari conſueverant.

Concilio Agrippinenſi *Juſtinianus Rauricorum Epiſcopus* interfuit. Sed poſtea Baſiliæ vicinia eam urbem exhauſit, ab Alanis, Suevis, Burgundionibus, Vandalis & Alamannis Gallias ingreſſis captam priùs ac peſſimè habitam : & Epiſcopatus Rauracenſis Baſiliam tranſlatus eſt, aut potiùs & veriùs Baſilienſi acceſſit & adjunctus eſt.

Nunc urbs *Auguſta* nomen priſcum retinet. Vocatur enim *Augſt* : & eſt vicus exiguus, à Baſilia VI. millibus paſſuum diſtans, ad confluentem Rheni & Egertii poſitus : ubi Rhenus primùm inflectitur, & ab occaſu curſum ad Septemtrionem convertit. Ad eum viculum ingentis quondam urbis & clariſſimæ coloniæ Romanæ ruinæ ac rudera viſuntur, certiſſimum priſcæ magnitudinis argumentum.

REDÆ ET REDENSIS PAGUS.

Opidum olim non infrequens ac incelebre fuit nomine *Reda*, inter Carcaſſonem & Narbonem poſitum : de quo Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus in Parænesi ad Judices.

Inde reviſentes te Carcaſſona, Redaſque,
Mœnibus inferimus nos citò Narbo tuis.

Et locus quidem ille nunc obſcurus eſt & ignotus : at *pagus Redenſis*, ab eo cognominatus, clarus hodieque notuſque eſt. Vocatur enim *le Pays & Comté de Raſez* vel *Razez*, & Electam (*Alet*) ac caſtrum Limoſum (*Limoux*) continet. *Pagus Redenſis* nuncupatur *Raſez* : ut pagus Cuſacenſis *Cuzaguez*, cui Cuſacum, IV. leugis ab urbe Burdigala diſtans nomen dedit, pagus Lauriacenſis dicitur vulgò *Lauraguez*; pagus Frontiacenſis *Fronſaguez*; pagus Blavienſis *Blayguez*; pagus Cartilatenſis *le Vicomté de Cariadez*. In litteris Stephani PP. V. ad Arnuſtum Archiepiſcopum Narbonenſem datis anno I. imperii Arnulfi, *Comitatus Reddenſis* fit mentio : *Tam in Comitatu Narbonenſi, quàm & Reddenſe, ſeu & Minerbenſe, atque Auſonenſe, necnon & Biterrenſe, ſive etiam Nemauſenſe. Archidiaconi Reddenſis* in Eccleſia Narbonenſi mentionem quoque inferunt priſcæ tabulæ.

REDONES ET CONDATE REDONUM.

Inter *civitates quæ Oceanum attingunt, quæque Gallorum conſuetudine Armoricæ appellantur*, Julius Cæſar in libro VII. Commentariorum *Redones* numerat, & VI millia militum à Vercingetorige imperata eis ſcribit : qui Plinio in Lugdunenſi Gallia *Redones* dicuntur. Ab Claudio Ptolemæo *infra Aulercos Eburovices* περὶ τὸν Λίγηρα ποταμὸν ponuntur *in Celtogalatia Lugdunenſi*, id eſt in Celtica vel in Gallia Lugdunenſi Ῥήδονες, ὧν πόλις Κονδάτη : cùm *Redones* caputque *Redonum Condate* ſint non ad flumen Ligerim, ſed ad Vicinoniam, qui inter opida Namnetas & Venetos in Oceanum effluit.

Caput *Redonum*, *Condate* nomine Gallico appellatur non à Ptolemæo tantùm, ſed etiam in Itinerario Antonini vel potiùs Æthici, in *itinere ab Alauna Condate* per Coſediam & Fanum Martis, & in tabula Theodoſiana quæ & Peutingeriana vulgò ab inventore aut editore dicitur. *Condate* inquam appellatur nomine Celtico confluentes ſignificante, nec ſine cauſſa. Eſt enim hæc urbs poſita ad confluentem fluvioli cujuſdam ignobilis *Lela* vel *Illa* (*Lile*) & Vicinoniæ. In Notitia Imperii Romani communi Gentis

nomine vocatur *Redona* ex more, *Præfectus Letorum Francorum Redonas Lugdunenſis tertia*; vulgò *Rennes* truncato vocabulo quaſi *Rena*; *civitas Redonum* in veteribus Notitiis provinciarum civitatumque Galliæ in provincia Lugdunenſi III. *Redonas civitatem terminis Britanniæ contiguam* nuncupat in Annalibus Eginhardus in rebus anni DCCCXXIV. Notitiam Imperii Romani ſecutus; nuncupat & Chronicon Fontanellenſe *Redonas oppidum*; Aimoinus, Hugo Floriacenſis, aliique *Redonis*, mutato ut fieri ſolet caſu, pro *Redona*, aut certè nomine indeclinabili, aut II. declinationis, ut navis. In veteribus nummis Regum noſtrorum legitur *Redonis*.

Ab ea urbe quæ caput Britanniæ & ſedes Ducum ejus fuit; Dux Britanniæ *Comes Redonenſis* apud Ivonem Carnutum Epiſcopum dicitur: ut Comes Provinciæ à capite regionis *Comes Arelatenſis*; Dux Northmanniæ *Comes Rotomagenſis*; Comes Septimaniæ *Comes Toloſanus*; Dux Burgundiæ *Dux Divionenſis*.

Pagum *Redonicum* Gregorius in libri V. Hiſtor. capite XXX. vocat *regionem Redonicam*; *territorium Redonicum* in libri IX. capite XXIV. *le Rennois*.

Nicolaus Samſon in ſuis in Commentarios Cæſaris Adnotationibus ſcribit, ex una atque unica Diœceſi *Redonum* tres eſſe poſtea factas, *Redonenſem* ſeu veterem, ſed imminutam, *Maclovienſem*, & *Dolenſem*. Quod veriſimile quidem eſt, (Nam à Condate Redonum non multum abſunt hæc loca) incertum eſt tamen ac dubium: quoniam nulla auctoritate nititur, & quidquid probabile eſt, pro vero haberi; quidquid fieri potuit, pro facto haberi, aut gratis affirmari non convenit.

REGENNA.

In Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium quam Labbeus vulgavit, ejus loci ſæpe fit mentio. *Apud Eponiacum caſtrum ſuum domus erat Epiſcopalis, quæ Regis Amnis vocatur, quam Icanna fluvius undique præterfluit.* *Regius Amnis* ibidem dicitur, & *domus Epiſcopalis de Regio Amne*. *Regennas* item, & *Regennam*, necnon *Regennis* ibi nuncupari reperio. Vulgò *Regeane* appellatur, locus in pago Autiſſiodorenſi ad Epiſcopum Autiſſiodorenſem pertinens: quem Bellaforeſtius ad Choram flumen poſitum eſſe ait.

REGULA CASTRUM.

Locus eſt ad Garumnam *Squirs* quondam dictus, poſtea *Regula* à pietate Monachorum, ibi Regulam S. Benedicti exactè ſequentium: quos tamen Aimoinus in Vita Abbonis Abbatis Floriacenſis negat umquam regulam ſervaviſſe, propterea quòd Abbonem occiderant. Hoc Monaſterium *Regula* Guillelmus Burdigalenſium Comes, ac totius Vaſconiæ Dux, Richardo Floriacenſi Abbati, & ejus ſucceſſoribus regendum commiſit, hinc montibus, inde Garumna cinctum, & duobus fontibus Moſâ ac Moſellâ irrigatum, ut Aimoinus refert. Petrus de bello Albigenſi capite LXXVII. & LXXIX. *caſtrum Regis Angliæ quod Regula dicebatur*, nuncupat. Vulgò dicitur *la Reole*; nomine *Regula* corrupto, & g ſublato, u in o converſo. Reperio majores noſtros *regulam*, ſive normam aut canonem *la Rieule* vocaviſſe. Abeſt *Regula* tria circiter millia paſſuum à Palatio Caſſinogilo in Aginnenſi pago.

REITESTE.

Reiteſte, vulgò *Reteſt* primò, pòſt *Retel* dictum, ad flumen Axonam in finibus Remorum, olim Comitem ſuum habuit, ac demum in Ducatûs titulum atque Pariatûs beneficio Henrici III. Francorum Regis adſcendit. Ab eo nomen habet novum *pagus Reiteſtinus*, *le Retelois*, qui olim *pagi Portiani* nomine & finibus continebatur ex parte deſignabaturque. Vicus olim tantúmodò fuit. Quippe *villa Reiteſte* vocatur in Vita MS. S. Arnulfi: cuius pater Cyriacus primò, poſt Baptiſmum Rogatianus dictus, & mater Quintiana, poſtea Euphraſia nuncupata, *omnia quæ in villa Reiteſte nomine habere videbantur, S. Remigio tradiderunt; ut ejus meritis ſibi filius condonaretur.* Quidam *Regiteſte* mendosè appelitant; alii & corrupto vocabulo *Reiſtetum*, & *Regiſteſte*: VVillelmus Britto in libro I. Philippidos *Reſtellam* vocat, nomine ad vulgare vocabulum accedente, & *Reſtellæ* ac *Cocy*, id eſt Codiciaci *Comites* memorat hoc verſu.

> Reſtellæ, Cocii Comites, Dominuſque Roſeti
> Certatim Eccleſiæ patrimonia dilapidabant.

Roſetum illud, cuius dominus Clerum Remenſem cum duobus iſtis Comitibus vexabat, eſt Roſetum in Teoracia, *Roſoy en Tierache*, non autem Roſetum in Briegio, *Roſoy en Brie*. Johannes quoque Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum *Reſtellenſem Comitatum* ſemper appellat, & in eo *villam de Maceriis* poſitam fuiſſe docet, id eſt Macerias, *Meſieres*, ad Moſam flumen. *Reſtellum* nuncupat Appendix Chronici Guillelmi Nangiacenſis. Ex *Reſtello* aut *Reſtella* factum eſt à Noſtris demum *Retel*. Inter Philippi Auguſti Milites Vexillarios Campaniæ, ſex Comites numerantur, *Comes Jovigniaci*, *Comes Brenæ*, *Comes Regiſteſtis*. *Comes Grandiſprati*. *Comes de Chigni*, id eſt Ciſneii, *Comes Rociaci*, cum dominis Trianguli *Treynel*, Montis Mirabilis, Caſtri Villani *Chaſteau Villain*, Nantolii, *Gnengnoron*, id eſt Vangionis rivi, Capparum *Chapes*, Brecarum *Broies*, Viennæ, Alneti, Aſperi Montis, Dampetræ, *Chaumont* ſeu Calvimontis.

REMI GENS BELGICÆ.

Remi, ut in libro II. ait Cæſar, *proximi Galliæ ex Belgis ſunt.* Certè à flumine Matrona quod Gallos ſeu Celtas a Belgis dividit, nimirum à Caſtello Theodorici, opido Meldorum Gentis Celticæ, Durocortorum

Remorum non multum abeſt. Cæſar *Remorum omnem Senatum ad ſe convenire, Principumque liberos obſides ad ſe adduci juſſit.* Idem ibidem *Iccium & Antebrogium primos civitatis*; Aulus Hirtius *Vertiſcum Principem civitatis*; *Præfectum equitum*, necnon *Principem & Præfectum Remorum* vocat.

Flumen Axonam eſſe in extremis Remorum finibus ſcribit Cæſar in libro II. cùm tamen *Remorum* fines longè trans flu. Axonam uſque ad Moſam fluvium pertineant: qua parte Maceriæ ſunt atque Moſomagus Remenſis Eccleſiæ Parœciæ. Sed nimirum Axona *Remorum* fines Sueſſionumque præterfluit, Auguſtam etiam Sueſſionum alluit, ut & aliquot *Remorum* opida: itaut *in extremis Remorum finibus eſſe*, verè dici poſſit.

Cæſar caſtra ad flumen Axonam poſuit: *in eo flumine pons erat; ibi præſidium ponit. Ab ipſis caſtris opidum Remorum nomine Bibrax aberat millia paſſuum octo.* Quod opidum Dudo vetus ſcriptor *Laudunum Clavatum* eſſe exiſtimat, caſtrum olim Remorum; Samſon *Fimes* vel *Fimmas*, Remenſem Parœciam in confinio *pagi Remenſis* ac Sueſſionici conſtitutam interpretatur; alius Braium in Reiteſtino Ducatu, *Bray en Retelois*, locum mihi incognitum. Quidam *Barbi* villam non procul ab Axona in Reiteſtenſi; nonnulli quos Marlotus ſequitur, *Braium* in Laudunenſi pago eſſe exiſtimant.

Agros Remorum in libro II. bis commemorat Cæſar his verbis. *Agros Remorum popularentur, qui magno nobis uſui ad bellum gerendum erant, commeatuſque noſtros ſuſtinebant.* Ab his *agris Remorum* & patentibus campis frumenti feracibus *Campania Remenſis* nomen accepit: de quibus campis & Plinius in capite V. libri XIX. *Bulbos non naſci niſi ex ſemine priores tradiderunt: ſed & in Præneſtinis campis ſponte naſcuntur, ac ſine modo etiam in Remorum arvis.*

Arduennam ſilvam *per medios fines Trevirorum à flumine Rheno ad initium Remorum pertinere*, tradidit J. Cæſar in libro V. Commentariorum haud falsò. Quippe Arduenna cis Moſam quoque ad flumina Axonam & Matronam etiamnum pertinet.

Remos præcipuo ſemper honore Cæſar habuit, pro recentibus belli Gallici officiis. Adventu Cæſaris in Sequanorum locum Remi ſucceſſerant: qui quòd Æduos æquare apud Cæſarem gratiâ intelligebantur; hi qui propter veteres inimicitias nullo modo cum Æduis conjungi poterant, ſe Remis in clientelam dicabant. Eo tum ſtatu res erat, ut longè principes haberentur Ædui; ſecundum locum dignitatis Remi obtinerent. Itaque & *Carnutes Remorum erant in clientela*, & præter ceteros etiam Sueſſiones: qui *petentibus Remis ut conſervarentur impetravere*, & Hirtio dicuntur *Remis fuiſſe attributi*: itaut *Remis* eos Cæſar poſt bellum Belgicum confectum clientes attribuiſſe videatur.

Strabo ſcribit à Treviris & Nerviis ad occaſum verſus Senones eſſe, & *Remos* & Atrebates, ac Eburones: earum autem Gentium clariſſimos ac memoratu digniſſimos eſſe *Remos*, ac eorum *metropolim Durocortorum* coli habitarique frequentiſſimè, & Præfectis Romanorum hoſpitium præbere. A Plinio in libri IV. capite XVII vocantur *Remi Fœderati*, quemadmodum Ædui, Carnutes, & Lingones, Vocontiorum civitas, & Maſſilia Græcorum Phocenſium: quod *Remos* (ne de ceteris loquar) *pro recentibus belli Gallici officiis* à J. Cæſare aut certè ab Auguſto honoris causâ eſſe conſecutos puto. Unde Cæſar, poſtquàm in libro VII. ſcripſit, in Concilio Galliæ Bibracte indicto Gallos omnes cum ipſo bellum geſturos Vercingetorigi ſummam imperii tradidiſſe; adjicit *ab hoc conſilio Remos & Lingones abfuiſſe, quòd amicitiam Romanorum ſequebantur*: & Hirtius in libro VIII. Remos *ſocios optimè de Republica meritos* appellat. *Socii* ergo & *amici* Romanorum ac *Fœderati* fuerunt *Remi*; ſicuti Maſſilienſes, Ædui, Vocontii, Carnutes, & Lingones. Ubi notandum eſt, cùm (ut Plinius docet) alii in Gallia populi fuerint *Fœderati* ſub Imperatoribus Romanis; alii *Liberi*, quales Leuci, Treviri, Meldi, Seguſiani, Santones, Bituriges utrique, & Arverni: Fœderatorum multo meliorem fuiſſe conditionem quàm Liberorum. Nam *Fœderati* ſuis legibus utebantur, & erant planè liberi; at Liberi non erant Fœderati. Tacitus *Fœdus* civitatis *Remorum* cum Romanis initum in libro IV. Hiſtoriarum deſignavit hiſce verbis. *Reſipiſcere paullatim civitates, (Galliæ) faſque & fœdera reſpicere principibus Remis*: hoc eſt principibus eius conſilii, ſeu primis auctoribus *Remis*, qui & fœderis ſui memores erant, & Æduos, Carnutes ac Lingones præter ceteros fœderum quoque ſuorum, ſocietatiſque & amicitiæ Romanæ admonebant. Addit Tacitus, *ad mitiora inclinantes Galliarum civitates, in Remos conveniſſe*, poſt Julium Sabinum rebellium Lingonum Ducem à Sequanis fuſum.

Hirtius *equites Remorum ac Lingonum* evocaviſſe ait Cæſarem, quibus adverſus Bellovacos uteretur. Lucanus in libro I. *Remos*, ut & Leucos optimos funditores agnoſcit hoc verſu

Optimus excuſſo Leucus Remuſque lacerto.

Gens Ῥῆμοι Straboni, Ptolemæo οἱ Ῥῆμοι dicta nomine Gallico, cuius prima ſyllaba longa eſt, & quod à *Remo* Romuli fratre, aut à *Remo* Celtarum Rege commenticio deducere, inſanire eſt.

Nicolaus Bergerius Catalaunos & Laudunum, præter cetera opida, *Remorum* municipia fuiſſe exiſtimat. Addit Samſon & Sueſſiones: atque quatuor Diœceſes, Remenſem, Catalaunicam, & Laudunenſem ætate J. Cæſaris; Sueſſionicam quoque ante Cæſarem *Remorum* exſtitiſſe, audacter affirmat: ob idque apud Cæſarem in libro II. *Remos* appellare *Sueſſiones fratres conſanguineoſque ſuos, qui eodem jure, eiſdem legibus utantur, unum imperium unumque magiſtratum cum ipſis habeant.* De Lugduno Clavato ſeu Lauduno caſtro fatendum eſt, *Remorum* olim fuiſſe: cùm Remigius *Remorum* Epiſcopus ibi Epiſcopum conſtituerit, & ei parœciæ ſuæ partem attribuerit, ex una Diœceſi duabus factis. Quare quidquid nunc *Remensi* Diœceſi Laudunenſique continetur, ante Remigium

ad unos *Remos* & ad ſolam Diœceſim Remenſem pertinebat haud dubiè: hi veteres *Remorum* fines erant. Nunc *Remenſis Diœceſis* ut à Remigio eſt imminuta, à Matrona ad Moſam, ſeu à Sparnaco ad Macerias Caſtrumque Reginaldi & Rupem Regiam, leugas xxv. in longitudinem patet, in latitudinem circiter xv. terminos habet ab oriente Trevricam Diœceſin, à meridie Catalaunicam, ab Occidente & Septemtrion Sueſſionicam & Laudunenſem. Opida cōplectitur muris cincta & foſſis ac vallo munita præter Metropolim xv. Carolopolim ad Moſam, Caſtrum Porcenſe ad Axonam, Culmiſciacum *Cormicy*, Doncherium ad Moſam, Fines ſeu Fimmas ad Vidulam, Macerias ad Moſam, Moſomagum ad Moſam, Reiteſte ad Axonam, Rupem Regiam in Arduenna, Sedanum ad Moſam, Sparnacum ad Matronam. Omitto loca opidis inferiora, ſed tamen clara, nimirum Avennacum, *Avenay*, Altum Montem vel Altmontem *Omont*, Attiniacum villam quondam Regalem ad Axonam, Caſtellum Reginaldi, Duciacum *Douſy*, Fontem Malberti *Maubert-Fontaine*, Grande Pratum, Montem Falconis in ſaltu Argonna vel Argonia, *Mont-Faucon en Argonne*, Ruminiacum, Sindunum vel Senucum, Vindeniſſam ſeu Vindoniſſam *Vendereſſe*. Continet *Remenſis Diœceſis* Parœcias vicanas ſeu ruſticas majores ccccLxix. minores cccxxxv. Abbatias cùm urbanas tum vicanas xxiv. ut Marlotus in Metropolis Remenſis Hiſtoriæ libro 1. docet.

Quod autem aiunt Bergerius & Samſon, Catalaunos olim *Remorum* fuiſſe; minimè verum puto. Nec quia Catalauni *Remis* proximi confineſque ſunt, & à Julio Cæſare priſciſque Geographis Græcis ac Latinis, nuſquam ſub ea ſaltem appellatione memorantur; ideò credendum eſt *Remis* eos quondam attributos fuiſſe. Quo nomine Catalauni à veteribus Geographis deſignati eſſe mihi videantur, dixi alibi. Quod ad Sueſſiones attinet, non magis ante Julii Cæſaris ætatem quàm poſt eius in Gallias adventum Remorum finibus continebantur. *Remorum* quidem *fratres & conſanguinei* ac finitimi fuerunt, eiſdem etiam legibus ſunt uſi Sueſſiones; *Remorum* portio, aut ſub *Remorum* imperio non fuerunt: quod *fratrum & conſanguineorum* nomen ipſum ſatis oſtendit, quibus nihil fieri poteſt æqualius. Certè Sueſſiones *agros latiſſimos feraciſſimoſque poſſidebant*, à *Remorum* agris diviſos; & *opida numero* xII. ac ſuos ſibi *Reges*, *Divitiacum*, *Galbam*, alioſque vetuſtiores ambobus *habuere*: & *Remis* obſides Cæſari dantibus, ipſi cum reliquis omnibus Belgis contra populum Romanum conjuravere, atque arma cepere, uti Cæſar refert. Quare profiteor me non intelligere verba legatorum *Remorum* ad Cæſarem, affirmantium *Sueſſiones unum imperium unumque magiſtratum cum ipſis habere*: cùm domeſticos Reges habuerint Sueſſiones; non habuerint quantum ſcire poſſumus *Remi*. Facile tamen crediderim, J. Cæſarem confecto bello Belgico Sueſſiones quos in deditionem acceperat, in clientelam attribuiſſe *Remis*, quibus petentibus ac deprecantibus fuerant ab ipſo poſt victoriam conſervati: ut jam ſuprà diximus.

Remi ut *Campaniæ Remenſi*, *Gallica* aliàs dictæ nomen dedere; ſic & *pago Remenſi*, *le Remois*. Hic pagus *Remegenſis* corruptè dicitur pro *Remenſi*. in Diviſione Regni Ludovici Aug. inter filios, & *in Media Francia* inter pagos *Portianum* ac *Laudunenſem* ponitur. Idem in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum anno DCCCLIII. editis *Remtianus* nuncupatur; ſicut à Fredegario in libri IV. Chronici capite xvi. *Remetiana urbs* vel *Remiciana urbs* pro Remenſis. In Vita S. Arnulfi legimus, *Comitatum Remenſem* ei à Rege Chlodoveo eſſe delatum. *Comitatus Remenſis* idem eſt atque *pagus Remenſis*. Nam cuique pago ſuus plerumque præerat Comes: caput autem pagi præcipuúmve opidum, ſedes Comitis erat. Frodoardus *in pago Remenſi Proviliacum* ponit, locum Abbatiæ titulo illuſtrem, vulgò *Preüilli*.

Sunt in Diœceſi *Remenſi* qualis eſt hodie, non qualis olim fuit, ſeu *Remorum* finibus continentur plures pagi, nimirum Remenſis, id eſt ager Durocortori ſuburbanus, Dulcumenſis ſeu Dolomenſis, Vongenſis, Caſtrenſis, Stadonenſis ſive Stadinenſis, Portianus, Moſomagenſis, Reiteſtinus recentior pagus, pars Teoraciæ, Montania, *la Montagne*, ſilva & pagus Argonna vel Argonia, *Argonne*, aliique pagi ſub *majore Archidiacono* & *Archidiacono Campaniæ*: qui ſunt duo Eccleſiæ Remenſis Archidiaconi.

RENTICA.

Prædium Rentica in Vita S. Bertulfi memoratur, ad Agnionem fluvium, quem *Ennonem* & *Ennonam* hic libellus vocat; vulgò *Aa* dicimus. Locus *Renty* hodieque nuncupatur.

REOMAUS.

Reomaus in Diœceſi Lingonica pagoque Ternodorenſi, locus eſt à rivo præterfluente cognominatus, *la Reome* dicto, veterrimo inſignis Monaſterio, quod alii *Monaſteriū Reomaenſe*, alii *Monaſterium Reomenſe* & *Reomagū* appellant. Nunc à S. Johanne Preſbytero & Abbate, ejus conditore, dicitur Monaſterium S. Johannis, vulgò *Mouſtier S. Jean*. In Martyrologio Uſuardi hæc legimus. v. *Kalendas Februarias in Monaſterio Reomenſi depoſitio S. Johannis Preſbyteri, viri Dei.* xvii. *Kal. Maij in Reomago Cœnobio depoſitio S. Silveſtri, diſcipuli S. Johannis Conf.*

REONTIUM.

Gregorius in libro de Gloria Confeſſorum *Reontij* meminit ante annos MXXC. *Haud ſecus & Reontio villa eſt: in qua cùm eſſet Eccleſia Catholica, Gothi ad ſua ſectæ immunditiam eam tranſtulere, ejecto Preſbytero Catholico.* *Reontio* heic poſitum eſt in III. aut in VI. caſu, ut ſæpe aliàs, pro *Reontium*. In paſſione S. Vincentii Martyris *Reo* dicitur mendosè, ut equidem exiſtimo. *Riuntium* recentiores

nuncupant; Noſtri *Rions*, t in ſ. commutato: ut de *Giſortio* fecimus *Giſors*. *Reontium villam* vocat Gregorius, id eſt vicum: quod nunc caſtrum eſt ad Garumnam poſitum ſupra Burdigalam.

RESBACIS.

Audoënus qui & Dado, Autharii Franci viri nobiliſſimi ac ditiſſimi filius, Dagoberti Regis Referendarius fuit, inter Regni aulæque Proceres valdè illuſtris. Hic in Briegio ſaltu ad *Reſbacem fluvium* ex B. Columbani Regula Monaſterium exſtruxit inſtruxitque magnificè, quod ipſe *Hieruſalem*, ceteri à fluvio *Cœnobium Reſbacenſe* cognominarunt: eique Agilum unum è Columbani diſcipulis præpoſuit Abbatem: uti in libro XIX. Rerum Francicarum ſcripſimus. Quidam *Cœnobium Raſbacenſe*, & *Monaſterium Raſbacis cognomento Hieruſalem ad ripam Raſbacis fluvioli* vel *Reſpacis* vocant; Jonas in Vita S. Euſtaſii *Reſpacenſe Cœnobium*. Vulgò *Rebés* aut *Rébais* nuncupatur hoc Monaſterium, caſtello Columbarius proximum, hodieque nobiliſſimum. Mabilio Vir doctiſſimus piiſſimuſque, qui Vitas Monachorum veterum plurimas edidit, ac ſuis obſervationibus illuſtravit, Jonam arguit, quòd *Reſbacem* vel *Raſbacem fluviolum* in libro de Vita Columbani appellaverit: cùm *torrens* aut *rivulus* potiùs vocari debeat, & ex aquis pluviis in unum confluentibus oriatur, ac æſtate areat. Quod ſi verum eſt, facilè crediderim *Reſbacem* aut *Raſbacem* locum à rivo nomen accepiſſe. Beccus enim ſeu *bec* Noſtris; *bach* & *pach* Germanis; *beke* Belgis rivus eſt. VVillelmus Gemeticenſis Monachus in libro VI. *locum* Monaſterio clarum in Normannia *à rivo illic manante Beccum appellari* ſcribit, *le Bec*. Inde Beccus *Bec*, Orbeccum *Orbec*, Calidum Beccum *Caudebec*, & alia loca apud nos nomen acceperunt. Germani quoque multos vicos rivis adpoſitos *pach* & *bach* vocitant. *Pachſtat*, *VViſſenbach*, *Roſbach*, *Hurbache*, *Steinbach*, *Halbach*, *Hambach*, *Saltzbach*, *Limpach*, *Rocherpach*, *Naelbach*, *Pyeſbach*, *Lebach*, *Sanbach*, *Zeelbach*, aliique in Lotharingia & Aleſatia, ac finitimis regionibus vici adſident rivis, à quibus nomen traxere. Silvam Idram, *der Iderwald* vulgò dictam, alluit rivulus *Iderbach* ab ea cognominatus, id eſt Idræ rivus, qui juxta caſtellum Oberſtenium, *Oberſtein* decurrit in Navam. Addi debet & *Morbach* locus veteri Monaſterio clarus, cujus in Chronico Fontanellenſi, & in Diviſione Regni Lotharii, illic ante annos DCCCXL. heic ante DCCC. annos fit mentio, vulgò *Murbach* dictus in Aleſatia. *Morbach Cœnobio* Anſigiſus Abbas Fontanellenſis moriens aliquid legaviſſe fertur.

RESTIS.

Reſtis locus eſt ad Ligerim flumen, prope Montem Sorelli *in regione Andegavenſi*, veteri anctori libri de Vita & rebus Geſtis Ludovici Pii Aug. memoratus ante annos octingentos, & in Vita S. Mauri; vulgò nunc *Reſte* dictus in finibus Andicavorum; aliàs à S. Petro Patrono *S. Pierre de Reſt*, vel *Rez*. *Anno* DCCCXXXII. *ſtatuit Imperator ad villam cujus vocabulum eſt Reſtis venire, ibique Ligeris amne tranſmeato, in Franciam hiematum redire*: ut in Vita Ludovici Aug. legimus.

RETIA SILVA.

In pago Vadenſi ſilva eſt Retia, *la Foreſt de Rets*, cui proximus eſt & velut ad cervicem ejus poſitus locus *Villaris*, ob id à ſitu cognominatus *Villaris ad collum Retiæ*, *Villiers Col de Rets*; corruptè dictus vulgò, *Villiers Coterets*. In ea ſilva eſt Burgus Fontis, *Bourg-Fontaine* Monaſterio illuſtris: eſt & Campipratum, *Champré*. In Geſtis MSS. Caroli VI. Francorum Regis *Reſia* vocatur hæc ſilva his de Rege verbis. *Compendium inde petens, in ſaltu Reſia venationi vacavit.*

RETORTORIUM CASTRUM.

Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus in libro de Vita Hugonis Cluniacenſis Abbatis *Retortorium* memorat. *Berardus de Caſtro Retortorio villam Cavariacum juris Monaſterij Cluniacenſis opprimebat*. Hugo Monachus Cluniacenſis in Vita ejuſdem Abbatis Hugonis, cujus æqualis fuit, *Reorterium* vocat, & *Berardi de Reorterio* meminit. Caſtrum illud nomine Latino *Retortorium* à retorquendo dictum, vulgò *Rioter* nuncupatur, poſitumque eſt ad ſiniſtram ripam fluminis Araris in pago Dombenſi, ac Villæ Francæ (*Ville-Franche*) adverſum. Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus *dedit Hugoni Abbati Cluniacenſi & ſucceſſoribus ejus Eccleſiam S. Deſiderij ſitam in Brixia, & Capellam de Reorterio caſtro* anno MXCIV. ut litteræ ejus docent. Incorruptum loci nomen eſt *Retortorium*: ex quo *Reorterium* ac *Roorterium* poſtea corruptè factum eſt; *Rioter* quoque & *Riozterium* corrupeiſſimè. In litteris anni MCCXLVI. & aliis anni MCCXLVII. *Riotter*, & *Riozter*, ac *Riozterium* nuncupatur, & *q. N. Palatinus de Riotter*, aliàs *Riozter*, & de *Riozterio* memoratur.

REUMVISIUS PAGUS ET MONS.

In capite XII. libri de Vita Gildæ cognomine Sapientis, hæc de eo legimus. *In Armoricam quondam Galliæ regionem pervenit S. Gildas, & venit ad quamdam inſulam, quæ in Reumviſii pagi proſpectu ſita eſt, ibique aliquamdiu ſolitariam duxit vitam. Inde veniens in quoddam caſtrum, in monte Reuviſii in proſpectu maris ſitum, ibi conſtruxit Monaſterium.* *Monaſterium* hoc *S. Gildæ* in Britannia Gallica vel Armorica ad mare, & in Venetica Diœceſi, à *pago Reumviſio* vel *Reuviſio* ſuprà laudato, & à mōte cognomine vulgò *S. Gildas de Ruys* nuncupatur. Ibidem capite XVIII. dicitur Gildas *in amabili ſua Horata, ubi olim eremiticam duxerat vitam, obiiſſe*. Hæc *Horata*, ſine dubitatione eſt inſula, cujus ſuprà in capite XII. omiſſo ejus nomine mentio facta eſt: quæ hodieque inter inſulas Veneti-

cas non extremum locum tenet, ac dicitur *Houat*, aliàs *l'iſle Houac*, Monaſterio S. Gildæ adverſa. Alterum eſt *Monaſterium S. Gildæ* cognominatum *in Nemore*, in Namnetibus ſitum.

RHENUS FLUVIUS, ET DE PAGO RHENENSI, DEQUE RHENIS.

Supervacaneum ac pæne futile ſit de *Rheno* ſcribere. Quid enim novi de clariſſimo flumine afferre poſſumus poſt tot & tantos viros, qui Rhenum enarravere? Plena ſunt auctorum volumina de fonte *Rheni*, atque decurſu, de numero lacuum quos ingreditur, de numero amnium navigabilium quos recipit, de foſſis Druſinis, & de foſſa Corbulonis, de numero denique ejus oſtiorum, aliis tria, aliis duo tantùm ora *Rheno* tribuentibus. De foſſis quidem ac de oſtiis tanti fluvii tam immodica prodentium diſcordia eſt, tot tamque diverſæ ſententiæ vel conjecturæ, tot ex omnibus partibus argumenta, ut poſtquàm ingentes ſingulorum ac univerſorum libros evolveris, aliorum alios impugnantium, jacturam temporis feciſſe te agnoſcas, nec ſtatuere poſſis quid potiſſimum ſequaris, ſed multo quàm antea incertior, multo magis dubius & in his etiam quæ optimè ſcire te putaveras hæſitans recedas. Ne tamen nobiliſſimum flumen, quo Gallia ab Oriente terminatur, in mea *Galliarum Notitia* prætermiſiſſe arguar, cùm tot fluvios non majores modò, ſed etiam minimos deſcripſerim, curſum tractumque ejus paucis attingam.

Oritur *Rhenus* in Rætia, ut præter ceteros Plinius, Ammianus Marcellinus, & Claudianus affirmant, nec longè à Danubii Rhodanique fontibus ſurgit: & aliquot caſtella prælapſus, jamque altus, lacum ingreditur, quem veteres ſcriptores à veteri urbe Rætiæ Brigantia *lacum Brigantiam*, vel *lacum Brigantinum*; item *Acronium*; recentiores à recentiore civitate Conſtantia ei adpoſita *lacum Conſtantienſem* vocant, *le lac de Conſtance*, necnon ab opido Potamo (*Podmen*) Iburningis proximo *lacum Potamicum*. Hic autem lacus non ſine cauſſa ut *rotundus* ita & *vaſtus* Ammiano dicitur. Eſt enim CCCCLX. ſtadiorum longitudinis, ſeu LVII. milliarium & quingentorum paſſuum; latitudine par ferè ſpatium implet: cui adſident Brigantia, *Bregentz* etiamnum dicta; Arbor Felix, *Arbon*; Iburningæ, *Uberlingen* villa Regia VValafrido Straboni in S. Gallo memorata; & Conſtantia Alamannica, *Conſtentz*. Apud Conſtantiam *Rhenus* lacum egreditur. Tum Arola, *Aar* vulgò dictus, Ruſam fluvium, *Ruſſ* accolis nuncupatum, quem plerique Urſam appellant, ac mox Lindemacum Tigurinum vel Limagum, qui *Limat* dicitur, Helvetiorum amnes lacubus inclytos, & ipſe lacu Ebredunenſi ſeu Novoburgenſi nobilis recipit, & *Rhenum* auget ad Confluentes, *Conbolens*, aliàs *Coblentz*. Heic olim ad *Rhenum* eminuit colonia Auguſta Rauricorum, *Augſt*: poſtquam defecit, *caſtrum Rauracenſe* appellata. Jam ſiniſtram ſeu Gallicam fluminis ripam illuſtrant tres urbes pontibus claræ, Baſilia, Germanis *Baſel*, Noſtris *Baſle*; Mons Briſiacus *Briſach*; Argentoratum ſeu Stratæburgus, *Straſburg*, heic ubi Ellus fluvius, *Ill*, *Rheno* recipitur. Saletio, *Seltz*, fluviolo ibi in *Rhenum* labenti nomen ſuum debet. Tabernæ à re cognominantur: quas ut à ceteris diſtinguant, *Rhenenſes Tabernas* appellitant, *Rheynzabern*. Noviomagus Nemetum ab amniculo *Spira* qui ibi *Rheno* confunditur, ante annos nongentos *Spiræ* nomen accepit. Ex altera parte, quà dextra vel Germanica ripa eſt, Nicer amnis non ignobilis, Germanis *Necker* nuncupatus, infra Heidelbergam *Rheno* recipitur. Noviomago ſuccedunt Borbetomagus Vangionum, quæ & VVarmatia, *VVorms*, atque Mogontiacum Tribocorum, *Mentz* Germanis, Noſtris *Mayence*, contra Mœni & Rheni confluentem, caput atque Metropolis provinciæ Germaniæ ſuperioris aut primæ: ubi olim Carolus Magnus per annos decem labore ingenti & opere mirabili pontem in *Rheno* ligneum fecit, quingentos paſſus longum, (quanta heic eſt fluminis latitudo) qui uno ante obitum ejus anno intra horas tres fortuito incendio conflagravit. Ab urbe Mogontiaco non longè abeſt Burgaracum, *Bacharach*. Apud Bingium (*Bingen*) Nava decurrit in *Rhenum*, fluvius celer & nebuloſus, *Nab* & *Nach* Germanicè dictus. Nec procul hinc *Rhenus* Moſellam flumen ingens capit ad caſtrum agri Trevirici Confluentes, *Coblentz*. Sequuntur ad *Rhenum* Antunnacum, *Andernach*; Sentiacum *Sintzich*; Baudobrica *Bopparten*; Bonna, vetus nomen etiamnum ſervans; Colonia Agrippina Ubiorum, provinciæ Germaniæ ſecundæ Metropolis, ubi Conſtantinus Maximus pontem in *Rheno* facere voluit inchoavitque, ut Francis noſtris tum in Germania tranſrhenana ſedem habentibus Coloniæque adverſis terrorem incuteret: Buruncus, Novelium *Nuſſ*; Gelduba *Gelb*. Demum diviſus duas in partes *Rhenus*, quarum citerior appellatur Vacalis, altera *Rheni* nomen retinet, inſulam efficit Batavorum: & hinc Noviomagum *Nimegen*, ac Batavodurum, inde Trajectum Batavorum (*Utrecht*) alluit, atque in Oceanum influit, omnium Europæ fluviorum poſt Danubium maximus, Græcis ὁ Ῥῆνος, Noſtris *le Rhin*, Germanis *Rheyn* dictus, aliàs *Reyn*, nomine purum ſignificante. *Renum* quidam ſine adſpiratione ſcribunt, in his Vinetus & Gruterus: quos nummi Romani veteres erroris apertè convincunt.

Ex ſupradictis intelligitur, *Rhenum* per fines Rætorum, Helvetiorum, Sequanorum Rauricorumque, Nemetum, Vangionum, Tribocorum, Trevirorum, Ubiorum, ac Batavorum ferri: an oriatur ex Lepontiis, & Nantuates ac Mediomatricos umquam attigerit, (quod Cæſar aſſerit) non conſtare. Quinque urbes Epiſcopatuum ſedes prælabitur Rhenus, Conſtantiam, Baſiliam, Argentoratum, Spiram, atque VVarmaciam; metropoles tres, Mogontiacum, Coloniam Agrippinam, ac Trajectum.

Nomen dedit *pago Rhenenſi*: in quo locus *Laureſham* vel *Loriſhaim* ad fluvium *VViſgoz* fuit, inſignis *Monaſterio Laureſhamenſi*, quod

& Monaſterium S. Nazarii dicitur : quod VVilliſuinda, & ejus filius *Cancro*, *Rhenenſis pagi Comes* exſtruxere, ac Metrenſi Eccleſiæ Chrodegangoque donavere. Sed quia *pagus Rhenenſis*, & Laureshamenſe Monaſterium trans flumen Rhenum ſunt in Germania, non in Gallia; de utroque plura non addam.

Eſt ejuſdem nominis fluvius in octava regione Italiæ, ſeu in Æmilia: quem Plinius *Rhenum* abſolutè vocat, & numerat inter Apenninos amnes, navigabiles & celeberrimos, in Padum ſeſe exonerantes; Silius in libro VIII. *Parvum Rhenum* appellare maluit, ut à Rheno cum noſtro diſtingueret.

Parvique Bononia Rheni.

Bononiam enim alluit *Rhenus* : quem accolæ *Reno* vocitant, ac ſine adſpiratione ſcriptitant : ex quo colligo, hoc Æmiliæ flumen Latinè & *Renum* dici ſcribique oportere.

Rheni olim vocabantur accolæ fluminis *Rheni* cùm Galli, tum Germani, & ab eo cognomen nancti ſunt: ſicut Stephanus in Gloſſario de Urbibus & populis ſcribit : Ῥῆνοι γειτνιῶντες τῷ Ῥήνῳ. Sic ab Indo flumine Indi; à Nigro amne Nigritæ; ab Axiace fluvio Axiacæ; Bætici à Bætie, ab Ibero Iberi; Garumni à Garumna; Arevaci ab Areva dicti ſunt. Latini *Rhenanos* aut *Rhenenſes* vocant. In carmine Panegyrico de laudibus Berengarii Aug quod publicavi ante X. annos, *Rheni* ponuntur pro accolis *Rheni*, id eſt pro Gallis Lotharienſibus, & pro Germanis Tranſrhenanis.

Nec decet ulteriùs ſocios deducere Rhe-
[illegible]

In ſatyra VI. ad Cæſium Baſſum A. Perſii verſus hic eſt

Eſſedaque, ingenteſque locat Cæſonia
Rhenos.

Scio quidem & Oceanum, & maria, & fluvios cum nationibus urbibuſque in curru Triumphali depingi, ac velut in triumpho à Romanis duci conſueviſſe : ſicuti Plinius, & Annæus Florus in libri IV. Rerum Romanarū capite II. docent. Sed tamen inclinat animus, ut credam *Rhenorum* appellatione à Perſio deſignari *Germanos* Tranſrhenanos, indicarique Cæſoniam certâ pecuniâ undique conquiri juſſiſſe viros proceritatis eximiæ cùm Gallos tum alios, qui Caii Caligulæ viri ſui Germanicum triumphum inſtruerent, & pro captivis Germanis haberentur atque ducerentur : quod & Suetonius de Caio confirmat : & ita Gallienus mimicum olim Romæ triumphum egit.

RHODANUS FLU.

Unde nomen habeat *Rhodanus* fluvius, haud facile dictu eſt. Plinius in libri III. capite IV. à *Rhoda Rhodiorum* colonia, flumini aut appoſita, aut proxima, quæ ætate ipſius interciderat, dictum eſſe ait his verbis. *Agatha quondam Maſſilienſium, & regio Volcarum Tectoſagum, atque ubi Rhoda Rhodiorum fuit, unde dictus multo Galliarum fertiliſſimus Rhodanus fluvius.* Plinium ſequitur Iſidorus in libri XIII. capite XXI. At Strabo hanc *Rhodam* Ῥόδην vel potiùs Ῥόδον vocat, & unà cum Agatha à Maſſilienſibus conditam, non verò à Rhodiis ait, atque Barbaris *Rhodani* accolis oppoſitam. Marcianus quoque Heracleotes in Periplo tradit, Maſſilienſes in Hiſpania condidiſſe & incolere Ἐμπόριον, (Latini *Emporias* & *Emporia* vocant) & Ῥόδην ſive *Rhodam*, quam primò Rhodii conſtituerint, ac poſtea Maſſilienſes Hiſpaniam ingreſſi occupaverint : tum in Gallia Ἀγάθην vel *Agatham*, & *Rhodanuſiam* ad *Rhodanum*, Ῥοδανουσίαν τε ἣν Ῥοδανὸς μέγας ποταμὸς παραρρεῖ : quā Stephanus quoque *Rhodanuſiam* urbem in agro Maſſilienſi appellat, Ῥοδανουσία πόλις ἐν Μασσαλίᾳ. Duæ ergo fuerunt *Rhodæ*, una in Hiſpania Tarraconenſi à Rhodiis condita ad Thicim fluvium; altera in Gallia Narbon. ad flumen *Rhodanum* à Maſſilienſibus conſtituta, *Rhoe* aut potiùs *Rhode* Straboni; Marciano autem & Stephano *Rhodanuſia* nuncupata. Ex duabus *Rhodis*, omiſſâ Hiſpanicâ, unam fecit Plinius coloniam Rhodiorum, quam in Galliis Narbonenſi poſuit, & à qua *Rhodanum* dictum credidit : cùm *Rhodam Rhodiorum* in Hiſpania collocare, & ab altera *Rhoda* vel *Rhodanuſia* Maſſilienſium colonia ad *Rhodanū* in Gallia, *Rhodani* appellationem deducere debuerit. Quamquam *Rhoda* vel *Rhodanuſia* noſtra à *Rhodano* appellationem accepiſſe potiùs videtur, quàm ſuum fluvio nomen dediſſe : ſive ea pridem interciderit; ſive pro Arelato, aut quâ aliâ clarâ urbe Rhodanica, ab oſtiis *Rhodani* non multum remotâ, haberi debet.

Alia eſt urbs, quam Sidonius in epiſtola V. libri I. *Rhodanuſiam ſuam* vocat, nimirum Lugdunum, ut putant.

Credere non ſine cauſſa quis poſſit Maſſilienſes, Græcos ex Aſiana Phocæa advenas, qui pleraque oræ provinciæ Narbonenſis loca ac pleraſque inſulas Græcis appellavere nominibus, flumen quoque totius oræ maximum ac Maſſiliæ ſuæ proximum linguâ patriâ *Rhodanum* nuncupaviſſe, propterea quòd omnium Galliæ fluviorum maximè rapidus eſſet ac torrens. Hoc enim Ῥοδανός Græcâ linguâ ſignificat. Paullatim igitur nomen recens ac externum veteri ac patrio Gallicove fluminis vocabulo (quodcumque illud erat) prævaluit, ac in uſu eſſe cœpit, aſſiduis Maſſilienſium navigationibus atque commerciis non in totam modò Galliam, ſed etiam in univerſas interni maris oras invectum. Sic cùm *Libyca* appellaſſent iidem duo *Rhodani* ora modica, & tertium idemque ampliſſimum *Maſſalioticum* urbis ſuæ nomine; cùm promuntorium & portum *Citharistam*, cùm tres Stoechadas, Proten, Meſen, Hypæam, necnon Phœnicen, Philam, Leronem & Lerinam inſulas Græcis nominibus nuncupaſſent: paullatim Gallica veteraque eorum locorum inſularumque nomina exolevere, & demum ex toto abolita, novis Græciſque vocabulis qualia à Maſſilienſibus fuerant impoſita ceſſere. Hoc pluſquàm probabile, & vero planè quàm veriſimili propius eſt.

Non deerunt tamen forſitan, qui ſibi perſuadeant *Rhodani* nomen Gallicum ſive Celticum potiùs eſſe quàm Græcum : poſtquàm

OOo

mecum animadverterint quoſdam alios Galliæ fluvios eadem appellatione cenſeri. Certè Fortunatus in libri III. Carmine XII. ante annos mille & ſeptuaginta Mediolanum caſtellum Nicetii Trevirici Epiſcopi ad Moſellæ & parvi *Rhodani* confluentes poſitum in monte fuiſſe tradit his verſibus.

> Quem Muſella tumens, Rhodanus quoque parvulus ambit;
> Decertantque ſuo paſcere piſce locum.

Parvum Rhodanum vocat Fortunatus, quem *tenuem Drãcõnum*, vel potiùs (ut libri MSS. vocant) *Drabonum* Auſonius in Moſella; accolæ *die Droan* aut *Dron* nunc appellant. Alterius quoque fluvii in pago Pariſiaco nomine *Rodoni* mentionem faciunt litteræ Odonis Francorum Regis ante annos DCCXXC. *Ex fiſco noſtro Cerſilla manſum unum cum ductu aquæ ex utraque parte ſupra & ſubtus fluvio Rodono.* Hic *Rodonus*, *Rône* aut *le Rone* vulgò dicitur, & præter ceteros vicos Cerſillam (*Cerſelles*) alluit, villam quondam Regiam ſive fiſcalem, infra quam in Crodoldum influit, ore Crodoldi deferendus in Sequanam. Præterea *Rodanum* non pauci ſine adſpiratione ſcribunt; in his Vinetus & Gruterus. Hæc quidem de nomine *Rhodani* dici poſſunt, & ab aliquibus etiam credi: ſed in priore ſententia nihilominùs perſeverare malim.

Omnium Europæ fluminum maximum Danubium, proximum ei Rhenum, tertium quidam *Rhodanum* fecere. Certè Agellius in libri X. capite VII. & Solinus in capite VIII. à Varrone aliiſque *in tribus primis & maximis Europæ terræ fluminibus Rhodanum poni* tradunt: quos Iſidorus ſequitur in libri XIII. capite XXI. Quare Seneca in Quæſtionum Naturalium libro III. & IV. *Rhodanum*, *Rhenum*, *Danubiumque* conjunctim memorat, *quibus torrens etiam in canali ſuo curſus ſit*: & Mella quum ait *Rhodanum non longè ab Iſtri Rhenique fontibus ſurgere*; (ni fallor) nihil aliud vult intelligi, quàm fontes trium maximorum Europæ fluminum alios aliis eſſe vicinos. Ex quo apparet, quàm falsò apud Livium in libro XXI. *Padus amnis major & violentior Rhodano* ab Hannibale dicatur.

Rhodanus Gallis Noſtris dicitur *le Reſne*; indigenis ſeu potiùs accolis naſcentis fluminis *Le Res*. Oritur in regione Valleſi, vel (ut ait Plinius) in Alpibus apud Lepontios Viberos; in Alpibus inquam Penninis, quod & Ammianus Marcellinus, & res ipſa docet. Ac primùm alluit Sedunos & Veragros, hoc eſt provinciam Alpium Penninarum & Graiarum: deinde ſiniſtro latere provinciam Viennenſem, quàm longa eſt, uſque ad oſtia ſua ſive uſque ad mare Gallicum præterlabitur, nimirum Allobroges, Segalaunos, Tricaſtinos, Cavares, Salyes. Dextro autem latere provinciam Maximam Sequanorum, ſive Helvetios ac Sequanos ejus provinciæ populos attingit: tum per provinciam Lugdunenſem primam, mox per fines civitatis Albenſium decurrit, quæ una & ſola ex civitatibus provinciæ Viennenſis cis *Rhodanum* poſita eſt: demum Volcas Arecomicos rigat, partem provinciæ Narbonenſis primæ, ac quatuor nunc oſtiis in mare Gallicum effluit: ne de Foſſa Mariana loquar, quæ cùm partem amnis alveo navigabili effundat, pro quinto ejus oſtio haberi poteſt ac debet.

Loca celebriora quæ utrimque alluit, ſunt Naterrium, *Naters*; Sedunum caput Sedunorum, Epiſcopatûs veteri ſede illuſtre, *Sion* Noſtris, Germanis *Sitten* dictum; Agaunum, à S. Mauricii Mart. Monaſterio antiquiſſimo celeberrimoque cognominatum; Bibiſcum ad lacum Lemanum, *Vivis*; Lauſana quoque, & Noiodunum, ac Geneva Allobrogum; Seſſelium, Condate vulgò *Chana*, ad lacus Burgulenſis decurſum in Rhodanum; Petræ caſtellum; Etanna Tabulæ Theodoſianæ nota, *Tenne*; Antoniacum, pleriſque Anto, *Anton*, Antonii Triumviri nomen ferens conditoris ſui; Lugdunum Seguſianorum ad Araris & Rhodani confluentes; caſtrum S. Symphoriani, *S. Saphorin*; Vienna Allobrogum; Condriacum vinetis ſuis nobile; Urſoli, vicus S. Valerii; Tegna oppoſita Turnoni; Malva, Confluentes, vicus poſitus ad Iſaræ & Rhodani confluentem, vulgò *Confulens* dictus; Valentia Segalaunorum; Voluta *la Voute* ferè contra Drunæ oſtium; Rupes Mõtẽnãta, Theodulfo Epiſcopo Aurelianenſi memorata, *Rochemore*; Ancon, *Ancone*; Vivaria *Viviers*, caput Helviorum; Burgus S. Andeoli, *bourg S. Andeol*; Pons S. Spiritûs; Avenio Cavarum inter Sulgam & Druentiam fluvios in Rhodanum ſeſe exonerantes; Voloberca *Valabergue*; BellumQuadrum à ſitu & à figura nomen habẽs, Taraſconi veterrimo Salyum opido adverſum, ubi Vardonem Rhodanus capit, Furcæ *Fourques*, vicus à re dictus. Ibi enim *Rhodanus* bidentis furcæ modo duo in ora ſe ſcindit: ex quibus unum paullo infrà in duo alia dividitur, Foſsâ Marianâ quæ inter Trencatalliam & Arelatũ incipit, partem ejuſdem fluminis in mare emittente. Non procul à Furcis eſt Trencatallia, *Trinquetaille*; tum Arelatum Salyum ad Rhodanum, & Aquæ Mortuæ, portus olim nobilis.

Falsò igitur Mella & Plutarchus in Hannibale, (ſi tamen Vita Hannibalis Plutarcho tribuenda eſt) ſcribunt, Rhodanum *inter Volcas & Cavaras emitti*: cùm inter Volcas Arecomicos & Salyes, ſive inter fines Nemauſenſium & Arelatenſium in mare effluat. Certè à Maſſilienſium finibus uſque ad flumen Druentiam habitant Salyes, uti ait Strabo; quorum eſſe urbes præ ceteris Taraſconem & Arelatum ad *Rhodanum* Ptolemæus teſtatur: inde regio Cavarum eſt, quam uſque ad Iſaræ & *Rhodani* confluentes jacere aſſerit Strabo: quibus tamen finibus Segalauni cum Valentia Segalaunorum continentur. Notanda ſunt Mellæ verba de *Rhodano*: poſtquàm Lemanum lacum egreſſus eſt integer, *inde in occidentem ablatum, aliquamdiu Gallias dirimere, pòſt curſu in meridiem abducto, acceſſuque aliorum amnium jam grandem, & ſubinde grandiorem, inter Volcas & Cavaras emitti. In occidentem ablatus Rhodanus dirimit Gallias*, nimirum provinciam Maximam Sequanorum à provincia Viennenſi dividit: *curſum in meridiem abducit* ad Lugdunum, *jam grandis acceſſu fluviorum* Arvæ, Indis, Araris vel Sau-

connæ; aliis amnibus ſubinde augetur, Iſarâ, Drunâ, Sulgâ, Druentiâ, è quibus Iſaram & Druentiam *non minùs Rhodano torrentes* Plinius appellat.

Ammianus ſcribit, *Rhodanum* ubi Lemanum exiit, *per Sapaudiam & Sequanos ferri, tum Viennenſem latere ſiniſtro perſtringere, dextro Lugdunenſem; & Arari ſuum in nomen adſcito, vehere grandiſſimas naves:* demum *Gallico mari concorporari per patulum ſinum quem vocant ad Gradus, ab Arelate* XVIII. *ferè lapide diſparatum.* Certè *Rhodanus* dextrâ ripâ Sequanos, ſiniſtrâ Sapaudiam ſtringit: dextrâ deinde Lugdunenſem, ſiniſtrâ Viennenſem item provinciam. Sed cùm Sapaudia pars ſit provinciæ Viennenſis: meliùs dixiſſet Ammianus, *Rhodanum* ſiniſtrâ Viennenſem, dextrâ Sequanos & Lugdunenſem perſtringere.

Sinus autem ille maris Gallici in quem devolvitur *Rhodanus*, vocatur *Sinus ad Gradus*, & à re nomen habet, ab urbe Arelato XVI. aut ferè XVIII. millibus paſſuum diſtans. Quippe hodieque in eo ſinu ſunt Gradus ſex ordine diſpoſiti, videlicet *Gradus Novus*, Gothiæ ſive Septimaniæ proximus, *Gras Neuf* vulgò dictus; Gradus Urgonenſis, *Gras d'Orgon*; Gradus Paulitenſis, *Gras de Paulet*; Gradus Magnus, *Gras Grant*; Gradus Infernus, *Gras d'Enfer*, omnium infimus; Gradus Paſſanenſis vel Paſſonenſis, *Gras de Paſſan*, aut *Paſſon*, qui eſt ultimus & Provinciæ Maſſiliæque adverſus. Ex quibus Gradibus tres, Urgonenſis, Paulitenſis & Paſſanenſis nomen à vicis habent, in inſulis oſtiorum Rhodani ſitis; reliqui à novitate, à magnitudine & à ſitu ſunt cognominati. Gradus ille Paſſanenſis, propterea quòd omnium maximè vergit ad Provinciam atque Maſſiliam, & oſtio Maſſaliotico adjacet, *Gradus Maſſilianorum* vel *Maſſilitanorum* olim dictus eſt. Ita eum vocat Æthicus in Itinerario portuum vel poſitionum navium ab Urbe Arelatum uſque. *A Foſſis ad Gradum Maſſilianorum* M. P. XVI. *A Gradu per fluvium Rhodanum Arelatum* M. P. XXX. quemadmodum veteres tertium idemque ampliſſimum os *Rhodani*, quia proximum provinciæ Viennenſi Maſſiliæque erat, *Maſſaloticum* nuncupaviſſe auctor eſt Plinius Gradum autem dixere Romani portum locumve præſertim ad oſtium fluminis, ex quo conſcenſio in naves fiebat, quem tutò petere navigantes, unde navigaturi naves ſolvere ſine periculo poterant: & in portubus plerumque gradus erant aut ſcalæ, quibus in mare deſcendebatur: unde portus celebres in Aſia Scalas noſtri mercatores vocant, ubi aquari, & commeatum navibus imponendum accipere navigantes ſolent. Sic Valerius Maximus in libri III. capite VI. tradit, *P. Scipionem in Sicilia, trajiciendo in Africam opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volviſſe.* Idem in libri VII. capite VI. *Siciliam & Sardiniam gradus & ſtabilimenta bellorum* vocat, unde Romani bella in tranſmarinas provincias importabant. Memini hancce obſervationem meam ab Henrico Valeſio fratre meo cui eam indicaveram, doctis in Ammianum Marcellinum Notis inſertam eſſe. Sic in Hiſpania *Gradus Saguntinus* vel Morvedrenſis, *Gradus Valentinus*, vulgò *Grao*, & in Aragonia *Gradus Pinnenſis* opido cognominis ad Iberi fluminis trajectum ab Hieronymo Surita referuntur. Tales locos aut portus *paſſus* etiam Aquitani appellant: quo nomine nunc gradus, nunc tranſitus à Noſtris ſæpe deſignatur. Quippe Burdigalenſes in oſtio Garumnæ quod propter ſcopulos & arenas periculoſum eſt, tres paſſus graduſve agnoſcũt, nimirũ Paſſum Arenoſum vel Glareoſum prope Medulos, *le Pas de Grave*; in medio ore fluminis Paſſum Aſinorum, navigantibus notiſſimum, *le Pas aux Aſnes*; & ad litus Santonicum verſus Foramen Mali Dumi, *le Pertuis de Maubuſſon*, aliàs tranſitum Malmuſſonenſem, *le paſſage de Maumuſſon*: quæ ſunt tria loca, Garumnâ Oceanum aut contra Oceano Garumnam intrantibus opportuna ac tuta. Gradus *Rhodani* communi nomine Tineæ appellantur, *les Tignes*.

Tribus oſtiis *Rhodanus* in mare decurrit, ut ſuprà diximus. Duo ejus ora modica appellavere Romani communi nomine *Libyca*, quòd Africæ quæ Græcis Libya dicitur ſint adverſa. Horum alterum quod Gothiam Hiſpaniamque Tarraconenſem ſpectat, vocarunt *Hiſpanienſe*; alterum quod medium eſt, incertam ob cauſam *Metapinum*; tertium idemque ampliſſimum quod Provinciam Maſſiliamque ſpectat, *Maſſalioticum* hoc eſt Maſſilienſe. Quæ tria apud Plinium nomina, *Libyca*, *Metapinum*, *Maſſalioticum*, ut Græca ſunt, à Maſſilienſibus Græcis impoſita eſſe non dubito, quibus oſtia *Rhodani* cotidie naviganda erant, in Hiſpaniam tendentibus: & Romani cùm Galliam Narbonenſem occupaviſſent, Maſſilienſium appellationibus uti cœperunt. Oſtium *Rhodani* Maſſalioticum deſignat Cæſar in libro II. de bello Civili hiſce verbis. *Maſſilia ferè ex tribus opidi partibus mari alluitur, quod adigit ad oſtium Rhodani.* Deſignat & Livius in libro XXI. *Publius Cornelius Scipio præter oram Liguriæ Ligurumque, & inde Salyum, mox pervenit Maſſiliam, & ad proximum oſtium Rhodani (pluribus enim diviſus amnis in mare decurrit) caſtra locat.* Deſignat & Juſtinus in libro XLIII. quum ait Phocenſes *in ſinum Gallicum oſtio Rhodani amnis deveniſſe.* Maſſiliæ & ſinui Gallico proximum oſtium *Rhodani*, Maſſalioticum eſt. Monetus ſcribit, *oſtium Rhodani Maſſalioticum* vocari ab accolis *le Tampan*, *ubi ſit & Foſſa Mariana*: oſtium *Hiſpanienſe* eſſe unum ex alveis Rhodani, qui paullo ſupra Arelatum ſeparatus à *Rhodano*, obliquè feratur in mare, & effluat ad *Tres-Marias* vicum ita dictum, ibique *oſtium Hiſpanienſe faciat, ſeptem leugis diſtans à Maſſalioticо*: oſtium *Metapinum* eſſe alveum tenuem, emiſſum ex medio ore fluminis, obliquè decurrentem in ſtagna Pecaſia ſeu Salinas, infra quas oſtio modico in mare decurrat. Hũc tertium *Rhodani* alveum, ut & medium ferè exaruiſſe, poſt ductam à Mario foſſam latam atque declivem, aquis ſponte ſua eò defluentibus: vocari autem vulgò *Rhodaninam*, *la Rodine*, & accolarum foveri induſtriâ ad commodiores ſalis ſubvectiones. Hæc qui-

dem Monetus: quem apparet à Plinio temerè receſſiſſe, & ordine oſtiorum amnis minimè ſervato, omnia confudiſſe. Nam ut Plinium & rem ipſam ſecuti ſuprà oſtendimus, primum eſt *Rhodani* oſtium *Hiſpanienſe* Hiſpaniam verſus; ſecundum ſive medium *Metapinum*; tertium atque ultimum verſus Foſſam Marianam & Maſſiliam, *Maſſalioticum*. At Monetus medium oſtium *Rhodani Hiſpanienſe* vocat, cùm *Metapinum* vocandum ſit; & contrà *oſtium Metapinum* appellat, ultimum os *Rhodani* Gothiam & Hiſpaniam ſpectans, quod *Hiſpanienſe* appellari oportuit. Quare non oſtium Maſſalioticum, ſed medium os *Rhodani* ſeu oſtium *Metapinum*, *Tampan* nuncupari ab accolis exiſtimo, nomine ad *Metapinum* maximè accedente; quod oſtium ad Tres-Marias & ad Gradum Urgonenſem conſiſtit: ultimum verò os *Rhodani*, quod *la Robine* vulgò dicitur, non *la Rodine*, & ſalinas Pecaſias rigat, Gradique Novo proximum eſt, *oſtium* eſſe *Hiſpanienſe* credo, non (ut Monetus ſibi perſuadet) *Metapinum*. Ptolemæus à Plinio ſine cauſſa recedit, tria oſtia *Rhodano* aſſignante, & duo tantùm ei fluvio ora attribuit, alterum *Occidentale*, τὸ δυτικὸν στόμα, hoc eſt Hiſpanienſe; alterum *Orientale*, Ῥοδανοῦ τὸ ἀνατολικὸν στόμα, id eſt Hiſpanienſe. Artemidorum Plinius, Polybium Ptolemæus eſt ſecutus. At Diodorus Siculus cum Timæo falsò quinque *Rhodano* ora cornuave attribuit: quos ambos Avienus ſequitur.

Regionem *Rhodano* adjacentem *Rhodanuſiam*, Ῥοδανουσίαν dixere Græci, in primis Irenæus: ſicut Euphrateſiam Εὐφρατησίαν, id eſt Euphratenſem eadem natio vocavit Commagenen: ita provinciæ à fluminibus dictæ Bætica in Hiſpania, Savia in Illyrico.

Fuit & *claſſis fluminis Rhodani, cujus Præfectus nunc Viennæ, nunc Arelati* conſiſtebat ac commorabatur; uti docet Notitia Imperii Romani: à qua claſſe & *nautæ Rhodanici* ſunt cognominati. In lapide Arelatenſi memoratur *Fronto* quidam *Navicular. Mar. Arel. Curat. ejuſd. corp.* id eſt *Navicularius Maritimus Arelatenſis, Curator ejuſdem corporis, Patronus Nautarum Druenticorum & Utriclariorum corporatorum Ernaginenſium.*

Heic notare convenit, quum Dionyſius Periegetes ſcribit, *ſedes Celtarum* ſeu Gallorum eſſe *circa Fontes Eridani*; & quum in Vita Favorini Sophiſtæ legimus, patriam ei fuiſſe Arelatum, urbem *ad Eridanum* poſitam; utrubique *Rhodanum* noſtrum, non autem Padum, *Eridani* appellatione impropriè aut etiam mendosè deſignari, ut ſæpe contingit, ſimilitudine nominum & vicinitate amborum fluminum deceptis auctoribus, ac utraque confundentibus. Sic & Æſchylus *in Iberia Eridanum eſſe dixit, eundemque appellari Rhodanum*; ut Plinius in libri XXXVII. capite II. ſcribit.

Plinius *in Rhodani oſtio Metinam* inſulam ponit, quæ nunc ſub eo ſaltem nomine nobis incognita eſt. Duæ nunc inſulæ in oſtio ejus fluminis ſunt, altera Anguillaria, *l'Anguillare*, quæ in quibuſdam tabulis *Anguillade* vocatur: altera, eaque multo Anguillariâ minor *Oder* dicta, quam Rogerio Hovedeno qui in anno MCC. deſinit, notam eſſe video, & *Odur* appellari. Hic enim poſtquàm de *Briſcon*, id eſt Blaſcone inſula, de Agatha civitate ſeu *Agda*, de Magalona, & de portu Montiſpeſſulani *Lates*, hoc eſt caſtro Latara ſcripſit, ſic refert. *Deinde tranſierunt ante inſulam, quæ dicitur Odur, quæ eſt ad introitum Rhodani: & in adſcendendo per Rhodanum, itur ad bonam civitatem Archiepiſcopalem, quæ dicitur Arle le Blanc.* Ex his II. inſulis alteram Plinius *Metina* nomine *inſula in Rhodani oſtio* haud dubiè deſignavit: ſed utram, incertum eſt. Niſi quod *Metina Anguillariæ* magis videtur convenire, quàm *Oduri* inſulæ Anguillariâ multo minori.

RIBODIMONS.

Ribodi Mons notus eſt locus in Diœceſi Laudunenſi, Monaſterio Abbatiali inſignis. Guibertus, Novigenti ſub Codiciaco Abbas, in libro III. de Vita ſua *Abbatem S. Vincentii, Abbatem Ribodimontenſem, & Abbatem Novigenti ſui*, appellat *præcipuos Abbates Parœciæ Laudunenſis.* Hermannus Monachus in capite XX. libri III. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis *Ribemontem* corruptè vocat, & ſupradicto *Monaſterio S. Nicolai prope Ribemontem* ſuum eſſe Abbatem ſcribit. Vulgò *Ribemons* dicitur, Monſtreletio *la ville de Ripemont*; nonnumquam & *Riblemont* corruptè: caſtrumque eſt ad flumen Iſaram inter Faram & Guſiam ſitum, pontem amni impoſitum habens. *Anſellus de Ribodi Monte* inter Francorum Proceres qui Hieroſolyma anno MXCVI. profecti ſunt, non ultimum locum tenuit; ut Geſta Dei per Francos docent: quem *Anſelmum de Riboatmont* vocant Geſta Francorum ab anno MXCV. ad annum MXCIX. perducta, & in obſidione caſtri Archæ obiſſe tradunt. Loco nomen dedit mons in quo ſitus eſt, & *Ribodus* qui eum poſſedit. *Ribodus* enim, necnon *Ribbodo* vel *Ribboto* propriũ apud Francos viri nomen fuit. Carolus IV. ejus nominis Imperator Romanorum, in Commentario de Vita ſua, qui in anno MCCCLXIII. deſinit, hoc *opidum Rubemontis* corruptè vocat, & inter *opidum S. Quintini & civitatem Laudunenſem* ponit.

RICOMAGUS.

Nobiliſſimum eſt opidum in Arvernis vetuſtiſſimumque *Ricomagus*: quod adhuc nomen ſed truncũ ſervat. *Riom* enim nuncupatur. Gregorius Turonicus Epiſcopus cum alibi, tum in libro de Gloria Martyrum, ejus meminit, & *vicum Ricomagenſem* vocat. *In Ricomagenſi vico civitatis Arvernæ Polycarpi Martyris ſollemnia celebrabantur.* Idem *vicum Ricomagenſem* nuncupat in libro de Gloria Confeſſorum. *Fuit* (inquit) *in Arverna urbe admirabilis ſanctitatis Amabilis quidam vici Ricomagenſis Preſbyter: qui virtutibus magnis præcellens, ſæpe ſerpentibus dicitur imperâſſe.* Hunc Amabilem, Patronum ſuum, *Ricomagenſes* hodieque venerantur, & *S. Amable* vocitant. Idem ibidem *montem Belenatenſem* in-

ter vicos Artonam & *Ricomagum* poſitum eſſe docet, & ex cacumine ejus montis *vicum Ricomagenſem* deſpici. De *Ricomago* Noſtri poſtea fecere *Riomum* & *Reomum*, ac *Rigomum*: ut de *Rotomago Rotomum*, ex *Noviomago Noviomum*, ex *Biliomago Biliomum*. *Villam Reomenſem*, *forum* item *Riomenſe* veteres tabulæ memorant: in quibus *VVillelmus Arvernorum Comes medietatem Lecdarum, quæ in villa Reomenſi quoque tempore accepta fuerint, Monaſterio Mauziacenſi concedit.* Pippini Regis Aquitanorum litteras legi, anno XIX. regni ejus datas in gratiam Mauſiacenſium Monachorum: quibus in litteris *Vicaria Rigomenſis*, (*la Vignerie de Rion*) *Vicaria Cantellenſis*, (*Chantelle*) & *Vicaria Randanenſis* (*Rendan*) mentionem facit. *Rigomum* ergo vocat Pippinus Aquitanorum Rex, Ludovici Pii Aug. filius, nomine veteri *Ricomagi* jamtum truncato ante annos amplius DCCCXXX. *Ricomagum* patriam noſtra ætate plurimum illuſtrarunt Jacobus Sirmundus, peritiſſimus antiquitatis, Sirmundus Poëta, & Amabilis Burzeus, viri doctrinâ clariſſimi.

Et *Ricomagus* quidem cujus meminimus, eſt in inferiore Arvernia vel in Lemane: at alter ejuſdem nominis vicus eſt in ſuperiore Arvernia, vel in Cebennis montibus, *Ricomagus* dictus Latinis ſcriptoribus. Noſtris *Riom des Montagnes*, ut eo cognomine à *Ricomago* Lemanico diſtinguatur.

Ricomagu Gallicum nomen vetus eſt, ditem manſionem ſignificans. *Ricus* enim dives Gallis fuit, ut hodieque Noſtris eſt; *magus* manſio. Hinc nata nomina *Richomeres*, *Riccimirus*, *Richarius*, *Ricramnus*, *Rictrudis*, *Richolfus* vel *Riculfus*, *Richardus*, *Richildis*, *Richuinus*, Ricolocus vel Ricus locus, *Richelieu*, locus in Pictonibus non longè à Campintaco, Ducatûs titulo inſignis ad fluviolum Valdum, *Vende*.

RIGODULUM.

Tacitus in libro IV. Hiſtoriarum *Rigodulum montibus aut Moſella amne ſeptum* in Treviris commemorat: cujus loci ſitum ita deſcribit Ammianus Marcellinus in libro XVI. *Apud Confluentes locum ita cognominatum, ubi Moſella confunditur Rheno, Rigodulum oppidum eſt.* Nunc vicus eſt è regione Palatii, (*Pfaltz*) nihil præter nomen antiquum ſervans. Nuncupatur enim *Rigol*; aut ſi Brouvero fides, *Reoll*: quem ait vicum eſſe ad Moſellam flumen, Valentini Treviri clade illuſtrem.

RIGOMAGUS CIVITAS.

Inter provinciæ Alpium Maritimarum VIII. civitates tertium locum obtinuit *civitas Rigomagenſium*: ſicut docent veteres omnes Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ. Hujus civitatis auctores noſtri, & Concilia Gallicana, ac Itineraria provinciarum vetera nullam mentionem faciunt. Æthicus quidem in Itinere à Mediolano per Alpes Cottias Arelate, *Rigomagi* cujuſdam meminit inter Laumellum & Taurinos, à Laumello XLVII. ab Auguſta Taurinorum XXXVIII. millibus paſſuum diſtantis: quem locum Cluverius in libro I. Italiæ Antiquæ opidulum *Trinum* (*Trino*) eſſe exiſtimat. Sed *Rigomagus* Æthici cùm ſit in Italia, nihil ad Gallias, nihil ad *civitatem Rigomagenſium* in priſcis Notitiis Galliæ memoratam pertinet. Quare Lucas Holſtenius, qui Ortelii Theſaurum Geographicum adnotationibus illuſtravit, vix dubitat affirmare *Rigomagum* provinciæ Alpinæ Maritimæ civitatem, eſſe *Caturigomagum* vel *Caturiges*, locum non procul ab urbe Ebroduno, vulgò *Chorges* dictum. Holſtenii ſententiæ accedere non poſſum. Nam *Rigomagenſium civitatem* Notitiæ Galliarum omnes MSS. appellant; nulla *Caturigomagum*: inter *Rigomagum* autem & *Caturigomagum* multum intereſt. Præterea *Caturiga* vel *Caturica*, aliàs *Catorigomagus*, nomen habent à Caturigibus gente Alpina, quaſi *Caturigum magus* aut manſio, ſuntque inter Ebrodunum & Vapincum, & ab Ebroduno XVII. à Vapinco XII. millibus diſtant: ut tabula Peutingeriana & Itinerarium Æthici docent. At Ebrodunum caput quidem eſt Caturigum, ut ex Ptolemæo diſcimus, & metropolis civitas provinciæ Alpium Maritimarum. *Caturiga* verò vicus eſt Ebroduno ſubjectus, nihil ſplendoris præter nomen Caturigum retinens; quem Itinerariû à Burdigala Hieruſalem *manſionem Catorigas* appellat, nemo unquam civitatis appellatione honoravit: nemo umquam Caturigibus duas urbes aut civitates attribuit. Tantùm autem differt vicus & manſio à civitate, quantum *Catorigomagus* vel Caturigæ à *Rigomago*.

Equidem *Rigomagum civitatem* Alpium Maritimarum intercidiſſe pridem exiſtimo, & ad vicum redactam eſſe: ſive ſit *Rie*; ſive potiùs *Rogen* locus ad Iſſoletum fluvium, qui in Druentiam effluit, à civitate provinciæ Alpinæ Maritimæ Sanitio non multum remotus. *Rigomagus* autem nomen eſt Gallicum, compoſitum ex rigo & magus: ut *Rigodulum* opidum ad confluentes Moſellæ & Rheni vetuſtiſſimum, *Dariorigum*, aliaque.

RIGOMAGUS IN GERMANIA INFERIORE.

Rigomagus in tabula Theodoſiana ponitur inter Bonnam & Antunnacum, à Bonna VIII. ab Antunnaco totidem millibus diſtans. Eſt & *Rigomagus* inter Ticinum & Taurinos, qui à Ticino XXIX. à Taurinis XXXVIII. millibus paſſuum abeſt; & *civitas Rigomagenſium* ſive Rigomagus, in provincia Alpium Maritimarum tertium locum obtinens; & *vicus Ricomagenſis*, ſive Ricomagus in Arvernis, à Gregorio in libro de Gloria Confeſſorum memoratus.

In libro rerum memorabilium à Bernardo Claravallenſi geſtarum *viculus Riegemach* vocatur inter *Confluentiam* & *Coloniam* noſter *Rigomagus* in provincia Germania II. Hodieque *Rimagen* dicitur, aliàs *Rhiinmegen* & *Remmegen*, & Bonnæ eſt proximus.

RIGULIACUM.

Vita S. Vedaſti Atrebatenſis Epiſcopi *Riguliacum* vel *Rigultagum* commemorat. *Venerunt in pago Vongiſe ad locum qui dicitur*

Grande Ponte, juxta villam Rigul.ago ſuper fluvium Axona; deinde ad Remorum urbem, &c. *Riguliagum* ad Axonam in pago Vongenſi, eſt *Rilly*, à Vongo (*Vonzi*) capite pagi Vongenſis II. leugis diſtans, loco *Von* dicto ferè oppoſitum & adverſum, inter Condate & Attiniacum. Dictum eſt primò *Reguliacum* à Regulo; deinde corrupte *Riguliacum* & *Riguliagum*, e in i, & c in g commutatis: quod nunc pago Reiteſtino attribuitur.

RIONAVA.

Vicus eſt *Rionava* poſitus ad ripam flum. Vincennæ, quod Ararim auget, & *Vigenna* vulgò hodieque appellatur. *Vicus Riona ſuper Vincennam flumen ſitus* vocatur Aimoino in libri IV. capite 4. at Fredegario quem ipſe tranſſcripſit, *Rionava vico ſuper Vincenna fluvio.* Cointus in Annalibus Eccleſiaſticis *Ryonne* interpretatur. Eum in vicum à Fredegario memoratum adductæ ſunt Brunichildis & neptis ejus captivæ ad Chlotharium juniotem Francorum Regem. *Vincenna* aliis *Vingenne*, aliis *Vigenne* nuncupatur. Pleriſque in tabulis chartiſve Geographicis nomen ejus fluvii corruptum reperio, articulo & nomine coaleſcentibus ac in unum conjunctis. Dicitur enim *Navigenne*, pro *la Vigenne*: Samſon *Vingenne* appellat. In Chartulario MS. Eccleſię Lingonicæ nũc *Vigenna* vocatur in tabulis datis anno MCCXXXVIII. & MCCXCVII. *feoda Belli Montis ſuper Vigennam*, & *Montigneium ſuper Vigennam* memorantibus; nunc *Vingenna*, ut à Fredegario ac Aimoino *Vincenna*. Certè ibi *Montigneium ſuper Vingennam* appellat index libri poſſeſſionum Epiſcopatus Lingonici: & ibidem in litteris anni MCCLXXVIII. memoratur *Girardinus de Montigneio ſuper Vingennam Domicellus, filius quondam Henrici ejuſdem loci Militis. Vinzennam* etiam *fluvium* vocat Chronicon Beſvenſe in litteris anni MXXXIV. Alluit hic amnis Montem Salionis, *Mont Savion*, *Mons Augon* corruptè in tabulis dictum; Montiniacum *Montigni*, Montigneium ſuprà dictum; vicum S. Sequani *S. Seine*; Roſaria *Roſieres*, Bellum Montem, Thalametum *Talemoy*, vicum in inſula poſitum: & ſupra Pontem Arleium in Ararim effluit.

RIPARII VEL RIPARIOLI.

Riparij vel *Ripariol.* ſunt, quos poſtea auctores noſtri *Ripuarios*, *Ribuarios*, *Riboarios* ac *Ribuerios* corruptè vocaverunt: nunc *Ribaroles*, id eſt Ripariolos dicunt; vulgò *Ribarolles*, aut *Riberols*. Et in legibus quidem ſuis à Francis, à Burgundionibus, à Romanis, id eſt à Gallis, ab Alamannis quoque, à Friſiis Friſionibuſve, & à Baioariis Saxonibuſque hi diſtinguuntur: itaut qui non fuerint, quàm qui fuerint, ſcire ac dicere multo facilius ſit. Quidam exiſtimant *Riparios* ex variarum Gentium Tranſrhenanarum adunata multitudine coaluiſſe, qui in Gallica Rheni ripa ſedes ceperint. Equidem à *ripa Rheni* dextra vel Germanica quam accolerent, *Riparios* cognominatos puto, & poſtea tranſgreſſos in Galliam, inter Rhenum, Ruram & Moſam conſediſſe, ubi Noveſium, Colonia Agrippina, Bonna, Tolbiacum, Marcodurum, Juliacum atque Antonnacum ſunt: quæ provincia ipſis cognominis, Ducatûs titulo poſtea donata, ac in quinque Comitatus diviſa eſt. Nomina quidem Germanica Legi *Ripariorum*, quæ Legi Salicæ in pleriſque ſimilis eſt, haud pauca inſerta, aperte docent eam nationem ex Germania eſſe profectam: ut in libro IV. Rerum Francicarum ſcripſimus. *Pagus Riparienſis* inter Rhenum, Ruram & Moſam flumina jacebat: *terra Ribuarinſis*, id eſt *Ribuarienſis* circa civitatem Coloniam dictus in Geſtis Francorum capite XXXVIII. incolæque *Riboarii*, *pagus Ribuerinſis* ad Duram in Appendice Chronici Fredegarii; *Ripuaria* Eginhardo in Annalibus, & in Fuldenſibus Annalibus; *Ribuaria* in Diviſione Regni Lotharii; (*In Ribuariis Comitatus* V.) *fines Ribuariorum* Nithardo in libro I. Frodoardo in Chronico *pagus Ribuarius ſuper fluvium Ruram. Regionem Ribuariorum* vocat Vita Rigoberti Remenſis Epiſcopi à Bollando edita: qui dicitur *in regione Ribuariorum ortus patre ex eodem pago nomine Conſtantino, matre Francigena ex Porcenſi territorio.* Ea verba apertè *Ribuarium* à *Franco* diſtinguunt. In Legis *Ribuariorum* capitulo XXXI. *pagus Ripuarius* appellatur; *Ducatus* bis in capitulo XXXIII. id eſt *Ducatus Ripuarius* vel *Ripuariorum*; *provincia Ripuaria* in capitulo XXCVIII. quam qui incolunt, *Ripuarij* ibidem nuncupantur. Ab Eginhardo in libri IV. de tranſlatione Martt. Marcellini & Petri capite VI. *pagus Ribuarenſis* memoratur, & in capite penultimo *Colonia metropolis eſt, in finibus Ribuariorum ſuper Rhenum poſita.*

Alios *Riparios* memorat Jodocus Coccius Aleſatius in Rege Dagoberto, finitimos Aleſatiæ, à ripis trium fluminum, Bleſæ, (*Bliess*) Saravi ac Moſellæ, quibus clauduntur, dictos: horum fluviorum accolas interiores quodam velut triangulo claudi, *Ripariosque* vel corruptè *Ripuarios* olim vocatos eſſe, regionemque *Ripuariam*: nunc vulgò *Auſtraſios*, & *VVeſterrichios* appellari ſive *Neuſtraſios*. Quæ ſi vera ſunt, alii fuere *Riparii ſuperiores* inter Bleſam Saravum & Moſellam fluvios, è regione Argentorati, Saletionis & Noviomagi Nemetum, in confinio Aleſatiorum: alii *Riparii inferiores* inter Rhenum, Ruram & Moſam amnes, de quibus ſuprà. De ſuperioribus iſtis *Ripariis* vel *Ripuariis*, à Jodoco Coccio memoratis, credo me aliquid apud Guntherum Poëtam, ſicut de inferioribus legiſſe. Certè & Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXIX. inter *Comitatum Condruſti* & *Ducatum Eliſatia Ducatum Ribuariorum* ponunt, *VVormazfelda. Sperohgouvvi Ribuarii* autem iſti proximi ac finitimi Aleſatiæ, & pago Vangionenſi agroque Nemetenſi, aut etiam quorum finibus Vormacia & Spira cum agro ſuo continebantur, ſunt omnino *Riparij* poſteriores, à Coccio memorati. Nam Colonia Agrippina quæ & *Ripariorum* erat, à Borbetomago Vangionum XCIV. millia paſſuum abeſt, Noveſium, & ipſum *Ripariorum* caſtrum, CX. Bonna *Ri-*

pariorum XXCIV. Antunnacum *Ripariorum* XXVII. Noviomagus autem Nemetum à Borbetomago Vangionum XVIII. millibus diſtat, aliàs XII. ut Æthicus & tabula Theodoſiana docent : quæ in tabula nomen *Ripariorum* corruptum reperio. Ibi enim legitur circa Juliacum *Pariſi* nomen Gentis, mendosè pro *Riparj*.

Cùm tamen unus tantùm *Ducatus Ripuariorum* memoretur, non duo, exiſtimo *Riparios* & *Ducatum Ripariorum* à Novelio uſque ad Saletionem pertinuiſſe, & ad ripam Rheni centum & quadraginta ſex millia paſſuum patuiſſe: ibi fuiſſe Noveſium, Coloniam Agrippinenſem, Bonnam, Antunnacum, Confluentes, Voſaviam, Bingium, Mogontiacum, Borbetomagum, Noviomagú, Tabernas, Saletionem: & *ſuperiores* quidem *Riparios* non ripam modò Rheni, ſed etiam interiora terrarum, id eſt ripas Bleſæ, Saravi ac Moſellæ obtinuiſſe in provincia Germania prima aut ſuperiore; *inferiores* verò *Riparios* etiam interiora prov. Germaniæ inferioris vel ſecundæ circa ripas Ruræ & Moſæ occupaviſſe.

Imperante Ludovico Pio erat adhuc in Germania trans Rhenum regio, *Riparia* vel *Riparie* dicta, *Ripariorum* qui in Galliam tranſierant ibique conſederant patria : cujus meminit Ludovicus Aug. in Diviſione Regni ſui inter tres filios, & quam *Ribuarias* nomine corrupto appellat, ac inter Toringiam & Saxoniam regiones Tranſrhenanas ponit, apertè indicans & *Ribuarias* iſtas ſive *Riparias* trans Rhenum eſſe. *Ad Baiuvariam totam Toringiam, Ribuarias, Atoarias, Saxonia, Friſia*, &c.

RIPATORIUM.

Ripatorium commemorat Hatto Tricaſſinus Antiſtes in litteris, quibus teſtis præter ceteros *Hilduinus de Vendopera* ſubſcripſit, *Vandevure*, qui eſt locus non procul à Barro ad Sequanam. *Ripatorium* nunc corruptè dicitur *la Rivour* truncatâ Latinâ appellatione; in quibuſdam tabulis *la Rivol* & duabus leugis ab urbe Auguſtobona Tricaſſium diſtat, eſtque Monaſterio Abbatiali illuſtre.

RISELA FLU.

Riſela flumen Orderico paſſim aliiſque memoratur, quibuſdam *Riſella* dictum, *Riſla* etiam in nonnullis veteribus libris ſcriptis & litteris, vulgò *Rille*. Hic fluvius oritur non procul ab urbe Saiis, & à fonte Olinæ, & inter Eburovices ac Lexovios fertur. Alluit caſtrum Aquilam, Rugulas *Rugles*, caſtellum Liram, Ferrariam, Boſcum Rogerii, *Boſc le Roger*; Bellum Montem Rogerii, *Beaumont le Roger*; Alnetum, *l'Aunay*. Inde Carentonâ auctus attingit Therboldi Villam, *Thibouville*, Vitali in libro XII. non indictam; Brioniam opidum ob ſitum & munitiones Orderico ſimiliter in libro VIII. celebratum, *Brionne*; Beccum Herluini ad rivuli confluentem ſitum, & inde dictum, Monaſterium nobile, *le Bec*; Montem Fortem, Condate, Cormelias, *Cormeilles*, in Lexoviis Abbatiâ Monachorum Benedicti regulæ ſubjectorum illuſtres; ac ibidem Pontem Audomari, infra quem in Sequanam, jam totum velut æquoreum effluit ad Rupem Ridulam.

Carentona autem alluit Monaſteriolum Argillæ, *Montreuil l'Argille*; Cameracum, *Chambray*; Bernacum, *Bernay*, opidum in Lexoviorum finibus Abbatiâ ſuâ nobile; demum in Riſelam decurrit: fluvius Orderico notus, à quo *tranſitus Carentonæ* refertur, & *rivus Carentonæ* in libro VI. vulgò *la Charentone*, aliàs *Carentonne*.

Riſela noſter, in enumeratione MS. fluminum Galliæ ante CCCC. annos compoſita *Ridula* vocatur. *Ridula in partibus Montis Fortis & Pontis Audomari currit. Rupes Ridula* ab eo nomen accepit, quaſi *Rupes Ridulæ*; quòd ſit mons ſaxeus, proximus oſtio *Ridulæ* vel *Riſelæ*: qui locus vulgò *Roque-drille* nuncupatur, cùm *Roque de Rille* ſcribi nuncuparique debeat. Guillelmus Armoricus in anno MCXCIV. *Ridulam* quoque fluvium appellat, *Bellum Montem caſtrum muniſſimum ſuper fluvium Ridulam ſitum* memorans, cujus ſuprà meminimus. Johannes Pariſienſis verba Guillelmi de Bello Monte iſto ad *Ridulam* in Memoriale Hiſtoriarum tranſtulit more ſuo: quem & *Bellum Montem Rogerij* nuncupat; *Pulchrum Montem Rogerij* Rigordus in anno MCXCIV.

RIVUS MORENTINI.

In Chartulario MS. Eccleſiæ Aurelianenſis S. Crucis quod evolvi, legi litteras Eugenii PP. III. datas anno Incarnationis Domini MCL. Pontificatûs Eugenii PP anno VI. in quibus inter Abbatias, Eccleſias, caſtra ac villas Eccleſiæ Aurelianenſis numerat *Eccleſiam de Rivo Morentini*. Hic *Rivus Morentini* eſt omnino *Romorantin*, aliàs *Remorantin*. In aliis litteris mendosè vocatur hic locus *de Rege Morentino*; pleriſque recentioribus *Romorantinum*. Hocce caſtrum vel opidulum poſitum eſt ad Saleram majorem in Secalonia, cujus caput habetur in uno de ſex Archidiaconatibus Eccleſiæ Aurelianenſis: qui *Archidiaconatus Secaloniæ* vocatur, & *Rivum Morentini*, Tauriacum in Secalonia *Toury*, Caſtellionem ad Carum, & Calvum Montem præ ceteris complectitur. *Rivus Morentini* dictus eſſe videtur à *Morentino rivo* aut amniculo, qui eo in loco Saleram auget: ſicut *Vangionis rivus* ſive *Vignory* nuncupatus eſt à *Vangione* fluviolo, quo alluitur. Litteris anni MXXXV. adſcribitur præter cetera *Signum Rainaldi de Rege Morentino*, *ſignum Gelduini de Bretolio*.

RODONIUM.

In litteris Ludovici Francorum Regis *Rodonium* in *Epiſcopatu Carnotenſi* memoratur, adnumeraturque ejus loci Cella Cellis ad Fontanellam pertinentibus. *Rodonium* vocatur & in tabulis datis anno MCCVII. MCCXIV. MCCCXIX. aliiſque; at *Ronetum* in litteris anni MCCXIX. à Medunta unâ leugâ diſtans, locus Prioratu Marchiaque inſignis in Carnutibus,

inter Meduntam & Vernonem ad Sequanam: quem primùm *Roens*, ac pòſt *Roſny* Noſtri dixere.

ROMANENSES ET ROMANUM MONASTERIUM.

Gregorius PP. VII. ſcripſit epiſtolam *Fratribus conſiſtentibus in Abbatia Romana ſuper fluvium Iſeram conſtituta*, datam Romæ VII. Idus Martii Indictione XIII. item alteram eiſdem *Romanenſibus Clericis*, (ut vocat) datam XIV. Kal. April. Indictione XV. quâ jubentur Viennenſi Archiepiſcopo ex more ſubeſſe & obedire. Hic locus hodieque vocatur *Romans*, aliàs *S. Romans*, poſitus ad ripam fluminis Iſaræ in Rhodanum decurrentis. In actis S. Barnardi Archiepiſcopi Viennenſis, quæ ſervantur in archivis Ambroniaci Monaſterii, (*Ambornay*) B. Barnardus vocatur *Patronus Romanenſium*, diciturque *conſtruxiſſe Monaſterium in loco cui Romanis nomen impoſuit; conditâ ibi Eccleſiâ in honore B. Petri, & Monachis cum Abbate collocatis, in ipſo loco ſepeliri deſiderantem, trium Martyrum Reliquias quas fides ſua primitias Vienna primùm habuerat, eò tranſtuliſſe reverenter, ſcilicet Severini, Exſuperij & Feliciani* principatu Caroli Magni. Liber de Vita ipſius, *Bernardum* eum vocat, meminitque *loci ſolitarij ad flumen Iſaram, ubi Monaſterium SS. Apoſtolorum Petri & Pauli conſtruxit, nomenque de Romanis ab eo, penes quem jus loci ſpectabat, indidit*; ibidem *loci de Romanis* dicti, & *loci cui Romanis nomen impoſuit*. In Miraculis ejuſdem Bernardi, ab Adone fortè ſcriptis, Monachi atque incolæ loci ſemel atque iterum appellantur *Romanenſes*; & locus ipſe ſemper *Romanis* dicitur: qui in Allobrogibus Diœceſique Viennenſi poſitus eſt.

ROMARICI MONS.

Romaricus Francus, vir nobilis, & genere atque opibus clarus, hortatu Amati Monachi Palatium Luxovio Monaſterio mutavit, ſervis manumiſſis ac pleriſque detonſis & ſibi adiunctis, multiſque rebus loco donatis, atque in ſilva Voſago (*le bois de la Voyge*) non longè à flumine Moſella adiutore Euſtaſio Monaſterium ſacrarum Virginum in caſtello ſuo Abbas exſtruxit circa annum DCXXX. Et caſtellum, & Monaſterium quod ibi in vertice montis conditum eſt, Latini ſcriptores *Montem Romarici*, *Romerici* item vel *Rumerici Montem*; nonnumquam *Romarici* aut *Rumerici caſtellum* appellant. *Monaſterium Romarici*, in Vitis Amati & Adelphii *Habendenſe Monaſterium* dicitur à loco in quo conditum erat. Eſt autem *Habendum* caſtrum in Voſago vetus, aliis *Habundum*, & *Avendum* ac *Avendunum* nuncupatum, vulgò *Romberg*.

Eginhardus in Annalibus de eo loco ſic refert. *Anno* DCCCV. *Imperator Karolus per Theodonisvillam atque Mettis tranſiens, Voſegum petiit, ibique venationi vacans, poſt reverſionem exercitus ad Rumerici caſtellum profectus, ibique aliquantum temporis moratus, ad hiemandum in Theodonisvilla Palatio ſuo conſedit.* Idem in anno DCCCXXV. *Imperator* (Ludovicus Pius) *in Voſegum ad Rumerici Montem venandi gratiâ profectus, filium ſuum Lotharium ibi ſuſcepit*: & anno DCCCXXXI. ut in Vita Imp. Ludovici reperio, *Imperator in partes Rumerici Montis per Voſagum tranſiit, ibiq; piſcationi atque venationi quamdiu libuit induſit.* Quæ verba videntur indicare, *Romarici Montem* tum villam publicam ſeu fiſcalem fuiſſe. Rarò enim alibi quàm in villis dominicis ſive publicis Reges noſtri ac Imperatores morari, venari, piſcarique conſueverant. *Romarici Montem* Noſtri *Remiremont*; Germani *Rumersberg* appellitant. *Berg* quippe Germanis mons eſt; *Rumers* Romaricus.

Romaricum autem iſtum quidam, in primis Miræus, ineptè *Avendi Comitem* fuiſſe ante converſionem aiunt, atque ita falsò appellant: quaſi tum Comitatus hereditarii eſſent. In MS Vita S. Arnulfi Mettenſis Epiſcopi, ad Chlodulfum ejus filium & ſucceſſorem ante annos mille compoſita, *Habendi* fit mentio, & ibi priùs ſepultus eſſe dicitur Arnulfus, quàm Divodurum à Goerico ex eremo Voſago transferretur. *Mettis in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum ſepultus eſt, poſt annum quàm à S. Romarico in Habendo fuerat ſepultus.*

Monaſterium *Habendenſe*, in vertice montis olim poſitum, duplex fuit, Monachorum ac Virginum. Caſtello Monaſterioq; Habendenſi ab Hungaris funditùs diruto, poſt aliquot annos, adjutore Ludovico Arnulfi Auguſti filio, non in eodem loco, ſed ad radices montis trans Moſellam inſtauratum aiunt eſſe Monaſterium: quod unà cum opido ſuo Latini ſcriptores prioris conditoris nomine *Romarici Montem*, Germani *Rumersberg*, Noſtri *Remiremont* appellant, & nunc nobilium Virginum Canonicarum apud Lotharienſes illuſtre pridem Collegium eſt factum.

ROSSONTUM ET PAGUS ROSSONTENSIS.

Gregorius ejus loci & pagi meminit his verbis in libri IX. capite XX. *Convenit ut Silvanectis domnus Childebertus in integritate teneat, & quantum tertia Domni Guntchramni exinde debita competit, de tertia Domni Childeberti quæ eſt in Roſſontenſi*, (aliàs *Roſontiſſo*) *D. Guntchramni partibus compenſetur*, *Roſſontum* vel *Roſontum*, quod pago *Roſſontenſi* vel *Roſontiſo* id eſt Roſontenſi nomen dedit, eſſe omnino puto locum ad Axonæ flum. ripas poſitum inter Auguſtam Sueſſionum & vicum ad Axonam, (*Vix ſur Aiſne*) hodieque *Roſſontum Longum* cognominatum, *Roſſon le Long*. Qui vicus nomen vetus ſervat, & cognomine ſuo teſtatur, olim ſe majus aliquid quàm nunc eſt, fuiſſe, atque ab urbe Silvanectis XIII. circiter leugas abeſt.

In Vita S. Amandi Epiſcopi Traiectenſis aliud *Roſſontum* video memorari in Bellovacis, *in Belvacenſi pago locum, cui vocabulum eſt Roſſonto juxta Oſannam fluvium*. *Aronnam fluvium* alii legunt. quod *Roſſontum*, vulgò vocatur *Reſſon*, & eſt unus ex IX. Archidiaconatibus Eccleſiæ Bellovacenſis, adiacetque Aronæ

næ fluvio, à quo & *Reſſon ſur Aronde* cognominatur. Arona autem, *Aronde*, in Iſaram decurrit è regione Compendii.

ROTEIACUM, ET DE PAGO AMANSENSI.

Fortunatus Preſbyter in libri de Vita Germani Pariſiorum Epiſcopi capite XXXVII. *Roteiacum villam Pariſiaca Eccleſia* commemorat, *in pago Amonenſe*, aut ab eo non procul: quam & in capite LIV. *villam Rotegiacum* vocat, & in capite LXIII. *Rotaiacum*. & Pariſiis Auguſtodunum petenti obvium locum eſſe aperte indicat.

Annales Bertiniani pagi ejus meminere in rebus anni DCCCXXXIX. ſed corruptè *Amans* pro *Amant* vocant, u. litterâ in n converſâ. *Comitatum Lugdunenſem, Comitatum Cavallonenſem, Comitatum Amaus*. (lege *Amans*) *Comitatum Hatoariorum, Comitatum Lingonicum*. Pagus ergo *Amans*, *Amanſuſve*, vel *Amonienſis* erat in Burgundia inter pagos Cabillonenſem & Attuariorum ad Ararim. Erricus Monachus, qui de Miraculis S. Germani ante annos DCCC. ſcripſit, *pagum Amanſenſem* eum appellat. Ibi enim *Salina, ſaltus Montis Caſta, villa pagi Amanſenſis, Campus Vellij dicta; pagus Oſcarenſis & Aleſienſis pagus* memorantur. Ex quibus intelligitur, non longè ab Arari & ab Oſcara ac Vincenna & Tila fluviis eum pagum abeſſe. Quod & docet MS. Vita & Tranſlatio S. Viventii, hiſce de Agilmaro Arvernorum Epiſcopo verbis. *Erat ei Præſuli in Burgundia partibus, in Comitatu Amanſo, poſſeſſio à proavis latifundiis propagata, diſtans VI. millibus ab Arari flumine: in qua ſtatuens Monaſterium cum clauſtris & Monachorum habitaculis, nomini B. illud dedicavit Viventij: ibi deinde B. Confeſſorem cum univerſo comitatu famulantium collocavit*: qui poſtea *in montem Verciaci caſtri, tutiſſimum* territorii Auguſtodunenſis *locum* cum Monachis tranſlatus eſt. Nomen vetus amiſit hic pagus, à me erutus è tenebris, & in locum ſitumque ſuum reſtitutus.

ROTNACUM.

Rotnacum Noſtris *Ernay*, Flandrenſibus *Roncen* & accolis dicitur: locus Canonicorum collegio inſignis, ut Sonegiæ, & Condate ad Hainæ & Scaldis confluentes in Hainoo. Amplum eſt Flandriæ municipium in Diœceſi Maalinenſi: quod & *Rodenacū* nuncupant, nec non *Rodnacum*. In MS. libro, qui inſcribitur Adventus ſeu Tranſlatio SSS. VVandregiſili, Anſberti, & VVlframni in montem Blandinium, hæc legimus. *Inter Carolum & Ragenfridum perduellio exorto, Cælestinus Abbas Blandinij falsâ invidorum delatione apud Carolum Principem innocenter laceratus, quaſi qui partibus Ragenfridi faviſſet, ab eo & exſilio ipſe injuriâ eſt deportatus, & grex Domini diſperſus: qui peregrinus obiit, & in Monaſterio S. Petri quod Rodnaco ſitum eſt, ſepultus quievit.*

ROTO.

Roto vocatur locus ad flumen Vicinoniam in Venetis, *Redon* vulgò dictus, Benedictino Monaſterio S. Servatoris, aut (ut vulgaribus verbis utar) veteri Abbatiâ S. Salvatoris, & ut minimùm duabus Eccleſiis Baptiſmalibus inſignis. *In Venetenſi territorio ſolitudinis locum Rotonem nuncupatum, duobus fluminibus cinctum* Dutulo & Vicinonia, à Covoiono quodam Britanno Monaſterio inſeſſum eſſe, & Imp. Ludovicum Pium ipſi *locum Rotonenſem* omnium onerum immunem donaviſſe, docent litteræ ejuſdem Monaſterii.

ROTOIALUM IN PAGO ROTOMAGENSI.

Rotoialum in valle, vulgò *Rueüil* à ſitu dicitur; Gregorio noſtro in libri VII. Hiſtoriæ capite XIX. *villa Rotoialenſis quæ in Rotomagenſi termino ſita eſt*, non procul à confluentibus Auturæ & Sequanæ, *Rotoialenſis Rotomagenſis territorij vicus* Aimoino in libri III. capite LXV. quò Fredegundis poſt viri ſui Chilperici Principis mortem, ſecedere compulſa eſt à Guntchramno & Optimatibus. *Rotoialum* utrumque, cùm agri Pariſiaci tum Rotomagenſis, haud dubiè à rubore ſoli ſui Gallicum nomen invenit: ut & Roto in Venetis locus, ac Rotomagus. Nomen enim illud compoſitum eſt ex *roto* & *ialum*. *Roto* autem vel *roth* rubrum Gallicâ linguâ olim deſignabat. Richardus Rex Anglorum, Dux Normannorum & Aquitanorum, & Comes Andicavorum in litteris datis anno MCXCVIII. *Rodolium* nomine pridem uſitato pro *Rototalo* vocat, *vallemque Rodolij* memorat his verbis. *Vina quæ habebamus in Valle Rodolij*. Item, *Omne fenum noſtrum de Valle Rodolij*: & infrà. *Vſque quantum durat Vallis de Rodolio*. Ergo *Vallis* iſta *Rotoialenſis* vel *Rodolienſis*, *le Val de Rueil*, vel *Vau de Rueüil*, *Vallis Rodolia* Britoni in libro V. Vallis inquam iſta vitifera & fenifera, longaque aliquot paſſuum millia, & nomen à *Rototalo* vel *Rodolio* ſuum accepit, & viciſſim ei cognomē dedit. Quippe *Rotoialum* ſeu *Rodolium*, quoniam in ea Valle ſitum eſt, Noſtri nunc *Rueuil* aut *Rueil*; nunc etiam, ſicuti Vallem ipſam, *le Val de Rueil* aut *le chaſteau du Vau-de-Reüil* appellant.

ROTOMAGENSIS PAGUS.

Pagus *Rotomagenſis* ad utramque Sequanæ fluminis ripam jacebat; ex majore parte cis Sequanam, ex minore trans flumen. Pars pagi *Rotomagenſis* tranſſequana ſeu minor, in Capitulis Caroli Magni anno DCCLXX. latis *Rodomenſis pagus* vocatur his verbis. *In Cenomanico, Hoxonenſi, Livino, Baiocaſſino, Conſtantino, Abrincatino, Ebrecino & Madricenſi, & de illa parte Sequana Rodomenſi ſunt Miſſi Magenardus Epiſcopus, & Madelgaudus.* Pars ejus pagi Ciſſequana & major in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum anno DCCCLIII. editis dicitur *Rotmenſis* à *Rotomago*,

quam ſcriptores noſtri *Rodomum* & *Rotmum* nuncupant. Dicitur inquam *Rotmenſis* his verbis. *P. E. H. E. H. H. Miſſi in Rotmenſe, Tellau, Vitnau, Pontiu, Ambianenſe.* Tellau autem & Vitmau vel Vinemacus, & pagi Pontivus ac Ambianenſis unà cum ipſa urbe Rotomago citra Sequanam ſunt: ſicuti trans Sequanam Cenomani, Oximenſes, Lexovii, Baiocaſſes, Conſtantini, Abrincatini, Ebroicini, & Madricenſes. Hodieque pagi *Rotomagenſis* pars ea, quæ trans Sequanam in Nortmannia propriè dicta eſt poſita inter Sequanam & Riſelam fluvios, vocatur *le Romois* trunco vocabulo, hoc eſt *Rodomenſis*, & Burgum Theroldi, Pontem Audomari, Brioniam aliaque loca complectitur. Pagi autem *Rotomagenſis* nomine tantùm ager ſuburbanus ſeu territorium urbis *Rotomagi* deſignatur, non autem Veliocaſſes & Caleti populi, qui ambo pro capite habent *Rotomagum*, & parœciæ ejus finibus continentur. *Pagi Rotomagenſis* cis Sequanam meminit & Robertus Dux Normannorum in litteris datis anno MXXX. his verbis. *In pago Talou* (id eſt Tellau) *Deppam, Archas: in pago Rotomagenſi Antelini villam, cum Eccleſia juxta murũ ipſius urbis ſupra fluviolum Rodebecum.* Ejuſdem pagi citra Sequanam meminit & Monachus Centulenſis ante annos DCCCLX. in libro II. Miraculorum S. Richarii: ubi *Hildeboldum de pago Rodomago & de prædio Durclaro, ſubjacentem Monaſterio Gemeticenſi* vocat. *Pagus* ille *Rodomagus*, eſt *pagus Rotomagenſis* Ciſſequanicus, ubi Durclarum *Ducler* non procul à Gemetico.

In Vita S. Germani Abbatis Flaviacenſis memoratur *Monaſterium Pentallum in pago Rotomagenſe ſuper fluvium Lirizinum.* (*la Lizaine*) ibi deſignatur pars pagi Rotomagenſis quæ trans Sequanam ſita eſt. Nam Pentallum vel Pentale Monaſterium ad Liriſinum amnem inter Huneflotum & Pontem Audomari fuit.

ROTOMAGUS. ET DE SENIORIBUS FRANCIS.

In Gallia Lugdunenſi ponuntur à Claudio Ptolemæo Οὐενελιοκάσιοι, ſeu potiùs Οὐελιοκάσσιοι, *Veliocaſſes*. & urbs eorum Ῥατόμαγος, *Rotomagus*, *Roüen*: in tabula Peutingeriana & in Annalibus rerum Pippini & Caroli Magni *Ratumagus*; *Ratomagus* & Æthico, necnon eidem *Rotomagus*; Ammiano Marcellino *Rotomagi* mendosè & malè. *Rotomagi* (inquit) *Lugdunenſem ſecundam oſtendunt*, id eſt ornant ac illuſtrant. Sic idem auctor de Veſontione *Biſontios* fecit, ut de *Rotomago Rotomagos*: quaſi nomen & urbis & gentis eſſet *Rotomagi*, aut Biſontii; uti Turoni, Mediomatrici, Treviri, Pariſii, Remi. Similiter Glabro Rodulfo in libri I. capite V. dicitur *Metropolis civitas Rotomagorum*. In Notitia Imperii Rom. ſub diſpoſitione V. S. Ducis tractus Armoricani & Nervicani *Præfectus militum Urſarienſium Rotomago in tractu Armoricano*. Paullinus in epiſtola II. ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum, *Rotomagum* memorat his verbis. *Denique nunc Rotomagum, & vicinis antè regionibus tenui nomine pervulgatum, in longinquis etiam provinciis nominari venerabiliter audimus; & inter urbes ſacratis locis nobiles cum divina laude numerari.* Fiebat igitur in Eccleſiis nominatim mentio ſingularum metropoleon Chriſtianarum, & IV. Lugdunenſibus de duabus factis paullo antè, facta ſimul erat *Rotomagus* metropolis provinciæ Lugdunenſis ſecundæ.

In veteribus Notitiis provinciarum Imperii Romani *provinciæ Lugdunenſis ſecundæ Metropolis civitas Rotomagenſium* vocatur: quamquam hæc urbs cum Veliocaſſibus ſuis, quorum ut & Caletorum eſt caput, Belgicæ potiùs contribuenda videretur. Eſt enim ad dextram ripam Sequanæ, quo flumine à Belgis Gallos dividi Julius Cæſar & Geographi docent. *Veliocaſſes* quoque & Caleti trans Sequanam Belgas à Gallia Lugdunenſi dirimentem cùm ſint omnes, aut ferè omnes: Belgicæ potiùs attribui deberent quàm Galliæ Lugdunenſi vel Celticæ, ſi exactè ratio haberetur finium cujuſque provinciæ: quod ſæpe non fieri obſervavimus.

Quidam *Rotomagum* Celticè dictã aiunt quaſi *Roti urbem* à *Roto* vel *Roth* Idolo, quod ibi colebatur. Ordericus Vitalis in libro V. Hiſtoriæ de *Rotomago* ſic refert. *Super Sequanam fluvium urbem Rotomagum conſtrui præcepit C. Julius Cæſar in loco aptiſſimo: ubi ad orientale caput urbis Albula fluvius cum Rodebecco, & ab occaſu Marrona in Sequanam influit. Albula* à colore aquarum ita dictus, aliis *Alberta* & *Auberta*, vulgò *Aubette* nuncupatur. *Rodebeccus*, *fluviolus Rodebecus* in litteris Roberti Ducis Norman. datis anno MXXX. in litteris Rotrodi Rotomagẽſis Archiepiſcopi *Rodobeccus* dicitur; recentioribus *Robecus*, *Robec*; *Marrona*, *Renelle*, quaſi Marronella; aut certè potiùs quaſi *Ranula* aut *Ranella* à multitudine ranarum. Omnino à *Rode* ſeu *Roto* rivo Monaſterium S. Audoëni alluente, quem *Rodebeccum* aut *Rotobeccum*, id eſt rubrum rivum nuncupant, mihi videtur eſſe *Rotomagus* appellata. *Roth* enim Germanis vel *Rotem* rubrum, ac rufum quoque ſignificare, docent vocabularia Francogermanica. Hinc etiam Græci, in primis Theophanes, Caroli Magni filiam *Rotrudem* vel *Rothdrudem* Ἐρυθρὰ, id eſt rubram vocavere. Idem Ordericus in libro XII. ſcribit, Julium Cæſarem *munimentum Juliobonam, ac nobilem metropolim ſuper Sequanam Rotomagum condidiſſe*. Quod haud dubiè falſum eſt: cùm una ſit ex vetuſtiſſimis urbibus Galliarum, à Gallis multo ante natum Julium Cæſarem condita, & Gallico nomine donata.

Monaſterium veterrimum SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, poſtea S. Audoëni à ſepulto ibi Epiſcopo dictum, & puellare Cœnobium S. Amandi, olim extra *Rotomagi* muros erant: ſed pòſt prolato pomœrio, ambo mœnibus urbis incluſa ſunt.

Hujus urbis nomẽ noſtri ſcriptores variè corrupere aut truncavere. Geſta Francorũ *Rodomacum* & *Rodomagenſem urbem*. & quædam Notitiæ Galliæ *civitatem Rodomagenſium metropolim* vocant; Nithardus in libro II. *Rotomacenſem urbem*; *Rodomum civitatem* veteres Fräco-

rum annales, & Frodoardus in Chronico, ac veteres nummi; Paſſio S. Ragneberti *Rodomam urbem: Rotumum* & *Rotumam* promiſcuè Chronicon de geſtis Nortmannorum in Francia; ſicuti de Noviomago *Noviomacum* & truncato nomine *Noviomum*, de *Moſomago Moſomum* fecere: *Rotomum* alii. In veteribus aureis Regum noſtrorum *Rotomo* legimus, item *Rotomo ci.* Guillelmus Neubrigenſis in Rerum Anglicarum libri II. capite XXXV. *Rex* (inquit) *Francorum cum tremendo exercitu Normanniam ingreſſus, Rotomagum ejuſdem provinciæ metropolim adiit & obſedit. Eſt autem Rotomagum una ex clariſſimis Europæ civitatibus, ſita ſuper Sequanam fluvium maximum, per quem eidem civitati multarum regionum commercia invehuntur: eodem flumine, ſimul & objectu montium ita munita, ut ab uno exercitu etiam maximo ejus vix tertia parte valeat obſideri. Cùm tantus eſſet exercitus, erat per pontem fluminis liber vel ex regione in urbem ingreſſus, vel ex urbe in regionem egreſſus, & inferebantur urbi abundanter quæcumque neceſſaria, vidente comminus & invidente hoſtili exercitu.*

Rotomagi porta eſt dicta *Caletica* vel Caletenſis, *la porte Cauchoiſe*, quæ pagum Caleticum ſpectat, (*le Caux*) à Caletis vulgò *Cauchois* nuncupatis cognominatum: eſt & ibi ſuburbanum ejuſdem nominis ad *portam Caleticam*, vulgò *Cauchoiſe*, quo in ſuburbano non procul à porta Eccleſia S. Gervaſii. Eſt & *Porta Bellovacenſis*, quæ Bellovacos ducit.

Amphitheatrum olim ſuum habuit *Rotomagus*, ſicut docet libellus de Vita Romani *Rotomagenſis* Epiſcopi, à Rigaltio vulgatus: in quo clara Amphitheatri & Caveæ veſtigia memini me agnoſcere.

Rotomagi tria eſſe loca munita ſcribit Alanus Carterius, Palatium, *le Palais*; arcem ſeu Caſtellum, *le Chaſtel*, quod & à ſitu & à Monaſterio Abbatiali *S. Catharinæ Mons* vocatur, *le Mont S. Caterine*, item munimentum S. Catharinæ, *le Fort S. Catherine*; & Pontem *le Pont*.

Erat *Rotomagi Baſilica S. Martini, ſuper muros civitatis ligneis tabulis fabricata*: in quam Meroveum & Brunichildem inceſtam ejus uxorem metu Chilperici Regis anno DLXXV. confugiſſe, Gregorius in libri V. capite II. tradidit. Hæc eſt hodieque Baptiſmalis ſeu Parœcialis Eccleſia, muris urbis etiamnum proxima, ad Marronam ſeu Renellam amniculum ſita, ac vulgò dicta *la Cure de S. Martin ſur Renelle*: ut accepi ex viro doctiſſimo optimoque, Aimerico Bigotio Rotomagenſi. Sunt & ibi Eccleſiæ ſeu *Parœciæ S. Laudi*, & *S. Johannis ſuper Renellam*, in quadam charta memoratæ.

Fortunatus in libri VI. Carmine VII. de Geleſuintha *mare Rotomagenſe* appellat, in quod effluit Sequana, hoc diſticho

> Pervenit, quà ſe piſcoſo Sequana fluctu
>
> In mare fert juncto Rotomagenſe ſinu.

Notandum eſt, in tabula Theodoſiana, quæ Peutingeriana vulgò dicitur ab editore, inter *Ratumagum*, hoc eſt Rotomagum, & *Mediolanum Aulercorum* poni memoratique *Ritumagum*: quo nomine *Pons Archis* ad Sequanam, aut certè Lupariæ locus inter Rotomagum Veliocaſſium & Mediolanum Aulercorum Eburovicum medius fortitan deſignatur. Nuſquam alibi *Ritumagi* hujus fit mentio. Æthicus tantùm in itinere à Caroco- tino Auguſtobonam, inter *Lotũ* & *Rotomagum* *Latomagum* ponit, à Loto XIIII. à Rotomago M. P. VIIII. diſtantem. Sed hic *Latomagus Rotomago* potiùs ſubjici debet apud Æthicum, & inter *Rotomagum* ac *Petromantalum* collocari; nec ad *Ritumagum* quidquam videtur pertinere. Sunt & apud Claudium Ptolemæum *Nerviorum urbes duæ*, *Baganum* Βάγανον, aliàs Bagacum, *Bavay en Hainau*; & *Ratomagus*, Ῥατόμαγος: cujus nomen ad *Rotomagum* proximè accedit: quà *Ratomagi* appellatione à Ptolemæo Camaracum aut Turnacum, ſed prius magis quàm poſterius deſignari arbitror; ut in Turnaco dicturus ſum.

Diœceſis *Rotomagenſis* eſt ampliſſima, & tertiam minimùm partem Normanniæ complectitur: ab oriente Iſarà flumine, ab occidente Oceano terminatur; à Septemtrionibus quoque Oceano ex parte, Auco flumine & Albamarlà: à meridie Sequanam pro limite habet, ſed ad duas aut tres leucas à Rotomago Sequanam tranſit, & ab eo flumine ad Riſelam amnem pertinet, Burgum Theroldi, (*Bourgtheroude*) & Pontem Audomari Brioniamque (*Brioſne*) continens. Eccleſias baptiſmales quas vulgò Parœcias vocamus, finibus ſuis includere dicitur propè mille quadringentas à Ponte Audomari ad Augam, vel à Brionia ad Albam Marlam: opida clara, Brivam Iſaræ, Mellentum, Giſortium, Gornacum, Novum Caſtellum, Albam Marlam, Blangiacum, Augam, Deppam, Portum Gratiæ, Monaſterium Villare, Caldebeccum, Quellebodium, Andeleium, Calvum Montem, Magniacum, Pontem Audomari, Elbodium. Intra fines ſuos habet *Rotomagenſis* Eccleſia Principatum unum, Ducatus tres, Marcas complures, ſeptemque Comitatus, & ſex ſub ſe Archidiaconatus, nimirum Archidiaconatum majorem ſeu *Rotomagenſem*, Augenſem, majorum Caletorum, (*du Grand Caux*) Velocaſſium Francicorum, (*du Veuxin François*) Velocaſſium Normannicorum, (*du Veuxin Norman*) & minorum Caletorum. (*du Petit Caux*) Complectitur eadem Diœceſis aut ſedes Metropolitana pagos, Velocaſſinum (*le Veuxin*) bifariam diviſum, Braium, (*Bray*, aut *le pays de Bray*) Caleticum, (*le Caux*) Tellau, (*le Talou*) Augenſem vel Aucenſem, (*le pays d'Eu*, aut *l'Euſiois*) Rotomagenſem aut Rodomenſem, *le Rommois*, à Sequana ad Riſelam flumen pertinentem, alioſque: qui omnes pagi partim ſunt Velocaſſium, ut *Rotmenſis* & Braius; partim Caletorum, ut Tellau atque Augenſis. Complectitur & Monaſteria clara quas Abbatias nuncupant, XXXI. in quibus eminent Fiſcamnus, Fontanella, Gemeticum, Beccus, S. Petri vel S. Audoëni *Rotomagi*.

Bernardus Abbas Claravallenſis, in epiſtola ad Hugonem *Rotomagenſem* Archiepiſcopum, ita de ipſo & de *Rotomagenſibus* ſcribit.

Non priùs præfectus es malis, quàm ſociatus bonis, quorum conſortio & exemplo bonus fieres, ut ſic poſtea etiam inter malos vivere bonus poſſes. Et quidem inter bonos bonum eſſe, ſalutem habet; inter malos verò & laudem. Apud Rotomagenſes opus eſt patientiâ. Eſto patiens, quia es cum malis: eſto pacificus, quia præes malis. Cur Bernardus *Rotomagenſes* toties *malos* vocaverit, *maloſve* eſſe dixerit, equidem divinare non poſſum. Nam virum piiſſimum atque ſanctiſſimum *Rotomagenſibus* infenſum aut iniquum fuiſſe, aut de eis malè judicaſſe, dicere non audeo. Tantùm verè affirmare poſſum, *Rotomagenſium*, ſi ætate Bernardi mali fuerunt, ex eo tempore valde mutatam eſſe naturam, meque *Rotomagenſes* aliquot bonos & doctos amicorum numero habere, quorum me notitiæ non pœniteat.

Urbs *Rotomagus* caput eſt & metropolis totius Normanniæ, provinciæ maximæ & opulentiſſimæ, ſex ſedes Epiſcopales *Rotomago* metropoli ſubjectas complexæ, magnumque opidorum, caſtellorum & portuum numerum continentis: cujus longitudo VI. dierum iter expedito patet, latitudo quatuor: quanta Britanniæ Armoricæ longitudo atque latitudo eſſe dicitur: uti Alanus Carterius in Carolo VII. & Nicolaus Ægidius ſcribunt.

Gregorius in libri Hiſtoriæ Francicæ VIII. capite XXXI. de cæde Prætextati Rotomagenſis Epiſcopi ita ſcribit. *Magnus tunc omnes Rotomagenſes cives, & præſertim Seniores loci illius Francos mæror obſedit. Ex quibus unus Senior ad Fredegundem veniens ait. Omnes enim nos inquiſitores mali hujus, ut tibi deinceps non liceat tam crudelia exercere. Cùm autem diſcederet à conſpectu Reginæ, miſit illa qui eum ad convivium provocaret: quo renuente, rogat ut ſi convivio ejus uti non velit*, &c. Qui ſint heic *Seniores* Rotomagi *Franci*, operæpretium eſt explicare. Apud Germanos Seniorum qui honores geſſerant, & pace ac bello inclaruerant, maxima erat auctoritas: eorum præcipuè conſilio Reſpublica regebatur: hi ſi quid accidiſſet, evocati convenire, & à Regibus conſuli, ac liberè ſententiam dicere conſueverant. C. Cæſar in IV. Commentario de Uſipetibus vel Uſipiis & Tencteris, Germanis Gentibus Rheni accolis, ſic ſcribit. *Germani frequentes, omnibus Principibus Majoribuſque natu adhibitis, ad eum* (Cæſarem) *in caſtra venerunt*. Dio in libro XXXIX. de eadem re loquens prodit, Germanorum *Seniores* damnato belli conſilio ad Cæſarem veniſſe. ᾗ αὐτῶν οἱ Πρεσβύτεροι καταγνόντες, πρὸς τὸν Καίσαρα ἦλθον. Talis haud dubiè fuit, bellum gerente in Germania Tiberio, unus è Barbaris ætate Senior, dignitate quantum oſtendebat cultus, eminens: qui petiit ut liceret ſibi videre Cæſarem, manumque contingere; & cui data adeundi facultas. Claudianus Majores natu Alarici Veſigothorum Regis aſſeſſores & Conſiliarios facit, eoſque nunc *primos ſuorum*, id eſt Principes; nunc *Patres* & *Curiam Getarum*, hoc eſt ſenatum Gothicum; necnon *graviores natu*, id eſt grandiores natu, vel Majores natu, & *Senes* atque *grandævos* appellat. Gothi autem, ſive Veſigothi aut Occidentales Gothi, qui Claudiano *Getæ* impropriè vel potiùs mendosè nuncupantur, origine Germani fuerunt. Claudiani in libro de bello Getico verba ſubjicio, de Alarico Rege Gothorum Majores natu conſulente

> Occultat tamen ore metum, primoſque ſuorum
> Conſultare jubet, bellis anniſque verendos.
> Crinigeri ſedere Patres, pellita Getarum
> Curia, quos plagis decorat numeroſa cicatrix:
> Et tremulos regit haſta gradus, & nititur altis
> Pro baculo contis nòn exarmata ſenectus.
> Heic aliquis gravior natu, cui plurima dictis
> Conſiliiſque fides,
> Crede Seni.
> Talia grandævum flammata fronte loquentem
> Obliquiſque tuens oculis, non pertulit ultrà.

Apollinaris Sidonius in Carmine VII. ſolos Majores natu, quos *veteres Getas*, & abſolutè *Seniores* appellat, in concilium Gentis veniſſe, ſolos conventibus intereſſe ſolere indicat: quorum paupertas cunctis honori, ætas venerationi, conſilium acceptiſſimum eſſet.

> Luce nova veterum cœtus de more Getarum
> Contrahitur. Stat priſca annis, viridiſque ſenectus
> Conſiliis.
> Poſtquàm in Concilium Seniorum venit honora
> Pauperies; paciſque ſimul Rex verba popoſcit:
> Dux ait.

Quod de Veſigothis Claudianus & Sidonius ſuprà; idem Procopius de Oſtrogothis ſive Gothis ortivis affirmat & ſcribit: apud quem in libro II. de bello Gothico, dicitur Vitigis Gothorũ Rex multos è Senioribus ſemper convocaviſſe, quos multa interrogare ſoleret, ut meliùs tutiuſque res gereret. Multas autem ſententias ab his Senioribus cùm in Concilium veniſſent, dici conſueviſſe. Οὐίττιγις τῶν Πρεσβυτέρων ἀεὶ ξυναγείρων πολλούς, περὶ ὧν δὲ συχνὰ ἐπυνθάνετο: &c. Idem in libro III. Totilam Gothorum Regem poſt Romam captam ſuis exprobrantem inducit, quòd exercitus ducentorum millium Gothorum, bellicoſorum hominum, armis, equis, opibus, & *Seniorum prudentiſſimorum magna multitudine, quæ bellum gerentibus utiliſſima eſt*, inſtructiſſimus, à ſeptem millibus Græcorum victus, imperium Italiæ & reliqua omnia citò ac facilè amiſiſſet. Γερόντων ξυνετωτάτων πολὺν ὅμιλον heic vocat, quos antea Πρεσβυτέρων πολλούς.

Apud Francos Gentem Germaniæ, ſicuti apud ceteros Germanos *Seniores* ſive *Majores natu* erant atque vocabantur, qui poſtquàm civiles aut militares magiſtratus geſſerant, aut in Palatio militaverant, jam ut ætate ſic dignitate provecti, pars in urbibus Regni Franciæ, pars in villis ſuis agebant, tamquam emeriti atque veterani. His magnus

ab omnibus honor habebatur. Hi Comitum & Ducum jus dicentium; hi Regum noſtrorum Conſiliarii, aſſeſſores, ac Convivæ erant. His inconſultis ab Regibus nihil magnæ rei gerebatur. Talis fuit Cundo, quem Fortunatus ſcribit à Tribunatu ad Comitivam, à Comitiva ad Domeſticatum perveniſſe, ac demum *inter Potentes ſedere juſſum*, & Sigiberti Regis factum eſſe *Convivam*. Talis fuit Hagnericus, pater Burgundofaræ Abbatiſſæ Evoriacenſis, ſanctitate vitæ eximiæ, quem Jonas in Vita Columbani *Theodeberti* Auſtraſiorum Regis *Convivam, virum ſapientem & nobilem & conſiliis Regi gratū* id eſt Conſiliarium Regis appellat. Talis fuit ex *Senioribus Rotomagi Francis* unus ſupradictus, quem Fredegundis ad convivium invitavit. *Convivam Regis* memorant veteres leges, Salica, aliæque. Tales denique fuerunt *viri Fortiores, qui in urbe erant Sueſſionica atque Meldenſi*, & à Childeberto Rege alterum filiorum ejus petierunt, ut in libri IX. capite XXXVI. Gregorius ſcribit: quos in libri III. capite XVIII. *Viros Fortes*; *Viros Fortiſſimos* in libri VII. capite XXXII nuncupat. Tales fuerunt *Francorum Sublimes*, qui Coloniam ſeque Theoderico dediderunt, ut in Geſtis Regum Francorum reperio: tales, quorum Aimoinus in libri II. de Miraculis S. Benedicti capite XIV. meminit, *Andegava civitatu Nobiles*. Concilium in urbe Arvernis habitum eſt conſenſu Regis Theodeberti Poſt Conſulatum Paullini junioris V. C. anno Chriſti DXXXV. cujus canon XV. *Senioribus Francis*, ſeu *Majoribus natu*, qui in villis ſuis vel in Aula commorantur, præcipit Natalem Domini, Paſcha & Pentecoſten in ſua quemque urbe, & apud ſuum quemque Epiſcopum celebrare. *Quicumque etiam ſunt cives natu Majores, pari modo in urbibus ad Pontifices ſuos in prædictis feſtivitatibus veniant.* Hoſce *Seniores* Francos Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri V. capite XXXIII. *Majores natu & Primos apud Regem*, in capite XLVIII. *Seniores laicos*, in libri VI. capite XXIV. *Majores Regis, & Dominos ſuos atque Seniores*, in capitulo XIX. libri VII. *Meliores natu Regni*, in capite XXXII. *Majores natu Regis*, in capite XXXIII. *Seniores in Regno*, & *Priores Regis*, in capite XXXVI. *Seniores Regni*, & *Regni Principes* appellat, in libri VIII. capite XXX. *Majores natu Laicorum*. (Nam & *Seniores Clerici* erant) Idem eos in libri IV. capite [illegible]I. *Proceres & Primos Regni*, in libri V capite V. *Sæcularium Principes*, in libri VIII. capite IX. *Priores Regni*, & *viros Optimos*, id eſt *Optimates* vocat. Fredegarius Seniores Francos laicos nunc *Farones*, id eſt nobili genere natos; nunc *Proceres*; nonnumquam & *Leudes*, & *Primates* nominat; liber de Vita Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi modò *Optimates*, ut Dado in Eligio, ac Theganus, modò *Nobiles*, atque *Patricios*; Chronicon Muſciacenſe *Senatum Francorum* & *Majores natu Francorum*; Hincmarus in notiſſima illa epiſtola *Majores* & *Seniores*: quibus *Minores*, id eſt minorem populum opponit. Nam *Senioribus* iſtis *Juniores*, hiſce *Majoribus Minores* apud Noſtros veteres Hiſtoricos ſępe opponuntur. *Major* autem, & *Senior* una res eſt. Quare Vulfoaldus pro Majore Domus *Senior Domus* dicitur in Vita Præjecti. Ubi notandum eſt, in Saxonia regione Germaniæ hominum genera fuiſſe quatuor, *Nobilium*, qui *Edhilingi* dicti ſunt; *Liberorum* vel *Ingenuorum*, qui *Frilingi* ipſorum linguâ nuncupabantur; *Libertorum* vel *Litorum*, qui *Lazzi*; atque ſervorum: ut Lex Saxonum docet. Quamquam Nithardus in libro IV. *Gentem* Saxonum *in tres* tantùm *ordines diviſam* fuiſſe ſcribit, *Nobilium*, *Ingenuorum*, ac *Servorum*: quorum alteros *Ingenuiles*, *Serviles* alteros vocat. Friſii, qui & Friſiones, Gens Germana Saxonibus confinis, more Saxonum *Nobiles*, *Liberos*, *Litos*, & *Servos* habuere: quemadmodum Lex Friſionum indicat. Apud Anglos quoque & VVerinos, gentes Germaniæ, tres erant hominum ordines, *Adalingorum*, id eſt *Nobilium*, *Liberorum*, & *Servorum*. At in Lege Salica *Nobilium* nulla fit mentio: non quòd apud Francos nulli *Nobiles viri* ac Honorati eſſent; ſed quia *Nobilium* nullus ordo erat à populo ſeparatus, Nobilitatis nullum in Regno Francorum corpus à plebe diſtinctum. Franci omnes in duos modò ordines *Clericorum*, & *Laicorum* vel *Sæcularium* dividebantur. Inter utroſque cùm Clericos tum Laicos, alii *Seniores* erant & vocabantur; alii *Juniores*; majores alii; alii *minores*. Inter Laicos ſive Sæculares ſervi plurimi erant; inter Clericos nulli, propterea quòd nemo è ſervis ad Clericatum promovebatur, qui non antè manumiſſus fuiſſet ac libertate donatus. Quin & regnantibus apud Francos Caroli Martelli poſteris, Francorum Proceres Reges ſuos *Seniores ſuos*, id eſt dominos; & eorum dominium *Senioratum*: filii etiam Regum patres ſuos, *ſuos Seniores* nuncupavere, ut vel ſola Caroli Calvi Capitula docent. Manet hodieque *Seniorum* & *Majorum* nomen. Verùm ea appellatio non jam ætatis eſt, ſed dignitatis. Quippe Proceres vel Optimates, cùm Clericos tum Laicos, Noſtri vulgò *Seniores aula* vocant, *les Seigneurs de la Cour*, aut abſolutè *Seniores*, *les Seigneurs*; necnon *Majores Regni*, *les Grands du Royaume*, & abſolutè *Majores*, *les Grands*. Appellationem *Seniorum* Itali ab Oſtrogothis, a Langobardis & Francis Germaniæ populis, olim in Italia dominantibus; Hiſpani à Veſigothis tranſmiſſam acceperunt: quâ etiamnum utuntur in ſalutationibus, & ea voce dominos deſignant, eo nomine etiam in ſcriptis Reges honorant, *Seniorem Regem*, hoc eſt dominum Regem appellando.

Francos non modò ſub Chlodovei Carolique poſteris, ſed diutiſſimè etiam ſub Hugonis ſucceſſoribus in duos tantùm ordines Clericorum & Laicorum, majorū & minorum, fuiſſe diviſos, teſtatur præter ceteros Benedictus Levita, in præfatione libri V. Capitulorum Caroli Magni & Ludovici Imperatorum, his verbis. *Quæ ſequuntur, eadem auctoritate* (Apoſtolica) *maxima ex parte, & omnium Francorum utriuſque Ordinis virorum aſſenſu ſunt roborata*: id eſt *Cleri & populi*; ut ibidem loquitur Libri VI. eorumdem Capitulorum titulus XCVI. talis eſt. *De his, qui rapinas intra Regnum faciunt. Ex Capitulis Domini Hludovici*

in Inghilhaim anno DCCCXIX. *Apoſtolica auctoritate & Synodali ſanctione, omnium videlicet Clericorum & Laicorum generaliter conſenſu atque hortatu decretis.* Benedictus autem Levita qui hos libros in ordinem digeſſit, ſub Riculfo & Autchario Archiepiſcopis Mogontiacenſibus, regnantibus Ludovici Pii Aug. filiis vixit. In libri VII. titulo CCCLXXV. *Si quis ergo Clericus aut Laicus harum ſanctionum obediens eſſe noluerit: ſi Clericus fuerit, excommunicationi ſubjaceat: ſi verò Laicus fuerit & honeſtioris loci perſona*, &c. Quid apertius? Apud Theganum de Geſtis Ludovici Pii, Imperator Carolus *Epiſcopos, Abbates, Duces, & Comites* convocatos alloquitur, & interrogat placeatne eis filium ſuum Ludovicum Imperatorii nominis conſortem fieri: quos *Epiſcopos, Abbates, Duces, Comites, & Loco poſitos*, ſive Locum tenentes, vocat ibidem Theganus *omnem multitudinem Pontificum & Optimatum*; item *Sacerdotes & populum*. Ex quo apparet, *Epiſcopos* quidem & *Abbates Pontificum* & *Sacerdotum*; *Duces* autem, *Comites*, & *Locopoſitos* non *Optimatium* modò, ſed etiam *populi* appellatione deſignari, & *Optimatium* ſeu *Nobilium*, ac *populi* unum tum ordinem, corpus unum fuiſſe. Hincmarus in grandi & eximia epiſtola de Regno & Palatio, *Seniores Clericos* & *Laicos* commemorat, quos & *primos Senatores Regni*, & *Seniores* ac *præcipuos Conſiliarios* appellat: & de Conventu Francorum generali ſic refert. *In quo Placito generalitas univerſorum Majorum tam Clericorum quàm Laicorum conveniebat: Seniores propter conſilium ordinandum; minores propter idem conſilium ſuſcipiendum, & interdum pariter tractandum & confirmandum.* Ordericus Vitalis de conſecratione Ludovici Junioris, filii Ludovici Craſſi ita ſcribit in anno MCXXXIV. *Quæ conſecratio quibuſdam Francis utriuſque Ordinis diſplicuit. Quidam enim Laicorum*, &c. *Quidam verò Clericorum*, &c. Etiam tum ergo apud Francos duplex tantùm erat Ordo *Clericorum* & *Laicorum*. Rogerii Hovedenii in anno MCLXXIX. verba ſunt. *Rex Franciæ publico præcepit edicto, ut omnes Principes Regni ſui, Eccleſiaſtici & Sæculares convenirent Remis Kal. Novemb. ad coronationem Philippi filii ſui.* Rigordus poſtquàm ſcripſit, *anno* MCXXCVIII. *convocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & totius Regni Baronibus, celebratum eſſe generale Concilium Pariſius à Philippo Rege*; addit *cum aſſenſu Cleri & populi*, propter ſacrum bellum ſuſceptum, decimas in eum annum omnibus impoſitas eſſe, *populi* nomine *Barones* Regni deſignans, propterea quòd unius ambo corporis erant. Poſtea Proceres ſuum ſibi & à populo ſeparatum Ordinem habere cœperunt: ita ut I. Ordo Clericorum eſſet; II. Procerum ſive Nobilium, quos *Barones* vocabant; tertius populi, ſeu Collegiorum, & Univerſitatum urbium Regni: ut docet Appendix Chronici Guillelmi Nangiacenſis in rebus anni MCCCIII. quem Gerſo nunc *triplicem ſtatum principalem*, nunc *tres Status* appellat, *Militantium*, *Clericorum*, *Burgenſium* ſive populi, *les trois Eſtats*; Nicolaus Clemangius *tres Ordines vel Status* nuncupat, *ex Sacerdotali ſcilicet Ordine, Militari, & Plebeio.* Et longè antè Adalbero Laudunenſis Epiſcopus, ac Gillebertus Lunicenſis Antiſtes tres hominum ordines & gradus ſtatuerant, *Orantium*, id eſt Clericorum, *pugnantium*, hoc eſt Militum, & *laborantium*, ſeu populi: quorum primos Gillebertus *Oratores*, alteros *bellatores*, ultimos *aratores* ſeu *laboratores* appellat. Et de *Senioribus* hactenus.

ROTUMNA FL.

Rotumna, aliàs *Rotonna* fluvius, à Frodoardo in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis memoratus, nunc ut obſervo, dicitur *Retourne*, priore o. in e. & n. in r. converſis, ut Roto *Redon*, bonna *borne*, id eſt limes. A colore aquarum, aut potiùs à rubore arenæ ſuæ nomen videtur inveniſſe. *Roth* quippe olim Gallis, ut etiamnum Germanis, rubrum ac rufum ſignificavit. In codice de decimis Remenſis Monaſterii S. Remigii, ante annos circiter ſeptingentos ſcripto, ejus fluminis mentionem factam reperio, ſed corrupto nomine. Nuncupatur enim quædam *Villa ſuper Rotundam*, (*Ville ſur Retourne*) quæ *Villa ſuper Rotunnam* dici ſcribique debuit. Ibidem *Rotonna* ſincero nomine appellatur. *Super fluvio Rotonna ſunt manſi duo.* Alluit *Rotonna* ſeu *Rotumna* Villam ſuper *Rotonnam* ſeu ad *Rotonnam*, *Ville ſur Retourne*: quæ à ſitu nomen hoc accepit, ut Villa ſuper Turbam, *Ville ſur Tourbe.* Attingit quoque Genevillam vel Janivillam *Jeneville*, Novam Eccleſiam *Neuveliſe*, Caſtellum *le Chaſtellet*, Scalam *l'Eſcaille*; Salicem S. Remigii, *Saux Saint Remy*, vicum ad Remenſe Monaſterium S. Remigii cum Villa ſuper Rotunnam pertinentem; Pauli curtem, corruptè *Poilcour* dictam & *Poil le court* quaſi Pilum curtum, cùm *Pol-court* ſcribi debeat, aut *Poulcour*; ac Briennam: atque ad Novum Caſtellum *Neuf Chaſtel* in Axonam decurrit.

ROTUNDÆ.

Erat locus ſecus Axonæ fluvii litus, diſtans ut fertur à Sueſſionica civitate CXLIV. *ſtadiis, cui vocabulum Rotundas eſt inditum antiquitus, denſiſſimis ſaltibus altrinſecus ſtipatus, Cotiâ videlicet & Liſicâ:* in quo Cœnobium Religioſorum virorum Drauſius Epiſcopus Sueſſionum exſtruxit. In quodam vetere Chronico MS. in anno MCXLII. *Eccleſia S. Bartholomæi in Valle, Eccleſia S. Petri de Rotundis, & Eccleſia S. Sophiæ apud S. Medardum* junctim commemorantur. Hic locus ad Axonam, à forma Latinum cognomen nanctus, *Rotonde* vel potiùs *Rotondes* nunc dicitur: quem quædam tabulæ Geographicæ *Retonde* nuncupant, quaſi Latinè *Retundas* vocari oporteret.

ROTUNDUS MONS.

Rotundus Mons, vulgò *Rommont*, à ſitu nomen accepit. Eſt enim opidum aut caſtellum potiùs in rotundo monte poſitum, Comitatus titulo illuſtre. In eo Comitatu eſt

caſtrum *Murtena*, Hermanno in Chronici ſui anno MXXXII. memoratum, ab Imper. Conrado anno MXXXIII. hieme fruſtra obſeſſum; *Murten* Helvetiis, Noſtris *Morat* dictum, lacui adjacens Murtenenſi. (*Murtenſee*) *Murtenam* cum Geneva & Lugduno Conradus Aug. anno MXXXIV. in deditionem accepit, expulſo Odonis Campaniæ Gallicæ Comitis præſidio, ut ait Hermannus Contractus, locum Caroli Burgundiæ Ducis clade nobilem.

Eſt & *Mons Rotundus* caſtrum in Biturigibus Cubis, à ſitu cognominatum, munitum admodum & validum: quod Noſtri *Montrond* vulgò appellitant, ſed plerumque *Monron* corruptè pronuntiant. Ab eo loco cognomen habuit *Stephanus de Monte-Rotundo*, Monachus apud S. Porcianum, à Petro Biturigum Archiepiſcopo in litteris ad Ludovicum Francorum Regem eo nomine VII. memoratus. Hoc caſtellum impoſitum monti rotundo, Cari fluminis ripis imminenti proximoque, Ludovicus Magnus, invictus Princeps, dirui ante aliquot annos juſſit, ne latronum receptaculum eſſet.

ROVERITUM NEMUS.

Litteras legi Chilperici Regis Francorum *viri Illuſtris, anno II. regni* ejus *Compendio* datas, quibus *foreſtem ſuam Roveritum, quæ eſt in pago Pariſiaco ſuper fluvium Sigona, ad petitionem Ragantredi Majoris Domus ſuæ, Baſilicæ S. Dionyſii Mart. concedit cum Foreſtario nomine Lobecino*, id eſt Lupicino. Philippus Francorum Rex cognomine Pulcher in litteris anni MCCXCIII. *Rovretum* vocat hiſce verbis. IX. *arpenta terræ ſita inter Rotulum & nemus de Rovreto, in loco qui dicitur ad Spinam Pediculoſam; item III. arpenta terræ ſita ſupra Rotulum, prope terram Leproſorum* Hæc ſilva in pago Pariſiaco ad flumen Sequanam, quæ vicum Rotulum (*le Roulle*) ab Oriente proximum habet, ab Occidente Sequanam, primò ſine dubitatione nuncupata eſt *Roboretum* à robore, quo abundabat; deinde *Roveritum* corrupto nomine, atque *Rovretum*. Eſt autem robur quercus præduræ genus, *robre* & *rouvre* vulgò dictum. *Roveritum* olim *la foreſt de Rouvray* appellabatur: nunc à II. vicis ei adſitis modò ſilva S. Chlodoaldi *la foreſt de S. Cloud*; modò (idque ſæpius) ſilva Bononienſis vocatur, *le bois de Boulogne*. Ambo vici, alter alteri proximi, poſiti ſunt ad ripam Sequanæ, flumen inter & ſilvam: ex quibus prior vicus, nimirum vicus S. Chlodoaldi, Novigentum primò nuncupatus eſt; poſterior Minutium ad S. Chlodoaldum, *Menus lez S. Clou*; deinde ob Eccleſiam B. Mariæ ibi ſtructam, & ſodalitium inſtitutum à peregrinis, Bononia ad Sequanam, *Boulogne*.

RUBEUS MONS.

In Hiſtoriæ Viceliacenſis libro I. reperiuntur litteræ Eugenii & Anaſtaſii Paparum *ad nobiles viros Odonem Ducem Burgundiæ, Guillelmum Comitem Cabilonenſem, A. de Monte-Regali, S. Vicecomitem Senonenſem*. Ex quibus Anaſtaſius in epiſtola ſua non ſolùm Joviniaci, & Montis Regalis, ſed etiam *Rubei Montis* mentionem facit. Et Joviniacum quidem omnibus ferè notum eſt: *Mons Regalis*, vulgo *Montreal*, non longè diſtat ab Aballone. At *Rubeus Mons* à ſitu & à colore ſoli ſui nomen invenit: ut caſtrum Albamarna in Caletis, & caſtrum *Albaterra*, *Aubeterre*, non procul à fluvio Ella. (*l'Ille*) Nunc *Rogemont* vocatur, nec procul abeſt à Sinemuro. Eſt ejuſdem nominis vicus ſuburbanus in pago Pariſiaco, Latinè *Mons Rubeus* vel *Mons Ruber* dictus; Noſtris *Mont-Rouge*.

RUFIACUM.

Annales Bertiniani in anno DCCCLXV. Carolum Regem in *Roſiacum villam* veniſſe, ceu in villam Regiam produnt. Erimbertus Diaconus in libro de Vita S Vincentiani nunc *Roſiacum villam*, nunc *Rufiacũ villam* appellat, item *Roſiacum villam, quæ eſt Lemovicis partibus ſita*. At Ademarus in Chronico *caſtrum Roſiacum in Ecoliſmenſi pago* vocat locatque, & cum *caſtro Montiniaco* junctim commemorat. *Rufiacum* à Rufo cognominatum, aliàs *Roſiacum caſtrum*, ſeu ſecundum alios *villa*, id eſt vicus, vulgò dicitur *Rufec*. & proximum eſt flumini Carantono, ac Montiniaco caſtro ripæ ejus adpoſito, quod *Montignac* nuncupatur, & ab Ecoliſma V. leugas abeſt. In Chartulario Ecoliſmenſis Monaſterii S. Eparchii duæ tabulæ veteres *villam Rufiacum* pago Ecoliſmenſi adſcribunt. *In pago Egoliſmenſe, in Vicaria Petriacinſe, in villa Rufiaco*. Equidem nihilominùs litteras legi in Chartario MS. Bellilocenſis Monaſterii in Lemovicibus, datas anno XIX. Caroli Regis: in quibus *Rufiacum*, ſed fortè aliud, Lemovicibus tribuitur. *In pago Lemovicino, in Vicaria Roſiacenſe villa, quæ Septem Arbores* dicitur.

Eſt & *caſtrũ Rufiacum*, quibuſdam *Rufeium*, nonnullis *Rufacum* dictum, X. ab urbe Veſontione paſſuum millibus diſtans: qui vicus etiamnum eſt in Sequanis, *Ruffei* vulgò nuncupatus, adpoſitus Unioni fluvio, *l'Ongnon* vel *l'Oignon*, qui Arari recipitur. *Roſiacus* quoque villa in pago Biturico à Leone PP. VI. & à Benedicto PP. ætate Hugonis Ducis Francorum, necnon in litteris Hugonis Regis numeratur inter villas Eccleſiæ Aurelianenſis S. Crucis.

RUFIANA.

Rufiana nomine Latino donatur à Ptolemæo, poniturque (ſi bene memini) in Sequanis: cujus ſitum loci ab eo malè deſignari ait Cluverius, & *Rufach* nunc dici: quod eſt opidum ſuperioris Aleſatiæ, Columbario proximum ſive Colmariæ.

RUMBELITTUM.

Rumbelittum litteræ Pippini Regis memorant in Comitatu pagóve Madriacenſi: vulgò nunc *Ramboüillet* aut *Rambouilet* dictum, & Marchæ titulo, ſed multo magis Franciſci

Magni morte illuſtre. Nunc pago Hurepenſi à quibuſdam attribuitur *Rumbelitum*, vocaturque caſtellum *Rumbelitum* in pago Hurepenſi, *le Chaſteau de Rambouillet en Hurepois*: itavt Hurepenſis pagi pars ex portione Comitatus pagive Madricenſis facta eſſe videatur. *Ramboletum* nuncupatur in litteris anni MCCXLI. Litteræ anni MCCX. *Rambolietum* vocant, & *Andream de Rambolieto Militem*. *Ramboletum*, necnon *Rambolletum* aliæ tabulæ veteres nuncupant; *Rambuletum* aliæ. *Nemora de Rambolleto* Robertus Comes Dunenſis ſuis in litteris commemorat, id eſt partem *ſilva Aquilina*: quæ & *Evelina ſilva*, & *ſilva Eulina* etiam in priſcis litteris appellatur, *Iveline*, aut *la foreſt d'Iveline*. Nimirum hoc caſtrum in ſilva Aquilina eſt, ut & Mons Fortis Amalarici, & unà cum eo, cumque Sparnone, Carnutinæ Diœceſeos finibus continetur.

RUPELLA.

Rupella, caput pagi Avedonacenſis in Santonibus, à rupe cui inſidet nomen accepit, atque ita dicta eſt quaſi parva rupes aut rupecula. Vocatur ſæpe & *Rochella* pro *Roccula* vel *Roccella*, nomine deducto à *rocca*. *Rocca* autem rupem ſignificat: & ibi ſunt faleſiæ vel rupes mari imminentes. Ejus meminit in Philippidos libro IX. VVillelmus Britto ante annos CCCCL. ac vinum *Rupellæ* celebrat.

Cum ratibus vino plenis, Vaſconia quale
Vel Rupella parit.

Idem Johannem Regem Anglorum *Rupellam* anno MCCV. appuliſſe, & ex eodem portu in Angliam revertiſſe tradit. Rigordus *Rupellam in Pictavia* vocat, quum ait *Johannem Regem Angliæ* anno MCCXIII. *applicuiſſe Rupellæ in Pictavia cum magno exercitu*. Guillelmus Nangiacenſis in Chronico *Rupellam* quoque cum Radi inſula Pictonibus adſcribit. *Anno* (inquit) MCCXCIV. *Eduardus Rex Angliæ miſit in Gaſconiam claſſem maximam Gentis ſuæ, quæ inſulam de Re verſus Rupellam in Pictavia depopulans, totam incēdio conflagravit.* Nimirum forſitan Diœceſeos quidem erat Santonicæ, ſed Pictavenſis Comitatus. Legi litteras Bellovacenſis Epiſcopi, quæ Ingeriacum quoque Santonum Pictonibus aſſignant, & *Conventum S. Johannis Angeliaci in Pictavia* vocant.

Nicolaus de Braia in Geſtis Ludovici VIII. Philippi Aug. filii, *Rupellæ villæ arcem* non ſemel, & XII. *Burgenſes* memorat.

De facili potuit Rupellæ cernere turres.

Portus & villa Rupella; & *Præpoſitura* vel *Pratura villæ*; *Majoris & Juratorum Rupellæ*, vel *Majoris atque conſilii communis Rupellæ*; *moneta* quoque ejus fit mentio in priſcis tabulis: ubi nomine *Juratorum* vel *Conſilij communis* Scabini Pareſque deſignantur. Nam hodieque *Rupellæ* ſunt XXIV. Scabini, & LXXVI. Pares, qui Centumviri vetus collegium & corpus *Rupellæ* componunt, ac quotannis unum è ſuis Majorem deligunt, Nimirum ut vulgari utar verbo, *Communiam juratam*, magnaque jura, privilegia & immunitates Henricus II. Anglorum Rex, Dux Normannorum & Aquitanorum, & Comes Andegavorum, & conjux ejus Alienor *Rochellenſibus* conceſſere, quos & *Burgenſes villæ Rochellæ* appellant: quæ omnia Richardus & Johannes amborum filii ſuis litteris confirmarunt. Eccleſia S. Mariæ mater erat & unica Eccleſia totius *Rochellæ*, uſque ad annum MCXLV. quo anno exſtructa eſt altera *Rochellæ* Eccleſia S. Bartholomæi Apoſtoli, *S. Bartomé*. Qui ante annos DC. *Rupellæ Rochellæve* mentionem fecerit, non reperi.

Noſtra ætate ſedes Epiſcopatûs Malliaco Pictonum *Rupellam* tranſlata eſt juſſu Ludovici XIIII. cujus pater eam armis expugnavit, & *Rupellenſes* de hæreticis Catholicos facere conatus eſt. Sed antè *Rupella* Santonicæ Diœceſi attribuebatur, cùm in Polyptychis *Eccleſias Rochellæ* duas, quas *Curas* vocant vulgo, alteram *S. Nicolai*, alteram *S. Thomæ*, & Prioratum S. Georgii Diœceſi Santonicæ adſcribi reperiam unà cum inſulis Radi & Uliaro vel Olarione: ex quibus noſtra ætate Rupella cum LXX. Parœciis, ac in primis cum tota inſula Radi Santonibus adempta eſt; Olario etiamnum eſt Santonicæ Diœceſeos.

Rupellam laudat Nicolaus de Braia in Geſtis Ludovici VIII. Francorum Regis: cujus verſus ſubjicere non pigebit.

Declivi litore ponti
Nobilis, & famà toto celeberrima mundo,
Divitiiſque potens priſcis, & gente ſuperba
Eſt Rupella.

RUPES AMATORIS.

Petrus Monachus in capite LV. libri de bello Albigenſi quem ante annos CCCCL. ſcripſit, loci ejus mentionem facit hiſce verbis. *Veniens Comes noſter* (*Simon de Monte Forti*) *Caturcum, honorificè eſt ſuſceptus: & factus ibi paucis diebus, ivit cum Alemannis ſupradictis, conducens eos uſque ad villam quæ dicitur Rupes Amatoris.* Hæc villa ſeu potiùs caſtrum in Cadurcis adſidet fluviolo, qui in Duranium defluit, ac vulgò dicitur *Roquemadour*, locus inter ſilvas & montes in eremo poſitus, & à *rupe* ſua vel rocca, atque à *S. Amatore* qui ibi piiſſimè vixit, ita cognominatus.

RUPES FULCAUDI: ET DE RUPIBUS.

Rupes Fulcaudi à ſitu & à *Fulcaudo* domino ſuo nomen habet. *Rupes* enim Galli & *Roccas* vocavere caſtella rupibus impoſita. *Fulcoaldus* autem, *Fulcaldus*, & *Fulcaudus* apud Noſtros, unum idemque nomen eſt: nunc *Foucaud* dicimus. *Rupes Fulcaldi* vel *Fulcaudi*, vulgò nuncupatur *la Roche Foucaud*, aut *Roche Foucaut*, poſitaque eſt in Diœceſi Ecoliſmenſi ad amniculum qui Carantono recipitur, & Cellam ſive Prioratum non ignobilem habet, ac Ducatûs titulo cenſetur: *Rupes Focaldi* in litteris anni MCLXII. *Rocha Fulcaudi* in III. aliis dicta.

Eſt & *Rupes ad Jonem* in Pictonibus Epiſcopatuque Lucionenſi, *Roche ſur Ion*, caſtrum ita dictum ab Ione fluviolo, *Ion* vel *Yon*, qui Laio accipitur, *Lay*. Ea Rupes Principatûs titulo,

titulo, & Cella ſeu Prioratu clara eſt, & circumjacentem agrum ſui nominis habet.

Rupes Poſey, vel *de Poſeto* eſt quoque in finibus Pictonum ad flumen Croſam, *la Roche Poſay*, alias *la Roche Pozé* nunc dicta.

Rupes Canardi in priſcis tabulis nota, quæ & *Rocca Canardi*, & *Rocca Canart*, vulgò *Roche Choüart* dicitur, & ſita eſt in Lemovicibus ad fluviolum qui Vingennam auget, agrumq; circa ſe cognominem habet. *Aimericus de Roche Chouart Armiger*, & *Aimericus Vicecomes de Roche Chouart* memorantur in Catalogo Militum & Armigerorum, qui anno MCCLXXI. adverſus Comitem Fuxi proficiſci juſſi ſunt. Ademarus Cabannenſis in Chronico, primus aut unus è primis *Roccam Canardi* memorat, & ejus dominos atque incolas *Roccacanardenſes*, ac nonnumquam *Roccacardenſes* truncato nomine appellat, ut quædam tabulæ *Rochoüard*. Ceterùm de *Canardo* & de *Poſeto*, virorum an locorum nomina fuerint, non facile dictu eſt. Neutrum enim deprehendere uſquam potui.

Sunt & Rupes Canderici, *Roche Chandry*; Rupes Bertoaldi *Roche Bartaud*; Rupes Corbonis *Roche Corbon*.

Rupes omnes, ſive loca in rupibus condita, & varia eorũ cognomina enarrare nemo poſſit. Annales Bertiniani tradũt anno DCCLXVII. *Pippinum* in Aquitania inter Bituriges Cubos & Garumnã flumen *multas roccas & ſpeluncas conquiſiviſſe*. Idem eiſdem verbis in II. vetuſtiſſimis Annalibus, alteris ad annum DCCC. alteris ad Caroli Magni mortẽ deductis reperitur. *Roccas* iſtas ſeu *rupes*, quæ erant caſtella rupibus impoſita, Eginhardus in eodem anno *petras* appellat. *Petra* autem, & *rupes* vel *rocca* una res eſt. Florus in libri III. capite X. de Julio Cæſare in Aquitania bellum gerente ita refert. *Aquitani, callidum genus, in ſpeluncas ſe recipiebant: juſſit includi*: id eſt, iuſſit Cæſar *ſpeluncas* iſtas & cavernas obſtrui, ut Aquitani qui eò ſeſe receperant, ibi fame & inopia confecti perirent. Quæ Flori verba cùm ſoli Aquitaniæ Julii Cæſaris inter Garumnam & Pyrenæum convenire debeant; tamen & de Gentibus uſque ad Ligerim, multo ante Flori ætatem ab Auguſto Aquitaniæ contributis, accipi poſſunt, apud quas multæ eiuſmodi roccæ, petræ, atque ſpeluncæ fuerunt. Proſper in prologo librorum de Providentia Dei, de Aquitania ſua loquens *caſtella petris impoſita* memorat, id eſt rupibus vel roccis, quæ Noſtri poſtea *Rupes* vocarunt.

Non caſtella petris, non opida montibus altis
Impoſita, aut urbes amnibus æquoreis, &c.

Sunt & *Rupes Fortes* in Gallia multæ, quales *Rupes Fortis* in Andicavis ad Ligerim, *Rochefort*; *Rupes Fortis* in ſilva Aquilina, *Roche Fort en Iveline*; *Rupes Fortis* in agro Nemauſenſi non longè à Rhodano, *Roquefort*; & alibi aliæ. *Rupes Fortes* dixere Noſtri caſtella rupibus impoſita, & ſuo ſitu naturáve ac arte munita validaque.

RUPES MAURA.

Raimundus Comes Toloſanorum in litteris anno MXCVI. datis de Monaſterio S. Ægidii, *Roccam Mauram* appellat. Inſcriptio tumuli Clementis PP. V. qui anno MCCCXIII. ibi obiit, *Rupem Mauram Nemauſenſis Diœceſeos* nuncupat. Hæc vulgò vocatur *Roque Maure*, & impoſita eſt rupi montive Rhodano imminenti, inter Caſtellum Novum (*Chaſteau Neuf*) & Villam Novam Avenioni adverſam, (*Ville Neufve lez Avignon*) proximamque habet Rupem Fortem, *Roque-Fort*.

Altera eſt ad eamdem Rhodani ripam dextram in pago Vivarienſi vel Helvico *Rupes Maura*, *Rochemore*, contra Anconem *Ancone*: quam *Rupem Morenatam* Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus in Paræneſi ad Judices vocare mihi videtur hoc verſu.

Inde Valentinis terris urbique jacenti;
Rupes nos dedimus hinc Morenata tibi.

Uterque locus à *Mauris* nomen accepit, qui utramque ripam Rhodani ac Provinciam ipſam ætate Caroli Martelli atque etiam poſtea incurſionibus vexaverunt. *Rupes Mauras* appellavere Noſtri caſtella rupibus impoſita, ad reprimendas Maurorum Saracenorumque Hiſpaniam & Africam obtinentium incurſiones: uti *Montes* vocavere loca caſtellaque in montibus condita, & *Montes Mauros* munimenta Mauris Hiſpanienſibus objecta.

Guillelmus de Podio Laurentii *caſtrum quod dicitur Rocha ſuper Rhodanum*, in capite XLVIII. memorat, quod Ludovicus IX. Franc. Rex anno MCCXLVIII. intra paucos dies in deditionem acceperit. Guillelmus de Nangiaco *Rocham quæ dicitur Don Glus* appellat, & ibi *fuiſſe caſtrum fortiſſimum ſuper Rhodanum* aſſerit: quæ an ſit *Rupes Maura*, an qua alia, neſcio.

RUPES MONACHI.

Anno Domini MCCXIV. *Johannes Rex Angliæ obſedit caſtrum quod Rupes Monachi nuncupatur. Caſtrum illud ædificatum erat de novo à Guillelmo de Rupibus Seneſcallo Andegaviæ, viro ſtrenuo & in bellis probato, ob tuitionem itineris quo itur ab Andegavi civitate Namnetum*; & ad reprimendas incurſiones Pagani de Rupe Forti, & incolarum *caſtri inexpugnabilis ex altera parte amnis ſiti, quod vocatur Rupes Fortis*: ut ſcribit Rigordus in Geſtis Philippi Auguſti. *Rupes Monachi* vocatur *la Roche au Moyne* vulgò; *Rupes* autem *Fortis*, *Rochefort* caſtrum ad Ligerim non procul à Calonna: uterque locus eſt in pago Andecavenſi.

RUPES VVIDONIS.

Rupes VVidonis vel *Guidonis* ad Sequanam *la Roche-Guion*, à *Guidone* domino ſuo, & à rupe cui impoſita eſt, nomen habet, & in Vita Ludovici Craſſi à Suggerio Abbate Cœnobii S. Dionyſii deſcribitur capite XVI. *Superſiſtitur promuntorio ardui litoris magni fluminis Sequanæ horridum & ignobile caſtrum, quod dicitur Rupes Guidonis, in ſuperficie ſui inviſibile, rupi ſublimi incaveatum: cui manus æmula artificis in devexo montis maxima do-*

mus amplitudinem rupe caſa extendit. Cujus facinoroſi, diis & hominibus exoſi opidi poſſeſſor Guido, bonæ indolis adoleſcens, anteceſſorum ſuorum patris, avi & proavi nequitia propagine rupis alienus, &c. Ibidem *Rupem* abſolutè appellat non ſemel; & *munitionem*, id eſt caſtrum; *Rupem* & priſcæ litteræ non paucæ: ſicut indigenæ ac vicini accolæ plerumque eam nominant *la Roche*, hoc eſt *Rupem* vel *Roccam* omiſſo *Guidonis* nomine. Legi litteras *VVidonis de Rupe* hac, quæ tales ſunt. *Ego VVido de munitione quæ vocatur Rupes, libens concedo* (id eſt remitto) *S. Petro Carnotenſi, & Fratribus Christo inibi militantibus exactionem telonei de navibus S. Petri, quæ ſub noſtra Rupe per Sequanam Rotomagum tranſeunt, & inde redeunt.*

RURA FLU. ET RURÆMUNDA.

Amnem *Ruram* memorat Theodulfus in Parænesi ad Judices ante annos DCCCL. memorat & Frodoardus in Chronico ante annos ſeptingentos, cujus hæc ſunt verba in rebus anni DCCCCXXIII. *Rotbertus in Regnum Lotharienſe proficiſcitur, locuturus cum Heinrico, qui ei obviam venit in pagum Ribuarium ſuper fluvium Ruram.* *Riparij* ergo ſive *Ripariols*, quos *Ribuarios* & *Ribvarios* ac *Ripuarios* corruptè noſtri Hiſtorici vocitant, flumen *Ruram* accolebant. Vulgò *Roer* vocatur hic fluvius, & alluit Sleidanum, *Sleyden*, Nidacum *Nideck*, Marcodurum villam Regiam, quam *villam Duram* & *villam Duriam* truncato nomine noſtri appellitant, vulgò *Duren*; Hambacum, Juliacum *Juliers* Ducatûs caput, Hembergam, VVaſſenburgum ſeu Aquoſum Burgum: & apud *Ruramundam* vel *Ruræmundam*, Germanis *Roermond* Noſtris *Ruremonde* dictam, Gelriæ civitatem novo Epiſcopatûs titulo illuſtrem, dextrum Moſam ingreditur. *Ruramunda* autem à re nomen habet, quod linguâ Germanicâ *Rura* oſtium vel *os* ſignificat. Munda enim os Germanis. Sic Teneræmunda *Tenremonde* vel *Dendermonde* à Flandrenſibus nuncupatur, opidum poſitum ad confluentem vel os Teneræ & Scaldis: Rupelmunda ad Rupelæ oſtium.

RUSCINO COLONIA ET FLUVIUS, ET DE SARDONIBUS.

Livius in libro XXI. *opidum Ruſcinonem* commemorat; commemorat & Polybius, cui Ῥούσκινον dicitur pro Ῥουσκίνων; & Strabo, qui *Ruſcinonem* vocat Ῥουσκίνωνα. Ptolemæo dicitur *Ruſino* Ῥουσκινὼν, mendosè pro Ῥουσκίνων: Melæ in Gallia Narbonenſi & in *ora Sardonum Colonia Ruſcino*: Plinio in provinciæ Narbonenſis ora *regio Sardonum, Ruſcino Latinorum*. Nonnumquam enim Plinius *opida Latina* vel *opida Latinorum* vocat, quæ alii Colonias. *Ruſcionem* appellat tabula Theodoſiana, & inter *Illiberrim* atque *Narbonem* collocat, ab Illiberre VI. à Narbone XXI. millibus diſtantè. Æthicus *Ruſcionem* quoque nuncupat, & Narboni ac ſummo Pyrenæo medium interponit, & à Narbone XL. à ſummo Pyrenæo XXV. millia paſſuum abeſſe ait. *Coloniam Ruſcinonem ſub Pyrenæo in Aquitania* locat Panvinius, & Tacito auctore niti ſe aſſerit: cùm *Ruſcino* non in Aquitania ſit, ſed in provincia Narbonenſi, nec ejus Coloniæ Tacitus uſquam mentionem fecerit. Quidam *Roſinolam* vocant; auctor libri de Vita Ludovici Pii Aug. *Ruſcellionem*; idem Ludovicus A. in litteris ſuis *Roſcilionam*. Ex *Ruſcino* autem fit *Ruſcinona*; ut ex Narbo Narbona, ex Barcino Barcinona vel Barcilona, ex Carcaſſo Carcaſſona: ex *Ruſcinona* porrò *Roſcilona* meliùs quàm *Roſcilionа*, & *Roſilona* potiuſquàm *Roſinola*. Ex *Ruſcino* item *Ruſcelo* meliùs fit quàm *Ruſcellio*. Litteram porrò n in l. à Noſtris ſæpe converti docent nanpreda, unicornis, Bononia, Caſtrum Nantonis, & Canentelus fluvius, lampreda, licornis, Bolonia, Caſtrum Landonis, & Carantonus vulgo nuncupata. Nunc Ruſcino vulgò *Rouſſillon* appellatur, vel *la tour de Rouſſillon*; *Tor Roſſello* Hiſpanis. Nihil enim ex veteri urbe atque Colonia præter nomen priſcum ac turrim nunc ſupereſt. *Ruſcinonem* exhauſit ni fallor Perpiniacum, dimidiâ ab eo leugâ remotum.

Ruſcinonem, ut & Perpiniacum Perpinianumve, dimidiâ leugâ à caſtello vel turri *Ruſcinonis* ſeu *Roſſilionis* diſſitum, alluit ejuſdem nominis fluvius, Græcis Geographis, Straboni *Ruſcino* Ῥουσκίνων, Ptolemæo *Ruſcio* Ῥούσκιον, Athenæo *Roſcynus* Ῥόσκυνος, Avieno *Roſchinus* dictus in oræ Maritimæ libro I.

Poſt Pyrenæum jugum
Jacent arenæ litoris Cynetici:
Eaſque latè ſulcat amnis Roſchinus.

Adjicit Avienus, hanc *Sordicenam terram* eſſe, & hic ſtagnum ejuſdem nominis diffundi, ex quo *Sordus amnis effluat*. *Sordicena* autem *terra* eſt Avieno, quæ Melæ & Plinio *ora Sardonum*, & *regio Sardonum*: à quibus *Sordus* fluvius, & caſtrum *Sordonia* inter caſtrum *Clauſuras* & *Narbonem*, Juliano Toletanæ ſedis Archiepiſcopo in expeditione Gallica VVambæ memoratum, nomen acceperunt. *Ora* autem *regiove Sardonum*, ſive *Sordicena terra Illiberim* & *Ruſcinonem* urbes Mela & Plinius attribuunt: quas ambas Claudius Ptolemæus *Volcarum Tectoſagum urbes mediterraneas* facit, ne nominatis quidem uſquam *Sardonibus*, qui forſitan potiùs Tectoſagum, aut eorum clientes fuerunt.

Fluvius *Ruſcino* qui *Ruſcinonem* & *Perpinianum* attingit, à Latinis *Thelis* vocatur, vel potiùs *Telis*, in primis à Mela hiſce verbis. *Inde eſt ora Sardonum, & parva flumina Thelis & Thicis, Colonia Ruſcino, vicus Eliberri*: itaque à Salſuſis vel Salſulis uſque ad Pyrenæum *Sardonum* regionem jacere indicet, quod eſt ſpatium millium LXIV. Nunc *Tet* nuncupatur hic amnis, à *Teli* haud dubiè deducto vocabulo. Plinii verba ſunt, ope veterum codicum emendata, Plinii inquam ex Hiſpania in Galliam tendentis, cùm contrà Mela ex Gallia in Hiſpaniam tendat. *In ora regio Sardonum, flumina Tecum, Vernodubrum: opida Illiberis, Ruſcino Latinorum.* At in editis Plinii libris legimus, *flumina Tichis & Obris* magno errore. Quippe Obris fluvius Bæter-

terris ad Ruſcinonem Perpiniacumque nihil pertinet, inter hæc loca duo & Bæterras Biterrâ & Atace interfluentibus, & *Ruſcino* à Bæterris LII. millia paſſuum abeſt. *Vernodubrum* igitur vel *Vernodubrium flumen* apud Plinium (nam utroque modo in priſcis ejus codicibus ſcriptum invenitur) poteſt eſſe Mellæ *Telis*, & Græcorum *Ruſcino*, qui olim Ruſcinonem alluit: quandoquidem *Tecum* flumen ei proximum Illiberi convenit, nec aliud flumen apud Plinium quàm Vernodubrium reperitur, quod *Ruſcinoni* reſpondeat. Strabo *Ruſcinonem* & *Illiberim* fluvios ex Pyrenæo monte deſcendere ait, & urbes cognomines alluere.

Ruſcino, tametſi dirutus & ad nihilum redactus, ſuum nomen dedit pago circumjacenti, quem Comitatum & Vicariatum *Ruſcinonenſem* appellitant, *la Comté & Viguerie de Rouſſillon*, & cum Comitatu ac Vicariatu Confluentino vulgò conjungunt, *la Comté & Viguerie de Conflans*. Alii *le Rouſſillon* vocant; incolæ *Roſſellon*; Rogerius Hovedenus ante annos CCCCLX. *terram Ruſſilun, in qua eſt civitas Alne*, id eſt Elena. Comitatus quidem Cerrætaniæ (*le Comté de Cerdagne*) qui *Ruſcinonenſi* Comitatui iungi ſolet, trans Pyrenæos montes eſt poſitus, & ad citeriorem Hiſpaniam Tarraconenſémve pertinet, non ad Galliam Narbonenſem. Caput Comitatus pagique *Ruſcinonenſis* nunc eſt *Perpiniacum* urbs nova, *Perpinnan*. *Perpiniacum* autem vel *Perpinianum* prope ruinas veteris urbis *Ruſcinonis* à Guinardo Comite Ruſcinonenſi anno MLXVIII, exſtructum eſſe aiunt, ac poſt id tempus eum pagum nunc *Comitatum Ruſcinonenſem*; nunc Comitatum Parpiniacenſem dictum eſſe.

RUTENI ET SEGODUNUM RUTENORUM.

J. Cæſaris ætate diviſi erant *Ruteni* duas in partes. Quippe alii provinciæ Narbonenſi contribuebantur, *Ruteni Provinciales* Cæſari dicti; alii Galliæ Celticæ, quos paullo pòſt Auguſtus Aquitaniæ adſcripſit. Utrorumque meminit Cæſar in libro VII. quum ſcribit *Lucterium Cadurcum* à Vercingetorige defectionis auctore *in Rutenos miſſum cum parte copiarum, eam civitatem Arvernis conciliaviſſe; ſe verò præſidia in Rutenis Provincialibus, Volcis Arecomicis, Toloſatibus circumque Narbonem conſtituiſſe*. Ibidem addit, Vercingetorigem *Rutenos Cadurcoſque ad fines Volcarum Arecomicorum depopulandos miſiſſe*. Hi ſunt *Ruteni*, tum Celticæ, paullo poſt Aquitanicæ Gens ac civitas, à Lucterio Arvernis rebellibus ac Vercingetorigi conciliati. In Commentario I. de Bello Civili ad ſe *veniſſe* ait in Hiſpaniam *ſagittarios ex Rutenis*: ſed de utris loquatur, Provincialibus an Celticis, incertum eſt. Utrorumque meminit & Plinius, Provincialium quidem in Provincia Narbonenſi his verbis: *Nemauſum Arecomicorum, Piſcenæ, Ruteni, Samagenſes, Toloſani Tectoſages Aquitaniæ contermini*. Aquitanicorum ſic; *Arverni liberi, Gabales; rurſus Narbonenſi provinciæ contermini Ruteni, Cadurci*. *Rutenos Provinciales* in Diœceſi Vabrenſi quidam collocant, ſive in inferioribus Rutenis; alii in finibus Albigenſium, qui numquam tamen provinciæ Narbonenſis fuerût: *R*[illegible] autem *Aquitanicos* pro Rutenis ſuperioribus montaniſve habent, apud quos Segodunum caput Gentis Errat Samſon Geographus Regius, quum apud Cæſarem corruptum eſſe nomen exiſtimat *Rutenis Provincialibus*, eoque veteri mendo deceptum Plinium *Rutenos* in Narbonenſi poſuiſſe: ſicut Strabo Meldos ad mare collocaverit, corrupta Cæſaris exemplaria ſecutus; & Plinius ipſe *Ireſuos* ac *Heſſos* de *Seſuviis* & *Eſuis* Cæſaris, hoc eſt monſtra de monſtris fecerit.

Ruteni Straboni Ῥουτηνοὶ dicuntur argenti metallis dites, & adnumerantur XIV. Gentibus Garumnam inter & Ligerim habitantibus, & Aquitaniæ J. Cæſaris conterminis, eique ab Auguſto contributis. Lucanus flavum eis capillum tribuit.

Solvuntur flavi longa ſtatione Ruteni.

Ptolemæo *Rutani* vocantur Ῥουτανοὶ, & urbs *Segodunum* Σεγόδουνον: in tabula Peutingeriana *Ruteni*, & urbs eorum ſimiliter *Segodunum* ſic. *Carantomago, Segoduni, Ad Silanum, Anderitum*. Apud Magnonem qui Notas Tironis & Senecæ aliorumque collegit, & ſuum cuique Genti caput adiungere conſuevit, *Rutenus, Secundunum*: ubi legi malim *Secudunum*, quod idem eſt ac *Secodunum*, ut Seguſtero & Secuſtero. *Segodunum* autem à duno ſeu colle, cui impoſitum erat, aut proximum, nomen accepit.

Poſtea *Segodunum* nomine Gentis cuius erat caput, appellari cœpit, dicique *Ruteni*. Certè Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri II. capite XXXVI. & in libri III. capite XXI. *Rutenos* nuncupat, necnon *urbem Rutenam, Rutenam civitatem*; Geſta Francorum *Rotinum civitatem*, id eſt *Rutenos*; ut Pariſius pro Pariſios. Nam pro Rutenis *Rotinos, Rotenos*, ac *Rodenos, Rodinos, Rutinos* quoque, ac exemplo Ptolemæi *Rotanos* nonnumquam recentiores fecerunt, u in o, t in d, ac e in i de more converſis. In veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ, inter provinciæ Aquitanicæ primæ civitates VIII tertium tenet locum *civitas Rutenorum*, Albienſibus, Cadurcis, Lemovicibus, Gabalis, Vellaviſque præpoſita: quem locum & in Chronico Roberti, & apud Gervaſium Tiſleberienſem, ac in recentioribus Notitiis Epiſcopatuum Galliæ ſibi vindicat. Vulgò dicitur *Rodés*, aliàs *Rodais* aut *Rodez*: quod eſt nomen à *Rodenis* vocabulo corrupto deductum. Poſita eſt urbs ad *Avarionem* flumen, in Vita S. Amantii Rutenenſis Epiſcopi quæ Fortunati eſſe creditur, & in vetere Paſſione S. Antonini Mart. memoratum, vulgò *Aveiron* vel *Avayron*, nonnullis *Averon* & *Aberon* nuncupatum. Hic fluvius *Avario*, quibuſdam *Averio*, oritur ex fonte cognomine, quem *Vayron* incolæ appellitant; alluitque Calliacum *Caglac*, Aginnum *Agen*, vicum cognominem capiti Nitiobrigum; *Segodunum Rutenorum*, Lucum *Luc*, Bellum Caſtellum *Belcaſtel*, Villam Francam *Rutenorum Ville Franche en Roüergue*, Baſtitam *la Baſtide*, Monti-

culos *Monteils*, Maccriolas *Mazerolles*, Salvitatem *la Salvetat*, caſtrum S. Marcelli *S. Marſan*. Bellum Podium, id eſt Bellummontem, *Belpuech*, caſtrum Gueſpiam *la Guepie*, caſtrum S. Antonini, *S. Antoni*, [?]as *S. Antonin*, Caſalia *Caſals*, Nigrum Palatium *Negre Pelice* Comitivæ titulo illuſtre, & Regalem villam: ac demum Viauro vel Biauro amne (*le Biaur*) qui Lauternam recipit, (*Lezert*) ac IV. aliis fluviolis auctus, in Tarnem defluit. Quibus ex locis caſtrum S. Marcelli, Gueſpiam, & caſtrum S. Antonini Petrus in Hiſtoria Albigenſium commemorat.

Pietate & virtutibus claruit poſt Amantium Quintianus *Epiſcopus Eccleſiæ Rutenicæ*, qui Agathenſi Concilio, & Aurelianenſi primo interfuit; & Dalmatius *Epiſcopus Eccleſiæ Rutenenſis*, qui Synodi Arvernenſis, & Aurelianenſis quartæ decretis ſubſcripſit.

Scriptor Vitæ S. Amantii *diffuſam urbem, & mœnia lata*, necnon *pontem Rutenorum* commemorat, & *porticus atriaque Baſilicæ S. Amantii*.

Pagus Rutenicus nunc duas Diœceſes continet, *Segodunenſem* veterem, ac *Vabrenſem* recentiorem: & in ſuperiorem inferioremque dividitur, ſive in montanum ac planum. Superior vocatur *le Haut Roüergue*; inferior *le bas Roüergue*. *Rutena provincia* nuncupatur in libello de Vita S. Amantii Rutenorum Epiſcopi; *terminus Rutenus* in libri X. Gregorii noſtri capite VIII. *Rutenicum* abſolutè in epiſtola Galli Epiſcopi ad Deſiderium Cadurcorum Antiſtitem; ubi territorium ſubauditur. *Nullus de Cadurcino ad iſtas ferias in Rutenico vel vicinas urbes præſumat exire.* Aimoinus, Monaſterii Pariſiaci S. Germani Monachus, in capite XVI. libri II. de Tranſlatione corporis S. Vincentii Levitæ & Martyris in pagi Albienſis Monaſterium Caſtrum, *pagum Rodinignum* ſua ætate, videlicet ante annos DCCC. vulgò dictum eſſe docet hiſce verbis. *Huic ſimile eſt miraculum in Rotenenſi pago, qui vulgò Rodinigus appellatur, patratum.* Ex *Rutenico* fecere Noſtri *Rodinigum*, u in o, t in d, c in i, c in g mutatis ex more; ex *Rodinigo Roüergue*, o in ou, i in e, n in r converſis. Pagum hunc alii vocant *le Roüergue* maſculino genere; alii, ſed pauciores *la Roüergue* genere feminino. Ildefonſus Rex Aragonenſis, Comes Barcinonenſis, & Dux Provinciæ in litteris datis anno MCLXVIII. terram Hugonis Comitis Rutenenſis appellat *Roſenegue*, quaſi *Rodinignum*, d in ſ, & utroque i in e converſis. *Ruteni*, ſeu incolæ *pagi Rutenici*, dicuntur *les Rouergueois*.

RUTINA.

Rutina, & *Rutinenſe Monaſterium* vetus in pago Trevirico, in libro IV. de Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis memoratur, & *Guntrannus de Sirca, quod eſt opidum ei proximum Monaſterio.* Aliis *Rutila* dicitur: vulgò *Rotil* vel *Rottel*, locus non longè à civitate Treviris diſtans, ſed Sircæ caſtro ad Moſellam (*Sirck*) multo propior.

S

SABIS FLUVIUS
ET PAGUS SABENSIS VEL SAMBRENSIS.

T*RANS flumen Sabin omnes Nervios conſediſſe, adventumque ibi Romanorum exſpectaviſſe unà cum Atrebatibus & Veromanduis finitimis ſuis*, J. Cæſar in libro II. Comment. ſcribit. *Sabim* Fortunatus in libro VII. Carminum *Sabam* appellat hoc verſu

Iſara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura.

Arnulfus Marchio, ejus nominis primus Flandriæ Comes, cognomento Magnus, in litteris ſuis *Savum* nuncupat, & *in pago Hainau ſuper fluvio Savo villam Dulciacam (Doucy)* Monaſterio Blandinio reſtituiſſe ſe ait. Aigradus Monachus in Vita S. Aníberti Rotomag. Epiſcopi *Sambram* nomine etiamnum uſitato appellat ante annos ferè mille, & *Altum Montem Monaſterium (Haumont) ſitum eſſe in territorio Hainoenſi ſuper Sambra fluvio* ſcribit. *Sabis, la Sambre* vulgò dictus, oritur in Teoracia ſilva, & Oſiacum *Oiſy*, Caſtellionem *Chaſtillon*, Landericiacum *Landrecy*, Malbodium *Maubenge*, Fontanas *Fontaines*, Caſtellum *Câtelet* vel *Chaſtellet*, Frigidum Montem *Froment*, Hammum *Ham*, Monaſterium *Monſtier*, Floreffiam Abbatiæ titulo locum illuſtrem, *Floreff* attingit, atque apud Namucum Mosâ recipitur, Camaracenſium & Nerviorum fluvius. Ab eo *pagus Sambrenſis*, aliis *Sambrenus* dictus, nomen accepit: qui ab *Sabi Sabenſis pagus* meliùs vocaretur. *Pagi Sambrenſis* meminit Chronicon Gemblacenſe, qui *Samblenſis pagus* ibi mendose dicitur, meminit & Fulcuinus in Geſtis Abbatum Laubienſium, qui *Sambrinum pagum* vocat: *in Sambrino pago, Hainoenſi, Lomenſi, Darnienſi, Haſbanienſi, Brachatenſi*. A Sambra flumine *Sambrenſem* & *Sambrinum pagum* dixere; ut ab Haina fluvio *Hainoenſem* vel *Hainoum*, quòd hi duo pagi, alter ad Sambram ſeu Sabim, alter ad Hainam amnem poſiti eſſent. *Pagus Darnienſis*, aliis *pagus Darnuenſis* & *Darnoenſis* dictus, Gemblacum Monaſterio vetere clarum, & Villare vulgò *VVilers*, locum Nivialæ proximum præ ceteris continet.

SABLOLIUM.

Sablolium vetus opidulum eſt in Cenomanico pago poſitum, Andicavorumque confinio, quod Johannes Majoris Monaſterii Monachus de Vita Gaufridi Comitis nunc *Sabolium*, nunc tranſpoſitis litteris *Sabloium* vocat, & ni fallor, Ivo Carnutum Epiſcopus in epiſtola quadam *Sabulcium*. Urbani PP. II. litteras legimus *apud Sabloilum* datas anno MXCVI. *Sabulium* quidam vocant. Haud dubiè à ſabuloſo agro in quo conditum eſt, nomen accepit; ſincerumque loci vocabulum eſt *Sablolium* à ſabulo, quaſi *Sabulolium*. Facilè equidem crediderim *Sabloilum* primò dictum eſſe, deinde *Sablolium*: & vulgò *Sableüil* dici primùm conſueviſſe, tum *Sableil*, ac demum *Sablé*. Sicuti ex Corboilo Corbolium recentiores fecerunt, ex *Corbeuil Corbeil*; ex Nantoilo Nantolium; ex Bonogilo vel Bonoilo Bonolium, ex *Boneuil Boneil*.

In libro de Vita S. Chadoindi Cenomanorum Epiſcopi *Saboloium* dici reperio: in quo Alanus quidam matri Eccleſiæ civitatis Cenomanorum XII. villas magnas dediſſe dicitur, in primis *Saboloium, Juliacum, Lucdunum, Rubliacum, Rupiacum, Doliacum, Camariacum*. *Sablolium* poſitum eſt ad fluvium Sartam, qui ibi diviſis aquis parvam inſulam facit, habetq; Prioratum quem vocant S. Nicolai, & Eccleſias duas, alteram B. Mariæ, alteram S. Martini, quæ ſunt Parœciæ. In Geſtis Conſulum Andecavenſium *Liſiardus Sabolienſis* primas tenet inter *Barones* & *Milites Cenomanenſes*, & *Robertum Sulacenſem, Galterium Meduanenſem, Guidonem Lavallenſem* præcedit. *Sabulcium* vocatur in litteris anni MCXXXVIII.

Ceterùm pro arena veteres & ſabulum (*ſable*) & ſabulonem (*ſablon*) dixere: atque ut ex ſabulo fecere ſablum, unde *Sabloilum* vel *Sablolium*; ſic ex ſabulone fecere ſablonem, unde *Sablonaria*: (*Sablonieres*) quo in loco anno DCCCLXII. Indict. XI. domnus Karolus Rex conventum habuit, & Capitula edidit. Alia eſt villa *Saponaria* in ſuburbio Tullenſi, *Savonieres*, ubi Synodus Epiſcoporum Galliæ ac Germaniæ eodem Carolo apud Francos regnante habita eſt. *Sablonaria* autem, quo nomine arenariæ & ſolum arenoſum deſignantur, ut & *Saponaria*, villæ Regiæ fuerunt, altera à ſabulo vel arena, altera à ſapone qui ibi conficiebatur, cognominatæ: ut *Argillaria* opidum vel *Argilleria* non procul à Domnamanto, (*Dormans*) ab ſolo argilloſo dictæ in Vita S. Bernardi, vulgò *Arg.lly*.

SACER PORTUS.

Sacer Portus Latinâ linguâ dictus eſt à ſcriptoribus noſtris, patrio olim ſermone *BarBeel* & *Bar Bael*: nunc *Barbeau*, locus in finibus Senonum nobili Monaſterio ejuſdem nominis inſignis. *Anno* MCXXC. *deportatum eſt corpus Ludovici Regis piiſſimi ad Cœnobium quod ipſe fundaverat Ordinis Ciſtercienſis Barbeeliū nomine*: ut ſcribit VVillelmus Armoricus. *Ludovicus Rex piiſſimus in urbe Pariſius obiit, & in Eccleſia S. Mariæ de Sacro Portu quæ dicitur Bar Beel ſepultus eſt, quam ipſe fundavit*: inquit Vincentius Bellovacenſis in Speculo. Ex quo colligo, bar portum, beel ſacrum linguâ Gallicâ tum ſignificaviſſe.

SACRUM CÆSARIS CASTRUM.

Nobile eſt opidum in Biturigibus *Sacrum Cæſaris*, vulgò *Sancerre*, ita fortè dictum, quòd ibi Julius Cæſar victis Biturigibus & expugnato gentis capite Avarico ſacra fecerit. Philippus Auguſtus Francorum Rex in litteris ad Bituriges miſſis *Sacri Cæſaris* hoc *opidum* vocat: & Guillelmus Armoricus in libro I. Philippidos *mœnia Sacri Cæſaris*. Idem in Geſtis Philippi Aug. ſoluta oratione compoſitis anno MCLXXIX. Stephanum memorat Comitem *Sacri Cæſaris caſtri, quod tempore Julij Cæſaris Avaricum vocabatur*, uti falsò ait. In libro MS. de Ambacienſium dominorum Geſtis opidum à Julio Cæſare exſtructum appellatúmque reperio. *Cæſar ſecus ripas Ligeris equitans, in quodam monte opidum firmavit, ibique ſimulacra omnium Idolorum ſuorum quæ ſecum gerebat, poſuit: quod opidum Romani Sacrum Cæſaris vocaverunt.* Quæ interpretatio nominis fabuloſa atque ridicula eſt: cùm Julius Cæſar in Gallia vetera opida & caſtella magis diruerit quàm nova condiderit, nec Romanis mos eſſet Deorum ſtatuas aut Penates ſuos in bella circumferre. Incolæ *Sacrocæſarienſes* à Noſtris ſcriptoribus vocantur.

Sincerrium quidam veteres appellant, in his Sigebertus *caſtrum Sincerrium in Bituricenſi territorio ſitum*: quod Comitatus titulo vetere illuſtre eſt.

SAGONA, ET SAGONENSIS PAGUS.

S. Lenogiſilus in *pago aSagamnenſi* Cenomanorum, *villula Buſciaco* vel *Buxido* manſiſſe, dicitur in libro de Vita ipſius, quem Bollandus edidit. Legitur alias in *pago Sagonenſi*: qui vulgò *le Saonois*, aliàs *Sonnois* vocatur; Buſciacum autem *Buſi*. Ordericus Vitalis in libro X. Hiſtoriæ *territorium Soonenſe ſuper Riolæ rivum* in Cenomanis nuncupat, & *caſtrum Soonam*, à quo *pagus Soonenſis* nomen accepit. *Sagamna* igitur, aut *Sagona*, vel *Soona* caſtrum in Cenomanis, vulgò *Sorgne*, aliis *Sonne*, nomen dedit *pago Sagamnenſi*, *Sagonenſive*, aut *Soonenſi*, *le Sonnois*, qui Baronatûs titulo olim illuſtratus eſt. In litteris VVillermi Talvas Pontivorum & Beliſmenſium Comitis, quibus Perſenienſibus Monachis quaſdam immunitates concedit, hic pagus vocatur *terra de Sagonio*, id eſt ager *pagúſve Sagonienſis*. Eſt autem Perſenia, vulgò *Perſeigne*, Ordinis Ciſtercienſis Abbatia in vico ac ſilva cognomine, & in *pago Sagonenſi* Cenomanicæ Eccleſiæ ſubjecto. *Pagum* hunc *Sagonenſem* vel *Sagonienſem*, in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum latis *Otlingam Saxoniam* à colonis Saxonibus eò tranſlatis appellari, non deerunt fortiſitan qui exiſtiment. Ponitur autem *Otlinga Saxonia* inter pagos *Corilliſum* & *Oxmiſum*, ſeu Corilenſem & Oximenſem. In *Sagonenſi* igitur *pago* ſunt non modò *Sagonium* vel *Soona* caſtrum, ſed etiam villa *Buſciacum*, & ſilva *Perſenia* cum vico ac Monaſterio ejuſdem nominis: præterea *Mamerciæ* caſtellum Orderico memoratum, *Mamercia in Sagonenſi* à ſitu cognominatum, *Memers en Saonnois*, *Soonæ* olim caſtro, nunc vico proximum.

SAII VEL SAGII.

Veteres Notitiæ provinciarum civitatumque Galliæ *Saiorum* ſive *Sagiorum* primæ meminerunt: quarum in una quæ eſt vetertima & circa Honorii Aug. principatum facta, in provincia Lugdunenſi ſecunda *civitas Sagiorum* ordine quinta numeratur; in alia *civitas Salarum Saius*; in tribus aliis *civitas Salarum, id eſt Saiorum*: in quadam *civitas Saius*.

Hi *Saij* vel *Sagij*, Straboni, Plinio, Ptolemæo ceteriſque priſcis Geographis hoc quidem nomine incogniti, à Papirio Maſſono falsò creduntur eſſe Cæſaris *Seſuvii*. Nam apud Cæſarē in libro II. Comment. *Seſuvii* inter maritimas civitates ponuntur: quod Saiis noſtris nequaquam convenit, interjacentibus Lexoviis. Et apud Cæſarem in fine libri II. *Lexovii* aut *Lexovij* pro *Seſuviis* reponendi mihi videntur. Quippe quos Cæſar ibi *Curioſolitas*, *Seſuvios* junctim appellat; eoſdem in libri III. pagina VI. *Curioſolitas Lexobioſque* conjunctim vocat: ut appareat alterum locum alterius ope emendari oportere. Non magis igitur Maſſono audiendus eſt Samſon, qui *Seſuvios* & *Eſſuos* Cæſaris retinet, eoſque Plinii *Iteſuos* ac *Haſſos*, Ptolemæi *Arvios*, ac Notitiarum *Saios* eſſe affirmat, levi aliqua

ſimilitudine nominum, & conjecturis admodum invalidis ductus. Apud Aimoinum, & apud Hugonem Floriacenſem Monachum, ac Robertum inter civitates provinciæ Lugdunenſis ponitur *Oximus*, *quæ & Sagienſis*: vel *Oximus*, *id eſt Sagienſis*: quos auctores Robertus Cenalis ſequitur, *Saios* ſedem Epiſcopalem in Normannia, & locum *Oximum Oximenſive* ei vicinum atque ſubjectum, cum *Oſiſmiis* vel (ut tum vulgò loquebantur) cum *Oximenſi* Epiſcopatu Britanniæ Armoricæ confundentes propter ſimilitudinem nominum. Nam *Oximum* vel *Oximos* propinquum *Saiis* vicū, non credo civitatem olim vel ſedem Epiſcopatûs exſtitiſſe, licet pago Oximenſi nomen dederit. Ordericus ſecutus Notitias, in libro v. *urbem Salarium*, *id eſt Sagium*; in libro xii. Hiſtoriæ *Sagium* eam urbem vocat, poſitam ad fluminis Olinæ fontem & caput. In litteris Rogerii de Monte Gomerici, Vicecomitis Oximenſium, memoratur *locus S. Martini*, *qui eſt juxta burgum Sagii ſuper ripam Olnæ fluvii*. *Sagium Abbatia Normanniæ* dicitur VVillelmo Malmeſburienſi in libro i. de Geſtis Pontificum Anglorum; *Saium* Magnoni; vulgo *Seez*. Verum & ſincerum nomen Gentis ac civitatis eſt *Saii*, qui poſtea g. litterâ inſertâ dicti ſunt *Sagii*, & pro *Saienſibus Sagienſes*: ut Aquilegienſes & Regienſes appellati ſunt, qui olim Aquileienſes, & Reienſes ſeu Reii. Nam *Salarium* & *Salarium* in Notitiis & apud Ordericum Vitalem corruptum eſſe nomen puto, & in locum *Saiorum* obtruſum: cùm nuſquam alibi reperiatur. In veteribus Conciliis Gallicanis, ſub Merovei poſteris habitis, Epiſcopi ejus urbis nunc *Sagienſes*, nunc, idque ſæpius *Sagenſes* appellantur, atque ita ſubſcribunt. Litteris Rotberti Rotomagenſium Archipræſulis ſubſcribunt *Herbertus L ſiva civitatis*, *Ratbodus Saxia Epiſcopi*, *Hugo Ebroicæ*, aliàs *Ebroas*, & *Maingiſus Apringarum*; aliàs *Abrincarum* Ubi *Liſiva* civitas Lexoviorum eſt, *Saxia* Saiorum, *Apringa* vel *Abrinca* Abrincatæ.

Ab *Saiis* vel *Sagiis* pagus *Saienſis* vel *Sagienſis* nomen accepit, in Capitulis Caroli Calvi pagus *Sagiſus* dictus, id eſt *Sagenſis*.

SALENTIACUM.

Eſt *prædium Salentiacus in Epiſcopatu ſitum Viromandenſi*, *in regione autem Noviomenſi*. inquit auctor libri de Vita S. Medardi, à Surio editus. Vulgò *Salenci*. Patria hæc Medardi fuit, ſanctiſſimi Antiſtitis Viromanduorum.

SALERNUM.

Clarius in Chronico Monaſterii S. Petri Vivi *Mauriacum* & *Salernum* memorat in Arvernis, vulgò *Salers*, in ſuperiore Arvernia Baronia titulo clarum: & ibidem *Scurrilacenſes*, id eſt Scoralienſes, ac *Salernenſes* conjunctim nominat ob viciniam.

Eſt alius locus in Volcis Tectoſagibus pagoque Toloſano, cujus nomen unâ tantùm litterâ differt à *Salerno*. *Salertum* enim dicitur: cujus meminit Alanus Antiſſiodorenſis Epiſcopus in libro de Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis. *Eſt locus in regione Toloſana Salertum nomine*.

SALETIO.

Saletio magni quondam fuit nominis caſtrum ad Rhenum inter Tabernas & Brocomagum, aberatque à Tabernis xviii. à Brocomago vii. millia paſſuum, ab Argentuaria xliii. ut docet tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana. Æthicus inter Argantovariam & Tabernas *Saletionem* collocat, in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, & ab Argantovaria vii. à Tabernis xiii. millibus diſtare indicat. Ammianus Marcellinus in libro xvi. *Saliſonem* videtur appellare, *Argentoratum*, *Brocomagum*, *Tabernas*, *Saliſonem*. *Nemetas*, *Vangionas*, & *Mogontiacum* ſimul commemorans; meliùs facturus, ſi ſervato ordine locorum *Argentoratum*, *Brocomagum*, *Saliſonem*, *Tabernas*, *Nemetaſque* nominaſſet, & *Saliſonem* Tabernis præpoſuiſſet. Apud Æthicum in itinere à Treviris Argentoratum *Saliſſonis* fit mentio ſic: *Baudobrica* M. P xviii. *Saliſſone* xxii. *Vingio* (ſeu *Bingio*) xxiii. *Mogontiaco* xii. *Bormitomago* xviii. *Noviomago* xviii. *Argentorato* xviiii. *Saliſonem* hunc vel *Saliſſonem* Simlerus & *Saletionem* apud Æthicum pro uno loco habet, ac *Seltz* exponit, cùm tamen ſitus repugnet. Quippe inter Baudobricam vel Bobardum ac Bingium, opidum Germanorum vel S. Goaris ac Voſavia reperiuntur, *Saletio* minimè reperitur: atque ſi tabulam Theodoſianam ſequimur, (cur autem non ſequamur?) abeſt a Baudobrica vel Bontobrica *Saletio* xciv. millia, à Bingio lxxiv. *Salitio* in quibuſdam priſcis codicibus dictus.

Notitia Imperii Romani ſub diſpoſitione V. Sp. Ducis Mogontiacenſis *Saletionem* ponit prope Tabernas, & *Præfectum militum Pacenſium Saletione*, *Præfectum militum Menapiorum Tabernis*.

Fredegarius in capite xxxvii. libri v. & ultimi Chronici *Saloiſſum caſtrum* nuncupat. Veteres rerum Francicarum Annales nunc *Saluſſam*, nunc *Saloſſam* atque etiam *Saluſiam* vocant. In Annalibus, ad annum dcccviii. perductis ab auctore æquali eorum temporum, hæc legimus. *Anno* dcclxx. *Tunc Domnus Rex Karolus habuit Synodum ad Vurmatiam: & Karlomannus & Berta Regina jungentes ſe ad Saloſſa*. Eadem verba repertas in aliis Annalibus, qui in anno dcccxiii deſinunt, & in Vita Caroli Magni vetuſtiſſima. In libro quem Monachus Egoliſmenſis de Vita Caroli Magni compoſuit, corruptum loci nomen eſt, & impreſſum mendosè *Polaſſa* pro *Saloſſa*: corruptum & in Annalibus Bertinianis, poſitùmque *Salona* pro *Saloſſa*. In Chronico S. Arnulfi Annalibuſve Mettenſibus eadem, ſed emendatiora invenio. *Anno D. I.* dcclxx. *Karolus præcellentiſſimus Rex habuit colloquium vel Synodum in Vuormatia civitate: & Karolomannus cum genitrice ſua Berta Regina colloquium habuit in caſtro quod dicitur Saluſſa: quæ Regina per Baioariam perrexit*

in Italiam. Abeſt autem *Saletio* à Vormacia vel Borbetomago XXXVIII. millia paſſuum, ut Æthicus docet; aut certè XLI ſi tabulam Peutingerianam ſequi malumus: at *Saliſſo* ex eodem Æthico diſtat à *Bormitomago*, id eſt à Vormacia millibus paſſuum LIII. Eginhardi in Annalibus verba talia ſunt. DCCLXX. *anno Domnus Karolus Rex habuit populi ſui generalem conventum in Vuormacia civitate. Bertrada verò mater Regum cum Karolomanno minore filio apud Saluſiam locuta, pacis cauſâ in Italiam proficiſcitur.* Odilo Abbas Cluniacenſis in libro de Vita Adalheidis Aug. quem ante annos DCL. compoſuit, hunc locum *Salſam* trunco nomine appellat his verbis. *In loco qui dicitur Salſa, urbem decrevit fieri ſub libertate Romana, & Monaſterium condidit,* (Adelaidis) *& à VVideraldo Argentinæ civitatis Epiſcopo conſecrari juſſit, tertio Imperante Ottone, nepote ſuo.*

Saletio fluvio *Saletioni* nomen ſuum debet. Eſt enim poſitus ad *Saletionis* & Rheni confluentem. Hodieque & loci & fluvii unum idemque nomen eſt. Nam & amniculus *Seltz* nuncupatur, & caſtrum quoque *Seltz* dicitur, nomine haud dubiè à *Saletione* deducto: quo nomine ante annos ferè MCCC. uſos eſſe ſcriptores ſuprà docuimus. Sed poſtea fluviolus pro *Saletione Saluſia* dictus eſt: ſicuti caſtrum ipſum pro *Saletione Saluſſam* aut *Saloſſam* rerum noſtrarum ſcriptores appellavere, Eginhardus etiam *Saluſiam*, Odilo *Salſam*. Certè in Chronico Monaſterii Laureshamenſis hæc legi. *Ego VVilliſuvinda Deo ſacrata, & filius meus Cancor Comes, donamus ad Eccleſiam S. Petri in loco Laureſham villam noſtram in pago Vuormatienſe, in loco qui dicitur Hagenheim ſuper fluvium Saluſiam. anno* XII. *regnante Domno noſtro Pippino Rege, ſub die* IV. *Id. Jul.*

Graviter in eo loco erravit Franciſcus Bellaforeſtius Convena, qui nominum ſimilitudine deceptus *Saluſiam* noſtram, quæ pro *Seltz* habenda erat, pro Salutiis habuit, oppido regionis Subalpinæ, quam Pedem Montis vocant, ac *Saluces* vertit: ſcribens Carolum iratum fuiſſe fratri, propter negata ſibi contra Hunoldum auxilia; ſed *apud Salutias* (*à Saluces*) Bertæ Reg. amborum matris cum Karlomanno colloquio totam ſopitam eſſe diſcordiam. Si *caſtrum Saluſia* vel *Saluſſa* idem fuiſſet quod Salutiæ, (*Saluces*) Bertæ Reginæ ex eo caſtro per Baioariam vel Noricum petenda non fuit Italia: cùm Salutiæ, *Saluces* aut *Saluzze* vulgò dictæ, trans Alpes ſive in Pede Montium regione Italiæ ſint, & tum Deſiderio Langobardorum Regi parerent.

Solocenſe in Regno Lotharii inter Odornenſe & Baſiniacum, quod pro *Soliem* ſeu Sidoloco Æduorum malè accepit Miræus, forſitan eſt *Saloſſenſe*, ita dictum à caſtro *Saloſſa* vel *Saletione*: *Saloſſenſe* inquam territorium, ſive *pagus Saloſſenſis*.

SALIA FLU.

Salia fluvius Belgicæ primæ, oritur ex lacu Lindrenſi: alluit Decem Pagos, *Dieuſe*, Germanicè *Duoſe in Lotringen*; Marſalium à ſale nomen habens, aliàs *Marcellum*; Medianum-Vicum ſeu Medium-Vicum, *Moyen-Vic*, Vicum *Vy* vel *Vic*, non procul ab ipſius & amniculi cui Caſtrum Salinenſe *Chaſteau Salin* aſſidet confluentibus; Nomeniacum *Nomeny*; Portum ad Saliam, *Port ſur Seille*; Buxerias *Bouxieres*, Magniacum *Maigny*: & apud Divodurum Mediomatricorum in Moſellam effluit. Currit millia XX. Abeſt enim Divodurum à Decem Pagis millia paſſuum circiter viginti: Decem Pagi autem à lacu Lindrenſi ſeu à fonte & capite Saliæ vix octingentis paſſibus diſtant. *Saliæ* ante annos MXXC. præter ceteros meminit Fortunatus in libro III. Carminum

Hinc dextra de parte fluit qui Salia fertur.

Et in libro VII.

Seu qui Mettin adit de ſale nomen habens.

Fortunatus igitur, cùm *Salia* nomen à ſale deducat, nihilominùs tamen primam ejus ſyllabam producit. Sed fortè in *Salia* litteram l. mediam geminavit, & *Sallia* in ejus ſuperiore verſu legi ſcribique debet, non *Salia*. Quamquam de iſtius Poetæ verſibus ac proſodia laborare admodum opus non eſt: cùm ipſe de ſyllabis, longæ an breves eſſent, parum laboraverit. Ejuſdem nominis fluvius eſt in Hiſpaniæ regione Aſturia, *Salia* à Pomponio Mella nuncupatus, vulgò *Rio de Sella*.

Pars pagi Mettenſis inter fluvios *Saliam* & Nitam Gallicum ſeu Romanum poſita, *Salinenſis* ager vocatur, *le Saunoy*, à ſalinis quibus abundat circa Marſalium præcipuè, & Vicum, ac Caſtellum Salinenſe, aliiſque in locis.

Salia vulgò *Seille* dicitur, ut Maſſilia vel Maſſilia *Marſeille*. Eſt & *Sāla* fluvius à ſale cognominatus, qui in Albim decurrit, & Toringos à Sorabis gente Sclavina dividit, vulgò *die Sale* dictus. Alter eſt etiam *Sala*, à Strabone memoratus, qui in Mœnum delabitur, *Salz* Germanis nuncupatus. Sed ambo ad nos nihil pertinent, qui Galliam deſcribimus, non Germaniam.

Johannes Gorziæ Abbas, in libro de Tranſlationibus & Miraculis S. Glodeſindis Virginis, alterū è Mettenſibus fluviis *Salliam* vocat geminatâ litterâ l. *Fluvium civitati* (Mettis) *à parte orientali contiguum qui Sallia dicitur, cauſâ aliquâ perurgente trajicere geſtiebat* Vita B. Clementis Mettenſium I. Epiſcopi *fluvium Salia* juxta Amphitheatrum urbis *decurrere* ait. Nimirum Divoduri Amphitheatrum extra muros erat.

SALICOSA.

Salicoſa à ſalicibus quibus ager ejus abundabat, nomen accepit. Locus eſt in Veliocaſſibus Diœceſique Rotomagenſi non longè à Vernone, v. *Saucenſe* dictus, Cellâ ſeu Prioratu Canonicorum ex præſcripto S. Auguſtini viventium clarus.

SALINÆ SEQUANORUM.

Erricus Monachus de Miraculis S. Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi *Salinas* commemorat,

morat. *Salinenſes* in libro x. Philippidos egregiè deſcribuntur à Brittone hiſce verſibus

> Atque Salinenſes anguſta in valle ſedentes,
> Deſæcata quibus flammarum ardore miniſtrat
> Lympha ſalem, puteis (mirabile) tracta duobus:
> Unde Biſuntina ſua condit edulia vallis.

Salinæ à ſale iſto nomen habent, vulgò *Salins* dictæ. In eadem regione eſt & *Ledo Salinarius*, *Lion le Saunier*, à ſalinis cognominatus: minùs ut mirum ſit Sequanos ſeu *Burgundiones ſalſos* dici, *Bourguignons ſalez*. Otto Comes cognomine VVillelmus *dedit S. Benigno in Salinis burgo ſedem unius caldariæ*: ut legimus in Chronico Divionenſis Monaſterii S. Benigni. *Caldaria* autem illa in *burgo Salinis* Monachis Benignianis attribuebatur, ut in ea igni impoſita, quoties & quantum vellent, ex aquis *Salinarum* ſalſis conficerent ſalem. Ibidem *Hugo Chryſopolitanus Archiepiſcopus dedit S. Benigno Eccleſiam ſitam in burgo Salinis dicto, ſacratam in honore SS. Symphoriani & Agathæ Mart. quam ipſius genitores à fundamentis exſtruxerant.* Item *ſuper Lupam fluvium locus Petregius eſſe juxta burgum Salinas vocatum* dicitur: ubi commanentes homines liberi ſe & ſua commiſerint patrocinio S. Benigni. Ex quibus intelligitur *Salinas* pro burgo habitas atque ita nuncupari ſolitas eſſe. In Appendice Chronici Guillelmi Nangiacenſis *villa & Puteus Salinarum* memoratur, ut ſuprà à Brittone *duo putei*.

Veſontionenſis Eccleſia IV. Archidiaconatus habet, *Salinenſem*, Gradicenſem, (*de Grey*) Trevenſem à Treva opido dictum, & Luxovienſem: Monaſteria quibus ſingulis ſuus eſt Abbas, XXVI. & Parœcias DCCXXC.

Sunt & aliæ *Salinæ* in Lotharingia, prope Senonias Monaſterium, vulgò *Salma* dictæ, Comitivæ titulo illuſtres. *Rogavit nobilem virum Henricum de Salinis Bernardus*, (Abbas Claravallenſis) *ut Mettenſi civitati & populo pacem daret, cui graviter inimicabatur*: quemadmodum in ejus Vita reperio. Huncce Henricum à Richerio in Chronico MS. Senonienſi *Comitem Henricum de Salinis* nuncupari reperio: pro quo à tranſſcriptore primùm, deinde & ab editore Chronici anno MDCLIX. ubique ſubſtitutum eſt *Salmis*.

Ibidem *caſtrum Salinarum* vel *Salinenſe* ad Saliam flumen à re nomen habet, videlicet à ſalinis ſuis, & vulgò *Chaſtran Salin* dicitur.

SALMUNTIACUM.

Salmuntiacum villa erat olim publica proxima Lauduno, regnantibus Caroli Magni poſteris notiſſima noſtris ſcriptoribus: vulgò *Samonci* aut *Samoucy*. *Salmonciacus* in Capitulis Caroli Calvi apud Cariſiacum anno DCCCLXXVII. ſtatutis appellatur: in veteribus Annalibus rerum Francicarum nunc *Salmonecum*, nunc *Salmonciagus villa*, modò *Salmonciacus*, Carolomanni Regis obitu inſignis anno DCCLXXI.

SALMURUS ANDICAVORUM.

Locus eſt non admodum vetus, & ut ex tabulis ac priſcis monumētis conjicere licet, vix ante annos DC. conditus in finibus Andicavorum ad flumen Ligerim: qui aliis *Salmurus*, aliis *Salmurum caſtrum* nuncupatur; modò *Salmurium*; modo etiam ſed rariùs & corruptè *Pſalmurum*; vulgò *Saumur*. Vidi qui *Salmurum* à ſale & muria deduceret. Sanè & muriam Noſtri *ſaumure*, id eſt ſalis muriam vel ſalſam muriam appellitant. Sed quid caſtro *Salmuro* cum ſale? quid cum *muria*? cùm nec ibi ſal effodiatur aut fiat, nec muria conficiatur. Ego *Salmurum* dictum exiſtimo quaſi *Salvum murum*, quòd munitionibus ſuis *ſalvos*, id eſt tutos à vi & inſidiis incolas reddat, eoſque ab hoſtium ſubitis incurſionibus ac improviſa oppugnatione defendat. Cui ſententiæ videtur accedere VVillelmus Britto in libro x. Philippidos hocce de *Salmuro* verſu

> Quique ſuos poſuit muros prope flumina Salmur.

Salmurenſes muri prope flumina ſtatuti ſunt, videlicet ut eſſent ab hoſtibus tutiores. Certè *Salmurum* caſtrum poſitum eſt prope duo flumina, vel potiùs inter duos fluvios Toëdum & Ligerim jamjam coituros. *Salmurus* igitur quaſi *Salvus murus*: & *Saumur* quaſi *Sauſmur* dictus. Sic in Benearnenſi regione aliiſque in locis *Salva Terra*; ſic *Salvitas* in Comitatu Gaurenſi non procul ab Auſcis, *la Sauvetat de Gaure*; *Salvitas* in Diœceſi Tomerienſi *la Salvetat*; in Cadurcis *la Salvetat*; in pago Toloſano *la Salbetat*; & multæ aliæ in Gothia & Aquitania interiore *Salvitates* ab eadem cauſſa nomen invenerunt, quod nimirum loca eſſent munita arte & natura, & *ſalvos* hoc eſt tutos ab hoſtibus reddere habitatores ſuos poſſent: qualia loca Celtæ noſtri *Firmitates* (*Fertez*) nuncupare maluerunt.

In libri MS. de Vita S. Florentii Abbatis capite VIII. *Murus* dici mihi videtur. *Florentius venit ad locum, qui vulgò vocatur Murus, ſuper fluvium Ligeris ſitum. Iter autem agens, venit ad flumen Vigennam, ad locum qui dicitur Condata. Florentius* porro iſte, quem alii *Florentinum* appellant, Monaſterium ſuum habebat in loco *Glomma*, qui & *Glomna* & *Glonna* dicitur. Glomma autem poſita erat ad Ligerim in Pictonum pago Madalgico, aliis *S. Florentini Monaſterium vetus*, aliis *S. Florentii* dicta, vulgò *S. Florent* hodieque inter Caſtrum Celſum & Calonnam. Ex Glommenſi Monaſterio in civitatem Turonos tendebat Florentius Florentinuſve: quo in itinere *Salmurus* primùm, deinde flumen *Vingenna*, & Condate ad Vingennam morte Martini nobile, *Cande* vulgò dictum, ei occurrere debebant. Quare non dubito, quin *Salmurus* ibi *Muri* appellatione deſignetur, ut *Condata* Condate.

In Eccleſia Andicavenſi fuere olim tres Archidiaconi, nimirum *Archidiaconus Andicavenſis*, *Archid. Transligerenſis*, *Archidiac. Transmeduanenſis*: primus in urbe Andicavis

& circumcirca, alter trans Ligerim, tertius trans Meduanam flu. conſtituti: *Archipreſbyteri v. Andegavenſis, Burgolienſis, de Fixa* vel *Fixenſis*, (*la Fleche*) *de Ludio* vel *Ludienſis*, (*le Lude*) & *Salmurienſis*: *Decani v.* nimirum *de Camilliaco* vel *Camilliacenſis*, (*Chemillé*) *de Maugia* vel Maugienſis, (*les Mauges*) *de Inter Sertam & Meduanam*, *de Credonio* vel Credonienſis, (*Craon*) & *de Candeio* ſeu Candeienſis. (*Cande* ad Erdram fluvium) Et *Archidiaconus* quidem *Andegavenſis in civitate Andegavis*, & *apud Baugeium* (*Baugé*) cauſas & placita audiebat & tenebat; *Archidiaconus Tranſligerenſis* in civitate Andegavenſi, apud *Salmurium*, & apud *Brechesſac*; (*Briſſac*) *Archidiaconus Tranſmeduanenſis* in civitate Andegavenſi, apud *Caſtrum Gunthery*, (*Chaſteau Gontier*) & apud *Leon.* (*Leonium* aliàs dictum, *Lion d'Angers*) *Archipreſbyter Andegavenſis Andegavis*, & non alibi cauſſas audiebat, & placita tenebat; *Archipreſbyter Burgolienſis apud Burgolium* (*Bourgueil*) & apud *Longum Vadum*; *Archipreſbyter de Fixa* apud *Fixam*, & apud *Durum Stallum*; (*Dureſtail*) *Archipreſbyter Salmurienſis* in II. tantùm locis, ſcilicet apud *Salmurium*, & apud *Doadum*, (*Doüé*) vel apud *Genas*, (*Genes* ad Ligerim) alterum locum ex ambobus intra VIII dies eligere juſſus. *Decanus de Camilliaco* trans Ligerim apud *Camilliacum* & apud *Toarceium* (*Touarcé*) cauſas & placita audiebat tenebatque; *Decanus de Maugia* apud *S. Crucem de Rupe Forti*, (*Rochefort* ad Ligerim) & apud *Montem Rebelli*; (*Mont Reveau*) *Decanus de Inter Sertam & Meduanam* apud *Caſtrum Novum*, (*Chaſteau Neuf* ad Sartam flu.) & apud *Champigné*; (Campiniacum) *Decanus de Credonio* apud *Credonium* & apud *Segreium*. (*Segré* ad Oldonem flu. *Oudon*) ut docent Nicolaus Gelantius Epiſcopus Andegavenſis in Synodo quam habuit anno Domini MCCLXXXXII. & Guillelmus Major in Synodo habita anno MCCXCVIII. Quæ omnia retuli, ut & ordo Eccleſiæ Andegavenſis, & præcipua ejus Gentis loca ac opida cognoſcerentur.

SALODURUM.

Caſtrum eſt antiquiſſimum *Salodurum* vel *Saloturum*, in provincia Maxima Sequanorum ad ripas Arolæ fluminis poſitum inter Petineſcam & Auguſtam Rauracûm. In Itinerario Æthici & in tabula Peutingeriana memoratur, & heic *Salodurum*, illic *Saloturum* dicitur: Noſtris *Soleurre*, incolis *Solothurn*. Fredegarius in libri V. & ultimi Chronici capite XXII. *Salodorum* vocat, & ibi Victorem ac Urſum pro Chriſto cæſos eſſe ſcribit: quem noſtri Martyrologi ſequuntur. Diviſio Regni Lotharii *S. Urſi in Salodoro* meminit. Notkerus Balbulus qui anno DCCCCXII. obiiſſe dicitur, Monaſterii S. Galli Monachus, in Martyrologio ejuſdem caſtri meminit his verbis. *Kal. Septembris Natalis S. virginis Verenæ.* (id eſt Verinæ) *Thebaa genere: qua juxta Ararim fluvium non longè à caſtro Solodoro habitavit in ſpecu artiſſimo. Signa plurima Domino per famulam ſuam operante, Alamanni ad fidem Chriſti commoveri cœperunt. Sepulta eſt in loco qui Zurzacha vocatur* Ex quibus cognoſcitur, tum & *Arolam* fluvium à nonnullis *Ararim* dictum eſſe, & non pagum Tigurinum modò ſed etiam Salodurum Alamannis Gallicanis ſeu Ciſrhenanis fuiſſe attributū: quod Gervaſius Tilleberienſis *Solodorum caſtrum ſuper Arulam fluvium non longe à Rheno* nuncupat. Certè Arolam, ante annos ferè mille Fredegario memoratum, VValafridus Strabus, Abbas Augienſis, Ludovici Pii Imper. æqualis, & Notkero vetuſtior, *Araris* etiam nomine deſignavit abhinc annos circiter DCCCXL. in Vita Sancti Galli Abbatis: cujus hæc ſunt verba in Præfatione ad Gotzpertum Monaſterii Sancti Galli Abbatem. *Igitur quia miſti Alamannis Suevi partem Germaniæ ultra Danubium, partem Rætiæ inter Alpes & Hiſtrum, partemque Galliæ circa Ararim obſederunt; ab incolis nomen patriæ derivemus, & Alemanniam vel Sueviam nominemus.* Hic *Arar* eſt Arola, & ea *pars Galliæ circa Ararim*, eſt Helvetiæ portio, nimirum pagus Tigurinus, & Salodurum, aliaque Helvetiæ loca: quæ pars Galliæ ad *Arolam* ab incolis novis dicta eſt *Alamannia*. Eginhardus Aragoviam ſeu pagum Arolenſem in Helvetia unà cum pago Tigurino *Alamanniæ* accenſet: cujus hæc ſunt verba in libro III. de Tranſlatione & Miraculis SS. Martt. Marcellini & Petri. *Hic ſenex hoc modo ſanatus, de pago Helvetiorum, qui nunc Aragaouin vocatur, ſe veniſſe, & natione Alamannum eſſe teſtatus eſt.* Ubi lego *Aragaouvi*, vel *Aragaouve*; ut ibidem *Nitahgaouve pagus* memoratur ad Nitam flumen. *Aragovia*, ab Hepidanno in Vita VViboradæ *pagus Erigouve* vocatur, *quem Araris* (id eſt *Arola*) *ex uno latere præterfluit; ex altero Rhenus*. Vulgò *Aergovv* nunc appellatur.

Salodori Chriſtianiſſimi Regis ad Helvetios Legatus commorari ac veluti ſedem ſuam habere conſuevit.

SALONENSIS PAGUS.

Fulradi Abbatis Monaſterii S. Dionyſii, & Regis Pippini Archicapellani teſtamentum edidit Mabilio, vir pius & eruditus, in quo mentio *pagi Salonenſis* fit hiſce verbis. *Quantumcumque in Aliſacius & Mordinavia & Briſegavia mihi traditum fuit & datum per inſtrumenta chartarum, ſimiliter in Saloninſe, & Scarponinſe, & Calmontinſe, & Bleſinſe, & Roſalinſe, quidquid in ipſis pagis viſus ſum habere, totum & ad integrum ad partes S. Dionyſii delegavi, ſimiliter Salonam, ubi ædificavi Eccleſiam in honore S. Mariæ, ubi requieſcunt S. Privatus Martyr, & S. Hilarius Confeſſor.* Hic *pagus Salonenſis*, eſt haud dubiè *le Saunoy*, pagus exiguus inter *Salvam* & Nitam fluvios jacens, & ad Diœceſin Mettenſem pertinens: quem alii *Salinenſem*, alii *Salnenſem pagum* vocant. Nec dubitare quiſquam debet, quin pagus iſte, ſive à *Salia* fluvio, ſive à *Salona* municipio, ſive à *ſalinis* cognominatus ſit, & ſeu *Salonenſis*, ſeu *Salinenſis* appelletur, nomen *ſali* acceptum referat. *Salona* autem Fulradi, fortitan eſt vicus

nunc *Selone* dictus vulgò, non longè à fluvio *Salia* inter Vicum *Vic*, atque caſtrum Salinenſe, *Chaſteau Salin*

SALSUSÆ FONS ET CASTELLUM.

Mella in Gallia Narbonenſi prope Leucatam litus ponit *Salſuſas fontem, non dulcibus ſed ſalſioribus quàm marina ſint aquis defluentem, & juxtà campum ſtagno ſubeunte aut ſuffuſo mari ſuſpenſum.* Hunc fontem Romani, Provinciæ Narbonenſis potentes, à ſalſis aquis ſuis *Salſuſas* aut *Salſulas*; recentiores truncato nomine *Salſas* appellavere: & caſtrum proximum eiſdem nominibus donavere, quod incolæ *Salſes* nuncupant, aliàs *Sauſſes*, inter Leucatam & Perpiniacum ad maritimum ſtagnum poſitum. Æthicus in itinere à Mediolano in Hiſpanias ad Legionem Septimamgeminam, *Salſulas* caſtrum vocat. *Narbone* M. P. XVI. *Salſulis* XXX. *Ad Stabulum* XLVIII. *Ad Pyrenæum* XVI. *Salſula* autem deminutivum à ſalſæ, ut à parvus parvulus, à frigidus frigidulus, à pallidus pallidulus, à rufus rufulus. Quare *Salſulas* locum & fontem potiuſquàm (ut Mella fecit) *Salſuſas* appellari oportere non dubito. Quoties autem *Salſulas* dicis, *aquas* ſubaudiri neceſſe eſt. Tabulæ nuptiales Mariæ filiæ Guillermi domini Montiſpeſſulani, Petro Regi Aragonenſium & Comiti Barcinonenſium nubentis anno MCCIV. Comitatum Ruſcinonenſem à fonte & loco *Salſis* uſque ad Cluſam promitti docent. *Totum Comitatum de Roſſillon, de fonte de Salſis uſq; ad Cluſam.* Litteræ Sclarmundæ, *filiæ domini Rogerij quondam Dei gratiâ Comitis Fuxenſis & Vicecomitis Caſtriboni (Caſtelbon)* anno MCCLXXV. datæ *caſtrum & villam de Salſis* appellant. Stagnum *Salſuſas* inter & Leucatam jacens, Hiſpani *ſtagnum Salſuſarum* vocant; Franci *ſtagnum Leucatæ, l'eſtang de Locate*: quod ſtagno alii proximum eſt, à vico Palma *ſtagno Palmæ* dicto.

Ceterùm Mella quidem irridet Græcos Romanoſque etiam auctores, qui è campo juxta *Salſulas* ſtagno ſubeunte ſuſpenſo piſcem penitus erui, & per foramina ictu captantium interfectum extrahi; poſteris prodiderunt. Inter Græcos tamen auctores qui ita ſcripſerunt, fuit Ariſtoteles, qui circa Liguriam in Maſſilienſi agro ſtagnum iſtud collocat: ſtagnum Maſtromelam prope Maritimam Avaticorum in Liguria Tranſalpina vel Gallica non procul ab urbe Maſſilia, & ſtagnum *Salſulas* inter Leucatamque poſitum in unum confundens. Fuit inter Graios iſtos auctores & Polybius apud Athenæum, qui Campum Lapideum, gramine herba ſeu dente canino abundantem, cum *campo Salſulenſi* unde piſces effodiuntur, relatione ſua videtur confudiſſe.

SALVA TERRA.

Eſt caſtellum, *Salva Terra* nomine, ad Garumnam flu. non procul à Manſo Aginnenſium, *(le Mas d'Agennois)* vulgò *Sauveterre* dictum: item vicus *Salva Terra* in Rutenis, *Salveterre.* Eſt & in Benearnenſi pago Principatuque *Salva Terra* caſtrum aut etiam opidum, vulgò Noſtris *Sauveterre*, incolis *Salvaterre*, aut *Salvatierre* dictum, inter Navarrentium *Navarrins*, & Baſtitam *la Baſtide.* Ejus bis meminit Guillelmus de Nangiaco in Geſtis Philippi eo nomine III. Francorum Regis, cognomine Audacis, ac *Salvam-Terram in Vaſconia* ſemel atque iterum appellat his verbis. *Anno* MCCLXXV. *Philippus Rex Franciæ, cum potenti exercitu exſiſtens apud Salvam Terram in Gaſconia, moliebatur hoſtiliter in Hiſpanias introire.* Dicta eſt autem *Salva Terra*, quòd eſſet caſtrum munitum, validum, & ab hoſtium incurſionibus ac ſubiti belli periculis tutum, nec ſuis modò muris incluſos, ſed agri etiam circumjacentis incolas ſalvos & qualibet clade præſtans immunes: ſicuti & Vaſcones ac Gothi quemlibet locum, cujus munimentis ab externa vi defendi & ſervari poterant, quoniam ibi ſalvi erant, *Salvitatem* nuncupavere, *la Sauvetat*; Noſtri cis Ligerim *Firmitatem*, *la Ferté.*

SAMBRA FLU.

In Notitia Imperii Rom. ſub V. S. Duce Belgicæ ſecundæ *Præfectus claſſis Sambricæ in loco Quartenſi* reperitur. *Claſſis Sambrica* heic videtur dicta à *Sambra* flumine; ut *claſſis Ararica* ibidem ab Arare. *Sambra* autem fluvius, aut eſt *Sabis* vel *Saba*, *la Sambre*, *Sambra fluvius* dictus Aigrado in Vita S. Anſberti Rotomag. Epiſcopi: aut potiùs *Samara* vel *Sumina*, *la Somme*, in Oceanum effluens, qui & *Sambra* nuncupatus ſit. Nam in Notitia ſermo ibi eſt de ora Belgicæ II. deque locis maritimis. Crederet fortè aliquis *Sambricam* nomen eſſe non fluminis, ſed loci in quo claſſis ſtabat, nimirum *Sambre*, qui eſt locus ad mare non procul à Montibus S. Angilberti, inter VVitſantum & Sangatam. Sed eam interpretationem verba Notitiæ ferre non poſſunt aut capere, in quibus nullus eſſet ſenſus. Duo enim loca ſtationis navium aut claſſis pro uno deſignarentur, *Sambrica*, & *locus Quartenſis*: quod eſt abſurdum. In codicibus ſcriptum reperitur. *Præfectus claſſis Lambricæ in loco Quaterni.* Sed *Lambricam* & *locum Quaterni* ignorare me fateor: niſi fortè *Lambrica* ſit Brica, (*Bricque*) locus ad mare inter Alteiam & Quantiam fluvios, ſed Quantiæ multo propior quàm Alteiæ.

SAMNITÆ VEL AMNITÆ.

Eam Gentem commemorat Strabo. In Oceano (inquit) aiunt eſſe inſulam parvam, non ex toto maritimam aut in alto ſitam, objectam oſtio Ligeris, quæ à *Samnitum* Σαμνιτῶν feminis incolatur, nullos niſi extra inſulam coitûs gratiâ admittentibus viros. Ptolemæus ſub Venetis eos ponit, & flumini Ligeri proximos facit: ὑφ' οὓς Σαμνῖται πλησιάζοντες τῷ Λίγηρι ποταμῷ. Dionyſius Periegetes *Amnitas* velut ab *amne* Ligeri vocat, aitque non (ut Strabo) unam eſſe inſulam, ſed *neſides* ſeu parvas inſulas plures eſſe, in quibus uxores

rum, uxores *Ἀμνιτῶν* noctu rite Baccho ſacrificent. Dionyſii verſus v. ſic Priſcianus in Latinam linguam tranſtulit

> Nec ſpatio diſtant Neſidum litora longè,
> In quibus uxores Amnitum Bacchica ſacra
> Concelebrant, ederæ foliis tectæque corymbis.

Marcianus in Periplo tradit *Samnitas* iſtos accolere Ligerim, flumen maximum latiſſimúmque, & ubi latiſſimè fluit, CLXXXV. ſtadia hoc eſt XXIII. circiter millia paſſuum patens. Marciani verba ſunt. Παροικοῦσι τῷ ποταμῷ Λίγηρι μεγίστῳ τυγχάνοντι, καὶ ὄντι μεγέθους σταδ. ρπέ Σαμνῖται τὸ ἔθνος. Ubi ſine dubitatione emendandum eſt Σαμνῖται. Cùm igitur *Samnitæ* iſti vel *Amnitæ* ſint Venetis proximi, colantque circa oſtium Ligeris: mihi videntur nuſquam commodiùs & ſupradicto ſitui convenientiùs poni poſſe ac debere quàm Namnetes inter & Venetos, circa vicum S. Nazarii, Crociacum *le Croiſic*, & Garandam vel Grannonam *Guerande*. Nec ab oſtiis Ligeris & à continente multum abeſt inſula Dunetana, *(le Dunet)* vico uno inſeſſa, & modicæ magnitudinis, quam *Samnitarum* vel uxores vel feminæ olim incoluerint.

SANCIACUM.

Sanciacum vel *Sanctiacum* patria fuit Audoëni cognomine Dadonis, Dagoberti Franc. Regis primùm Referendarii, deinde Rotomagenſium Epiſcopi. Ex ejus enim Vita diſcimus, natum eum eſſe *in vico Sanciaco* ad quintum lapidem ab Auguſta Sueſſionum: qui vicus hodieque *Sanci* vocatur, n. in u. mutato, ut ſæpe aliàs. Nomen eſt viri proprium ac Latinum, apud Hiſpanos olim uſitatiſſimum *Sanctius*, quod corruptè *Sancius* effertur; Hiſpanicâ linguâ nunc *Sanche* & *Sanchez*. Ejus nominis aliquis apud Belgas, vel poſſeſſor loci vel etiam conditor *Sanctiacum* à ſe dixit in pago Sueſſionico, quod poſtea ſublatâ t. litterâ *Sanciacum* eſt appellatum. Evolui Chartarium MS. Monaſterii Sueſſionenſis S. Criſpini in Cavea, & in eo litteras Lucii Papæ III. datas anno MCXXCI. in quibus inter bona fundoſque Monaſterii enumerat *culturam de Sancei villâ S. Audoëni, ſalvo terragio & decimâ ejuſdem Eccleſiæ.* Ibidem litteræ Samſonis tales ſunt. *Ego Samſon Abbas S. Audoëni Rotomagenſis, & Conventus ejuſdem loci tradidimus & conceſſimus Theobaldo Abbati & Conventui Eccleſiæ S. Criſpini in Cavea Sueſſionenſis illas terras de Sanceeio, ſuper quibus controverſia inter nos & ipſos verſabatur, videlicet culturam S. Audoëni, quæ contigua eſt terris Vallisframs,* (Valrain) *& pecias terræ tenendas de nobis & ſucceſſoribus noſtris.* Ex his intelligitur, *Sanciacum*, quod *Sançeeium* & *Sanceium* ibi dicitur, ubi natus eſt Audoënus, patrimonium ejus ac herediolum fuiſſe: quod ipſe Rotomagenſi Eccleſiæ S. Petri, poſtea S. Audoëni dictæ donaverit. Unde Sanciacum vel *Sancei villa S. Audoëni* ſuprà nuncupatur: & *cultura S. Audoëni* in poſterioribus litteris vocatur, quæ in ſuperioribus *cultura de Sancei*, id eſt *cultura Sanceienſis* aut *Sanciacenſis*.

SANCTI GAUDENTII CASTRUM, ET DE LOCIS QUÆ A SANCTIS COGNOMINANTUR.

Multa loca in Galliis depoſitâ veteri appellatione nomina Sanctorum Patronorum ſuorum accepere. Ita factum eſt, ut cùm priſca appellatio in uſu eſſe deſiiſſet, & novis vocabulis locum dediſſet, antiquum plurimorum locorum nomen ignorarent poſteri, & nos etiamnum (quod & Maſſonus obſervat) ignoremus. Petrus Monachus in Hiſtoria Albigenſi *Caſtrum S. Gaudentii in Vaſconia* memorat ante annos ferè CCCCLX. cujus in capite LXIV. verba ſunt. *Monuerunt Comitem, ut maximam reciperet Vaſconiæ partem. Properans igitur Comes, perrexit ad caſtrum, quod dicebatur S. Gaudentius, & fuerat Comitis Convenarum.* Vulgò dicitur *S. Gaudens*, opidum Comitatûs olim Convenarum, poſtea dominii Benearnenſis, non procul ab opido S. Gerontii, *S. Girons*, & ab opido S. Licerii, *S. Lezé*, aliàs *S. Leger.*

Eſt & *caſtrum S. Macarii*, incerto auctori in Geſtis Ludovici VIII. Francorum Regis memoratum, *caſtrum quod S. Macarium dicunt.* Hoc caſtrum ad Garumnam poſitum eſt è regione Alingonis, (*Lengon*) ac Noſtris *S. Macaire*, Vaſconibus *S. Macari* nuncupatur. Blavia, Burgus, Liburnia, (*Liborne*) Caſtellio, *Caſtillon* ad Duranium in Petrocoriis, Catiliacum *Cadillac*, caſtella S. Æmiliani (*S. Emilien*, aliàs *S. Melion*,) & *S. Macarii*, dominantibus in Aquitania Anglis, dicebantur *filia civitatis Burdigala*: cujus Major & Jurati, urgente bello, quoſdam è ſuis his opidis & caſtellis præficere ſolebant.

Petrus de bello Albigenſi capite LXII. *caſtrum quod dicitur S. Marcellus* memorat, & caſtris Galliaco (*Gaillac*) ac Gueſpiæ (*la Guepie*) proximum facit: quod vulgò appellatur *S. Marſan*, nec *caſtrum S. Marcelli*, ſed *caſtrum S. Martialis* à primo ac nobiliſſimo Lemovicum Epiſcopo vocandum fuit. S. Martialem Aquitani & Septimani nunc *S. Marſan*, nunc & *S. Marcel* vocitant.

Nota *villa S. Ægidii* ad Rhodanum, *S. Gilles*, Monaſterio veteri inſignis, quod *Monaſterium S. Ægidii in valle Flaviana*, vocat Ludovicus Aug. in ſtatuto de Monaſteriorum Regni ſui oneribus.

In inferiore Navarra eſt *opidum S. Pelagii*, *S. Palai.*

Caſto de S. Nectario in Chartario Brivatenſi memoratur. Hic locus à Marione vocatur *Senectere* à *S. Nectario*. *Senneterre* Noſtri mendosè efferunt ac ſcribunt; at Arverni apud quos eſt, *S. Nectoire* vocant pro *S. Nectaire.*

Caſtrum S. Pardulfi in Arvernis, *S. Pardoul.* & *S. Perdoux*: cujus nominis multa ſunt in Aquitania loca.

Caſtrum S. Sidonii in Caletis *S. Saëns*, non ignobile olim exſtitit. Haud obſcurus & *vicus S. Liberatæ*, *S. Livrade* non longè ab Agin-

no. *Vicus S. Deſiderij*, *Saint Geri* prope urbem Cadurcos, à Deſiderio Cadurcorum Epiſcopo quem *S. Geri* vocitant, cognominatur. *Vicus S. Carterij*, proximus civitati Petrocororum, *S. Chaſtier*, ad Ellam flumen, à Carterio Petrocoricenſi Epiſcopo nomen habet. *Vicus S. Caprafii*, *S. Grapazi*, & *vicus S. Fidis*, *S. Foy*, uterque ad flu. Duranium, alter à Capraſio Martyre, alter à Fide virgine & Martyre appellationem accepere.

Ire per ſingula Galliæ loca non poſſum, quæ Sanctorum & Sanctarum nominibus ante aliquot ſæcula appellari cœperunt: itave nova veteri appellatio prævaluerit, & jam priſca talium locorum nomina veluti pridem abolita ac inuſitata ignoremus.

SANGATA.

Lambertus Ardenſis Eccleſiæ Presbyter in libro de Comitibus Giſnenſibus, quem Principatu Philippi II. Francorum Regis ante annos plus minus CCCCLX. compoſuit, *Sangata* originem refert. *Locus inter VVitſandum portum & Calaiſiacum ferè medius eſt: ubi quia maris æſtus dunarum pridem penetravit & perforavit arenam, loco jamdicto Arena Foramen; vulgò autem Sangatam indigenæ nomen indiderunt: mariſcum quoque ita nominaverunt, & villam. In villa, quæ cauſâ jam dictâ Sangata dicitur, Balduinus Comes Giſnarum firmavit caſtellum & turrim, Bolonienſibus, VVitſanticis, & Calaiſiticis, ac omnibus Merkuritici territorij (Pays de Merq) populis grunnientibus.* Idem ibidem *Sangaticam turrim*, & *Sangaticam Firmitatem*, id eſt munitionem; & Sangatenſes *incolas Sangaticos* appellat. Ergo *ſan* vel *ſant* arenam, *gata* foramen olim apud Morinos ſignificavit. Quare & Lambertus *VVitſantum*, portum *Sangatæ* proximum, *ab albedine arenæ* dictum eſſe aſſerit, *VVit* album, *ſan* aut *ſant* ſabulum ſignificante. *Sangata* nomen etiamnum ſervat, ac *Sangate* dicitur, & poſita eſt ad mare inter VVitſantum & Calaſium.

SANITIUM VESDIANTIORUM.

Qui Plinio inter *populos Inalpinos Capillatos* in Italia vocantur *Vendiatij Cemenelij* incolæ; hi à Ptolemæo *Veſdiantij* nuncupantur, quorum urbes ſint in Maritimis Alpibus quas Italiæ attribuit, Cemeneleum & Sanitium: Οὐεδιαντίων Κεμενέλεον ϗ Σανίτιον. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ vocatur nunc *civitas Sanitienſium*, & *civitas Santienſium*, *id eſt Sanitio*, nomine incorrupto; nunc *civitas Sanicienſium*, *id eſt Saneſio* corruptè, litterâ t in c & in ſ. converſâ: atque inter provinciæ Alpium Maritimarum VIII. civitates v. obtinet locum. In Chronico Roberti quoque Alpium Maritimarum quinta eſt *civitas Saneſio*, quam *Senetenſem* ac *Senecenſem civitatem* Notitiæ recentiores vocant, & provinciæ Ebrodunenſis nunc pænultimam, nunc antepænultimam faciunt.

Concilio Agathenſi anno Domini DVI. *Marcellus Epiſcopus de Sanetio*; Concilio Aurelianenſi IV. *Simplicius Epiſcopus de Saneſio* interfuit atque ſubſcripſit; Concilio Matiſconenſi II. *Miſſus* ſeu Vicarius *Vigilij Epiſcopi à Senetio*.

Sanitium ſincera eſt loci appellatio: ex qua *Sanetium*, *Senetium*, *Sanicium*, *Saniſium*, & *Saneſium* corrupta vocabula defluxerunt. Vulgò nunc dicitur *Senez*: ab aliis *Senés* ſcribitur. Scaliger & quidam alii *Senas* appellant. Gaſſendus Vir doctiſſimus olim mihi narrabat, Cemenelium quod Epiſcopum ſuum quondam habuit, & *Sanitium* quod etiamnum habet, vicos nunc eſſe: & Sanitium etſi Epiſcopo ſuo gaudeat, tamen vicum potiùs qualis revera eſt, quàm civitatem appellari debere. Certè *Sanitienſis* Diœceſis inter exiguas Galliæ Diœceſes numeranda eſt: ſicuti Vintienſis, Glannatevenſis, Dinienſis quoque, quæ non plus XXVII. Eccleſias baptiſmales continet; Belicenſis, quæ XXC. circiter parœcias complectitur, & in annos ſingulos Epiſcopo ſuo vix quatuor millia librarum reddit.

SANTERIENSIS PAGUS ET DE LEHUNO.

In Chartulario B. Petri de *Lehuno*, qui eſt Prioratus Cluniacenſis Ordinis in Ambianenſi Diœceſi, cùm ibi reperiantur litteræ datæ anno MCXXIV. *Lehunum* & *Lehunenſem Eccleſiam* abſolutè memorantes, nonniſi in litteris recentioribus, poſt annum MCCC. datis, *pagi Santerienſis* fit mentio: & nunc *Lihons en Santers* nomine vulgari, nunc *Lehunum in Sanguine terſo*; aliàs *Lihons en Sancters* anno MCCCXVII. MCCCXXIX. & MCCCXXXIX. appellatur: quod Paſchalis II. in litteris datis anno MC. *S. Petrum de Leuntiis*, alibi *Leontium* vocat; Honorius PP. II. anno MCXXV. *Leunum*; Guibertus de Novigento *Lehunnum Monaſterium*. Iperius in Chronico Sithienſi *Sanam Terram*, & *Sanguinem Terſum* vocat: quorum alterum *Saineterre*, alterum *Sangters* ſonat. *In pago* (inquit) *Ambianenſi, in Sana Terra, quæ hodie dicitur Sanguis Terſus, vulgariter Sangters, in Reſerias manſum cum caſticiis* datum Monaſterio Sithiu circa annum DCCCXC. quo tum nomine hic pagus minimè cenſebatur: ſed Iperius ſuæ ætatis morem in eo deſignando appellandoque ſecutus eſt. *Santerienſis ſoli* ſeu pagi prior Chartulario Lehunenſi & Iperio meminit Britto in libro II. Philippidos ante annos CCCCL.

> Sic regio quàm lata patet Viromanica tota,
> Ambianenſis humus pariter, cum Santerienſis
> Ubertate ſoli, Regi ceſſere Philippo.

Monſtreletius *le Santois*, & *le pays de Santois* pagum hunc vocat, in quo Villare & Lehunum ponit, *Villiers le Carbonnel*, & *Lihons en Santhois*.

SANTONES ET MEDIOLANUM SANTONUM.

Cæſar in libro I. Commentariorum ſcribit, *Helvetiis fuiſſe in animo, per agrum Sequano-*

rum & Æduorum iter in Santonum fines facere: qui non longè à Toloſatium finibus abſunt. At abſunt (inquit Maſſonus) fines *Santonum* à Toloſatium finibus leugas xxx. ſeu millia paſſuum cxx. Hoc nemo mirari debet. *Non longè* enim apud Cæſarem idem ſignificat, quod *non ita longè*: licèt Petrocorii & Nitiobriges inter *Santones* & Toloſates ſint poſiti. Sic ibidem Cæſar *per pagum Æduorum in Santonum fines iter fieri* ait: cùm tamen fines Æduorum longè abſint à finibus *Santonum*, & inter utramque Gentem Bituriges ac Pictones, aut alio itinere Bituriges, Lemovices, ac Ecoliſmenſes intercedant. Idem *Santonum* fines *loca patentia maximéque frumentaria*, & in libro III *Pictones & Santones pacatas regiones*, hoc eſt Romanæ tum Reipublicę bona fide obedientes vocat. Ager autē *Santonum* frumento, vino, ac ſale hodieque maximè commendatur. Inter XIV. Gentes Aquitanis adjacentes eiſque contributas inter Garumnam & Ligerim numerantur à Strabone *Santoni* ad Oceanum cum Pictonibus, Σάντωνοι; Lucano quoque in libro I. *Santoni*.

Gaudetque amoto Santonus hoſte.

Sic Andes & Andi, Turones & Turoni promiſcuè à Cæſare dicuntur, Velocaſſes item & Beliocaſſi aut Veliocaſſi: ab aliis Carnutes & Carnuti, Ædui & Ædues; à Martiale *Lingonus* pro *Lingon*. Apud Plinium *Aquitanicæ ſunt Santones liberi* inter Pictones & Bituriges Vibiſcos; à Ptolemæo & Σάντωνες dicti, & à Stephano *Santones Gens Aquitaniæ*, Σάντωνες ἔθνος τῆς Ἀκυιτανίας; à Gregorio *Santonici*, vulgò *Saintongeois*. Supra *Mediolanum Santonum* in Carantonum effluit amniculus Sona, *Suine*, *Suigona* Latinè Maſſono dictus, *Suyne* Samſoni, *le Segne* in quibuſdam Galliæ tabulis: qui Arciacum *Archac* & Pontes *Pons* alluit, & *Santona* olim appellatus eſſe, ac Santonibus nomen dediſſe videri poteſt.

Pagus Santonicus à Fredegario in Chronici libro V. ac ultimo, & in Geſtis Dagoberti memoratus; *Santonicus* abſolutè dictus in Geſtis Regum Francorum, vocatur à Cæſare *Santonum fines*; à Dioſcoride in libri III. capite XXVIII. *Santonis regio*, Σάντωνις χώρα; ab Noſtris *Saintonge*. Verba Dioſcoridis ſunt. ἀψίνθιον γεννώμενον ἐν τῇ κτ̄ τὰς Ἄλπεις Γαλατίᾳ, ὃ ἐπιχωρίως Σαντόνιον καλεῖται ἀπὸ τῆς φυούσης αὐτὸ Σαντονίδι χώρα: ubi in libris editis mendosè legitur Σαρδονίδι χώρα. Sed *Santones* non ſunt *in Gallia ad Alpes*. Plurimum enim abſunt ab Alpibus; à Pyrenęis quoque non parum diſtant, ut & à Cebennis. Ne quis Pyrenæos aut Cebennas à Dioſcoride Alpium nomine deſignari potiuſquã Alpes ipſas arbitretur: cùm *Santones* nec Pyrenæum nec Cebennam, magis quàm Alpes attingant. *Santones* quales nunc ſunt, terminantur ab Occidente Oceano, à Septemtrione Pictonibus, ab Oriente Ecoliſmenſibus & Petrocoriis, à Meridie Garumnâ, qui Gironda heic dicitur.

Apſinthium autem *Santonicum* ſuprà à Dioſcoride memoratum illud eſt, quod Plinius *Santonicum abſinthium*; *herbam Santonicam* Columella in libro VI. *Santonicam virgam* Martialis in libri IX. epigrammate XCVI. Noſtri *Sindenique* appellitant, a in i, t in d, ac o in e ut non raro accidit commutatis: quam herbam frequentem naſci apud maritimos *Santones* affirmat Vinetus *Santon*.

Mare quo alluuntur *Santones*, *ſinum Aquitanicum* Plinius in libri IV. capite XIX. alii, in primis Tibullus in Elegia I. *Oceanum Santonicum* nuncupavere. Auſonius in epiſtola XIII. laudat oſtrea *Maſſilienſia*, *Santonico quæ tecta ſalo*, & *Aremorici ponti*, & *Pictonici litoris*.

Ab eadem Gente cucullus cognomen accepit: quem *Santonicum cucullum* Juvenalis; Martialis in libro XIV. *Santonicum Bardocucullum* vocat.

Apud *Santones*, uti ait Strabo, ſinus iſthmum facit, qui pertinet ad ſinum Gallicum in ora provinciæ Narbonenſis. Tarbelli, ut *Santones* hunc ſinum tenent.

Urbs princeps *Santonum* ad flumen Carantonum *Mediolanum* eſt dicta. Strabo & Ptolemæus *Mediolanium* nuncupant, Μεδιολάνιον: ex quibus Ptolemæus urbibus eam Aquitaniæ inſignibus accenſet. Stephanus *Mediolanum urbem Aquitaniæ* memorat, cujus incolæ *Mediolanij* vocentur: Μεδιολάνιον ἡ τῆς Ἀκυιτανίας; οἱ οἰκοῦντες Μεδιολάνιοι: quibus verbis *Mediolanum Santonum* haud dubiè deſignat. *Mediolanum Santonum* Æthicus in itinere à Burdigala Auguſtodunum memorat ſic. *Blavuto* M. P. XIX. *Tamnum* XVI. *Novioregum* XII *Mediolanum Santonum* XV. *Aunedonacum* M P. XVI. quæ loca in tabula Theodoſiana collocantur hoc ordine. *Sinus Aquitanicus*, *Burdegala*, *Blavia*, *Tamnum*, *Mediolano Santonum*, *Avedonaco*. Ex quibus Blavia vel Blavutum eſt *Blaye*; Tamnum *Talmon*; Novioregum *Royan*; *Mediolanum Santonum Saintes*; Aunedonacum vel Avedonacum *Aunay*. *Mediolanum Santonum* pro metropoli habuit, habetque etiamnum Burdigalam, centum olim & IV. nunc cccc. & L. jugera ſoli minimùm occupantem, & Amphitheatro ſuo quod Palatium Gallieni vocant, extra muros, ac Tutelâ vel Palatio Tutelæ nunc intramurano hodieque gloriantem. Pictavos pro ſorore habet, urbem veterem, & Amphitheatri ſui olim extramurani, nunc intramurani, & aquæductus inſignibus reliquiis nobilem.

Hæc urbs more multarum Galliæ urbium Gentis cujus caput erat, etiam appellatione deſignata eſt, & *Santoni* dicta. Tacitus in libro VI. Hiſtor. *Julium Africanum è Santonis Gallica civitate* quum vocat, nomine *Santonorum Gallicæ civitatis* non ut quidam putant regionem *Santonum* in Gallia Aquitanica; ſed urbem Gallicam *Santonos* ſeu Mediolanum *Santonum* deſignat. Auſonius in epiſtola XI. *Santonicam urbem*; in epiſtola XIV. & XVIII. *Santonos* quoque appellat, & in epiſtola XXIII. *Santonum*.

Santonus ut ſibi Burdigalam; mox jungit Aginnum
Illa ſibi.

Sidonius in epiſtola VI. libri VIII. *Santonos* ſimiliter nuncupat, Ammianus Marcellinus in libro XV. *Santones*. *Prima* (inquit) *provincia*

eſt Aquitanica, amplitudine civitatum admodum culta. Omiſſis aliis multis, Burdigala & Arverni excellunt, & Santones, & Pictavi. Gregorius Turonicus Epiſcopus *civitatem Santonas*, & *Santonicam urbem* appellat; *Santonam* Aimoinus & Hugo Floriacenſes. Ademarus Cabannenſis *Capitolium* ejus urbis memorat in Chronico. Superſunt hodieque Amphitheatri rudera ac reliquiæ nobiles extra muros, ac arcus antiquus in Carantono præterfluente, & priſcorum mœnium aliquot in locis particulæ, & non exiguæ aquæductus reliquiæ. Hæc urbs in monte poſita olim fuiſſe dicitur, & cùm à Vandalis, Gothis, Saracenis, ac Nortmannis everſa eſſet, non procul à monte ad flumen Carantonum nova pro veteri urbs ut cumque condita eſſe, heic ubi caſulæ antea piſcatorum erant.

In veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ, inter provinciæ Aquitanicæ ſecundæ civitates ſex IV. locum obtinet *civitas Santonum*, in nonnullis *civitas Sanctonum* corruptè dicta: ut & apud veteres noſtros Hiſtoricos ſæpe c littera huic nomini malè inſerta reperitur. Poſtea mutatus eſt ordo civitatum Aquitaniæ II. & *civitas Santonum* tertio in gradu eſt collocata: ut docent Gervaſius Tilleberienſis, & quædam recentiores ipſo Notitiæ, quæ inter Antiſtites Burdigalenſi Archiepiſcopo ſubjectos ſecundo loco ponunt Epiſcopum *Santonenſem*, quem mendosè *Xantonenſem*, interdum & *Xanctonenſem* appellant. Ex Latinis nominibus vitiatis *Sanctonum*, *Xantonum* & *Xanctonum* Noſtri fecerunt *Saintes*, & *Sainctonge*, *Xaintes & Xaintonge*, ac *Xantonge*, *Xainctes & Xainctonge*: cùm urbs quidem *Saintes*; pagus autem Santonicus *Saintonge* appellari ſcribique debeat.

Claudius Ptolemæus inter Garumnæ & Canenteli fluminum oſtia, qui ſunt majore ex parte *Santonia* termini, *Santonum portum*, & *Santonum promuntorium* collocat: ex quibus *Santonum portus* videtur eſſe Broagium à luto ſic dictum, vulgò *Broüage*: *promuntorium Santonum* Olivarius qui Mellam adnotationibus illuſtravit, *Blaviam* ſeu *Blayam* interpretatur, magno errore, cùm Blavia ſit in agro Burdigalenſi ſeu in Viviſcis Biturigibus, ut Gregorius docet, & nunc etiam pareat Archiepiſcopo Burdigalenſi cum Burgo Paullini, atque Frontiaco.

Santonum ſunt opida & caſtella, *Mediolanum Santonum*, Angeriacum, Solbiſia, Broagium, Pontes, Olario vel Uliarus inſula, Marinæ *Marennes*; Tauniacum ad Carantonum, *Tonay-Charente*: & ad dextram ripam Garumnæ fluminis Condate, *Cone*, aliâs *Conac*. ad confluentem amniculi & Garumnæ ſitum; Moritonia vel Mauritania *Mortaigne*; Telamo aut Talemontium *Talemont*; Regianum *Royan*. Apud Æthicum in itinere à Burdigala Auguſtodunum occurrunt *Blavutum* M. P. XIX. *Tamnum* XVI. *Novioregum* XII. *Mediolanum Santonum* XV. in tabula Theodoſiana *Blavia*, *Lamnum*, corruptè pro *Tamnum*. *Mediolanum Santonum*. Ex quibus Tamnum videtur mihi eſſe *Mortaigne*, aut certè *Talemont*; Noviocegum *Royan*.

SAPAUDIA.

Sapaudia primus omnium ante annos MCCXXC. meminit Ammianus Marcellinus in libro XV. ubi de Rhodano Lemanum egreſſo ita ſcribit. *Unde ſine jactura rerum per Sapaudiam fertur & Sequanos*, &c. id eſt inter *Sapaudiam* & Sequanorum regionem fluit. Nam ſiniſtrâ ripâ Genevam *Sapaudiæ* urbem attingit, eadem ripâ Caſtellum Forte & Anneſiacum non procul à ſe poſita [illegible] *Sapaudia* habet; dextrâ autem ripâ Belicam urbem provinciæ Sequanorum. *Sapaudiæ* meminit & Notitia Imperii Rom. Ammiano qui Theodoſium Imperatorem vidit ſuppar, cùm Honorii ejus filii principatu compoſita ſit: ubi hæc leguntur. *In provincia Gallia Ripenſi* (id eſt in parte provinciæ Viennenſis ad ripas Rhodani, Iſaræ & Druentiæ jacente, *Præfectus claſſis Barcariorum*, (aliàs *Bracatorum*) *Ebruduni Sapaudiæ*: *Tribunus cohortis primæ Flaviæ Sapaudiæ Calarone*: vel potiùs *Cularone Sapaudiæ*. Alioquin legendum emendandúmve eſſet, *Tribunus cohortis I. flaviæ Sapaudæ* aut *Sapaudicæ Cularone*. Quæ Notitiæ verba apertè docent, Ebrodunum Caturigum & Cularonem Allobrogum veteris *Sapaudiæ* urbes habitas, & partem Dalfinatus olim *Sapaudiæ* attributam fuiſſe, *Sapaudiamque* majorem tunc quàm nunc ſit exſtitiſſe. Certè Cularo Allobrogum vel Gratianopolis *Sapaudiam* qualis nunc eſt hodieque contingit: & Gratianopolitanæ Diœceſeos pars major Dalfinatu, minor *Sapaudiâ* continetur, cujus caput Cameriacum Epiſcopo Gratianopoleos paret. Ebrodunum verò ab urbe *Sapaudiæ* Maurienna XXX. circiter millia paſſuum abeſt. Auctor eſt Tiro Proſper, aut quis alius in Chronico quod Pithœus edidit, ab Aëtio anno poſt Honorii Aug. mortem XX. *Sapaudiam Burgundionum reliquiis datam eſſe, cum indigenis dividendam*. Ennodius vel potiùs Euhodius Ticinenſis Epiſcopus meminit & *Sapaudiæ*. Avitus Viennenſis Epiſcopus in epiſtola ad Dominum Sigiſmundum, *Non abſque ſcrupulo* (inquit) *poteſt accipi, quòd de Sapaudia itineribus exquiſitis videmur ad Provinciam præteriri*. Queritur Avitus à Sigiſmundo Burgundionum Rege, ex *Sapaudia* in Provinciam tendente, Viennam tamquam de induſtria conſultoque præteritam. Inter *Sapaudiam* autem & Provinciam Regni Burgundiæ regiones nihil olim intererat. Nam Dalfinatus qui nunc inter ambas provincias eſt medius, ex utraque detractus eſt, & portio olim exſtitit cùm veteris *Sapaudiæ*, tum Provinciæ. Karolus Magnus cùm Regnum ac Imperium inter filios tres divideret, *Saboiam* in litteris diviſionis vocavit, ſicuti nunc dicitur *Savoye*, atque inter pagum Lugdunenſem & Mauriennam poſuit hiſce verbis: *pagum Lugdunenſem, Saboiam, Morienmam, Tarentaſiam, Montem Ciniſium, Vallem Seguſianam uſque ad Cluſas. Sapaudia* ergo vel *Saboia* propriè dicta, tum minima erat: ſiquidem urbes Mauriennam & Darantaſiam unà cum ſuis vallibus & pagis, & montem Ciniſium ac Vallem Seguſinam non

continebat, quæ nunc omnia *Sapandia* finibus includuntur. Notitia Epiſcopatuum Galliæ paullo poſt annum Chriſti MCCCXXII. compoſita *Sapandiam* contrà multo quàm nunc eſt majorem facit, & duas in ea Metropoles ponit, Darantaſiam & Veſontionem cum ſuis Suffraganeis hac ſerie. Suffragantibus ſic. *In Burgundia, id eſt in Sabandia Archiepiſcopus Tarentaſienſis habet Suffraganeos, Sedunenſem, Auguſtenſem: Archiepiſcopus Biſuntinus habet Suffraganeos, Baſilienſem, Lauſanenſem, Bellicenſem.* Mauriennenſem Sapandiæ Epiſcopatum omiſit: qui provinciæ Viennenſis metropoli Viennæ ſubjectus eſt.

Sapandia, quæ & *Sabandia*, à Sapando aliquo nomen haud dubiè accepit, ut Armaniacum, *l'Armaignac*, ab Armanno Harmannóve; Dalfinatus à Dalfino. *Sapandum* autem nomen viri proprium fuiſſe, indicat exempli causâ *Sapandus* Epiſcopus Eccleſiæ Arelatenſis, in ſubſcriptionibus Concilii Pariſienſis IV. & Synodi Matiſconenſis II. memoratus, Florentio in Vita S. Rusticulæ Abbatiſſæ *civitatis Arelatenſis Pontifex, Apoſtolicus vir Sapandus* dictus: quem Gregorius in libri IV. Hiſtoriæ capite XXX. & in octavi capite XXXIX. *Sabandum Arelatenſem Epiſcopum* nuncupat.

Sapaudia, *la Savoie*, nunc *Caput* lacus Lemani, *le Gavot*; Caballiacum, *le Chablais*; Auguſtam Prætoriam, Fociniacum, Darantaſienſem pagũ & Mauriennenſem cum monte Ciniſio ac Valle Seguſina continet; ac ante ortum hæreſeos etiam Genevam continebat: cujus Domini *Comites Maurienna* diu vocati ſunt, & regnante apud Francos Ludovico VII. anno MCXLVII. ita nuncupabantur. Poſtea nobiliore titulo *Sapandia Comites*; ac demum Imperatoris Sigiſmundi beneficio *Duces Sapandia* ſunt appellati. Nunc in litteris ſuis *Duces Sapandia, Caballiaci, Auguſta, & pagi Genevenſis, Principes Pedemontii; Marchiones Salutiarum; Comites Geneva, Rotundi Montis, Nicaa, & Aſta, ac Tenda; Barones Fociniaci, dominos Vercellarum, Marchioneſq; Italia* inſcribi ſe jubent. Scribit Monetus, *Sapandiam* à lacu Lemano ad montem Ciniſium & Seguſiũ XL. leugas Sapaudicas in longitudinem patere; Francicas LX. & ab uno capite Lemani ad alterum in latitudinem XX. leugas Francicas patere; ab ortiva ripa Rhodani ad Alpes Maritimas altero ſemiſſe latiorem eſſe. Sed talibus auctoribus non admodum credo. Sic idem Pictonibus ab Occidentali Oceano uſq; ad Bituriges verſus ortum longitudinem tribuit *centum lengarum Francicarum*; Lemovicibus à Biturigibus ad Petrocorios, ſeu ab arcto in auſtrum *plus* XXC. *lengas Francicas* longitudinis; quantum ferè Pictones ab ortu ad occaſum pateant. Sic idem Septimanorum ſeu Gothorum fines ab urbe Burdigala Avenionem, ſive ab occaſu ad ortum *lengas* noſtras *ampliùs centum in longitudinem patere* affirmat: quaſi Septimania Burdigalam attingat: aut quaſi à ſummo Pyrenæo Arelatum ad Rhodanum iter ſit ampliùs CLXX. millium paſſuum.

Sapaudiæ incolæ *Sapandi* Latinè, vulgò *Savoiars* nuncupantur, quaſi *Sapandarij* aut *Saboiarij*. Saleſius Epiſcopus Genevenſis, Monetus, & quidam alii *Savoiſiens* appellare malunt, quaſi *Sapandienſes*.

SARA FLU. BELGICÆ SECUNDÆ.

Sara, *Sere*, amnis in Iſaram Belgicum influit. Hic fluvius alluit caſtrum pagi Laudunenſis *Criſciacum*. *Creciacum* Guiberto Abbati Novigenti dictum, vulgò *Creci ſur Sere*: & à Frodoardo in Chronico memoratur his verbis. Anno DCCCCXXII. *Karolus abnegato ſibi introitu Lauduni, reſedit ſuper fluvium Saram.* Alluit inquã *Sara* Creciacum, Aciacum *Achy*, Medianum Pontem *MoienPont*, Noviomagum *Nouvion*, Alliacum *Alis*, & *Saram* cognominem locum, vulgò *Sart*, atque ad Faram Picardicam, *la Fere*, in Iſaram effluit.

Fortunatus in libri VII. Carmine IV. Belgicæ pleroſque fluvios complectitur hoc diſticho.

> Iſara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura,
> Seu qui Mettin adit de ſale nomen habens.

Quo in diſticho cùm *Saram* Iſaræ jungat, nomine *Sara Saram* noſtrum Criſciacenſem qui in Iſaram labitur, videtur deſignaviſſe, potiuſquàm *Saravum* fluvium in Moſellam effluentem, quem à quibuſdam *Sarram*, & *Saram* quoque appellatum eſſe conſtat, vulgò *Sahr*.

SARAVUS FLU. ET SARAVENSIS PAGUS.

Saravus fluvius eſt navigabilis, qui apud Auguſtam Treviſorum in Moſellam effluit, ut Auſonius in Moſella ſcribit

> Naviger undiſona dudum me mole Saravus
> Tota veſte vocat, longum qui diſtulit amnem,
> Feſſa ſub Auguſtis ut volveret oſtia muris.

In tabula Theodoſiana & *Saravi* fit mentio. *Ad Decem Pagos, Ponte Saravi, Tabernis, Argentorato*: item in Æthici Itinerario provinciarum ſic, in itinere à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum. *Treveris* M.P. XIII. *Divodurum* M. P. XXXIV. *Ponte Sarvix* M P XXIV. *Argentorato* M. P. XXII. Omnes Æthici codices *Pontem Sarvix*, aut *Ponte Sarvix* ſcriptum habent; pauculi *Ponte Sarnix*: quod nomen loci & fluminis eſſe corruptum arbitror, & *Ponte Sarvi* x litterâ ſublatâ emendari oportere. *Saravus* igitur Æthico per contractionem dictus eſt *Sarvus*: & oppidum quod pontem habet ei impoſitum, à ſitu nuncupatum eſt *Pons Saravi* vel *Pons Sarvi*, vulgò *Sarbrüggen*, vel *Sarbruckken*, aut *Saarbruk*, caput Comitatus in Diœceſi Mettenſi; Noſtris *Sarbruc*. *Sar* enim, vel *Sahr* aut *Tſar*. *Saravus* eſt Germanis; *Brüggen* vel *bruckken* pons. *Sarra* etiam appellatus eſt hic fluvius, ſi qua fides habetur inſcriptionem lapidis proferentibus, ubi *Caſtra Sarra* memorantur, id eſt *caſtra Saravi*. Quidam, ac in primis Brouverus exiſtimant, à Fortunato in

libro

libro VII. & *Saram* nuncupari hoc verſu

> Iſara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura.

Quod licet veriſimile videri poſſit; tamen arbitror ac mihi facile perſuadeo, *Saram* potiùs fluvium pagi Laudunenſis, qui in Iſaram labitur, deſignari.

Saravus alluit Album Montem *Blamont*, Saraviburgum vel Saræburgum *Sarburg*, Saravicum vel Saracum *Sareck*, Vinſtringium *Feneſtrange*, Saravi Inſulam *Sarwerden*, Buxenhemium *Buckenheim*, Saravi Albam *Sar-Alben*, Gemundam *Gmemund*, ad ipſius & Bleſæ confluentes poſitam, Pontem Saravi *Sarbrucken*, VValderfingium *VValderfang*, mox Nitâ flumine accepto Saralibachium vicum *Sar-hanliz bach*. Burgum Saravi alterum, *Sarburg*: demum circa & citra Auguſtam Trevirorum in Moſellam effluit. A loco *Sar-Alben Saravo* addito *pagum Albenſem*, vel *Albechonvam*, in Diviſione Regni Lotharii memoratam, nomen habere credit Miræus: cui minimè accedo. *Saravus*, *Sar* vel *Tſar* Germanis dictus, Lotharingiam à Germania dividit: cui impoſitum *Tſaralben* opidum in VVeſtria, (*VVeſtrich*) ad Salmenſem Rheni-gravium pertinet.

Ab *Saravo* nomen accepit *pagus Saravenſis*, in duas diviſus partes, ſuperiorem & inferiorem: uti docet Diviſio Regni Lotharii inter Reges Ludovicum & Carolum fratres anno DCCCLXX. facta ad Moſam, in qua *Sarachonva ſubterior*, & *Sarachonva ſuperior* memoratur. Ex quo intelligitur *Saravum* nonnumquam *Saram* appellari conſueviſſe. *Sarachonva* enim *Sare pagum* Germanicâ linguâ ſignificat: *Sargovv* vulgò nunc dicunt. Quippe ager aut pagus veteribus Germanis nunc *chonva* vel *chovv*, nunc *govva* vel *govv*, atque etiam *gau* nuncupatur.

SARCHINIUM, ET SARCINIUM.

Trudo Francus Haſbanienſis, nobilitate, opibus & ſanctitate præcipuus, omnia prædia ſua quibus abundabat in Haſbanio, Metenſi Eccleſiæ S. Stephani per manum Chlodulfi Mettenſis Epiſcopi donavit, hortatore (quod mireris) Remaclo Tungrorum & ſuo Sacerdote: ac cùm in urbe Mettis profanis ſacriſque litteris eruditus, Presbyter etiam factus eſſet; domum reverſus, in loco *Sarchinio* vel *Sarcinio*, in fundo ſuo vel potiùs jam alieno ad Ciſindriam fluvium Monaſterium exſtruxit, ubi obiit atque ſepultus eſt: quod Monaſterium ex nomine auctoris appellationem traxit, ac *Sarchinio* cauſſa etiam nominis & incrementorum fuit, adeo ut ex vico opidum fieret. Et Cœnobium quidem illud licèt in parœcia Tungrenſi poſitum ſit, tamen ſub tutela Epiſcoporum Mettenſium per annos ampliùs CCCCXL. acquievit: donec Alexander Leodicenſis Epiſcopus anno MCXXX. Patronatum Monaſterii opidique *S. Trudonis* ab Epiſcopo Mettenſi emit: vel (ut quidam aiunt) conſentiente Stephano Mediomatricorum Antiſtite, Abbatiam & *municipium Trudonianum* in patrocinium ſuum recepit: uti obſervavimus in Rerum Francicarum libro XXI. S. Trudonis vitam ſecuti: quamquam id alii anno MCXXVII. factum malunt. Incolæ *S. Truden*, aut *Truyen*; Noſtri *S. Trond* & locum & Monaſterium à Patrono vocant; quidam corrupto nomine *Saintron*.

In Chronico Trudonenſi, circa annum Domini MCXXX. ſcripto, *Sarchinium* ab *opido* & Monaſterio *S. Trudonis* diſtingui video. Quippe in libro hujus Chronici III. memoratur *opidi S. Trudonis porta, quæ exit Sarchinium*: & in libro IX. *inter S. Trudonem & Sarchinium quidam Libertus nomine parum alodij habuiſſe* dicitur. Ergo non unus idemque eſt locus *Sarchinium*, & *opidum S. Trudonis* vel *S. Trudo*; ſed alter ab altero differt, atque parum quidem ſed tamen aliquantulum abeſt. Itaque *Sarchinium* locum eſſe exiſtimo *opido* Cœnobioque *Trudonenſi* proximum, qui vulgò *Kerkum* nuncupatur.

Fuit & alterum *Sarcinium*, cujus in vici oratorio B. Leodegarius Auguſtodunenſis Epiſcopus ad tempus ſepultus eſt: ut in utraque ejus Vita reperio, ubi *villa Sarcinium*, & *Sarcingum* nuncupatur; Balderico in Chronico *villa Sorcin in confinio Cameracenſis Epiſcopij & Morinenſis*: qui eſt vicus in Atrebatibus, vulgò *Sercin* dictus.

SARCINÆ.

Guillelmus de Nangiaco *Sarginas* vocat in Geſtis Ludovici eo nomine IX. Francorum Regis. *Subſtituit in urbe Aconenſi virum ſapientem & fidelem & ſtrenuum, dominum Gaufredum de Sarginis pro ſe gubernatorem.* Urbanus PP. IV. in litteris ad eumdem Regem *Sarcenas* nuncupat, & *nobilem virum Gaufridum de Sarcenis* in Terra Sancta utiliter & ſtrenuè ſe gerere ſcribit, rogatque, ut indictâ centeſimâ à Rege ſubleveтur. *Sarcinæ* primùm dictæ ſunt Latino nomine; poſtea corruptè *Sarcenæ*, i in e mutato; & c in g converſo *Sarginæ*; ac vulgò nunc *Sargines* vocantur: & Gaufridus ille *de Sarcenis*, nunc *Geofroy de Sargines, Chevalier*; nunc *Jofroi de Sergines* in vulgaribus noſtris Annalibus, & in quadam epiſtola vetere nuncupatur. Hic locus eſt in pago Senonico inter Pontes Icaunæ & Braium Sequanicum poſitus.

SARTA FLU.

Sarta, *la Sarte*, fluvius Galliæ Lugdunenſis, oritur in ſaltus Pertici vico, qui ab ejus fonte dicitur Summa Sartæ vel Summus Sarta, *Somme-Sarte*, & duabus leugis diſtat à Moritonio. Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus in epiſtola ad Moduinum Auguſtodunenſem Epiſcopum ante annos octingentos *Sarta* meminit.

> Eſt fluvius, Sartam Galli dixere priores:
> Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.
> Fluctibus ille ſuis penetrans Cenomanica rura,
> Mœnia qui propter illius urbis abit.

Alluit Alentionem, Fraxinetum, *Freſnay*, Cenomanos caput Gentis, ubi Idoneâ auge-

tur, Scuſam, *la Suſe*, Sablolium *Sablé*, Caſtellum Novum: tum recepto Liderico in Meduanam decurrit. In enumeratione fluminum Galliæ ante cccc. annos ſcripta *Sarta ſive Satirus* dicitur novo nec alibi lecto à me nomine. *Sarta, ſive Satirus in partibus Cenomanni currit.* Dicitur & *Serta*. Inde *Brieſerta*, id eſt Pons Sartæ, vulgò *Briſſerte*, ſupra & prope Caſtellum Novum (*Chaſteau-Neuf*) nomen accepit: & *Guillermus de Inter Sertam & Meduanam Decanus* in Synodo à Nicolao Gelantio Epiſcopo Andegavenſi anno Domini MCCXCII. habita bis memoratur; in Synodo anno MCCXCVIII. à Guillermo Majore, ejus ſucceſſore habita ſimiliter *Petrus de Inter-Sertam & Meduanam Decanus*. Utrumque nomen cum *Sarta*, tum *Serta* Latinum videri poteſt: mihi tamen pro Celtico habetur.

Accipit *Sarta* Ornam *Orne*, Idoneam *la Huine* vel *Huyſne*, ex Firmitate Bernardi venientem, Infernam *Enferne*, ac demum Lidericum *le Loir*: tum paullo ſupra Juliomagum Andicavorum in Meduanam labitur.

SATANACUM.

Satanacum eſt in pago Vabrenſi ad flumen Moſam Dunum inter & Moſomagum in Treviris, & in Decanatu Epoſienſi poſitum: quod ex vico caſtrum evaſit. In actis S. Dagoberti *Satanagus* locus vocatur; *Sataniacum* Theoderico Epternacenſi; *caſtrum Satanaginum* Alberico. Ibi Carolus Calvus Monaſterium Clericorum vel Canonicorum dicitur exſtruxiſſe. Godefridus Barbatus *Satanacum villam* appellat in tabulis datis anno MLXIX; Godefridus Dux Bublionis in tabulis anni MXCVI. *Satanacum olim villam, nunc caſtellum*: qui nimirum anno MXXCVIII. ibi caſtello ædificato locum muniviſſe, dicitur à Johanne Monacho Verodunenſi. Vulgò *Stenay* nuncupatur. Hoc olim caſtrum *Aſtenidum* & *Stadinum* Carolo Calvo dictum eſſe, *pagoque Stadiniſo* vel Stadinenſi nomen dediſſe, & *villam Satanacam* ac *Satanicum* à Gerberto omnium primo vocari docui in *Aſtenido*. Sincerum eſt caſtri nomen *Satanacum*, non minùs quàm antè *Aſtenidum* & *Stadinum*. Ex *Satanaco* detractâ II. nominis litterâ factum *Stanacum* vel *Stenay*: uti ex Camaraco *Cambray*, ex Turnaco *Tournay*, ex Duaco *Doüay*, ex Avennaco *Avennay*. Hæc in *Aſtenido* minimè notaveram, quæ heic prætertire non potui: ne quis me ſub duobus titulis atque nominibus bis de uno eodemque loco ſcripſiſſe arguat.

SATHULCURTIS.

In pago Vimau vel VVitmao villa eſt *Sathulcurtis* dicta, Ludovici Francorum Regis inſigni de Nortmannis victoria nobilis anno DCCCLXXXI. ut docet Chronicon de Geſtis Nortmannorum in Francia hiſce verbis. *Anno* DCCCXXCI. *Nortmanni cum magno exercitu mēſe Julio Summinam fluvium tranſeunt, & vaſtando omnia, uſque Belvagorum civitatem perveniunt. Quibus Rex (Ludovicus) obvius, in pago VVimau, in villa quæ Sathulcurtis dicitur, commiſſum eſt prælium. Mox Northmanni fugam ineunt: quos Rex inſecutus, glorioſiſſimè de eis triumphavit.* Alias villa *Sentcurt* vocatur; vulgò *Saulcourt*, nunc Marchiæ titulo inſignis.

SAVARA FLUVIUS QUI ET MARINELLUS.

Fluvius *Savara*, (ſi tamen fluvium appellare rivum fluentem licet) *le ru de Sevre*, vico veteri Savaræ, *Sevre* nomen ſuum dedit. Hic *alveolus veniens Savarâ* vocatur in litteris Childeberti Franc. Regis: *Ubi alveolus veniens Savarâ præcipitat ſe in flumen.* Carolus quem Calvum cognominamus, in litteris ſuis *fluvium Savara* vel *Saura* vocat his verbis. *Foreſtam aquaticam à fluvio Savra uſque Cambreias Monachis S. Dionyſii confirmamus.* In veteri codice Monaſterii S. Dionyſii idem eiſdem verbis refertur de ejus Principis donatione. *Dedit foreſtam aquaticam, quæ à fluvio Savara eſt uſque Cambreias.* Hoc eſt (ut in quadam relatione Inſpectorum anno MCCCCXCVII. facta invenio) *depuis le fleuve de Savre, dit autrement Marinel, pres S. Cloud, juſques au ru de Chambries, appellé Tancul pres le port Aupec, au deſſous de S. Germain en Laye.* Jacobus Brolius *foreſtam aquaticam* venationem in flumine Sequanâ, juſque ibi piſcandi & aucupandi interpretatur, aitque veterem rivum vici Savaræ ſeu Separæ, vulgò *l'ancien ru de Sevre*, à vico Novigento, nunc S. Chlodoaldi nomen ferente in Sequanam effluxiſſe. Ex his intelligitur fluvium *Savaram* ſive *Savram* aut *Separam*, à quo vicus *Savara* vel *Separa* nomen accepit, alio nomine appellatum eſſe *Marinellum*, & apud Novigentum olim in Sequanam decurriſſe; rivum autem Cambreiarum, Tanculum dictum, apud Alpecū ſub Regiam villam S. Germani in ſilva Ledia. Nunc tenues ac deſpecti rivi an exaruerint ambo aut defecerint neſcio: certè in tabellis Geographicis curſus eorum & exitus non notantur. *Savra fluvium* exemplo Caroli Calvi vocavit Henricus Abbas Monaſterii S. Dionyſii in litteris anni MCCXVII. Robertus *Abbas Cœnobii S. Vincentii Levitæ & Martyris, & Germani Pariſiorum tutoris*, exemplo Childeberti Regis Francorum *fluvium Savaram* multo ante Henrici ætatem nuncupavit: cujus hæc ſunt verba in litteris datis anno MLXX. *Molendinum in fluvio Savarâ nuncupato ſitum.*

SAVARDUNUM CASTRUM.

Ejus caſtri meminit Petrus in libri de bello Albigenſi capite XXIV. *Venit inde* (Apamiis) *Comes noſter Savardunum, & Burgenſes ſe ſine conditione aliqua reddiderunt. Erat autem caſtrum illud in poteſtate & dominio Comitis Fuxenſis.* Idem in capite LXIII. *Saverdunum* quinquies vocat, *caſtrum quoddam prope Fuxum nomine Saverdunum in Diœceſi Toloſana*, non longè à caſtro Apamiis. *Savarandunum* illud vel *Saverdunum* caſtrum vocatur etiamnum *Sabardun*, non procul ab Apamiis diſtans,

SAVINNEIUM ET SABINIACUM.

Apud Robertum de Monte S. Michaëlis in Chronico memoratur *Savinneium, vicus in confinio Normanniæ & minoris Britanniæ*. Vulgo dicitur *Savigni*, eſtque ad mare inter Hagam Paganelli (*Hepenel* vel *la Haye-Paynel*) & Abrincatas in Diœceſi Abrincatina, Abbatiâ inſignis locus. Sic Marenneium vocant veteres litteræ *Marigny* in Normannia. Videtur olim *Sabiniacum* dictum eſſe à Sabino. Certè *Saviniacenſes Monachi* vocantur in epiſtola quadam Bernardi Claravallenſis Abbatis, pro *Sabiniacenſes*, b in u converſo: & locus cum Monaſterio *Saviniacum* aliis dicitur.

Eſt & *Sabiniacum* in Matiſconenſi Diœceſi. Litteræ Urbani PP. II. datæ anno MXCV. *Eccleſiam de Saviniaco*, (*Severy*) & *Eccleſiam de Seniciaco* (*Senecey*) *in Epiſcopatu Matiſconenſi* memorant. Eſt quoque *Saviniacum* caſtellum in pago Vindocinenſi, leugis ferè VII. a Vindocino diſtans: nomen dans *Eccleſiæ Saviniacenſi*, a Gaufrido Abbate Vindocinenſi memoratæ. Horum locorum omnium ſincerum nomen eſt *Sabiniacum*, à Sabino, quem corruptè Savinum dixere b in u mutato: unde orta nomina *Savinneium* & *Saviniacum*.

SAURICIACUM.

Anno DXXCIX. *apud Sauriciacum villam Epiſcoporum Synodum adgregatam* eſſe ſcribit Gregorius, capite XXXVII. libri IX. Hiſt. conſtitutumq. ut Droctigiſilo Epiſcopo Eccleſiæ Sueſſionicæ in urbem ſuam, quâ ob amentiam expulſus fuerat, reverti liceret. Erat autem hæc villa pagi Sueſſionici: quæ nunc (ut puto) *Sourci* appellatur, non procul à flu. Axona poſita.

SAXIACUM CASTRUM.

Petrus Monachus in libri de bello Albigenſi capite XXVI. *Saxiacum caſtrum fortiſſimum in Carcaſſonenſi Diœceſi* memorat: quod dederat Simon Comes Montis Fortis Bucardo de Marliaco. Vulgò dicitur *Seiſſac*, a in e, & x in duo ſ converſis. *Saxiaco* nomen videtur dediſſe *Saxius*, ut *Sauriciaco Sauricius*; *Lucilliaco Lucillius*.

SAXONES GALLICANI.

Saxones Gens Germaniæ, ſæpe modò ſoli, modò juncti finitimis Francis, orâ Galliæ Belgicæ & Lugdunenſis, nonnumquam etiam Aquitaniæ latrociniis infeſtavere: adeò ut in tractu Armorico & in provincia Belgica II. illic circa Grannonam, heic circa Marcos, quemadmodum & in inſula Britannia *litus Saxonicum* ab his prædonibus populatoribuſque ſuis ſit cognominatum: ſicuti docet Notitia provinciarum Imperii Romani. Multi quoque *Saxones* non contenti prædâ Gallicanâ, jam abolito in partibus Occidentis nomine Imperatoris, in tractu Armoricano finibuſque Baiocaſſium conſederunt: quos *Saxones Baiocaſſinos* Gregorius in Hiſtoriæ libris V. ac X. appellat, & quorum pagum, aut certe *pagum Sagonenſem* in Cenomanis, Carolus Calvus in Capitulis Silvacenſibus *Lingnam Saxonicam*, vel *Otlingam Saxoniam* videtur vocare. Nonnulli ex eadem Gente in agro Namnetico, qui & tractus Armoricani erat, ſedem cepere. Quare Venantius Fortunatus in Carminum libro III. Felicem Namnetum Epiſcopum *Saxones* manſuefeciſſe, & multos eorum Chriſtianis myſteriis initiaviſſe ſcribit: ut in libro V. Rerum Francicarum obſervavimus.

SCALDIS FLU.

Scaldem flumen Cæſar in libro VI. commemorat, *Tabudam* à Ptolemæo dictum. *Scaldem* fluvium & Gregorius nuncupat in libri II. Hiſt. capite XL. Apud Fortunatum in libri VII. Carmine IV. ad Gogonem, *Scaldis* inter fluvios Belgicæ numeratur

> Iſara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura.

Scriptores rerum Francicarum alii *Scaldim*, alii *Scaldum* appellant; Noſtri *l'Eſcaud*; Germani *Schelt*.

Oritur *Scaldis* in Veromanduis prope Abbatiale Monaſterium S. Martini: alluit Caſtellum *le Caſtellet*, fonti ſuo proximũ, Camaracũ *Cambray*, Buccinium caput Auſterbanti, *Bouchain en Oſtrevant*; Valentianas *Valenciennes*, ubi navigari incipit; Condate *Condé*, ubi Hainam Hainoi fluvium accipit, à Caſtriluccio Montibuſve venientem: tum ad Confluentem *Conflan* Scarpâ augetur. *Scarpa* autem, aliis *Scarpus* & *Scarbus* dictus, *Scarpe*, Albiniacum *Aubigni*, Atrebatas *Arras*, Duagium *Doüay*, Marcianas *Marchienes*, Monaſterio Virginum ab Amando Trajectenſi Epiſcopo exſtructo, & à Rictrude inſeſſo nobiles præterlabitur. His auctus aquis *Scaldis* Elnonem, ſive S. Amandi Monaſterium; Turnacum *Tournay*, Aldenardam, ac mox Gandam attingit. Ibi cum Leva *la Lieue* Letiam admittit, Legiam vulgò dictum, *la Lis*, ab Aria *Aire* vel *Arien*, Armentarius *Armentieres*, & Cortoriaco defluentem. Apud Teneramundam opidum Tenera in Scaldim labitur. Teneramundam vulgò *Dendermonde*, aliàs *Tenremonde* vocant: quo nomine Teneræ os Germanicè deſignatur. Mox Demera, *Demer*, Tiliam & Sennam in Scaldim defert: ex quibus Tilia, *Ty* Noſtris vel *Diel*, *Dyle* Germanis dicitur, & Lovanium alluit: Senna *Senne*, per Sonegias & Bruceſellam fluit. Ambobus præ ceteris augetur Demera Machlinienſis fluvius, *Scaldim* ipſe aucturus: qui apud Rupelmundam accepto Rupelâ, Andoverpum attingit, ubi majorum navigiorum tolerans, ac latior fieri conſuevit Oceani exæſtuantis acceſſibus, à quo vix XIV. leugis diſtat Andoverpum. Pòſt in duo velut brachia ſe ſcindit, Brabantiamque & Flandriam à Zolandia dividit: & altero quidem ore nomine mutato *Hont* vocari incipit, & in Oceanum Septemtrionalem per Surbevelandiam & VValacriam effluit; altero veterem alveum, nomenque ſuum ſervat ac curſum, & apud

inſulam *Scaldiam* infertur Oceano. *Flumen Scaldem influere in Moſam circa extremas Arduenna partes*, memoriæ tradidit Cæſar in Commentario VI. belli Gallici. Nimirum ut quidam aiunt, *torſere ſeſe fluminum aut correxere flexus, Scaldis*, Moſæ, Rheni: & eorum mutati ſunt curſus. *Scaldis* in plures diffluit partes: ejus alveus qui Bergam attingit, olim Moſæ adjungebatur: ceteris hiſque majoribus oſtiis *Scaldis* in Oceanum influebat.

Apud Eginhardum in libri IV. de Tranſlatione SS. Martt. Marcellini & Petri capite XIX. memoratur *villa Schaltheim*, aliàs *Schaltheim, quæ juxta oſtium Scaldis fluminis in maritima Friſonum regione poſita eſt*. A fluvio *Scalde* quem tum *Schalt* accolæ appellabant, nomen vulgare accepit, quæ Latinè *Scaldia* nunc dicitur, vulgò *Schounen*; inſula ad os *Scaldis* poſita, una ex ſeptem inſulis Zelandiæ.

SCARPONNA CASTRUM.

Scarponna caſtrum fuit vetuſtiſſimum, à Divoduro Mediomatricorum XII. millibus paſſuum diſtans: quod ab Attila Hunnorum Rege oppugnatum eſſe ſcribit Paulus Langobardus in libello de Epiſcopis Mettenſis Eccleſiæ. Inter Tullum & Divodurum ponitur in Itinerario Æthici, in itinere à Durocortoro Divodurum, à Tullo X. à Divoduro XII. millibus paſſuum diſtans. In tabula Peutingeriana ejus fit mentio. *Tullio*, (legendum *Tullo*) *Scarponna, fluvius Muſalla, Divoduri Mediomatricorum*. Vicus nunc eſt ad Moſellam, inter Tullum Leucorum & Divodurum Mediomatricorum poſitus, Montioni ſeu Ponti Montionenſi proximus; incolis & accolis *Sanponne* vulgò dictus, Noſtris *Scharpeigne* aut *Charpeigne*, nomine ad *Scarponnam* magis quàm incolarum vocabulo accedente. Jovinus *prope locum Scarponnam* multos Alamannos incautos interfecit: uti Ammianus in libro XXVII. ſcribit.

Nomen dedit *Scarponna pago Scarponnenſi*; qui in Teſtamento Fulradi, Abbatis S. Dionyſii Monaſterii, *Scarponinſis* vocatur, & inter *Saloninſem* & *Calmontinſem* ponitur: *Scarponenſis* vocatur & in Diviſione Regni Lotharii, & *Verodunenſi* proximus locatur. *Luugas, quod de iſta parte Moſa eſt; Scarponinſe, Viridunenſe*.

SCOCEIUM.

Ordericus Vitalis in libro XIII. Hiſtoriæ *Quadrugias*, *Scoceium*, *& Aſuebec* conjunctim memorat. Ex quibus *Quadrugias* eſſe *Carouges* nemo non videt, locum domini quondam ſui pro violata uxoris pudicitia ſingulari certamine victoriaque nobilem: *Scoceium* verò haud dubiè eſt *Eſconchi*, ut nomen ipſum indicat: qui eſt vicus ad flumen Olinam, *Quadrugiis* Carugiiſve proximus. Quid ſit *Aſn-bec*, à *bec* ſeu rivo ſuo ita dictum, me felicior divinabit: nec tanti eſt, ut de eo laborare debeamus.

SCORALIA CASTRUM.

Scoralia, *Scoraille*, aliàs *Eſcouraille*, vetus eſt caſtrum ſummo in monte poſitum in ſuperiore Arvernia non longè à Mauriaco: cujus anno DCCLXVII. ab Pippino Francorum Rege expugnati Eginhardus in Annalibus ceterique veteres rerum noſtrarum ſcriptores meminere. Eginhardi verba ſunt. *Anno* DCCLXVII. *Pippinus Rex caſtella multa & petras ac ſpeluncas, in quibus ſe hoſtium manus plurima defendebat, cepit: inter quæ præcipua fuere Scoralia, Torinna, Petrocia*. In Annalibus Bertinianis, aliiſque ita legimus. *Multas roccas & ſpeluncas conquiſivit; caſtrum Scoraliam, Torinnam, Petrociam*. Ubi *caſtra* ſcribi emendarique malim. Caſtrum enim erat *Torinna*, caſtrum & *Petrocia* non minùs quàm *Scoralia*. In litteris anni MCCCXX. *caſtrum de Scoroilla* dicitur. *Guido de Scoralia*, & Radulfus ejus frater majori Eccleſiæ Arvernorum civitatis per manum Guillelmi Epiſcopi *caſtrum Scoraliam* dederunt circa annum MC. ut veteres eorum litteræ docent apud Savaronem Arvernum, qui *le chaſteau de Scuraille* appellat.

Eſt in confinio pagi Arverni & Burbonenſis, caſtrum nomine *Eſcuroles*, poſitum ad Andelotum vel Andallotum amniculum qui in Elaver defluit, non procul ab Aqua Sparſa, & à Monte Pancerio: quod caſtrum Latinè *Scoralia*, aut certè *Scoriola* appellari poteſt.

SCUTINGI.

Defuncto VVandalmaro Duce, in pago Ultraiurano & Scutingorum Protadius Patricius ordinatur inſtigatione Brunechildis anno IX. *regni Theuderici*: inquit Fredegarius in libri V. Chronici capite XXIV. qui primus *Scutingorum* meminit, quos & *Scotengos* & *Scutengos* in priſcis ejus codicibus appellari video. Nomen gentis corruptum eſſe obſervo in Annalibus Bertinianis, & *Comitatum Suedingium* ſcribi pro *Scudingum* in rebus anni DCCCXXXIX. ſic: *Comitatum VValdenſem uſque ad mare Rhodani*, (id eſt uſque ad maram, ſive paludem Rhodani, lacumve Lemanum) *Comitatum Suedingium, Comitatum Vuiraſcorum*, id eſt Varaſcorum. In Diviſione Regni Lotharii *Scudingum* vocatur abſolutè *Scutingorum* vel *Scudingorum* territorium, poniturque inter *VVaraſch* ſimiliter & *Emaus* pagum mihi ignotum.

In MS. Vita S. Anatolii Salinenſium Patroni memoratur *Vallis Romano itineri pervia Scodinga in Sequanis, ubi nunc Salinarum locus*. Hæc *Vallis Scodinga* vel *Scudinga* à *Scutingis* nomen accepit, quos & *Scotengos*, & *Scudingos*, ac *Scodingos* Noſtri appellavere: qua in valle ſeu pago *Scutingorum Salinæ* erant, opidum ſalſis fontibus celebre in Comitatu Burgundiæ, *Salins* vulgò dictum.

SECALAUNIA.

A ſecali quo abundat, nomen inveniſſe quibuſdam videtur *Secalaunia* regiuncula. Ego Gallicum eſſe hoc nomen potius credi-

decim, ut *Segalaunorum* Valentiæ in provincia Viennenſi. Ejus meminit auctor libri de Vita B. Aviti Miciacenſis Abbatis, cui ſuppar fuit, & ante annos mille & centum ſcripſit. Verba ejus ſunt. *Ad Calaunia loca abditiſſima ſeceſſit, ubi cellulam è vilibus texens virgultis, multis diebus delituit, x. plus minùs milliaribus procul à Monaſterio.* Quæ verba ſic emendanda eſſe nemo non videt. *Ad Secalaunia loca a. ſeceſſit. Calaunia* enim regio ibi nulla eſt. Aimoinus Floriacenſis Monachus in capite VIII. libri I. Miraculorum S. Benedicti *Segaloniam* vocat. *Romaldus* (inquit) *civis Carnotenſis exſtitit: cujus ſilva trans Ligerim in Segalonia ſita, confinis ſilvæ S. Benedicti eſſe dignoſcitur.* Hic Aimoinus Rotberto apud Francos regnante circa annum Chriſti milleſimum florebat. In teſtamento Leodebodi Floriacenſis Abbatis, quod ab Helgaldo Regis Rotberti æquali aut ſuppoſitum eſt, aut corruptum, fit & mentio *Secaloniæ* non ſemel; in Vita S. Genulfi *territorij Sigalonij*. Vetus auctor libelli de Vita Læti Diaconi, Monachi Miciacenſis, uti Aimoinus ſuprà, *Segaloniam* nuncupavit: quum ait Avitum Preſbyterum & Lætum Diaconum *intuliſſe ſe abditiſſimis Segaloniæ locis.* Hic pagus eſt in Carnutibus, & ex Eccleſiæ Aurelianenſis ſeu Genabenſis ſex Archidiaconatibus, unus iſque quartus eſt *Archidiaconatus Sigaloniæ* vulgò dictus, qui à Ligere flumine ad Carum amnem pertinet. Quidam partem aliquam *Secaloniæ* in Biturigum etiam finibus collocant circa utrumque Saleram, (*la Saudre*) majorem & minorem.

Guillelmo Brittoni in Philippidos V. *Sigalaunica plana* memorantur. Vulgò *Secalaunia* nunc *la Soulogne* dicitur; in litteris anni MCCXCIV. patriâ linguâ ſcriptis *Sauloigne*: *Johans de S. Varain, Arcediacre de Sauloigne an l'Igliſe d'Orliens.*

SECUSTERO.

Secuſteronem, priſcis Geographis Græcis ac Latinis ſaltem eo nomine incognitum, bis memorat Æthicus in *itinere à Mediolano Arelate per Alpes Cottias*, & nunc *Secuſteronem* nomine incorrupto, nunc corrupto aut mendoſo *Reguſteronem* vocat, ut *Reguſionem* pro *Seguſionem*: eumque ponit inter *Alabuntem* vel *Alamontem*, & *Alaunium*. Surita in pleriſque Æthici codicibus *Secuſteronem* ſcriptum reperiri ait; in uno *Seguſteronem*: quæ facilis & crebra eſt mutatio litteræ c in g. Tabula Theodoſiana *Seguſteronem* nuncupat, & inter *Alarante* ſive *Alabonte* atque *Alaunium* ſimiliter collocat. In veteribus Notitiis prov. & civitatum Galliæ *civitas Segeſteriorum* corruptè nuncupatur, necnon *civitas Sigeſteriorum* ac *Segeſtoriorum*; & inter prov. Narbonenſis II. ſeptem civitates ſexto loco ponitur: à Roberto in Chronico dicta *civitas Segeſterium*, aliàs *Seguſterum*, & Arelatenſi provinciæ ante ætatem ejus attributa. Ut ex *Secuſterone Seguſtero*, ex *Seguſterone civitas Segeſteriorum*, *civitas Segeſterica*, & abſolutè *Segeſtericum*; ſic demum ex *Segeſterico Siſtericum*, & *Siſtaricum*, atque etiam *Ciſtaricum* ſublatâ II. ſyllabâ factum. Gervaſius Tiſloberienſis, & quædam Notitiæ Galliæ recentiores *Ciſtaricenſem* vel *Siſtericenſem* ultimum collocant inter Epiſcopos *Aquenſi Burgundiæ Archiepiſcopo* ſuffragantes. *Siſteron* accolis vulgò dicitur; *Seſteron* Italis & Germanis. In pleriſque tabulis *Ciſteron* legitur mendoſè: ſ enim in c mutari non ſolet. Urbs eſt poſita ad ripam Druentiæ fluminis, quod vulgò *Durentiam* nuncupamus.

Cujus Gentis ea urbs fuerit, difficile dictu eſt. Nam *civitas Segeſteriorum* dicta eſt pro *civitas Secuſteronenſium*: ne quis *Segeſterios* nomen populi eſſe arbitretur. In tabula Theodoſiana ab Avenione ad *Secuſteronem* reperiuntur *Cavares* majoribus litteris. Quod ſi verum eſt, *Secuſtero* urbs Cavarum erit forſitan ea, quæ à Ptolemæo dicitur *Acuſio Colonia*, Ἀκουσίων Κολωνία, urbs mediterranea in Cavarum finibus: quamquam Holſtenius *Acuſionem* Ptolemæi putat eſſe *Ancone*, locum ad Rhodanum inter Arauſionem & Valentiam medium, prope Montilium Ademari.

Ceterùm Hyginus de finibus conſtituendis *fines Secuſterronenſium* vel *Secuſteronenſium*, & *Secuſterronem* commemorat atque deſcribit. Holſtenius in ſuis ad Ortelii Theſaurum Geographicum Adnotationibus, apud Hyginum *fines Secuſteronenſium* interpretatus *civitatem Segeſteriorum*: cui ſententiæ aut conjecturæ nondum accedo, cùm Hyginus de Hiſpaniæ urbe aliqua loqui videatur.

Epaonenſi Concilio interfuit *Valerius Epiſcopus civitatis Segeſtericæ*; Concilio Aurelianenſi IV. *Avolus Epiſcopus civitatis Segeſtericæ*; Concilio Pariſienſi IV. *Geneſius Epiſcopus Eccleſiæ Segeſtericæ*; Concilio Matiſconenſi II. *Miſſus Polygronij Epiſcopi à Segeſterico*; id eſt Vicarius ſeu vices agens, legatúſve Polychronii Epiſcopi *Segeſtericenſis*.

Pagus agerve *Secuſteronenſis*, vocatur ab Uſuardo in Martyrologio *pagus Sigiſtericus* vel *Segeſtericus* hiſce verbis. XIV. *Kal. Sept. in Galliis pago Sigiſterico B. Donati Preſbyteri, qui Anachoreticam vitam egit multis annis.* Vulgò *le Ciſteronois* dicitur.

SEDELAUCUM.

Sedelaucum, Ammianus Marcellinus *Sidoloucum* appellat; *Sidolocum* alii; vulgò *Saulieu*: qui locus abeſt ab Auguſtoduno millia paſſuum circa XXVII. ab Aballone XXIIII. & inter utrumque opidum eſt poſitus: ut Itinerarium Æthici docet, ubi *Sidoloucum* dicitur; & tabula Peutingeriana, ubi *Sidolocum* nuncupatur. *Sedelocenſe* opidum S. Andochii Patrocinio gloriatur: de quo Martyrologium quod S. Hieronymi dicitur, VIII. *Kal. Octobris, in Auguſtidunenſium vico Sedeloco Natalis SS. Andocii, Thyrſi.*

Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta inter Ludovicum & Carolum fratres, *Solocenſe* ponit in portione Ludovici inter *Odornenſe* & *Baſiniacū*: quod Aubertus Miræus malè interpretatur *Solien*. Nam Auguſtodunenſis pagus in quo *Sedelaucum* eſt, *Solieu* vulgò dictum, unà cum Cabillonenſi, Matiſconenſi, Nivernenſi ac Autiſiodurenſi Burgundiæ erat, non

Regni Lotharii, & ad Carolum jam anno DCCCLIII. pertinebat, ut docent Capitula eo anno apud Silvacum edita. Præterea *Solocenſe* nomen heic territorii eſt, à loco ita cognominati, non loci ipſius, ut *Scarponenſe, Virduninſe, Moſminſe, Tullenſe, Lugdunenſe, Viennenſe*: denique conſtat Regnum Lotharii à Rheno ad Moſam & ad Scaldim tantùm pertinuiſſe.

SEDUNI GENS ALPINA ET CIVITAS.

C. J. *Cæſar Servium Galbam cum legione* XII. *& parte equitatus in Nantuates, Veragros, Sedunoſque miſit, qui à finibus Allobrogum & lacu Lemano & flumine Rhodano ad ſummas Alpes pertinent*: ut ipſemet in libro III. ſcribit, qui & *Sedunos* & *Veragros* nunc *Gallos*, nunc & *Barbaros* appellat, adjicitque à Galba *victos in Alpibus Sedunos, ex maxima multitudine Sedunorum & Veragrorum*, ſeu *ex hominum millibus ampliùs* XXX. *plus tertia parte interfectâ*. Plinius in libri III. capite XIX. profert inſcriptionem è tropæo Alpium, in qua *Nantuates, Seduni, Varagri* vel *Veragri* conjunctim memorantur, ſicut apud Cæſarem.

Urbem *Seduni* habent cognominem, quæ in Concilio Matiſconenſi II. & apud Fredegarium in libri V. Chronici capite XLIIII. *Sedunis* vocatur; ab Uſuardo & à Bernardo in libro II. de Vita S. Bernardi aliiſque *Sedunum*. Uſuardi in Martyrologio verba ſunt hæc. V. *Kal. Octobris caſtro Seduno Natalis S. Florentini, qui cum B. Hilario abſciſsâ linguâ decollatus eſt*. Ea urbs caput non modò *Sedunorum*, ſed etiam *Vallenſis regionis* inferioris (*le Vuallais*) Alpiumque Penninarum, poſita eſt ad flumen Rhodanum, & à Germanis *Sitten*, à Noſtris *Sion* appellatur, præeſtque Octoduro urbi cui olim paruit, ex privata Epiſcopatûs ſedes facta.

Inter miſſos Epiſcoporum XX. qui Matiſconem Vicarios pro ſe ad Synodum anno DXXCV. miſerunt, quoniam venire ipſi non poterant, numeratur *Miſſus Heliodori Epiſcopi à Sedunis*: quam in urbem ante annos XX. vel XXX. ſedes Octodurenſis tranſlata fuerat. Fredegarius tradit *Leudemundum Epiſcopum Sedunenſem* Bertetrudi Reginæ, Chlotharii Junioris conjugi, impulſu Alethei Patricii ſuaſiſſe circa annum DCXIV. ut theſauros regios, clam è villa Marolegia ſublatos, *in ſua civitate Sedunis* deponendos curaret, *eo quòd eſſet locus tutiſſimus*.

Agrum *pagúmve Sedunenſem, le Sionois*, Fredegarius *Sidonenſe territorium* in libro IV. Chronici appellat, quum ait *Taloardum & Nuntionem Duces Langobardorum per oſtiola in Sidonenſe territorium cum exercitu ingreſſos, ad Monaſterium SS. Agaunenſium nimiam feciſſe ſtragem*. De qua incurſione referens Marius in Chronico, pro *oſtiolis cluſas*; pro *Sedunenſi territorio Vallem* poſuit, *le Valais*.

SEGNI ET SUNICI.

Segni ab uno Cæſare eo ſaltem nomine deſignantur in libro VI. qui & ſitum Gentis aſſignat inter Eburones ſive Tungros & Treviros hiſce verbis. *Segni Condruſique ex Gente & numero Germanorum, qui ſunt citra Rhenum inter Eburones Treviroſque, legatos ad Cæſarem miſerunt*. *Segnos* iſtos, qui Germani Ciſrhenani erant, Samſon Cluverium tranſſcribens potius quam ſequens, in Plinii priſcis codicibus *Sinucos* & *Sunucos* appellari ait, in libris editis mendosè *Rinucos* inter Tungros & Friſiabones; apud Tacitum *Sunicos*; in Itinerario MS. Æthici *Supenos*, nonnumquam *Supemos*, ac in nonnullis membranis *Supernos*. Quo in Itinerario cùm *Tolbiacum*, *Zulick* aut *Zulpich* vulgò dictum, *vicus Supernorum* nuncupetur, ſatis apparere *Segnos*, *Sinucos*, aut *Sunicos Supenoſve* in Ducatu Juliacenſi collocari oportere. Sed Cluverio & Samſoni accedere vix poſſum: cùm *Segnos* à *Sinucis* Plinii, & à *Sunicis* Taciti multùm diſtare animadvertam, à *Supenis* Æthici multo magis. Nam ſi ex *Segnis Sinucos* & *Sunicos*, atque etiam *Supenos* facimus, aut fieri poſſe credimus; fateri ſimul cogemur quidlibet ex quolibet confieri poſſe: quo quid abſurdius?

Cluverius *Sunicorum* nomen retinere hodieque ait vicum *Senich*, medium inter oppida Aquaſgrani & Dalemium, & ab utroque paribus diſtantem intervallis: cui proximus eſt alter vicus, *Op Senich* dictus.

SEGUSIANI.

Seguſiani Gens libera Galliæ Celticæ ſive Lugdunenſis, quorum in agro coloniam Lugdunum fuiſſe Strabo & Plinius in capite XVIII. libri IV. docent, poſiti erant inter Ligerim & Ararim ac Rhodanum flumina: & ad Ligerim quidem urbes *Forum Seguſianorum* ac *Roannunam* habuere, ut Ptolemæus ſcribit; ad Araris & Rhodani confluentes *Lugdunum*. Malè Strabo in libro II. *Seguſianos* inter Dubim & Rhodanum ponit, quæ ſunt Sequanorũ ſedes Verba Strabonis ſunt. Προκάθηται δὲ τοῦ ἔθνους τῶν Σεγουσιανῶν ἡ πόλις αὕτη, Lugdunum, κειμένου μεταξὺ τοῦ Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Δούβιος. Erant autem *Seguſiani extra Provinciam trans Rhodanum primi*, uti Cæſar in libro I. de bello Gallico docet; qui & in libro VII. *Seguſianos Æduorum Clientibus* primos adnumerat, & *Seguſianos* unà cum Æduis *eſſe finitimos Provinciæ Galliæ* ſcribit. Quippe ab Allobrogibus gente Provinciæ Romanæ ſeu Narbonenſis, & à Colonia Vienna Lugduno proxima Rhodano tantùm dividebantur. Baldricus Burgulienſis Abbas, qui ante annos DLX. Philippo apud Francos regnante floruit, Lugduni incolas non *Seguſianos*, ſed *Seguſienſes* appellat impropriè his verſibus de Hugone Epiſcopo Deenſi, Legato Sedis Apoſtolicæ, qui Lugduni quò ad Synodum venerat, obiit atque ſepultus eſt in Baſilica S. Juſti.

Virtutum cellam, Divini nectaris aulam
Hac tumulavit humo Seguſienſis homo.

Seguſiani qui ætate C. Julii Cæſaris clientes Æduorum erant, poſtea hac clientela videntur eſſe liberati. Unde à Plinio enumerante Lugdunenſis Galliæ vel Celticæ Gentes, co-

gnominantur *Seguſiani liberi, in quorum agro colonia Lugdunum.*

Orti ſunt ab his forſitan *Seguſiani* in Alpibus Cottiis, *Seguſionis Seguſiive* & *Brigantionis* incolæ, Ptolemæo memorati: qui tamen etiam videri poſſunt nihil cum noſtris *Seguſianis* præter nomen habere commune: uti Meduli, quorum alii ſunt in provincia Narbonenſi ad Alpes; alii in Diœceſi Burdigalenſi ad Oceanum: uti etiam Boii, quorum alteri cum Æduis in Gallia Lugdunenſi ſedes habebant, alteri in Aquitaniæ ſecundæ parte trans Garumnam. *Seguſiani* quidem Alpini à *Seguſio* opido vel caſtro ſuo primario haud dubiè Ptolemæo ſunt dicti: qui aliis *Seguſienſes* meliùs dicuntur, ut Nazario in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto, qui *Seguſienſium civitatem vaſtitatemque* commemorat.

Continent *Seguſiani* pagum Lugdunenſem, portionem pagi Belloiocenſis, Forenſem pagum, partem Brexiæ, & pagi Burbonenſis, ſi Samſoni creditur: qui tamen ſcribit Æduos, quorum clientes erant præ ceteris *Seguſiani*, non tantùm Auguſtodunum, Matiſconem, Cabillonum & Nivernum, ſed etiam Lugdunum continere, pagoſque Lugdunenſem, Forenſem, Belloiocenſem, & Brexiam. At conſtat Lugdunum conditum eſſe in agro *Seguſianorum*, & ejus Gentis caput exſtitiſſe, uti Strabo & Plinius præter ceteros docent. *Seguſiani* autem etſi clientes erant Æduorum, ab Æduis tamen differebant, & ſuas ſibi urbes habebant, ſuos fines ab Æduorum urbibus finibuſque diſtinctos. *Seguſianorum* igitur ſunt *Lugdunum*, *Forum Seguſianorum* & *Rodumna* urbes; non Æduorum: *Seguſianorum* ſunt pagus *Lugdunenſis*, pagus *Forenſis*, & ex parte *Belloiocenſis*; non Æduorum. *Brexia* partim *Seguſianorum*, partim Sequanorum eſt.

SEGUSIO ET DE CANIBUS SEGUSIIS.

Regio Italiæ IX. Tranſpadana olim, demum Liguria impropriè appellata, *Seguſionem* jaminde à Plinio, vel potiùs jaminde ab Auguſto Cæſare, cujus deſcriptionem Italiæ in regiones XI. Plinius ſequi ſe profitetur, opidis ſuis adnumeravit. *Tranſpadana appellatur ab ea regio IX.* (inquit Plinius) *Opida Vibî Forum, Seguſio.* Ptolemæus *Seguſianos* neſcio quos, à *Seguſianis* in quibus ſunt Lugdunum, Rodumna & Forum *Seguſianorum*, longè diverſos ac remotos comminiſcitur in Alpibus Cottiis inque Italia, *quorum urbes ſint Seguſium & Brigantium*, Σεγούσιον ϗ Βριγάντιον. Vbi forſitan legi convenit Σεγουσίων ϗ Βριγαντίων, *Seguſio & Brigantio*: cùm à Plinio qui Claudium Ptolemæum præceſſit, *Seguſio* nuncupetur. *Seguſionis* meminit Æthicus bis inter Taurinos & Brigantionem: ſed in omnibus ferè codicibus *Reguſione* pro *Seguſione* ſcriptum reperiri teſtatur Simlerus. Tabula Theodoſiana *Seguſionem* commemorat, ejuſque ſitum eumdem quem Æthicus facit. *Brigantione in Alpe Cottia* v. *Gadaone* VIII. *Martis* XVII *Seguſione* XXII. *Finibus* XVIII. *Auguſta Taurinorum. Fines* quoque, ſeu *Ad Fines* interponit Taurinis & *Seguſioni* ſemel atque iterum Æthicus, locum à Taurinis XVIII. à *Seguſione* XXIIII. millibus paſſuum diſtantem. Qui locus ut nomine ipſo indicat, finis cùm ſit Italiæ, & initium Galliæ, *Seguſionem* cùm ſtatione Martis atque Gadaone omnino Galliarum finibus includit. *Alpium Cottiarum initium à Seguſione opido eſſe*, ex Italia nimirum in Galliam tendenti, ſcribit Ammianus in libro XV. & ſepulcrum Regis Cottî mœnibus ejus proximum exſtitiſſe, à quo Alpibus nomen. Nazarius in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto *Seguſienſium civitatem* vocat, quæ Conſtantino Maximo ex Gallia adverſus Maxentium contendenti, *ſuperatis Alpibus Italiæ clauſtrum objecerit*: incertus auctor in Panegyrico eidem Principi dicto *ſub ipſis Alpium jugis munitiſſimum muro ac ſitu & propugnaculis opidum*; incolas ejus *Subalpinos* appellat, locum ſitûs deſcriptione deſignâſſe contentus. Itinerarium à Burdigala Hieruſalem uſque *Secuſionem* vocat ſic. *Manſio Brigantium: inde adſcendis Matronam. manſio Secuſione: inde incipit Italia: civitas Taurini.* Dicitur inde incipere Italia, non ibi incipere: itaut *Seguſio* quidem Galliæ adſcribatur, eumque locum tranſgreſſos excipiat Italia.

Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro IV. Hiſtoriæ *Seguſium urbem* memorat, ſed ſcripti codices *Siuſium* præferunt. Fredegarius in libri V. Chronici capite XLV. & Aimoinus in libro IV. ſcribunt, duodecim Langobardorum Duces, tum Interreges, propter incurſiones quibus Regnum Francorum ſæpe vaſtaverant, *duas civitates, Auguſtam & Siuſium*, Aimoino *Seuſium* dictam, cum toto earum territorio, cumque valle Amectegi Regi Guntchramno ex pacto dediſſe. Sic utraque urbs Italiæ detracta, & Burgundiæ parti Galliæ à Francorum Regibus adnexa eſt. *Seguſionem* inprimis, totumque *pagum Seguſinum*, in quo Ferraria, & Novalicium locus Monaſterio illuſtris eſt, (*la Novaleſe*) Guntchramnus Maurienenſi Eccleſiæ quam recèns condiderat, ſubdidit & attribuit, Taurinorumque Epiſcoporum poteſtati exemit: ut in codice Anicienſi notatum obſervavit Sirmundus. Et Carolus Magnus priuſquàm victo captoque Deſiderio totam Langobardiam occuparet, *Seguſionem* cum Novalicio totoque *pago Seguſino* uſque ad Cluſuras obtinuit: quæ nimirum loca unà cum Auguſta Prætoria & valle Auguſtana, etiam poſt domitos à Carolo Langobardos, Galliæ accenſebantur: ſicuti in Auguſta Prætoria notavimus. Certè in quadam vetere Notitia Galliæ è bibliotheca Thuanea erutâ, in provincia Alpium Graiarum & Penninarum IV. loco ponitur *Civitas Sentium*. Civitas enim vel urbs *Seguſio*, poſtea *Seguſium* dicta eſt, deinde g litterâ ſublatâ *Seuſium*; *Siuſium* quoque ac *Sioſium*, e in i & u in o ex more converſis. At *Sentium* corruptum nomen eſt pro *Seuſium*: cùm ſ in t numquam mutetur. Tamen *Sentia caſtrum antiquiſſimum inter Alpes* vocatur & à Glabro Rodulfo in libri IV capite III. Vulgò *Suſa* Italis, Noſtris *Suſe* dicitur, opidum poſitum ad *Duriam* amnem, *Doriam* vulgo dictum; Noſtris *Doire Suſine*, id eſt *Duriam Seguſinum*, ut ab altero Duria

diſtinguatur. *Duria Seguſinus* ad urbem Taurinos Padum auget, qui pòſt Sturam, tum Orgum, deinde Duriam majorem recipit. Urbs Auguſta Taurinorum habet *portam Seguſinam*, quæ *Seguſium* tendit, in Chronico Novalicienſi memoratam.

Pagus Seguſinus vocatur à ſitu *Vallis Seuſana* in Geſtis Pippini Franc. Regis; *Vallis Seguſina* in Chronico Novalicienſi; *Vallis Seguſiana* in Diviſione Regni Caroli Magni inter filios; Italis *Val di Suſa*; Noſtris *le Val de Suſe*: propterea quòd Alpibus ex utraque parte includitur, & ad pedes radiceſve montium utrimque jacet.

Arrianus Nicomedenſis Philoſophus & Hiſtoricus, Antonini Pii Aug. ac Ptolemæi Aſtronomi æqualis, in Cynegetici capite III. de canibus veſtigia leporum cum clangore & latratu odorantibus, excitatoſque perſequentibus ait, *hos canes vocari Seguſios à Gente Gallica, cujus in finibus primùm nati ſint, & in pretio eſſe cœperint*. Verba Arriani ſunt. Καλοῦνται δ' Ἐγυσίαι αἱ δὲ αἱ κύνες, ἀπὸ ἔθνους Κελτικοῦ τὴν ἐπωνυμίαν ἔχουσαι. ὅ πρῶτον, ὡς γ' ἐμοὶ δοκεῖ, ἐφυσάντο καὶ εὐδοκίμησαν. Σεγουσίαι haud dubiè legendum eſt, non Ἐγυσίαι: & *Seguſii* illi, Gens Galliæ, qui *Seguſiis canibus* nomen dederant, mihi videntur eſſe *Seguſiani* Alpini Ptolemæi, *Seguſionis* & Brigantionis incolæ, potiuſquam *Seguſiani*, quorum urbes ſunt Lugdunum, *Forum Seguſianorum*, & Rodumna. Quippe canes iſti *canes Segutii* in legibus Burgundionum; *canes Seuſii* in legis Salicæ titulo VI. & in legis Alamannorum titulo LXXXII. Germanicè *Seuſihunde* vel *Schweinhunde* appellantur, cùm antè à *Seguſiis* aut *Seguſianis canes Seguſii* dicerentur. Ex *Seguſia* autem gente ac canibus *Seuſii* facti ſunt, ſicut ex *Seguſio* capite *Seguſianorum Seguſiorumve Seuſium*, ac *Siuſium*, nunc Marchia.

SELME.

In Diviſione Regni Lotharii ante annos octingentos facta memoratur *Selme* inter *Bleſitchowvam & Albechowvam*: locus hodieque dictus accolis *Salm*, Noſtris *Salme*; caput Comitatûs in Lotharienſium finibus ad fontem Saravi ſeu Saræ flum. Richerius in Chronico Senonienſi *Salinas* paſſim vocat, & in libri III. capite II. in libri IV. capite XX. alibique ſæpe *Comitis Henrici de Salinis* mentionem facit, quem & in libro V. *Henricum dominum de Salinis* multoties nuncupat: ut legi in Chronico Richerii MS. ubi pro nomine *Salinis* quod mendoſum putârunt, tranſſcriptor & editor Chronici ubique ſuppoſuerunt *Salmis*. Nihilominùs tamen & *Salinas* appellat Vita Bernardi Abbatis Claravallenſis, in qua hæc de Henrico iſto reperio. *Rogavit Nobilem virum Henricum de Salinis Bernardus, ut Mettenſi civitati & populo pacem daret, cui graviter inimicabatur.*

SENONES.

Apud *Senones*, *quæ eſt civitas in primis firma & magnæ inter Gallos auctoritatis*, Cavarinum Cæſar Regem conſtituit: *cujus frater Moritaſgus adventu in Galliam Cæſaris, cujuſque majores Regnum obtinuerant.* Hi ſuum Senatum habuere, ut Ædui, Veneti, Carioſolites, Unelli, Remi, Treviri, Lexovii, Aulerci Eburovices, Ubii, ac ceteræ Galliæ civitates: uti ex Cæſare diſcimus: qui in libro V. ac VI. *Senones Carnuteſque* conjungit ob ſitum, *Pariſioſque eis eſſe confines*, quemadmodum etiamnum ſunt, ſcribit, ac *Æduorum antiquitus fuiſſe in fide civitatem Senonum*: in libro II. *Senones finitimos Belgis fuiſſe* ait, & idem ſex legiones in *Senonum* finibus Agedinci in hibernis collocavit. Hi Livio in libro V. alibique *Senones*; Plinio & *Senones* in Gallia Lugdunenſi dicuntur. Silius in libro VIII. amnes Italiæ enumerans, flumen *Senam* à *Senonibus* trans Alpes profectis & Italiæ partem obtinentibus nomen ait accepiſſe hoc verſu,

> Et Clanis, & Rubico, & Senonum de
> nomine Sena.

Notiſſimus eſt Claudiani verſus

> Quis meminit Latio Senonum ſerviſſe
> ligones?

Galli Senones (ſi Servio in VIII. Æneidos & Iſidoro in libro IX. creditur) *antiquitùs Xenones*, (Ξενῶνες) *quia Liberũ Patrem hoſpitio receperunt: ſed poſtea X in S commutato Senones appellantur.* Sed ridiculum eſt nomini Gallico Græcam originem dare. Ab Strabone & à Plutarcho in Camillo *Sennones* appellantur: (Σέννονες) à Ptolemæo noſtri quidem Σένονες; qui autem in Italia conſedere, *Semnones*. (Σέμνονες) Quod certè fieri non oportuit: cũm uni eidemque populo, licèt diverſas diſtanteſque regiones incolenti, unum idemque nomen omnino conveniat. Quare prudentiùs Ptolemæo Polybius fecit, à quo *Senones* Italici eodem quo Gallicani nomine nuncupantur Σήνωνες, nec alia quàm aboriginum ſuorum appellatione cenſentur. In ora ſextæ regionis Italiæ *Senogallia* à *Senonibus* Gallis nomen habet, *Sena Gallica* quibuſdam veterum dicta, in primis Ptolemæo Σημ όνων in Piceno Σηναγάλλικα inter Eſis oſtium & Fanum Fortunæ; & in tabula Theodoſiana *Sena Gallica*, Straboni Σῆνα in Umbria; vulgò *Singaglia*.

Ab *Senonibus* Alpes tranſgreſſis fuſus cum Fabio Conſule ad Alliam flumen Romanus exercitus, aperta Urbs invaſa & incenſa, ac igne, ferro, manibus exciſa. Qua de re ſcribens Annæus Florus in Epitomes rerum Romanarum libro I. *Senones* Oceani accolas facit his verbis. *Galli Senones, Gens naturâ ferox, moribus incondita, ad hoc ipſa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeò omni genere terribilis fuit, ut planè nata ad hominum interitum, urbium ſtragem videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris & cingente omnia Oceano ingenti agmine profecti, cùm jam media vaſtâſſent; poſitis inter Alpes & Padum ſedibus, ne his quidem contenti, per Italiam vagabantur. T[…]m Cl[…]ſium obſidebant*, &c. Idem dicit D. Junius Juvenalis Sat. XI.

> Templorum quoque majeſtas præſentior,
> & vox
> Nocte ferè media mediamque audita per
> Urbem,
> Litore ab Oceani Gallis venientibus.

Æthicus

Æthicus quoque in Coſmographia inter *Oceani Occidentalis opida Senones* numerat. At *Senones* tamen Oceanum non attingunt, & Agedincum caput *Senonum* abeſt ab Oceano ſeu à Carocotino portu millia paſſuum centum & viginti, à Juliobona portu Caletorum millia cx. quemadmodum Itinerarium provinciarum docet.

Ceterùm quum Julius Cæſar in libro VII. ſcribit, *Senonibus*, Sequanis, Biturigibus, Santonibus, Rutenis, Carnutibus viginti duo millia a Principibus Galliæ imperata eſſe, ad Aleſiam cum Vercingetorige & octoginta hominum millibus obſidione Romana liberandam: videtur indicare, ſingulas eas Gentes ut erant frequentes ac validæ, XXII. millia armaviſſe: nec ob aliud à Cæſare ſimul eſſe commemoratas, quàm quia parem militum numerum contulerunt. Certè parum veriſimile eſt *Senones*, Sequanos, Bituriges, Carnutes terna tantùm aut quaterna millia hominum confeciſſe ſingulos: cùm Æduis eorumque clientibus Seguſianis XXXV. millia, totidem Arvernis, Cadurcis, Gabalis & Vellavis Arvernorum clientibus ſint imperata, Bellovacis & Lemovicibus dena, VIII Pictonibus, Turonibus & Pariſiis ſena, Ambianis, Mediomatricis, Petrocoriis, Nerviis, Morinis, Nitiobrogibus V. millia, Cenomanis totidem, Atrebatibus IV: quibus ex populis pauci, Æduis & Arvernis exceptis, pares erant *Senonibus*, Sequanis, Biturigibus & Carnutibus; plerique inferiores. Denique *Senones* & Carnutes (ne de Sequanis & Biturigibus loquar) pluriмum abſunt à Santonibus & Rutenis: itavt copias conjungere & unà ad Aleſiam proficiſci nec potuerint facilè, nec etiam debuerint. Nihil enim habebant inter ſe commune præter genus, nec alteri ſub alterorum imperio aut clientela erant. Itaque Gallorum qui ad Aleſiam profecti ſunt, equitum & peditum numerus fuit non CCXLVIII. circiter millium, ut in libris Cæſaris impreſſis reperitur, ſed CCCLVIII.

N. Samſon in Notis ſuis, quibus Julii Cæſaris Commentarios belli Gallici illuſtravit, affirmat *Senones* ætate Cæſaris unà cum *Senonica* Diœceſi Autiſſiodurenſes & Tricaſſes; ante ejus ætatem Pariſios inſuper ac Meldos eſſe complexos. Quod de Autiſſiodurenſibus dici verè poteſt ac etiam debet: de Tricaſſibus, de Pariſiis quoque ac Meldis dici non poteſt Nam & Tricaſſes, & Pariſii, ac Meldi, tres Galliæ Lugdunenſis claræ civitates ac nobiles populi ſemper extiterunt, & ſuos ſinguli fines à *Senonum* finibus diviſos, ſua opida caſtellaque habuerunt. Nec quia Cæſar Tricaſſium mentionem non fecit, at *Senonum* fecit; ideo credendum eſt Tricaſſes vivo Cæſare partem *Senonum* fuiſſe. Nec quia *Pariſii confines erant Senonibus, civitatemque ſuam patrum memoriâ* cum civitate *Senonum* fœdere aliquo ac ſocietate *conjunxerant*, uti ait Cæſar: ideò pars *Senonum* fuere, aut *Senonibus* paruere, aut civitatem ſuam non habuere à civitate *Senonum* omni ex parte ſeparatam. Idem de Meldis ſentiendum.

Senones Galli pro parte Burgundiones dicuntur, qui antiquitùs Senones dicebãtur, &c. inquit Gervaſius Tiſleberienſis in libro de Otiis Imperialibus. Hinc quidam hodieque Agedincum in Burgundia ponunt, & *Senonas in Burgundia* cognominant, *Sens en Bourgongne*: Guillelmum de Podio Laurentii ſecuti, qui in capite XXXIV. *Senonas Burgundiæ metropolim civitatem* vocat: quam urbem alii meliùs extra Burgundiam collocant, & *Sens ſans Bourgogne* nuncupant. Ex Conciliis enim conſtat, urbes *Senonum*, Agedincum caput Gentis, & Autiſſiodurum (ne de ceteris loquar) numquam veteri Regno Burgundiæ, ac ne poſteriori quidem, ſeu Tranſiurenſi eſſe attributas: & ipſe Gervaſius aliique non inter ſex Burgundiæ, ſed inter ſeptem Franciæ metropoles *Senonenſem* numerant: nec civitatem *Senonas* Ducatui Burgundiæ aſſignatam reperio. Quia tamen quidquid Guntchramnus Francorum Rex obtinuit, (portionem autem Franciæ, in primis urbes *Senonas* & Autiſſiodurum cum toto Burgundiæ Regno obtinuit) à majori parte dictum eſt Burgundia; & ipſe, ac qui ei ſucceſſit Childebertus, Theodoricus quoque Childeberti filius, & ceteri ſæpe Reges Burgundiæ à noſtris ſunt appellati: ideò (ni fallor) *Senonas* cum Autiſſioduro nonnumquam Burgundiæ tribui animadverto. Nec aliam ob cauſſam apud Frodoardum Fulco Remorum Archiepiſcopus in epiſtola ad Carolum Ludovici Regis Tranſrhenani filium, *civitatem Pariſiorum eſſe caput & interitum Regnorum Neuſtriæ atque Burgundiæ* dicit. Non aliam inquam ob cauſam dicit hoc Fulco, quàm quia & Autiſſiodurum, & urbs *Senonum* jamtum Burgundiæ accenſebantur: & Neuſtria tum admodum imminuta, fluminibus Sequana & Ligere claudebatur. Auctor eſt etiam Clarius Odorannum ſecutus in Chronico, *Richardum Principem Burgundiæ vel Ducem Burgundionum Senonas* à VValterio Archiepiſcopo & VVarnerio Comite anno DCCCXCVI. *recepiſſe*, & ab Antiſtite capto ac poſt menſes IX. è cuſtodia dimiſſo obſides accepiſſe, ac in Baſilica S. Columbæ *Senonis* ſepultum eſſe. Regino ambobus vetuſtior, in rebus anni DCCCLXXXVIII. *Hionnam fluvium*, id eſt Icaunam *Burgundiæ fines* vocat, & *Senonas urbem* in Burgundia ponit. Guillelmus quoque ſuprà, in libri de bello Albigenſi capite XXXIV. *Senonas Burgundiæ metropolim civitatem* appellat.

Senones nomen dedere provinciæ Lugdunenſi IV. cujus metropolis & caput eſt *civitas Senonum*, quæ in Notitia Imperii, & in vetuſtiſſima Notitia provinciarũ Galliæ nunc *provincia Lugdunenſis Senonia*, nunc *Senonia Lugdunenſis*, interdum *prov. Lugdunenſis Senonica* à Senonibus, totius provinciæ clariſſima Gente dicitur: quam regionem Chora & Icauna flumina à provincia Lugdunenſi I. dividunt. In Synodo habita adverſus Arnulfum anno DCCCCXCI. *provincia Senonenſium* dicitur *eſſe prima Sequanorum metropolis, Remenſique provinciæ contigua*: quia nimirum prov. *Lugdunenſis Senonia* accolarum fluminis Sequanæ, Tricaſſium videlicet ac Pariſiorum & Carnutum metropolim habebat *civitatem Senonum* Agedincum. Accolæ autem iſti Sequanæ heic nomine improprio *Sequani*

appellantur. Nam ad *Senoniam* Sequani quorum caput eſt Veſontio, nihil pertinent.

Iidem *Senones* nomen etiam dederunt *pago Senonico* : quem abſolutè *Senonicum* vocat Severus Sulpicius in libro III. de Vita S. Martini, ac *Senonum regionem*; *Senonicum* & Nithardus; Geſta Francorum in capite XXXVII. *pagum Senonicum ſuper fluvium Aroannam*; Capitula item Caroli Calvi Silvacenſia *pagum Senonicum*, ut & Aimoinus in libri Hiſtoriæ IV. capite IX. At Fredegarius in libri ultimi Chronici capite XLVIII. corruptè *pagum Senonagum* pro *Senonico* appellat; uti Gregorium *Epiſcopum Toronacum* pro Turonico: mirum ut ſit Godefridum Henſchenium *pagum Senonagum* iſtum Fredegarii, quem ex Aimoino Fredegarii transſcriptore aliiſque diſcere facilè potuit *pagum Senonicum* eſſe, circum *Sennam* fluviolum ac Bruceſellam quæſiviſſe. *Pagus* autem *Senonicus*, *le Senonois*, non *Senoniam* (ut cum Sidonio & ceteris veteribus loquar) ſeu provinciam Lugdunenſem IV. complectitur, ac ne totos quidē *Senonum* fines, à Sequana ad Ligerim longè lateque pertinentes: (Nam VVaſtinenſis pagus, & Melodunenſis, & Stampenſis aliique *Senonum* finibus continebantur) ſed tantùm agrum ſuburbanum Agedinco *Senonum* ſubjectum ac circumfuſum.

In *Senonica Diœceſi* ſunt DCLXXIV. parœciæ, ſive Eccleſiæ Baptiſmales cùm urbanæ tum ruſticanæ: Archidiaconatus ſex, *Senonicus*, ſive major, nimirum urbis ipſius Agedinci, VVaſtinenſis, Melodunenſis, Pruvinenſis, Stampenſis, Briegenſis: ex quo apparet ejus Diœceſeos amplitudo. Quibus omnibus ſi addas Autiſſiodurenſem Diœceſin, & ipſam in *Senonibus* poſitam, nec parvam aut contemnendam: facile erit intelligere, fines *Senonum* olim longiſſimè ac latiſſimè patuiſſe.

SENONIÆ.

Senoniæ locus eſt in *Valle Senonienſi* apud Lotharienſes, veteri Monaſterio à Gundelberto exſtructo inſignis, vulgò *Senone* dictus, in ſaltu Voſago: Mediano Monaſterio *Moyen Moſtier*, S. Hildulfi operi, & Stivagio *Eſtivay*, veteri Cœnobio, necnon *Juncturis* ſeu S. Deodati Monaſterio S. *Diey* proximus.

SENTIACUM.

Annales Fuldenſes *villam Sentiacam* vocant, in rebus anni DCCCXLII. *Hludowicus & Carlus Hlotharium in villa Sentiaca morantem, & à ſuis deſertum in quibus non parum confidebat, fugere compellunt* XVII. *Kal. Aprilis.* Hæc verba docent villam Regiam ſeu Palatium Principum noſtrorum tum fuiſſe; ſed multo magis verba Nithardi in libri III. fine, quæ talia ſunt. *Lodharius ut fratres ſuos Moſellam tranſiſſe, in Sinciaco didicit, confeſtim & ipſe abire & Regno & ſede non deſtitit.* *Sedem* vocat *Sentiacum*, hoc eſt Palatium vel Regiam, aut villam Dominicam. Annales certè Bertiniani diſertè appellant *Sentiacum Palatium*, *à Moſella flumine octo ferè millibus conſtructum*: Annales Metenſes in anno DCCCXCV. *Confluentem*, *Andrenacum*, *Sinciacha fiſcos obſequiis Imperialibus deditos*, hoc eſt villas fiſcales aut publicas. *Sentiacum*, vel *Sinciacum*, vel *Sincicha*, nunc vulgò dicitur *Sintzich*, locus ad ripam fluminis Rheni poſitus Antunnacum inter & Bonnam, ad Aræ amniculi & Rheni confluentem. Incorruptum loci nomen Latinumque, *Sentiacum* à Sentio: uti Rufiacum in Lemovicibus à Rufio, Lucilliacum in Turonibus à Lucillio veteres dixere. Notus eſt C. *Sentius Saturninus*, qui Auguſti principatu Conſulatum ordinarium in Urbe, & in Germania Legatus res magnas geſſit: notus eſt Rutilii Numatiani carmine *Venerius Rufius*, cui Rutilius Itinerarii ſui libros duos nuncupavit; notus &

Rufius, Albini gloria ſviva patris.

SENUNA ET SEVA FLUVII.

Britto in libro VIII. Philippidos memorat Abrincas

Colle ſitas inter Sevam Senunamque ſupino:
Piſciferos amnes, multo ſalmone feraces.

Quibus ex fluviis *Seva* vulgò *Sée* appellatur, *Senuna Selune*. Eorumdem fluminum meminit Apparitio S. Michaëlis Archangeli in Monte Tumba, ante ſæculum X. ab incerto auctore deſcripta capite I. his verbis. *Hic locus Tumba vocitatur ab incolis, quòd in morem tumuli emergens in altum, in ſpatio ducentorum cubitorum porrigitur, & Oceano undique cinctus, anguſtum admirabili inſula præbet ſpatium, inter oſtia ſitus, ubi immergunt ſe mari flumina, Segia, necnon & Senuna, præbens habitantibus hinc inde non breve nimiùm ſpatium: qui ab Abrincatenſi urbe* VI. *diſtans milibus, occaſum proſpectans, Abrincatenſem pagum dirimit à Brittania.* Auctor hujus Apparitionis, Guillelmo Brittone multo vetuſtior, *Segiam* vocat, quem Britto *Sevam* nuncupare maluit: ambo *Senuna* priſcum nomen relinquunt: quem n in l. uti ſæpe aliàs converſo *Selunam* Noſtri dicunt.

SEPTIMANIA VEL GOTHIA, QUÆ ET LINGUADOKIUM.

Tota olim Gallia Narbonenſis, diu ſub Romanis una fuit provincia: poſtea in Narbonenſem Viennenſemque diviſa eſt. Narbonenſis provincia dicebatur, quam Volcæ Tectoſages & Arecomici obtinebant. Nec multo pòſt ex quibuſdam civitatibus provinciæ Viennenſis factâ novâ provinciâ Narbonenſi, priorem de qua ſermo eſt, *provinciam Narbonenſem* I. poſteriorem *Narbonenſem* II. cognominaverunt.

Provinciam hancce *Narbonenſem primam*, cujus caput & metropolis erat Narbo, Apollinaris Sidonius in epiſtola I. libri III. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VIII. capitibus XXVIII. & XXX. & in libri IX. VII. & XXXI. capitibus, Carolus Magnus in litteris de Diviſione Regni ſui inter III. filios, Ludovicus Pius, veteres rerum Francicarum

Annales, Eginhardus, aliique *Septimaniam* vocant, non ut Bernardus Guido Lutevenſis Epiſcopus putat, à monte *Setio*: (Nam à Setio *Setiana* diceretur) nec ſicut Sirmundo placuit, à *Septimanis Biterrenſibus*: (Quippe Sidonii ætate in omni ferè Gallia ut Imperii Romani & Coloniarum militarium memoria pridem exoleverat: neque civitas Biterræ caput fuit provinciæ Narbonenſis I. ut ejus coloni *Septimani* nomen ipſi ſuum dare potuerint) multo minùs à *ſeptem provinciis*, quarum judices Honorius Aug. Arelatum quotannis convenire edicto juſſerat: quæ Scaligeri opinio eſt. (Cur enim Conventus Arelatenſis in provincia Viennenſi, nomen provinciæ Narbonenſi primæ novum indidiſſet?) Sed quod primus animadverti, à numero civitatum Narboni metropoli attributarum atque ſubjectarum. Erant autem ſeptem, nimirum Toloſa, Beterræ, Nemauſus, Agatha, Magalona, Luteva, Ucecia. Sic finitimam Aquitaniam *Novempopulanam*, ſic Græci Cyrenaicam *Pentapolitanam regionem* à V. urbibus, ſic partem Syriæ Damaſcenen *Decapolin* à numero opidorum, & portionem Ægypti à ſeptem Nomis ſeu Præfecturis opidorum *Heptanomiam* dixere. Et *Septimaniam* quidem Veſigothi, poſt receptum Narbonem Severi Principatu, totam uſque ad Rhodanum circa tempora Nepotis occupaverunt: cujus urbes II. Toloſam & Uceciam cùm prœlio Vogladenſi & cæde Alarici Regis amiſiſſent; ne ſuum *Septimania* nomen non conveniret, earum in locum Carcaſſo & Elena ſucceſſere: ut docet Concilium anno IV. regni Reccaredi Regis Narbone habitum, cui ſub Megethio Narbonenſi Metropolitano Epiſcopi, Sedatius Biterrenſis, Boëthius Magalonenſis, Pelagius Nemauſenſis, Tigridius Agathenſis, Sergius Carcaſſonenſis, Agrippinus Lotevenſis, Benenatus Elnenſis interfuerunt; id eſt omnes provinciæ ejus Antiſtites. Idem Concilia Hiſpaniæ docent, & terminatio Epiſcopatuum Hiſpaniarum ac *Septimaniæ* à VVamba Rege facta: quibus in Conciliis *Epiſcopi*, *Narbonenſis*, *Beterrenſis*, *Agathenſis*, *Magalonenſis*, *Nemauſenſis*, *Lutevenſis*, *Carcaſſonenſis*, atque *Elenenſis* ſubſcribunt: & eaſdem civitates vel Sedes in *Gallia Gothica* Narboni metropoli VVamba jubet ſub acere; cùm antea Carcaſſonis & Elenæ tamquam civitatum Epiſcopalium nulla uſquam mentio fiat. Quare Vita Ludovici Pii, & ſtatutum ejus de Monaſteriis Galliæ *pagum Toloſanum* à *Septimania* diſertè diſtingunt; & ante omnes Gregorius noſter in libri VIII. capite XXX. ubi *Septimaniam provinciam Galliis eſſe propinquam*, id eſt Regno Francorum ſcribit, quam *intra Galliarum terminum haberi* in capite XXVIII. veriùs tradidit.

Septimania ſæpe & *Gothia* eſt appellata, propterea quòd jaminde à Theodorico juniore & Eurico Principibus, Gothis occiduis per annos circiter CCL. ſeu Veſigothorum Regibus in Hiſpania dominantibus paruit. Sic Gregorius in libri VII. capite IX. *terminum Gothorum*; ſic Vita Betharii Carnutini Epiſcopi, Geſta Pippini Franc. Regis & Caroli Martelli ejus patris *Gothiam*, & *regionem Gothicam*, ac nonnumquam corrupto nomine *Gotiam* & *Guttam*, ac incolas ejus provinciæ *Gothos* nuncupant: Carolus Magnus in Diviſione Regni ſui inter filios *Septimaniam vel Gothiam* utroque nomine ſemel atque iterum vocat. Alii nunc hoc, nunc illud vocabulum uſurpant. Unde hodieque *Landgothiam* dici, id eſt regionem Gothorum Maſſonus aliique exiſtimant, ſed nomine Francico valde corrupto *Languedoc* appellari pro *Landgoth*. Provinciale regnante apud Francos Ludovico IX. ante annos CCCC. compoſitum eam provinciam *Gotiam* quoque vocat; *Gotiam* & Notitia Epiſcopatuum Galliæ poſt annum MCCCXXII. ſcripta: licet Gervaſius Tilleberienſis & alia quædam Notitia hancce provinciam unà cum Novempopulana Vaſconiæ ſive (uti loquuntur) Gaſconiæ adſcripſerint. Ubi notandum eſt, Oroſium in fine libri VII. Sidonium in libro VII. epiſtolarum, & uti videtur Gregorium Turonicum Epiſcopum in libri IV. capite XLVI. *Gothiæ* nomine totum Gothorum Regnum intra Hiſpanias & Gallias deſignaviſſe. Quibus adjungo hæc verba ex Vita Heptadii Preſbyteri, quam in Muſciacenſi codice ſcriptam legi. *Tempore quo Præcellentiſſimus Clodoveus Rex Francorum in Gocia cum exercitu eſſet ingreſſus, & ab eo Alaricus Rex Gottorum fuiſſet interfectus, facta eſt captivorum innumerabilis multitudo.* *Gocia* heic ſcripta eſt pro *Gothia*. *Gothia* autem heic dicitur non *Septimania* Gothis parens, ſed Aquitania ſecunda eiſdem ſubjecta, in qua apud urbem Pictavos Alaricus eſt interfectus.

Septimaniam ſive *Gothiam* ſcriptores Hiſpani aliis aliiſq; nominibus appellant. Johannes Abbas Biclarenſis in Chronico *Galliam Narbonenſem* bis vocat, ſicut Gregorius noſter in libri IX. capite XV. *provinciam Narbonenſem*; Iſidorus Pacenſis Epiſcopus *Narbonenſem Galliam*: idem Johannes *provinciam Galliæ* abſolutè nuncupat. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Liuva & in Leovigildo *Galliæ Regnum* & *Narbonæ Regnum*, in Reccaredo modò *Gallias*, modò etiam *Hiſpanias* impropriè nominat: quemadmodum Fredegarius noſter in anno XXVI. & XXIX. regni Guntramni *Spanias* & *Spaniam*. Julianus Toletanus Epiſcopus in VVamba *Galliam*, *Gallias*, *terram Galliæ*, *provinciam Galliæ*, atque exemplo Johannis & Gregorii *Narbonenſem provinciam* appellavit.

Anſelmus Abbas Gemblacenſis in Chronico ad annum MCXXXV. deducto, anno MCXVIII. *Gothiam, provinciam S. Ægidii dici* ait: ſicuti Comites Gothiæ vel Toloſæ, *Comites S. Ægidii* ſæpe ſunt appellati, à celebri loco Monaſterioque S. Ægidii Rhodano adſito. Albertus Aquenſis in libri II. Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ capite XXIV. non ſolùm *terram S. Ægidii* ab S. Ægidio, ſed etiam *Provinciam* appellat *Septimaniam*, etiam ante *Provinciam* inter Comites Toloſæ & Barcinonis anno MCXXV. diviſam. *Raimundus Comes de terra S. Ægidii, quæ dicitur Provincia*: & in libri X. capite XLVII. *Erat & alia turris, in qua apoſtatæ ex Provincia de Comitatu Raimundi ad defenſionem poſiti reſiſtebant.* Idem in libri VI.

capite LV. ſic ſcribit. *Hi collectione navium è diverſis terris & Regnis contractâ, ſcilicet ab Antuverpia, Tyla, Friſia, Flandria, per mare Provincialibus in terra S. Ægidij, de poteſtate Comitis Reimundi, adſociati.* Gregorius noſter, Sigebertus, Guibertus Abbas Novigenti, aliique *Septimaniam*, ſive *Comitatum Toloſæ*, ſive *provinciam S. Ægidij* ſimiliter *Provinciæ* nomine, & *Septimanos Provincialium* nomine deſignavere; ut in *Provincia* docui.

Vulgò *Languedoc* à Noſtris dicitur, non ut quidam exiſtimant à Gothis, quaſi *Land-Got*, ſeu regio Gothorum; aut ut Nicotio placet, à *Lingua Gothica*, quaſi *Languegoth*, quemadmodũ Rabelaſius vocat: ſed quoniam olim totum Franciæ Regnum in provincias linguæ *oüy* & linguæ *oc* dividebatur: (*de Langue-d'oüy, & de Langue-d'oc*) provinciæ Narbonenſi I. ſive Septimaniæ aut Gothiæ, quæ una ex linguæ oc provinciis erat, nomen *Linguadocy* remanſit, *Languedoc*. Quidam *Occitaniam*; alii *provinciam Lingua Occitana* vocitant. Hæc autem diviſio Franciæ facta eſt duas in linguas, quòd Vaſcones, *Gothi* ſive *Septimani*, Provinciales, Dalfinates, aliique linguæ tortæ populi, ſed præcipuè *Gothi* pro ita vel utique *oc* dicere conſueverant, id eſt *hoc*: ceteri Franciæ incolæ *oüy*. In Appendice Chronici Guillermi Nangiacenſis, in anno MCCCXXXVII. *Septimania* vocatur *Linga Orcitana* corruptè pro *Lingua Occitana*. *Quidam nobilis homo de Linga Orcitana, qui Renaldus de Normannia vocabatur, Pariſius in platea Porcorum ſecuri judicio Regis percutitur:* & ibidem *Barones de Linga Orcitana, ac Toloſani* memorantur. In Geſtis quorumdam Epiſcoporum urbis Romæ, *Eo tempore* (Clemente VI. ſedente) *fuit in Regno Franciæ, & præſertim in Lingua Occitania cariſtia validiſſima.* In Innocentio PP. VI. *Johannes Armaniaci, Locumtenens Regius in Lingua Occitana* dicitur, & ibidem Johannes *Comes Pictavenſis, deputatus pro regimine patriæ Linguæ Occitanæ.*

Linguadocij autem nomine non ſolum Narbonenſis prima, ſed etiam pars Aquitaniæ continetur. Quippe dividitur *Linguadocium* in Auſtrinum vel inferius, quod vergit ad mare, & de Aquitanis Albienſes ac partem Cadurcorum Rutenorumque continet; & in ſeptemtrionale vel ſuperius, quod reliquam portionem Cadurcorum ac Rutenorum, Gabalos, Vivarienſes, Vellavoſque complectitur, Gentes Aquitanicæ: ſi Vivarienſes aut Helvios unos excipias, provinciæ Viennenſi attributos. Alii in ſuperiore *Linguadocio* Archiepiſcopatum Toloſanum cum VII. ſedibus ei ſuffragantibus ponunt; in inferiore Narbonenſem metropolim cum Antiſtitibus ei ſubjectis.

Heic obiter notandum eſt, errare Andream Cheſnium, & Jac. Sirmundum, quum ſcribunt *Septimaniam* olim *Gothiam* dictam eſſe, & nunc *Linguadociam*, quaſi *Landgothiam*, id eſt terram Gothorum vocari, propterea quòd primæ Gothorum ſedes in Septimania Gothiave fuerint: cùm Valiam Gothorum Regem pace factâ revocaverint ex Hiſpania Honorius Aug. Conſtantiuſque Patricius, eique ob egregias victorias de Alanis & Vandalis, & ob redditam Placidiam Honorii ſororem, provinciam Aquitanicam ſecundam, Novempopulos, & unam tantùm *Septimaniæ* urbem Toloſam condonaverint. Unde Proſper ſcribit Monaxio & Plinta Coſſ. *datam eſſe Gothis ſecundam Aquitaniam, cum quibuſdam civitatibus confinium provinciarum*: & Idatius auctor eſt in Chronico, *Gothos ſedes in Aquitanica à Toloſa*, ſeu à Garumna *uſque ad Oceanum accepiſſe*. Ataulfus quidem Gothorum Rex, qui Valiam ſucceſſorem habuit, Gallias ingreſſus, Narbonem *Septimaniæ* urbem circa vindemiam occupaverat, & ibi Placidiam uxorem duxerat: ſed poſt triennium Narbonem Romanis relinquere, & cum exercitu Hiſpanias petere à Conſtantio Patricio coactus eſt, ubi non multo pòſt à ſuis jugulatus interiit.

SEQUANA FL. QUÆ NOMINA HABUERIT, QUÆ DEDERIT.

Sequana Galliæ Celticæ vel Lugdunenſis nobiliſſimus & maximus fluvius, Σηκόανας Ptolemæo; *Segona* etiam Gregorio Turonico Epiſcopo & Fredegario in Chronico dictus ac *Sigona*, *la Seine*; *Secana* recentioribus: *maximum flumen* à Cæſare in libro VII. nuncupatur. Oritur non procul à Cancellis, (*Chanceaux*) quem locum in Æduis eſſe, & duo paſſuum millia à Sequanæ fonte abeſſe aiunt. Inde Petraviam, Balneola, Ampeliacum, Auriniacum, Caſtellionem, Barrum, Auguſtobonam Tricaſſium, Mauriacumque præterfluit. Apud Marcelliacum Albam accipit, non contemnendum flumen: tum Noviento ubi navigari incipit Braioque tranſcurſis, apud Monaſteriolum Icaunâ augetur; mox & Lupâ: Melodunum Senonum, Corboilum Pariſiorum caſtrum alluit, & ad Confluentes auctus Matronâ, Luteciam Pariſiorum caput interfluit: iterumque ad vicum Confluentes Iſaram capit. Tum Pinciacum, Mellentum, Petromantalum Carnutum, Rupem VVidonis, Vernonem, Andeleium, Pontem Arquatum, ad quem Auturam & ex altera ripa Indellam recipit; Elbotum, Rotomagum Veliocaſſium caput, Butilam, (*la Boüille*) Gemeticũ, Caldebeccum, Rupem Riſelam alluit, ubi Riſelam accipit: demum Brit. in Oceanum influit. Omiſi confluentes Junnæ apud Corboilum, Ittæ ſupra Vernonem oppidum.

Æthicus in Coſmographia inter Oceani Occidentalis flumina ponit Geon. *Fluvius Geon* (inquit) *naſcitur in Galliarum campis: influit Oceano Occidentali: currit millia* CCCCII. Joſias Simlerus in ſuis in eam Coſmographiam Scholiis hunc *fortè Ligerim eſſe, aut Sequanam* ait. Æthici vel potiùs Ethici Coſmographiam habeo, Nicolao Fabro quondam poſſeſſam, & ejus manu multis in locis emendatam: cujus initio vir clariſſimus doctiſſimuſque obſervat, *hæc ferè ad verbum Æthicum transſcripſiſſe ex Julij Honorij libro, cujus meminit Caſſiodorus de Divinis Lectionibus capite* XXV. *quem habet Petrus Pithœus ſcriptum litteris capitalibus: unde ipſe infrà notata deſumſerit.* In verbis autem ſuprà laudatis Faber,

ſecutus auctoritatem & fidem codicis Julii Honorii, pro *Geon* emendat *Geobonna*: quod fuiſſe & nomen flumini *Sequana*, ſive *Geon* ſive *Geobonna* ſcribatur, docet me vetus auctor Chronici Fontanellenſis, qui ante annos DCCC. de Monaſterii ſui Fontanellæ rebus & Abbatibus ſcripſit. Hujus hæc ſunt verba de ſitu Fontanellæ. *Ab Oriente habet fontem uberrimum, qui ab ortu ſuæ emanationis per ſpatia paſſuum plus minuſve* MCCC. *manat, ſicque curſu ſuo expleto, in alveum Sequanæ influit ad meridianam Cœnobij plagam. Ab occidente item ibi fluvius eſt mirabilis, in aquilonali ejuſdem Cœnobij plaga ab imo progrediens, atque in meridiana Geon prædicti alvei profunda ſe demergens.* Et infrà. *Ab auſtro item maximus fluviorum Geon, qui & Sequana, commerciis navium glorioſus, abundantiâ piſcium præſtantiſſimus, diſtans ab eodem Cœnobio paſſus* DCCC. *In quo ſcilicet fluvio ex infinito Oceano ſive mari Britannico bini æſtus diurno nocturnove tempore ſibimet invicem compugnantes occurrunt: ut verſa vice alveus potiùs retrorſum converti, quàm ad ima videatur defluere: talique cum impetu tempore malinæ (malina p.) accedunt, ut ſuper millia* V. *aut ampliùs & ſonitus murmuris ejus humanas repercutiat aures, & adſpectibus intuentium ceu pharus altiſſimè lympham ejuſdem penetret alvei.* Ibi apertè *Geon* & *Sequanam* duo nomina unius ejuſdemque fluminis facit Monachus Fontanellenſis: & quem *alveum Sequanæ* vocaverat, mox *prædicti Geon alveum* appellat.

Fortunatus *mare Rotomagenſe* appellat, in quod præcipitat *Sequana*.

Strabo in libro II. *Sequanæ* meminit his verbis. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος ποταμὸς ἐν ταῖς Ἄλπεσι τὰς πηγὰς ἔχων Σηκοανὸς ὄνομα. Ῥεῖ δὲ εἰς τὸν ὠκεανὸν παράλληλος τῷ Ῥήνῳ διὰ ἔθνους ὁμωνύμου. At falſum eſt *Sequanam* fontem habere in Alpibus ſeu in montibus quibuſlibet, cùm procul ab omnibus montibus apertiſſimâ in planitie caput ejus oſtendatur. Nec per gentem cognominem, ſeu per *Sequanos* in Oceanum influit, aut *Sequanorum* fines ulla ex parte attingit, nomenve eis ſuum dat: cùm Sequani Arari & Rheno fluminibus terminentur, & ab ortu Rheno, ab occidente Arare claudantur; *Sequana* autem inter Rhenum & Ararim non fluat. Nominum ſimilitudo Strabonem decepit; ut Mellam, quum per Hiſtros Hiſtrum ſeu Danubium emitti ſcripſit in libri II. capite III. cùm Hiſtris & Hiſtro flumini nihil ſit præter nomen commune. Idem tamen Strabo rectè obſervat, *Sequanæ* multos eſſe flexus, qui plurimum agri amplectantur.

Lucani verba ſunt in deſcriptione Galliæ.

Quà Cinga pererrat
Gurgite.

Eſt quidem fluvius Cinga in Hiſpania Tarraconenſi vel Citeriore non longè ab Ilerda & Sicori flumine: (*Fl Segre*) Cinga in Gallia nullus eſt amnis, quem quidem norim. Equidem exiſtimo à Lucano eo nomine deſignari Ligerim, *cujus obliquo curſu Aquitaniam in orbem agi ac cingi* Otoſius, Hugo, Robertus aliique tradunt: quem à cingendo *Cingam* Lucanus appellaverit. Niſi ſi potiùs *Sequanam* noſtrum indicare voluit, cujus *errores* ac flexuoſos recurſus innumeros infra Luteciam uſque ad Guellebodum nemo ignorat.

Heic notare convenit, incolas provinciæ Lugdunenſis Senoniæ vel quartæ ante annos DCC. aut etiam multo plures, dictos eſſe *Sequanos* à fluvio *Sequana*, cui Auguſtobona Tricaſſium & Luticia Pariſiorum provinciæ Senoniæ urbes adſident: cùm ceteræ ejuſdem provinciæ civitates, exceptis Aurelianis & Niverno, pars Icaunæ, pars Auturæ, & Matronæ in *Sequanam* effluentibus ſint adpoſitæ. Hoc docent nos acta Synodi anno DCCCCXCI. Indictione IV. in Remenſi territorio congregatæ his verbis. *Igitur* XV. *Kal. Jul. collecti ſunt in baſilica domus Baſoli Confeſſoris ex provincia Senonenſium, quæ eſt prima Sequanorum metropolis, Remenſique provincia contigua, Siguinus Archiepiſcopus, Arnulfus Aurelianenſis*, &c. Provinciam Senonenſium vel Senoniam vocant *primam Sequanorum metropolim*: quibus verbis *Sequani* in provincia Senonia apertè collocantur: nec obſcurè indicatur, alteram provinciam, nimitum Lugdunenſem II. *ſecundam Sequanorum metropolim* tum habitam appellatamque eſſe propter Rotomagum metropolim *Sequanæ* flu. appoſitam, & Ebroicas adſitas Ittonæ, Auturam qui in *Sequanam* devolvitur, paullo pòſt aucturo. In libello de Converſione Hucberti qui ſub Rege Theodorico Comes Palatii, deinde Tungrenſis vel Trajectenſis Epiſcopus fuit, *Sequani* ſimiliter appellantur populi provinciarum Lugdunenſis IV. vel Senoniæ & Lugdunenſis etiam II. *Sequanæ* accolæ, & *Francia Sequanorum* Neuſtria: propterea quòd Luticia, ſedes tum Regum noſtrorum in Neuſtria vel Occidua Francia Burgundiaque dominantium, ad ripas *Sequanæ* poſita eſt. Verba ſcriptoris cujus ætas ignoratur, ſunt. *Hic conſiderans Ebroinum ad omnem malitiam promtiſſimum, Franciam Sequanorum deſeruit, & in Auſtriam ad Pippinum Ducem ſe contulit.* Paullus in libro I. de Geſtis Langobardorum *Sequanicam* à flu. *Sequana* vocat non Senoniam modò, ſed propriè ac præcipuè provinciam Lugdunenſem II. atque etiam Lugdunenſem III. ſaltem uſque ad Gobæum promuntorium, ambas maritimas, poſitas ad Oceanum Britannicum, cui *Sequana* maximum flumen immergitur: & oram utriuſque provinciæ ac Oceani Britannici haud dubiè nominat *Sequanica litora* ac *Sequanicum litus*: cùm *Sequanicæ* & *Aquitaniæ* ceu proximarum contiguarumque regionum junctim mentionem faciat. Verba Paulli heic ſubjicere convenit. *Cui rei adſtipulantur Sequanica Aquitaniaque litora, quæ bis in die tam ſubitis inundationibus opplentur, ut qui fortaſſe aliquantulum introrſus à litore repertus fuerit, evadere vix poſſit. Videas earum regionum flumina* (Sequanicæ & Aquitaniæ) *ad fontem verſus curſu velociſſimo relabi, ac per multorum millium ſpatia dulces fluminum lymphas in amaritudinem verti.* XXX. *ferè à Sequanico litore Ebodia inſula millibus diſtat, in qua vergentium in eamdem Charybdim aquarum garrulitas auditur.* Eginhar-

TT t iij

dus Paulli æqualis in Annalibus poſt *Flandrenſe litus, oſtium Sequanæ*, quod & *litus* vocat, tum *Aquitanicum litus* junctim commemorat tamquam litora contigua: ſicuti ſuprà Paullus *Sequanica Aquitaniæque litora* conjungit. Ex quo intelligitur Eginhardo *oſtium Sequanæ* latè dici, ac etiam *litus Sequanæ*, quod Paullo *Sequanica litus*, ac *Sequanicum litus*. *Anno* DCCCXX. *de Nordmannia* XIII. *piratica naves egreſſæ, primò in Flandrenſi litore prædari molientes, repulſa ſunt. In oſtio Sequanæ ſimilia tentantes, reſiſtentibus ſibi litoris cuſtodibus irritæ diſceſſerunt. Tandem in Aquitanico litore proſperis uſæ ſucceſſibus*, &c. Hodieque tota hæc ſiniſtra ora Lugdunenſis II. & tertiæ, ac Oceani Britannici ab oſtio Sequanæ ad Montem uſque S. Michaëlis vocatur à Nautis & cuſtodibus litorum *la riviere de Seine*, hoc eſt *litus Sequanæ* à nobiliſſimo flumine. Qua deceptus re forſitan Ammianus Marcellinus ſcripſit, *Sequanam prope caſtra Conſtantia*, id eſt prope Conſtantiam, *fundi in mare*.

S. SEQUANI MONASTERIUM.

S. Sequani Cœnobium vetus eſt in Lingonum finibus, non procul à fontibus fluminis Sequanæ; *Saint Sene*. A quo *S. Sequano*, *aut à Sequanis* Araris & Dubis accolis dictum eſſe *Sequanam* negat Maſſonus. Quaſi quis tam ſtultus, & temporum ac rerum adeò ignarus eſſe poſſit, ut ſibi perſuadeat flumen *Sequanam* Julio Cæſari notum annis circiter LIII. ante Chriſti natalem, à *S. Sequano* homine Chriſtiano nomen ſuum accepiſſe. *Sequani* quoque, cùm nec apud eos oriatur *Sequana*, nec per eorum fines decurrat, ſuum *Sequanæ* nomen dediſſe, aut potiùs ab ipſo accepiſſe non poſſunt videri. Ceterùm hoc Cœnobium *Sequanus* Presbyter, Johannis Abbatis Reomenſis diſcipulus exſtruxit: quod à loco *Sicaſtro* vel *Segeſtro* (*Seſtre*) in quo ſtructum erat, dictum eſt primò *Monaſterium Segeſtrenſe* aut *Segeſtrum*; deinde ab auctore *S. Sequani*. Locus cum Monaſterio ſitus eſt in *pago* vel *Comitatu Magnimontenſi*: cui pago nomen dedit *Magnus Mons*, vel *Magnimontenſe opidum* quondam clarum in Lingonibus, *S. Sequani* patria, III. leugis ab ejus Monaſterio *Segeſtro* diſtans, nihil nunc præter nomen ſervans. *Maimont* enim vel *Meſmont* nuncupatur. In Martyrologio veterrimo, quod S. Hieronymo tribuitur, hæc reperio. XIII. *Kal. Octobris in territorio Lingonica civitatis, Monaſterio Segeſtro depoſitio S. Siganis Presbyteri & Confeſſ.* apud Adonem *S. Sigoni, Presbyteri & Monachi*. Ut *Sigonam* pro *Sequana*, ſic *Sigonem* & *Sigonum* pro *Sequano* dixere.

SEQUANI; ET CELTIS, AN BELGIS SINT CUM HELVETIIS ADSCRIBENDI.

Cùm Cæſar in Galliam venit, Galliæ totius factiones erant duæ. Harum alterius principatum tenebant Ædui; alterius *Sequani*: quos à provincia Romana ſeu Narbonenſi Rhodanus dividebat, ab Helvetiis mons Jura. Ager autem *Sequanus* erat optimus totius Galliæ, ut Julius Cæſar ſcribit: qui & in libro I. *Sequanos*, Helvetios, Æduos, *tres potentiſſimos ac firmiſſimos populos* vocat. Strabo *Sequanos* Σηκοανοὺς ab ortu Rhenum attingere ait, ab occaſu Ararim; trans Ararim *Sequanos* habitare; & Jura monte quem *Juraſſum* vocat, eos ab Helvetiis diſcludi: quod verum quidem eſt; ſed falſum quod addit, Sequanam per eos defluere: Ποταμὸς Σηκοανὸς ῥεῖ διὰ ἔθνους ὁμωνύμου. Nam *Sequani* nihil ad *Sequanam* pertinent, nec quidquam habent præter nomen commune. Lucano dicitur

> Optima Gens flexis in gyrum Sequana frenis.

Tacitus in libro III. Annalium *Sequanorum* pagos Æduis conterminos memorat his verbis. *Silius vaſtat Sequanorum pagos, qui finium extremi, & Æduis contermini, ſociique in armis erant*. Nimirum *Sequanos* ab Æduis flumen Arar dividit. Idem in libro IV. Hiſtoriarum *Sequanos conterminam Lingonibus civitatem* rectè appellat. Quippe *Sequani* à Lingonibus eodem flumine dirimuntur. Plinius ſitum *Sequanorum* non male deſignat, quum eos *in Belgica* inter *Mediomatricos* & *Rauricos* ponit. Hi Ptolemæo Σηκανοὶ dicuntur, *Secani*, collocanturque ſub Helvetiis, quorum opidum præcipuum *Viſontio*, *Ouiſontion* in Gallia ſimiliter Belgica.

Cæſar in libro IV. tradit *Rhenum longo ſpatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Tribocorum, Treverorum citatum ferri*. Cæſarem more modoque ſuo Strabo tranſcribit, affirmatque poſt *Helvetios Sequanos ac Mediomatricos Rhenum attingere*. Σηκοανοὶ καὶ Μεδιοματρικοὶ κατοικοῦσι τὸν Ῥῆνον. Et Mediomatricos quidem conſtat Rhenum attingere potuiſſe, atque adeò etiam attigiſſe, priuſquàm Triboci, Nemetes atque Vangiones ad citeriorem ſiniſtramve fluminis ripam conſediſſent. De *Sequanis* verò idem cum Samſone dicere non poſſumus propterea quòd Triboci & Nemetes aliquantum abſunt à *Sequanis*, & ripam Rheni *Sequanis* noſtris oppoſitam non incolunt. Tamen Cæſari & Straboni accedo libens: & quod ait Cæſar, *Gallos* ſeu Celtas *attingere à Sequanis & Helvetiis flumen Rhenum*, hodieque veriſſimum eſſe arbitror: quoniam Baſilia vel civitas Baſilienſium ad Rhenum, urbs eſt provinciæ ſimul Gentiſque *Sequanorum*.

Julius Cæſar in libro I. Commentariorum belli Gallici *Sequanos* unà cum Helvetiis inter Celtas ſeu Gallos tertiam partem Galliæ incolentes ponit hiſce verbis. *Qua de cauſa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt*: item omiſsâ provinciâ Narbonenſi, *Gallia eſt omnis diviſa in tres partes: quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipſorum linguâ Celtæ, noſtrâ Galli appellantur*. Et infrà. *Eorum una pars quam Gallos obtinere dictum eſt, initium capit à flumine Rhodano, continetur que Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum: attingit etiam ab Sequanis & Helvetiis flumen Rhenum, vergit ad Septemtriones.* Quibus poſterioribus verbis Cæſar *Helvetios* & *Sequanos* Celtis ſeu Gallis propriè dictis

adnumerat : & cùm ibidem *Belgas pertinere ad inferiorem partem flum. Rheni* ſcribat , ſatis oſtendit pro Gallis ſeu Celtis ſe habere eos , qui ad ſuperiorem partem ejus fluminis pertinent , nimirum *Helvetios* & *Sequanos*. Quum autem ſupra ait , *Helvetios reliquos Gallos virtute præcedere : reliquorum Gallorum* nomine Celtas ſeu Gallos propriè dictos deſignat , quorum de numero Helvetii ipſi fuerint. Sic in libri II. initio *dat negotium Senonibus , reliquiſque Gallis , qui finitimi Belgis erant , ut quæ apud eos gerantur cognoſcant*. Iſti *reliqui Galli* erant Celtæ ſeu Galli propriè dicti , quales Senones : Carnutes nimirum , Pariſii , Meldi , & ſi qui alii Belgis finitimi. Sic ibidem Nervii dicuntur *increpitare atque incuſare reliquos Belgas , qui ſe populo Romano dedidiſſent*. Nervii autem Belgæ ipſi erant , & maximè feri inter eos habebantur , magnæque virtutis. Denique in libro II. Cæſar Belgarum XVI. populos recenſens nominatim , eos inter *Sequanos Helvetioſque* non numerat : quod ſcilicet nihil ad Belgicam pertinerent , ſed Celtis ſeu Gallis tertiæ Galliarum parti utrique adnumerarentur. Strabo qui Cæſarem tranſſcribere ac ſequi innominatum conſuevit , de regione à Ligere & ab Araris Rhodanique confluentibus ad Rhenum pertinente , ſive de Celtica ſic refert *Ταύτης δὲ τῆς χώρας τὰ μὲν ἀνωτάτω τὰ πρὸς ταῖς πηγαῖς τῶν ποταμῶν τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ μέχρι μέσων σχεδόν τι τῶν πεδίων ὑπὸ τῷ Λουγδούνῳ τέτακται : τὰ δὲ λοιπὰ καὶ παρωκεανῖτα ὑπ' ἄλλο τέτακται μερίδι, ἣν ἰδίως Βέλγαις προσνέμουσιν*. Id eſt : Poſt Aquitaniam & Narbonenſem Galliam , *ejus regionis ſuperiora quæ ſunt ad fontes Rheni & Rhodani uſque ad mediam ferè planitiem camporum , Lugduno ſubjiciuntur* : (hoc eſt Galliæ Lugdunenſi ſive Celticæ) *reliqua ad Oceanum vergentia alii attributa ſunt parti , quam incolunt Belgæ*. Quibus verbis Strabo *Sequanos* & *Helvetios* Celtis ſeu Gallis propriè dictis , Lugdunenſive Galliæ adſcribit : cùm ambo ſecundum Julium Cæſarem Rheni ſuperiores partes attingant ; Helvetii etiam fontes propè ipſos Rheni. In provincia igitur Lugdunenſi quæ propriè nomen Celticæ vel Galliæ uſurpat , *Sequanos* & *Helvetios* collocat Strabo , idem nimirum qui & *Sequanam* in Alpibus oriri , & per gentem cognominem ſive per *Sequanos* deſcendere ait : qui inter Belgas quos in XV. Gentes cum Cæſare dividit , Venetos tantùm & Oſiſmios ponit , ambos Galliæ Lugdunenſis ſeu Celticæ populos ; & in provincia ſua Lugdunenſi non *Sequanos* modò & *Helvetios* , ſed etiam Mediomatricos , Tribocos , Leucos , Treviros , Nervios , Menapios , Remos , Atrebates , Eburones , Morinos , Bellovacos , Ambianos , Sueſſiones , Belgas omnes collocat. Addit Strabo Auguſtū quatuor in partes diviſiſſe Galliā : ſcilicet in provinciam Narbonenſem , & Aquitaniam Julii Cæſaris , cui XIV. Gentes inter Garumnam & Ligerim incolentes adjecerit : reliqua bifariam partitum , alteram quidem partem Lugduno attribuiſſe uſque ad ſuperiora Rheni ; (quod falſum puto : his enim limitibus *Sequanos* & *Helvetios* Celticæ ſeu Galliæ Lugdunenſi Auguſtus aſſignaviſſet) alteram Belgis. Julium Cæſarem ſecuti ſunt pleriqueHiſtorici in deſcriptione belli Gallici , Florus , Plutarchus , Dion , Oroſius , aliique , & *Helveticum* bellum à bello Belgico diſtinguendo , ut ipſe fecerat , *Helvetios* à *Belgis* apertè diſtinxere , *Galliſque* ſeu *Celtis* Lugdunenſibus attribuere. *Primus Galliæ motus ab Helvetiis cœpit , qui Rhodanum inter & Rhenum ſiti , venere ſedes petitum. Sequens longeque cruentior pugna Belgarum* ; inquit Florus in capite X. libri III. Epitomes Rerum Romanarum. Idem facit Plutarchus in C. Julii Cæſaris vita , & *Helvetiorum ac Tigurinorum* bellum à bello Belgarum diſtinguit , Helveticoque bello ſubjicit bellum Germanicum , deinde Belgicum. Dion Caſſius Cocceianus ſimiliter in libro XXXVIII. Hiſtoriæ Rom. bella *Helvetiorum* & Arioviſti ; in libro XXXIX. bellum Belgarum deſcribit , quorum multæ & variæ Gentes Rhenum inter & Oceanum Britannicum habitent : additque olim Celtas in commune appellatos eſſe utriuſque Rheni ripæ incolas. *Τὸ γὰρ πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ , ἑκάτεροι οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ (Ῥήνου) οἰκοῦντες ὠνομάζοντο*. Si ergo olim , hoc eſt ætate Julii Cæſaris , aut etiam antè non Galli modò ſiniſtræ Rheni ripæ habitatores , ſed etiam Germani dextræ ripæ accolæ , uno communique nomine *Celtæ* nuncupabantur ; apparet *Sequanos* & *Helvetios* qui ſiniſtro Rheno adſidebant , tum quoque pro Celtis habitos eſſe. Oroſius in libro VII. ſecutus eſt & Cæſarem , ac bellum *Helvetiorum , fortiſſimæ Gallorum omnium Gentis* , Tulingorum , Latoboiorum Rauracorum & Boiorum , à bello Germanorum , & à bello *Belgarum Gentis , quæ tertia pars Galliarum eſt* , disertè ſecrevit. Idipſum primus à J. Cæſare fecerat Titus Livius in libris CIII. & CIV. ut ex Lucii Flori epitome eorum librorum diſcimus. Hi omnes Hiſtorici à J. Cæſare quem tranſſcribebant , ulla in re recedere non potuerunt , ac non debuerunt : & de *Helvetiis* ac *Sequanis* aliiſque Galliæ populis , quales ætate Julii Cæſaris non autem quales ætate ipſorum erant , ſunt locuti. Tacitus quidem in libro I. Hiſtoriarum & in libro de Moribus Germanorum *Helvetios Gallicam Gentem* appellat : quo ambiguo nomine non magis eos Celtis ſive Gallis propriè dictis quàm Belgis attribuiſſe videri poteſt. Geographi & critici recentes Julium Cæſarem non pauci ſunt ſecuti. Raimundus Marlianus , qui Commentarios J. Cæſaris ſuo indice illuſtrare conatus eſt , *Sequanos* atque *Helvetios* . *populos inter Celtas eſſe* ait : Ortelius in Theſauro Geographico *Sequanos Galliæ Lugdunenſis populos eſſe* aſſerit. Joſephus Scaliger profert Notitiam quamdam Galliæ , in qua prov. Lugdunenſi IV. *provinciæ Lugdunenſis quinta* continuò ſubjicitur , *cujus metropolis civitas Criſpolinorum , id eſt Veſontio* : & Præfecturæ Prætorii Galliarum unum de tribus Vicarium ſediſſe putat Lugduni ; cui quatuor Lugdunenſes cum Maxima Sequanorum paruerint. Sed hanc Notitiam , quam Scaliger cum veteribus codicibus collatam emendatamque eſſe putat , & quam Paulus Merula inſeruit ſecundæ parti ſuæ Coſmographiæ libri III. capite XIX. ineunte ſæculo

XVII; ego recentiſſimam ac mendoſiſſimam judico. Nam Veſontio dici cœpit Chryſopolis ſive Aurea civitas ante annos circiter octingentos, & à Chryſopoli Chryſopolitani: qui *Criſpolin* & *Criſpolinos* vocaret, præter Notitiam iſtam doctum neminem reperi. Scaligeri quidem gratuita de Vicario Lugdunenſi, & de quinque provinciis ei ſubjectis conjectura, pro mero ſomnio haberi poteſt: cùm nulla cujuſquam ſcriptoris veteris auctoritate nitatur. Accedit nihilominùs Scaligero Maſſonus in Notitia Epiſcopatuum Franciæ, ſcribitque Iſidorum in adnotatione Gallicanarum provinciarum, Lugdunenſibus quatuor *quintam* addidiſſe, *cujus metropolis ſit Veſontio.* Qui autem exiſtimat provinciam *Maximam Sequanorum, Lugdunenſem quintam* dici rectè poſſe: eàdem operâ ſibi perſuadet *Sequanos & Helvetios* Maximæ Sequanorū populos, non Belgicæ, ſed Celticæ ſive Galliæ Lugdunenſi adſcribi oportere, & pro Celtis ſeu Gallis propriè dictis, non pro Belgis haberi debere. Verùm Iſidorus iſte Mercator, ſive Peccator, quem Hiſpalenſem Epiſcopum fuiſſe falsò Maſſonus credidit, recens eſt ſcriptor, nec pluris faciendus ſuppoſiticiis Epiſcoporum Romanorum epiſtolis, quas circa annum DCCC. tamquam bonam mercem incautis obtruſit. At Joſias Simlerus anno MDLXXV. vulgavit Libellum provinciarū atque civitatum Galliæ, quem *ex veteri codice Bibliothecæ Tigurinæ ſe deſcripſiſſe* & multo quam antea emendatiorem edidiſſe aſſerit: ubi *provinciæ Lugdunenſi quartæ provincia Lugdunenſis quinta Sequanorum* ſubjicitur, cujus *metropolis civitas Criſpolinorum, hoc eſt Veſontionum.* Ad hæc reſpondendum eſt, Notitiam quidem Galliæ quam poſt Sirmundum Andreas Cheſnius primam edidit, unam veterem, incorruptam & optimæ notæ; ceteras, nimirum IV. ab eodem Cheſnio vulgatas, Iſidorianam, quâ Simlerus, Merula, Scaligérque uſi ſunt, aliaſque, recentiores ac recentiorum manibus interpolatas corruptaſque omnes eſſe, & ibi nomina cùm provinciarum tum maximè civitatum mendoſiſſima ac vitioſiſſima reperiri, quædam etiam partim falſa, partim recentia, itaut nihil earum operâ probari, nihil certi inde erui poſſit. Exempli gratiâ in *Capitulatione de nominibus regionū & civitatum Galliæ,* quam Andreas Cheſnius ex Bibliothecæ Thuaneæ duobus codicibus deſcripſit, hæc præter cetera inveniuntur. *Maxima Sequanorum, in qua eſt Veſontium, quæ vocata eſt olim Chryſopolis, id eſt Aurea civitas. Alpes Graia & Pennina, in qua eſt Centronium, id eſt Tarantaſia; & Veruſager, quod eſt Valenſium, ſeu Octodorum caſtrum, Cana-venuſta: civitas Evaticorum Ebroicas: Civitas Salarum Sains: Civitas Morenûm, Taravanna Pontium: Civitas Argentoratenſium Strateburgo: Civitas Sentium, aliàs Sentium Morienna: Civitas Genevenſium, eadem & Paluſtria. Civitas Caturvorum: Civitas Lemodicum: Civitas Aquelinenſium Aquiliſma: Civitas Boatium, quod eſt Boius in Burdigalenſi: Civitas Flocarenium Gurba Beorra: Civitas Lirunnenſium Elarona.* In altera item Thuanea Notitia, ab eodem Cheſnio edita, quæ inſcribitur, *Nomina regionum & civitatum Galliæ, Civitas Evaticorum, id eſt Ebroicum: Civitas Salarum, id eſt Saiorum: Civitas Ciantium, id eſt Venetûm: Civitas Diablintum, id eſt Cariſes, quæ alio nomine Adala nuncupatur: Civitas Morinorum, id eſt Ponticum.* Ibidem *Strazeburg, Spira, Vuarmatia* leguntur: *Civitas Albenſium, nunc Vivarium: Civitas Carpentoratenſium, nunc Vinclauſa vel Vinclauſca: Civitas Vallavorum, id eſt Buatum,* vel *Puatum: Civitas Convenarum, id eſt Communica: Civitas Boatium, id eſt Boius,* aliàs *Bovis: Civitas Elloronenſium, id eſt Eliſma: Caſtrum Vceticenſe, id eſt Aſtitucenſe.* In Notitia Saltiana quam idem Cheſnius vulgavit, reperiuntur & *Vivaria*, & *caſtrum Vzatenſe, id eſt Aſtituenſium civitas metropolis: Civitas Engoliſmenſium, id eſt Aqualiſinenſium: Civitas Boëtium, hoc eſt Bovis: Civitas Beranenſium, id eſt Benardus: Civitas Morinûm, id eſt Ponticum: Strateburgo, Spira, Garmatia: Civitas Salarum, id eſt Saiorum: Civitas Ciantium, id eſt Venetûm: Civitas Carnotum, & Civitas Altricum* tamquam diverſæ: *Civitas Equeſtrium, id eſt Novionus:* & *Civitas Noviduni* quaſi diverſæ cùm una tantùm ſit civitas. In Notitia Petaviana à Cheloto quoq; edita occurrunt *Civitas Salarum, id eſt Saiorum: Civitas Ciantium, id eſt Venetûm: Civitas Diablintum, id eſt Cariſes: Civitas Morinûm, id eſt Ponticum.* Ibidem *Strazburgis, Spira, Vuarmacia* leguntur; & XII. Epiſcopatus novi in provincia Germania prima, in his *Pragenſis & Babenbergenſis civitates: Civitas Tungrorum, quæ nunc Leodium: Civ. Trejectum, id eſt Vztricht: Civ. Mindenſis: Civ. Mimigardevordenſis: Civ. Oſenbrugenſis: Civ. Lanſanna, quæ priùs Aventicus: Civ. Belicenſium, quæ antea caſtrum Argentarienſe vocabatur: in Alpibus Graiis, civ. Morienna, à Gundranno Rege Burgundionum conſtructa: Civ. Albenſium Vivarium: Civ. Carpentoratenſium, nunc Vinclauſca: Civ. Vellavorum, quæ nunc Podium dicitur: Civ. Boatium, quod eſt Bovis: Civ. Beranenſium, id eſt Benarnus.* Notitia Iſidoriana hæc etiam habet recentiora, aut corrupta. *Civ. Ciantium, id eſt Venetûm: Civitas Diablintum, id eſt Cariſes: metrop. civ. Criſpolinorum, hoc eſt Veſontio: Civ. Morinorum, id eſt Ponticum: Stratiſburg, Spira, Vuarmacia: Civ. Albenſium, nunc Vivario: Civ. Carpentoratenſium, nunc Vindauſca* vel *Vinclauſca: Civ. Aletenſium*, quæ nova eſt. *Civ. Boatum, id eſt Boius:* & plurima alia ſimilia, quæ referre non eſt operæpretium.

Et Julius quidem Cæſar *Sequanos* ac *Helvetios* Celtis ſive Gallis propriè dictis attribuit: ſed eoſdem poſtea Auguſtus Cæſar ademit Celticæ ſeu Galliæ Lugdunenſi, atque Belgicæ aſſignavit: ſicut idem Aquitaniæ Julii Cæſaris, quæ minima & anguſtiſſima erat ac pro parte Galliarum tertia jure haberi non poterat, XIV. Gentes inter Garumnam & Ligerim ſitas adjecit, quæ fuerant ante Celticæ. Certè C. Plinius in Naturalis Hiſtoriæ libri IV. capite XVII. *Sequanos, Rauricos, Helvetios*, atque *Colonias Equeſtrem & Rauricam* non in Celtica ſive Lugdunenſi Gallia, ſed in *Belgica* ponit, Marcum Agrippam, quem cùm in aliis tum in longitudine & latitudine cu-

juſque

juſque provinciæ aſſignanda laudare conſuevit, haud dubiè ſecutus. Quippe M. Vipſanius Agrippa, vir admodum diligens, ac in hoc opere laborioſus, pictum in tabulis orbem terrarum populo Rom. ſpectandum propoſuerat in magnifica porticu, quæ ab ipſo nomen accepit, & dicta eſt porticus Agrippæ: quæ à ſorore Agrippæ mortui, ex deſtinatione & commentariis ejus inchoata, ab Auguſto perfecta ac conſummata eſt, ut docet Plinius in capite II. libri III. his verbis. *M. Agrippam quidem in tanta viri diligentia, præterque in hoc opere curâ, cùm orbem terrarum Urbi ſpectandum proponeret, errâſſe quis credas, & cum eo Divum Auguſtum? Is namque complexam ea porticum, ex deſtinatione & commentariis M. Agrippæ à ſorore ejus inchoatam peregit.* Claudius Ptolemæus Alexandrinus Philoſophus, qui ſub Marco Imperatore floruit, in libro II. Geographicæ hyphegeſeos ſeu expoſitionis, in *Celtogalatia Belgica* vel in Gallia Belgica *Rauricos* & Auguſtam Rauricorum ac Argantovariam, *Helvetios* ad Rhenum, & ſub his *Sequanos*, cum ſuis quemque urbibus ſicuti Plinius collocat, & *Eremum Helvetiorum* uſque ad Alpes in Germania magna ſeu Tranſrhenana & propriè dicta. Plinius autem & Ptolemæus de ſitu orbis terrarum, ac nominatim de Gallia diligentiſſimè & ex profeſſo ſcripſere: quod Julius Cæſar non fecit, qui tamen eſt à Strabone præter ceteros in Galliæ enarratione tranſſcriptus: ambo Marcum Agrippam & Divum Auguſtum in populis ac terminis unicuique Galliarum provinciæ aſſignandis ſunt ſecuti. Quare Rufus Feſtus in Breviario Rerum Geſtarum populi Romani *Maximam Sequanorum, Germanias duas, Belgicas duas*; Ammianus quoque in libro XV. *Germaniam primam & ſecundam, Belgicam primam & ſecundam*, ac *Sequanos*, velut quinque Belgarum provincias ordine ac junctim enumerat: ſicut ambo *Narbonenſem & Viennenſem* veluti Galliæ Narbonenſis provincias ſimul ac junctim enumerant; ambo *Lugdunenſes duas*, ſive *Lugdunenſem primam & Lugdunenſem II.* junctim memorant: quot tum fuerunt Galliæ Lugdunenſis aut Celticæ provinciæ. Feſtus *Novempopulanam & Aquitanias duas* pariter aut junctim memorat; quot jamtum erant Aquitanorum provinciæ: cùm Ammianus unam tantùm *Aquitaniam Novempopuloſque* conjungat. In Notitia provinciarum ac civitatum Galliæ, circa Honorii Aug. Principatum compoſita, quam poſt Iac. Sirmundum Andreas Cheſnius edidit, *provincia Lugdunenſis I. prov. Lugdunenſis II. prov. Lugdunenſis III. prov. Lugdunenſis Senonia*, aliàs IV. quæ ſunt quatuor provinciæ Galliæ Lugdunenſis ſeu Celticæ totius; tum *provincia Belgica I prov. Belgica II prov. Germania I. prov. Germania II.* & *prov. Maxima Sequanorum*, quæ ſunt nimirum V. provinciæ totius Belgicæ; ac demum *prov. Aquitanica I. prov. Aquitanica II.* ac *prov. Novempopulana*, quæ ſunt tres univerſæ Aquitaniæ provinciæ, ordine conjunctimque recenſentur: in Maxima Sequanorum *Veſontio, civitas Equeſtrium Noiodunum*, & *Baſilia* urbes *Sequanorum, Aventicum Helvetiorum*. Ex quo apparet *Maximam Sequanorum*, ſive *Sequanos & Helvetios* cum Rauricis tum Belgarum exſtitiſſe, & ad Celticam provinciámve Lugdunenſem nihil pertinuiſſe. In Capitulatione de nominibus regionum Galliæ, quam ex duobus codicibus Bibliothecæ Thuaneæ erutam vulgavit Andreas Cheſnius, *provincia Lugdunenſis prima, prov. Lugdunenſis II. prov. Lugdunenſis III. prov. Lugdunenſis IV.* eodem quo in ſuperiore Notitia ordine pariter enumerantur: tum *prov. Belgica prima, prov. Belgica II. prov. Germanica I. prov. Germanica* aut *Germania II. prov. Maxima Sequanorũ.* deinde *prov. Viennenſis. prov. Narbonenſis I. prov. Narbonenſis II.* demũ *prov. Aquitanica I. prov. Aquitanica II. prov. Novẽpopulana*, quæ ultima provincia, tota fuit Iulii Cæſaris Aquitania. In Nominibus provinciarũ & civitatum Galliæ, ex eadem Bibliotheca ab eodem erutis, poſt quatuor provincias Lugdunenſes, & poſt utramque *Belgicam*, ac *Germaniam primam & ſecundam, Germania tertia Maxima Sequanorum* conjunctim ponitur, atque novo quidem nomine, ſed diſertè tamen & bene in uno codice ſic appellatur: ne quis dubitaret, ut Germania prima & Germania II. partes ſunt veteris Belgicæ; ita & *Maximam Sequanorum* ejuſdem Belgicæ portionem eſſe, quæ ob id *Germania tertia* vocetur, & Germaniæ II. proximè ſubjiciatur. Idem planè ordo ſervatur in alia Galliarum Notitia, quam ex Bibliotheca Petaviana acceptam edidit Cheſnius. In una tantùm ex quinque his à Cheſnio vulgatis Notitiis, turbato ordine, *provincia Lugdunenſi quarta quæ & Senonia dicitur, prov. Maxima Sequanorum* ſubjecta reperitur: quod magni non facio, cùm ea Notitia ſit admodum recens atque corrupta. Aimoinus in capite IV. prolegomenôn de Belgica provincia ſic refert. *Urbes ejus inclytæ & famoſæ, Colonia Agrippina, Tungris, Treveris, Mettis, Lingonis*, (Lingonas Plinius & Ptolemæus Belgis ob propinquitatem attribuunt) *& pagus Helvetiorum, quem nunc Alamanni incolunt. Helvetios* ergo unà cum Plinio, Ptolemæo ac ceteris, Belgis accenſet. Hugo Monachus Floriacenſis, Aimoino Floriacenſi & ipſo Monacho annis centum poſterior, ex Oroſii libro I. hæc habet: *Belgica prov. habet ab Oriente limitem flum. Rheni & Germaniam; ab Euro Alpes Penninas, à meridie prov. Narbonenſem, ab occaſu provinciam Lugdunenſem, à circio Oceanum Britannicum, à Septemtrione Britanniã inſulam.* Tum ex Aimoino addit. *Urbes ejus inclytæ & famoſæ, Colonia Agrippinenſis, Tungris, Treveris, Mettis quæ & Medeomatricum, Remis, Laudunus, & pagus Helvetiorum, quem nunc Alamanni incolunt.* Deinde ſubjicit quæ ſequuntur. *Lugdunenſis provincia oritur à monte Jurano, qui eſt inter Sequanos & Helvetios, & à lacu Lemano & flum. Rhodano:* (quibus verbis videtur omnino *Sequanos* Lugdunenſi attribuere, *Helvetios* Belgicæ) *& extenditur ad Oceanum Britannicum, dilataturque ad Ligeris alveum, qui eam ab Aquitania ſeparat & dividit.* Quæ Hugonis verba de limitibus provinciæ Lugdunenſis tranſſcripſit Robertus,

Autiſſiodorenſis Monaſterii S. Mariani Monachus, in Chronico quod in anno MCCX. definit. Oroſii in libri I. capite II. ac Æthici in Coſmographia verba de Galliæ Belgicæ terminis, poſt Hugonem tranſſcripſit Gervaſius Tiſlebercienſis, & Belgicam ab Euro Alpibus Penninis terminando, *Sequanos* & *Helvetios* eâdem operâ Belgis aſſignavit. Tranſſcripſit & Oroſium de Belgarum terminis Bernardus Guido Lutevanorum Epiſcopus anno MCCCXX. ſed nihilominùs Galliæ Belgicæ Lugdunenſes quatuor cum duabus Belgicis duabuſque Germaniis attribuit; Galliæ autem Celticæ *Maximam Sequanorum*, Alpes Graias, provinciam Viennenſem, prov. Arelatenſem, Narbonenſes duas, & prov. Ebrodunenſem: pudendo geminoque errore Gallos Lugdunenſes Belgaſque confundens, & Celticam à Gallia Lugdunenſi diſtinguens. Quare dum *quatuor Lugdunenſes*, hoc eſt univerſas Galliæ Celticæ provincias per ſummam ignorantiam ponit in *Belgica*, defuit ei quod Celtis daret, atque in Gallia Celtica *Maximam Sequanorum* quæ provincia Belgicæ erat, & ſex provinciæ Narbonenſis regiones ineptè collocavit. Ex his omnibus intelligitur, graviſſimè falli Samſonem Geographum, quum Plinium & Ptolemæum malè intellectis Cæſaris verbis deceptos eſſe ait, & *Sequanos* atque *Helvetios* perperam Belgis adnumeraviſſe; quos ſicut I. Cæſar inter Celtas ponere debuerint. Certè ut Plinium & Ptolemæum coarguit nemo, quòd Aquitaniam Iulianam promoto limite XIV. Garumnam inter & Ligerim populis auctiorem nobis propoſuerint: ita nemo jure ambos reprehendere poteſt, quod *Sequanos* & *Helvetios* Celticæ Iulii Cæſaris ademerint, atque adjecerint Belgis. Nam (quod facere viros doctos & ſapientes oportuit) utrique Auguſtum & M. Agrippam potiuſquàm Julium Cæſarem, utrique poſteriores provinciarum mutationes ac terminos magis quàm priores ſequi voluerunt, & provincias non quales C. Julii Cæſaris principatu fuerant, ſed quales quantæque ſua ætate erant, diligentiſſimè deſcripſerunt. Suo præteritum loco referatur. Apud Ammianum Marcell. in libro XV. dicitur Rhodanus Lemanum egreſſus *per Sapaudiam ferri & Sequanos, longéque progreſſus Viennenſē latere ſiniſtro perſtringere, dextro Lugdunenſem*: quæ vel cæco oſtendunt, *Sequanos* à *Lugdunenſi* vel Celtica tum fuiſſe diſtinctos, & prov. *Maximam Sequanorum* prov. Lugdunenſem V. vocari, nec poſſe nec debere.

Provincia *Sequanorum* ab Ammiano Marcellino in libro XV. nomine nobilioris populi quem continet, appellatur *Sequani*, quum ait: *Apud Sequanos Biſontios. videmus & Rauracos.* *Sequani* appellatur ea provincia & ab Eutropio Ammiani æquali, qui in Breviarii Hiſtoriæ Romanæ libro VI. de C. Iulio Cæſare ita commemorat. *Is primò vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur*, id eſt nunc *Sequanis* ſive provinciâ Maxima *Sequanorum* continentur. *Sequanicum* quoque vel *Sequanicam provinciam* in Notitia Imperii Romani nonnumquam dictam eſſe video, ut quartam Lugdunenſem *Senoniam* aut *Senonicam*. Ibi enim reperitur *Præpoſitus rei privatæ per Sequanicum & Germaniam primam*, necnon *Vir Spectabilis Dux provinciæ Sequanici*; vel (ut in aliis codicibus ſcribitur) *Dux provinciæ Sequanicæ*. Ceteri, in primis Rufus Feſtus V. C. in Breviario rerum geſtarum populi Rom. ac veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Gallicanarum cum ipſa Imperii Rom. Notitia eam provinciam *Maximam Sequanorum* nuncupavere: non quòd eſſet XVII. Galliæ provinciarum maxima & ampliſſima: (Nam & Lugdunenſis tertia, & Belgica ſecunda, & Viennenſis, & Aquitanica prima ac ſecunda præter ceteras latitudine regionum minimè ei cedebant) ſed quòd eſſet haud dubiè una de maximis. *Germaniam tertiam* appellat & Notitia quædam Galliarum non abſurdè: propterea quòd unà cum duabus Belgicis & cum Germania prima & Germania ſecunda Maxima *Sequanorum* Belgis contribuebatur, & *Sequani*, *Helvetii* ac *Raurici* ejus provinciæ populi non pro Celtis Galliſve propriè dictis, ſed pro Belgis habebantur. *Pleroſque* autem *Belgas ortos eſſe à Germanis* nemo neſcit: quod tamen de Germaniæ I. & Germaniæ II. gentibus nationibuſque Rhenum accolentibus conſtat; de Maximæ *Sequanorum* populis non item. Nuſquam enim legere memini, *Sequanos*, *Helvetios* & *Rauricos* ex Germania in Galliam tranſiiſſe.

Plutarchus in Iulio Cæſare meminit *Sequanorum* amicorum populi Romani, Σηκουανῶν φίλων ὄντων, καὶ παρακειμένων τῇ Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν ἄνω Γαλατίαν. Nimirum *Sequani* non longè aberant ab Italia Tranſpadana, & *alteram Galliam*, videlicet Galliam Narbonenſem ſive provinciam Narbonenſem Romanorum ad Lemanum lacum & flumen Rhodanum attingebant.

Notetur heic, *portam Sequanicam* fuiſſe in urbe Cabillono, ita dictam quòd duceret ad *Sequanos*, qui Arari interfluente dividebantur ab urbe Æduorum Cabillono. Legi Paſſionem MS. S. Marcelli Mart. in qua poſt memoratam *provinciam Secanorum*, & *Ararim* qui & *Segonna* ibi dicitur, hæc reperio. *Primùm ergo ad Saturni ſtatuam quæ ripæ Araris imminebat, eculeo diſtenſus innumera illorum flagella ſuſcepit: deinde ad Solis imaginem, quæ intra muros Secanicæ portæ errore Gentilium præcipuè colebatur; necnon ad atrium Divibavonis, (ubi effigies holovitrea celſo columna adorabatur collocata faſtigio) in II. miliario civitatis Cabilonenſium, Preſide jubente perducitur.* Ubi nota *Divibavonem* aut *Clivibavonem* aut *bavonem* nomen Gallicum Dei qui ibi à Gallis coleretur, fuiſſe: ut *Abellionem* in Convenis, *Agbonem* apud Bigerrones, alios alibi invenire eſt.

SESMARUS FLU.

Notegarius Leodicenſis Epiſcopus, Notgerus aliis dictus, in libro de Vita S. Remacli Trajectenſis Epiſcopi quem ad V Verinfredum Abbatem compoſuit, ejus fluvii meminit ante annos ampliùs DCLX. quum ſcribit, *in loco*

quem Caſacongedunum vocant ſuper Seſmarum fluvium ſito Sigibertum Regem Dagoberti filium *Procerum conſilio in honorem App. Petri & Pauli cœnobium condidiſſe, ac ſua liberalitate ditaviſſe. Seſmarus* hic dicitur aliàs *Seſomiris*, vulgò *le Semoy*. Certè in litteris Sigiberti ipſius Monaſterii conditoris vocatur *Caſagonguidinus, quē Seſomiris fluvius cingere videtur.* Eſt autem *Caſacongedunus*, vel *Caſagonguidinus*, aut *Caſacōgudunenſe Monaſterium* forte vicus *Congnon* vel *Cugnon* ad *Seſmarum* flumen, veteri cella Monachorum ſive Prioratu inſignis. Oritur *Seſmarus* non longè ab Orolauno ex lacu quodam, & Vero (*Vir*) fluvio recepto, Chiniacum, Caſæcongidunum, Bublionem *Buillon*, Orcimontem *Orchimont* alluit, atque infra Lavàndiam Abbatiæ titulo illuſtrem in Moſam evolvitur.

SETIUS MONS.

Hic mons à Strabone dicitur *Sigius mons* Σίγιον ὄρος, corruptè pro Σίτιον aut *Setius* mons. Addit Strabo eo monte duos ſinus maris Gallici dividi: quorum minor ad Pyrenæum uſque pertineat; major proprio nomine ſinus Gallicus appelletur, in quem Rhodanus effluat. Alii duos eſſe ſinus maris Gallici dicunt: alterum ab occaſu Fano Veneris in extremo Pyrenæo, ab ortu monte *Setio* terminatum; alterum inter *Setium* montem & Cithariſtam promuntorium, Straboni & Latinis ſcriptoribus *ſinum Gallicum* propriè dictum. Ptolemæus *Setium montem* Σήτιον ὄρος nomine incorrupto ſinceroque appellat, & inter Foſſas Marianas atque Agatham ponit. Rufus Feſtus Avienus in Oræ maritimæ libro I. ejuſdem montis meminit, *Setiumque* uti Ptolemæus vocat.

Setius inde mons tumet,
Procerus arcem, & pinifer. Setii jugum
In uſque Taurum pertinet.

Tum de Liguribus, quos Tranſalpinos vel Gallos Romani vocavere, ſic ſcribit.

Ligures ad internum mare
Setiena ab arce & rupe ſaxoſi jugi
Se ſe extulere.

Conſtat tamen ex Plinio ceteriſque Geographis, non à *Setio* monte Ligurum Tranſalpinorum fines incepiſſe, ſed eorum ſedes fuiſſe inter Rhodanum flu. & Alpes Maritimas. Bernardus Guido qui ante annos CCCL. floruit, cum *montem juxta maris ſtagnum ſitum, & podium Cete prope civitatem Agathenſem* appellat. *Septimania* (inquit) *dicitur à quodam forſitan monte juxta maris ſtagnum ſito, Septimania dicto, qui ab incolis podium Cete prope civitatem Agathenſem vulgariter appellatur.* At mons ille ab incolis quidem ætate Guidonis *podium Sete*, (ita enim ſcribendum eſt hoc nomen) id eſt *mons Setius* nuncupatus eſt, ut hodieque *le mont de Sete* appellatur: *Septimania* numquā dictus eſt. Conſtat autem Agathæ *Setio monti* proximæ præjacere ſtagnum, quod Avienus ſuprà *Tauri paludis* nomine deſignavit. Incolæ *cap de Cette* vel potiùs *Sete* nuncupant, id eſt caput ſeu promuntorium *Setium*.

Setius mons Noſtris dicitur *le mont de Sete*, eſtque inter ſtagnum & mare poſitus, atque inter Agatham & Magalonam, ſed Agathæ multo propior quàm Magalonæ.

SEVERACUM CASTRUM.

Petrus in capite XXC. libri de bello Albigenſi ejus loci meminit hiſce verbis. *Erat prope Rutenam caſtrum forte nomine Severacum, in montanis & in locis frigidis ſitum. In ſummitate montis ſita erat munitio: burgum verò forinſecum à munitione illa per deſcenſum montis protendebatur.* Ibidem *Severacum*, & *caſtrum Severacum* appellat. A Severo *Severacum* caſtrum vel *Severiacum* dictum eſt. Vulgò nunc *Serviere* nuncupatur, & inter civitatem Rutenorum ac urbem Vellavorum, ſive Podium, in monte eſt poſitum. Eſt quidem *Sebarat* pro͡pe urbem Rutenos: ſed *Severaco* noſtro non convenit.

Eſt & *Severiacum* in Turonibus, Fortunato in Vita S. Germani Pariſ. Epiſcopi memoratum, vulgò *Sibray* dictum. *Cùm de Eccleſia S. Martini ad villam S. Eccleſia Severiaco recurreret.*

Inter Burgundiæ Milites vexillarios ſub Philippo Auguſto *Guido de Severiaco* numeratur.

SEUSA.

Seuſa in Cenomanis ad flumen Sartam poſita, vulgò *la Suſe* dicitur, titulo Comitivæ clara. Gaufridus Vindocinenſis Abbas in epiſtola ad Hildebertum Cenomanorum Epiſcopum: *apud Montem* (inquit) *Aureum vel apud Carcerem, ſeu apud Seuſam ob hoc vobis obviam ivimus. Mons Aureus* eſt *Montoire*; caſtellum *Carcer* eſt *la Chartre* ad Ledericum fluvium ſeu Lidum.

SEZANNIA.

In Vita S. Blitharii Scoti Hiberni, Presbyteri ac Eremitæ, *S. Blier*, quam ante annos D. ſcriptam legi, mentio fit *Sezanniæ*, & *Sezannicorum* id eſt Seſanniæ incolarum, his de Blithario verbis. *Cujus ſanctitatis famâ Sezannici perceptâ ſuburbani, corpus Sancti ſuſtulerunt. & apud ſe collocaverunt: ubi diu multis claruit virtutum inſignibus. Hac ſignorum gloriâ permotus dominus Brecarum nomine Hugo, ſub cujus ditione tenebatur Sezannia parochia, ad caſtrum Brecarum fecit Sanctum deferri cum ingenti reverentiá. Breca* vulgo dictæ *Broyes*, non longè abſunt ab urbe Tricaſſis vel Trecis: (*Troyes*) cujus loci Eccleſia S. Blitharii nomine cenſetur, Brecenſium Patroni. Ea *Sezannia* apud Ca.. uſatum in litteris anni MCCVII. vocatur; *Sezania* in tabulis anni MCCCIV. multiſque aliis vetuſtioribus: vulgò *Seſane*, vetus caſtrum in Tricaſſium finibus.

SIBUTSATES.

Sibutſates in Aquitania ſua ponit J. Cæſar inter *Garumnos* & *Cocoſates*: quos Samſon

le pays de Buch interpretatur, gravi errore *Sibutſates* pro Boiis (*les Butes*) & pro pago Boiorum (*le Buch*) accipiens. At Monetus Sibuſates *le Sebouſan* vel *Sibouſan* in Convenis eſſe maluit, regiunculam mihi ignotam. Ego *Sibutſatium* nomen in *Sobuſſa* agnoſco, qui eſt locus ad flumen Aturum inter Aquas Tarbellicas & Lapurdum ſeu Baionam. *Sobuſſa* igitur, vulgò *Sobuſſe*, aliàs *Saubuſe*, olim *Sibutſa* videtur dicta eſſe; & *Sibutſates* loci incolæ, pars Tarbellorum vel Tarbellis contributi fuerunt.

Cocoſates verò, Plinio *Cocoſſates Sexſignani* cognominati inter *Tarbellos Quatuorſignanos* & *Venamos*, fortè ſunt incolæ pagi *Chaloſſia*, (*la Chaloſſe*) quem *Scialocenſem pagum* Oihenartus appellat. *Cocoſates* Samſon pro Diœceſi Aquenſi (*Dax*) ſumit, quem alibi arguimus.

Ejuſdem Aquitaniæ minores populi memorantur à Plinio *Enebriſates*, aliàs *Onobriſates*, *Belendi*, *ſaltus Pyrenæus*, *infraque Meneoſi*, aliàs *Moneſi*, *Oſſidates montani*, *Sibellates*, *Camponi*, *Bercorcates*, *Pimpedimni*, vel *Bipedimui*, *Saſſumini*, *Vellates*, *Tornates*, *Conſoranni*, *Oſſidates campeſtres*, *Succaſſes*, *Latuſates*, aliique. Ex quibus *Belendorum* nomen videtur retinere *Belin* ad flumen Leriam ſive Sigmana Boiorum; *Meneoſorum* vel *Moneſorum Moncins* aut *Monins*, locus non ignobilis in Benearnenſi regione; *Camponorum* locus *Campan*, & *Tornatium* locus *Tournay*: quæ loca ſunt in Bigerronibus. *Succaſſium* appellationem ſervat haud dubiè *Secas*, vicus inter Garumnam & Leriam amnes, III. ab urbe Burdigala leugis diſtans. Nec à *Bercorcatibus* longè recedit *Biſcaroſſe* vel *Biſcaroiſe*.

SICAULA VEL SEULUS FLU.

Sicaulam Savaro, & alii recentiſſimi ſcriptores appellant: qui tamen forſitan tabularia Monaſteriorum vidêre, & ex veteribus monumentis nomen ejus eruêre. Fluvius eſt in Arvernis, vulgò *Siole* aut *Sioule* dictus, qui Caſtellum Novum, *Chaſteau Neuf*; Manatenſe Monaſterium veterrimum, *Menat*, à Gregorio Arverno, Epiſcopo Turonicæ Eccleſiæ non ſemel memoratū, Vivarium *le Vivier*; Eborolacum vel Ebrogilum, *Ebreule*; Rupem Fortem, opidum S. Porciani, *S. Pourçain* attingit, ac in Elaver influit. Recipit *Sicaula* Bubulam vel Bulbulā *la Bouble*, qui Montem-Acutum in Combralia, *Montegu en Combraille*. Cantiliam Villam, *Chantelle la Ville*, Cantiliam Caſtellum, *Chantelle le Chaſtel*, pagi Epiſcopatuſque Biturici caſtrum, in confinio Arvernorum ac Biturigum poſitum prærerlabitur, & apud Martiliacum *Martilly* decurrit in *Sicaulam*. *Seulum fluvium* vocat Herimbertus Diaconus in Vita S. Vincentiani; (*Saint Viance*) alii *Seulam*; Liber de Vita S. Menelei Abbatis Menatenſis *Sivolim* his verbis. *In Arvernenſi patria, in pago Viciacenſi, inter fluvium Sivolis & Bulbulam ſtatuit finem peregrinationi imponere.* Ubi legendum eſt *inter fluvios Sivolis & Bulbulam*. Verba Erimberti ſunt: *Meneleus partibus Arvernicis pergens, Vaveris ſilvâ ſuper fluvium Seulo eremum concupivit.*

SICERA FLU.

In Geſtis dominorum Ambacienſium, ejus fluvii fit mentio hiſce verbis. *Is* (fluvius) *circa principia ſui in ripis voraginoſus & limoſus, in medio verò arenoſus; limique bibuli pinguedo potantium labra diſſecat: & quamvis vada habeat commoda, tamen ariditate ſui vadantium decoquit crura: & cùm tardè fluat, junctus alteri fluvio*, (Branlæ) *non longè ab urbe Turonica Ligeris alveum intrat. Qui licèt pictus in pratis, pecoroſus in paſcuis, ſic tamen eſt humana natura prorſus contrarius, ut cùm ejus unda glareoſa plus ſitim attrahat quàm depellat, incolæ locorum ab effectu Siceram nuncupaverint.* Ad eumdem fluvium vicum *Navicellas* ponunt, *Nazelles*. Hunc *Siceram* Johannes Maan in ſua Metropolitana Eccleſia Turonenſi, quam anno MDCLXVII. edidit, *Siſaram* vocat, haud dubiè vetera ſecutus monumenta. Vulgò dicitur *la Ciſſe*, & paullo ſupra Turonos in dextrum Ligerim defluit; in Geſtis Epiſcoporum Turonenſium *Sicia*, unus è Septemtrionalibus Turonum fluviis: *Sicia fluvius* & in litteris datis anno MXXXV.

Alius eſt *Ciſa fluvius*, quem *prope caſtrum Bleſenſe Ligeri confluere* ſcribit auctor Vitæ Ludovici Pii Imperatoris: qui eſt forſitan *le Conſſon*, qui in ſiniſtrum Ligerim contra caſtrum Bleſenſe influit.

Alius eſt & *Cuſilla* amnis. *Arcem in Monte Budelli, Ligerim inter & Cuſillam fluvios ad urbem Turonos prominente, exſtruxiſſe* dicitur Fulco Comes Andecavorum. Iſte *Mons Budelli* nuncupatur *Membrole* vel *Montbrole*, locus aut vicus inter Ligerim & *Cuſillam*: qui *Cuſilla* vulgò *Choiſille* nuncupatur, & paullo infra Turonos in Ligerim dextrum labitur. *Choſilium flumen* vocant Geſta dominorum Ambacienſium: *Odo Comes Montem Budelli opidum novum obſedit, ponens ſuper Ligerim tentoria ſua, & ſuper fluviolum qui Choſilium nuncupatur.* *Coſelia* dicitur in Geſtis Epiſcoporum Turonicorum.

S I C H N E.

Litteras legi datas anno MCXXX. ab Alberto Miræo prolatas: in quibus *Sichne* vocatur memoraturque, id quod *Sichemium* nunc appellitant opidulum Brabantiæ.

S I L V A C U M.

Silvacum in pago Laudunenſi haud dubiè à ſilva proxima nomen invenit, villa olim publica vel fiſcalis; cujus in Capitulis Caroli Calvi anno DCCCLIII. ibidem latis, in Lupi Ferrarienſis Abbatis litteris ad Marcuvardum Prumienſem Abbatem, in epiſtolis Hincmari Remenſis adverſus Hincmarum Laudunenſem, & in Annalibus noſtris veteribus non ſemel fit mentio. Ab Rege quidem Carolo cognomine Calvo *Silvacus in Laudunenſi* ponitur. Quare *Silvacum* magno

errore credit Maſſonus à propinqua ſilva ſeu nemore dici caſtrum Nemoris vel Nemoſium, *Nemours* ; *Silviacumque urbem* pro *Silvaco villa* appellat. Multo veriſimilius eſſe Monaſterium Lauduno Clavato proximum, *Sauvoi* vulgò dictum, exiſtimat Paulus Petavius. Quamquam eorum ſententiæ potiùs accedo, qui *Silvacum* nunc *Villam in Silva* dici aiunt, *Ville en Selve*. In Capitulis apud Cariſiacum anno DCCCLXXVII. conſtitutis hæc legimus. *In quibus ex noſtris Palatiis filius noſter* (Ludovicus) *ſi neceſſitas non fuerit, morari; vel in quibus foreſtibus venationem exercere non debeat. Cariſiacus penitus cum foreſtibus excipitur : Silvacus cum toto Laudunenſi ſimiliter.* In plurimis tabulis Geographicis *Ville Serve* legitur, l in r. ut ſæpe fit mutato, id eſt *Villa Silvacus*. Eſt autem hic locus inter Noviomagum & Hammum, ſeu inter Iſaram & Suminam flumina, adjacens ſilvæ Banienſi, *foreſt de Baine*, ſatis remotus ab urbe Lauduno, interfluente Iſarâ, & ſilvâ Codiciacenſi intercedente.

SILVA DUCIS.

Silva Ducis vel *Boſcus-Ducis*, urbs eſt Bracbanti ſeu Brabantiæ nova, at munita. Vulgò incolis *Shertogenboſch*, noſtris *Boſle-Duc* vocatur, quòd & ſilvæ proxima eſt, & ad Ducem Brabantiæ pertinuit : quam urbem Paullus PP IV. Philippo II. Hiſpaniarum Rege & Belgarum Principe poſtulante, anno MDLIX. ad Epiſcopale faſtigium extulit.

SILVANECTES ET AUGUSTOMAGUS SILVANECTUM

Hos Plinius in Belgica *Vlbanectes* vocat, & *liberos* fuiſſe hoc eſt immunes beneficio Imperatorum indicat his verbis. *Suecconi, Sueſſiones, Veruni liberi, Vlbanectes liberi.* Forſitan *Vlbanectes* vel *Vlvanectes* omiſsâ litterâ ſ, pro *Sulbanectes* vel *Sulvanectes* dixerit Plinius : ſicuti Ptolemæus Οὐέσσονες, id eſt *Veſſones*, pro *Sueſſones* aut Σουέσσονες. *Subanectes* à Ptolemæo nuncupari ait Cluverius : quod nomen apud ipſum legere in Gallia Belgica non memini. Ceteris *Silvanectes* appellantur. Quamvis autem *Silvanectes* ſilvis undique ferè cinguntur ac velut adnectuntur, & caput *Silvanectum Auguſtomagus* inter ſilvas duas eminet, totuſque pagus *Silvanectenſis* ſilvas & montes ſeu ſaltus habet : tamen Gentis nomen Gallicum mihi potiùs videtur eſſe, quàm Latinum, aut à ſilvis nexuque deductum.

Urbs *Silvanectum* caput, *Ratomagus Subanectum*, Ῥατόμαγος Συβανεκτῶν mendoſè à Ptolemæo vocatur, cùm *Auguſtomagus Silvanectum*, Αὐγουστόμαγος Σιλβανεκτῶν vocari debuerit : uti aiunt Cluverius in capite XXV. libri II. de Antiqua Germania, & Joſias Simlerus : quamquam (ut ſuprà dixi) nomina Gentis ejus atque urbis apud Ptolemæum me reperiſſe non recordor. In tabula Theodoſiana *Auguſtomagus* prope *Cæſaromagum* ponitur ; ab Æthico in Itinerario inter Litanobrigam (*Verneüil*) & Sueſſonas. *A Samarabriva Sueſſonas uſque* M. P. XVII. *ſic. Carmiliaca* M. P. XI. *Cæſaromago* M. P. XIII. *Litanobriga* M. P. XVIII. *Auguſtomago*. M. P. III. *Sueſſonas* M. P. XII. *Auguſtomagum* autem urbem maximam *Silvanectum* eſſe, quæ *Senlis* nunc vocetur, Cluverius & Simlerus aſſerunt : quod & ſitus urbis docet, veteribus tabulis itinerariiſque reſpondens. Nomen eſt ſemilatinum ac ſemigallicum *Auguſtomagus*, id eſt *Auguſti magus* aut manſio.

In priſcis Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Silvanectum* nuncupatur, nonnumquam *civitas Silvanectenſium*, atque inter Belgicæ ſecundæ urbes VIII. locum obtinet ; in recentioribus decimum, Morinis ſeu Tervannenſibus Ambianiſque poſtpoſita. Eadem more multarum Galliæ urbium proprio nomine depoſito, Gentis cujus erat caput appellationem accepit, & dicta eſt *Silvanecta*. In Notitia Imperii Rom. reperio, *Silvanectas* præſidium militum habuiſſe. *Præfectus Laetorum Gentilium Remos & Silvanectas Belgicæ ſecundæ. Silvanectas* vocat & pactio Guntchramni & Childeberti Regum, anno DXXCVII. facta ; *urbem Silvanectenſem* Gregorius Turonicus Epiſcopus in capite XX. libri IX. Hiſtoriæ Francicæ ; *caſtrum Silvanectas* Uſuardus ; *Senletenſem urbem* Vita S. Genulfi, in libri II. capite XXVI. Noſtri *Senlis* nuncupant, *Silvanectas* per tranſpoſitionem litterarum & truncationē nominis mutando in *Sinlevactas* aut *Sinletas* : incolas Latini ſcriptores *Silvanectenſes* ; Noſtri *Senliſiens* appellitant, ut Pariſiacos *Pariſiens*. Ejus urbis monti impoſitæ à meridie foſſas implet amniculus Nonnitida, *Nonnette*, à re nomen habens, qui in Iſaram effluit. Hunc quidam contrà *Nonnetam* vel *Nonnulam* à puritate aquarum dictum aiunt. Nonnus enim purum ſanctumque ſignificat. Alii etiam Aquam-nitidam vocant, *Annette*. *Silvaletas* corruptè hanc urbem vocavere quidam, ut ſuprà *Senletas*, n. in l. ex more converſo : unde nomen *Senlis*. Officialis Curiæ Aurelianenſis in litteris datis anno MCCLXVI. ſcribit de *Johanne & Roberto de Chambliaco fratribus, Canonicis Eccleſiæ S. Reguli Silvaletenſis.*

Silvanectes nomen dedere *pago Silvanectenſi*, vel (ut Gregorius in libri VI. capite XIV. loquitur) *Silvanectenſi territorio. Pagum Silvanectenſem* Capitula Caroli Calvi apud Silvacum edita memorant, & à pagis Melciano, Vadenſi Urcenſique diſtingunt. Melcianum vulgò *le Mulcien* vocamus ; Vadenſem *le Valois*. *Silvanectenſem pagum* olim à Noſtris *Servois* mutilato nomine dictum eſſe puto, i in e & l in r converſis, ut in Olina fluvio, quem Ornam appellamus, in ulmo quam ormum nuncupamus. Certè tribus circiter leugis diſtat ab urbe *Silvanectis* vicus, vulgò dictus *la Chape en Servois*, aliàs *la Chapelle*, hoc eſt haud dubiè *Capa in Silvanectenſi* pago, quem per contractionem *Servois* quaſi *Silvenſem* Noſtri dixere.

SILVINIACUM.

Silviniacum à Silvino nomen accepit, de

quo Petrus Mauricius in capite xxxi. libri ii. de Miraculis ſic ſcribit. *Accurrunt Fratres, totaque Silviniacus, nullâ pene (licèt villa ſit) Galliarum urbe plebium numeroſitate inferior. Silviniacum* vel *Silviniacus* inter Obedientias vel Prioratus ad Cluniacum pertinentes in litteris Epiſcoporum Romanorum veteribus numeratur. Vulgò dicitur *Souvigny*, eſtque inter Burbonem Erchenbaldi & Molinas ſitus locus in pago Burbonenſi. Inter v. majores Cellas ſeu Prioratus Ordinis Cluniacenſis iv. tenuit locum. Sunt autem hi: Caritas, S. Pancratii Leuvenſis in Anglia, S. Martini ad Campos, vel in Campis Pariſiis, *Silviniacenſis*, & Celſinanienſis: ex quibus *Prioratus S. Maioli de Silviniaco* in Polyptychis vocatur, quòd ibi Maiolus Abbas Cluniacenſis obierit, ſepultuſque ſit; & Epiſcopatui Auguſtodunenſi attribuitur: qua de re dubito. Certè Monachus Silviniacenſis vetus in libri de Vitâ S. Maioli capite xxvi. ſic ſcribit. *Territorium Arvernenſe expetiit Maiolus, ibique in quadam ſua Cella, Silviniaco ſcilicet, nunc loco celeberrimo, ultima exerceri ægritudine cœpit.* In alia ejus Vita hæc reperio. *Burgundiam Maiolus egreſſus, Arvernenſem regionem eſt ingreſſus. In confinio territorii Bituricenſis, itaut limes duarum putetur eſſe regionum, Arvernenſis & Bituricenſis, villa eſt peroptima Silviniacus nomine, quæ Cluniacenſis Monaſterii adjacens Cella eſt.*

Sunt alia ejus nominis loca in Gallia, in his *Silviniacus villa*, inter res Eccleſiæ Aurelianenſis in priſcis tabulis numerata: *villa Silviniacus in pago Tornodrenſi*, vulgò dicta *S. Vertuz*, iii. leugis diſtans à Ternodoro.

SEPARES FLUVII DUO.

Duo ſunt ejus nominis fluvii, *Separis* quem cognominãt *Niorten* ẽ *la Sevre Niortoiſe*, quòd Niortum alluat, alter *Separis Namneticus*, *la Sevre Nantoiſe*, quòd apud urbem Namnetas in Ligerim effluat. Priorem, ſeu *Niortenſem Separim* Petrus Monachus in libri i. de Antiquitate Malliacenſis inſulæ capite ii. *fluvium Separis*, item *Separis alveum* vocat. Hic fluvius Cellam S. Maxentii, *S. Maixent*, Pontem Vallium *Pont de Vaux*, Niortum, ac pæne Malliacum, (*Maillezay*) tum Marantium *Marans* attingit, ac demum Aquitanico accedit Oceano. In litteris Guillelmi Aquitanorum Ducis, datis anno dcccclxxxix. vocatur corruptè fluvius *Sevria*. *Cedo igitur tibi, Emma conjux mea, in pago Niortinſe Eccleſiam S. Clementis, Eccleſiam de Columna, quæ eſt ſita ſuper fluvium Sevria. Columna* eſt vicus ad *Separim*, Niorto proximus, *Colon ſur Sevre* dictus.

Separis Namneticus Vertavum alluit præ ceteris, *Vertou*. Vita S. Martini Vertavenſis Abbatis ita de eo refert. *Bajulis ſacri funeris ad Separis fluvii pervenientibus litora, hic refluentibus ceſſiſſe traditur undis.* In alia Vita S. Martini, quæ ante annos dcc. ſcripta eſt, hæc legimus. *Ad oram fluminis quod tum Landoſa dicebatur, perveniunt geruli corporis S. Martini, nunc à proventu rei quam dicturi ſumus, Separis nomen ſortitum: qui fluvius rapida ſui curſus retorquens veſtigia, & in maximæ molis ſeſe attollens verticem, vectoribus corporis ſancti* (Vertavenſibus, quibus Durivenſes inſequentes illud eripere volebant) *facultatem tribuit tranſeundi.* Hæ ſunt fabulæ. Nec hic fluvius *Landoſa* priùs dictus eſt, neque poſtea *Separis* à diviſione ſeu ſeparatione aquarum. Quidam aiunt *Separim* Namneticum fluvium Latinis ſcriptoribus vocatum eſſe, quòd Andicavos à Britannis ſeparet ac dividat; *Separim* quoque Niortenſem, quòd Annedonacenſem pagum à Pictonibus ſeparet. Quæ diviſio etiamſi vera eſſet, (quod nunc examinare mihi non vacat) tamen nihilominùs crederem interpretationem hanc nominis *Separis* falſam eſſe: cùm uterque fluvius à Gallis veteribus Celticum nomen acceperit, non Latinum; nec Latinam originem vocabulo Gallico tribui oporteat. Sic non procul ab urbe Lutecia vicus eſt, aliis *Separa* necnon *Sepera*, aliis *Savara* olim dictus, vulgò *Sevre*: quod nomen quis non mecum Celticum eſſe agnoſcat, aut quis à ſeparando *Separam* dictam arbitretur?

Separis autem, an *Separ* in recto dixerint veteres, incertum eſt.

SINEMURUM CASTRUM.

Sinemurum à re nomen habet. Ita enim dictum eſt, quod ſine muro eſſet. Vulgò *Semur en l'Auſſois* truncato nomine appellatur, quòd ſit in pago Aleſienſi poſitum ad fluvium Hormentionem.

Monachus quidam Floriacenſis qui ante dlx. annos librum de Miraculis S. Benedicti ſcripſit, in ejus libri capite xliii. alterius caſtri *Sinemuri* meminit his verbis. *Quidam nobilium Gaufredus nomine, prepotens vir, dominus caſtri quod Sinemurus vocatur, capitis infirmitate mentis inops factus, perdidit memoriam.* Eſt hoc caſtrum in pago Cadrellenſi (*le Charollois*) *Sinemurum Brienenſe* cognominatum, *Semur en Brienois*, vel *Brionnois*, itaut pagus hic Brienenſis pagum Cadrellenſem olim continuiſſe videatur. Guibertus Abbas Novigenti de Vita ſua poſterius iſtud *Samurenſe caſtrum* appellat. *Joffredus Samurenſis quondam caſtri, & aliorum caſtrorum in Burgundia dominus fuit.* Hugo Hugonis Abbatis Cluniacenſis *patrem Dalmatium, Principem egregium, Samurenſem dominum* vocat. In litteris Urbani PP. II. datis anno mxcvi. *Eccleſia S. Mariæ ex opido Semmuro, & Eccleſia S. Martini extra Semmurum* in Epiſcopatu Auguſtodunenſi memorantur. Petrus Abbas Cluniacenſis in epiſtolarum libri i. epiſtola xvi. *Gaufredum* ſimiliter *Semmurenſem* nuncupat: at idem tamen in libri i. de Miraculis capite xxvi. *caſtrum Sinemurum & de Sinemuro* nominat. *Gaufredus vir nobilis, dominus caſtri quod Sinemurum vocatur, veſtibus ac telis, quæ undecumque ad caſtrum de Sinemuro deferuntur, novas exactiones impoſuit*: qui poſtea converſus, & Marciniacenſium Prior factus, Gaufredum filium bonorum ſuorum ſucceſſorem reliquit, *dominus Gaufridus Sinemurenſis, & Gaufredus de Sinemuro, fra-*

ter domni Reinaudi Vidiliacenſis Abbatis dictus in litteris conſtitutionis Marciniaci. In litteris Guillelmi de Munda memoratur *cœnobium venerabile in partibus Burgundiæ, in territorio caſtri antiquitùs Sinemuro nuncupati, prope alveum Ligeris in Epiſcopatu Auguſtidunenſi ſitum, quod Marciniacus dicitur.* (*Marſigni.*) *Sinemuri Brienenſis* in chartario Ecc cliæ Auguſtodunenſis fit mentio in litteris anni MCCLXXIV, in quibus *Johannes dominus Caſtri Villani, Luziaci, Sinemuri Brieſi* vocatur: & Girardus Æduenſis Epiſcopus in *parochiali Eccleſia S. Hilarij Sinemuri Brienenſis* XIII. *Canonicos conſtituiſſe* dicitur: quod *caſtrum Sinemuri*, necnon *villa aut Baronia Sinemuri Brieii.* ibidem nuncupatur.

Utrumque caſtrum nomine Latino *Sinemurum*, & *Sinemuro* dictum olim eſt, utrumque nunc *Semur* dicitur; utrumque in Diœceſi Auguſtodunenſi poſitum eſt, ſed alterum in pago Aleſienſi ad Hormentionem amnem non procul à Flaviniaco; alterum in pago Brienenſi (*Briennois*) ad Verbincam fluvium, (*Verbinche*) qui in Ligerim ſupra Marciniacum defluit: quod poſterius ſive *caſtrum* ſive *opidum* nunc *Samurum* & *Samurenſe caſtrum*; nunc *Semmurum* & *opidum Semmurum* corruptè vocatum eſt etiam à veteribus ſcriptoribus pro *Sinemurum*, aut *Sinemurus*, aut *Sinemuro*.

SIRIO FLU.

Æthicus in itinere à Burdigala Argantomagum, *Sirionem* ponit inter Burdigalam & Aginnum, ab urbe Burdigala XV. ab Aginno LIX. millibus paſſuum diſtantem, ſic: *Sirione* M. P. XV. *Vſſubium* XX. *Fines* XXIIII. *Aginnum* M. P. XV. In tabula Theodoſiana ſimiliter *Burdigala*, *Serione*, *Veſubio*, *Fines* ordine memorantur. *Sirio* tamen aut *Serio* & heic & illic fluvius eſſe non dicitur: ut fieri utrubique ſolet, quotieſcumque alicujus fluminis fit mentio. Nihilominùs tamen quidam *Sirionem* hunc vel *Serionem* nomen eſſe putant fluvioli vulgò dicti *le Siron*: ad quem ſunt caſtella Vinhendraudum, (*Vilendrant*) & Budos, & Barſacum *Barſac*, ad Sirionis & Garumnæ confluentem: quem locum *Sirionem Serionemve* à veteribus exiſtimo eſſe appellatum nomine fluvii ſui: uti Truentum in Italia, Betulo, Sucro, Setabis in Hiſpania Tarraconenſi, Nemauſus & Ruſcino in Gallia Narbonenſi, Lupia in Germania Tranſrhenana, alia alibi opida à fluviis prætereuntibus nomen quodque ſuum acceperunt.

SITHIU VEL AUDOMAROPOLIS.

Monaſterium S. Audomari, quod dicitur Sithiu, vocat auctor Chronici Fontanellenſis; *Monaſterium S. Otmari quod dicitur Sidiu* Annales Mettenſes; *Sithiu Monaſterium* Annales Bertiniani; Iperius *Monaſterium S. Bertini in Sithiu.* Hoc igitur Monaſterium nunc à loci ſeu villæ nomine *Sithiu*; nunc à ſepulto ibi B. Audomaro Bononienſium & Tarvennenſium Epiſcopo *S. Audomari Cœnobium* dictum: ſæpiùs ab auctore ſuo & primo Abbate *S. Bertini* cognominatum eſt. Nunc *S. Audomari* nomen retinet locus: vocatur enim *Saint Omer*, ac anno MDLIX. ſedes Epiſcopalis evaſit. In Monaſterium *Sithiu* poſt deſtitutionem tonſionemque detruſus eſt Childericus Francorum Rex, ibique circiter triennium Monachus vixit, obiitque ac ſepultus eſt anno DCCLIV. ut obſervavi in Diſceptationis meæ de veteribus Baſilicis Regiis Defenſione. Vicus autem erat *Sithiu* in pago Tarvennenſi ad flumen Agnionem poſitus, quem auctore Audomaro Adroaldus vir nobilis locique dominus Bertino ſancto Preſbytero ad Monaſterium exſtruendum donavit: ex quo vico munitum & frequens opidum paullatim eſt factum. Chronicon de Geſtis Nortmannorum in Francia, ab anno DCCCXXXIII. ad annum DCCCXCVI. deductum, anno DCCCXXCI. à Northmannis *Sithiu opidum cum Eccleſiis* incenſum eſſe tradit, *exceptâ S. Audomari Eccleſiâ quæ bene munita erat.*

Iperius tradit, Audomarum Epiſcopum cœmeterium & baſilicam in honorem B. Mariæ conſecraviſſe in vertice collis, extra *Sithiu* loci paluſtris muros, & Bertino in ſepulturam Fratrum Sithienſium dediſſe, ſub condicione ut ipſe ea in baſilica cum Monachis humaretur: quem Bertinus mortuum in baſilica S. Mariæ inter Monachos ſepeliverit. Duo ergo ibi erant Monaſteria: alterum intra muros, *Monaſterium S. Bertini* à ſepulto Abbate & conditore ſuo cognominatum, quod & *Sithiu Monaſterium* à loco, & *Monaſterium S. Audomari*, à tranſlatis huc Ludovici Pii Aug. Principatu S. Audomari Reliquiis ex Baſilica S. Mariæ, eſt appellatum, & ab Iperio *capitale Monaſterium*, hoc eſt primum ac præcipuum vocatur: alterum priori ſubjectum extra muros Sithiu, quod Iperius nunc *Monaſterium S. Audomari* à ſepulto ibi primùm B. Antiſtite, nunc *Eccleſiam Canonicorum S. Audomari*, ſæpe etiam *Baſilicam B. Mariæ*, & *Capellam S. Dei Genitricis* nuncupat: unde tranſlatos à Folquino Tarvennenſi Epiſcopo in Monaſterium Sithiu S. Audomari cineres, & juxta corpus Bertini conditos eſſe ait, & unde expulſis XL. Monachis XXX. *Canonicos Sæculares* à Fridegiſo Abbate principatu Caroli Magni ſubſtitutos affirmat.

Cùm Carolus ejus nominis quintus Imperator Tarvennam anno MDLIII. captam diruiſſet ac æquaſſet ſolo, ſedem Epiſcopatus veterrimam, caputque Morinorum: partem ejus Diœceſeos Bononia ſibi vindicavit: pars major *Audomaropoli* & Ipræ eſt attributa. Anno enim MDLIX. Philippus Caroli filius, Hiſpaniarum Rex Principeſque Belgarum, *Sithiu* vel *Audomaropolim* præ ceteris in Epiſcopatum evehi curavit, cui Area, Hiſdinium, Gravenengæ, aliaque loca ſubjecta.

SODOBRIUM.

Inter Balgentiacum & opidum Bleſenſe municipium eſt, in agro Bleſenſi poſitum ad

ripam dextram vel Belſicam fluminis Ligeris in Diœceſi Carnutina, tribus parœciis ſeu Eccleſiis Baptiſmalibus conſtans : quod in veteribus tabulis Latinis *Sodobrium*, ac vulgò *Suevre* nuncupari, accepi à Viro Clariſſ. & doctiſſimo Giveſio, qui diu Aureliani Advocationem Regiam ſive fiſcalem magna cum integritatis laude ſapientiæque geſſit. *Sodobriam* vocat Chronicon breve, à Pippino Principe ſeu ab anno DCXCVII. ad annum MCXXXVII. deductum : in quo *Garnegaudus & Helena S. Martino Eccleſiam Sancti Martini apud Sodobriam anno* DCCCXCV. *dediſſe* dicuntur. In Chartario Eccleſiæ Aurelianenſis S. Crucis, legi litteras Simonis Balgentiacenſis domini ſub Manaſſe Epiſcopo circa annum MCL. in quibus *Sodobry* meminit. *Do* (inquit) *Eleemoſyna Bleſis unam maſuram apud Sodobrium.* Heic eſt Præpoſitura ad Turonenſe Monaſterium S. Martini pertinens.

SOLBISIA.

Solbiſia, vulgò *Soubiſe*, locus eſt ad flumen Carantonum, jamjam Oceano acceſſurum. Litteras legi *domini Petri de Solbiſia Santonenſis Epiſcopi*, datas anno MCCXVII.

SOLLEMNIACUM.

Sollemniacum villa in Lemovicibus *Solignac*, aliàs *Solonniac*, & *Solognac*, à *Sollemne* aliquo conditore ac domino ſuo nomen accepit : quam villam fiſcalem vel publicam, VI. millibus paſſuum ab urbe Lemovicis diſtantem, Eligius à Dagoberto Rege petiit accepitque, ut ibi quemadmodum fecit Monaſterium exſtrueret : ſicuti Audoënus in ejus Vita memoriæ tradit. Cœnobium igitur maximum nobiliſſimumque in villa *Sollemniaco* ſtatuit, inſtruxitque ac dotavit, & Monachis CL. congregatis Remaclum præfecit Abbatem. Alethius fratris ſecutus exemplum, in villa Catalacenſi Monaſterium in paterna domo prædioque conſtruxit.

SOLLIACUM.

Solliacum caſtrum vetus & nobile ad Ligerim, à Sollio aliquo loci conditore vel domino nomen inveniſſe mihi videtur, ut *Lucaniacum* apud Auſonium à Lucano, *Sollemniacum* in Lemovicibus à Sollemne, *Avitacum* in Arvernis ab Avito Aug. *Soſiacum* à Soſio. Vulgò *Sully* appellant. Aimoinus Floriacenſis Monachus in libri I. Miraculorum S. Benedicti capite VII. ejus meminit his verbis. *Solliacenſis caſtri, quod à vico Floriaco* III. *diſtat millibus, poſſeſſor quondam Herbertus dictus eſt, Erchenaldi filius, frater Archembaldi Turonicæ Eccleſiæ nunc Archipræſulis. Huic Richardus Abbas Floriacenſis aliqua juris Eccleſiaſtici prædia in beneficium conceſſerat.* Abeſſe dicitur ab urbe Aurelianis XVIII. millia paſſuum. Anonymus in libro de Miraculis S. Benedicti. *Unde factum eſt die quadam, ut validâ manu militum collectâ Odo* (frater Henrici Franc. Regis) *Solliacenſium ſibique contiguorum agros deprædatum iret.* *Gelo Soliacenſis caſtri dominus* in tabulis Virſionenſis Abbatiæ appellatur. In pleriſque libris *Soliacum* cum uno l. ſcribitur & excuditur mendosè. In Chartario MS. S. Evurtii, quod legi, *Soliaci*, & *dominorum Soliaci*, & *menſura Soliacenſis* ſæpe fit mentio. *Archidiaconatus Soliacenſis* VI. eſt ac ultimus Eccleſiæ Aurelianenſis Archidiaconatus.

Eſt & *Solliacum*, Abbatiale Monaſterium in Cadurcis ad Duranium flumen, vulgò *Souillac*. In Chartarii Eccleſiæ Cadurcenſis litteris quibuſdam *S. Maria Soliacenſis* vocatur à Patrona loci ; in aliis *Cœnobium Soliacum*. *Ipſas condaminas & ipſos farinarios cedo ad S. Mariam matrem Domini Cœnobio Soliaco.*

Soliacus etiam, id eſt *Solliacum*, vicus pagi Autiſſiodorenſis, memoratur in Geſtis Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, à Labbeo editis.

SOLLINIENSIUM CIVITAS VEL SALINÆ.

In provincia Alpium Maritimarum quartum olim locum tenuit *civitas Sollinienſium* inter octo provinciæ civitates, quemadmodum veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ docent ; in quibus nunc *civitas Sollinienſium*, nunc *civitas Solimenſium*, in quibuſdam etiam *civitas Salinenſium* vocatur. Hujus civitatis ſolæ Notitiæ Galliarũ meminerunt. Hinc fit ut non facile dictu ſit, quæ ea urbs fuerit. Memini ante annos ferè XXX. me ſcribere, urbem à Ptolemæo memoratam *Salinas Suetriorum in Maritimis Alpibus*, Συετρίων ἐν Παραλίοις Ἄλπεσι Σαλῖναι, *civitatem Sollinienſium* mihi omnino videri, eo magis quòd & *civitatem Salinenſium* in II. Notitiis vocari eam animadvertebam. *Suetrii* autem, in inſcriptione è tropæo Alpium apud Plinium in libri III. capite XIX. nuncupantur *Suetri*, ac inter Gentes Alpinas ultimi numerantur. Nuper gaviſus ſum hancce conjecturam meam Holſtenio viro doctiſſimo probari : qui in ſuis ad Theſaurum Ortelii Adnotationibus non ſemel negat ea de re dubitari oportere, ac *pro certiſſimo habere* ſe ait, *Salinas Suetriorum* Ptolemæi inter Vintium & Sanitium eſſe urbem, quæ corrupto veriſimiliter nomine *civitas Sollinienſium* in Notitiis Galliæ vocatur : arguitque & Ortelium, qui *Sollinium* vel *civitatem Sollinienſium* *Senez* interpretatur, quod eſt *Sanitium* ; & Julium Cæſarem Scaligerum alioſque, qui *Salinas Suetriorum* Salutias (*Saluces*) exponunt, opidum trans Alpes in Italia ſitum. Ipſe ſitum *Suetris Suetriiſve* à Cluverio rectè aſſignari aſſerit : quem ſecutus, *civitatem Sollinienſium*, ſive *Salinas Suetriorum* exiſtimat locum eſſe Sanitium inter & Antipolin Vintiumque, qui nunc *Seillans* appellatur.

Eſt quidem *Solonium* urbs Allobrogum una è multis, quam Dion in libro XXXVII. Hiſt.

Σολώνιον πόλιν Ἀλλοβρίγων, Florus in epitome CIII. libri Livii *Solonem* appellat, quum poſt cædem Catilinæ *Caium Pontinium Prætorem Allobroges qui rebellaverant, ad Solonem domuiſſe* ſcribit. Sed *Solo* iſte vel *Solonium* Allobrogum, cùm ſit in provincia Viennenſi, nihil ad civitatem *Sollinienſium* vel *Solinium* pertinet: videturque mihi eſſe *la Sone* ad flumen Iſaram in finibus Allobrogum locus, parum diſtans à caſtro ad Iſaram vulgò *Vinay* dicto, quod Οὐεντίαν πόλιν Ἀλλοβρίγων *Ventiam urbem Allobrogum* Dio ibidem de Caii Pomptini victoria ſcribens nuncupat, atque cum *Solonio* conjungit. Eſt autem *Vinay* caſtrum in Diœceſi Gratianopolitana ſeu Cularonenſi: quæ Gratianopolis ſeu Cularo urbs utique Allobrogum eſt.

SONEGIÆ, ET DE SENNA FLUVIO.

Sigebertus in Chronico tradit, anno DCLI. *multos utriuſque ſexus in Galliis ſanctitate claruiſſe: qui in ædificandis Deo Monaſteriis operam ſuam navaverint. Ex quibus tunc floruerunt Landelinus, qui & Moroſus, fundator cœnobii Lobienſis; Giſlenus Cellenſis; Madelgarius Dux, qui & Vincentius, Altimontenſis & Sonegienſis; ejus conjux VValdetrudis Caſtrilocenſis, ſororque VValdetrudis Aldegundis Melbodienſis.* *Sonegiæ* in Hainoo vulgò vocantur incolis à fluvio ſuo *Sennicx*; *Soignies* Noſtris, vel *Songuie*; quibuſdam *Soigne*. Hæc urbs cum Monte Caſtilocio, Condate, Attho, Querceto vel Caſneto, Landericiis, Aveſnis, cumque Binchio, Bello Monte, Brenna, (*Brenne*) Melbodio, ac Ciniaco Diœceſeos Camaracenſis finibus continetur.

Baldericus in Chronici Camaracenſis libri II. capite XLVI. non *Sonegias*, ſed *Sungeias* appellat hoc Hainoi opidum, Monaſterio Clericorum ſeu collegio Canonicorum inſigne: quod *Sumniacum* ſive *Sunniacum* in Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, & Capitulis Caroli Calvi ac Annalibus Bertinianis inſerta creditur nuncupari; & *Senogia* dicitur in Chronico Gemblacenſi.

Poſitæ ſunt *Sonegiæ* ad *Sennam* fluvium, non procul ab ejus capite, à quo & nomen videntur accepiſſe. *Senna* autem amnis olim *Sumnia* haud dubiè vel *Sunnia* dictus eſt, unde *Sumniacum* ſive *Sunniacum*; ac poſtea *Sonna* vel *Sona*, ex quo fecere *Sonnegias*, aut *Sonegias*: quod opidulum, Hallaſque ac Bruceſellam attingit. Certè hic fluvius, ut Miræus ait, *Sonna* nũcupatur in tabulis ante annos ferè D. ſcriptis; in libelli de Vita S. Amalbergæ Virginis capite XVIII. *Senna*, unde *Senogia*. *Herbam quam vulgò criſonium vocant, circa irrigua Sennæ fluminis decerperet.* *Senna* fluvius non longè à *Sonegiis* ortus, Hallas Brabantiæ municipiolum interluit, *Haux*; Bruceſellam attingit, ibi primùm navigabilis, ac in Demerã decurrit, Scaldi pòſt acceſſurum. *Senne* Noſtris dicitur, aliàs *Zenne*. Criſoniũ herba eſt, quam Suggerius Monaſterii S. Dionyſii Abbas criſonem, & (uti nunc facimus) *creſſon* quoque appellat; veteres à naſo torquendo ſeu à gravi odore naſturtium nuncupavere.

A *Sonegiis* ſilva *Soniaca* nomen videtur accepiſſe, pars ſilvæ Carbonariæ, vulgò *bois de Soigne* dicta.

Sonegias commemorant tabulæ anno MCXCVII. datæ, unaque *Barbentionem* & *Binchium*: ex quibus *Binchium* locus in Hainoo, vulgò vocatur *Bins en Hainaut*, *Bintium opidum Camaracenſis Diœceſeos* Marliano dictum; *Barbentio* autem *Barbençon*, qui nunc eſt Principatus.

SOSIACUM SENONUM.

In Chartulario MS. Corboilenſis Eccleſiæ S. Exſuperii legi litteras Galteri Senonenſis Archiepiſcopi, datas anno MCCXXXVII *Soiſiacum ſuper Scolam* bis memorantes. Ibidem litteræ *Seguini Decani Chriſtianitatis Meledunenſis*, datæ anno MCCLVIII. *Guillelmum de S. Germano ſuper Scolam Militem*, & *Gilonem Armigerum*, ejus filium referunt. Hic rivus aut amniculus *Scola*, vocatur *le ru d'Eſcole*, alluitque *Soſiacum* in pago VVaſtinenſi, & vicum S. Germani ſupradictum: ex quibus *Soſiacum* vulgo *Soiſi ſur Eſcole* dicitur, id eſt *Soſiacum ad Scolam*: ut diſtinguatur à *Soſiaco* Briegenſi, in finibus Pariſiorum Sequanæ adſito, quod *Soiſi ſur Seine* nuncupatur. *Soſiacum* abſolutè, necnon *Soiſiacum ſupra Scolã* litteræ Petri Senonici Archiepiſcopi rectè vocant; litteræ Adelæ Francorũ Reginæ, datæ anno MCC. apud Moretum *Soiſiacum*; Adela eadem in litteris anni MCXCVII. & Michael Senonenſis Archiepiſcopus in tabulis anni MCXCVIII. *Soiſiacum ſuper Scolam*. Utrumque *Soſiacum* à *Soſio* appellationem accepit.

SOTIATES.

Sotiates equitatu plurimum valuiſſe, & *ſuperioribus victoriis fretos, in ſua virtute totius Aquitaniæ ſalutem poſitam putaviſſe*, atque à P. Craſſo acie victos eſſe: & *opidum Sotiatium naturâ loci & manu munitum*, unà cum Adiatomo qui ſummam imperii tenebat, poſt oppugnationem ei ſe dediſſe, tradit Cæſar in libro III. Commentariorum. Libri editi *Sontiates* corruptè vocant: at in veteribus Cæſaris atque etiam Paulli Oroſii qui Cæſarem tranſſcripſit codicibus ſcriptum reperitur *Sotiates*; in quibuſdam & *Sottiates*. Certè & à Plinio vocantur *Sottiates*, & in Aquitania ponuntur inter Eluſates & Oſſidates Campeſtres. Nicolao Damaſceno apud Athenæum in libro VI. Deipnoſophiſtῶn dicuntur *Sotiani* quoque ſine littera n, & *Adiatomus* eorum Rex. Ἀδιάτομον Σωτιανῶν βασιλέα (ἔθνος δὲ τοῦτο Κελτικόν) ἑξακοσίους ἔχειν λογάδας περὶ αὐτόν. *Sociates* Paullo Diacono in libro VI. Hiſtoriæ Miſcellæ appellantur.

Quod Cæſari *opidum Sotiatium* ſuprà vocatur; in Vita MS. B. Martyris Severi provinciæ Vaſconiæ patroni, fabuloſa, ſed ſatis vetere *Sotium* dicitur hiſce verbis. *Cùmque in urbem quamdam in ipſo limite Vaſconiæ ſitam, antiqua nuncupatione Sotium dictam pertingerent, Toloſâ egreſſi*, &c. Ab aliis, & in priſcis tabulis paſſim locus hic *Sotia* nun-

cupatur, à nomine Gentis utraque appellatione deductâ: opidum hodieque non ignobile in Novempopulis & in Auſcorum Diœceſi, vulgò *Sos* aut *Soz*, quibuſdam mendoſè *Sols* dictum, eidem cui Eluſa fluvio nimirum Geliſæ appoſitum, ſed parvum. Ita Lurbeus, Maſſonus, & Oihenartus, aliique viri docti ſentiunt: quibus libentiſſimè accedo, cùm & ſitus loci & nomen, veteri nomini *Sotiatium Sottove* reſpondens, eam ſententiam confirment. Petrus tamen de Marca, neſcio quibus Chartulariis & tabulis haud antiquis fretus, *Sotiates* pro Aturenſium civitate vel Diœceſi accipit: Samſon Geographus, leviſſimis de cauſis nec refutatione egentibus, *Sotiates* quidem civitatem ſeu Diœceſin Lactoratium; *opidum Sotiatium & natura loci & manu munitum* Lactoram Lactuntamve interpretatur, urbem monti ſaxeo impoſitam, triplice muro cinctam, & arce munitam. Certè ut nemo negare jure poteſt *Sotium* vel *Sotiam* eſſe opidum *Sos*; ſic nemo infitiabitur, *Sotium* iſtud aut *Sotiam*, nomen eſſe à *Sotiatibus* deductum.

SPARNACUM.

Sparnacum villam ſuam ad Matronam, *Eſpernai*, Eulogius Gallus, vir potentiſſimus clariſſimuſque Remigio Remorum Epiſcopo ac Remenſi Eccleſiæ v. argenti librarum millibus vendidit: uti Hincmarus in libro de Vita B. Remigii, transſcriptorque ejus Frodoardus in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis prodidere. Exſtant Capitula xix. *excerpta in Sparnaco villa Remenſis Eccleſiæ* anno DCCCXLVI. *Villa quæ Sparnacus nominatur* in Annalibus Bertinianis anno DCCCXCII; *villa Sparnacum*, & *villa Spernacus* à Frodoardo in Hiſtoria Remenſi vocatur; *caſtrum Sparnaci* in Chronico anno DCCCCXXII; ab Adſone in Vita Bercharii Abbatis *prædium publicum in pago Remenſi, VIII. millibus ab urbe diſparatum, cui Sparnacus nomen fuiſſe conſtat impoſitum.*

SPARNO.

Litteræ datæ anno MCLVIII. MCXCVIII. & MCCXXVIII. nunc *Sparnonem* rectè, nunc corruptè *Eſparnonem* vocant caſtrum Ducatûs titulo illuſtre in Carnutina Diœceſi, S. Thomæ Cellâ ſeu Prioratu clarum, *Eſpernon*. Memini & *Sparlonem* legere, necnon *Sparnomum*. *Rotbertus Rex Francorum firmavit Montifortem*, (id eſt Montem Fortem, *Montfort l'Amaury*) *& Sparnomum*: ut docet vetus Hiſtoricus; quem *Aimoini Continuatorem* vocitant. Trivettus in Chronico *Eſperlionem* appellat.

SPEDOTENUM VEL SPEDONA.

Spedoteni mentionem factam reperio à Fortunato Preſbytero in libri de Vita B. Germani Pariſiorum Epiſcopi capite XVIII. his verbis. *In Spedoteno villa rurſus ei oblatus eſt*, aliàs *Spedenota*.

Spedotenum hoc, *Spedonam* poſtea vocari cœpiſſe, & locum eſſe quem vulgò *Eſponam* vocamus, (*Eſpone ſur Mandre*) in Carnutum finibus ad Eccleſiam Pariſiacam pertinentem animadverto, vicum proximum Meduntæ caſtro, non longè à confluentibus Maldræ & Sequanæ. In libris XXIII. litterarum Capituli Eccleſiæ B. Mariæ Pariſienſis, ante annos circiter CCCC. ſcriptis, *Spedona* & *Eſpona*, ac fluminis ejus *Garennaque* fit mentio: in litteris anni MCCLXIX. *villa de Spedona, & de Maceriis Carnotenſis Diœceſis*; in litteris anni MCCXXV. bis *Guarenna* (aliàs Garenna) *de Spedona citra Mandram ex parte Mollents*: item *apud Eſponam citra Mandram* in litteris anni MCCXXVI. *aqua Spedona quæ Mandra vocatur*: & in pluribus aliis tabulis *Mandram* ſemper ſcriptum reperio, fluvium Spedonenſem: cùm *Maldra* vocetur ab Orderico Vitale, & *Mandram* pro *Mandra* ſcribi vocarique debere poſſit quis ſuſpicari: quoniam *Mandre* vulgò dicitur, & *Maldra* ac *Mandra* una eademque appellatio eſt, l in n facilè tranſeunte. Sed nihil mutandum eſſe in Mandra, jam alibi monui, cùm & n in u Noſtri non rarò convertant. Conſtare enim dicunt *couſter*, ſponſum *eſpoux*, ſponſare *eſpouſer*, Montiacum *Moucy*, conſobrinum *couſin* appellant.

SPINETUM.

Litteræ datæ anno MCXCIII. *Spinetum* commemorant: quod eſt caſtellum ad Suminam in pago Pontivo Pinquiniacum inter & Abbatiſvillam, vulgò *Eſpinoy* dictum, Principatûs titulo nunc illuſtre. Ab ſolo ſpinoſo in quo conditum eſt, nomen accepit; ut *Spinetum* juxta Luſarchias; *Eſpinay*, & *Spinetum* in Decanatu Linarienſi; *Eſpinay ſur Orge*, vici Diœceſeos Pariſiacæ, aliaque loca in Gallia.

STABLO.

Infra territorium Reginſem (ſeu intra territorium Reginſe) *Staplonem villam*, aliàs *Stablonem villam*, id eſt vicum agri Reienſis Gregorius noſter in Hiſtoriæ Franciçæ libro IV. memorat, Mummoli Patricii de Saxonibus qui ex Italia in Provinciam eruperant, victoriâ nobilem: *Stuplonem* Fredegarius in Chronici libri IV. capite LXVIII. vocat. Incolæ *Stoblon*, aliàs *Eſtab'on* appellant: qui locus eſt in Reienſi Diœceſi.

STABULAUS.

Illuſtre eſt in Tungrorum finibus Monaſterium *Stabulaus*, à Sigiberto Dagoberti filio, Auſtraſiorum Rege conſtructum, *Stabolaus* in Vita S. Landeberti dictum: quod *Monaſterium Stablaus* numerat Ludovicus Aug. inter ea quæ dona & militiam debent. Annales Fuldenſes Ripariis hunc locum adſcribunt, & anno DCCCXXCI. *præcipua in Ripuaria & pago Haſbanico Monaſteria, Prumiam, Indam, Stabulaus, Malmundarium* à Nordmannis vaſtata eſſe tradunt. *Stabulenſe Monaſterium* quidam vocant; quidam *Stabolau* nomine indeclinabili. Vita S. Johan-

nis Gorziæ Abbatis *Monaſterium Stabulacum*. Vulgò *Stavelo* dicitur, vel *Staulo*.

STAMPÆ.

Stampæ in Senonibus, *Eſtampes*, à Gregorio noſtro Fredegarioque memorantur. Has Fredegarius flumini *Loa* appoſitas eſſe ſcribit; alii, præſertim Aimoinus meliùs fluvio *Junna*. Quorum diſcordes opiniones facilè conciliari poſſunt: cùm certum ſit *Junnam* paullo infra *Stampas* quas alluit, fluvio *Loa* majore ac minore augeri.

Ab his *pagus Stampenſis* Gregorio & Fredegario Nithardoque celebratus, *Stampinſis* in Capitulis Caroli Magni; *Stampiſus* in Capitulis Caroli Calvi dictus nomen invenit, in Chronico Mauriniacenſi *provincia Stampenſis*, *l'Eſtampois*.

Æthicus inter *Canabum*, id eſt Genabum, & *Luticiam Salioclitam* vel *Solioclitam* ponit, à Canabo XXIIII. à Luticia totidem millibus paſſuum diſtantem: qui ſitus aut quæ diſtantia *Stampis* convenit, itaut *Salioclita* poſtea *Stampæ* dicta eſſe videatur. Niſi ſit *villa Sarclita* vel *Sarclida* (*Saclé*) *ſuper flu. Joina in pago Stampinſe*, Dagoberto memorata.

Heic notandum eſt, fluvium *Junnam*, *la Juine*, qui *Stampas* alluit, in Chartario Eccleſiæ Pariſiacæ nunc *Juniam*, nunc *Joniam* nuncupari. In litteris Philippi Franc. Regis datis anno I. V. MCC. regni XXI. Loriaci, *mariſis ſuper Juniam*, (id eſt mariſci vel paludes) & *piſcatio in Junia* memorantur, & *Theovilla* ac *S. Veranus* loca *Stampis* & *Junna* fluvio proxima; item, *ex parte illa Junia, in qua una ripa*, &c. *Junna* paullo poſtquam *Stampas* attigit, *Loam* majorem, & *Loam* minorem accipit: ex quibus major *Loe*, vel (ut vulgò proferunt accolæ) *Lo* dicitur; minor *Loet* nomine deminutivo appellatur quaſi *parvus Loa*. Apud vicum Exonam vel Axonam nomen mutat *Junna*, & incipit vocari nomine ejus vici quem alluit *Exona* vel *Iſſona*, *la riviere d'Eſſone*, atque ad Corboilum in Sequanam decurrit: ſicuti in Pariſiis docui. Conſtat autem non aliud flumen, quàm *Junnam Stampenſem*, auctum utroque *Loâ*, Exonam vicum præterlabi, & apud Corboilum Sequanæ confundi. Hanc obſervationem Buiſſonio V. C. & itinerum Romanorum ac veterum viarum geographiæque peritiſſimo debere me volens libenſque profiteor, ac ſponte acceptam refero.

Stampas Veteres in Chronico Mauriniacenſi reperio, in quo *Eccleſia Veterum Stamparum, in honore Martini Confeſſoris dedicata*, *Priorem* ſuum habentis fit mentio, & *Stampæ* à *Veteribus Stampis* diſtinguntur: itaut *Veteribus Stampis*, quarum Gregorius aliique meminerunt veteres ſcriptores ſub nomine *Stamparum*, novæ acceſſiſſe videantur, quæ abſolutè *Stampæ* dictæ ſint.

Stampis Palatium fuiſſe, docet non ſolùm Chronicon Mauriniacenſe ſemel atque iterum, ſed etiam Helgaldus: qui ſcribit Rotbertum Regem Franc. *Monaſterium S. Mariæ in Stampenſi caſtro*, ac ibidem *Eccleſiam in Palatio ædificaviſſe*.

In Chronico Mauriniacenſi *Marchum Vicecomitem Stampenſium* dici, & ejus generum Guidonem, uxorio jure Vicecomitatum hunc obtinuiſſe reperio.

STERPINIACUM.

Sterpiniaci villæ publicæ vel fiſcalis in Veliocaſſibus mentionem facit Audoenus in libro I. de Vita Eligii hiſce verbis. *Alio quoque tempore ſub laicali adhuc habitu carpebat iter cum pueris ſuis de villa Regali quæ vocatur Sterpiniacus*. *Sterpiniacus* vicus aut *Sterpiniacum* unà cum *Gamapio vico*, quem ibidem memorat Audoënus, eſt trans Ittam in Veliocaſſibus Normanniis non procul à Giſortio ac Gamapio, atque vulgò dicitur *Eſtrepigni*, aliàs *Eſtrepagni*. Auctor incertus in libro III. Chronicorum, in *Vilcaſſino Normannico Sterpiniacum Gamachiaſque* collocat, ut & Geſta Ludovici VII. Francorum Regis: quæ horum locorum alterum *Eſtrepegni*, alterum *Gamaches* vocant; *Stripiniacum* alii, vetus codex ante annos D. *Strepenneium*; Geſta Dagoberti Francorum Regis *Sterpiniacum villam in pago Vulcaſſino*: quam villam hic Princeps Monaſterio B. Dionyſii dediſſe fertur.

Eſt & *Stripiniacum* vicus in confinio Pariſiorum & Senonum ad Junnam flumen, inter Bonnam vicum (*Bonnes*) & Stampas, vulgò *Eſtrechi*. *Stripiniacenſem Eccleſiam* ab Anſello & Haimone Mauriniacenſi Monaſterio datam eſſe legimus in Chronico ejus: quam hodieque pro Cella Mauriniacenſes habent, & in veteribus tabulis *Stripiniacum* appellari aiunt. *Villam in pago Stampenſi, quæ Stripiniacus dicitur*, vocat liber Miraculorum S. Dionyſii. Ex *Stripiniaco* factum à Noſtris *Eſtrechi* truncato vocabulo, ac litterulâ p in ch mutatâ, ut ex apio *ache*, ex Gamapio *Gamache*, ex Attipiaco *Attichi*, ex ſpina *eſchigne*. Nominibus Latinis ab ſ littera incipientibus Noſtri e præfigere conſueverunt. Sic dicunt ſtrenas *eſtrenes*, ſcrofulas *eſcroüelles*, ſpatham *eſpée*, ſcripturam *eſcroüe*, ſciurum *eſcurieu*, ſturnum *eſtourneau*, ſpatiari *s'eſbatre*, porcum ſpinoſum *porc eſpi*, ſpithamam *un eſpan*, Sclavinos *Eſclavons*, ſtrictum *eſtroit*, ſcapulam *eſpaule*, ſportones *eſperons*, ſtubam *eſtuve*: eadem ratione Sterpiniacum *Eſtrepigni*, Stripiniacum (quod idem nomen eſt) *Eſtrechi*.

STOECHADES INSULÆ.

Strabo quinque *Stœchadas* inſulas refert, tres memoratu dignas, parvas duas: ſed eas non nominat. Tantùm à Maſſilienſibus coli, & portus ſuos habere ait, ac *Stœchadas* v. *Maſſilienſium* nuncupat. Pomponius Mella ita de *Stœchadibus* ſcribit in libri II. de ſitu Orbis capite ultimo. *In Gallia quas referre conveniat, ſola ſunt Stœchades, ab ora Ligurum ad Maſſiliam uſque diſperſæ*. Quibus verbis non quinque ſolummodò inſulas, ſicuti Strabo ſuprà, ſed quidquid inſularum eſt inter oſtium Vari fluvii finemve Galliæ atque Maſſiliam, *Stœchadum* appellatione deſignat, ſeu *Stœchadibus* adſcribi jubet. Sunt

autem toto hoc ſpatio inter Varum ſeu inter initium Liguriæ propriè dictæ atque Maſſiliam inſulæ plus minùs XL. cùm majores & citra faſtidium nominandæ, tum minores, aut etiam minimæ & incultæ, in primis tres contra Maſſiliam Græcorum, *Stœchades* propriè dictæ, ut infrà docebimus; *Planaria* à planitie nuncupata, ubi vicus cum turre, *Planier*; *Callis Longus*, *Calle Longue*, *Callis Saracenicus*, *Calle Sarraine*, id eſt via Saracenorum, qui olim oram Gothiæ atque Provinciæ prædationibus diu multumque infeſtavere; *Carchedonia Caſſidaine* à Carthaginenſibus, quibuſcum Maſſilienſes bellum geſſerunt; duæ ejuſdem magnitudinis vel potiùs ejuſdem brevitatis neſides, ob ſimilitudinem *Fratres* dictæ, *les Fraires*; inſulæ tres, *Areenſes* vel *Arearum* cognominatæ, quòd ſint ante opidum Areas; Noſtris *les iſles d'Hieres* ac nonnumquam *les iſles de Eres*, Italis *Iſole d'Eri* nuncupatæ, aliquando & *inſula Aurea*, *les iſles d'Or*: parva admodum inſula, atque ideò dicta *Formica*, *Formigue*; inſulæ duæ dictæ *Sardinaria* à copia ſardinarum vel ſardarum, in oſtio ſinus Grimaldici, *les Sardinieres*; inſulæ etiam *Leonum* duæ aut *Leones*, *les Lions* ante Forum Julii, Petro Amelio in navigatione Gregorii PP. XI. *Leones Forojulienſis Diœceſis* dictæ: *Agatha*, *port d'Agat*, aliàs *Port d'Aigas*, id eſt *portus Aquarum*; *Lerinus*, & *Lero*, *Tranſtero*, & *inſula S. Ferreoli*. Sic igitur ſenſit Mella, ſed ſolus. Nemo enim præter eum, quem quidem legerim, (omnes autem Geographos veteres legi) Lerinum & Leronem inſulas, ne de ceteris loquar, *Stœchadibus* adnumerandas putavit.

Plinius, de omnibus unus & ſolus, *Stœchadum* numerum & ſitum, & nomina ſingularum optimè diligentiſſimeque deſignavit: cujus hæc verba ſunt in libri III. capite V. *Galliæ autem hinc ora. In Rhodani oſtio Metina, moxque Blaſcon*: (in Blaſcone errat) *tres Stœchades à vicinis Maſſilienſibus dictæ propter ordinem: quas item nominant ſingulis vocabulis, Prote, Meſe, quæ & Pomponiana vocatur, tertia Hypæa. Ab his Sturium, Phœnice, Phila, Lero, & Lerina adverſum Antipolim.* Ampelius in libro quem Memorialem inſcripſit, tres tantùm *Stœchadas* uti Plinius facit. A Maſſilienſibus Græcis vicinis, qui earum & totius ferè oræ maritimæ domini erant, hæ III. inſulæ Græco nomine appellatæ ſunt Στοιχάδες, *Stœchades* ab ordine, (στοῖχος enim ordinem ſignificat) quòd ex adverſo Maſſiliæ recto æqualique ordine ac diſtantiâ ſint ſitæ. Στιχάδες & στίχος à quibuſdam ſcribitur, quod unum idemque eſt. Unde Servius in hæc verba libri III. Æn. *ſparſaſque per æquor Cycladas; ſparſas*, (inquit) *quia nullo ordine continentur; ut Stœchades quæ ἀπὸ τοῦ στίχου dictæ ſunt: rectæ enim ſunt*, id eſt, ut contrà Stœchades recto ordine continentur. Nomina ſingularum Græca, à Maſſilienſibus impoſita ſunt: *Prote*. Πρώτη, id eſt Prima, quoniam Maſſiliam navi petentibus prima occurrit: quæ citra dubitationem nunc appellatur *le Rotoneau*, quaſi Protoneſus, p litterâ ſublatâ. Secunda vocabatur *Meſe*, Μέση, id eſt Media, quòd inter Proten & Hypæam medium locum obtineret: dicebatur & Latino nomine à Pomponio aliquo *Pomponiana*: quam hodieque appellationem, ſed truncam atque corruptam omnino ſervat. Nuncupatur enim *la Pomegue*. Tertia eaque extrema ac Maſſiliæ proxima *Hypæa*, vel *Hypata* eſt dicta, quòd ſub duabus aliis ſit poſita. Nunc primam veteris nominis ſui ſyllabam retinet haud dubiè, ac *If* nuncupatur, p litterâ in f commutatâ. Sic caput Noſtri *chef* appellant, meſpilum *neſfle*, ſinum vel colpum *golfe*. Memini legere taxum arborem *ippum* olim dictam, quam *If* hodieque nuncupant. Hæc inſula, omnium ultima & etiam minima, arcem habet, quæ vulgò *le chaſteau d'If*, aliàs *la tour d'If* vocatur. Hæ tres inſulæ ab Altonio in Ludovico XII. inſulæ Maſſilienſium vocantur, *les iſles de Marſeille*. Sæpe communi nomine eædem deſignantur, & in tabulis nunc *Pomeges*, nunc *les Pomegues* vocantur; apud Guicciardinum quoque *les Pomegues*, id eſt *Pomponiana*, à Meſe ſive Pomponiana, quæ trium *Stœchadum* eſt maxima, ex proprio unius nomine communi omnium circumjacentium appellatione facta. Sicuti Radis aliæque ſinus Aquitanici inſulæ circumjacentes, ab Olarione proxima inſula omnium maxima *inſulæ Olarionenſes* vel *Vliarenſes* appellari ſolent, *les iſles d'Oleron*: & Lero ac Lerinus aliæque circà inſulæ II. vocantur *inſulæ S. Margaritæ*, *les iſles de S. Marguerite*, à maxima earum Lerone ſive inſula S. Margaritæ: IV. inſulæ in Britannico mari, à Sena *Sein*, quæ earum maxima eſt, *inſulæ Senenſes* dicuntur, *les Seins*.

Ptolemæus Strabonem ſequitur in numero *Stœchadum*, & quinque numero *Stœchadas* ſub Citthariſta promuntorio & portu ponit. αἱ δὲ Στοιχάδες νῆσοι ὑπὸ τὸν Κιθαριστὴν πέντε τὸν ἀριθμόν. Abeſt autem Citthariſta portus ab urbe Maſſilia XXX. millia paſſuum. Parum igitur exactè ſitum *Stœchadum* Ptolemæus notavit, quas cùm ante Maſſiliam ſtatuere deberet, procul inde Citthariſtæ promuntorio ſubjecit. Porrò Strabo & Ptolemæus quum quinque eſſe *Stœchadas* ſcribunt, tres ſine faſtidio nominandas, duas parvas: *trium* quidem *memoriâ dignarum* & majorum appellatione tres *Stœchadas* propriè dictas deſignant; duas autem inſulas ex his quæ tribus *Stœchadibus* vicinæ ſunt, haut dubiè *Stœchadibus* adnumerant. Vicinæ autem ſunt tribus *Stœchadibus* X. plus minùs inſulæ, in his Planaria, *Planier*, *Eſpobolen*, *Rieuls*, cultæ ſingulæ, *Callis Longus*, *Callis Saracenus*, Carchedonia *Caſſidaine*. Alioquin conſtat tres tantùm propriè Stœchadas fuiſſe, eaſque ante Maſſiliam. Situm ipſarum Cornelius Tacitus docet, in I. libro Hiſtoriarum *Stœchadas Maſſilienſium inſulas* appellans: docet apertè & Suetonius, *Stœchadas inſulas* Maſſiliæ proximas fuiſſe indicans his verbis de Claudio Aug. Britanniam petente. *Huc cùm ab Oſtiâ navigaret, vehementi Circio bis pæne demerſus eſt, prope Liguriam, juxtaque Stœchadas inſulas. Quare à Maſſilia Geſſoriacum uſque pedeſtri itinere confecto, inde tranſmiſit.* Vetuſtior ambobus Lucanus in libro III.

ſcribit, Decimum Brutum Præfectum claſſis Cæſaris, qui per C. Trebonium legatum Maſſiliam oppugnabat, Brutum inquam Præfectum navium quæ factæ fuerant*Arelate, ſecundo amne Rhodano *fluctus*, id eſt mare Gallicum intraviſſe, ac *Stœchada* petiiſſe atque obtinuiſſe.

Et jam turrigeram Bruti comitata carinam,
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite claſſis,
Stœchados arva tenens.

Stœchados arva tenens, id eſt unius è tribus *Stœchadibus*. In libro I. de bello Civili dicuntur naves Cæſaris Maſſiliam obſidentis, *quibus præerat Decimus Brutus, ad inſulam quæ eſt contra Maſſiliam, ſtationes obtinuiſſe.* Hæc *inſula contra Maſſiliam*, *Stœchas* Lucano nuncupata, fuit *Prote*, ſi Brutus auxiliis & commeatibus viam mari claudere inſtituerat; ſin Maſſiliam de proximo premere volebat, fuit *Hypæa*. Sed ut de *Prote* credam, inclinat animus. Dioſcorides *Stichadas* inſulas in ora Galliæ è regione Maſſiliæ appellat in libri III. capite XXXI. quum de *ſtœchade* herba loquitur, quæ in his inſulis naſcitur, & ab ipſis nomen accepit, non (ut ait Maſſonus) ſuam eis appellationem dedit, ac in Septimania Provinciaque frequens gignitur. Στιχὰς γίνεται μὲν ἐν ταῖς κατὰ Γαλατίαν νήσοις ἀντικρὺ Μασσαλίας, καλουμέναις δὲ Στιχάσιν. Non alias ergo *Stœchadas* Dioſcorides, quas *Stichadas* vocat, quàm contra Maſſiliam agnoſcit. *Stœchas in inſulis tantùm ejuſdem nominis gignitur, odorata herba. Menſes ciet potu, pectoris dolores levat; antidotis quoque miſcetur*; uti ait Plinius in libri VII. capite XII. vulgò *ſtecas* dicta, Pharmacopolis notiſſima, ex qua fiebat olim vinum *ſtœchadites*, & *acetum ſtœchadicum*: de utroque Dioſcorides in libro V. retulit. Idem Plinius qui *Stœchadibus vicinos Maſſilienſes* ſuprà vocavit, in libri XXXII. capite II. ait gigni *corallium laudatiſſimum in Gallico ſinu circa Stœchadas inſulas. Galli gladios, ſcuta, galeas adornabant eo.* Ubi quidam malè legunt *circa Orcadas inſulas*, in primis editio Pariſienſis anni MDXVI. cùm in mari Gallico, ſeu in Gallico ſinu maris interni ſeu mediterranei ſint *Stœchades*; Orcades verò (Ὄρκνες) plus minùs XXX in Britannico Oceano Scoticóve. Certè hodieque in mari Gallico, ſive in ora Provinciæ Promuntorium *Cap de Cerchiec* vulgò vocant incolæ Teloni proximum, quod *corallio inſigne* eſſe Gaſſendus Provincialis affirmat. Abeſt autem Telo Martius ab urbe Maſſilia XCII. millia paſſuum, ſi Æthico credimus. Aliqui ad portum S. Tropeſii in ſinu Samblacitano vel Grimaldenſi incolas corallium piſcari aiunt. Stephanus de Urbibus & ſitum & numerum *Stœchadum* eumdem, quem Plinius obſervavit his verbis. Στοιχάδες νῆσοι τρεῖς πρὸς τῇ Μασσαλίᾳ. Καλοῦνται δὲ καὶ Λιγυστίδες. *Stœchades ergo inſulæ* non ampliùs tres numero erant, & *propè Maſſiliam poſitæ*. *Vocabantur* autem *&* *Liguſtinæ* vel *Liguſticæ*, quòd unà cum Maſſilia Ligurum regioni attribuebantur: quas *planas inſulas ſine montibus eſſe* aſſerit Scaliger in Cardanum.

Situm *Stœchadum* Oroſius in libri I. capite II. & ex eo Æthicus in Coſmographia adnotant, traduntque *Narbonenſi provinciæ eſſe in fronte, quà Rhodanus fluvius in mare exit, inſulas Stœchadas*: itaut *Stœchadum* nomine inſulas *Anguillariam* & *Odur* Rhodani oſtio obvias atque objacentes ambo deſignare videantur. Nam tertia eaque minima, ut nomine caret, ſic memoriâ indigna eſt. Abeſt autem fluvius Rhodanus ſive os fluminis ab urbe Maſſilia Græcorũ millia paſſuum XLVIII. quemadmodum Æthicus docet in Itinerario portuum vel poſitionum navium ab Urbe Arelatum uſque. Iſidorus in libri XIV. capite VII. ſimiliter prodit, *Stœchadas inſulas Maſſilienſium LX. millibus à continenti abeſſe in fronte Narbonenſis provinciæ, quà Rhodanus fluvius in mare exit; dictas ita, quaſi operè in unum ſint poſitæ.* Oroſium, Æthicum & Iſidorum tranſcripſit Hugo Floriacenſis Monachus in libro III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad annum MCIX. deductæ: quum ait *Narbonenſem provinciam habere à fronte, quà Rhodanus in mare definit, inſulas Stichadas.* (Ita enim corrigendum eſt pro *Cycladas*) Tranſcripſit & Gervaſius Tiſleberienſis, quum prodit, *Narbonenſem provinciam habere in fronte, quà Rhodanus fluvius exit in mare, Sticadas inſulas, quas vulgò Camargas nominant*, Rhodani III. oſtiis clauſas. Sed falsò Gervaſius *Stœchadas*, *Camariaſque* confundit. Quippe *Camaria* vel *Camarta*, *la Camargue* vulgò dicta, inſula eſt amnica, tribus Rhodani brachiis circumfuſa: *Stœchades* verò ſunt inſulæ maris Gallici è regione Maſſiliæ.

Notandum eſt, quod ait Strabo, poſtquàm de V. *Stœchadibus*, & de *Planaſia* ſeu Lerino, ac Lerone ſcripſit, *parvas eſſe alias inſulas, memoriâ minimè dignas, partim ante Maſſiliam jacentes, partim in reliqua Galliæ ora.* Quibus verbis inſulas circa Maſſiliam exiguas, Planariam, *Eſpebolen*, *Rieuls*, Callem Longum, Callem Saracenicum, & Carchedoniam, ſuprà memoratas, inſulas etiam Areenſium haud dubiè deſignavit.

Caſſianus qui circa annum CCCCXXX. principatu Placidi Valentiniani floruit, in Præfatione ad VII. Collationes, *qui in Stœchadibus conſiſtunt inſulis, ſanctos Fratres* commemorat, id eſt Monachos: ex quo apparet in *Stœchadibus* Monaſteria jam tum fuiſſe, qualia in Lerino ac in Lerone etiam; in Capraria, & in Urgone vel Gorgone Liguſtici maris inſulis erant. Certè & Ennodius in Vita Epiphanii *Stœchadas*, ac Leronem ſeu *Lerum* inter *ſanctarum habitationum* hoc eſt Cœnobiorum *loca* numerat annis poſt Caſſianum plus minùs LXX. cujus de Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo, Legato ad Regem Veſigothorum Toloſam miſſo, & in Italiam mari revertente, talia verba ſunt. *Toloſâ regrediens, ſingularum ſanctarum habitationum loca viſitavit, medianas inſulas Stichadas, Lerum, ipſamque n. ſ. m. planam Lirinum. Medianas inſulas* appellat Epiphanius medias ac interjacentes Narbonem inter ac fines Italiæ: quod erat iter ab urbe Toloſa mare Gallicum, & Italiam mari petentium. Sic ante annos M. Dado in libri II. de Vita B. Eligii capite 2.

Lotharium Medianum appellat Chlotharium Regem Francorum Chilperici filium, Chlotharii majoris nepotem, eumdemque Dagoberti patrem, Chlodovei avum, Chlotharii junioris proavum; quòd inter duos Chlotharios Lothariosve, alterum avum ſuum, alterum pronepotem medius regnaverit. Nam *Medianas inſulas* pro *Metina* accipi oportere non puto, quam Plinius in Galliæ ora Rhodanique oſtio collocat.

Pars maris Gallici circa Maſſiliam & inſulas *Stœchadas* totamque eam oram, vocatur mare Maſſilienſe, niſi nos tabulæ decipiunt, vulgò *mer de Marſeille*.

Et hactenus de *Stœchadibus*: quarum inſularum ſitum, & numerum exactè probaviſſe, & nomina Gallica cum Græcis contuliſſe, ac ſuam ſingulis appellationem attribuiſſe, operæpretium erit.

STOTAVILLA.

Stotavilla, *Eſtouteville*, locus eſt Ducatus titulo inſignis in Caletis & Diœceſi Rotomagenſi, non procul à Fiſcamno: Orderico Vitali *Stotevilla in Caletenſi regione* ſæpe dicitur. Rotrodus Rotomagenſis Archiepiſcopus *Thotevillam* vocat. In Chartario enim Fiſcamnenſi litteras ejus reperi, in quibus *Eccleſiam B. Germani de Thotevilla* Fiſcannenſi Eccleſiæ donatam memorat. Ibidem in aliis litteris *Henricus de Stoutevilla* celebratur. *Eſtutevillam* & *Eſtotevillam*, ac *Totevillam* aliæ nuncupant tabulæ. Quæ nominum diverſitas pæne mihi perſuadet, *Stultamvillam* primùm olim, aut contrà *Aſtutamvillam* nuncupatam fuiſſe, id eſt ſtultorum vicum, aſtutorum vicum vel villam. Certè multi ſunt in Nortmannia vici ſimiliter à ſottis cognominati, quibus *Sottavilla* & *Follavilla* nomen eſt, hoc eſt *ſottorum* ſtultorumve villa, *follorum* vanorumve villa vel vicus, *Sotteville*, *Folleville*.

STRAMIACUM.

Anno DCCCXXXVI. *Conventum Imperator* (Ludovicus) *in pago Lugdunenſi habuit tempore æſtivo, in loco qui vocatur Stramiacus, cum Pippino & Ludovico filiis*; ut inquit auctor æqualis in libro de Vita Imper. Ludovici. *Stramiacum* hoc, vel Stramiacus *in pago Lugdunenſi*, mihi videtur eſſe *Cremieu*: qui eſt locus non longè ab Antone & à fluvio Rhodano in agro Lugdunenſi t, ab urbe Lugduno v. leugis non totis diſtans. Dictum à Noſtris eſt Stramiacum *Cremieu* t in c mutato, & ſublatâ nominis litterâ: ut tremere olim dixerunt *cremir*, tremorem *cremeur*, timidum ac tremulum *cremeteux*. *Acum* autem in *eu* convertere harum regionum incolæ conſuevere. Sic Joviniacum vel Juviniacum *Juvignieu*, Floriacum *Fleurieu*, Biriacum aut Veriacum *Birieu*, Criſpiacum *Creſpieu*, Solemiacū *Solemieu*, Magniacum *Magnieu* vocant loca, quorum Eccleſiæ ad Monaſterium Inſulæ Barbaræ pertinent; item caſtellum Ligniacum *Lignieu en Breſſe*, Vaſſalliacum *Vaiſſailleu*, Siuriacum Comitale, *Surieu le Comtal*, Sivriacum boſci, *Surieu le bois*, Paulliacum *Poüilleu les Moynes*, Condriacum in litteris anni MCCXXXIV. memoratum, vino ſuo nobile, *Condrieu*, Maximiacum *Mexemieu*, Latiniacum vicus, *Lanieu en Bugey*, & multa alia ſimiliter. Recentiores *Cremieu* nunc *Crimiacum*, nunc *Cremiacum* vocant.

STRICTI FONTES.

Legi litteras datas anno MCLVIII. in quibus *Strictorum Fontium* fit mentio: quod *oppidum Caſtri Novi de Strictis Fontibus*, vel potiùs *Caſtrum Novum de Strictis Fontibus* ibi appellatur; vulgò *Caſtel-nau de Stretefons*. Hoc caſtrum ab urbe Toloſa tres leugas abeſt, & ab ſtrictis, id eſt oris anguſti fontibus cognomen accepit.

STRUM.

Litteræ à Miræo vulgatæ, datæque anno MCX. *locum Monaſterii qui dicitur Strum*, memorant: quod eſt Monaſterium ſacrarum Virginum S. Benedicti regulam ſervantium in agro Atrebatico, vulgò *Eſtrum* dictum. In Annalibus Bertinianis dicitur Ludovicus Rex *caſtellum materiâ ligneâ in loco qui dicitur Stroms, clauſiſſe* adverſus Nortmannos anno DCCCXCI. *ſed invenire non potuiſſe, cui illud ad cuſtodiendum committeret.* Hoc caſtellum *Stroms* à *Strum loco* ſuprà memorato mihi differre non videtur.

STURIUM, PHOENICE, PHILA, QUÆ INSULÆ AREENSIUM, ET INSULÆ AUREÆ.

Inſulæ Areenſium à ſitu dictæ ſunt, quòd *Areu* portui Provinciæ objacent. *Areas* autem plerique è Noſtris *Hieres*, nonnulli *Eres* vocitant, Itali *Eri*. Quare inſulas ipſas ab opido *Areis* cui adverſæ ſunt, alii *les iſles d'Hieres*; alii *iſles de Eres* aut *iſles d'Eres* communi nomine appellant; Itali, nimirum Ligures in primis & Tuſci ſimiliter *Iſole d'Eri*. Pomponius Mella Stœchadibus inſulis eas adnumerat in capite VII. libri II. de ſitu Orbis, quum ait, *in Gallia quas referre conveniat ſolas eſſe Stœchadas, ab ora Ligurum ad Maſſiliam uſque diſperſas.* Inter oſtium enim Vari fluminis (quod Galliam ab Italia dividit, & ubi *ora Ligurum* incipit) atque *Maſſiliam inſulæ Areenſium* jacent, & æquali à Varo atque ab urbe Maſſilia diſtant intervallo. Mella parum exactus fuit in ſitu numeroque Stœchadum aſſignando: quas tres tantummodò fuiſſe, eaſque Maſſiliæ adverſas, alibi docuimus. Petrus tamen Victorius, vir doctiſſimus, in eumdem errorem incidit, ac *inſulas Areenſium* quæ Tuſcis ſuis *Iſole d'Eri* vocarentur, Stœchadas eſſe credidit, ibique herbam ſtœchadem gigni: tabulæ quædam Chorographicæ ſimiliter *inſulis Areenſium Stœchadum* nomē attribuunt. *Inſulas Aureas*, *les iſles d'Or* multi eas appellant, à colore ſoli: quæ nunc ſunt Marchiæ titulo illuſtres. Innocentius PP. III. in epiſtola ad Arelatenſem Archiepiſcopum ſcribit, *in inſula Area-*

Fratres quoſdam Ciſtertienſes habitaſſe, quos Saraceni in ſervitutem abduxerint. Idem Agathenſi & Maſſilienſi Epiſcopis ſcribit, atque *inſulas Arearum* nuncupat ante annos CCCCLX.

Has inſulas, ſuo quamque nomine appellatas, apud Plinium reperio inter *Stœchadas* & *Leronem*. Plinii in libri III. capite V. talia verba ſunt. *Tres Stœchades à vicinis Maſſilienſibus dictæ propter ordinem. Ab iis Sturium, Phœnice, Phila; Lero & Lerina adverſum Antipolim.* Et *Stœchadas* quidem *tres* contra Maſſiliam eſſe alibi docuimus; *Lero* & *Lerina* vel Lerinus inſulæ omnibus hodieque notiſſimæ ſunt: itavt Plinii *Sturium*, *Phœnice* & *Phila* aliæ quam *Areenſium inſula* eſſe non poſſint. Quippe *Areenſium inſula* tres numero ſunt, & inter tres Stœchadas, Leronemque ac Lerinum jacent, & cunctas maris Gallici inſulas magnitudine ſuperant. Plinii ordine ſervato, ab urbe Maſſilia Italiã mari petentibus quæ prima apparet, culta quidem & vico inſeſſa, ſed duabus aliis minùs ſpatioſa eſt; media duplo major, tertia trium maxima exſiſtit. Immodica eſt tabularum chorographicarũ in aſſignandis ſingularum nominibus diſcordia. Alibi enim prima vocatur *Porcariola*, *Porquerole*; alibi *Ripadium*, *Ribadio* vel *Ribadeo*. Quod nemo mirari debet. Quippe *Porquerolles* Noſtrorum appellatio eſt; *Ribadio* Ligurum & Tuſcorũ. Secunda vel media ex *inſulis Areenſium*, *Areis* adverſa, nuncupatur à finitimis Liguribus *Porto Crozo*, hoc eſt (ni fallor) *Portus altus*, vel portus profundus atque aquâ abundans ad accipiendas naves. *Croſum* ſiquidem & Itali & Noſtri quidquid altum profundúmve & cavum eſt appellitant: & fluvios Aquitaniæ Croſam majorem, *la Creuſe*, ac Croſam minorem, *Petite Creuſe*, qui in majorem effluit, ab altitudine aquarum vocamus. In quibuſdam tabulis hæc inſula *Port-Cors* corruptè tranſpoſitis litteris nuncupatur, cùm *Port-Cros* ſcribi debeat; in aliis *l'iſle Porte-Croix* mendoſiùs; in aliis *Porte-ras* pro *Port-cros*; item *la Cavi*, id eſt Cava vel Cavia. Tertia, eaque ceteris multo latior & longior, montoſa & ſilveſtris, nunc *Bononio*, nunc & *Boromo* in tabulis dicitur Italico vocabulo, à Noſtris nonnumquam *l'iſle Bonhomme*, Italica appellatione corruptâ. Nonnullis in deſcriptionibus *inſula Titanis* vocatur, *l'iſle du Titan*. Legi & tabulam, in qua *l'iſle del Titon* nuncupatur, fortè pro *del Titan*: cujus nominis cauſſa mihi incognita eſt. *Portus Croſius* & *Bononium* inſulæ incultæ ac deſertæ ſunt, cùm *Porcariola* quæ ambabus magnitudine longè cedit, habitetur. Circum III. inſulas Areenſium jacent aliquot aliæ, nimirum Ripaldinum *Ribaudin*, contra Telonem, & Ripaldanum *Ribaudan* priore major inſula: ambę litoreæ, atque inde nomen nanctæ. *Ripam* enim quæ fluminum propria eſt, pro litore maris ſæpe uſurpant. Inter *Ripaldanum* & *Porcariolam* ſunt tres minimæ inſulæ Modi, *les Modes*: circa *Portum Croſum* hinc & inde duæ, una major, parva altera. *Bononio* Pergantionem ſpectanti proxima eſt neſis obſcura, & ſupra *Bononium* non procul à litore Formica; *Formigue*. Ex ſupradictis intelligitur ſi Plinii ordinem deſcriptionis ſervamus, & locorum ſitûs rationem habemus, *Sturium* quidem Plinii debere eſſe *Ribadio* vel *Porquerole*; *Phœnicen* eſſe, quam à portu ſuo majoribus navigiis commodo *Portum Croſum* appellamus, *Port cros*; *Phila* demum appellationem non alii quam *Bononio* vel *inſula Titanis* convenire. *Phœnicen* Maſſilienſes Græco nomine appellavere vel à palmis arboribus quæ tum ibi naſcebantur; vel à colore ſoli rubro rutilove, quem puniceum dicunt, qualis ſæpe color eſt auri. Certè à Noſtris eamdem ob cauſſam non *Phœnice* modò, ſed duæ etiam aliæ *Areenſium* neſides *inſulæ Aureæ* ſunt nuncupatæ, *les iſles d'Or*. *Phila*, Φίλη, à Maſſilienſibus dicta eſt, hoc eſt amata & cara, ultima inſularum Areenſium *Bononium*. Præter Plinium qui III. *inſularum Areenſium* meminerit, vel priſca eis ſingulis nomina ſua ſervaverit, è veteribus Geographis Græcis Latiniſque neminem reperi.

Ceterùm obſervandum eſt, ſi ſtœchas etiam in *inſulis Areenſium* gignitur, ut Victorius aſſeruit, eas inſulis Stœchadibus impropriè adnumerari poſſe: quod & de Lerone ac Lerino dicendum eſt. Conſtat enim ſtœchadem herbam in inſulis tantùm Stœchadibus naſci, ſicuti Plinius ac Dioſcorides memoriæ prodiderunt.

SUBOLA VALLIS.

Subola linguâ Vaſconicâ regionem ſilveſtrem ſignificat. *Vallis Subola* à Fredegario memoratur in Vaſconia: *Vallis Robola* Aimoino corruptè dicta in libri IV. capite XXVIII. qui eſt pagus ſub radicibus montis Pyrenæi, Elloronenſis Eccleſiæ finibus incluſus, & Malleone opido non obſcuro celeber. Vulgò *Sola* hodieque contracto nomine appellatur, *Sole* vel *Soule*: & Malleo ab ea valle cognomen accepit. Nuncupatur enim *Malleo in Subola*, vel *Malleo Subola*, *Mauleon de Sole*. Ejus pagi Baſclẽſibus attributi domini, *Vicecomites Subola* dicuntur in veteribus tabulis Monaſterii Silvæ Latæ apud Benearnenſes. *Sola* aliis, aliis *Seula* nuncupatur, & Benearnenſi regioni adjacet.

Malleo caput *Subola* vallis, munitur arce veteri in loco edito ac prærupto exſtructa, irrigaturque *Saſone* fluvio, troctis optimi ſaporis abundante, *le Gave du Saiſon*: qui cum Gabero Elloronenſi, & Gabero Salienſi in Gaberum Benearnenſem labitur, *le Gave Bearnois*, ab eoque in Aturum defertur. *Gaberus* autem vel *Gave* Vaſconibus fluvius eſt.

SUELTERI.

Plinius in libri III. capite IV. ubi Narbonenſem provinciam deſcribit, *At in ora* (inquit) *Maſſilia Græcorum Phocenſium fœderata, promunturium nomine Citbariſta, regio Camatullicorum, dein Suelteri, ſupraque Verucini: in ora autem hæc Athenopolis Maſſilienſium, Forum Julii, Octavanorum colonia, qua Pacenſis appellatur & Claſſica.* In tabula Peu-

tingeriana ſupra Forum Julii ponuntur *Selteri*, majoribus litteris ſcripti. Horum *Suelterorum Selterorúmve* regionem ſeu pagum hodieque à Gente *le Sterel* dici, & ſupra Forum Julii eſſe animadverto. *Clamatulicos* autem vel *Clamatullicos* nomen dediſſe puto loco inter montes poſito, & mari proximo, atque etiam à *Suelteris* Forojulioque non multum diſtanti, qui hodieque à nomine Gentis detractâ primâ litterâ *Ramatuelle* dicitur quaſi Lamatullica. L. enim in r mutare conſuevimus: ut quum ululare *urler* dicimus; luſciniolam, *roſſignol*; ulmum, *orme*.

Plutarchus in Camillo quoſdam *Galatas*, id eſt Gallos, *Celtici generis* emigraſſe ſedibus ſuis, & *diu habitaviſſe inter Pyrenæum & Alpes prope Senones & Celterios* tradit, donec à Lucumone acciti, in Italiam tranſierint. Λέγονται Γαλάται τοῦ Κελτικοῦ γένους ὄντες, οἱ μεταξὺ Πυρρήνης ὀρῶν καὶ τῶν Ἄλπεων ἱδρυθέντες ἐγγὺς Σενόνων καὶ Κελτερίων κατοικεῖν χρόνον πολύν, &c. Ubi nomine *Celteriorum Suelteros* iſtos *Selterosve* deſignari puto, conveniente ſitu. Nam *Selteri* inter Pyrenæum & Alpes Maritimas ſedes habent, Alpibus tamen quàm Pyrenæo multo propiores.

SUESSIONES.

Apud Caium Cæſarem in libro II. Commentariorum Remi vocant *Sueſſiones fratres conſanguineoſque ac finitimos ſuos, qui eodem jure, eiſdem legibus utantur*, & *latiſſimos feraciſſimoſque agros poſſideant*. Adjicit Cæſar, *apud eos fuiſſe Regem ſuâ memoriâ Divitiacum totius Galliæ potentiſſimum, qui cùm magnæ partis harum regionum, tum etiam Britanniæ imperium obtinuerit: nunc eſſe Regem Galbam. Ad hunc propter juſtitiam prudentiamque, ſummam totius belli omnium voluntate deferri: oppida habere numero* XII. *polliceri millia armata* L. Ex quo intelligitur quanta fuerit potentia *Sueſſionum*, qui latiſſimos agros poſſederint, opidaque XII. & ad bellum Romanum L. hominum millia polliciti ſint, & quorum Rex totius Galliæ potentiſſimus fuerit, magnæque parti Belgarum ac etiam inſulæ Britanniæ imperaverit. Hieronymus Surita Cæſari *Sueſones* dici, & in priſcis exemplaribus *Suveſſiones* reperiri aſſerit. Hi à Strabone vocantur *Sueſſōnes*, Σουεσσίωνες, inter Ambianos & Caletos, necnon *Sueſſiōnes*, Σουεσσίονες, & *Sueſsiónes* Σουεσσίωνες: quos inter Belgas poſt Bellovacos ſecundum locum dignitatis & virtutis ac potentiæ obtinuiſſe ait, C. Cæſarem ſecutus, qui in libro. II. Bellovacos inter Belgas omnium primos numerat, *Sueſſiones* ſecundos. Lucani in libro I. de bello Civili verſus ſunt hi.

> Gaudetque amoto Santonus hoſte,
> Et Biturix, longiſque leves Axones in armis.

In priſcis codicibus modò *Axones*, modò *Saxones*, nunc *Leuſones* & *Lauſones*, necnon *Sueſones* legi ait Turnebus: qui & *Sueſone* retinet cum Maſſono. Quidam *Axone* apud Lucanum Axonæ fluminis accolas, quales ſunt *Sueſſiones*, interpretantur: quibus minimè accedo. Nam etſi à flumine Axona *Axones* aut *Axones* dici poſſe concederem, ut à Garumna *Garumnos* dictos conſtat: tamen fateri nihilominùs oporteret, ſi Lucanus eo nomine ita uſus eſſet, mediam derivati nominis ſyllabam brevem facturum fuiſſe, qualis eſt in Axona vocabulo primitivo. Certe Auſonius qui ante annos MCCLXX. floruit, & fluvios Galliæ homo Gallus notiſſimos habuit, in Moſella ſuo de Axona dactylum facit, ſecutus ut exiſtimo vetuſtiores auctores,

> Non tibi ſe Liger anteferet, non Axona præceps.

Fortunatus quoque qui ante annos mille & ſeptuaginta Poëta nituit, in libri VII. Carmine IV. ad Gogonem, Axonæ mediam ſyllabam corripit his verbis.

> An tenet herboſis quà frangitur Axona ripis:
> Cujus aluntur aquis paſcua, prata, ſeges?

Cùm igitur apud Lucanum *Axones* ferri non poſſit; nonnullis forſitan videbitur legi oportere *Saxones*, repetitâ ſ. litterâ poſtremâ nominis præcedentis ſic.

> Et Biturix, longiſque leves Saxones in armis:

& eo vocabulo *Sueſſiones* deſignari: uti in capite XXXVI. Geſtorum Francorum *pagum Saxonegum* ſeu *Saxonicum* pro *Sueſſionicum* ante annos DCCCCL; *Saxonis civitatem* pro *Sueſſionis* in Appendice Fredegarii juſſu Nibelungi Comitis ante annos nongentos ſcripta; apud Theganum *Baradadum Epiſcopum Saxonicum* pro *Sueſſionicum* nuncupari reperio. Quam ſententiam libens ſequerer, ſi ætate Lucani ſive Principatu Neronis à Pomponio Mella, à Plinio, à Ptolemæo ceteriſque vetuſtiſſimis Geographis *Sueſſiones* Noſtros *Saxones* dictos eſſe conſtaret, e in a, & ſ in x converſis atque commutatis: ſicut noſtri nonnumquam faciunt, atque etiam Itali, qui *Sixtum* pro Xyſtum dicunt. Malim itaque legere, (& ita ſcripſiſſe Lucanum puto)

> Et Biturix, longiſque leves Seſſones in armis.

Pro quo *Sexones* librarii more ætatis ſuæ poſuere: quod nomen cùm non intelligerent recentiores, *Saxones* alii, alii *Axones* ineptè emendaverunt, aut potiùs temerè intruſerunt. *Sueſſiones* nimirum, qui Straboni, Oroſio, & in Hiſtoriæ Miſcellæ MS. libro VI. multiſque aliis *Sueſſones*, Σουεσσίωνες dicuntur, pro *Sueſſonibus Seſſones* vocavit Lucanus, u ſublato per ſynæreſin, & duabus ejus nominis ſyllabis in unam coaleſcentibus. Sicuti veteres duæ Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ *civitatem Seſſionum*; Gregorius MS. nunc *Sexonas*, nunc *Seſſionas*; *Sexſionas* & *Sexionas* Fredegarius in libri IV. Chronici capitibus LXXIV. & XXCVII. *Sexonas* in capite XV. pro *Seſſionas*; Geſta Regum Francorum in capite X. *Seſſionis civitatem* ter, in capite XXXVI. *pagum Seſſonicum* vel *Seſſionicum* nuncupant.

Sueſſionibus Belgis, quos agilitate & levitate membrorum pollere indicat, *longa arma* tribuit Lucanus; ut Virgilius Gallis Senonibus Capitolium furto occupare conantibus *ſcuta longa*: eamdem uterque ob cauſam, videlicet

delicet propter proceritatem eximiam. Nam ut ait in libro II. C. Cæſar, *omnibus Gallis pro magnitudine corporum ſuorum brevitas Romana contemptui eſt. Arma* ſuprà à Lucano vocantur ſcuta: ſicut à Noſtris ſcriptoribus nunc Armiger, nunc Scutifer dicitur, qui Militis ſcutum fert. Erat autem in urbe Sueſſionis Fabrica ſcutaria.

Plinius in Belgica *Sueſſiones* ponit, ut & Claudius Ptolemæus, qui *Sueſſones* vocat. Quippe pro οὐέσσωνες legendum apud eum emendandumque σουέσσωνες: quæ menda orta eſt ex ſimilitudine litterarum σ & ο. Tabula Theodoſiana atque Æthicus in Itinerario provinciarum, ac nonnullæ Notitiæ *Sueſſones* appellant; pleræque priſcæ Notitiæ civitatum Galliæ, & Florus in epitome libri CIV. *Sueſſiones.*

Sueſiones pago *Sueſionico* nomen dedere: qui in Silvacenſibus Capitulis Caroli Calvi pagus *Sueſſonicus* vocatur, & inter *Porcianum* ac *Vrciſum*, id eſt Urcenſem ponitur. Gregorius in libri V. capite III. *territorium Sueſionicum* nuncupat, in libri VI. capite XXXIV. *pagum Sueſſionicum*; Geſta Francorum in capite XXXVI. *pagum* item *Sueſſionicum*, & *Seſſionicum*; Hincmarus de Vita B. Remigii *pagum Sueſſonicum*. Noſtri *le Soiſſonnois* vocitant, & *Sueſſiones* ipſos *les Soiſſonnois.*

Sueſſionum finibus continentur præter *pagum Sueſſionicum* & alii pagi, *Tardanenſis*, *Vadenſis* ex parte, & *Vrcenſis*, CCCXXC. Parœciæ: quibus adnumerantur opida, Compendium, Caſtrum Theodorici, Firmitas Milonis, Brennacum vel Braina ad Vidulam, Velliacum *Vély* ad Axonam, ad Matronam Caſtellio, ac Nantogilum, Mons Mirabilis *Montmirail*, Fara *la Fere en Tardenois*, Petræ Fons, *Pierre Fons*, ac XXIII. Abbatiæ: de quibus ſex cum X. Parœciis, & cum Monaſteriis Canonicorum atque Mendicantium aliiſque, ſunt in urbe *Sueſſionis*, ejuſque ſuburbanis aut burgis.

Ceterùm ut ex *Sueſſionis* quidam veteres ſcriptores *Saxonis* civitatem faciunt, quam Noſtri *Soiſſons* appellant vulgò: ſic *Saxoniam* priſci auctores noſtri regionem Germaniæ *Soiſſongne* nuncupavere, quæ nunc contractiori nomine *Saxe* vocitatur.

SUESTRA.

Sueſtra fuit villa in pago Moſano poſita, atque à præfluente rivo cognominata, vulgò *Suſter*, aut *Suſteren*: quam Pippinus Princeps Francorum ac Plectrudis ſuâ pecuniâ emiſſe ac VVilbrordo dediſſe dicuntur. Quo in loco ſanctus Sacerdos Trajecti Batavorum cellulam condidit: quod nunc nobilium Virginum Canonicarum celebre collegium eſt in Diœceſi Leodicenſi ac Ducatu Juliacenſi, à Zuventibaldo Arnulfi Aug. filio, Lotharienſium Rege qui ibidem ſepultus eſt, auctum ac locupletatum. Ejus Principis duæ filiæ nothæ altera poſt alteram *Sueſtrenſibus* Virginibus Abbatiſſæ feruntur præfuiſſe. *Abbatiam Sueſtre* vocat Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta.

SUGAMBRI, ET SUEVI CISRHENANI.

Auguſtus Cæſar *ex Germanis Suevos & Sugambros dedentes ſe, in Galliam traduxit, atque in proximis Rheno agris collocavit*; ut Suetonius in capite XXI. ſcribit: *Sucambros in Galliam tranſtulit*, ut ait A. Victoris Epitome. Hos *Sugambros*, quos Græci auctores, in his Strabo Συγάμβρους; MSS. libri & priſci lapides *Sygambros*; plerique vulgò *Sicambros* vocitant, poſteaquam è Germania in Galliam tranſlati ſunt, *Gugernorum* appellatione cenſeri cœpiſſe, aſſerit Cluverius. *Gugerni* autem à Plinio ponuntur in extrema Belgica ad flumen Rhenum, inter Germanas Gentes Ubios & Batavos, qui & à Tacito memorantur. Cluverius XIII. millibus paſſuum ab opido Gelra diſtare, & ad ejuſdem amnis videlicet Nerſii ripas infra Gelram poſitum eſſe opidum *Goch* tradit, *Gugernorum nomen retinens.*

Suevorum Ciſrhenanorum meminit Dado in Vitæ Eligii libri II. capite III. tamquam ad Turnacenſem Diœceſin pertinentium. *Luſtrabat urbes vel municipia circumquaque ſibi commiſſa. Sed Flandrenſes, atque Andoverpenſes, Friſiones*, (id eſt Plinii *Friſiabones*) *& Suevi, & barbari quique circa maris litora degentes, quos velut in extremis remotos nullus adhuc prædicationis vomer impreſſerat, primò eum hoſtili animo & averſa mente ſuſceperunt.* Et in capite VIII. *Multum in Flandris laboravit; jugi inſtantiâ Andoverpis pugnavit; multoſque erroneos Suevos convertit. Suevi* ergo iſti Andoverpenſibus finitimi, ac maritimi ut & *Friſiones* erant. In Chronico de Geſtis Nortmannorum ab anno DCCCXXXIII. ad annum DCCCXCVI. *Nortmanni* anno DCCCXXC. *Menapios & Suevos ad internecionem deleverunt, quia valde illis infeſti erant.* Apparet errare Bollandum, qui *Suevos* iſtos mediterraneos faciat, & circa Cortoriacum in Flandria ad flumen Letiam eos ponat, ubi Suevengehemium, vulgò *Sweveghem*, & *Suevefalia* vici ſint non, *Suevorum* nomen retinentes: *Friſios* autem aut Friſiones in Flandriæ IV. opidis Hulſta, (*Hulſt*) Axla, (*Axel*) quæ ambo VVaſæ vel VVaſiæ attribuuntur, Saſſo, & Bierflito collocet. De Friſiæ Ciſrhenanæ ſitu ſuprà egimus. Sententia Bollandi de *Suevorum* Gallicanorum ſitu haud dubiè innititur his Chronici de Geſtis Northmannorum in Francia verbis. *Anno* DCCCXXC. *Northmanni ſedem ſibi mutaverunt, & Corriaco caſtrum ad hiemandum conſtruunt, indeque & Menapios & Suevos uſque ad internecionem deleverunt, quia valdè illis infeſti erant.* Ubi *Suenos* legitur pro *Suevos.*

SUGINTENSIS PAGUS.

Sugintenſes à Fredegario memorantur in libri V. ac ultimi Chronici capite tricelimo ſeptimo. Hos cum finitimis Turenſibus, Campanenſibus, atque etiam Aleſatiis Childeber-

tus ex Auſtria detraxit, Burgundiæque adjecit, ac Theodorico minori filio teſtamento reliquit, quòd is in villa fiſcali Marilegio apud Aleſatios nutritus fuerat & educatus. Hunc pagum *Suentenſem* vel ut vetuſtiſſimus codex ſcriptú habet, *Sointenſem* eidem Fredegario in capite xxxv. dici; *Suentiſium* ſimiliter vocari obſervo in Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. inter Ludovicum & Carolum fratres facta; *Comitatum Suentiſiorum* in Annalibus Bertinianis anno DCCCXXXIX. inter *Comitatum Portiſiorum* ſive Portenſium, & *Comitatum Calmontenſium*. *Sugintenſes* igitur vel *Sogintenſes*, nunc detractâ g. litterâ *Suentenſes*, & *Sointenſes* ante annos mille dicti ſunt; nunc *Suentiſii*, quod idem eſt atque *Suentenſes*. *Pagus Comitatusve Sugintenſis*, quem & *Suentenſem*, & *Sointenſem*, & *Suentiſium* vocavere, vulgò nunc appellatur *Suntgavv*, aut *Sungovv*: uti viri docti jam obſervaverunt. Eſt autem *Suntgovia* cis Rhenum in provincia maxima Sequanorum, Aleſatiæ auſtrinæ contermina, & ejus velut appendix, continens Ferritenſem Comitatum dictũ ab opido Ferrito vel Firreto. Malè Aubertus Miræus *Suentiſium* in Diviſione Regni Lotharii inter *Albechovvam* & *Calmontem*, putat eſſe *Sanctoy* in Lotharienſibus, nomen pagi obſcurũ, aliàs *le Sainctoy*: quem pagum tabulæ quædam ſtatuunt in Lotharingia duos inter fluviolos in Moſam effluentes, ibique ponunt Novum Caſtellum, *Neuf Chaſtel*, Motam, Caſtanetum *Chaſtenoy*, Sandacurtim *Sandacourt*. Quidam aiunt pagum *Sugintenſem* vel *Suntgoviam*, ac *Briſigaviam* (*le Briſgau*) id eſt pagum Briſiacenſem Aleſatiâ ſuperiore, Landgraviatûs titulo clarâ contineri.

SULGA FLU.

Sulga Straboni vocatur *Sulgas*, *ὁ Σούλγας ὁ κατὰ Οὔινδαλον πόλιν μισγόμενος τῷ Ῥοδανῷ*, *ubi Cn. Ahenobarbus multa Celtarum milia magno prælio ſuperavit*, hoc eſt Allobrogum. Ad confluentes igitur *Sulga* & Rhodani *circa urbem Vndalum*, vel potiùs *Vindalum* *Οὔινδαλον* victi ſunt à Romanis Allobroges. De qua victoria Florus in T. Livii libri LXI. epitome ſic ſcribit. *Cn. Domitius Ahenobarbus Proconſul contra Allobroges ad opidum Vindalium multum feliciter pugnavit: quibus bellum inferendi cauſa fuit, quòd Teutomalium Salviorum Regem recepiſſent, & Æduorum agros ſociorum Populi Rom. vaſtaviſſent.* Florus *opidum Vindalium* nuncupat, quod Strabo *Vndalum*, vel magis (uti emendandum eſt) *Vindalum*. Hoc pridem intercidit, & loco *Vindaly* portus eſt Tralliæ.

Sulga vulgò *Sorgue* dicitur u in o & l in r converſis: ut ulmum Noſtri *orme*, luſciniolam *roſſignol*, remulcare *remorquer*, ululare *urler* dicunt. *Sorgiam* recentiores, in his Petrarcha nuncupavere. Hic oritur ex magno fonte, Petrarchæ carminibus tantopere celebrato, quem fontem Clauſæ Vallis à proximo opido vocitant incolæ Provinciales, *fontaine de Vau-Cluſe*: alluit Clauſam Vallem Petrarchæ non indictam, aliàs Vallem Cluſam, *Vau Cluſe* vel *Valscluſe*; Capraſias *Cabrieres*; Inſulam *l'Iſle*, locum à ſitu cognominatum, & in inſula fluminis *Sulgæ* poſitum; Pontem *Sulgæ*, *Pont de Sorgue*; & Portum *Port*, Portum Tralliæ aliis nuncupatum, *Port de Traille*: ac demum Rhodano miſcetur.

Ceterùm Florus in capite II. libri III. *Sulgam* corruptè appellat *Vindelicum amnem*: quem à *Vindalio* opido *Vindalicum amnem* dici oportuit. *Varus* (inquit) *victoria teſtis*, *Iſaraque*, *& Vindelicus amnis*, *& impiger fluminum Rhodanus*. Iſidorus contrà pro *Vindalico* fluvio *Vandalicum amnem* mendosè nuncupat, quem accoluiſſe & ab eo nomen accepiſſe *Vandalos* arbitratur, ſimilitudine vocabuli deceptus. *Vandalicus amnis* (inquit) *ab extremis Galliæ erumpens: juxta quem ſinvium habitâſſe, & ex eo traxiſſe nomen Vandali perhibentur.* At conſtat Vandalos, quos Plinius *Vindilos*, Tacitus *Vindalos* vocat, Germanos fuiſſe, & circa Danubium ac Albis caput habitâſſe, atque inter Gentes Germaniæ ab utroque numerari: adeò à *Sulga* Vandali abfuerunt. Nam de alio quàm de *Sulga* vel *Vindalico amne*, in extrema Gallia non procul ab Alpibus oriente, verba Iſidori accipi poſſe non puto.

SUMERIUM.

In Septimania vel Gothia locus eſt, dictus *Sumerium* in tabulis apud Catellum: quem ex I. Laboratore, Priore Juviniacenſi, in veteribus inſtrumentis & litteris *Sumidrium* vocari accepi. Fides ſit penes auctorem. *Sommieres* vulgò dicitur, pro quo *Somiere* & *Sommiere* in numero ſingulari cum uno m. ſcribi quidam rectiùs malunt. Suum habet Vicariatum (*Viguerie*) *Sumerium*, poſitumque eſt in Volcis Arecomicis, Diœceſique Nemauſenſi: quod *Someire* ante annos quingentos jam vocabatur. Certè in litteris Guilelmi Montiſpeſſulani domini, datis anno I. D. MCLVI. *Bermundus de Someire* præter ceteros memoratur. *Sumerium* non procul abeſt à Salvia opidulo & Vicariatu (*Viguerie*) Nemauſenſis pagi, *Sauve*. *Salvia* autem à Salvio, quod nomen viri proprium apud Romanos fuit, appellationem accepit.

SUMINA FLU.

Suminam flumen Gregorius noſter; *Sŏmĕnam* Fortunatus in Carminibus, & Revelatio corporis Quintini Mart; alii *Summam* & *Somnam* appellant, atque ab Camaraco millia paſſuum XXIV. abeſſe aiunt, *la Somme*. Recentiores corruptè modo *Somonam*, modò *Sommam* & *Summam* nuncupant. Heic obſervandum eſt, etiam apud veteres noſtros auctores pro *Sumina* aut *Somina* nonnumquam mendosè ſcriptum reperiri *Summa* & *Somma*, interdum & *Suma*, inſcitiâ tranſſcriptorum & editorum. Hunc fluvium à Ptolemæo *Φρούδιος* vel *Frudis* nomine, ceteris omnibus ſcriptoribus priſcis incognito & indicto, deſignari conſtat, ejuſque oſtium memorari. Oritur prope vicum Fontem *Sumi-*

næ inde dictum, vulgò *Fon Somme.* Alluit Auguſtam Veromanduorum, ſedem olim Epiſcopatus, nunc poſitam in Noviomagenſi Diœceſi, *Saint Quentin*; Braium, Hammum *Han*: inde Dalmannione auctus, *Daumignon*, Partonam Veromanduorum præterlabitur, tum Braium alterum, quod majus cognominant & *Braium ad Suminam*, *Bray ſur Somme*, ut à Braio ad Sequanam ceteriſque Braiis diſtinguatur: Boſonis Curtem, *Bouſencourt*, Corbeiam Ambianorum caſtellum, *Corbie*, ad Corbeiæ, aliàs Incræ (*Encre*) & Suminæ confluentes; Albiniacum, Blangiacum, Samarobrivam Ambianorum caput, ubi Aurinam (*Auregne*) & Sallam (*Selle*) fluvios recipit. *Sumina* demum Hammum minorem *Hem*, Pinqueniacum *Pequigny*, Calciatam vel Calceiam *la Cauchie*, Spinetum *Eſpinoy*, Principatus titulo illuſtre, Pontem Remigii *Pont de Remy*, corruptè *Pont Dormy* dictum vulgò; Abbatis Villam *Abbeville* alluit, & infra Monaſterium ac opidum S. VValarici, quod olim Leuconaus vocabatur, *S. Valery*, in Oceanum influit.

Ceterùm ut ex veteri nomine *Samarobriva*, id eſt *Pontis Samari* intelligitur, *Suminam* qui eam urbem irrigat, *Samarum* olim aut *Samaram* dictum eſſe: ita ex recentiore nomine *Somonobria* & *Somanobria* apertè cognoſcitur, idem flumen ante annos DC. aut etiam DCC. corruptè *Somonam* ac *Somanam* vocari cœpiſſe pro *Sumina* aut *Somina*, i in o aut in a malè converſo. Hoc me docet MS. Paſſio S. Quintini Mart. verſibus ſcripta: in qua hæc reperio.

Interea adgrediens urbem, quæ florida Gallis
Exſtiterat, quondam nomen Somonobria geſtans,
Ambianem quam nunc mutato nomine dicunt;
Incipit egregias Chriſti mox pangere laudes.

Somanobriam Paſſio S Firmini, Epiſcopi Ambianenſis & Martyris nuncupat. *Cùm plebs jam Somanobria ſe ſopori dediſſet*; &c. Eadem Paſſio Ambianis *templa Jovis & Mercurij*, & *Theatrum* (id eſt Amphitheatrum) *ad portam Clypianam*, & *Prætorium Cumlianum* fuiſſe docet. *Porta* autem *Clypiana* mendosè videtur dicta pro *Clipeana* aut *Clypearia*, quòd eſſet proxima *Fabrica* Spathariæ & *Scutariæ*, quam Notitia Imperii Romani Ambianis olim exſtitiſſe tradit.

In Synodo Sueſſionica principatu Caroli Calvi anno DCCCLXII. actum eſt de villis, quas Hludovicus Abbas Monaſterii S. Dionyſii Monachis loci dederat; & donatio ab Epiſcopis confirmata: ubi hæc legimus. *In pago Pontiu cenſum de plateſiis, & anguillis Somnenſibus*. *Plateſia* vel potiùs (ut Auſonius vocat) *plateſſa*, vulgò *plies* dictæ, plani piſces, & *anguillæ Somnenſes*, tum in pretio fuere: *Somnenſes* vocatæ à *Sumina* vel *Somina*, quem per contractionem *Somnam* & *Sumnam* jam ante annos DCCC. appellabant.

SUPIA FLU.

Flumen *Supia*, cujus mentionem facit Frodoardus in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis, nomen retinet vetus. Vocatur enim *Suippe*. Legi Dagoberti Regis Francorum, viri Illuſtris litteras, in quibus ſcribit, dominum & patrem ſuum Sigibertum Regem quondam Monaſteriis Stabulenſi & Malmundarienſi ab ipſo exſtructis villam pagi Remenſis Germiniacum ad *flumen Supp am* dediſſe: & petente Goduin o Abbate, eam donationem confirmat. Hanc villam Frodoardus in Hiſtoria Remenſi nunc *villam Germiniacum*, nunc incorrupto nomine *Germaniacum* vocat. A *Supia* nomen habet vicus cognominis *Supia*, *Suippe*, quod nunc municipium eſt, quaternis quoque anno nundinis celebre. Oritur *Supia* ad vicum Summum Supiam dictum, *Somme-Suippe*, & Supiam municipium, (*Suippe*) Juncariam *Joncheri*, Albam Ripam *Auberive*, Pontem Fabricatum *Pont Favergé*, Cellam *Celle*; VVarmerii Villam *VVarmeri ville*, Inſulam à ſitu ita dictam *Iſle*; Alamannorum Cortem, *Aumencour*; Bertrici Cortem, *Bertricour*, Acutiorem Cortem ſeu Augutiorem Curtem *Aguleconrt* alluit, atque apud Condate (*Condé*) in Axonam decurrit. *Sopiam* dictum reperi in litteris Philippi Francorum Regis, datis anno Domini MLXVI. his verbis. *Alodia de S. Hilario ſuper fluvium Sopiam ſita.* Certè verum & ſincerum ejus fluminis nomen eſt *Sopia*, *Supia*, vel *Suppia*: licèt *Suippia* in Hiſtoria Frodoardi ſæpiùs ſcribatur. Codicem quippe Remenſis Monaſterii S. Remigii, ante annos plus minùs ſeptingentos ſcriptum perlegi, in quo *fluvium Suppiam* ſemper ac ubique reperi, *Suippiam* nuſquam. *In atrio S. Remigij eſt Eccleſia in honore Sanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani ſacrata. Eſt de ratione ipſius Eccleſiæ ad obſequium vel ſuſceptionem pauperum in inſula ſuper fluvio Suppia manſus dominicus unus cum ædificio, horto & viridario.* Ibidem *beneficium Otradi ad Suppiam*, & *beneficium Sidrac ſuper Suppiam* memorantur inter *loca & beneficia, quæ ad portam Monaſterij S. Remigij, ad decimas dandas ex pluribus annis ſunt deputata.* Ibidem hæc verba reperio. *De Miniſterio Rodouvinum, Terſenna, & ſoror ejus una ſuper Supiam.*

In *Supiam* influunt duo fluvioli, rivi Frodoardo dicti, *Pidus* & *Arna*. Frodoardi in Chronico, in rebus anni DCCCCXLIX. verba de utroque ſunt hæc. *Quædam Eccleſia in honore S. Mariæ dicata ſuper Arnam rivum, claris illuſtratur miraculis & ſanitatum præſidiis. Item altera Eccleſia in ipſius honore ſuper Pidum rivolum ſita, pene ſimili reſplendet nitela.* Et *Pidus* quidem ſeu *rivulus* ſeu amniculus, in codice Remenſis Monaſterii S. Remigii ante annos DCC. ſcripto vocatur *Pit* ſeu *Pit*[illegible]: atque inter villas ad illud cœnobium pertinentes numeratur *Sanctus Martinus ſuper Pit*. *Pidus* vel *Pitus*, vulgò *Py* dictus, alluit vicos *Summum Pidum*, *Somme-Py*, aliàs *Sompi* & *Sunpi*, ad caput ipſius poſitum; vi-

cum S. Mariæ ad *Pidum*, cum Eccleſia ejus Frodoardo ſuprà memorata, *Sainte Marie à-Py*; Sancti Sulpicii ſeu ad S. Sulpicium, *Saint Supplice*, aliàs *Saint Soupplé*; & vicum de quo retulimus, à Patrono loci S. Martinum ſuper *Pidum* nuncupatum, *S. Martin*: ac in *Supiam* effluit. *Pidam fluvium* alii vocant, in primis Philippus ejus nominis primus Francorum Rex, in litteris datis anno MLXVI. quas ſuprà laudavimus, *fluvium Sopiam*, *fluvium Pidam*, *fluvium Arnam* commemorans.

Harna autem vel *Arna*, vulgò *Arne*, quibuſdam *Orne* mendosè, à Monacho qui de tranſlato in Corbeiam Novam corpore Viti Martyris ante annos DCCC. ſcripſit, memoratur hiſce verbis. *Inde moventes pervenerunt in villam quæ dicitur Alnidus: deinde tranſito fluvio cui vocabulum eſt Matrona, diverterunt in villam cui nomen Salices; poſt hoc in vicum Summa-Harna.* Heic villa *Alnidus*, dicta quoque corruptè *Almidus* in codice Remenſis Monaſterii S. Remigii ante annos circiter DCC. ſcripto, hoc eſt *Alnetum*; nunc vocatur *Aunay*, locus inter Catalaunos & Sparnacum medius ad flumen Matronam: *Salices* ſunt *Septſaux* ad amnem Vidulam; *Summa-Harna*, vicus eſt ad ſummum *Arnam* ſeu ad *Arnæ* fontem poſitus: ut *Summa Turba*, vicus ad ſummum Turbam ſeu ad caput Turbæ ſitus. *Summa Harna* appellationem à Patrono loci traxit, & S. Stephanus ad *Arnam* appellatur, *S. Eſtienne à Arne*, aliàs *Somme-Arne*. Attingit vicos S. Petri, & S. Clementis *Harna* vel *Arna* fluviolus, ac in Supiam effluit; *Arna fluvius* dictus in litteris Philippi eo nomine primi Francorum Regis, datis anno MLXVI. ſuprà laudatis.

SURA FL. ET LOCUS.

Suram celebrat Auſonius in Moſella ſuo his verſibus.

> Namque & Proneæ Nemeſæque adjuta meatu
> Sura, tuas properat non degener ire ſub undas.

Vulgò dicitur *Saur*. Alluit vicum *Suram*, *Saur*, non procul à ſuo capite, & Aſcam *Eſche*; inde Aliſontiam Atatto præ ceteris auctum recipit, *Alſitz*, aliàs *Alſat*, Lucilibutgi opidi flumen ab Auſonio laudatum: mox Decciacum attingit *Dechxy*, & apud Valdorpium *VValdorff* Urtam minorem admittit, *Ourt*, cui Urta Caſtellum *Ourt-Chaſtel*, & Vienna *Vianden* aſſident. Tum Andethannale ſeu Epternacum *Echternach* prætetlapſus, Proneam & Nemeſam ac tertium quemdam fluvium junctos accipit, ac demum apud vicum Bellicum *VVaſſer Billich*, è regione alterius vici Bellici Superioris vel *Oher Billich* dicti, in Moſellam influit ſupra Auguſtam Trevirorum.

Pronea autem fl. vulgò nunc *Prumia* nuncupatur, *Prüym*, nomenque dedit loco & Monaſterio illuſtri Prumiæ (*Pruimé*) ad caput ſuum ſito, quod *Promeam in Arduenna* Annales Bertiniani vocant; & vicis Prumiæ, *Prum*, ac *Nider Prum*. Quippe n in m non rarò mutatur: ut videre eſt in Iculiſna quam Ecoliſmam vocamus, aliiſque in nominibus. *Pronea* Nemeſam recipit *Nims*, qui Schoneckium, Villarim *Villers*, & Bidburgum caſtellum attingit.

SURGERIÆ.

In Santonibus eſt caſtellum nomine *Surgeriæ*, vulgò *Sugeres*, aliàs *Surgeres*. Urbanus PP. II. in litteris ad Gaufridum Abbatem Vindocinenſem datis anno MXCVIII *Eccleſiam B. Mariæ de Surgeriis* memorat: & Gaufridus ipſe *oblationes Confeſſionum in Eccleſia Surgeriarum ſibi* ob Archidiacono Santonenſi *ablatas* queritur in quadam epiſtola.

SURICINIUM.

Ludovicus Pius in decreto de Monaſteriis Regni Francorum, *in pago Toloſano* ponit *Monaſterium Suricinium*, aliàs *Suricinum*: quod numerat inter Monaſteria, quæ ſolas orationes pro ſalute Imperatoris domuſque Auguſtæ, & pro ſtabilitate Imperii debent. Hic locus veteri Monaſterio Abbatiali clarus, à ſoricum copia nomen videtur accepiſſe, & *Soricinium* primò vel *Soricinum* dictus eſſe; poſtea *Suricinium* & *Suricinum*: Guillermi Montis Peſſulani domini litteræ datæ anno MCLVI. *Soregium* vocare videntur, u in o, i in e, c in g converſis. Vulgò *Soreze* vocitant; quædam tabulæ *Sourezé*.

SURREGIUM.

Surregium, *Sevre*, caſtellum flumen Ararim attingens vocat Raimundus Marlianus in ſuis ad Julii Cæſaris Commentarios Notis & Indice, veterem fortè aliquem auctorem ſecutus: & *Surregium ac Verodunum caſtella Araris fluvii citeriores ripas attingere* ait. Verodunum autem & *Surregium* ad id flumen vicina ſunt caſtella. *Surregium* vulgò nunc vocatur Bellagarda, *Bellegarde*, à Rogerio de *Bellagarda*, cujus in gratiam Ludovicus XIII. Rex Francorum & Navarrorum *Surregium* in Ducatum & Pariatum evexit. Eſt & vicus ejuſdem nominis ad Ararim, *Sevre* vulgò dictus, inter Cabillonum Æduorum & Tinurtium poſitus, ſed Cabillono propior.

SYRIACUS PONS.

In Vita S. Lupi Epiſcopi Senonenſis, à veterrimo auctore ſcripta, quam Andreas Cheſnius è priſcis membranis eruit, *Pontis Syriaci* fit mentio his verbis. *Audito Rex Chlotharius de ſigno S. Stephani, quòd miram haberet dulcedinem; juſſit illud Pariſius deportari, ubi ipſum ſæpius debuiſſet audire. Sed cùm hoc ſancto non placuiſſet Pontifici, mox ut ſublatum eſt ſignum à Senonica urbe, perdidit dulcedinem ſonitus ſui. Quo Rex agnito, eli-*

eo juſſit loco priſtino reſtitui Signum. At ubi pervenit Pontem Syriacum, reddito ſono à Domino in virtute ſancti Lupi, inſonuit miliario VII. Heic *Pons Syriacus* locus eſt, quem vulgò Pontes Icaunæ vocant, *Pont ſur Yonne*, ab civitate Senonum VII. millibus paſſuum diſtans. Signum autem hoc majoris Eccleſiæ Senonicæ in navem imponi juſſerat Rex Chlotharius, Chlotharii majoris nepos, Chlodovei pronepos circa annum DCXX. ut ſecundo flumine Icannâ, deinde Sequanâ in ſedem urbemque Regiam Luteciam deveheretur: quod poſtea eiſdem fluminibus adverſis Agedincum Senonum reportatū eſt. De quo ſigno ibidem hæc referuntur. *Sanctus* (Lupus) *fidens in Domino, aulam petiit matris Eccleſiæ, in honorem Protomartyris Stephani conſtituta: & dum ad evocandū populum ſignum prædictæ Eccleſiæ tangeret, omnis fortitudo & ſenſus ab hoſtium caterva receſſit, tantuſque terror ſuper eos irruit*, &c. Jam ergo ſigna in Eccleſiis ante annos mille & quinquaginta in uſu erant, quorum ſono populus convocaretur. De ſignis & Gregorius Turonicus Epiſcopus multo ante hoc tempus, nimirum ætate Sidonii Epiſcopi Arvernorum, qui anno Chriſti CCCCLXX. floruit ante annos MCC. meminit in libri II. Hiſtoriæ capite XXIII. *Unus ex his II. Preſbyteris, ſignum ad Matutinas audiens fuiſſe commotum, ſurrexit*, &c. Meminit & in libri III. capite XV. *Qui dum per plateam præterirent*, (in urbe Remis) *ſignum ad Matutinas motum eſt. Erat enim dies Dominica: pulſanteſque januam Paulelli Preſbyteri, ingreſſi ſunt: qui abiit ad Matutinas.* Et in libri VI. capite XXV. *Anno* VIII. *Childeberti Regis. pridie Kal. Februar. cùm die Dominico ad urbem Turonicam ad Matutinas ſignum commotum fuiſſet, & populus ſurgens ad Eccleſiam conveniret*, &c. Idem alibi. *Homo quidam Dadonis frater ad Vigilias Dominici Natalis advenit, commotoque ad Vigilias Signo, advenit Preſbyter cum Clericis ac populo.* Apparet jamtum magna in majoribus civitatum Eccleſiis ſigna extitiſſe, cùm eorum ſonitu populus dormiens excitaretur, & ad Eccleſiam properaret, & eorum ſonum oppugnatores civitatis audirent. Adamnanus Scotus Preſbyter, & Abbas Monachorum in Inſula Hii, Bedæ memoratus, de Locis Sanctis librum, & de Vita S. Columbæ Scoti Abbatis tres libros compoſuit: in quibus hæc verba legere memini: *Cloccam pulſa. Clocca* autem, & *ſignum*, ac *Campana* una res eſt. Sed & Martialis docet, in Thermis Romæ ex ære tintinabula fuiſſe, parvorum ſignorum genus, quorum ſono qui in thermis lavari volebant, admonerentur aquam eſſe calefactam ac paratam: equos etiam ac mulos qui ſine cuſtode paſcebantur, appenſa habuiſſe tintinabula, docent Geſta Regum Francorum.

Dicta autem ſunt *ſigna*. (*ſini*) tracto à militia vocabulo, quòd uti milites cantu ſignorum, nimirum tubarum, bucinarum aut cornuum ad pugnam, ita Chriſtiani ſono ſignorum ad Eccleſiam convocarentur: quæ eamdem ob cauſſam *claſſica* ſunt appellata. Claſſicum enim tubam, & nonnumquam ejus ſonitum ſignificat, & Florus, Claudianus, aliique à claſſe convocanda, id eſt exercitu tubam *claſſicum* vocavere. Certè in Rituali Turonicæ Eccleſiæ S. Martini perantiquo & plus D. annorum, in titulo de conſecratione Archiepiſcopi Turonici hæc reperio. *Archiepiſcopus Turonenſis conſecratur apud S. Julianum; & deinde venit in proceſſione ad B. Martinum: quem recipit proceſſio B. Martini ad portam parvæ areæ: & incipit Cantor B. Martini Reſponſorium, S. Martine, vel* Sint lumbi, *claſſico ſonante. Poſtea autem Barones portant Archiepiſcopum in cathedra uſque ad S. Mauricium, & proceſſiones ante eum cum Epiſcopis revertuntur. Claſſico ſonante*, id eſt ſonantibus ſignis. Hinc *ſoner le glas*, id eſt claſſicum movere. Claſſicum ergo vel ſignum, *glas* Aurelianenſibus & Nivernenſibus dicitur; Turonibus, Andicavis, Cenomanis *clas*; Noſtris *glais*. Matthæus Pariſienſis in Henrico III. in anno MCCLIII. *claſſicum* non pro ſigno ſeu Campana, ſed pro ſono ejus uſurpat. *Eadem nocte quidam Fratres de Ordine Minorum, dum per ſilvam Regiam quæ VVauberge dicitur, ignari compendiorum oberrarent, audierunt in ſublimi quoddam claſſicum Campanarum melodicum valdè: inter quas unum ſignum ſoni dulciſſimi.* Et infrà. *Interrogavit unus Fratrum, quidnam ſignificavit illud magnum claſſicum & ſollemne, quod verſus Bex-donam audierant.* Alios de claſſico auctores laudare poſſem: ſed dicta ſufficient.

T

TABELLICUM.

ANNO MCLXXIII. Henricus Rex Angliæ *Santonos vi cepiſſe*, & *Richardum* filium rebellem *uſque ad munitionem Tabellici fugaviſſe* dicitur. *Tabellicum* munitio eſt omnino *Taillebourg*: quı eſt locus ad ripam Carantoni non procul ab urbe Santonis, *Talleburgus* aliàs dictus, & *Taleaburgus*. Legi datas anno MCCLXIII. litteras *Hugonis dicti Archiepiſcopi, Militis, domini Partiniaci, & Talleburgi, Voluentis* (*Vouvant*) & *Marevénti*. (*Mervant*.)

TABERNÆ.

Tabernæ aliæ ſunt ad flumen Rhenum inter *Saletionem* & *Noviomagum* Nemetum; aliæ inter *Argentoratum* & *Decem Pagos*, ſive *Argentoratum* inter & *Pontem Saravi*. Utrarumque mentionem fecit Æthicus in Itinerario, priorum quidem in *itinere à Mediolano per Alpes Penninas Moguntiacum ſic*: *Argantovaria* M. P. XII. *Saletione* M. P. VII. *Tabernis* M P. XIII. *Noviomago* M. P. XI. *Borbitomago* XIIII. poſteriorum in itinere de Pannoniis in Gallias per mediterranea loca Treveros uſque ſic: *Monte Briſiaco* M. P. XXX. *Argentorato* M. P. XXXVIII. *Tabernis* M. P. XIV. *Decempagis* XX.

Tabernæ quæ ad ripam Rheni poſitæ ſunt à Romanis, dictæ ſunt à flumine *Tabernæ Rhenenſes*, atque ab incolis hodieq; vocitantur *Rheinzabern* vel *Rhinzaber*, à Noſtris *Saverne*. Earum meminit præter ceteros Ammianus Marcellinus in libro XVI. *Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, Saliſonem, Nemetaſque* conjungens: meminit & Notitia Imperii Romani, ſub diſpoſitione V. Sp. Ducis Mogontiacenſis ponens *Præfectum militum Pacenſium Saletione, Præfectum militum Menapiorum Tabernis, Præfectum militum Anderitianorum Vico Julio, Præfectum militum Vindicum Nemetis*, id eſt Noviomagi Nemetum. Eaſdem commemorat tabula Theodoſiana ſic: *Borgetomagi* XIII. *Noviomagus* XII. *Tabernis* XI. *Saletione* XVIII. Sunt in Nemetibus, & Epiſcopo Nemetum ſubjectæ.

Alteræ, quòd ſitæ ſunt in Aleſatia inferiore, *Tabernæ Aleſaticæ* cognominantur, vulgò *Elſaſzabern*, nonnumquam & abſolutè *Zabern*: non omiſſæ & hæ in tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana: *Ad Decem Pagos, Ponte Saravi, Tabernis, Argentorato*. Hæ *Tabernæ* nunc ſedes ſunt Epiſcopi Argentoratenſis, cujus Diœceſi continentur. Nithardus in libro III. *Zabarnam* ante annos ferè DCCCXXX. appellat. *Karolus* (inquit) *iter per Tullenſem urbem accelerans, Eliſazam ad Zabarnam introiit. Ergo* XVI. *Kal. Martii Lodhuvvicus & Karolus in civitate quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgò dicitur, convenerunt*. *Zabarnam* illam ſuam, hoc eſt *Tabernas* in primo aditu Aleſatiæ ponit Nithardus non longè ab Argentorato ſeu Strateburgo: quam urbem perperam Argentariam vocat. Frodoardus in Chronico ante annos DCC. compoſito *caſtrum pagi Eliſatii Zabrenam* nuncupare maluit: cujus hæc de *Tabernis Aleſaticis* verba ſunt in rebus anni DCCCCXXIII. *Rodulfus petitur à VVigerico Mettenſium Epiſcopo, receptum ire quoddam caſtrum in pagum Eliſatium nomine Zabrenam*. Has Ammianus Marcellinus, ut diſtinguat à *Tabernis Rhenenſibus*, in libro XVII. *Tres Tabernas* appellat, & inter *Argentoratum* ac *Mediomatricos* ſeu Divodurum, ſicut hodieque ſunt, ponit. Sic viâ Appiâ *Tres Tabernæ* fuerunt, ab Urbe per Ariciam XXXIII. millibus paſſuum diſtantes; & *Tabernæ* in Mauritania Tingitana, à Tingi colonia XXXVIII. m. quæ nomina locis à Romanis impoſita eſſe conſtat.

Et ambæ quidem hæ *Tabernæ* ſunt in provincia Germania ſuperiore vel ſecunda: quibus tertias adjungere convenit in eadem Germania ſecunda, ab Auſonio in edyllio X. celebratas, quum ait ſe ab urbe Mogontiaco Auguſtam Trevirorum petentem, tranſito flumine Nava quod vulgò *Nab* dicitur, iter feciſſe per *Dumniſſum* & *Tabernas*, & tandem in primo Belgicæ primæ introitu *Noviomagum* opidum ad Moſellam, Auguſtæ Trevirorum propinquum, *Numagen* vulgò dictum conſpexiſſe. Verſus Auſonii tales ſunt.

Tranſieram celerem nebuloſo flumine
Navam.

Prętereo arentem ſitientibus undiq; terris
Dumniſſum, riguaſque perenni fonte
Tabernas:
Et tandem primis Belgarum conſpicor
oris
Nivomagum, Divi caſtra inclyta Con-
ſtantini.

Hæ *Tabernæ* perenni fonte irrigatæ, inter flumen Navam ac Noviomagum ſeu Nivomagum Moſellanum poſitæ, quibuſdā vocantur nunc à ſitu Tabernæ montanæ, *Berg-zabern*; interdum parvæ Tabernæ, *le petit Saverne*, & à Tabernis Rhenanis abeſſe XII. milliaria ac nonaginta paſſus dicuntur.

TAIFALI GALLICANI, ET TAIFALIA LOCUS.

Auſtrapius Dux, Clericus factus, & apud Sellenſe caſtrum in Pictonibus Epiſcopus ordinatus; ibidem ſeditione orta, à *Teifalis* acceptas injurias vindicantibus interemtus eſt: & ut ait Gregorius, diœceſes ſuas Pictava Eccleſia recepit. Ex quo intelligitur *Taifalos*, Gentem Scythicam puerorum ſtupris infamem, quos Gregorius *Teifalos* appellat, tum in agro Pictonico Sellentique caſtro ſedem habuiſſe. Eoſdem *Taifaliam* vicum in finibus Pictonum incoluiſſe, & à ſe cognominaviſſe auctor eſt idem Gregorius in libello de Vita Senochi Abbatis, & in Hiſtoriæ libro v. quum ait Senocum Preſbyterum *genere Teifalum, ex Pictavo pago quem Teifaliam vocant*, ortundum fuiſſe, & Clericum factum, in agro Turonico Monaſterio ſtatuto, multis virtutibus claruiſſe, ac paullo poſt R. Sigiberti cædem deceſſiſſe. Eſt autem *Taifalia* vicus Pictonum, inter Clicchionem & Moritaniam poſitus ad Separim flumen apud Namnetas in Ligerim exiens, hodieque I in u mutato pro *Teifalia* dictus Tifaugia. (*Tifauge*) Horumce *Taifalorum Gallicanorum* mentionem facit Glaber Rodulfus in libro v. rerum ſua ætate geſtarum: in quo ſcribit *homuncionem quemdam genere Teifalum à partibus Galliarum in Africam* ad Anachoritam famâ notum *veniſſe*: qui auctor ante annos DC. Heinrico Rotberti filio regnante floruit. Multi igitur *Taifali* in finibus Pictonum non longè à Ligere & Oceano conſedere: quos duce Ataulfo Gothorum Rege, aut certè ductu Goaris Regis cum Alanis Gente finitima Gallias petiiſſe puto, & in agro Pictonum circa Ligerim Honorii Principatu ſedem cepiſſe. Idque eo veriſimilius videtur, quòd imperante Placido Valentiniano Honorii ſucceſſore, pars Alanorum trans flumen Ligerim conſidebat, ut Jordanes tradit. Nec enim credo hos *Taifalos* ortos eſſe à *Taifalis Gentilibus*, quorum unà cum Sarmatis præſidium Pictavis fuiſſe, docet Notitia Provinciarum Imperii Romani. Hæc in libro VIII. Rerum Francic. obſervavimus.

TANCARDI VILLA.

Ordericus Vitalis in libro XII. Hiſtoriæ ſuæ *Tancardi Villam* memorat prope *Pontem Erchenfredi* locum mihi ignotum, *Tancarville*. Hunc locum poſitum ad dextram ſeu Belgicam ripam Sequanæ in Oceanum properantis, ceteri etiam *Tancardi Villam* à conditore aut poſſeſſore ſuo Tancardo appellant. Ego *Tancredi Villam* dici malim vero nomine auctoris Normanni & incorrupto. Tancredum poſteri tranſpoſitis duabus litteris, & e in a mutato Tancardum vocaverunt.

TARA FLU.

Tara fluvius noſtris Hiſtoricis notus, alluit Curticulam vel Curticellam *Courcelle*, Villam Dei, *Villedieu*, Cannetum *Canni*, Campellos *Campeaux*, Fontanetum, Solliacum, Gerboredum *Gerberoy*, Milliacum vel Meliacum, Cæſaromagum Bellovacorum, Taram, *Taire*, locum ab ipſo flumine nomen habentem; Villare ad *Taram* à ſitu cognominatum, *Villers ſur Taire*; Condate *Condé* ad confluentes amniculi & Taræ; Montiacum caſtellum *Monchi le chaſteau*, Mellotum *Merlou*. Macellum *Maiſel*, Tiberniacum *Tiverni*, Pontem-Taræ *Pont-Terin*, Montem *Taræ*, ſive Montem ad Taram, *Mont-à-Taire*: infra quem locum in Iſaram effluit apud Credilium *Creil*. *Tara* autem nunc *Tairin* aut *Terin* dicitur vulgò, ut Mucra *Morin*, Lupa *Loin*. Olim à Noſtris *Taiſæ* vocabatur: ut indicant duo loca ei appoſita, *Tara* & *Mons Tara*, quæ Noſtri hodieque *Taire* & *Mont-a-Taire* appellant. In Annalibus Bertinianis hæc legimus. *Anno* I. V. DCCCLXXIX. *Gozlenus Abbas & Chuonradus Pariſiaci Comes acceleraverunt quoſcumque potuerunt Epiſcopos & Abbates ac Potentes homines ad Conventum vocare, ubi Thara Iſaram influit.* In quibuſdam libris mendosè editum reperitur, *Ubi Thara Naram influit*, pro *Iſaram*.

TARASCO SALYORUM.

Hoc opidum notiſſimum eſſe Græcis Geographis Straboni ac Ptolemæo animadverto, ignotum Latinis, Melæ, Plinio, ceteriſque. Strabo ſcribit *ab urbe Nemauſo* διὰ Οὐγέρνου ϗ Ταρούσκωνος, *per Ugernum & Taraſconem Aquas Sextias uſque iter eſſe millium paſſuum* LIII. & caput Arecomicorum Nemauſum centum ferè ſtadia abeſſe à Rhodano: *in ulteriore ripa eſſe opidum quod Taraſco dicatur*, Ταρούσκων. *Taraſco urbs Salyum*, ut Arelatum & Aquæ Sextiæ, rectè vocatur à Ptolemæo: apud quem tamen & Gentis & urbis corruptum eſt nomen. Nam in editis libris legitur Σάλικες, ὧν πόλις Ταρουσκών: cùm legendum ſit Σάλυες, ὧν πόλις Ταρούσκων. Vulgò dicitur hodieque *Taraſcon*, eſtque ad ſiniſtram ripam Rhodani poſita contra Ugernum vel Bellumquadrum.

Eſt & *Taraſco* alter ad flumen Lertium in Comitatu Fuxenſi, non procul à Fuxo, *Taraſcon*, aliàs *Terraſcon*: in veteribus tabulis dictus *caſtrum Taraſco*.

TARATRVM.

Taratrum opidum in radice montis vocat

Maſſonus *Tarare*, vel *Tararre*: quod vici potiùs nomine donandum eſt. Hic locus monti cui adjacet, nomen ſuum dedit: vocatur enim *mons Taratrenſis*, vel mons ad *Taratrum*, *la montagne de Tarare*, ultimum Cebennarum jugum Lugduno proximum, & Lutecià Lugdunum petentibus ſuperandum.

TARDANENSIS PAGUS.

Tardaniſus pagus, hoc eſt *Tardanenſis pagus* in Capitulis Caroli Calvi appellatur, *le Tardenois* aut *Tartenois*; apud Frodoardum in libro I. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis *pagus Tardonenſis* quater nuncupatur, & Aciniacum in eo pago ponitur; in libri II. capite XVIII. *Tardunenſis* vocatur, & inter *Portianum*, ac *Sueſſionenſem* collocatur. In Appendice ad Frodoardum idem *pagus Tardanenſis* meliùs & incorruptiùs dicitur, ubi & *Mons S. Mariæ* ſitus ſit. Jacet hic pagus inter flumina Matronam & Vidulam; ubi *Fara* cognomine *Tardanenſis*, *la Fere en Tardenois*. Anno I. D. DCCCCXXCIII. *provincialis Synodus menſe Maio congregata* eſt *apud Montem S. Mariæ in pago Tardunẽſi* ab Adalberone. Nigella, & Longa Villa in eodem pago ſitæ ſunt, & ab eo cognominantur, *Neelle en Tardenois*, & *Longueville en Tardenois*. *Pagus Tardanenſis*, necnon pagus Vadenſis ſunt Sueſſionum, ſeu Diœceſeos Sueſſionicæ finibus continentur.

Tardanenſis pagus in libris de Miraculis S. Dionyſii ante annos DCCC. compoſitis non ſemel memoratur; & in eo villæ Alta Ripa *Antrepe*, Caviniaca, aliæque. Frodoardus in libro II. Hiſtoriæ Remenſis Cartobram in *pago Tardonenſi* nominat, *Chartreuve*; Villam Turbam, *Ville Tourbe*; villam Bracanetum ſuper fluvium Rotumnam, aliàs Bracanecum, *Bricquenay*; Bobiliniacam ſupra Suipiam, *Boul ſur Suippe*.

TARNIS FL.

Tarnis unus eſt de tribus maximis & navigabilibus fluviis, quibus Garumnam augeri ſcripſit Strabo, à Plinio nominatim memoratus, quum *Nitiobroges Tarne amne diſcretos à Toloſanis* vocat. Conſtat autem Nitiobriges vel pagum Aginnenſem à Toloſano pago *Tarne* dividi. Auſonius in Moſella ſuo *auriferum* vocat, & *Galliæ* eum impropriè attribuit, hoc eſt Aquitaniæ.

Auriferum poſtponet Gallia Tarnem.

Auriferum Tarnem cognominat Auſonius Aquitanus, & fluminum Aquitaniæ non ignarus, quòd (uti quidam aiunt) arenulis aureis vel potiùs auricoloribus ſeu flavis intermicet, uti Areia, Olitis, Garumna. *Tarnis* meminit Sidonius in Propemptico ad libellum his verſibus

Hinc te Leſora Caucaſum Scytharum
Vincens accipiet, cituſque Tarnis,
Limoſum & ſtolido ſopore preſſum
Piſcem perſpicua gerens in unda.

Sic enim tertium Sidonii verſum reſtituo, cùm vulgò legatur *ſolido ſapore preſſum*, quorum verborum nullus eſt ſenſus tolerabilis. *Tarnis* ergo aqua perſpicua atque pellucida: licet amnis ipſe celer incitatuſque feratur, & piſces limoſos habeat. At contrà V. C. amicus meus Hieronymus à S. Bova, reverſus ex Aquitania ante annos aliquot, mihi narrabat, Tarnem turbidum defluere, ſibique rem miranti aſſeruiſſe accolas, in primis Montalbanenſes, ſemper hoc flumen aquas turbidas agere. Utris fidem habebimus? Apollinari Sidonio? an accolis potiùs? In epiſtola Conſtantii Epiſcopi ad Deſiderium Cadurcorum Antiſtitem *civitatula Albigis* & *Tarnis* fit mentio. *Denuntiate nobis, quàm celeriùs ultra Tarne accedere deliberatis.* Petrus in Hiſtoriæ Albigenſium capite XLII. *Tarnum* vocat, *caſtra Albigenſis territorii citra Tarnum fluvium* memorans, Ludovicus Francorum Rex in litteris datis anno MCCXXVIII. *Taram* nomine corrupto appellat. *Dimittimus Raimundo quidquid eſt de Epiſcopatu Albienſi citra fluvium de Tara, ex parte de Gaillac.* Vulgò à Noſtris dicitur *le Tarn*; nonnumquam *le Tar*: ex quo *Taram* quidam fecere.

Ex Cebennis montibus, ſeu ex Leſura portione Cebennarum delapſus hic fluvius, alluit Amilianum Rutenorum *Millau en Rouergue*, ad Turbidæ (*Dorbie*) & ejus confluentes, Caſtra *Caſtres*, Turrim *la Tour*, Villam Novam S. Andreæ, Bonam Vallem, Condominas, Leſcuram, Albigam, Caſtellum Novum *Caſtelnau*, Bernacum *Bernac*, Baſtitam *la Baſtide*, Galliacum *Gaillac*, ubi navigari incipit, Inſulam Albigenſium, & Rabaſtencium *Rabaſtins*, ubi Agotum recipit *l'Agout*, fluvium non contemnendum. Tum Villam Murorum *Villemur*, & Montem Albanum ſedem Epiſcopatûs attingit, móxque augetur Avarione *Aveiron*, flumine illuſtri: ipſe demum infra Muſciacum *Moiſſac* Garumnâ recipitur ad locum quem vocant Punctam, *la Pointe*. Duo autem amnes confluentes coitu aquarum angulum efficiunt; & Noſtri extrema quarumlibet rerum in angulum vel in acumen deſinentia *Punctas* appellare conſueverunt.

TARUENNA MORINORUM.

Ab Claudio Ptolemæo poſt Ambianos ponuntur Morini, quorum urbs mediterranea ad ortum Ταρουάννα, *Taruanna*: in tabula Peutingeriana *Teruanna* inter Virovinum ſeu potiùs Viroviacum & Nemetacum, in Itinerario Æthici *Tarvenna* non ſemel, nunc inter portum Geſoriacenſem atque Caſtellum Morinorum, à portu Geſoriacenſi millibus paſſuum octodecim; nunc à Nemetaco M. P. XXII. Noſtris *Terüanne*. Belgis ſeu Flandrenſibus *Tervvaen*. Hæc in veteri inſcriptione nummi apud Goltzium vocatur *Colonia Morinorum*; in antiquiſſima Notitia provinciarum & civitatum Galliæ, in provincia Belgica ſecunda XI. ſeu penultima *civitas Morinûm*; in alia *civitas Morinûm Taruanna Pontium*, in alia *civitas Morinorum, id eſt Ponticum*, in aliis duabus *civitas Morinûm id eſt Ponticum*: in Chronico Roberti Monachi *civitas Morinûm, quæ & Taruanis*. Unde *Eccleſia Morini*, & *Epiſcopatus Morini*, necnon

necnon *Morinenſis Parœcia* dicta Hincmaro apud Frodoardum in libro III. *Tarnennenſis* Eccleſia, vel Parœcia, aut Diœceſis. Sed cur civitas Morinûm *Tarvenna*, *Pontium* vel *Ponticum* dicatur in Notitiis, ignoro: cùm ſat longè abſit à pago Pontivo vel Pontico aut Pontio, *le Pontieu*, inter amnes Suminam & Alteiam jacente, ac Ambianorum finibus incluſo. In Vita Euſtaſii, à Jona ſcripta ante annos mille XXX. Audomarus *Bononiæ & Taroanenſis oppidi Epiſcopus* nuncupatur. Ex quo intelligitur, jamtum *Tarvenna* atque Bononiæ duabus ſedibus Epiſcopalibus unum Epiſcopum præfuiſſe: quemadmodum Noviomago atque Turnaco; Camaraco etiam atque Attrebatis ejuſdem provinciæ civitatibus videmus accidiſſe. Sita eſt *Tarvenna* ad flumen Letiâ, *la Lis* aut *Leis*: ſed ab Imperatore Carolo ejus nominis quinto capta, diruta, atque ex pacto reparari vetita eſt. Ceterùm falsò & magno errore ſcribit Cluverius, *in Atrebatibus ad Legiam flumen*, VII. lapide à fano Audomari *exſtare Tarvennæ veſtigia*: quam non Atrebatum, ſed Morinorum urbem primariam ſemper fuiſſe, ex Ptolemæo conſtat, & ob id *coloniam Morinorum*, ac *civitatem Morinûm* abſolutè dici conſueviſſe ſuprà notavi.

Ab ea urbe *Tarvennenſis pagus* nomen habet; *Tervanenſis pagus* dictus in Chronico de Geſtis Nortmannorum; Aigrado in Vita S. Anſberti *territorium Tarvanenſe*, & *Tarvanenſis regio*; *pagus Tarvanorum* in Vita S. Bertæ; *Tervuvanenſis* in diviſione Regni Ludovici Pii inter filios; vulgò *le Teroüannois*: *pagus Terragonenſium*, necnon *pagus Targonenſis*, & *Terranenſis* mendosè nuncupatus Hariulfo in Chronico Centulenſi. Ejus pagi pars eſt *pagus Ternenſis*, vel *Töïnenſis*, *le Ternois*, à Terna flu. cognominatus.

Tarabannenſes in capite XIX. libri V. vocat Gregorius, & in Remenſi Campania ponit; *Taravannenſes* Fredegarius in capite LXXVIII. libri IV. Chronici; Geſta Francorum *Taruvanenſes* in capite XXXII. itavt Gregorius & Fredegarius urbem hanc *Tarabannam* vel *Taravannam*, ſicut Notitia ſupra laudata appellaviſſe videantur; Geſta Francorum *Taruvanam* quidam *Taravanam*.

Samſon Geographus Regius ex *Ternanna* ruinis tres Diœceſes ortas eſſe ſcribit, Bononienſem, Sancti-Audomarenſem, & Iprenſem: ſecutus Petrum Maſſonum, qui anno MDLXVI. Bononiam Epiſcopum habere cœpiſſe tradidit. In quo ambo haud dubiè errant, cùm Geſoriacum ſeu Bononiam, ante annos mille & triginta ſedem Epiſcopatûs fuiſſe, ſuprà docuerimus in Geſoriaco.

Ceterùm miror *civitatem Morinûm* vel *Morinorum*, ſive *Ternannam* in pænultimum locum rejici, in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, & civitatem Bononienſium quæ & ipſa Morinorum eſt, ultimum inter XII. civitates provinciæ Belgicæ II. locum tenere, poſt Catalaunos, Veromanduos, Atrebates, Silvanectas & Ambianos, quos Morini viribus olim longè præceſſere. Meliùs Notitiæ recentiores, ante annos CCCC. & trecentos compoſitæ, *Morinenſem*, id eſt Taruennenſem ſexto loco ponunt inter ſedes metropoli Remenſi ſubjectas, & Atrebatenſi, Ambianenſi, *Noviomenſi*, id eſt Noviomagenſi, Silvanectenſi, *Belvacenſi* ſeu Bellovacenſi, Laudunenſique præferunt.

TARUSATES.

Taruſates cuncti ferè conſentiunt nomen dediſſe pago Turſano, *le Turſan*, cujus pagi caput eſſe civitatem Aturenſium: atque eam ob cauſſam Diœceſin Aturenſem *Taruſatibus* reſpondere Samſon aſſerit. *Taruſatium* meminit Cæſar in libro III. & inter Vocates ac Eluſates *Taruſates* ponit. Hi apud Plinium in libri IV. capite XIX. corruptè vocantur *Latuſates* inter Succaſſes & Baſabocates, Aquitanicæ populos: quos mutatione duarum litterularum reſtituendos in integrum, & in *Taruſates* convertendos exiſtimavi ante annos XXX. uti poſtea ſentire Samſonem animadverti. Nemo enim non videt propter earum litterarum aliquam inter ſe ſimilitudinem has illis faciliimè poſſe ſubſtitui. *Vicecomitatum Tanrſanenſem* memorat Oihenartus in Aquitanica Vaſconia, & *Taruſates* pro *Turſanenſibus* accipi à viris doctis ait. Eſt & Tuſanum, *Tuſan*, locus inter Sirionem (*le Siron*) & Leriam (*Leira*) fluvios poſitus, cujus nomen ad *Taruſates* accedere quidam falsò arbitrantur. Propiùs accedit ad appellationem *Taruſatium* Tartaſſium, *Tartas*, in arenis Vaſaticis: ſed ea urbs recentior, & à Vaſconibus in Novempopulaniam tranſgreſſis condita, à Taruſatibus veterrima & pridem ignota Gente nomen accipere, aut ipſis nomen ſuum dare non potuit.

TAUNIACUM UTRUMQUE.

Tauniacum alterum eſt ad Carantonum flumen, vulgò *Tonay-Charente* ab eo cognominatum; alterum ad Vultunnam fluvium, *Tonay-Boutonne* inde dictum, in finibus Santonum utrumque, & alterum alteri vicinum. Poſteriorē huncce fluvium *Vultunnam* ſincero nomine in tabulario Angeriacenſi, necnon *Vultonnam*; in Geſtis Conſulum Andegavenſium *Vultonam* nuncupatum reperio. Gaufridus Abbas Monaſterii Vindocinenſis, Ludovico ejus nominis VI. Francorum Rege floruit ante annos DXL. qui in libri epiſtolarum III. epiſtola XXXII. à *Goffrido Tauniacenſi* res Monaſterii ſui direptas eſſe queritur. In litteris Goffridi Comitis, datis regnante Henrico Rege, utrumque *Tauniacum* memoratur in pago Santonico: *Signum Itery de Tauniaco; Signum Albuini de altero Tauniaco; Helia de Chalſio, (Chalez.) Fulcaudi de Rupe*: qui Fulcaudus Rupi cognomen dedit, *Rochefoucaud*. *Talniacum* etiam quidam vocant. In litteris anni MCXXXIX. *Convocatis Abbatibus, Angeriacenſis ſcilicet Eccleſia & Talniacenſis, & Beania*, &c.

TAURENTUM.

J. Cæſar *Taurenta caſtellum Maſſilienſium* vocat in libro II. de bello Civili hiſce ver-

bis. *Nancti idoneum ventum, ex portu* (Maſſiliæ) *exeunt, & Taurenta quod eſt caſtellum Maſſilienſium, ad L. Naſidium perveniunt.* Strabo inter Olbiam atque Maſſiliam *Tauroentium* Ταυροέντιον ponit; ponit & Ptolemæus, & *Tauroentium* ſimiliter appellat. Æthicus in Itinerario portuum & poſitionum navium ab Urbe Arelatum uſque *Taurentum portum* nuncupavit, & inter portus *Telonem Martium* ac *Carſicos* collocavit, à Telone XII. à Carſicis XII quoque millibus paſſuum diſtantem. A Stephano de Urbibus dicitur *Tauroïs urbs Gallica*, id eſt in Ligurum Gallorum vel Tranſalpinorum ſolo à *Maſſilienſibus condita: quam Phocenſes à tauro ita cognominaverunt, quod in ipſorum claſſe navis Prætoria erat inſigne: ejus incola Tauroenty nuncupati.* Ταυρόεις πόλις Κελτικὴ, Μασσαλιωτῶν ἄποικος· οἱ πολῖται Ταυροέντιοι· οὕτως ἀπὸ τοῦ ἐπισήμου τῆς νεὼς μιᾶς τῆς σὺν τῷ στόλῳ Φωκαέων ἀπο... τὸ ἐθνικὸν Ταυρῖνοι. *Taurois* igitur, *Tauroentos* declinavere Græci, ut Opois, Opoentos: & inde *Tauroenty*. Sed neſcio an uti pro Opois Opûs, Opuntis, & Opuntii dixere; ſic & *Taurus*, *Tauruntis*, & *Tauruntij* in uſu habuerint. A *Taurois* quidem ethnicon *Taurini* deduci non poteſt: quod eſt nomen Gentis Liguſticæ in Italia Tranſpadana. *Taurentum* Holſtenius Civitatem interpretatur, *la Ciotat* vel *la Ciotad*, quibuſdam *la Ciutat*: qui locus ad mare vino ſuo notiſſimus, poſitus eſt inter Telonem Martium, (*Toulon*) & Carſicos portum, *Carſis* aut *Caſſis* vulgò nominatum. Errant graviter Gaſſendus Provincialis, & qui eum ſequitur Samſon Geographus Regius, qui *Taurentum* aiunt eſſe *Toulon*, Telonem Taurentumque abſurdè confundentes: quos Æthicus ſuprà laudatus ſatis ſuperque erroris convincit.

TAURIACUM.

In Belſa, quam recentiores Belſiam vocarunt, eſt *Tauriacum* in finibus Carnutum Diœceſique Aurelianenſi poſitum, proximum caſtro Puteolo, *Puiſet*: quod Sugerio in libro de Adminiſtratione ſua dicitur *Tauriacus famoſa B. Dionyſii villa, & caput aliarum*; necnon ibidem *caſtrum Tauriacum*. Vulgò *Toury* nunc dicitur, & cum Tibernione, (*Tivernon*) Tilieto Godini, (*Tillay le Godin*) ac Tilieto Pagani (*Tilly le Paineux*) continetur Archidiaconatu Belſiæ: qui inter VI. Eccleſiæ Aurelianenſis Archidiaconatus tertium locum tenet. In Chartario Capituli Eccleſiæ S. Crucis quod ſcriptum legi, nunc *Torri*, nunc *Tauriacum* vocatur: & *Cella S. Petri Tauriacenſis* ibi veterrimis in litteris Caroli Calvi & Hugonis Regum memoratur. *Tauriacum* autem videtur dictum eſſe à Tauro; quod viri nomen olim proprium fuit. In Geſtis III. Synodi Sueſſionis anno DCCCLXII. habitæ, inter villas S. Dionyſii *Tauriacum* cum *Belua* & *Tibernione* (*Tivernon*) numeratur. Rotbertus Rex Francorum in litteris ſuis *villas* S. Dionyſii *in Belſa ſitas*, Tibernionem, Tauriacum, Rubridum, (*Rouvroy*) Vaſconis Vallem, (*le Val Vaſcoin*) & Aſinarias (*Aſnieres*) commemorat. *Villa Tauriacus in Epiſcopatu Aurelianenſi* à Ludovico Craſſo nuncupatur: *Toury en Beauſſe* quibuſdam dicitur, cognomine à ſitu invento; quoniam in Belſa poſita eſt: Caſtellaniis quoque adnumeratur, non ſine cauſſa: cùm non *villa* modò, ſed etiam *caſtrum Tauriacum* ſuprà à Sugerio nominetur.

Eſt & *Tauriacum*, *Toury*, in Secalaunia inque Diœceſi Aurelianenſi, non procul à flumine Ligere & Balgentiaco: eſt quoque in pago Tricaſſino *Tauriacus*, quem Aimoinus in libri de Miraculis S. Benedicti capite XIII. memorat. *Burgundia in partibus, territorio Tricaſſino, villa habetur S. Benedicti* (*Floriacenſis*) *Tauriacus nomine.*

TAURINIACUM.

Tauriniacum caſtrum à Taurino nomen accepit. *Torinneium* quædam tabulæ vocant, ut *Marenneium* (*Marigny*) Marchiam in Nortmannia pro Martiniacum; *Lizineium* pro Liciniacum, *Luſignan*; *Strepenneium* in Veliocaſſibus pro Sterpiniacum *Eſtrepigny*; ac ſimilia. *Tauriniacum* caſtrum, vel certè opidum Comitivæ titulo clarum, in confinio Baiocaſſium & Conſtantienſium poſitum, à fluvio Vira, qui ambos Comitatus pagoſve terminat, II. ferè millibus diſtat, ac vulgo *Torigny* vocatur.

TEGNA.

In tabula Theodoſiana quæ vulgò Peutingeriana nuncupatur, *Tegna* fit mentio inter Viennam & Valentiam his verbis. *Vigenna*, (id eſt Vienna) *Figlinis*, *Tegna*, *Valentia*. *Tegna* illa non alia poteſt eſſe quàm *Tin* vel *Tain*, inter Viennam & Valentiam poſita ad ripam fluminis Rhodani contra Turnonem: qualis eſt ſitus Belliquadri & Taraſconis ad eumdem fluvium. Unde natum proverbium, non magis paſci oves atque verveces inter Bellumquadrum & Taraſconem, quàm *Tegnam* inter & Turnonem.

Entre Beaucaire & Taraſcon
Ne repaiſt brebis ne mouton:
Non plus qu'entre Tin & Tournon.

Ad *Figlinas* videntur mihi pertinere verſus Apollinaris Sidonii, qui tales ſunt.

Pocula non heic ſunt illuſtria nomine pagi,
Quod poſuit noſtris ipſe Triumvir agris.

Erat Sidonius patriâ Lugdunenſis, & Lugdunum ab urbe Vienna millia paſſuum tantùm XVI. abeſt. *Pagus* igitur ille ſeu vicus in agro Viennenſi, cui Triumvir nomen impoſuit, videtur eſſe *Figlinæ*, in quo vaſa ac pocula fictilia elegantiſſima fierent. Nec deerunt forſitan, qui exiſtiment pagum illum ſeu vicum agri Lugdunenſis, eſſe Antonem aut Antoniacum ad Rhodanum, *Anton* hodieque dictum, & Antonii Triumviri nomine inſignem, qui tum vino generoſo nobilis extiterit. Nam *poculorum* appellatione non vaſa potoria modo, ſed etiam vina ipſa deſignari præſertim à Poëtis poſſunt. Abeſt autem Anto ab urbe Lugduno leugas circiter tres.

Tegna nunc à Latinis ſcriptoribus, priſci ejus nominis ignaris, *Tinctum* nuncupatur.

TEGULARIÆ.

Locus eſt in Nortmannia non obſcurus ad Aruam fluvium, *Aure*, Franciæ Normániæque terminum: quem alii *Tegularias*, alii *caſtrum Tegulenſe*, & *Tegularienſe* à re vocaverunt, quòd ibi antea tegulæ coquerentur & fierent. Quidam, in primis Johannes Pariſienſis, a Richardo Duce Normannorum caſtrum hoc conditum eſſe ſcribunt, Rotberto apud Francos regnante ante annos circiter DCLX. Verba Johannis talia ſunt. *Dux Richardus, accitis ſecum Brittonibus, contra Odonem cum exercitu venit verſus Drocas, & ſuper Arua fluvium caſtrum forte condidit, quod Tegulenſe vocavit, & vaſtans fines Comitatûs Odonis*, (Comitis Carnotenſis) *dictum caſtrum optimè munivit, relictis ibi cuſtodibus*. Idem refert Henricum Francorum Regem *caſtrum Tegulenſe* à Gullelmo Duce Nortmanniæ ſibi dedi ac everti juſſiſſe, velut *conſtructum ac munitum in præjudicium Regni ſui*, ac paullo pòſt adhuc fumans reſtauraviſſe, præſidioque militari muniviſſe. *Tegularias*, & *Giſlebertum de Tegularis* in litteris Folconis de Vadis reperio; in litteris anni MXXCVI. *Gilbertum de Tegularis* dictum. Eaſdem *Tilerias*, & *Telerias* vocant litteræ, anno MCXXCVIII. datæ. *Tegularia* vulgò appellantur *T ll ers*, aliàs *Tillers*, corruptè pro *Tuilliers*. VVillelmus Britto Armoricus in libro VI. Philippidos *duo fortia caſtra Botavan & Tileras* vocat, nomine jamtum corrupto atque etiam truncato. Dictæ nimirum primò ſunt *Tegularia*, poſtea ſublatâ II. ſyllabâ *Telaria*, demum de *Telariis Tilera* factæ, e in i, a in e converſis: quod eſt caſtrum Comitivæ nunc titulo clarum. *Tileras* porrò appellavere Noſtri *Tilliers*, ut Iſleras *Iliers*.

TELLAU PAGUS.

Pagus *Tellau* memoratur in Capitularibus Caroli Calvi, inter pagos *Rotmenſem* id eſt Rotomagenſem, & *Vitnau* ſeu Vitmau: *prædium Virtlaicum ſitum in pago Tellau ſuper amne Evra* in Vita S. VVandregiſili Abbatis. *Evram* autem fluvium eſſe, inter Deppam & Aucum flumina medium obſervo, *Earam* Orderico Vitali in libro XII Hiſtoriæ rectè dictũ: qui alluit Alberti Manſionile, Fulcardi Montem, Bettonis Cortem, Petreum Pontem, *Pierrepont*; Septem Molas, Vallem Regis, *Val le Roy*; Telliam *Tilly*; S. Sulpicii, *Saint Supli*, & apud Criolium *Criel*, in Oceanum effunditur. Ordericus Vitalis in libro XII. modò *Tallogium* huncce pagum, *Talogienſem*que nuncupat, modò *Talou*: & Arcas in eo ponit, pagoque Caletenſi contiguum facit. Orderici de Balduino Comite Morinorum ſeu Flandrenſium verba talia ſunt. *In Normanniam uſque ad Archas venit, & villas in Tallogio combuſſit*. Item infrà. *Crudeliſſimam in Talou & Caletenſi pago guerram faciebant*. Idem in libro VI. *Archacenſium*, (id eſt Archenſium) *provinciam in Talogienſi pago* memorat. Litteræ Roberti Ducis Normannorum datæ anno MXXX. *Talou* quoque eum pagum appellant, nec Arcas tantùm, ſed etiam Deppam ei attribuunt his verbis. *In pago Talou Deppam, Archas; in pago Rotomagenſi Anſelini villam cum Eccleſia, juxta murum ipſius urbis ſupra fluviolum Rodebecum molendinum unum; unum gardinum in Deppa*, (id eſt hortum) *& dies Dominicos piſcaria de Archas*. Pagus autem *Tellau*, vel *Tallogium*, aut *Talogienſis*, aut *Talou*, haud dubiè pars Caletorum fuit, ſeu ex parte pagi Caletenſis factus eſt: cùm Deppam & Arcas loca utique Caletorum, & cum reliquis Caletis Eccleſiæ Rotomagenſi ſubjecta contineret; Vacæo dictus pagus Talleu, *pays de Tallou*, in ſua Hiſtoria fabuloſa; quibuſdam in litteris *Comitatus Talovij*, quod idem eſt. Nam ſingulis pagis Comes ſuus plerumque præerat: itaut pagus pro Comitatu, & Comitatus pro pago promiſcuè ſumeretur. Et Vacæus quidem, vetus Poëta Francus, nunc pagum hunc *Tallou*, nunc & unà cum ejus incolis *Talois* vocat, id eſt *Tallogium* vel *Talogienſem*. Certè poſtquàm Alentionenſes *Alenchonnois*, Belliſmenſes *Beleſmois*, Algienſes, & Dumenſes, *ceux d'Auge & del Dumois*, Abrincatinos *les grands Auranchinois*, & Ambianos *Aminois*, Baiocaſſinos & Conſtantinos, *ceux de Beeſſin, & les Cotentinois* nominavit: ſubjicit Augenſes, Tallogios vel Talogienſes, Arcenſes & Caletos,

Mit ceux du Comté d'Ou, & ceux de Calois,
Et ceux du Comté d'Arches, enſemble o les Cauchois.

Vbi pro *Calois* emendo *Talois*; uti apud Ordericum in libro VI. *Archacenſium provinciam in Calogienſi pago* memorantem, emendavi *Talogienſi*: qui pagus Augæ proximus, & portio Caletorum erat, Arcaſque ipſas cum Deppa complectebatur.

Georgius Furnarius in ſua Orbis Notitia *pagum Talogienſem* vocat, *le pays de Taloy*, & *à Breſla ad Siam*, hoc eſt ab Auco vel Aucia fluvio ad Sedam amnem pertingere affirmat: *ibi celebres olim ſalinas fuiſſe, maximè Deppam inter & Arcas, quæ jam perierunt ſicut & ipſum nomen Taloenſe*. Franciſcus Pomeræus in Archiepiſcopis Rotomagenſibus pagum iſtum *le Talou* cum ceteris nuncupat, & *prædium Virtlaicum ſitum in pago Tellau*, quod Erinbertus vir Illuſtris VVandregiſilo Abbati Fontanellenſi donaviſſe dicitur, optimè appellat *Virlay dans le Talou au pays de Caux*. Pagus enim *Tellau*, pars eſt Caletorum, ſeu in Caletis eſt conſtitutus, uti alibi obſervavimus. Litteræ Pippini Regis, datæ anno I. regni ejus Vermeriâ, inter res Monaſterio S. Dionyſii reſtituendas numerant in *pago Tellao Piſtas, Macerias, Verunum, Attiliacum, Aguſtam*. *Pagus Talavus*, & *pagus Tellavus* vocatur in Caroli Magni & Caroli Calvi litteris de rebus datis Rotomagenſi Eccleſiæ metropol. B. Mariæ. *In pago Tellavo VVarinnam Monaſteriolum*. Chronicon Fontanellenſe in capite II. *Greſſus villam in pago Tellau*, & *Taunacum villam in Tellau* memorat; in capite IV. *duo patrimonia, Oſſiniacas & Bettonis Curtem, ſita in pago*

Tellan ; in capite VIII. *Vierlaicum villam*, aliàs ibidem *VVirtlaicum*, *quæ ſita eſt in pago Tellan ſuper fluvio Eora*. In capite IX. *duos pagos Tellaus & Vimnau* ut confines junctim appellat : capite XII. *Balliolum in pago Tellan*; item *Vlmirum & VVarinnam fiſcos duos, qui ſunt in pago Tellan juxta fluvios Tellas & VVarinnam*; & *vineas in pago Tellan ſuper fluvio Viſrona* aut potiùs *Varinna* commemorat : in Appendicis Chronici capite VII. & apud veterem ſcriptorem Miraculorum S. Vulframni, VVillelmus, frater Richardi III. Nortmannorum Ducis, *Arcas caſtrum in pago Tellan primus ſtatuiſſe* dicitur. Acta Synodi Sueſſionis habitæ Principatu Caroli Calvi apud Dupletium legi, in quibus Hludovicus Monaſterii S. Dionyſii Abbas Monachis ſuis præter cetera donat *in pago Tellan piſcatoriam in Tellis*. Ex quibus colligo pagum *Tellan* nomen accepiſſe à *Tellis* fluvio, quem acta ſupradicta & Chronicon Fontanellenſe in pago *Tellan* collocavere. *Tellas* porrò & Earam pro uno eodemque flumine accipi oportere exiſtimo, ſui nominis vicum, nimirum *Tellam* aut Telliam (*Tilly*) alluente. Præterea ex ſuperioribus qui fuerint fines pagi *Tellan*, facilè intelligitur. Quippe *Bettonis Curtem in pago Tellan ſitam* eſſe docet Chronicon Monaſterii Fontanellæ : de qua & in capite IX. ſic refert ; *Bettone Corte ſuper fluvio Evra* ; ubi legendum eſt *Eara*. Quis autem non videt Bettonis Cortem eſſe *Betencourt*, locum hodieque *Eara* fluvio appoſitum, quem nunc *Jeram* vocant, *Jere*? Idem Chronicon *Balliolum in pago Tellan* ponit : quod aliæ tabulæ inter amnes Heldonam & Deppam collocant, aliæ ad ripam Heldonæ, & *Bailleul* vocant. *Vlmirum* ſimiliter & *VVarinnam fiſcos duos*, id eſt villas fiſcales *eſſe in pago Tellan juxta fluvios Tellas & VVarinnam* affirmat. *Arcas* quoque *caſtrum* in eodem pago ponit : quas *Arcas* & Deppam pago *Tellan* attribui ab Orderico & aliis, ſuprà oſtendimus. *VVarinna* autem villa eſt ad VVarinnam vel Guarennam fluvium ; *Arca* ad VVarinnæ Deppæ & Heldonæ confluentes ; Deppa ad oſtium Deppæ, qui VVarinnam & Heldonam admittit. Quæ apertè indicant, pagum *Tellan* vel *Talou* à VVarinna fluvio qui eſt Sedæ vel Siæ amni proximus, ad Earam flumen aut etiam ultra pertinuiſſe, & ejus pagi amnes exſtitiſſe VVarinnam vel Guarennam, Deppam, Heldonam, Earam : nec valdè arguendum eſſe Furnarium, qui pagum *Tellan à Breſla ad Siam*, id eſt ab Auco fluvio ad Sedam amnem pertingere aſſerat, promoto trans *Earam* pagi *Tellan* limite ad Aucum uſque. In litteris quibuſdam hæc lego. *In Comitatu Talou ſuper fluvium qui vocatur Era*, &c. Hic *fluvius Era* eſt, idem qui ſuprà *Evra*, & Orderico rectiùs *Eara* dicitur, vulgò *Jere*.

Eſt quidem ad *Earam* fluvium *Tella* aut Tellia *Tilly* : eſt & haud procul à Novo Caſtro & fluvio Deppa vicus *le Til* : quæ duo loca nomen pagi *Tellan* vetus videntur hodieque ſervare, quo in pago ſunt poſita, nec à tilia appellationem accepiſſe. Nam vicus *Tilloy* trans flumen Aucum vel Breſlam non longè à Gamapio, non ad pagum *Tellan*, ſed ad pagum Vinemacum pertinet.

TELO MARTIUS.

Telonis Martii portus meminit Æthicus in Itinerario portuum ab Urbe Arelatũ, & inter duos portus, nimirum Pompeianos & Taurentum ponit hiſce verbis. *Ab Alconis Pompeianis portus* M. P. XXX. *à Pompeianis Telone Martio portus* M. P. XVIII. *à Telone Martio Taurento portus* M. P. XII. à quo *Procurator baphii Telonenſis Galliarum*, in Notitia Imperii Rom. memoratus, nomen accepit. Concilio Aurelianenſi IV. Baſilio V. C. ſolo Conſule Indictione IV. anno Chriſti DXLI. *Cyprianus Epiſcopus Eccleſiæ Telonenſis* interfuit, conſenſit atque ſubſcripſit ; Concilio Aurelianenſi V. anno XXXVIII. regni Domini Childeberti Regis, Chriſti DXLIX. Indictione XIII. V. Kal. Novemb. *Palladius Epiſcopus Eccleſiæ Telonenſis* interfuit ; Concilio Arelatenſi V. ſubſcripſit *Severus Preſbyter Eccleſiæ Telonenſis*, *miſſus à Domino Palladio Epiſcopo Eccleſiæ Telonenſis* ; Concilio Pariſienſi IV. *Deſiderius Epiſcopus Eccleſiæ Telonenſis* anno XII Regis Chariberti, Chriſti DLXXIII ; item Concilio Matiſconenſi II. *miſſus* ſeu Vicarius *Deſiderii Epiſcopi à Telone*.

Telo igitur proprium & incorruptum nomen eſt urbis maritimæ provinciæ Arelatenſis ; cognomen *Martius* à Marte ut videtur, potiuſquàm à Marco *Marcius*, uti quidam ſcribendum exiſtimant. Sic enim & Narbo in eadem ora Galliæ à Marte Martius eſt cognominatus. Nonnulli *Telonem* nonnumquam corruptè dixerunt : ut docet ſuprà ſubſcriptio Epiſcoporum Concilii Aurelianenſis IV. Ex *Telone* factum à Noſtris *Toulon*, o in ou mutato. Fortè à Maſſilienſibus condita, atque *Telo* (Τέλων) appellata eſt, quòd ibi portoria & tributa à mercatoribus publicani nomine Reip. Maſſilienſis exigere ſolerent : Τέλων enim vel Τελώνης publicanum ſignificat : aut certè à Telone aliquo, Maſſilienſi Optimate, conditore aut deductore coloniæ hoc nomen accepit : quod Maſſilienſes nonnumquam tuliſſe indicat Lucanus, qui in deſcriptione pugnæ navalis Maſſilienſium cum Cæſarianis, *Telonis* cujuſdam gubernatoris Græci aut Maſſilienſis in fine verſus mentionem facit, & primam nominis ſyllabam corripit, ſecundam producit. Silio in libro VIII. dicitur *Inarime antiqui ſaxoſa Telonis inſula*.

Telo nunc vocatur *Tolon* vel *Toulon*, urbs hodieque & portu ſuo, & ſtatione Regiarum triremium, ac ſede Epiſcopatûs nobilis : cujus nec Strabonem ac Ptolemæum, nec Melam aut Plinium, nec Notitias veteres provinciarum ac civitatum Galliæ meminiſſe miror. Unus Robertus in Chronico, quod in anno MCCX. deſinit, ſub metropoli Arelate *Telonum* (ita vocat) loco ultimo ponit ; Gervaſius quoque Tiſſebetienſis & quædam Notitia ante annos CCCL. compoſita, ſub Burgundiæ Archiepiſcopo Arelatenſi *Epiſcopum Telonenſem*.

Samſon Gaſſendum Provincialem ſecutus

Taurenta apud Cæſarem in libro I. de bello Civili *caſtellum Maſſilienſium*, *Toulon* interpretatur. Vellem hoc Samſoni non excidiſſe, quem Æthicus ſuprà laudato loco refellit ſatis ſuperque, & Taurenta vel Taurentum à Telone diſtinguit; *Taurentum* portum inter duos portus, *Telonem Martium* & *Carſicos* ponens. *A Pompeianis Telone Martio portus* M. P. XVIII. *à Telone Martio Taurento portus* M. P. XII. *à Taurento Carſicis portus* M. P. XII. Si hæc umquam legit Samſon, *Telonem Toulon* eſſe non vidit: quod non minùs, immo etiam magis interpretatione ejus miror.

TEORACIA SILVA ET PAGUS.

Qui de Urſmaro Laubienſi Abbate ſcripſere, primi aut inter primos *Teoraciæ* fecere mentionem. Anſo Abbas Laubienſis, qui libellum de Vita S. Urſmari principatu Caroli Magni compoſuit, B. (inquit) *Urſmarus Epiſcopus in pago Hainau vel Teoraſcenſe, in villa quæ vocata eſt Fleon, oriundus fuit.* At pagus Teoracenſis à pago Hainoenſi, cui erat proximus contiguuſque, differebat. Meliùs Anſone Ratherius Veronenſium Epiſcopus, qui Anſonis opuſculum circa annum DCCCCL. emendavit, *B. Urſmarum Epiſcopum pago Teoracenſi, & villa quæ vocatur Fleon oriundum* ſcripſit, omiſſo *Hainoenſi*. Quidam Ratherii interpolator, quem ex codice Laubienſi erutum, Andreas Cheſnius ex parte publicavit, memoriæ tradit *per Urſmarum in partibus Galliæ, in Fania ſcilicet & Teoracia multos per eum converſos fuiſſe, & conſtructas, quæ adhuc ſuperſunt, Eccleſias.* Silvæ ſunt duæ, *Fania* ac *Teoracia*, altera alteri proximæ, quæ pagis nomina dedere, *la Faigne*, & *la Tierache*; uti à ſaltu Brexio Brexia, *la Breſſe*; à ſaltu Briegenſi vel Briegio pagus Briegius, *la Brie*; à ſilva Pertico ceterarum Celticæ ſilvarum eminentiſſima Perticus aut Perticenſis pagus, *le Perche*; ab *Aridagamantia ſilva* Barpalmis proxima regiuncula Aroaſia vel Aridagamantia cum Monaſterio cognomine, *Aroüage*, vel *Aroüaiſe*; ab Algia pagus Nortmanniæ *Auge* nomen accepit. Fulcuinus Abbas qui anno DCCCCXC. obiiſſe fertur, in Chronici Laubienſis capite IV. *Teoraciæ ſaltum* commemorat hiſce verbis. *Monaſterium quoque dictum VVaſlare verſus Teoraciæ ſaltum in finibus Faniæ ædificavit Urſmarus, cui & Dodonem præfecit.* Chronicon de Geſtis Nortmannorum in Francia, ab anno DCCCXXXIII. ad annum DCCCXCV. deductum meminit & *Teoraciæ*, quam *Terraciam* appellat. *Anno Domini* DCCCXXCIII. *Northmanni per Terraciam iter agentes, Hiſam tranſierunt:* (id eſt Iſaram, *Oiſe*) *quos Carlomannus inſecutus, in Anabl comprehendit, commiſſoque prælio victor extitit: cecideruntque Northmanni circiter mille.* Vbi pro *Anabl.* emendo *Avalle.* Annales enim Bertiniani docent, anno DCCCXXCII. Carolomannum partem Nortmannorum prædas agentium interfeciſſe, partem Axonæ immerſiſſe, & eis qui ſuburbana Remorum depopulati erant, *ad ſocios ſuos redeuntibus,* apud *villam quæ vocatur Avallis, prædam excuſſiſſe. Villa* autem *Avallis* non procul ab urbe Remis, hodieque nomen ſervat. Vocatur enim *Avaux*, eſtque Comitivæ titulo illuſtris. Fuſniacum in *Theraſca* ponunt litteræ anni MCXXCIII; Auriniacum in *Theraſca* litteræ anni MCCXXVIII. Hermannus Monachus in libri III. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis capite III. *Terraſceam maximam Diœceſeos Laudunenſis ſilvam* nuncupat. *Bartholomæus* (Laudunenſis Epiſcopus) *oſtendit ei* (Norberto) *illam maximam Diœceſis ſuæ ſilvam, quæ vocatur Terraſcea. Duxit ergo eum ad locum qui vocatur Fuiſniacus, demonſtrans ei aquarum & paſcuarum, ſilvæque & terrarum congruam opportunitatem. Epiſcopus exinde duxit eum ad alium ejuſdem ſilvæ locum, qui Telonias vocatur.* Idem in capite XI. libri III. *locum qui Fuiſniacus vocatur, in Teraſcea ſilva* memorat; & ſemel atque iterum in capite XX. *Monaſterium S. Michaelis Terracienſis*, id eſt in *Terracia ſilva* & regione poſitum, Abbatiæ nomine clarum. Vetus & incorruptum ſilvæ nomen *Teoracia*, vel *Teoraſcia*, à qua *pagus Teoracenſis* aut *Teoraſcenſis* cognominatus, vulgò *la Tieraſche*, quibuſdam in tabulis *la Tieraſce*, necnon *Tiraſſe*, & *Terrache*: ſicut ſcriptores Latini recentiores pro *Teoracia Teoraſciáve* nunc *Terraciam*, nunc *Terraſceam*, atque etiam *Teraſceam* & *Theraſcam* corruptè vocitarunt.

Hodieque plena ſilvis eſt *Teoracia* regiuncula: ſed inter ceteras eminet una magnitudine præcellens, quæ *Teoraciæ* nomen ſola meretur, & Picardiam ab Hainoo dividit. Circa quam ſunt Monaſterium Abbatiale S. Michaëlis in *Teoracia* ad Iſaram, *S. Michel*; Iritio *Hierſon*; Fuſniacum vel Fuiſniacum *Foiſny*; vicus Fleon aut *Fleo* major, patria Vrſmari, *le grand Floyon*, & Fleo minor, *le petit Floyon*; & Teloniæ in Hainoo caſtellum, *Trelon*. *Teoraciæ* præter loca quæ retuli, attribuuntur nunc Mons Cornutus in Teoracia, *Moncornet en Tierache*, Roſetum *Roſoy en Tierache*, Ruminiacum *Rumigni*, Albento *Aubanton*, Leſcheriæ *Leberſes*, Auriniacum *Origni*, Strata ad pontem *Eſtreaupont*, Altaripa *Autrepe*, Guſia, Verbinum *Vervins*, & Capella, *la Capelle*; quæ Alano Carterio & Nicolao Ægidio mendosè dicitur *la Chapelle Hauterreſſe*, pro *la Chapelle en Teraſſe*. Certè Monſtreletio nuncupatur *la Chapelle en Terrace* in Volumine II. ut & *Guiſe en Terrace*. Unus eſt nunc inter Eccleſiæ Laudunenſis Archidiaconatus *Teoracenſis Archidiaconatus*, *l'Archidiaconé de Tieraſche*. Butorius in fabula quæ *Conſtans* inſcribitur, anno MCCXCIV. compoſita, Hugonem de Caſtellione, Comitem Bleſenſium, dominum Aveſnarum & *magnæ Teoraciæ*, à magnitudine ſilvæ vocat, *Huon de Chaſtillon, Conte de Bloïs, Signeur d'Aveſnes & de la grant Tieraiſſe.* *Teoraciæ* ſilvæ meminit & Monſtreletius in capite CXXII. Voluminis I. his verbis. *S'en alla en Terrace, & de là à Ribemont. Profectus eſt in Teoraciam; inde Ribodi Montem petiit.* In Chartulario Monaſterii Clari Fontis, quod ſcriptum legi, ſunt litteræ Radulfi Abbatis Maricolis, datæ anno MCXLIII. & litteræ

Alexandri PP. III. in quibus *duarum ſilvarum, Fama & Teracia* vel *Teraſcia* ſit mentio, ut proximarum. *Quidquid terra culta & inculta inter II. ſilvas Faniam & Teraciam habetur.* Adalgiſus, qui de Miraculis S. Theoderici Abbatis Remenſis (*S. Tierri*) ante annos D. ſcripſit, *Teracia* (inquit) *vocabulum eſt cujuſdam nominatiſſimæ ſilvæ, in qua conſtat Monaſterium de nomine S. Michaëlis Archangeli ab antiquis olim ædificatum.*

TERLUINUM.

Libellum de Vita S. Hiltrudis Virginis Letienſis à Monacho Valciodorenſi ante annos DC. compoſitum nuper edidit Mabilio, vir pius & doctus, in quo hæc legimus. *Mulier quædam de villa quæ Terluinum vocatur, phreneſim incurrit.* Hic vicus, ſeu caſtrum nunc vocatur *Trelon*, aliàs *Terlon*, in Hainoo inter Cimacum & Aveſnas jacens, poſtquàm ab Henrico ejus nominis ſecundo Rege Francorum eſt dirutum. *Telonias* Hermannus in libro III. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis appellat his verbis. *Epiſcopus exinde duxit eum ad alium ejuſdem ſilvæ locum, qui Telonias vocatur.* Ponit ergo Hermannus *Telonias* in *maxima Diœceſeos Laudunenſis ſilva Terraſcea* vel Teoracia. Ex *Teloniis* fecere Noſtri *Trelon*, ut ex theſauro *treſor*, inter t & e litterulâ r inſertâ.

TERNODORUM ET PAGUS TERNODORENSIS.

Ternodorum, *Tonnerre*, ad Hormentionem poſitum in Lingonibus, Gregorius in libro V. Hiſtoriæ *Ternodorenſe caſtrum*; Magno *Tenodorum*; Vita S. Fidoli Abbatis *caſtrum Tornoterum*; Adrevaldus Monachus Floriacenſis in libri de Miraculis S. Benedicti capite XXXII. *caſtrum Tornodorum* vocat his verbis. *Caſtrum quoddam in Burgundiæ partibus, in latere montis ſupra fluvium Hormentionem vocabulo ſitum, adjacenti regioni nomen indidit. Namque à Tornodoro vicina regio Tornodorenſis dicitur. Huic præerat quidam nobili ortus proſapiâ nomine Raculfus, ex officio vicem Comitis agens.* Tum ergo principatu Caroli Calvi ante annos DCCC. *Ternodorum* Vicecomitem ſuum habebat, quod nunc Comitem habet.

Regio Ternodorenſis, Gregorio nunc *terminus Ternodorenſis caſtri Lingonicæ civitatis*, nunc *Tornodorenſis pagus* nuncupatur; *Tornedriſus pagus*, id eſt *Tornedrenſis* pagus in Capitulis Caroli Calvi Silvaci editis, inter *Hatuarias* & *Belniſum* ſeu Belnenſem pagum, *le Tonerrois*; Hugoni Pictavino aliiſque *pagus Tornodorenſis* & *Comitatus Tornodorenſis*; *Ternoderinſis* Fortunato in capite XXXV. libri de Vita S. Germani Pariſ. Epiſcopi. *Quidam Clericus de juxta Monaſterio B. Silveſtri in Ternoderinſe.* Monaſterium igitur Reomaus, à primo ſuo Abbate vulgò Monaſterium S. Johannis dictum, *Monſtier S. Jean*, cui tum Silveſter Abbas præerat, *Ternodorenſis pagi* finibus continebatur. In litteris Lampagiæ, datis *anno II. poſt obitum Rodulfi Regis Francorum, Hugone Principatum tenente*, pagus Ternodorenſis *Comitatus Tornetrenſis* vocatur, o litterâ ſublatâ, & d in t mutato. Ex quibus intelligitur, non *Tornodorum* modò & *Ternoderum*, ſed etiam *Tornedrum* & *Tornetrum* nuncupatum eſſe, quod Gregorius incorrupto nomine *Ternodorum* appellaverit, quidam corruptè *Ternodrum*. Certè in Teſtamento VVideradi Flaviniacenſis Monaſterii conditoris & Abbatis, *pagus Ternodrenſis* vocatur non ſemel, id eſt *Ternodrenſis*: & in eo ponuntur Ciconiæ, *Chichées*, Anciacum *Ancy le Franc*, Rapariæ vel Rabariæ *Ravieres*, Marcomania *Marmaigne*. In eodẽ teſtamento invenio pagos Burgundiæ plurimos, nimirum *pagum Aiſenſem*, *l'Auſſois*; Pauliacenſem; pagum Avallenſem aliàs Avalinſem, id eſt Aballonenſem, *l'Avallonnois*; pagũ Ammaviorum vel Ammavorum, ibidem Ammonias dictum; pagum Portenſem, pagum Nevernenſem, *le Nivernois*; pagũ Leotincenſem, vel potiùs (ni fallor) Laticenſem, *Lacois*; pagum Duiſmenſem *le Duesmois*; pagum Atoariorum; pagum Barrenſem; pagum Belninſem, *le Beaunois*. Ibidem pago Alſenſi attribuitur caſtrum Flaviniacum; pago Ammavorum vel Amacorum attribuuntur Maceriæ *Maizieres*, Cariniacum *Charny*, Caſellæ *Chaſelles*, & Fraxinos *Freſne*; pago Duiſmenſi vel Duſmenſi Staſiacum *Stavey*, & Columbarium *Coulmiers*; pago Avallenſi Cappæ, Degantiacum, Caſſiacum, Palatiolum; pago Pauliacenſi Balma & Corniciacum; pago Portenſi Vagomundi Curtis, Avitiacum, & Puſcio *Poiſſeux*, & Ebrovillare *Brovillar*; pago Leotincenſi vel Laticenſi Villa Maurianæ *Ville Maurin*, Alta Ripa *Hauterive*, Baniolum, ſeu potiùs Balneolum *Baignole*; pago Barrenſi Vlmodum, vel potiùs Vlmetum *l'Orme*; pago Atoariorum Lucus *Lué*, Sagonecum *Sagonay*: quibus ex vicis pagi Ammavorum, pagi Pauliacenſis, pagi Portenſis, Leotincenſis & Barrenſis ſitus intelligi poteſt.

Glaber Rodulfus in Hiſtoriarum libro V. *caſtrum Tarnodorenſe* ante annos DCXXX appellavit: ſcriptor rerũ geſtarum Caroli VI. Francorum Regis ridiculè *Tonitruum* vocat, *Montem Rubeum* (*Rogemont*) *ſubditum Comiti Tonitrui* eſſe dicens: propterea quòd tam tonitrus quàm *Ternodorum* una appellatione deſignatur à Noſtris, *Tonnerre*. *Tourneurre* olim videtur dictum, nomine deducto à *Tornodoro*, uti Autiſſiodorum *Auceurre*; deinde *Tournerre*, ac poſtremò *Tonnerre*. Certè *Tournerre* appellatur in litteris datis anno MCCXCVIII.

TESTREBANTUM.

Comitatum Teſtrebant prope *Batuam* ſeu *Bataviam* memorat Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta. Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXIX. *Comitatum Teſtrabenticum* vocant hiſce verbis. *Comitatum Batavorum, Comitatum Teſtrabenticum Doreſtado*, &c. Ex quibus cognoſcitur, quod & ſuprà Diviſio Regni Lotharii docet, *Teſtrabentum* vel *Teſtrebantum* Batuæ (*Betuwe*) ſeu Comitatui Batavorum proximum fuiſſe, Comitemque ſimiliter ſuum habuiſſe, & ejus pagi vel Comitatûs olim extitiſſe Doreſtadum, id eſt Batavodurum, vulgò dictum vicum

Duroſtate, *VVych te Duerſtede.* In *Teſtrebanto* eſt & opidum Hoſda (*Henſden*) tranſmoſanum.

Teſtrebantum, vulgò nunc *Teyſterbant* vocitant. Vvendelinus Belga regionum limites ac confinia linguâ patriâ vocari *Bant* prodit, & *Teſtrebantum* vel *Teiſterbant* dici quaſi Toxandriæ limitem. *Teſtrebantum* quidam Ducatûs Brabantiæ portionem eſſe aiunt.

TEXTRICIUM.

Textricium, aliàs *Teſtricium*, vicus non procul ab Auguſta Viromanduorum ad *Dalmanmonem* fluvium poſitus, ad quem Theodoricus Francorum Rex à Pippino Majore domus fuſus eſt acie anno Chriſti DCXCVII. vulgò vocatur *Tertri* vel *Teſtri ſur Daumignon*. Hic locus eſt ſitus inter Auguſtam Viromanduorum & Peronam, in Geſtis veterum Francorum & in Appendice Chronici Fredegarii, aliiſque Chronicis & Annalibus Noſtrorum memoratus. Dalmannio autem poſtquàm Viromandum Monaſterium, *Vermand*, Textricium, Montiacum, *Monchi* vel *Mouſſi la Gaſſe*, Atteiamque, *Atie* præter ceteros vicos alluit, in Suminam influit inter Hammum atque Peronam.

THEMINÆ CASTRUM.

In litteris datis anno MCCXXX. *Domini de Torraco*, (*Torras*) *& homines caſtri de Theminas*, *& Milites ac homines de Montemirato* memorantur. Hoc caſtrum vulgò dicitur *Themines* hodieque, & titulo Marchiæ claret. In libro II. de Miraculis B. Victoris Maſſilienſis Martyris fit mentio ejus loci. *In caſtro, quod vulgò Teminas dicitur*, &c.

THENÆ.

Thenæ in litteris anno MCCXXVI. datis memorantur, accolis vulgò *Thienen*, aut *Tienen*, Noſtris *Tillemont* dictæ n in geminum l. mutato. Nimirum *Thenæ* ſunt in monte poſitæ in Brabantiæ Haſbaniæque confinio, inque Diœceſi Maalinenſi: unde ab aliis Braebanto; ab aliis Haſbaniæ adſcribuntur.

THEODEMERENSE CASTRUM, ET THEODEMERENSIS PAGUS.

Theodemerenſis pagus novus eſt, & pars exigua pagi Carnutini quondam exſtitit, vulgò *Thimerais*, & in quibuſdam tabulis corruptè *Tumerais* dictus. Nomen habet à *caſtro Theodemerenſi*, *Thimer* Noſtris vocato. Invenio in charta quadam Majoris Monaſterii, *Regem Francorum Henricum obſediſſe caſtrum Theodemerenſe nuncupatum, in pago Carnoteno noviter à quodam Guazone conſtructum, anno quo filium ſuum Philippum Regem ordinari fecit, paucis ante eam ordinationem diebus.* Philippus autem anno Domini MLIX. Remis vivo ac volente patre Rex Francorum conſecratus eſt. Ex quo intelligitur, *caſtrum* illud *Theodemerenſe*, ſi tum recens exſtructum erat à Guazone, ante annos circiter ſexcentos conditum ab eo fuiſſe, & Theodemeris cujuſdam nomine *Theodemerenſe* appellatum. Pagi hujus caput nunc eſt Caſtrum Novum, quod Noſtri appellitant Caſtrum Novum in *Theodemerenſi*, *Chaſteau Neuf en Timerais*. Hæc de caſtro pagoque *Theodemerenſi* primi obſervamus.

AD S. THEODERICUM.

Anno DCCCCLIII. *Synodus V. Epiſcoporum apud S. Theodericum in territorio Remenſi celebratur, Artaldo Archiepiſcopo præſidente*: inquit Frodoardus in Chronico: qui & *Monaſterium S. Theoderici* vocat in anno DCCCCXLI. Hic locus in pago Remenſi poſitus, à Monaſterio *S. Theoderici* vetuſtiſſimo nomen accepit, *Saint Thierri*: cui Theodorico vel Theoderico ſanctiſſimo Abbati Gaugiacum in pago Remenſi (*Gueux*) ac Germiniacum aut Germaniacũ contulit Theodoricus Chlodovei filiorum natu maximus, & cujus etiam exſequias celebravit. Legimus in Vita Theoderici, fuiſſe *ſilvam III. à civitate Remenſi diſtantem millibus, ſitam in monte cui vocabulum eſt Or: in quo viſum ſit Venerabili Remigio ædificare Cœnobium, ubi catervam Monachorum adunaret, ſub B. Theoderici regimine Deo militantium*: quem Theodericum *Abbatem Remenſem* vocitant, quòd Monaſterium Remis civitati proximum ac velut ſuburbanum rexerit, *Orenſe* à monte ſuo dictum.

THEODONIS VILLA.

Theodonis Villa à Theodone homine Franco, conditore ſuo nomen accepit, quaſi *Theodonis vicus*. In Geſtis Pippini Regis, quæ juſſu Nibelungi Comitis, fratris ejus patruelis ſunt compoſita ante annos DCCCC. primùm ejus ceu villæ Regiæ fiſcaliſve fit mentio. *Per Arduennam ſilvam ipſe Rex veniens, cùm Theodone villâ publicâ ſuper Moſella reſediſſet.* In Annalibus ab anno DCCXLI. ad annum DCCCXIII. deductis, & in Annalibus Bertinianis *Theodone Villa* ſimiliter nuncupatur; in Annalibus centum annorum, in anno DCCCVIII. deſinentibus, *Theodonevilla*, & *Teodonevilla*, duobus in unum conjunctis nominibus; à Nithardo in libro IV. *Teotonis Villa*; ab Thegano ſemel atque iterum *Palatium Theodonis*, in Annalibus Fuldenſibus *Palatium Theodenhove* necnon *Villa Thiotonis*. Nimirum Theudo, Theodo, Teoto vel Theoto, & Thioto unum idemque nomen eſt, unâ aut alterâ litterâ ſolummodò variatum. Prævaluit tamen *Theodonis Villa* appellatio, quâ & priſci rerum Francicarum Annales, & Eginhardus in Annalibus, aliique utuntur. Villæ autem publicæ *Palatia* ſæpe dicebantur, propterea quòd Reges & Imperatores noſtri in villis ſuis magnifica Palatia, in quibus hiemarent, habere conſueverant. Poſita eſt *Theodonis Villa* ad ripam fluminis Moſellæ inter urbem Mediomatricos & Sircam, (*Sirc*) ac linguâ noſtrâ *Thionville* dicitur, Germanicâ *Diedenhoven*, nomine ad *Theodenhove* Annalium Fuldenſium proximè accedente.

Et Theodo quidem Germanicè *Dieden* dicitur, ut Theodoricus *Dietrich*: *Hova* autem ſeu *hoba* villa Germanis ſeu domus eſt: quam ipſi nunc *boven*, & *ovve* vocitant. Ab hoba Noſtri pauperes nobilitate ſua glorianteſ, *Hobariolos* vel *Hobarellos* appellitant, *Hobereaux*, hoc eſt parvæ villæ & exigui ruris poſſeſſores. *Theodonisvilla* eſt in pago Ducatuque Luciliburgenſi, Præpoſituræ ac dominii titulo clara, munitionibus ſuis clarior.

S. THEOTFRIDI MONASTERIUM.

Monaſterium S. Theotfridi auctor libri de Vita Imperatoris Ludouvici numerat inter Monaſteria ab eo reparata, aut à fundamentis ædificata. *Theotfridus* autem, *Teudefredus*, *Theodefridus*, *Theodofridus*, *Theodofredus*, *Theudefridus*, *Theudofredus*, *Theodifridus*, *Theofredus*, unum idemque nomen eſt, ex duobus Germanicis Frãciciſve vocabulis compoſitum, & variè à variis mutatum. Nunc *Monaſterium S. Theotfridi* alii communi nomine *Monaſtier* appellant, id eſt *Monaſterium*; alii à Patrono loci *S. Chaffre*. *Theotfridus* enim incolis eſt *Chaffre*, th in ch, & e in a converſis. Olim *Calmilienſe* aut *Calmeliacenſe Monaſterium* à loco in quo ſitum erat, dictum fuiſſe aiunt, poſitumque eſſe in Vellavis ad Anſam fluvium, *l'Anſe*. qui in Ligerim defluit, & ad radices celſiſſimi montis non longè à Podio. Quædã tabulæ Geographicæ non *S. Chaffre*, ſed *S. Clefride* nuncupant, atque à *Monaſterio* (*Monaſtier*) diſtingunt. S. autem *Theotfredum* corruptè vocitant *S. Chafre*; ut *S. Theuderium S. Cher*: cujus nominis eſt vicus in pago Viennenſi, Abbatiali Monaſterio à Theuderio operâ Philippi Viennæ Epiſcopi ante annos ferè MC. exſtructo inſignis.

THEOTUADUM CASTELLUM.

Theotuadum vel *Teotuadum*, unum è IV. clariſſimis ac nobiliſſimis Aquitaniæ Regum Palatiis ſeu Villis Fiſcalibus ac hibernis fuit: cujus hodieque ſuperſunt reliquiæ in confinio Andium & Pictonum, falsò accolis *Arena* dictæ & creditæ: quas Juſtus Lipſius popularium ſuorum relatione, vel potiùs Hiſtoriæ noſtræ ignorantiâ deceptus, inter amphitheatra numeravit atque deſcripſit, ingenuè tamen faſſus nec ad amphitheatralia nec ad ſcenica ſpectacula aptum & factum opus illud fuiſſe videri: uti in libro XI. Rerum Francicarum obſervavimus. In veteribus Annalibus *locus Tedoad*; in Eginhardi Annalibus *locus Thedoad*, & *Thedoadum villa* nuncupatur; in aliis *locus Theodoad*. Thegano *Theotuvadum Palatium*; in Vita Ludovici Pii Imper. *Theotuadum* quoque *Palatium*; Hincmaro in epiſtola ad Ludovicum Franc. Regem *Teutuadum*. *Doadum caſtellum* trunco nomine vocat Gaufredus Epiſcopus Andegavorum in litteris datis anno MXCVI. in quibus toto jure ſuo *in Eccleſias Doadi caſtelli* Petro Abbati Trenorcienſi & ejus Monachis ceſſiſſe ſe unà cum B. Mauricii Canonicis ait. Ex quo apparet Andicavenſi Diœceſi eum locum contineri, licèt Pictonibus à pleriſque falsò attribuatur. *Doatum* & *Duatum* quidam veteres nuncupavere. Litteræ Calliſti PP. II. datæ anno MCXX. aliæque *Doadum caſtrum* memorant; *Eccleſiam & Canonicos S. Dionyſii Doadenſis* Vlgerius Andicavenſis Epiſcopus circa annum MCXXX; *Doadum* Goffredus Andicavorum Epiſcopus in litteris anni MCXLIII; Johannes Majoris Monaſterii Monachus, de rebus Gaufredi Comitis Andicavenſis, *Doe*. Nunc appellatur *Doüé*, abeſtque à fluvio Ligere XV. millia paſſuum: quem vicum *Doneonam* Ptolemæi eſſe Lipſius ſuſpicatur: cùm Cadurcorum ſit caput *Doneona* vel potiùs *Diuona*; *Doüé* verò Palatium *Teotuadum* vel *Tedoadum*, aut truncato nomine *Doadum caſtellum* Andicavorum, quos inter & Cadurcos interſunt Pictones, Ecoliſmenſes, Petrocorii. Nollem Lipſio hęc excidiſſe, ut Regum noſtrorum Palatium pro Amphitheatro, opus Francicum pro Romano haberet, & vicum agri Andicavi pro capite Cadurcorum. Britto in libro X. Philippidos pro *Teotuado Toletum* vocat prope Toarcim.

Et cum Toleto Bercella Vieraque fumant.

Bercella videtur eſſe *Beſſe*, Viera *Vihiers*. Ad *Toedum* fluvium eſt *Teotuadum* vel *Doadum* in Andibus, qui fluvius in Ligerim effluit infra Salmurum, *Toüé* vel *le Toué* vulgò dictus: qui olim *Tuadum* vel *Doadum* ac *Toadum* dictus videtur eſſe, & *Teotuado* vel *Teodoado Doadove* nomen ſuum dediſſe. Fluvii *Toedi* mentionem facit vetus deſcriptio Turoniæ: cujus auctor, Majoris Monaſterii Monachus, Comitatum Turonicum ab Occidente ait terminari *fluvio Toëdo nomine, qui inter Salmurium caſtrum & Abbatiam S. Florentij fluit, & ſic in Ligerim effluit*. *Tuedam* quidam ſcriptores recentiores Latine nuncupant: qui Toerium *Toeret*, Argentonem *Argenton*, ac Devam *Deve* amnes recipit.

THERMÆ CASTRVM.

Erat caſtrum Thermarum in territorio Narbonenſi, diſtans V. leucis à Carcaſſona. In altiſſimi montis ſupercilio ſitum erat ſuper rupem maximam vivam: profundiſſimis & inacceſſibilibus abyſſis ſeu vallibus in circuitu cingebatur, è quibus aqua fluebat, caſtrum circumiens. Valles illas magnæ & indeſcenſibiles cingebant rupes. Erat prope caſtrum ad jactum lapidis rupes, in cujus ſummitate erat turrita munitio modica, ſed fortiſſima; quæ vulgò Tumetum dicebatur. Quare ex una ſolummodò parte adiri poterat; quia ex ea parte humiliores & inacceſſæ minùs erant rupes. Sic Petrus in capite XLI. de Bello Albigenſi *Thermas* deſcribit, & *burgum inferiorem* ac *burgum ſuperiorem* ejus memorat; ac *caſtri dominum Raimundum Militem* ſub hominio Vicecomitis Biterrenſis, locumque caſtro *Cabareto* proximum facit. Guillelmus de Podio Laurentii hoc caſtrum non *Thermas* ab aquis calidis, ſed *Terminos* nuncupat: credo quòd Noſtri vulgò tam *thermas* quàm *terminos* communi nomine appellant *termes*. Poſt captas

Biterras

Biterras (inquit ille) *Cabaretum*, *Minerva*, *& Terminis caſtra fortia reſiſtebant. Caſtrum de Terminis* olim dictum eſſe, aſſerit & Catel-lus, & eſſe in Narbonenſi Diœceſi, ac etiamnum *Termes* nominari, & agrum ejus *Termenez*, quaſi pagum *Terminenſem*.

TIBERIACVM.

Æthicus in itinere à Colonia Traiana Coloniam Agrippinam, *Tiberiacum* memorat Juliacum inter & Coloniam Agrippinam ſic. *Juliacum* M. P. XII. *Tiberiacum* VIII. *Coloniam Agrippinam* X. Vt à Julio Cæſare Juliacum, ſic à Tiberio Auguſto *Tiberiacum* cognominatum videtur. Hoc opidum vulgò nunc truncato nomine *Berchem* vocitant, quaſi *Beriacum* aut *Bercum*.

TICLIVINNI.

Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, & Capitulis Caroli Calvi atque Annalibus Bertinianis inſerta, *Ticlivinni* memorat, & locum eum inter *Merrebecchi* & *Lutoſam* ponit: qui nunc vicus eſt non procul à *Gerardi Monte* in Flandria, (*Grammont*) vulgò *Dukelvenne* hodieque dictus.

TIGERNVM CASTRVM.

Tigernum caſtrum eſt vetuſtiſſimum in finibus Arvernorum, nominis priſci hodieque ſervans. Vocatur enim *Tiern*. Ejus caſtri meminit Gregorius noſter in libro de Gloria Martyrum, & *Tigernum caſtrum urbis Arverna* vocat, id eſt caſtrum urbi Arvernæ ſubjectum ceu capiti, caſtrum in Arvernis poſitum. Idem ſcribit, *in urbis Arverna territorio, quod adjacet Tigernenſi caſtello*, Avitum Epiſcopum ſuper tumulum Geneſii, ejuſdem loci S. Martyris, qui in albis cæſus eſt, Baſilicam magnam ædificaviſſe ac dedicaviſſe. Poſtea pro *Tigerno* ſublatâ g. litterâ *Tiernum* nuncupari cœpit. Certè *Tiernenſe Cœnobium* in libello de ſecunda tranſlatione S. Auſtremonii memoratur, & in litteris Calliſti PP. II. anni MCXX. *Monaſterium Tiernenſe*, à nomine caſtri, quod tum *Tiernum* vocabant, ita dictum. *Tiernum* nuncupatur in litteris Paſchalis Papæ II. anno MC. datis. Lucius PP. II. in privilegio anni MCXLIV. *Abbatiam Tiernenſem* in Arvernia appellat.

TIGVRINI.

Cæſar ſcribit, *omnem civitatem Helvetiam in* IV. *pagos eſſe diviſam: ex quibus unus appellabatur Tigurinus. Hic pagus unus cùm domo exiſſet, L. Caſſium Conſulem & L. Piſonem Legatum prælio interfecerat* incautos, *exercitumque* Conſulari *pulſo & ſub jugum miſſo, inſignem calamitatem populo Romano intulerat.* Ibidem *pagum Tigurinum* appellat *quartam partem civitatis Helvetia*.

De his Annæus Florus in libro III. Rerum Romanarum ſic ſcribit. *Cimbri, Teutoni, atque Tigurini ab extremis Galliæ profugi, cùm terras eorum inundâſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe quærebant.* Deinde poſt enarratam cladem Teutonorum atque Cimbrorum, ſubjicit. *Tertia Tigurinorum manus, quæ quaſi ſubſidio Noricos inſederat Alpium tumulos, in diverſa lapſa, fugâ ignobili & latrociniis evanuit.* At *Tigurini* quidem, ut quarta portio erant Helvetiorum Gentis Gallicæ, *ab extremis Galliæ profugiſſe*, vel de extrema Gallia ubi habitabant, cum omnibus copiis exiſſe dici poſſunt; Cimbri & Teutoni dici non poſſunt. Erant enim ambo Germanorum populi, & digreſſi finibus ſuis, ſeu ex ultima Germania profecti fuerant, non ex ultima Gallia. Præterea Cimbri quidem & Teutoni *cùm terras eorum inundaſſet Oceanus, novas ſedes quæſiſſe*, dici rectè poſſunt: de *Tigurinis* idem dici nulla ratione poteſt. Nam in Oceani ſinu Codano fuerunt Cimbri & Teutoni; & Codanoniam omnium ejus ſinus inſularum maximam, Scandinaviam aliis dictam, Teutoni ætate Mellæ tenuerunt: & *Cimbrorum promuntorium, excurrens in maria longè, peninſulam efficit*, quæ Cimbrica Cherſoneſus vocatur, Codanumque ſinum attingit. Ambæ igitur hæ gentes maritimæ atque ad Septemtrionalem Oceanum poſitæ erant: at *Tigurini* inter Helvetios in extrema Gallia ad lacum *Tigurinum* ſiti, ac planè mediterranei erant, quales & ſunt hodie, diſtabantque ab Oceano ferè toto Rheni fluminis curſu. Tamen apud Oroſium & in Hiſtoria Miſcella hæc legimus de *Tigurinis*, quos *Tygurinos*, nonnulli & *Tugurinos* vocant *Jugurthini belli temporibus L. Caſſius Conſul in Gallia Tigurinos uſque Oceanum perſecutus eſt, rurſuſque ab eiſdem inſidiis circumventus occiſus eſt. L. quoque Piſo, Legatus Caſſii Conſulis, vir Conſularis occiſus eſt. C. Publius*, &c. Sed ſuprà pro *uſque ad Oceanum* legendum puto *uſque ad Rhodanum*: cùm *Tigurini* in finibus Allobrogum, qui dextrum Rhodanum accolunt, L. Caſſium vicerint: ut Florus in epitome libri LXV. T. Livii prodidit.

Plutarchus in Julio Cæſare, & Appianus Helvetios *Tigurinoſque* conjunctim memorat, Ἐλβηττίους καὶ Τιγυρίνους; nec ſine cauſſa. Sunt enim *Tigurini* quartus pagus ſeu quarta pars totius veteris Helvetiæ: ſi C. Cæſarem ipſum ſequimur. Τωυγενοὺς *Tigurenos* Strabo nuncupat. Ἐλουηττίους, μάλιστα δ' αὐτῶν Τιγυρίνους, καὶ Τωυγενούς.

Tigurini, poſtea *Turicini* & *Turricini*, & *Turegenſes* appellati, tranſpoſitis litteris, & g in e mutato.

Tigurinorum caput, *Tigurum* olim haud dubiè dictum eſt, & nunc ita à multis appellatur. Qui circa ſæculum IX. & X. ſcripſere, *Turicum*, aut etiam *Turricum*, necnon *Turegum* nuncupavere. Monachus Sanctigallenſis qui de Vita & geſtis Caroli Magni II. libros compoſuit circa annum DCCCXXC. ejus loci meminit his verbis in libri II. capite II. *Tam latus fuit unus circulus*, (terræ Hunnorum Avarum) *quantum eſt ſpatium de caſtro Turonico ad Conſtantiam.* Vbi haud dubiè pro *caſtro Turonico* legendum eſt *caſtro Turico*. In Originibus Murenſis Monaſterii, ſcriptis circa annum MCXLII. *Turricinus lacus* non ſemel memoratur, hoc eſt lacus *Tigurinus*, *Zurichſee* vulgò dictus; item *Turricina*

menſura, *Turegenſis menſura* ibidem nuncupata; & *metreta de Turego*. *Turricina* quoque *moneta* ibi mentionem fieri video: *quæ moneta de Turego* & *nummus de Turego* in eiſdem Originibus appellatur. Ex quo apparet *Turegi* & *Turrici* appellatione *Tigurum* deſignari promiſcuè conſueviſſe. *Lind.macus fluvius* VValafrido Straboni in Vita S. Galli memoratus, aliis *Limagus*, vulgò *Limat*, lacum *Tigurinum* permeat, ac *Tigurum* alluit, deinde ab Arola defertur in Rhenum.

In libro de Vita & Geſtis S. Arnulfi Metenſis Epiſcopi, quem ad Chlodulfum ejus filium & ſucceſſorem auctor æqualis compoſuit, dicitur Arnulfus *profectus quandoque cum Dagoberto Rege in Turingiam, incidiſſe in Procerem quemdam nomine Oddilonem. Rege autem ocius ex illo pago abire properante*, &c. Pro *Turingiam* legendum puto *Turigiam*, & eo nomine deſignari Tigurum, quod *Turicum* & *Turigum* ac *Turegum* Noſtri ſcriptores nuncupavere. Certè & *Turingia* non *pagus* modò nomine ambiguo, ſed etiam *villa* bis in ſcriptis vitæ Arnulfi codicibus appellatur: ex quo cognoſcitur non provinciam heic, ſed locum aliquem ſolummodò deſignari.

Feſtivus eſt Marlianus, qui *Turegum* quidem pagi *Tigurini* caput eſſe fateatur; à *Surico* tamen illud diſtinguat. *Tigurum* enim Germani *Zurich*; Noſtri *Seurie* vocant.

Pagus *Tigurinus* incolis vocatur *Zurichgou* quem ab Alamannis occupatum eſſe, & inter Rhenum ac Urſam vel Ruſam fluvios jacuiſſe, Alamanniæque Ducatui contribui conſueviſſe, alibi diximus.

TILA FLU. ET TILÆ CASTRUM.

Fluvius *Tila*, in Chronico Divionenſis Monaſterii S. Benigni non ſemel memoratus, vulgò dicitur *Tille*, quibuſdam *Til* genere maſculino. Alluit vicos Mariacum, *Marcy ſur Tille*, Foſſatum *le Foſſé*, Icium *Is ſur Tille*, Tilæ caſtrum *Tille-Chaſteau*, Faurniacum vel Faberniacum villam *Favernay*: ac demum in Ararim defluit. In Chronico ſuprà laudato litteræ datæ anno MXX. *Humberti Clerici Tilecaſtri* mentionem faciunt: aliæ ſic definunt; *Acta ſunt hæc Tilecaſtro publicè, anno ab I.D.N.I.C.* MXVII. *Indict.* XV. *Regnante Rotberto Francorum Rege, menſe Februario.* *Hugo* quidam *de Tilecaſtro* in litteris anni MXXVI. ibidem reperitur, & aliis in ejus Chronici tabulis paſſim: item *Milo Balbus, Tilenſis caſtri Miles.* Vocabatur ergo hoc caſtrum ante annos DCL. nunc, idque ſæpiùs *Tila Caſtrum*; nunc & *Tilenſe Caſtrum*, à *Tila* fluvio cui adſidet, quaſi *caſtrum ad Tilam*: pro *Tila Caſtro* ſæpiſſime *Tilecaſtrum* in priſcis codicibus, uti ſuprà, ſcriptum invenitur. In eodem Chronico *Tiricaſtrum*, *Tiricaſtel*, & *Tricaſtel* reperio, nomina ex vocabuli *Tilecaſtri* vel *Tilecaſtelli* depravatione nata, l in r, & æ vel e in i converſis. Ex *Tricaſtel* fecere pridem Noſtri *Trichaſtel*, *Trichaſteaul*, & *Trichaſteau*: quo nomine hic locus à pleriſque nunc corruptè appellatur.

Tilâ recipitur Angio, *Agnon*, qui Campiniacum *Champigni*, & Marginellam *la Margelle*, & aliquot alios vicos præterfluit, deinde Tilam auget. *Ougnon* in quibuſdam tabulis Geographicis mendosè dicitur; *Agnan* & malè in aliis. *Angionem fluvium*, & *Magnimontenſe oppidum*, ac *Longum Vicum* commemorat Vita MS. S. Urbani Epiſcopi Lingonici.

In Chartulario Eccleſiæ Lingonicæ, quod MS. legi, *Trilicaſtrum* ſemper vocatur: tamquam fluvius non *Tila*, ſed *Thilus* vocari debeat. In litteris quippe datis anno MCCXXCVI. *caſtellania Thilicaſtri* memoratur; *caſtrum, villa & fortalitia Thilicaſtri* anno MCCLXXVII; *Guido dominus Thilicaſtri*, *Domicellus* anno MCCXXCI. & MCCXXCIX. *Guios Sires de Trichaſtel*, aliàs *Trichaſteaul*, in litteris anni MCCLXXVI. linguâ vulgari ſcriptis.

TINURTIUM CASTRUM.

Ælius Spartianus ſcribit, multis prœliis inter Septimium Severum Aug. & Clodium Albinum Cæſarem in Gallia variâ fortunâ decertatum eſſe: donec *apud Tinurtium* victus Albinus, & reparatis iterum copiis apud Lugdunum acie fuſus ac interemtus eſt, & ejus corpus in Rhodanum dejectum. Æthicus in itinere à Mediolano per Alpes Cottias perque Viennam & Durocortorum, ejuſdem loci meminit ſic: *Vienna* M. P. XXVI. *Lugduno* XXIII. *aut per compendium* XVI. *Aſa Paulini* M. P. XV. *leug.* X. *Lunna* M. P. XV. *leug.* X. *Tinurtium* M. P. XIX. *leug.* XIV. *Matiſcone* M. P. XV. *leug.* X. *Cabilonno* M. P. XXI. *leug.* XIIII. Ubi mutandus eſt ordo, & poſt Lunnam Matiſco cum ſua diſtantia *millium paſſuum* & *leugarum*, poſt Matiſconem *Tinurtium* ſimiliter poni omnino debet; ut ſitus locorum indicat. Quippe *Tinurtium* inter Matiſconem & Cabillonum eſt poſitum, ſicuti omnes ſciunt, qui tabellas Geographicas viderunt: quod & docet præ ceteris tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana, in qua eadem loca hoc ordine ponuntur. *Lugduno caput Galliarum*, *Ludnam*, *Matiſcone*, *Tenurcio*, *Ponte*, *Cabillione*. Heic *Tenurcium* dicitur, i in e, & t in c mutatis, quod Spartiano atque Æthico incorrupto ac veteri nomine *Tinurtium*.

Haud facilè nomen reperias, quod pluribus modis mutatum, aut pejùs acceptum fuerit. Acta Valeriani Mart. ſatis (ut videtur) antiqua *Trenorchium* vocant, & Hugo Francorum Rex in litteris; *Trenorcium* ſine adſpiratione Falco; *Trinortium* Hugo Archiepiſcopus Lugdunenſis; *Trinorchium* multi. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro de Gloria Martyrum *caſtrum Trinorcienſe* nuncupat, & poſtquàm Marcelli Cabillonenſis urbis Martyris meminit, ſubjicit: *cui & ſanguine & agone propinquus B. Valerianus apud caſtrum Trinorcienſe* XL. (aut potiùs ex Æthico XXI.) *à Cavillonenſi urbe milliario conſummato certamine tumulatus eſt.* Ado in Martyrologio *Trenortium* appellat, litterâ r litteris t & e interpoſitâ: ut in *theſauro*, & in *Telonii* caſtello Hainoi factum video, quorum alterum *treſor* Noſtri nominant, alterum *Trelon*. Regino *Trenortium in Cabillonenſi territo-*

rio caſtrum vocat. Numinus argenteus à Tinurtienſi Abbate percuſſus, ex anteriore parte caput cum † præfert, & in circulo ſcriptum, *S. Valerianus* : ex altera parte ſeu poſtica crux eâdem figurâ in medio eſt, & in circulo ſcriptum, *Tornucio caſt.* hoc eſt *Tornucio caſtro* vel *caſtello* : quod in libri IV. de Miraculis S. Benedicti capite XLIII. *Turnucum* vocatur. Carolus glorioſiſſimus Rex, quem Calvum cognominant, litteris datis *Indictione* VIII. *anno regni in Francia* XXXV. *& Regni Hlotharii III. B. Filiberto Herenſi, & Geiloni Abbati*, Monachiſque ejus metu Nortmannorum profugis *Abbatiam S. Valeriani Martyris, quæ eſt in pago Cavillonenſi ſuper fluvium Sagonam, & caſtrum Trenorchium, quod eſt ex eadem Abbatia, & Turnutium villam* donavit, aliquot præterea villas in *pagis Lugdunenſi, Genivuſo* ſeu Genevenſi, *Mataſconenſi; in pago Andegavenſi Conolcum*, alias Conaldum, & Cunaltum; (*Cunaut*) *in pago Cenomannico Buſſolium*, vel Buſſogilum. (*Buſſeüil*) Hiſce Caroli litteris ducti Andreas Cheſnius & Franciſcus Chifletius Tinurtium *triſariam* divitum fuiſſe aiunt: de tribus partibus unam eamque maximam ac ceterarum dominam fuiſſe *Cellam* ſeu *Abbatiam S Valeriani*; alteram *Trenorchium caſtrum*; tertiam *Tornutium villam*, id eſt vicum: ex quibus *Trenorchium caſtrum* dirutum, aut ſaltem ſuis munimentis nudatum, nunc vocetur *le Chaſteau demantelé*; *Tornutium villa* nunc Burgus appelletur, *le Bourg*. Sed caſtrum loci ſimul & villa aut *Trenorchium*, ut in Actis Valeriani Martyris, aut certè *Tornucium*, ut in nummo argenteo, nuncupari debuere, non duobus diverſis nominibus ex *Tinurtio* mendosè deductis deſignari. Nunc *Tinurtium* totum cum tribus ſuis partibus, videlicet Abbatiali Monaſterio, caſtro, & villa ſeu vico, uno & communi nomine *Tournus* appellatur. In quibuſdam tabulis *Tornus* excuſum reperio, in aliis *Tornu*: quod vulgare vocabulum *Tournus* aut *Tornu* ex *Tornucio* vel *Turnutio* factum eſſe nemo non videt, uti *Tornucium* ac *Turnutium* ex *Tinurtio*.

Trenorcienſe oppidum, olim caſtrenſe Horreum fuiſſe vocitatum ætate Valeriani Martyris, ait Falco Monachus ejus loci in Chronico Trenorcienſi: ſecutus acta S. Valeriani Martyris, quæ Franciſcus Chifletius à Baldrico Dolenſi Archiepiſcopo compoſita eſſe exiſtimat; ego multo vetuſtiora eſſe arbitror: in quibus hæc reperio. *Trenorchium, quod tunc in erogandis militum annonis caſtrenſe horreum vocabatur, pervenit Priſcus Præſes.* Quæ ſi vera ſunt, (vera autem eſſe nihil prohibet) *Tinurtium* manſio vel ſtatio militaris fuit, annonam & cetera omnia militibus iter facientibus neceſſaria ſervans: quales ſtante Imperio Romano manſiones fuerunt, in viis publicis inque vicis plerumque ad ripas fluminum majorum poſitæ, & omnibus rebus abundantes, itaut pro caſtrenſibus horreis haberi planè poſſent, & *horrea* etiam nonnumquam vocarentur. Talia fuere *Horrea Cælia* inter Putput vicum & Hadrumetum coloniam in provincia Byzacena, alias *Horrea* abſolutè dicta: tale *Horreum Margi* in Mœſia, à Naiſſo LVII. millibus paſſuum diſtans, quod Ptolemæus ſimpliciter *Horrea* vocat; talis inter Forum Julii & Antipolim locus, Æthico dictus *Ad Horrea*. Talia fuere ad Moſellam caſtella, olim condita à Romanis adverſus Germanorum incurſiones: quæ jam ſecurâ Belgicâ ac nihil à Germanis metuente, pro horreis potiuſquàm pro caſtellis haberi ait Auſonius in Moſella

> Addam præſidiis dubiarum condita rerum,
> Sed modò ſecuris non caſtra, ſed horrea Belgis.

Talia Ammianus Marcellinus in libro XVIII. *Horrea ad Rhenum* commemorat. Sidonius in libri VI. epiſtola XII. ad Patientem Epiſcopum Lugdunenſem, *Vidimus* (inquit) *per Araris & Rhodani ripam non unum, quod unus impleveras, horreum. Tinurtium* ad Ararim, unum ex his horreis fuit. Eumenius in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto de Maximiano Herculio loquens, qui ab urbe Treviris per Araris & Rhodani ripas itinere facto Arelatum pervenerat, ibique purpuram reſumſerat, ejuſmodi *horreorum* manſionumque meminit: quum ait eum *lentè itinere confecto, conſumtis copiis manſionum, ne quis conſequi poſſet exercitus, repentè intra parietes conſediſſe purpuratum.* Fuere & horrea publica apud urbem Treviros, in quibus annona militaris ſtante Imperio Rom. ſervabatur: quæ poſtea in Monaſterium clariſſimum mutata ſunt: quod *Monaſterium ad Horrea* Annales Mettenſes; alii Cœnobium *Horreenſe* appellant; alii *Horrea*, puellare ac Abbatiale *Monaſterium S. Mariæ*.

Ceterùm graviter erravit Maſſonus eo in loco. *Tinurtium* enim diſtinxit à *Tornucio*, quod *Turnochium* appellat: & *Turnochium* quidem vel *caſtrum Trinorcienſe* rectè *Tournus* caſtellum Monaſterio veteri inſigne ad Ararim, à Cabillono VI. leugis diſtans interpretatur; at *Tinurtium* locum eſſe aſſerit Turnoni adverſum, *Tin* vulgò nuncupatum: quem Spartianus & tabulæ ſupra laudatæ abunde refellunt.

TOARCIS CASTRUM.

In Annalibus ab anno DCCVIII. ad annum DCCCVIII. deductis hæc legimus. *Anno* DCCLXII. *Pippinus Rex tertiâ vice in Aquitaniam pergens, cepit Bituricas & Toarchis.* In Annalibus ab anno DCCXLI. ad DCCCXIII. deductis, & in Annalibus Bertinianis; *Anno* DCCLXII. *tertiò in Aquitaniam Pippinus Rex iter faciens, cepit civitatem Bituricam, & caſtrum quod dicitur Toarcis.* Eginhardi verba ſunt. *Pippinus Rex iterum Aquitanicam prov. cum magnis copiis intrat, captiſque Biturica civitate & caſtello Toarcis revertitur*: ubi *Toarcy* ſcriptum habent quidam codices priſci. In Annalibus Mettenſibus & apud Reginonem, dicitur *Rex Pippinus Bituricam munitiſſimam civitatem conquiſiviſſe, & Toarcis caſtrum, quo in Aquitania firmius non erat, deſtruxiſſe.* Geſta Pippini veterrima, quæ ab auctore æquali juſſu Nibelungi Comitis ſcripta ſunt, *caſtrum Toarcium* vocant. *Inde cum omni exercitu Francorum uſque ad caſtrum quod vocatur Toarcius, ve-*

niens: cùm in gyro caſtra poſuiſſet, caſtrum mira celeritate captum atque ſuccenſum eſt, & Vaſcones quos ibidem invenit, (id eſt Aquitanos) *unà cum ipſo Comite ſecum duxit in Franciam.* Hoc ergo veterrimum caſtrum eſt, & in Aquitaniâ ante annos DCCCC. nobiliſſimum ac munitiſſimum habebatur, ſuuſque ei Comes ſeu præfectus jamtum erat; & nunc *Toarcius*, nunc (idque ſæpius) *Toarcis* vocabatur. Recentiores *Toars* dixere. Certè Rigordus in Geſtis Philippi Aug. *Toarcium*, & *Toarz* quoque veteri ac nova appellatione vocat, nunc *Vicecomitem Toarcy, omnes ferè Pictones etiam Aquitanicos potentiâ præcellentem,* & *terram Vicecomitis Toarcy*; nunc *Guidonem de Toarz virum in armis ſtrenuum* memorans. In ſuis litteris *Savaricus Fonteniaci Vicecomes*, ſeu *Savaricus de Fonteneto fratrem* ſe eſſe ait *Vicecomitis Toarcenſis.* Nunc *Toüars* nuncupatur, & ager *Toarcenſis*, *le Touarcois*, in litteris Paſchalis PP. II. datis anno MCIII. *territorium Toarcenſe* dictus.

Eſt autem hoc caſtrum non longè à Lauſduno & Moncontorio in finibus Pictonum, olim Vicecomitatûs, nunc Ducatûs titulo illuſtre, à Tremoliæ dominis pridem poſſeſſum: quod recentiores ſcriptores Latini *Thoarſium* appellant.

Caſtrum Toarcium vel *Toarcim* in Pictonibus eſſe, indicant litteræ Giraldi de Turtiniaco hiſce verbis. *De pratis in villa quæ dicitur Glandu, & adjacet ſuper fluvium qui vocatur Argentarius, in territorio Pictavenſi, in Vicaria Toarcenſi.* Item aliis in litteris: *Eſt ipſa terra in pago Pictavenſi de alodo Raiacenſi, in Vicaria Toarcenſe.* Si Vicaria *Toarcenſis* erat in pago Pictavenſi, ut erat omnino & ut fuiſſe ſuprà dicitur; erat haud dubiè unà in pago Pictonico *Toarcium* caſtrum, caput ejus Vicariæ. Ubi notandum eſt, agrum loci aut caſtri cui ſuus erat Vicecomes, ſæpe pro *Vicecomitatu Vicariam* dici conſueviſſe: (*Viguerie*) ſicuti ager caſtelli, cui ſuus erat Caſtellanus, *Caſtellania* nuncupabatur, non rarò & *Caſtellaria.* (*Chaſtellenie*) Fluvius autem *Argentarius*, aliàs *aqua Argentum* priſcis in tabulis, vulgò *Argenton* nuncupatur, & in Toedum defluit.

TOENA FL. ET TERNENSIS PAGUS.

Toëna fluvius, qui in Quantiam defluit, aliàs *Tena*, litterâ r inſertâ vocatur à recentioribus *Terna*, vulgò *le Ternois*: à quo & *pagus Toenenſis Tenenſis, ve, Ternenſis* poſterioribus ſcriptoribus nuncupatus, nomen accepit. In libello de Vita S Bertæ, qui ante annos DCCL. compoſitus eſt, vocatur *Blanziacū oppidum ſecus fluvium Toena nuncupatum. Blanziacum* autem quod & *Blangiacum* vocant, ut & caſtrum S. Pauli, *S. Pol*, caput Comitatûs cognominis, ad *Tenam* amnem poſita ſunt in Morinis *Töenenſique pago*. non longè ab urbe *Tarvenna*, & ambo ab eo cognominantur, *Blangi en Ternois* illud, hoc *S. Paul en Ternois*. Eſt & Balliolum vel Balloilum in *pago Töenenſi*, quod propterea eodem cognomine donatur, & *Bailleuil en Ternois* dicitur; ut & Hoſium vicus, *Heux en Ternois*. Hermiricus in libro de Miraculis S. VValdeberti Luxovienſis Abbatis, hunc *pagum Tarnenſem* nuncupat: itaut fluvium à quo pago nomen, non *Töenam* modò & *Tenam*, *Ternamque*, ſed etiam *Tarnam* olim dictum eſſe appareat. Comitatum pagumve *Ternenſem* appellat Iperius Abbas in Chronico Bertiniano, & *S. VValbertum ſucceſſione paterna Pontivenſem, Ternenſem, & Arkenſem Comitem* fuiſſe prodit: qui *Arkenſem Comitatum* S. Bertino obtulerit, à *villa Arkis* vel *Arkes* ita dictum. Ibidem Adalolfus Balduini Calvi filius, velut jure hereditario *Comitatus Boloniſenſem & Ternenſem* circa annum DCCCCXXVII. unaque Sithienſem Abbatiam miles & laicus totâ vitâ tenuiſſe dicitur.

TOLBIACUM CASTRUM.

Tolbiacum in finibus Agrippinenſium, id eſt Ubiorum Tacitus in libro IV. Hiſt. commemorat. Æthicus in itinere à Treviris Agrippinam, inter Belgicam vicum & Agrippinam civitatem *Tolbiacum vicum Supenorum* ponit, in provincia Germania ſecunda, à Belgica leugis X. à civitate Agrippina XVI ſive XXIV. paſſuum millibus diſtantem. Ubi Surita notat, in Æthici libris editis *Tolbiaco vicus Supernorum* legi; in priſcis ejuſdem Itinerarii codicibus nunc *Tolbiacum vicum Supenorum*, aut *Tolbiaco vicus Supenorum*, nunc *Tolpiaco vicus Supemorum*, rarò *Supernorum* ſcriptum reperiri: quos *Supenos* aut *Supemos* à Cæſare *Segnos*, à Tacito *Sunicos*, à Plinio *Sinucos* appellari Cluverius falſò aſſerit. Quippe Tacitus *Tolbiacum in finibus Agrippinenſium* collocat, id eſt in finibus Ubiorum. Erat ergo *Tolbiacum* vicus aut certè caſtrum Ubiorum vel Agrippinenſium, non autem Sunicorum.

Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri II. capite XXXVII. *Tulbiacenſe oppidum* vocat; in libri III. capite VIII. impropriè admodum *civitatem Tulbiacenſem*; *Tolbiacum* Fredegarius in capite XXXVIII. libri ultimi Chronici; Geſta Francorum in capite XXXVIII. meliùs *Tulbiacum caſtrum*, locum Chlodovei de Alamannorum gente ac Rege, & Theodorici ejus abnepotis de Theodeberto fratre ſuo cruentis victoriis, Herminafridique Toringorum Regis cæde nobilem. In Annalibus Mettenſibus *caſtellum Tulpiacum* nuncupatur in finibus Ripariorum, quos *Ripuarios* ac *Ribuarios* corruptis nominibus appellant. *Anno DCCCXXCI. duo Reges Normannorum Godefridus & Sigefridus cum inæſtimabili multitudine peditum & equitum Ribuariorum finibus infuſi, Coloniam Agrippinam & Bunnam civitates cum adjacentibus caſtellis, ſcilicet Tulpiacum, Juliacum & Nuiſam igne comburunt.* Frodoardus in Chronico *oppidum nomine Tulpiacum* vocat, & anno DCCCCXXV. ab Henrico vi captum ac Giſleberto ereptum eſſe ſcribit.

Vulgò *Zullich* aut *Zulick* incolæ appellitant, aliàs contracto nomine *Zulck* vel *Zulgh* quidam *Zulpich* ſcribunt. Caſtrum eſt in Ducatus Juliacenſis regiuncula Eifia vel Ei-

ſia, *die Eiſel*, non procul à flumine Rura & Marcoduro, Noſtris *Sonche* dictum. Nam ſic ex Tiguro Germani *Zurich*, Noſtri *Sourre* faciunt; ex Tugenis illi *Zug*, hi *Sonc*; ex Tabernis illi *Zabern*, hi *Saverne*, z. litterâ in ſ. mutatâ. *Toupie* nunc Noſtris dici quidam aſſerunt, ad *Tulpiacum* accedente nomine: quod tamen nuſquam reperire memini.

TOLCA FL. ET LOCUS.

Qui Orderico Vitali in libro x. Hiſtoriæ *Portus Tolocha*, atque ibidem *portus Tolcha*; idem aliis ferè omnibus ſcriptoribus Latinis *Tolca* nuncupatur, vulgò *Tonque*.

Hic locus à flumine *Tolca* quo alluitur, nomen accepit. *Tolca* autem, *Toncha* & quibuſdam dictus, Melſam, (*la Meauſte*) Fervidas Aquas, *Fertaques*, Montem Gomerici, *Mont-Gommeri* vel *Mongomery*, opidum Comitatûs titulo inſigne; deinde auctus Orbecco Orbeccum & Villare alluente, Noviomagum Lexoviorum caput attingit, Pometum, *la Pomerate*; Brolium, *le Breüil*, Pontem Epiſcopi caſeis ſuis nobilem vicum; *Tolcam* demum, *Tonque*: infra quem locum in Oceanum effunditur. In Chartulario MS. Monaſterii S. Petri Carnutenſis litteras Richardi Normannorum Comitis, Richardi patris legi, in quibus *fluvius Tolca in Comitatu Liſuino*, id eſt Lexovino, & *piſcateria in fluvio Tolca* memoratur: in litteris Roberti Bertrandi Militis, *una foſſa in Toucha piſcatoria*.

TOLVERA FLU.

In litteris VVillelmi Ecoliſmenſium Comitis, cognomine Sectoris ferri (*Talafer*, aliàs *Talifer*, *Tagliafer*, & *Taglefer*) *fluvius Toluera* memoratur. Monachus Ecoliſmenſis S. Eparchii in Vita Caroli Magni *ſuper fluvium Tolueram Magnacum*, & *Juvenacum* numerat inter villas ad Cœnobium ſuum pertinentes. De eo multa Maſſonus. Vulgò dicitur *Touvre*, & in Carantonum labitur prope Ecoliſmam.

TORINNA CASTRUM.

Torinna, *Turenne*, caſtrum eſt vetertimum Vicecomitatûs titulo inſigne: cujus mentio fit in veteribus noſtris Annalibus; atque etiam apud Eginhardum in rebus Geſtis Pippini Franc. Regis, in anno Chriſti DCCLXVII. Annales ab anno DCCXLI. ad annum DCCCXIII. deducti ſic referunt. *Anno* DCCLXVII. *Rex Pippinus uſque ad Garondam pervenit: multas roccas & ſpeluncas conquiſivit, caſtrum Scoraliam, Torinnam, Petrociam; & reverſus eſt Bituricam.* Eadem verba in Annalibus Bertinianis leguntur. Eginhardi in Annalibus verba ſunt talia. *Anno* DCCLXVII. *Rex Pippinus Bituricam veniens, Conventum more Francico in campo egit, indeque ad Garonnam flu. accedens, caſtella multa & petras atque ſpeluncas, in quibus ſe hoſtium manus plurima defendebat, cepit: inter quæ præcipua fuere Scoralia, Torinna, Petrocia.* Harum in Aquitania *ſpeluncarum* meminit & Florus in Julii Cæſaris bello Gallico, & Raimundus ejus nominis v. Comes Toloſanus in ſtatutis anni MCCXXXIII. adverſus hæreticos Albigenſes hiſce verbis. *Statuimus, quòd omnes cabanæ ſuſpectæ, à communi habitatione caſtrorum remota, & ſpelunca infortiata* (aliàs incaſtellatæ, id eſt munitæ) *& cluſella in locis ſuſpectis ac diffamatis deſtruantur vel obturentur*: ne ſint videlicet latronum receptacula. Multa autem tenebat Raimundus in Aquitania, in primis Albienſes, Aginnenſes, Cadurcos, & Rutenos.

Odo Abbas Cluniacenſis de Vita Geraldi Aureliacenſis Comitis, *Godefredum Torennenſem Comitem* impropriè vocat pro Vicecomite, & *Aureliacenſi caſtro* Geraldi proximum facit. Ibidem ſcribit *theſaurum S. Martialis Torenna cuſtodiſſe Adalbertum Monachum, ob metum paganæ Gentis* (Nortmannorum) *illuc deportatum*. Petrus Tudebodus in libris III. & V. de Hieroſolymitano itinere, *Raimundi Vicecomitis de Torena civitate* meminit, Rogerius Hovedenius in anno MCLXXVIII. *Vicecomitis de Turena*. *Torinna* ergo primùm dicta eſt ſincero nomine ante annos DCCCC; poſtea *Torenna* i in e mutato; deinde *Torena*, ſublatâ n litterâ; ac demum *Turena*: ex quo vocabulo factum eſt vulgare nomen *Turene*: quod eſt caſtrum ſummo monti impoſitum.

Torinnenſis Vicecomitatus partem pagi Lemovicini, Cadurcini & Petrocorici obtinet, atque à Sarlato Petrocoriorum urbe uſque ad Novum Vicum (*Neuvic*) leugas Francicas ampliùs XXX. in longitudinem patet; à Tutela Lemovicum uſque ad Novum Vicum in latitudinem XII. ſi qua Juſtello fides. Fluvius irrigatur, Duranio, Viſera, *la Vezere*, ambobus navigabilibus; minoribus amnibus, Curretia, *la Courreze*, Bava, id eſt Spumoſa *Bave*, Louiſſa, Doſtra *Douſtre*, Sera *Sere*, atque Tormento, *Tormente*. Ex quibus Doſtram in litteris datis ante annos DCCXL. *Duſtrem* nuncupari; *fluvium Tormentum* in litteris ante annos DCCC. datis memorari video. Hic Vicecomitatus *pagus Torinnenſis*, & *pagus Tornenſis* vocatur in priſcis litteris.

Torinna nomen illuſtravit noſtra ætate Henricus de Turre, Comes Nigri Palicii, Vicecomes Caſtellionis, ſua ad Catholicam fidem converſione, ac magnis rebus geſtis inclytus.

Torinnam caſtrum eſſe in Lemovicibus opulentum, Maſſonus ſcribit, cui Eccleſiæ vicanæ ſubſint ampliùs ducentæ: totumque *Vicecomitatum Torinnenſem* in gratiam Clementis PP. VI. à Philippo ejus nominis VI. Rege Francorum tributorum ac vectigalium omniumque rerum immunitate, ac magnis privilegiis donatum eſſe circa annum Domini MCCCXLIV.

TOUGENI VEL TUGENI.

Toügenos (Τουγηνοὺς) Strabo nuncupat, alii *Tugenos*, & *Tugenſes*: quos Germani & accolæ *die Züger* nunc à capite ipſorum dicunt. Caput autem *Toügenorum* vel *Tugenorum* Latini ſcriptores *Tugium*, incolæ *Zug*,

Noſtri *Seuq* vocitant. Inter tredecim Helvetiorum quos appellant Cantones ſeptimi numerantur nunc *Tugeni* iſti: qui cum Salodurenſibus, Uriis & Suitenſibus, Catholicis Cantonibus præter ceteros accenſentur, & à *Tugio Tugienſes* potiuſquam *Tugenſes* dici debent. *Tougeni Tugenive* in Helvetia ita nuncupati fermè ſunt, ut in eadem *Verbigeni* aut *Urbigeni*: quos quidam à Strabone non *Toïgenos*, ſed *Tuygenos* (*Τωϋγένες*) appellatos cenſent.

TOXANDRI ET TOXANDRIA.

Primus omnium Plinius Secundus *Toxandrorum* meminit in libri IV. capite XVII. his verbis. *A Scaldi incolunt Exerni, Toxandri pluribus nominibus.* Ubi delendum, aut ſaltem mutandum videtur nomen *Exernorum*, nationis nobis incognitæ. *Toxandria* ad tertium lapidem ab oppido Tungrorum Trajecto incipiens, ad Moſæ Vacaliſque confluentes expandebatur, regio magna ex parte vaſtis paludibus invia, ac ob id ne finitimis quidem ſatis nota. Moſa auctus parte Rheni quæ appellatur Vacalis, non procul ab Oceano Britannico *Toxandros* ceteraſque ejus tractûs nationes a Friſiis citerioribus dividebat: ut in libro XXI. Rerum Francicarum ſcripſimus.

Ammianus Marcellinus *Toxandriæ loci* in libro Hiſtoriæ XVII meminit, de Juliano Cæſare ſcribens. *Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet quos conſuetudo Salios vocitavit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxandriam locum habitacula ſibi figere prælicenter.* Quem *Toxandriam locum* à *Toxandris* cognominatum, hodieque nomen retinere vetus, ait Brouverus in ſuis ad Fortunatum Notis, & eſſe Comitatus Loſſenſis vicum Leodicenſis ditionis extremum prope Dieſtam Brabantiæ opidum, qui *Teſſender-loo*, id eſt ſilva Toxandrorum nuncupatur. Ita & Aubertus Miræus ſcribit in Annalibus Belgicis, *Taxandriam locum* Ammiani Marcellini, eſſe videri *Teſſender-loo*, vicum Campaniæ Brabantinæ: quem VVendelinus ſequitur. Vicum *Teſſenderloo* in confinio Campaniæ Brabanticæ & Leodicenſis ponit Divæus.

Pleroſque *Toxandrorum* baptizaviſſe Landebertus Trajectenſis Epiſcopus vel Tungrenſis, & apud eos Eccleſias condidiſſe, ac Preſbyteros ordinaviſſe dicitur: ut in libro de vita ejus reperio: cujus auctor ait, *regionem Taxandriam à Trajectenſi opido verſus ſeptemtrionem vix* III. *millibus diſcarari*. *Taxandriam* vocat & Vita S. Hucberti, & Notgerus de Vita S. Landoaldi Eginhardus in capite XVIII libri IV. de tranſlatione Martt. Marcellini & Petri *pagum Texandriam* vocat. *Homo quidam de pago Texandria, ex villa quæ Appennia nominatur, vocabulo Liodoldus.* Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Comitatum Texandrum* memorat, inter *Altum-Montem & Bracbantum*. *Toxandriam* hanc, quam alii *Taxandriam*, alii *Texandriam*, nonnulli *pagum* aut *Comitatum Texandrum* appellant, ait Gottefridus VVendelinus in Legibus Salicis illuſtratis, regionem eſſe longam leugas XXIV. latam XVII. quæ ante CCCC. annos novo nomine *Campinia*, vulgò *Kempen* appellari cœperit. Bifariam autem dividitur. Alia eſt enim *Campinia* vel potiùs Campania Brabantina vel Bracbantenſis; alia Campinia ſive Campania Leodicenſis: utraque communi vocabulo *Kempen-landt* dicta. In Campania Brabantina Bredam eſſe aſſerit Miræus: idemque alibi credit, *Toxandriam partem* tantùm *eſſe Campaniæ Bracbantenſis*. In quo Divæum ſequitur, qui in libro II. Rerum Brabanticarũ ſcribit, *Toxandriam* quam *Taxandriam* & *Teſſandriam* vocat, ac *regionem ubi Andoverpum, Boſcum Ducis, Breda ac Berga ſunt, ſua ætate in Campaniæ ſeu Campiniæ nomen conceſſiſſe*, quæ in Brabanticam Leodicenſemque diviſa ſit.

Veteres tabulæ *in pago Taxandro* vel *Taxandrio* flumen *Duthmalam* ponunt, *Dommele*, quod per Bucſtellam ſeu Boxtellam & Silvam Ducis in Moſam defluit; & *Pieplo villam*, id eſt vicum *Poppel* inter Herentaliam & Silvam Ducis Brabantiæ opida; & *villam Alfeim*. hoc eſt *Alfen* vicum in Diœceſi Andoverpenſi, III. lapide à Breda diſtantem; & *villam Dioſnam ſuper fluvium Digenam*, id eſt vicum *Dieſſen* in parœcia Silvaducenſi, Hilvarbecæ proximum. *Pagum Teſſandriam* alii vocant. Ex quibus intelligitur Bracbantum circa Herentaliam, & Silvam Ducis, Andoverpumque ac Bredam urbes, *Toxandrorum* veteres ſedes extitiſſe.

TRAJECTUM INFERIUS.

Trajectum Batavorum ad Rhenum, *inferius* à ſitu cognominatum eſt, ut diſtingueretur à *Trajecto ad Moſam*, ſeu *Trajecto Tungrorum*, quod *ſuperius* dicebatur. Ejus meminit Æthicus in opere, quod vulgò Itinerarium Antonini appellant, in itinere à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum, & inter Albinianas ac Mannaricium *Trajectum* ponit. Et primò quidem Bataviæ *Trajectum* attributum eſt; deinde Friſiæ citeriori, parti Bataviæ à Friſiis occupatæ. In eo caſtello veteri atque illuſtri VVillibrordus, Clemens dictus, juſſu Pippini Ducis & Principis Francorum Epiſcopatus ſedem ſtatuit, Eccleſiamque ædificavit.

Trajecti primus omnium, quos quidem norim, meminit Æthicus in Itinerario, in itinere à Lugduno capite Germaniarum Argentoratum ſic. *Albinianis* M. P. X. *Trajecto* XVII. *Mannaricio* XV. *Carvone* XXII. &c. Ubi Albinianæ vicus eſt *Alfen*, Mannaricium *Maurich*, Carvo *Grave* aut *Graeffen* ad Moſam. In Notitia quadam provinciarum & civitatum Galliæ vocatur *civitas Trajectum, id eſt Utricht*, & inter civitates *provinciæ Germanicæ ſecundæ* poſt Coloniam metropolim & civitatem Tungrorum tertia ponitur.

Beda in libri V. Hiſt. capite XI. de VVilbrordo Clemente, Freſonum Gentis Archiepiſcopo conſtituto à Sergio PP Romæ anno DCXCVI. ſic ſcribit. *Donavit ei Glorioſiſſ. Dux Francorum Pippinus locum cathedræ Epiſcopalis in caſtello ſuo illuſtri, quod antiquo Gentium illarum vocabulo VViltaburg, linguâ*

Gallorum Trajectum vocatur: in quo ædificatâ Eccleſiâ, &c. Bedam ſequitur Sigebertus, in rebus anni DCXCVII. & *Trajectum* ac *VViltaburgum* pro uno eodemque loco habet: *Vultaburgum* vel *Vultaburgum opidum Vultorum* vel *Vultarum* Gentis cunctis ignotę interpretatus. Sequitur & Sigeberto multo vetuſtius Chronicon Fontanellenſe. *Carolus juſſit eum* (VVandonem Abbatem Fontan.) *in Trajecto caſtro exſilio tradi, quod antiquo Gentium illarum vocabulo VViltaburg, id eſt opidum VViltorum; nunc verò linguâ Gallicâ Trajectum nuncupatur.* Sed eos erraviſſe aſſerit Cluverius, Bedam quidem locorum propinquitate deceptum, Sigebertum Bedæ auctoritate. Quippe *VViltaburgum* illuſtre caſtellum Pippini, eſſe haud dubiè *VViltenburg*, tribus millibus paſſuum & ſexcentis à Trajecto diſtantem hodieque locum.

In Diviſione Regni Lotharii anno DCCLXX. inter Reges Ludovicum & Carolum facta, vocatur *Vtrech*; *Trajectum Batavorum*, in Annalibus Trajectentium; *Trajectum Inferius* aliàs, ut diſtinguatur à *Trajecto Tungrorum* ad Moſam, Superiore cognominato. *Vetus Trajectum* in quibuſdam priſcis tabulis; *Vlterius Trajectum*, item *Trajectum Vlterius* appellatur in diplomate Conradi Auguſti dato anno MCXLV. Vulgò *Vtrecht* aut *Vtrecht* incolæ appellant, id eſt ad verbum *Vlterius Trajectum* ad Rhenum: quibus ex II. nominibus quidam compoſuere truncum ac mutilum vocabulum *Vltrajectum*; alii *Vultrajectum* monſtri ſimillimum nomen, & à Vultis Gente prorſus incognita deduxere, quaſi *Vultarum Trajectum*. Monſtreletius *Treth* optimè (ni fallor) appellat, *l'Eveſque du Treth* commemorans. *Conradum Vlterioris Trajecti Epiſcopum* ante annos D. vocat Rodulfus in Chronico Trudonenſi.

Nomen autem urbis Latinum eſt, ut & *Trajecti Tungrorum*: quæ loca ambo ita dicta ſunt à Romanis, & à Gallis qui linguâ Latinâ loquebantur, quòd eſſent ad trajectum ſeu ad tranſitum fluminis ambo conſtituta. Sic inter Aginnum & Veſunnam locus fuit *Trajectus* Æthico dictus: alius item in Britannia inſ. *Trajectus* inter Ventam Silurum & Verlucionem. Germani ex *Trajecto trecht*, *trecht*, & *drecht* fecere: ut *Maſetrecht*, *Vtrecht* vel *Vtrecht*. & *Dordrecht* indicant: ex quibus *Maſetrecht* ad Moſæ trajectum eſt poſitum; *Vtrecht* vel *Vlterius Trajectum* ad trajectû Rheni; *Dordrecht* ad oſtium & trajectû Moſæ. Noſtri de *trajecto* vel trejecto *tream* vel *triam* fecere, ut exiſtimo: quo nomine non pauca ſunt loca in Gallia, ut *Trea* vel *Triea*, *Trie*, in Veliocaſſibus; item *Trea Caſtellum*, *Trie le Chaſteau*: quæ duo loca aſſident amni in Ettam infra Giſortium effluenti: *Tria Portus Trie le port*, vulgò *Trilleport* in Meldis; ibidem Tria Bardulfi, *Trie le Bardou*, corruptè *Trillebardou*, & alia: quæ loca ad *trajectum* fluviorum ſunt poſita, & ſingula amni alicui adſita. Quamquam & tria (*trie*) columbarii genus eſt, ut docent leges Britanniæ: & aliarum regionum, à qua, ut à columbario loca cognominari potuere.

Trajectum Coloniæ metropoli ademit, & ex Epiſcopatu Archiepiſcopatum fecit Paullus PP. IV. anno MDLIX. & ei V. novos Epiſcopatus ſuffraganeos attribuit, *Harlemenſem* in Hollandia, *Dabentrenſem* trans Rhenum, in Tranſiſlenſi vel Tranſiſalana regione, *Leovardienſem* in Friſia Occidua vel VVeſtfriſia, *Groningenſem*, qui eidem accenſetur, & *Middelburgenſem* in una ex inſulis Zelandicis Valacria: ex quibus Dabentra, Leovardia, & Groninga ultra Rhenum ſitæ ſunt in Germania civitates.

Ager Trajectenſis inter Moſam & Rhenum poſitus eſt, & *regio Trajectica* dicitur VVilielmo Brittoni in libro X. Philippidos: cui Batavodurum, ſeu caſtrum & emporium Doreſtadum, vulgò *Duerſted* nuncupatum attribuitur. Hæc regio vocatur dominium Trajectenſe, *la ſeigneurie d'Vtrecht*, cum *Trajecto* & Doreſtado tria alia opida continens.

In Vita Johannis Gorziæ Abbatis, ab auctore æquali ſcripta, hæc reperio. *Ibi tunc Trajectenſis ſeu Dabentrenſis Eccleſiæ Pontifex clariſſimus dominus Poppo adfuerat.* Quibus ex verbis intelligitur, ætate Johannis hoc eſt ante annos DCC. *Trajectenſem* Epiſcopum modò in urbe *Trajecto*, modò in opido *Dabentra* ſedem habere conſueviſſe, ob idque nunc *Trajectenſem*, nunc & *Dabentrenſem Epiſcopum* ex æquo ac promiſcuè vocatum eſſe, aut junctim etiam *Trajectenſem* & *Dabentrenſem* Antiſtitem.

TRAJECTUM SUPERIUS.

Trajectum Superius ad Moſam, patria Landeberti Tungrorum Epiſcopi, vulgò *Maeſtricht*, id eſt *Moſæ Trajectum* vocatur. Tungris pridem ab Attila Hunnorum Rege anno CCCCLI. dirutis, Tungrenſes Epiſcopi *Trajecti ad Moſam* Sacerdotii ſedem ſtatuere, *Trajectenſeſque* Epiſcopi à nova ſede ſæpe ſunt appellati: ut eorum Vitæ nos docent. Primus Tungros opidum *Trajecto* mutavit *Aravatius eximiæ ſanctitatis Epiſcopus*, aliàs *Arvatius*; mendosè *Servatius* in libris Gregorii excuſis dictus: qui & ibidem paullo ante ingreſſum Attilæ in Galliam ex febre interiit, & juxta pontem aggeris publici ſepultus eſt: quem ſucceſſores ſunt imitati, Aduacâ Tungrorum ab Hunnis funditus everſâ. Epiſcopus Monulfus in *urbe Trajectenſi* templum magnum conſtruxit, & eò tranſtulit Aravatii corpus.

Trajectenſem urbem in capite V. libri II Hiſtoriæ Francicæ appellat Gregorius Turonicus Epiſcopus, quo priorem neminé loci ejus mētionem feciſſe reperio. Libri Gregorii de Gloria Confeſſorum caput LXXII. inſcribitur *de S. Arvatio Trajectenſe Epiſcopo*: itavt non *Trajectum* modò, ſed etiam quamquam corrupto nomine *Triectum* jamtum vocatum eſſe appareat. Certè & auctor æqualis Vitæ S. Landeberti, Epiſcopi & civis Trajectenſis, quæ nondum eſt edita; *opidum Trejectinſe*, & *provinciam Trijectinſem*, id eſt *pagum* vel *Diœceſim Trajectenſem* nuncupat, & Vita S. Amandi Epiſcopi ab auctore æquali ſcripta *Trejectenſium Eccleſiam* memorat. Capitula Caroli Calvi apud Marſnam anno DCCCXLVII. vulgata &

Annales Bertiniani in anno DCCCLXXI. *municipium Trajectum* loco Marinæ proximum appellant ; Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. *Trectis* truncato vocabulo, *diſtricto Aquenſi* ſeu Aquigranenſi *diſtrictum Trectis* proxime ſubjiciens. Quinque nummos veterum Regum noſtrorum profert Botarotius, in quibus *Triectum* vocatur. Ita enim inſcribuntur ſinguli: *Triecto fit*.

Ceteri Latino & incorrupto nomine *Trajectum* appellant. Nithardus in libro III. ſcribit, *Karolum* (Calvum) *ad S. Quintinum, & inde in partes Trajecti iter direxiſſe*. *Trajectum* beneficiis Regiis adnumerat Gallus ſcriptor apud Conradum Abbatem Urſpergenſem, cum Juppila, Harſtallo, Marſna, Litta, Capræmonte, beneficiis à Rege Francorum conferri ſolitis: itaut ad fiſcum olim pertinuiſſe principatu Caroli Simplicis cognominati, & villa publica *Trajectum* fuiſſe videatur. Sed his omnibus vetuſtior Eginhardus in capite XX. libri IV de Tranſlatione Martyrum Marcellini & Petri commemorat *Monaſterium S. Servatii Confeſſ. quod ſitum eſt in ripa Moſæ fluminis, in vico qui hodieque Trajectum vocatur, & diſtat ab Aquenſi Palatio VIII. circiter leugas, eſtque habitantium, & præcipuè negotiatorum multitudine frequentiſſimus. Nordmanni* anno DCCCXXCI. *plurima loca vaſtaverunt, hoc eſt Cameracum, Trajectum, & pagum Haſbanicum, totamque Ripuariam*, ut in Annalibus Fuldenſibus legimus. Idem referunt Annales Mettenſes & Regino, qui *Trajectum caſtrum* & *caſtrum Trajectenſe* vocant. *Trajecto* igitur à Nortmannis incenſo, Epiſcopatûs ſedes tranſlata eſt in vicum publicum Leodicum; ut Aduacâ Tungrorum ab Hunnis everſâ, traducta fuerat antè *Trajectum*.

Trajectum ad Moſam vulgò dicitur, aliàs *Trajectum Tungrorum*, necnon *Trajectum Superius*, & *Trajectum Citerius*: ut diſtinguatur à *Trajecto Batavorum*, quod *Trajectum Inferius*, & *Vlterius Trajectum* dicitur, eſtque in eadem provincia Germania II. vel inferiore. *Maſetricht*, aliàs *Maeſtricht* incolæ appellitant, à *trajectu Moſæ* fluminis cui eſt impoſitum. Monſtreletius in Voluminis I. capite XXXII. *Tret* & *la ville de Tret* nuncupat abſolutè, id eſt *Trajectum*, ſuppreſſo *Maes* ſeu *Moſa* nomine.

Obſervare convenit, ab Eginhardo ſuprà *vicum Trajectum* vocari: quod alii *oppidum*, alii *urbem*, alii *municipium*, quidam *caſtrum* nobilioribus nominibus appellent. Quod mirari nemo debet. Nam hodieque *Trajectum* pontem habet eximium ac longiſſimum, Moſæ fluvio impoſitum, & trans pontem unam è ſuis regionibus, quæ *Vicus* nuncupatur, *Vic*. Ex quo apparet partem ejus oppidi Tranſmoſanam ad Ubios verſus, ante aliquot ſæcula *Vici* appellatione deſignari conſueviſſe.

TRAMA LOCUS ET FLUVIUS.

Ada Vicecomitiſſa in litteris ſuis, quas in tabulario majoris Eccleſiæ Meldenſis, ab anno circiter MCLX. ad annum MCCCV. deducto legi, *Trama* meminit, quam & *Tremas* ibidem vocat: *Quòd haberet in foro de Trama III. partem de juſtitia & de ceteris per totam ſeptimanam, ſicut in die mercatus, Meldenſis Epiſcopus*. *Trama* vel *Trema* locus eſt nunc Comitivæ titulo inſignis, vulgò *Treſme* dictus, in Diœceſi Meldenſi, à fluviolo cognomine appellationem trahens: qui amniculus *Trema riparia*, & *aqua Trema* in litteris ejuſdem Chartarii datis anno MCCLXIX. appellatur, & *Vado de Trema* ibi memorato nomen ſuum dedit. Vadum Tremæ *Gué à Treme* vicus cum caſtello nuncupatur.

TRANQUILLUS VICUS.

Tranquillus, vulgò *Trancoſt* vel *Trancant*, vicus in agro Tricaſſino, Rodulfo Glabro, & in Vita S. Apri Tullenſis Epiſcopi memoratur. Fertur enim Aper *in vico qui Tranquillus dicitur*, natus; ut & S. Apronia ejus ſoror. Glabri Rodulfi verba ſunt, in Hiſtoriarum libri I. capite V. *Ortus eſt vir quidam in pago Trecaſſino ex infimo ruſticorum genere, Aſtingus nomine, in vico videlicet, qui Tranquillus dicitur, III. à civitate diſtans milliaribus*. Hic ad Nortmannos clam transfugit, & ab eis Princeps conſtitutus, Gallias igne & ferro vaſtavit. De eo Dudo, & Vvillelmus Gemeticẽſis Monachus, aliique rerum Nortmannicarum ſcriptores referunt. *Tranquillum* viculum Tricaſſinæ Diœceſeos, IX. leugis ab urbe Tricaſſis diſtare ait Camuſatius Tricaſſinus.

TREVIDUM LOCUS ET FLUVIUS.

Trevidon Sidonius memorat, id eſt *Trevidum*, *Treves* vulgò. Hic locus abeſſe dicitur XII. millia paſſuum ab Amiliano vel Ameliano Rutenorum, *Milhau en Roüergue*, & impoſitus eſſe fluviolo *Trevido* vel *Treviſalo*, (*Treveʒels*) quem *Turbida* flumen (*la Dourbie*) in Tarnem defert. Verba Sidonii ſunt.

Ibis Trevidon, & calumnioſis
Vicinum nimis heu jugum Rutenis.

Heic *Trevidon* cùm Sidonius in IV. caſu poſuerit pro *Trevidum*, ut dactylum faceret; incertum eſt, *Trevidus*, an *Trevidum* hic locus in finibus Rutenorum poſitus debeat appellari.

TREVIRI.

Treviros in ſuis Commentariis paſſim commemorat Julius Cæſar, & *hanc civitatem longè plurimum totius Galliæ equitatu valere, magnaſque habere copias peditum* tradit. *Rhenumque tangere*: & *equitum Trevirorum inter Gallos virtutis opinionem eſſe ſingularem*: ac *ſilvam Arduennam ingenti magnitudine per medios fines Trevirorum à flumine Rheno ad initium Remorum pertinere*: *Rhenum per fines Trevirorum citatum ferri*, videlicet ad Confluentes Moſellæ & Rheni; *Eburonesque & Condruſos eſſe Trevirorum clientes*, populos provinciæ Germaniæ II. pridem attributos, nec *Auguſtæ Trevirorum*, ſed Coloniæ Agrippinæ Ubiorum Metropoli ſubjectos. Adjicit

Hirtius,

Hirtius, *Trevirorum civitatem propter Germaniæ vicinitatem cotidianis exercitam bellis, cultu & feritate non multum à Germanis differre.* Strabo *Treviros* quoque appellat: & in nummo Veſpaſiani ſcribitur *Col. Aug. Pat. Trevirorum*. id eſt *Colonia Auguſta Paterna Trevirorum*; in tabula Peutingeriana *Auguſta Trevirorum*. Senatus Romanus apud Vopiſcum in Floriano *Curia Trevirorum* ſcribit: & in inſcriptione nummi veteris apud Goltzium *cohors* XXX. *Trevirorum* reperitur. Cæſarem igitur & Strabonem in appellatione ejus Gentis ſine dubitatione ſequi debemus, & *Treviros* dicere, non *Treveros*, *Triveros*, aut *Triberos*. Certè apud Lucanum in libro I. & apud Tacitum in libro IV. Hiſtor. *Trevir* nominativus eſt ſingularis. Quare ut vir, viri, ſic *Trevir*, *Treviri*; & in plurali numero ut viri, virorum, ſic *Treviri*, *Trevirorum*. Hoc indicat Cicero in libri VII. Epiſtolarum ad Familiares epiſtola XIII. ad Trebatium, quem in Galliis cum Cæſare Duce commorantem ſic per jocum admonet. *Treviros vites cenſeo. Audio Capitales eſſe: mallem auro, argento, ære eſſent.* Ludit Tullius in nomine *Trevirorum*, quo & Gens Belgicæ clariſſima, & Triumuiri Capitales Romæ, ac Triumviri Monetales deſignabantur: Triumviri inquam Capitales, Plauto in Amphitruone *Treſviri*; in lege Lucii Papirii Trib. PL. apud Feſtum *Treſuiri Capitales*, ſeu *Treviri Capitales* dicti. *Triumviri Monetales*, aliàs *Triumviri auro, argento, æri flando, feriundo* nuncupabantur. *Triumviri* ergo, & *Treſviri*, ac *Treviri* unum idemque nomen, ut tredecim ac treſdecim. Nulla autem aut ſaltem abſurda eſſet Ciceronis alluſio, ſi Gens Belgicæ *Treveri* aut *Triveri* appellari tum ſolerent, non *Treviri*: quod ſincerum, vetus ac incorruptum populi nomen eſt. Pomponio Mellæ dicuntur *Belgarum clariſſimi Treveri*. Unde *Auguſta Trevirorum* provinciæ Belgicæ primæ Metropolis, id eſt omnium Belgarum caput ſemper habita eſt. Plinio in libri IV. Naturalis hiſtoriæ capite XVII. inter Belgicæ populos *Treveri Liberi antea, & Lingones Fœderati*. Quaſi nec *Treviri* ampliùs liberi, nec Lingones ampliùs Fœderati eſſent ætate C. Plinii Secundi: aut quaſi (quod admodum veriſimile mihi in mentem venit) alteris libertatem, nomen alteris ac jus Fœderatorum Imperator Veſpaſianus paullo antè ademiſſet, propterea quòd ab Imperio Romano defeciſſent, & Claſſico ac Tutore ducibus ipſi bellum intuliſſent. Sed ſua *Treviris* libertas non multo pòſt videtur ab alio Imperatore reſtituta. Quippe apud Flavium Vopiſcum in Floriano Senatus ampliſſimus *Curia Trevirorum* ſcribens, anno Chriſti CCLXXV. poſt Plinii mortem CXCV. eos eſſe liberos, & verò ſemper fuiſſe affirmat his verbis. *Ut eſtis liberi, & ſemper fuiſtis: lætari vos credimus*, &c. Tacito in libro II. Hiſtoriarum *Treverorum turma*, & *Treverorum ala*, ceu equitatu plurimum inter Gallos valentium memorantur: & *Trevericum tumorem* Florus compoſuiſſe dicitur. Idem Hiſtoricus *Treveros*, & *Nervios quoque circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitioſos eſſe* tradit: & *Æduos civitatem multo opulentiorem Treviris* in libro III. Annalium vocat: qui pridem mutata ſorte, tantum nunc concedunt *Treviris*, quantum olim ipſos opibus ſuperaverunt. *Cohortem* XXX. *Trevirorum* in veteri nummo Romano reperimus: quos Claudius Ptolemæus Τεϐίϱες ſeu *Treviros*; Dio in libro XL. Τρηουηρίους & Τριβήρους, id eſt *Treverios* & *Triveros* appellat; *Treveros* tabula Peutingeriana, licèt urbem ipſam caput Gentis *Auguſtam Trevirorum* nuncupet. Noſtri vulgò *Trevois* vocitant.

Treviri Diœceſin *Treviricam* & quidquid Archiepiſcopus *Trevirorum* poſſidet Eccleſiæ ſuæ nomine, Ducatum Luciliburgenſem, & partem Palatinatus Rheni cis flumen jacentem præter cetera complectuntur.

TRIANGVLVS CASTRVM.

Hic locus in Tricaſſibus à re nomen habet, ita dictus à triangula ſpecie, delta referente. Gaufridus in libro IV. de Vita S. Bernardi Claravallenſis Abbatis, *Triangulum* memorat his verbis. *In pago Senonico apud caſtrum quod Triangulum vocant*, &c. Liber de Miraculis S. Bernardi nunc *caſtrum*, nunc & *opidum* appellat: *opidum quod Romanâ linguâ Tringuel vocant*: ubi *Triangulum* quidam legunt. Vulgò dicitur *Trainel* aut *Treynel* corrupto Latino nomine hoc caſtrum, quod eſt Marchiæ titulo illuſtre, ac vetere Prioratu. Litteris Henrici Trecenſium Comitis Palatini, anno I. V. MCLXV. datis teſtis præter ceteros ſubſcripſit *Anſellus de Triangulo*, cum *Garnero fratre*, & *Milone de Pruvino*: in aliis ejuſdem litteris poſt biennium datis *Anſellus de Triannello* dictus, necnon *de Triaguello* & *Trieguello*. Johannes de Albineio Trecenſis Epiſcopus in teſtamento ſuo, facto anno Domini MCCCXLI. *Nobilem virum, dominum Johannem de Triangulo Militem* vocat. *Nobilis vir Droco Miles, dominus de Triangulo* in litteris anni MCCLXIII. memoratur, & ibidem, *Decanus Chriſtianitatis de Triangulo*: qui Drogo in litteris vulgari lingua ſcriptis *Dreves Sires de Triagnel Chevaliers* nuncupatur. Ex *Triagnel* tranſpoſitis litteris factum *Trainel*.

TRICASSES ET AVGVSTOBONA TRICASSIVM.

Tricaſſes, Galliæ Lugdunenſis IV. vel Senoniæ populus, quum duæ tantùm Lugdunenſes erant, non Lugdunenſi primæ attribuebantur, ubi Lugdunum & civitas Senonum erant; ſed ſecundæ Lugdunenſi unà cum Rotomago & Turonis: ſicuti Ammianus Marcellinus in libro XV. ſcribit. Julius Cæſar, Strabo & Pomponius Mella nullam ejus Gentis mentionem faciunt. Plinius *Tricaſſes* appellat, & inter Galliæ Lugdunenſis gentes numerat; *Tricaſſes* inquam & *Trecaſſes*. Nam in ejus exemplaribus utrumque ſcriptum reperiri, auctor eſt Hieronymus Surita in ſuis ad Itinerarium Æthici adnotationibus. Apud Claudium Ptolemæum in Gallia Lugdunenſi Τεϐώ-

ſes dicuntur, id eſt *Tricaſes*; apud Ammianum Marcellinum quoque in libro XV. *Tricaſſini*, vel (ut manuſcripti libri præferunt) *Tricaſini*, vulgò *Troiens*. Quin & in veteribus Notitiis Galliæ nunc *civitas Tricaſſium*; nunc *civitas Tricaſium*; interdum *civitas Trecaſſium* necnon *civitas Trecaſium* vocatur. Ex quo intelligitur eum populum tam *Tricaſes* & *Trecaſes*, quàm *Tricaſſes* & *Trecaſſes* nuncupari conſueviſſe.

Ceterùm anguſti ſunt *Tricaſſium* fines. Quippe Senonum hinc, inde Lingonum atque etiam Catalaunorum finibus undique clauduntur & coartantur. Quam ob cauſſam forſitan Sampſon *Tricaſſes* unà cum Pariſiis & Meldis ætate Julii Cæſaris Senonibus contributos fuiſſe credit, eo libentiùs quòd à Cæſare ipſo inter Galliæ gentes omittuntur hi tres populi. Sed Sampſonem in eo errare, alibi oſtendimus.

Urbs *Tricaſſium* primaria, caputque Gentis à Ptolemæo vocatur *Auguſtomana*. Τρικασίων, (inquit) καὶ πόλις Αὐγουςόμανα: in tabula Peutingeriana *Auguſtobona* prope *Eburobrigam*: in Itinerario Æthici *Auguſtobona*, à Clano XVI. millibus paſſuum, ab Agedinco XXXIII. diſtans, ubi Æthicus *iter à Carocotino Auguſtobonam millium paſſuum* CLIII. facit. Vnum autem atque idem nomen eſſe *Auguſtomanam* & *Auguſtobonam* obſervo, ex duobus Latinis nominibus Auguſto & bono compoſitum, quaſi *Auguſti bonam* vel *Auguſti manam* dicas. Sic Æthicus in Itinerario eamdem urbem Pannoniæ ſuperioris nunc *Vindobonam* & *Vindebonam*, nunc *Vindomanam* & *Vindemanam*; (uti Simlerus & Surita agnoſcunt) Notitia Imperii quoque non ſemel *Vindomanam* vocat; alii *Vendobonam*: quam ſcriptores Latini recentiores *Viennam* abſurdè prorsùs, propterea quòd Germanicè *VVien* dicitur; Poloni *VViedun*, Boii ac Moravi *VViden* appellant. Nec eſt quòd ſe torqueat Hieronymus Surita, aut quòd putet in Æthici Itinerario ac in Notitia Imperii Romani *Vindomanam* & *Vindemanam* pro Vindobona vel Vindebona nomen eſſe corruptum atque mendoſum, ac ſine dubitatione corrigendum. Manum enim veteribus Romanis idem fuiſſe quod bonum, Marcus Varro, Feſtus & Nonius Marcellus, ceterique priſci Grammatici Latini docent. Hinc mane dictum à mana, id eſt bona luce, non à manando: Manes item à mano ſeu bono dicti, quòd boni ſunt ac nemini nocent, vel quòd mors vitâ melior ſapientibus cenſetur; aut per antiphraſim ad avertendum malum, ſive ut placatos eos & minimè noxios ac infeſtos habeamus. Mali quoque à mano dicti ſunt immanes, quòd bonitate careant, quaſi non mani, vel minimè boni. Quam Manium nominis originem, manique ſignificationem Virgilius non ignorans, Manes bonos appellat

Vos ô mihi Manes
Eſte boni.

Hoc eſt: Vos Manes qui neminem læditis, qui omnibus mortalibus boni eſſe conſueviſtis, boni eſtote & mihi. Henricus Huntendunenſis Archidiaconus in Hiſtoriarum libro I. *inſulam Man vel Euboniam, inter Hiberniam & Britanniam ſitam eſſe* ait, hoc eſt Monam quam Angli *Man* dicunt. Itali hodieque quod valdè bonum ſeu optimum eſt, *ſupramanum*, id eſt ſupra bonum vel ſupremum bonum nuncupant, vulgò *Sopramano*. Et *Mena-dies* vel *Mana-dies* ætate avorum noſtrorum vox erat familiaris notos ſalutantibus manè, quâ bonam diem amicis precabantur. Ex quibus intelligitur *Auguſtomanam* & *Auguſtobonam* duo eſſe ſincera & incorrupta ejuſdem urbis nomina, ſed unius ſignificationis: & de Vindobona ac Vindomana idem dici oportere, nec ea de re ampliùs eſſe dubitandum.

Ammianus Marcellinus in libro XVI. *Auguſtobonam Tricaſſium* nomine Gentis cujus caput eſt *Tricaſſas* appellat, vel (ſi ſcriptos codices ſequimur) *Tricaſas*; Æthicus quoque in Itinerario provinciarum *Tricaſas*. Affirmat Hieronymus Surita in IV. codicibus Æthici ſcriptum reperiri *Tricaſis*, nimirum à recto *Tricaſa*, ſic: *Auteſiodorum* M.P. XXXIII. *Eburobrica* M.P. XVIII. *Tricaſis* M.P. XXXIII. *Artiaca* M.P. XVIII. *Catalaunos* M.P. XXXIII. quemadmodum ſuprà docuimus gentem ipſam non minùs *Tricaſes* quàm *Tricaſſes* dici conſueviſſe. Sidonius quum ait, *Lugdunum nuper à Tricaſſibus veni*: haud dubiè nomine *Tricaſſium* agrum urbis deſignat, quam in libro VII. *Tricaſſinam civitatem* vocat. Fredegarius in libro III. Chronici Ammianum & Æthicum, vel potiùs morem Gallicum in ejus urbis appellatione ſequitur. *Hunni* (inquit) *repedantes, Tricaſſis in Mauriacenſi conſedere Campania.*

In II. veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Tricaſſium*; in una *civitas Tricaſium*; in alia *civitas Trecaſſium*; in alia *civitas Trecaſium* nuncupatur: & collocatur in umbilico provinciæ Lugdunenſis Senoniæ, media ejus provinciæ civitatibus interpoſita: itaut ſupra ſe quidem habeat metropolim Agedincum Senonum, Autricum Carnutum & Autiſſiodorum; infra verò Aurelianos, Pariſios & Meldos.

Quidam utrumque nomen cùm urbis tum Gentis mutilare non dubitaverunt, & ex *Auguſtobona* vel *Auguſtomana Auguſtam*; ex *Tricaſſis* aut *Trecaſiis Trecas* fecerunt, nonnumquam & *Trecos*: atque *Auguſtam Trecarum Trecorumque* dixerunt. Inter quos Erricus in libro III. de Vita S. Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi *Auguſtam Trecarum* vocat his verſibus.

Id qui ſuppleret, Lupus eſt ex nomine lectus:
Nobilis Auguſtæ quondam qui fortè Trecarum
Præſul erat, ſignis & claro nomine ſummus.

In Vita S. Apri Tullenſis Epiſcopi *Auguſtam Trecorum* dictam reperio; *Auguſtam Tricorum* in Annalibus Bertinianis anno DCCCLVIII. Ex *Trecis* fecere Noſtri plerumque *Trecacenſes* pro *Trecenſes*; ut ex Drocis Drocacenſes pro Drocenſes; ex Arcis in Nortmannia Arcacenſes vel Archacenſes pro Arcenſes; ex Locis, id eſt Luccis Turonum, Locacenſes pro

Locenſes ; & multa ſimilia.

Pleriquе è noſtris ſcriptoribus pro *Tricaſſis* dixerunt *Trecas*, ut pro Baiocaſſis Baiocas, pro Durocaſſis Drocas : unde nomen urbis vulgare defluxit *Troyes*. Gregorius Turonicus Epiſcopus, primus omnium, aut unus è primis, in libro de Gloria Confeſſorum de Lupi Antiſtitis tumulo referens, *Tricaſſinam Campaniæ urbem*, & in Hiſtoriæ Francicæ libri VIII. capite XIII. *Trecas Campaniæ urbem* appellavit : quæ hodieque urbs Campaniæ habetur. *Trecas* & Fredegarius in libri IV. Chronici capite LXXI, Geſta Pippini Francorum Regis, quæ Fredegario à quibuſdam falſo attribuuntur, Capitula Caroli Magni, anno regni ejus II. publicata, Aimoinus & Hugo Floriacenſes Monachi, Robertus Autiſſiodorenſis, aliique nuncupant. Veteres nummi nunc *Trecas* ; nunc *Tricas civitate* inſcriptum præferunt nomine indeclinabili. *Trecos* nonnulli vocant, ut jam diximus : in his Glaber Rodulfus in libri II. capite VII. Heribertum *Meldorum & Trecorum Comitem*, & Manaſſem *Trecorum Epiſcopum* appellat : Vita S. Lupi à Trecis vocat *urbem Trecenſem*, & *Trecenſem civitatem, patentibus campis ſitam, & nec armis munitam nec muris* Principatu Placidi Valentiniani ; ubi & *porta Cæſaris* ſit.

Petrus Pithœus vir doctiſſimus, genere *Tricaſſinus*, in libri II. Adverſariorum capite I. *Auguſtomanam* ſeu *Auguſtobonam* à *Tricaſſis* diſtinguit, & ex una urbe duas facit. *Non eſt* (inquit) Αὐγουστόμανα *ſive Auguſtobona civitas Tricaſſinorum vel Tricaſſinum, ut vocat Ptolemaius. Tricaſſinum enim appellatio civitatis ipſius propria eſt, ut Tricaſſinorum populi.* In quo magnoperè errat, & quid ſibi velit videtur plane neſcire. Nam Ptolemæus Genti cuique caput ſuum ac præcipuam urbem & velut matrem in deſcriptione Galliæ ſemper ſubjungit, & ut Lutetiam Pariſiis, Avaricum Biturigibus Cubis, Autricum Carnutibus, Auguſtonemetum Arvernis, aliis populis alias urbes ; ſic *Auguſtomanam Tricaſſibus* tribuit : quæ nunc more plerarumque Galliæ urbium antiquam ſeu propriam appellationem depoſuit, & Gentile ſeu populi cujus caput erat nomen pridem accepit. Neget ergo (ſi poteſt) eâdem ratione Pithœus *Lutetiam* eſſe, quæ *Pariſii* Ammiano Marcellino, Severo Sulpicio, & in Notitia Imperii Romani vocatur. Neget *Avaricum* eſſe urbem, quæ *Biturigæ* ab Ammiano & à Sidonio nuncupatur : neget *Autricum* & *Carnutas* unam eamdemque urbem eſſe : *Mediolanum* à *Santonis urbe*, *Cæſaromagum* à *Bellovacis*, *Cæſarodunum* à *Turonis*, *Juliomagum* ab urbe *Andicavis*, *Condate* à civitate *Redonis* diſtinguat, *Durocortorum* à *Remis*. Omitto in tabula Peutingeriana *Eburobriga Auguſtobonam* ceu proximam ſubjici, ut in Itinerario Æthici *Eburobrica* & *Tricaſis* ſuprà conjunguntur : ex quo apparet *Auguſtomanam* vel *Auguſtobonam*, & *Tricaſſas* eamdem urbem eſſe, quam & Æthicus modò *Auguſtobonam*, modò *Tricaſas* vocet. Sed nec *Tricaſſini* nomen Gentis vetus eſt, ut Pithœus lapidis auctoritate adductus exiſtimat : cùm *Tricaſſes* Plinio vocentur, Τρικάσιοι Ptolemæo, id eſt *Tricaſſes*. Æthicus urbem nuncupat *Tricaſſis* aut *Tricaſis* in VI. aut in III. caſu ; itaut pluralis nominativus ſit *Tricaſæ* : ſicuti & Ammianus *Tricaſas* urbem appellat ; *Tricaſſes* (quemadmodum falsò Pithœus putavit) nemo.

Pagum Tricaſſinum Geſta Pippini Francorum Regis, ab auctore incerto, ſed æquali ſcripta *pagum Trecaſſinum*, ut Glaber, *pagum* item *Trecaſſinum* vocant, ac prope *urbem Autiſſioderum*, id eſt Autiſſiodurum ponunt. *Territorium Trecaſſinum* Fredegarius ; Annales Bertiniani *Tricaſſinorum regionem* ; Capitula Caroli Magni *Tricaſſinum* ; Capitula Caroli Calvi ejus nepotis *Trecaſſinum* appellant ; Nithardus *Tricaſſinum* inter *Brionenſem* & *Autiſſioderenſem*. Hic pagus nunc apud nos non habet nomen.

TRIGORIUS PAGUS.

Hrabanus in Martyrologio ejus regiunculæ ſitum in Goare ita deſcribit. II. *Nonas Jul. depoſitio B. Goaris Confeſſ. qui in provincia Aquitaniæ ortus temporibus Hildeberti Regis Franc. poſtea ibi Presbyter conſecratus, relictâ patriâ & parentibus, in ultimos Galliæ fines, in provinciam quæ Rheno contigua Trigoria vocatur, & ad Diœceſin pertinet Trevirorum, intra terminos Vuaſaliacenſes pervenit, & ibi Deo liberè ſervire delegit.* Annales Mettenſes *Trigorium* appellant, pagum videlicet aut territorium. *Anno* DCCCXCV. *Adalongus Comes in Trigorio, in villa quæ dicitur Belthomus, ſepelitur.* *Pagus* ergo *Trigorius* vel provinciola *Trigoria* poſita erat in Trevirorum finibus ad ſiniſtram Rheni ripam, & ad Rhenum *Vuaſaliacum* cognomine Superius *Ober Vueſel*, ac opidum S. Goaris, olim *opidum Germanorum* dictum, Monaſterio ac tumulo ejus illuſtre, *S. Guver*, ac villam Belthomum aliaque loca continebat, nec procul aberat à Confluentibus Moſellæ & Rheni.

TRIOBRIS FLUVIUS.

Triobrem fluvium Sidonius memorat in Propemptico ad libellum, & montem in Gabalis unde oritur, nimirum Margaridam

> E nenſuſque jugum die ſub uno,
> Flavum craſtinus adſpicis Triobrem.

Ubi *Triorbrem* malè quidam legunt. Ab Castello *Troveyre* ; à ceteris quos tabulæ ſequuntur, vulgò *Trieurre* vocatur hic amnis. & in Olitim effluit, Malſiocum, Oratorium *Oradour*, Pontem, & Interaquas prætetlapſus : ex quibus Malſiocum *Malzieu* vel *le Malzieu* ; Interaquas ſeu vicus Interaquenſis *Entragues*. aliàs *Antraygues* nuncupatur. Si Savaroni fidem habemus, alluit *Triobris* & vicum *Trebouil* in confinio Arvernorum, Gabalorum & Rutenorum : quem à ſitu Latinè *Triviolum* dictum eſſe non dubito. Margarida mons, ex quo deſcendit hic fluvius, aliis *Margaride*, aliis *Margeride* dicitur.

TROSLEIUM.

Troſleium Frodoardo in Chronico non

ſemel memoratum, quatuor Synodis illuſtre, anno DCCCCIX. DCCCCXXIV. & DCCCCXXVII. habitis, locus fuit in pago Sueſſionico non ignobilis. Nunc vicus eſt nomen vetus retinens ad Axonam flumen. *Troli* enim dicitur, inter Sueſſionas & Compendium poſitus, ſed Compendio propior.

TRVCCIA.

Truccia vicus fuit in pago Sueſſionico, Chlotharii octo annorum pueri & Fredegundis de Childeberti copiis celeberrimâ victoriâ anno DXCIII. relatâ nobilis, & à Fredegario ceteriſque noſtris hiſtoricis memoratus, vulgò hodieque dictus *Droiſy* aut *Druiſy*; aut ut aliis placet, *Trouci ſur la Dellette*.

TVDINIVM.

Fulcardus Abbas Laubienſis in litteris anno MCXI. datis *Tudinienſe caſtrum* vocat ante annos DLX; *Tudinum* alii; *Tudinium* Marlianus in finibus Hainoi: quod caſtrum ad flumen Sabim, vulgò *Tuin* nunc dicitur. Hujus loci meminit Sermo de Reliquiis Quintini & Victorici Martyrum in anno DCCCXXCI. *Ipſo anno Rex Tranſrhenanus Ludovicus bellum contra Normannos in fiſco Tinnom exercuit, & magnam cædem eis intulit.* Ubi legendum puto *in fiſco Tuino* vel *Tuinno*. Annales Metenſes in anno DCCCLXXIX. eamdem à Ludovico victoriam ex Nortmannis relatam aiunt *juxta Carbonariam, in loco qui vocatur Thimum*. Ubi ſimiliter legendum eſt *Tuinum*: quæ villa Regia ſeu publica fuit, cùm ſuprà *fiſcus* vocetur. Fulcuinus Abbas Laubienſis qui anno DCCCCXC. obiit, in Chronico *Tudinium* ſæpe commemorat, *Laubiis adjacens caſtrum*, poſitum ad Sabim fluvium, quem *Sambram* vocat, in *Carbonaria*.

TVILLIVM CASTRVM.

Guillelmus Abbas Monaſterii S. Theoderici prope Remos, in libro I. de Vita Bernardi *Tuillium* memorat, & Diœceſi Auguſtodunenſi tribuit hiſce verbis. *Galdricus avunculus ejus*, (Bernardi Abbatis Claravallenſis) *vir honeſtus & potens in ſæculo, & in ſæculari militia gloria nominatus, dominus caſtri in territorio Æduenſi, quod Tuillium dicitur.* Vulgò *Toüillon* nuncupatur. *Toullon* in pleriſque tabulis reperio ad flumen Arotium infra Auguſtodunum. Alanus Autiſſiodorenſis Epiſcopus in Vita Bernardi Claravallenſis Abbatis, quam Pontio Claræ Vallis Abbati nuncupavit, *caſtrum Tullum* vocat: quod caſtrum Chifletius à *Tilio* (*Til*) pagi Aleſienſis caſtro duabus leugis, à Monte Barro V diſtare aſſerit. In Chartulario Auguſtodunenſis Eccleſiæ, quod ſcriptum vidi, nunc *caſtrum Tullonum*, & *Tollonum*; nunc *caſtrum Tullinum*; item paſſim *Tullionem* vocari reperio. In litteris anni MCCLXXII. & in aliis anni MCCLXXIII. *caſtrum de Tullione*, & *Tullionem*; in litteris anni MCCLXX. *Tolonum*, & *domum Dei de Tolono* invenio; *caſtrum Toilonum* alibi.

TVLLVM LEVCORVM.

Leucorum primus mentionem facit Julius Cæſar in libro I. de bello Gallico, ut populi Romani ſociorum & amicorum: quum ait ſibi ad Arioviſtum contendenti *frumentum Sequanos, Leucos, Lingonas ſubminiſtraſſe*. Eorumdem meminit Strabo, apud quem ſupra Mediomatricos *Leuci*, Λεῦκοι, & pars Lingonum habitare dicuntur. Lucanus eos unà cum Remis optimos funditores facit, & lapidum certis ictibus conjiciendorum peritiſſimos hoc verſu.

> Optimus excuſſo Leucus Remuſque lacerto.

Eis, ut Treviris, Verunis, aliiſque Belgicæ, Celticæ & Aquitanicæ populis non plena quidem aut juſta cum agris & legibus ſuis, ſed aliqua tamen ex parte à Romanis victoribus relicta, aut ſi mavis conceſſa libertas: ſicuti Plinius docet in libri IV. capite XVII. in Gallia Belgica præ ceteris *Leucos liberos* cognominans. *Civitas Leucorum* à Tacito in libro I. Hiſt. appellatur non urbs *Leucorum* caput, ſed totus eorum ager: ſicut Cæſar *Æduam civitatem, civitatem Biturigum, civitates Armoricas, civitatem Helvetiam* vocat agrum Æduorum, & Biturigum, fines Armoricorum, & Helvetiorum: Plinius in libri III. capite IV. *Vocontiorum civitatem Fœderatam*, & in capite V. *Vendiatiorum civitatem*, agrum Vocontiorum totum, atque Vendiatiorum ſeu Veſdiantiorum. *Civitas* iſta *Leucorum*, una eſt è maximis totius Franciæ Diœceſibus, non *Tullum* modò *pagumque Tullenſem*, ſed etiam Lotharingiam pagumve Moſellanum & Barrenſem complexa: itaut Diœceſis Pariſiaca, & Verodunenſis Parœcia vix ad ſextam *Leucorum* agri partem accedant.

Claudio Ptolemæo in Belgica memorantur *Leuci*, Λευκοὶ: *quorum urbes Tullum*, Τοῦλλον, & Naſium, Νάσιον. In tabula Theodoſiana quæ ab editore Peutingeriana vulgo dicitur, *Tullio* in VI. caſu mendosè ſcriptum reperio pro *Tullo*. Æthicus in Itinerario provinciarum *Tullum Leucorum*, & *Tullum* ſimpliciter vocat. *Iter ab Antematuno Tullo Leucorum uſque millia paſſuum* XLIII *ſic. Moſa* M.P. XII. *Solimariaca* M.P. XVI. *Tullum* M.P. XV. Item à *Durocortoro Divodurum uſque* M.P. LXXXVIII ſic. *Naſium* M.P. VIIII. *Tullum* M.P. XVI. *Scarponna* M.P. X. *Divodurum* M.P. XII. Ex quo etiam intelligitur, *Naſium Leucorum* Nanceium eſſe non poſſe, uti Joſias Simlerus & quidam alii ſimilitudine nominum decepti exiſtimavere. *Naſium* quippe inter Durocortorum Remorum & *Tullum Leucorum*, ſive inter Vidulam & Moſellam flumina poſitum erat, cùm ab urbe *Tullo* XV. millia paſſuum abeſſet. At Nanceium trans Moſellam eſt ſitum ad ripam fluminis Mortæ. Fredegarius *Naſium* caſtrum inter Andelaum & *Tullum* collocat his verbis. *Anno* XVII. *regni Theuderici, Lingonas de univerſis regni ſui provinciis menſe Madio exercitus adunatur, dirigenſque per Andelaum, Naſio caſtro capto, Tullum civitatem pervexit.* Hic *Naſii* ſitus in Nanceium, ſedem Ducum Lotharin-

giæ ſuperioris, ac Ducatûs caput nihilo magis convenit: ſed in Nanſiacum maius, *Grand Nanci*, non longè à fluvio Orna, qui locus per Lingonas & Andelaum (*Andelo*) *Tullum* petentibus occurrit, & in Ducatu Barrenſi *Leucis* contributo eſt poſitus, & à Commerciaco atque à flum. Moſa IV. circiter leugas abeſt. Apud Magnonem hæc legimus, *Leucus*, *Leucia*, *Naſium*: id eſt *Leucus*, cujus populi capita ſunt *Leucia*, & *Naſium*. *Leuciæ* autem nomine *Tullum* haud dubiè Magno deſignavit.

Ut *Tullum*, unde digreſſus ſum, repetam: in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Leucorum Tullo* vocatur, & inter provinciæ Belgicæ primæ civitates tertia ponitur: in aliis *civitas Leucorum, id eſt Tullum*; *civitas Leucorum, id eſt Tullo*. Vulgò *Toul en Leucha*. Hæc urbs ad Moſellã flumen eſt poſita. Quidam ridiculè *Tulingos*, quos Cæſar tradit cum Rauracis, Boiis & Latobrigis Helvetiis finitimos fuiſſe, trans Moſellam inter *Leucos* & Mediomatricos ponunt in tabula Galliæ, itavt Tulingorum nomine *Tullenſes* deſignare voluiſſe videantur: ob idque nonnulli qui ita ſentiunt, pro *Tulingis Tullignos* appellant, ad *Tullum* propiùs accedente vocabulo.

Ibi eſt vetertima *Eccleſia S. Apri*, Fredegario in libri V. Chronici capite LIV. memorata, Apri Epiſcopi Tullenſis titulo tumuloque illuſtris: ad quem eſt Paullini epiſtola, & cujus memoria natalisve celebratur XIII. Kalendas Octobreis. Eſt & nobilis Baſilica, S. Manſueti ſepulcro ac nomine inſignis, primi (ut aiunt) Tullenſium Antiſtitis. Ab his duobus Monaſteriis extramuranis, quæ ſuos ab origine Abbates habuerunt, nomen hodieque duo *Tulli* burgi vel ſuburbia acceptum ſervant, urbe non multo minora. Alterum enim dicitur ſuburbanum S. Apri, *le Faubourg de Saint Evre*, alterum S. Manſueti, *le Fauxbourg de S. Manſuit*. Ibi eſt Eccleſia collegiata S. Gengulfi, *S. Gengoul*. In Burgo S. Manſueti fuit & Abbatiale Monaſterium S. Leonis, (*Saint Leon*) quod cum ſuis omnibus ædificiis circa annum MCCCC. dirutum, & in urbem tranſlatum eſt. Ejus urbis Antiſtes ſe *Tulli Epiſcopum & Comitem* appellat, quemadmodum & Verodunenſis Epiſcopus.

A *Tullo pagus Tullenſis* nomen habet: quo nomine non totus ager *Leucorum*, ſed tantùm ager ſuburbanus & circa *Tullum* jacens deſignatur. In Geſtis Epiſcoporum Autiſſiodorenſium *Hainmarus Epiſcopus in loco qui Lufans dicitur in pago Tullenſi, lanceis confoſſus, & ibi ſepultus* fertur. *Tullenſis campania* vocatur Fredegario in libri V. Chronici capite XXXVIII. *In Tullenſi campania confligunt certamine. Theudericus ſuperat Theudebertum.* Eginhardus in Annalibus *territorium Tullenſe* non ſemel nuncupat, in quo & *Commerciacum villam* ponit. Anno DCCCXXIII. *In territorio Tullenſi juxta villam Commerciacum puella quadam annorum ferè* XII. &c. Idem anno DCCCXXV. *In territorio Tullenſi juxta Commerciacum villam puella quadam annorum circiter* XII. &c. Eadem verba in Annalibus Bertinianis inveniuntur. Nithardus in libro I. *Tullenſem* memorat *Comitatum* vel pagum, Burgundiæque tribuit, cùm antea Auſtriæ finibus contineretur.

Salſæus Epiſcopus & Comes *Tullenſis* in libro de Gloria S. Remigii III. ſcribit, eſſe in *Leucis* ſeu in *Epiſcopatu Tullenſi* duo Parœciarum Eccleſiarumve Baptiſmalium millia: ex quibus Parœciis octingentæ cum nonnullis Canonicorum collegiis B. Remigii Remenſis Epiſcopi patrocinio tituloque glorientur. Adjicit, in Belgica I. ſeu provincia Trevirenſi tres Eccleſias ſorores eſſe, proprio quamque cognomine inſignes. *Metenſem Locupletem* dici à poſſeſſionibus, latifundiis & caſtellis ſuis multis & magnis; *Verodunenſem Nobilem* à nobilitate complurium è ſuis Epiſcoporum; *Tullenſem* quæ ſit diffuſior, *Sanctam* cognominari, quòd XXII. Sacerdotes ſanctitate inſignes habuerit, ac in his duos qui poſtea Eccleſiæ Romanæ cathedram Sedemque Apoſtolicam tenuere.

Ibi olim monetam fuiſſe, ſeu locum in quo moneta percutiebatur, regnantibus Merovei poſteris in Gallia, docet nummus à Botarotio laudatus, in quo legitur *Tullo civita*.

TUNGRI, UBI ANTEA EBURONES, ET ADUACA TUNGRORUM.

Eburones, quorum pars maxima eſſet inter Moſam & Rhenum, ſub imperio Ambiorigis & Cativulci fuiſſe, ab hiſque Sabinum & Cottam legatos cum una legione & V. cohortibus interfectos eſſe, ſcribit Cæſar in libro V, & Q. Ciceronis caſtra oppugnata, quẽ ipſe obſidione liberaverit. Eoſdem Aduaticis finitimos ac conterminos eſſe ait. Straboni Ἐβούρωνες; Floro quoque in libro III. *Eburones*; Dioni autem vocantur *Eburoni*, Ἐβούρωνοι in libro XL. & eorum regio *Eburonia*, Ἐβουρωνία. Cæſar in libro VI. *Eburones* ad Oceanum verſus Menapiis adjacere tradit, ex alia parte Aduaticos attingere; ex alia ad flumen Scaldem quod influit in Moſam, extremaſque Arduennæ partes pertinere.

His à Cæſare, propter Legionis ſuæ cædem, penitus (ut mihi videtur) exciſis, ſucceſſere eorũ in loca *Tungri*. Certè Plinio *Tungri* memorantur in Belgica, inter *Vlbanectes liberos* ſive Silvanectes, & *Rimucos*, nullâ factâ mentione *Eburonum*. Tacito in libro IV. Hiſt. & in libro de Moribus Germanorum noti quoque ſunt *Tungri*, Gens Germana cum Ubiis: noti & Ptolemæo in Belgica *poſt amnem Tabudam*, ſeu poſt fluminis Scaldis oſtium *Tungri* Τοῦγγροι. Ab Ammiano Marcellino in libris XXVI. & XXVII. *Tungricani*; in Notitia Imperii inter *legiones Palatinas* XII. *Tungricani Seniores*; inter *Auxilia Palatina* LXV. *Sagittarij Tungri*, & *Tungri* numerantur: *Tungrorum cohortes* à Tacito in libro II. & IV. Hiſtoriarum; eidem *Tungra cohortes* dictæ. *Tungri* autem antiquam Diœceſim *Tungrorum* vel Trajectenſium complectuntur: quæ vetus Diœceſis *Tungrorum* Diœceſin Leodicenſem qualis nunc eſt, atque etiam non minimam partem Ducatuum Brabanti, Limbur-

genſis, Luciliburgenſis, & Diœceſin Comitatumve Namucenſem continebat.

Cluverius *Atuatucam* pro *ad Vatucam* apud Cæſarem legit. Verba Cæſaris in libro VI. ſunt. *Tum impedimenta omnium legionum ad Vatucam contulit. Id caſtelli nomen eſt: hoc ferè eſt in mediis Eburonum finibus, ubi Titurius ac Aurunculeius hiemandi cauſâ conſederant. Præſidio impedimentis legionem XIV. reliquit. Ei legioni caſtriſque Q. Tullium Ciceronem præfecit, ducentoſque equites ei attribuit.* Et infra. *Tribus horis ad Vatucam venire poteſtis.* Cluverius, ut dixi, *Atuatucam* utrubique legit, acutè omnino; meliùs tamen facturus, ſi nullâ mutatâ litterâ præpoſitionem cum nomine tantùm conjunxiſſet, atque *Aduatucam* legiſſet. Aliis enim *Atuacutum* vocatur & *Atuaca*; aliis verò *Aduaca Tungrorum* urbs, quæ Cæſari *Aduatuca caſtellum Eburonum*: ex quo etiam intelligitur *Tungros* Eburonum ſedes occupaviſſe. Sanè apud Claudium Ptolemæum *poſt Tabudam fluvium* ſeu Scaldim *Tungri, & urbs Atuacutum* in Gallia Belgica: μετὰ τὸν Ταβοῦδαν ποταμὸν Τοῦγγροι, καὶ πόλις Ἀτουάκουτον. Meliùs forte vocaviſſet Ptolemæus *Atuatucum*, Ἀτουάτουκον, ut Cæſar *Aduatucam*. Quippe in tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana *Atuaca* appellatur prope *Coriovallum* & Juliacum; in Itinerario Æthici, in itinere à Caſtello Coloniam, *Aduaca Tongrorum*, à *Coriovallo* XVI. à *Juliaco* XXXIV. millibus paſſuum diſtans; *Atueteca* Magnoni. Ut appareat graviter falli Marlianum, qui & *Vatucam* apud Cæſarem legat, & *Juliacum* opidum eſſe credat. *Atuaticum* mendosè vocat Scaliger *urbem Tungrorum*, & Aduaticis vel *Atuaticu* perperam attribuit. Finitimi quidem erant Aduatici Eburonibus *Tungriſve*, ac Aduacæ *Tungrorum* Diœceſi non ita pridem contributi: (ſi verum eſt quod ait Cluverius, Aduaticos Cæſaris Namucenſes haberi oportere) ſed tamen non iidem erant atque Eburones aut *Tungri*.

Hæc urbs more complurium Galliæ urbium, poſtea depoſitâ propriâ appellatione, Gentis cujus caput erat nomen accepit, & *Tungri* dici cœpta eſt. Ita Plinius in libri XXXI. capite II. eam vocat his verbis. *Tungri civitas Galliæ fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtellantem, ferruginei ſaporis. Purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit calculorumque vitia.* De Spadanis aquis loquitur. Nomine *civitatis* apud Plinium urbem potius quàm regionem *Tungrorum* deſignari puto, eo magis quòd *Aduaca Tungrorum* latus alluit Jecora, qui fluvius apud Trajectum Moſam auget: & *Aduaca* fontem Spadanum propinquum habet, incolarum multitudine, induſtria, pietate, Baſilicarum ac Monaſteriorum numero atque ſplendore nunc quoque ornata. Ammianus Marcellinus *Tungros civitatem amplam & copioſam* appellat, atque in Germania ſecunda ponit. *Germania II* (inquit) *Agrippinâ & Tungris munita, civitatibus amplis & copioſis.* Notitia Imperii non aliter nuncupat, in qua reperitur *Præfectus Laetorum Lagentium prope Tungros Germaniæ ſecundæ.* Æthico in Coſmographia *Tungri*; in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, *civitas Tungrorum*, in provincia Germania ſecunda ſecundum ac ultimum locum tenens; aliàs *civitas Tungrorum, id eſt Tungris* dicitur: *Tungris* & Aimoino, Hugoni, Roberto, aliiſque recentioribus in III. caſu plurali, aut certè in nominativo ſingulari. Gregorius Turonicus Epiſcopus in capite V. libri II. *Tungros opidum*, & *urbem Tungrorum* appellat: & *Aravatium* ejus urbis *Epiſcopum* in Trajectenſi urbe deceſſiſſe, *ablutumque à ſuis, & juxta aggerem publicum ſepultum eſſe* ſcribit. Quo mortuo, Attila Hunnorum Rex Gallias ingreſſus, Mettenſem urbem incendit, & *Aduacam Tungrorum* funditus evertit: ob id ſedes Epiſcopatûs Trajectum Moſæ tranſlata eſt, itave ſæpiùs *Trajectenſes* quàm veteri nomine *Tungrenſes* Epiſcopi appellarentur. Vetus nomen ſervat hodieque ea urbs. Vocatur enim à Germanis *Tongeren* aut *Tungren*; à Noſtris *Tongres*.

TURENSES, ET PAGUS TURENSIS.

Turenſes memorat Fredegarius in rebus Theodeberti ac Theodorici fratrum, atque inter *Sugintenſes Campanenſeſque* ponit. Quos nunc *Turgovienſes* dici, & *pagum Turenſem Turgoviam* appellari exiſtimo, *Turgouv*; *pagum Turgoienſem* Ratperto in libro de Monaſterio S. Galli: ubi eſt opidum Monaſteriumque S. Galli. *Turenſi* autem pago ſeu *Turgoienſi*, vel *Turgoviæ* nomen dedit *Tura* fluvius, *Tur* vulgò dictus, qui infra lacum Brigantinum ſeu Conſtantienſem in Rhenum effluit. *Turgovia* autem vel *Durgangia* pagus & Comitatus cum Monaſterio S. Galli Diœceſi quidem Conſtantienſi attribuitur; citra Rhenum tamen maxima ex parte jacet, & ob id Helvetiæ accenſetur.

Quidam Helvetiorum aut Suitiorum regionem dividunt quadripartitò, in *pagũ* videlicet *Tigurinum*, & in *pagũ Aventicenſe*, *Argoviamq;* & *Turgoviã*: ex quibus *pagus Tigurinus* Germanicè *Zurichgou* vocatur; *pagus Aventicenſis Vvifliſpurgergouv*. *Gou* vel *Gouv* linguâ Germanicâ pagum ſignificat. De *Turgovia* ſuprà diximus, à *Tura* amne qui cis Rhenum decurrit, & in Rhenum defluit, nuncupatam eam videri: qui pagus ob id Galliæ attribui poteſt, cùm ſit ex parte Ciſrhenanus. *Argovia*, *Argouv*, vel *Aergouv*, ab *Arola* fluvio nomen accepit, qui fluvius vulgò *Ar* & *Aar* nominatur, & Rheno ſupra Baſiliam accipitur: itave *Argovia* idem ſit, quod *Arolanus pagus* vel pagus ad Arolam, *Aragouvi* Eginhardo *pagus Helvetiorum*; Hepidanno *pagus Ergouve* dictus.

TURHOLTUM.

Rembertus in Vita Anſcharii Hammaburgenſis Archiepiſcopi ſic de eo loco refert. *Et quia Diœceſis illa* (Hammaburgenſis in Nordalbingis) *in periculoſis fuerat locis conſtituta, ne propter Barbarorum ſævitiam aliquomodo deperiret, & quia omnimodis parva erat, quamdam Cellam in Gallia Turholt vocatam, ad eamdem ſedem perpetuò ſervituram, ejus* (Anſcharii) *legationi tradidit* Imperator

Ludovicus. Ibidem dicitur Anſcharius ex Danis, *Nortmannis*, & Sclavinis, atque etiam ex captivis nonnullos pueros emiſſe, quos ad Dei ſervitium educaret: quorum quoſdam *in cella Turholt* nutriendos & ſacram militiam diſcendos curaverit. Dicitur & *Karolus Rex* mortuo patre ſuo Imperatore Ludovico, *abstuliſſe loco Hammaburg Monaſterium Turholt, ſitum in Occidentali Francia, & in Regno ſuo jacens; quod genitor ſuus ad ſupplementum & victum Epiſcopo* (Anſchario) *& Clericis ejus dederat: & Reginario dediſſe. Turholtum* vocat Miræus *Thoroltum*, & in Diœceſi Brugienſi poſitum eſſe ait: ubi nunc pro veteri Monaſterio ſit Canonicorum S. Petri collegium. Ego in Andoverpenſi Diœceſi poſitum reperio *Tournhovvt* vicum DCCC. domorum, *Turnhout* alias dictum, magnificâ Eccleſiâ Canonicorum, ſub Petri Apoſtoli nomine Deo dicatâ illuſtrem.

TURNACUM, ET DE NERVIIS.

Turnaci nec Cæſar, nec Strabo, nec Plinius ac Ptolemæus, nemo denique è veteribus Hiſtoricis ac Geographis meminit: quam tamen veterem urbem ac nobilem, atque etiam caput alicujus Gentis fuiſſe veriſimillimum eſt, cùm priſca ſedes Epiſcopatûs exſtiterit, antequam Noviomagenſis Eccleſiæ Epiſcopis commendaretur. *Turnaci* mentionem facit tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana; facit & Æthicus in Itinerario provinciarum non ſemel, atque inter *Viroviacum* & *Pontem Scaldis Turnacum* collocat, à *Viroviaco* XVI. à *Ponte Scaldis* XII. millibus paſſuum diſtans, à *Minariaco* XVII. à *Nemetaco* XXVII. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Turnacenſium* vocatur, atque inter provinciæ Belgicæ II. urbes duodecim VII. locum obtinet; in recentioribus Notitiis quintum. *Tornacum* dicitur Hieronymo in epiſtola ad Ageruchiam de Monogamia, Gregorio Turonenſi Epiſcopo in Hiſtoria, aliiſque: Audoëno in Vita Eligii *urbs Tornacenſis, quæ quondam fuit Regalis civitas*: fortè quia Chlodionis, Merovei & Childerici Francorum Regum fuit Regia vel ſedes, aut ſaltem Chlodionis, qui Carbonariam ſilvam ingreſſus, *Turnacum* & Camaracum urbes cepit, & omnia uſque ad flumen Suminam occupavit. In Notitia Imperii Rom. memoratur *Procurator Gynæcei Tornacenſis Belgicæ ſecundæ*: ubi malè in editis libris reperitur *Cynegy* pro *Gynæcy* vel *Gynæcei*. Ea urbs Noſtris *Tournay*, Germanis *Dornick* appellatur; incolæ ejus ſeu *Turnacenſes*, *Tourneſiens* vel *Tournisiens*; ager ſive *pagus Turnacenſis*, *le Tourneſis*.

Turnacenſis Eccleſia, quæ per quingentos circiter annos Noviomagenſibus Epiſcopis fuerat commendata, anno MCXLVI. proprium Epiſcopum nomine Anſelmum ab Eugenio Papa tertio recepit, Bernardo Abbate Claravallenſi præter ceteros procurante.

Raimundus Marlianus *Turnacum Nerviis*, Sabis & Scaldis fluminum accolis attribuit. Contrà Joſephus Scaliger *certò ſibi conſtare* ait, *Nervios non eſſe Turnacenſes*: ſed quinam ſint *Nervii*, & quo nomine nunc appellentur, negat ſe temerè affirmaturum. Cluverius putat *Turnacum* eſſe urbem primariam caputque *Sueconorum*, qui *Sueconi* vel *Suecones* ab uno Plinio inter Gentes Belgicæ numerantur. Ego nec Scaligero, nec Cluverio libenter acceſſerim. Nam Scaliger aperire nobis debuit, quam certæ & conſtantis affirmationis ſuæ cauſam haberet: cùm *Nerviis*, liberis à Plinio cognominatis, duo aut etiam tria capita eſſe potuerint, *Camaracum*, *Turnacum* atque *Bagacum*: ut Carnutibus Autricum & Genabum, Æduis Auguſtodunum, Matiſco & Cabilonnum, Seguſianis Lugdunum, Forum Seguſianorum & Rodumna, Leucis Tullum & Naſium, Vocontiis Vaſio, Dea, & Lucus Auguſti. Certè *Tribunus militum Nerviorum portu Æpatiaci* in Belgica II. atque *tractus Nervicanus*, ſeu *tractus Nervicani limitis*, aut *Nervici litoris tractus* in Notitia Imperii Romani, & in epiſtola Paulini ad Victricium una cum terra Morinorum ceu proxima memoratus, indicare videtur *Nervios* uſque ad mare pertinuiſſe: quod falſum eſſet, niſi eis *Turnacum* attribueretur. *Turnacenſi* enim *Eccleſiæ* auctor eſt Audoënus olim paruiſſe Gandenſes præter ceteros, qui ab Oceano non multum abſunt. *Suecones* vero Plinius quidem commemorat, ſed more ſuo ſitum eorum non deſignat, nudum civitatis nomen retuliſſe contentus. Alibi quàm apud Plinium *Suecones Suenconesve* fruſtrà quæſieris: cui Genti obſcuræ & ignobili, vel potiùs ignotæ *Turnacum* cur aſſignaverit Cluverius, neſcio: neſcit ipſe. Nequaquam igitur certiùs conſtat *Turnacenſes* eſſe *Suecones*, quàm *Nervios* non eſſe. Samſon *Turnacum* cum Tarvenna Morinis aſſignat, & in *Turnacenſium* finibus duas Diœceſes ait eſſe conſtitutas, & ex Turnacenſi detractas, Gandenſem & Brugenſem: licèt veteres auctores duas tantùm civitates Morinis attribuere conſueverint, Tarvennam, atque Geſoriacum ſive Bononiam; mediterraneam alteram, alteram maritimam. Et idem Samſon velut oblitus ſui, ſecumque pugnans, *Pleumoſios* à J. Cæſare memoratos *Diœceſim Turnacenſem* interpretatur, atque hac ratione nunc *Nerviis*, nunc tantùm Pleumoſiis, eorum clientibus admodum obſcuris *Turnacum* urbem claram adſcribit.

Notanda ſunt verba Dadonis de Eligio, Antiſtite Veromanduorum & *Turnacenſium* conſtituto. *Hoc ergo modo aurificem invitum detonſum, conſtituerunt cuſtodem urbium ſeu municipiorum his vocabulis, Vermandenſis ſcilicet, quæ eſt metropolis urbs, Tornacenſis verò, quæ quondam regalis exſtitit civitas, Noviomagenſis quoque & Flandrenſis, Gandenſis etiam & Corturiacenſis. Ob hoc itaque eum vel maximè in his locis dederunt Paſtorem, quòd incolæ ejuſdem regionis magna adhuc ex parte Gentilitatis errore detinebantur, & vanis ſuperſtitionibus ſatis* (id eſt, valdè) *dediti erant, quique velut agreſtes feræ nullatenus ſalutare verbum recipere poterant.* Quibus ex municipiis *Noviomagum* ad Auguſtam Veromanduorum, *metropolim urbem* impropriè dictam pro Epiſcopali; municipium Flandrenſe ſeu Brugas, Gandam, & Cortoriacum ad *Turnacum* civi-

tatem olim Regiam & Epiſcopatus ſedem pertinuiſſe nemo non videt. At Andoverpenſes Camaraco ſubjecti erant: Suevi & Friſiones proximi quidem Diœceſi Turnacenſi fuere; ad eam tamen non pertinuere, ſed forſitan ad Camaracenſem Antiſtitem: quibus Andoverpenſibus, Friſiis & Suevis Eligium conſenſu & voluntate Epiſcoporum ſuorum Evangelium prædicaviſſe putandum eſt. Ex *Turnacenſi* Diœceſi duas alias eſſe decerptas, Gandenſem & Brugenſem; & in Menapiis Andoverpenſem ſedem præ ceteris fuiſſe conſtitutam Samſon exiſtimat.

Inter urbes quæ nunc ſuffragantur Camaraco novæ metropoli, Montem Caſtrilocum, caput Hainoi, Condate, Athum, Querceium vel Caſnetum, Landericiacum, Avelnas, Binchium, Bellum Montem, Sonegias, Malbodium, Cimacum ſub ſe habenti, primas tenet *Turnacum*, ſecundas Atrebatæ, quarum Diœceſi Duagium, Betunia, Bapalma vel Batpalmæ, Lenenſe caſtrum, *Lens*, Buccinium *Bouchain*, & Baſſea, ac pars Valentianarum continentur. Nam alteram Valentianarum urbis, & *Turnaci* quoque portionem Camaracum ſuæ vindicat Diœceſi Nunc *Turnacum* unà cum Inſula & Duagio attribuitur Flandriæ Gallicanæ, ſeu Flandriæ linguâ Gallicâ vel potiùs Francicâ utenti, quam vulgò *pagum Francum* vocant, *le Franc.*

Ptolemæus *Nervios* inter Veromanduos & Menapios Moſæ adſitos collocat, & duas eis urbes attribuit, Βάγακον quam Latini *Bagacum Nerviorum* vocant, *Bavay*; atque Ῥατόμαγον, *Ratomagum*. *Ratomagi* appellatio exolevit, nec uſquam opidum ejus nominis in hac regione reperitur. Quare videtur *urbs Ratomagus* nomen poſtea mutaviſſe, ac dicta eſſe *Camaracum*, aut certè *Turnacum*. Nam utraque civitas æquali ferè diſtantiâ à *Bagaco Nerviorum* abeſt, *Turnacum* per Pontem Scaldis millibus paſſuum XXIV. Camaracum XVIII. tantùm. Præterea ambæ urbes, Epiſcopales ſedes ſunt veterrimæ: & Epiſcopatuum ſedes niſi in capitibus Gentium poni non ſolebant. Inclinat tamen animus, ut credam à Ptolemæo *Ratomagi Nerviorum* urbis primariæ nomine Camaracum deſignari, nec Camaracum modò cum Bagaco, ſed etiam *Turnacum Nerviis* attribuam. *Nervii* enim, Νερούιοι Græcis dicti, ut potentiſſimi fuerunt, & Centrones, Grudios, Levacos, Pleumoſios, Gordunos ſub imperio ſuo, fineſque latiſſimos habuerũt, ſic & tria Gentis ſuæ capita ac Epiſcopatus apud ſe duos facillimè habere potuerunt. Et *Nervios* quidem Cæſar mediterraneos facere videtur in libro II. de bello Gallico, Scaldis & Sabis fluminum accolas, Ambianis, Atrebatibus, Veromanduis, Aduaticis finitimos. Plinius quoque *introrſus* eos collocat, hoc eſt procul ab Oceano; & Atrebatibus ac Veromanduis, mediterraneis utique populis medios *Nervios liberos* interponit; Strabo Treviris ac Menapiis malè, cùm conſtet *Nervios*, quos Germanicam Gentem vocat, Trevirorum fines minimè attigiſſe. Ptolemæus ſimiliter *Nervios* à mari removet: & veteres Geographi ac Hiſtorici in tota hac ora Galliæ *Morinos* ac *Menapios* junctim collocant, itave ibi locum *Nerviis* ad Oceanum nullum relinquere aut aſſignare videantur. Et tamen Notitia Imperii Romani *Tractum Nervicanum* ſeu *Tractum Nervicani limitis* cum *Armoricano* conjungit, atque ad Oceanum ponit. Paullinus quoque *remotiſſimum Nervici litoris tractum* appellat in epiſtola ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum, quem *in eo tractu verbum Domini prædicaviſſe* aſſerit: in actis etiam Quintini, Criſpini & Criſpiniani Rictius Varus *Nervici limitis Præfectus* appellatur: à quibus *Nerviis Nervicum litus*, & *Nervicus limes* aut *tractus* nomen nequaquam tum accepiſſet, niſi tum ibi ſedes habuiſſent.

Gregorius Turonicæ Eccleſiæ Epiſcopus in libri IV. de Miraculis S. Martini capite XII. *Turnacum* alterum vel *Tornacum urbem* in Cenomanis memorat. *Apud Tornacenſem* (inquit) *Cinomannici territorij urbem, quæ nunc in ipſius Sanctæ Baſilicæ* (id eſt Turonicæ Baſilicæ S. Martini) *ditionibus detinetur*, &c. Ibidem *oratorium urbis* nominat, & Reliquias B. App. Petri & Paulli in ipſo loco haberi tradit. *Tornacum* iſtud in Cenomanico pago, fortè eſt *Tornes*, municipiolum nunc aut potiùs vicus inter Lavarzinum & Carcerem caſtrum trans flumen Lidericum aut Lidum in extremis finibus Cenomanorum.

Botarotius nummum quemdam profert, inſcriptum in averſa parte *Turnaco*: ex quo intelligitur ibi ſub Merovei poſteris nummos percuti conſueviſſe.

Gregorius in libri Hiſtoriæ X. capite XXVII. ſcribit, *inter Tornacenſes Francos* non mediocrem diſſenſionem ortam eſſe propter duorum affinium rixam & cædem, & cùm amborum propinqui inter ſe ſævirent, nec ad concordiam verbis poſſent adduci, Fredegundis juſſu in convivio ſecuribus eſſe percuſſos, Charivaldum, Leodovaldum, atque Vualdinum: quorum trium propinqui artiùs cuſtodire Fredegundem cœperint, & ad Regem Childebertum nuntios miſerint, ut comprehenſa interficeretur. Erant hi *Seniores Franci*, ſeu Majores natu *Turnaci*: quales *Seniores Rotomagi Francos* idem in libri VIII. capite XXXI. commemorat: quales apud Pariſios vel Luteciam vir & pater mœchæ, ac amborum proximi, qui Baſilicam B. Dionyſii Martyris cædibus polluerunt; quos Gregorius in libri V. capite XXXIII. aſſerit fuiſſe *Majores natu & primos apud Chilpericum Regem*. Tales Maſſiliæ fuere *Majores natu*, quos à *civibus & populo*, id eſt ab indigenis ſive Gallis Maſſilienſibus Gregorius in libri IV. capite XXXVIII. diſtinguit his verbis. *Pro quo numquam obtinere potuerunt, non Epiſcopus, non cives, non ullus Major natu, non ipſa vox totius populi acclamantis, ut*, &c. Hos in libri VI. capite XI. *Seniores* Maſſilienſium Gregorius appellat. Tales *Seniores urbis* Mettenſis in libri VIII. capite XXI. *Diſcedentibus multis è civitate* (Mettis) *cum Epiſcopo, & præſertim Senioribus urbis cum Duce*, &c. cujuſmodi Franci *Meliores Franci*, item *Priores*, & *Proceres* à Gregorio vocantur. De *Senioribus Francis*, per urbes Galliæ ſparſis, in Rotomago ſcripſimus.

TURNO.

Turno, *Tournon* locus eſt poſitus ad ripam Rhodani dextram è regione Tegnæ, (*Tin*) nunc celeberrimus, & Comitivæ titulo ac ſcholis ſuis, & multitudine habitatorum inſignis: qui in litteris Caroli Regis, filii Lotharii Aug. *caſtrum Torno ſitum in pago Lugdunenſi juxta flu. Rhodanum* dicitur; in litteris Lotharii Regis, Caroli ejus fratris *villa Turno*. Recentiores *Turnonium* mendosè appellant. Ibi orta eſt, & inde nomen ſuum traxit familia nobilis *Turnonenſium* dominorum, quos pleriq; *Turnonios* non ſervatâ analogiâ vocitant.

TURONES, ET DE VETERIBUS TURONUM VICIS, ALIISQUE AD EAM GENTEM PERTINENTIBUS.

Turone & *Turoni* in libro II. & VII. Commentariorum belli Gallici commemorantur à Cæſare; Plinio *Turones* dicti in Lugdunenſi Gallia; Tacito *Turonij imbelles*, alias *rebelles* in libro III. Annalium; Ptolemæo Τυρώνιοι in Gallia Lugdunenſi mendosè pro Τυρῶνοι, id eſt *Turunij* vel *Turonij*; vulgo *les Tourangeaux*, quaſi *Turonicelli*. Apollinaris Sidonius in Panegyrico Majoriano Aug. dicto ſcribit, eum adhuc privatum à Gothis Turonos defendiſſe.

Cùm bella timentes
Defendis Turonos, aberas.

Heic miror, quòd *Turones* Cenomanis, multo clariori Genti & miſſis in Italiam coloniis celeberrimæ ſint præpoſiti, itavt provinciæ Lugdunenſis tertiæ caput & metropolis civitas Turonorum fuerit, & ei proxima ſed ſecunda atque ſubjecta civitas Cenomanorum. Sed forſitan antequàm Gallia in XVII. provincias divideretur, ſeu ante Arcadii Honoriique Principatum auctæ erant jampridem *Turonum* vires imminutæ Cenomanorũ: & urbs Turonorum appoſita flumini maximo clariſſimoq; Ligeri, urbi Cenomanorũ Sartæ ignobili fluvio adjacenti pridem cœperat prævalere. Quin & jam ætate Julii Cæſaris *Turones* plus Cenomanis poterãt: cùm *Turonibus* ſex millia, Aulercis Cenomanis tantùm quinq; armatorum millia ad Aleſiam obſidione Cæſaris liberandã à Gallorum principibus ſint imperata. Dicet aliquis, cùm flumen Liger Celtas dividat ab Aquitanis, Forum Seguſianorum quidem, Noviodunum Æduorum ſeu Nivernum, Condate, Brivodurum, Giemacum, Aurelianos, Magdunum, Balgentiacum, caſtrum Bleſenſe Carnutum, ac Namnetas aliaque loca meritò Celtis tribui, quoniam ad dextram ſeu ad Celticam Ligeris ripam jacent: at *Turones* qui maximam agri ſui partem trans lævum Ligerim habeant, & quorum caput Cæſarodunum ſiniſtræ ſeu Aquitanicæ ripæ fluminis ſit appoſitum, Aquitaniæ potiuſquam Celticæ vel Galliæ Lugdunenſi acceſſeri debuiſſe. Verum id planè, ſi à Romanis in diviſione provinciarum exacta cujuſque finium ratio habita eſſet. Nunc habitam non eſſe conſtat. Quippe ut de aliis taceam, trans Sequanam terminum Celticæ & Belgicæ Velocaſſes & Caleti latè habitant, & tamen Celtis, non Belgis adnumerantur: & Rotomagus urbs Velocaſſium ac Caletorum caput, trans Sequanam quoque eſt ac ad dextram Belgicamve fluminis ripam poſita: nihilominùs tamen metropolis facta eſt a Romanis provinciæ Lugdunenſis ſecundæ. Carolus Magnus in Diviſione Regnorum ſuorum inter filios, *pagum Turonicum* in Aquitania ponit, quia pars ejus maxima trans Ligerim in Aquitaniæ finibus erat. Verba ejus ſunt. *Aquitaniam totam & Vaſconiam, excepto pago Turonico, & quidquid inde ad Occidentem ac Hiſpaniam reſpicit, Ludovico dilecto filio noſtro conſignavimus.* Aimoinus in capite IV. de ſitu Germaniæ & Galliæ, *Vrbes* (inquit) *Biturica atque Turonica, ſecundum Oroſii diffinitionem qui Aquitaniam à flumine Ligeri uſque ad Pyrenæos determinat montes, quamque moderni ſequuntur, nõ in Celtica Gallia, ſed magis in Aquitania ſunt provincia.* Sed de Biturigibus Cubis ac urbe eorũ Avarico nemo umquam dubitavit eos in Aquitania eſſe, nemo poſt Auguſtũ Cæſ. in Celtica vel in Lugdunẽſi Gallia eos collocavit. Bernardus Guido in Chronico anno MCCCXX. eamdem ob cauſam *Turones* Aquitaniæ quoq; falso licet attribuit. *Aquitania exceptis civitatibus trium provinciarum,* (id eſt præter civitates) *habet Turoniam & Toloſam. Quidquid enim eſt inter Ligerim & Garonam, & Pyrenæos montes, & uſque Oceanum mare, totum eſt Aquitania.* Apud Frodoardum ambobus vetuſtiorem cum Rutenis, Gabalis, Arvernis, Pictonibus, Lemovicibus, *Turones* in Aquitania ponuntur in libro II. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis.

Agrum *Turonum* Gregorius Turonicus Epiſcopus *territorium Turonicum* in libro II. Hiſtoriæ Franciciæ; abſolutè etiam *Turonicum*, hoc eſt agrum Turonicum, pagum Turonicum, territorium Turonicum, terminumve Turonicum appellat in libri V. capite VII. & XXXIV. *Turonicum* quoque Capitula Caroli Calvi. Nonnulli *Turoniam* vocant, *la Touraine*. Et quoniam Gregorii noſtri incidit mentio, notandum eſt eum apud Fredegarium pro *Turonico* appellari *Epiſcopum Toronacum*, & librum Chronici Fredegarii IV. in MSS. codicibus dici *excerptum ae Chronico Gregorij Epiſcopi Toronaci*. *Torones* enim & *Toroni* à Gregorio ipſo, à Fortunato, à Fredegario, & ceteris inferioris ætatis ſcriptoribus nuncupantur, ut *Tollum*, *Tornacum*, *Betorici*, *Roteni* vel *Rodeni*; qui à veteribus *Turones* & *Turoni*, *Turnacum*, *Tullum*, *Bituriges*, *Ruteni* vocabantur. *Toronacum* igitur à *Toronis* vel *Toronibus* dixit Fredegarius; ut à Senonibus *pagum Senonagum* aut *Senonacum* pro Senonico. Gregorius partem pagi *Turonici* quæ trans Ligerim fluvium ſita eſt, deſignat hiſce verbis in libri II. Miraculorum S. Martini capite XIII. *Vrſulfus quidam ex Turonica civitate,* (id eſt ex Turonica regione) *de pago trans Ligerim, cæcus B. Martini ſuffragia expetiit.* Idem in libri III. capite LV. ſic ſcribit. *Mulier trans Ligerim in die Dominico cùm operam exerceret, quam in die illo fieri Patrum inhibet auctoritas, manus ejus contracta diriguit.* *Mulier trans Ligerim* Gregorio eſt mulier de pago *Turonico* ultra Ligerim. Sed utram partem *pagi Turonici* deſignet, incertum eſt;

cùm quod ipſi trans Ligerim erat, nobis Luteciæ habitantibus ſit citra Ligerim, & contrà: itaut *Turones* citeriores habitâ Luteciæ ratione potiuſquàm ulteriores indicare videatur.

Neque verò trans Ligerim modò, ſed etiam trans Vingennam fluvium *Turonum* fines patebant. Unde *Girardum de Monte Rebelli*, ſive *de Mangia, Archidiaconum Trans-Vigennenſem in Eccleſia Turonenſi* Guillelmus Major, Epiſcopus Andicavenſis in Geſtis ſuis commemorat ante annos CCCLIV. ſicuti eadem in Eccleſia eſt & Archidiaconus Tranſligeritanus ſive trans Ligerim.

Turonum nomen videtur ſervare *Turonium in litore Galleciæ*, ab Idatio in Chronico memoratum: qui locus portu clarus *Corunna* Hiſpanis vocatur, Noſtris *la Corongne*.

In Geſtis Conſulum Andegavenſium ſic Ingelgerius Comes Vvaſtinenſis & Andegavenſis *Turonicos* alloquitur. *Viri Turonici divitiis affluentes, cùm divite ingenii venâ calleatis, & prudentiâ & fortitudine polleatis, miror admodum*, &c. Dites & ingenioſos, prudentes, atque etiam fortes *Turonicos* ſeu Cæſarodunenſes facit.

Ducatus *Turoniæ* à fluvio Toëdo, (*Toüé*) qui inter Abbatiam S. Florentii & Salmurium caſtrum in Ligerim influit, uſque ad Hagas Blimartii, quæ & Sancti Cyrici dicuntur, ab Oriente in Occidentem promittitur: à Septemtrione terminum habet fluvium Ledum, (*le Loir*) quo ab Epiſcopatu Cenomanico & Carnutino dividitur; à meridie *fluvium Vetle*, qui eum à pago Pictavenſi ſeparat. Opida habet & caſtella, ab oriente Ambaciam, Montem Tricardi, Rainaldi caſtrum *Chaſteau Renaud*; à meridie Luccas *Loches*, Prulliacum *Prully*. Hagam, *la Haye en Touraine*, Inſulam Burcardi *l'Iſle Bouchard*, S. Mauram, Montem Baſonis *Montbaſon*, ad Angerem vel Andriam, Bliriacum ad Carim flu. *Bleré*, Montem Theſauri ad Andreſium *Montreſor ſur l'Indrois*: ab occidente habet Montem Sorelli, quem alii Andibus attribuunt, Cainonem, Columbaria *Columbiers*, & Saponariā *Savoniere*, quæ duo loca ad Carim flumen ſunt: ad Septemtrionem Lengiacum vel Alingaviam *Langey*. Malliacum *Maillé*, Campum Caprarium, Rulliacum, Semblentiacum *Samblançay*, Novum Vicum *Neufvy en Touraine*.

Turonicum pagum à meridie alluunt fluvii, Vetlus aut Vedia, *Vende*, ad quem eſt Campiniacum *Champigni*; Vingenna, Croſa vel Croſia, *la Creuſe*; Andria *Indre*, Caris *le Cher*, Amatiſſa *l'Amaſſe*: à Septemtrionibus Ledus *le Loir*, Lidus aliàs & Lidericus; Breſlia *Breſne*, Coſelia *Choiſille*, aliàs Coſilium & Cuſilla; Glandeſia, Gurneſia; Braënna, *la Branle* vulgò dictus litterâ n in l. mutatâ; Sicia vel Sicera *la Ciſſe*, & Liger.

Notare convenit, quod ait Samſon, partem *Turoniæ* ſeu *Ducatus Turonici*, & pagi Burbonenſis portionem, Biturigum Cuborum eſſe, ſeu Diœceſi Biturica contineri: quod non veteribus Gentium terminis prolatis, ſed Comitatuum Ducatuumque finibus beneficio Regum aut virtute poſſeſſorum auctis ſæpe accidiſſe conſtat.

Tavanius in Commentariis ſuis ſcribit, in urbe *Turonis* eſſe portam Regis Hugonis, *la Porte du Roy Hugon*: quam Taburotius cognomine Accordius, in capite de Paronomaſiis, Turonicam portam Hugonis nuncupat, *la Porte de Hugon à Tours*; & corruptè vulgus *la Porte Fourgon*; Avila in libro I. ſimiliter portam Hugonis, à qua Calvinianos *Hugonotos* dictos eſſe putat, *Huguenots*, quoniam primos ibi noctu conventus habuerint in cellis ſubterraneis huic portæ proximis, & ea in urbe hæreſis originem, vires, ac iſtud nomen acceperit. *Hugonoti* dicti tamquam lemures & *Hugonis Regis* nocturni diſcipuli ac aſſeclæ. Idem credit Thuanus in libro XXIV. Hiſtoriæ, & *Cæſaroduni* (inquit) *Hugo Rex celebratur, qui noctu pomœria civitatis obequitare, & obvios homines pulſare & rapere dicitur.* Paſchatium eadem referentem Andreas Cheſnius ad verbum tranſſcripſit; uti Thuanum Famianus Strada: qui tamen *Hugonem* hunc *Regis* nomine non donat. Alibi reperio, *Turonis Regis Hugonis* fieri mentionem, ut Pariſiis Monachi melancholici vel lycanthropi, Aurelianis *muli Odonis*, apud Bleſenſes lupi Varoli. *A Tours le Roy Huguet, comme à Paris le Moine bourru, à Orleans le Mulet Odet, à Blois le Loup Garou.* Equidem exiſtimo de *Hugone* veteri Comite Turonorum, forſitan & portæ iſtius *Turonicæ* reparatore, factum eſſe huncce *Hugonem*, vel *Regem Hugonem*. *Hugon* aut *Roy Huguet* vulgò à mulierculis dictum: quem etiamnum incolæ pro lemure terrifico maleficoque habeant, quoniam fortè ob aſperitatem morum vivus eorum majoribus terrori fuerit. Comes autem iſte ab Eginhardo in Annalibus, & ab incerto ſcriptore Vitæ Caroli Magni, & in Annalibus Bertinianis ac Metenſibus *Hugo Comes Turonicus* nuncupatur; *Hug Comes Turonicus* in Annalibus Francicis ad annum DCCCXIII. deductis, in Vita Caroli Magni à Monacho Ecoliſmenſi deſcripta, inque Annalibus Fuldenſibus: & anno DCCCXI. ab Imperatore Carolo ad Nicephorum Aug. Conſtantinopolim miſſus eſt pacis confirmandæ cauſâ Legatus cum Haidone vel Hattone Epiſcopo Baſilienſi, & Aione Langobardo Forojulienſi: qui à Michaële genero & ſucceſſore Nicephori inſequenti anno auditi ac re confecta remiſſi ſunt. Sic & mulus *Odo*, vel ὑποκοριστικῶς *Odetus*, (*le Mulet Odet*) Aurelianis ab *Odone* Comite Aurelianenſi nomen mihi videtur accepiſſe, & ex nomine veteri nova fabella ficta eſſe. Certè in Vita Imper. Ludovici Pii dicitur Pippinus Rex Aquitaniæ anno DCCCXXX. à patre defeciſſe, & in Aurelianenſis urbis Comitatum, *ſublato inde Odone*, reſtituiſſe Matfridum.

Turones, Gens Celticæ ſeu Galliæ Lugdunenſis, ab oriente Carnutibus & Biturigibus, ab occidente Andicavis ſunt finitimi, à ſeptemtrione Cenomanis, à meridie Pictonibus. In *Turonibus* vetera Canonicorum collegia XX. claræ Abbatiæ totidem, minora Monachorum Cœnobia ſunt ampliùs centum, Eccleſiæ Baptiſmales ſeu Parœciæ, quas Curas vo-

cant, quadringentæ, intra urbem *Turonos* XVI. & præter Majus Monaſterium (*Mairmouſtier*) ac Baſilicam S. Martini, Bellus locus, (*Beaulieu* ad Andriam) Cormaricum, (*Cormeri* ad Andriam) Villa Lupæ vel Villa Lupenſis, (*Ville Loin* ad Andriam) Pruliacum, (*Pruille* ad Claſiam flu.) Nucarium, (*Noyers* ad Vingennam) Caino, (*Chinon* ad Vingennam) VI. Abbatiæ Benedictinæ, fetus Baſilicæ S. Martini atque propagines.

Tres ſunt in Eccleſia *Turonica* Archidiaconi: Archidiaconus major ſeu *Turonenſis*, ab urbe *Turonis* quæ ſedes ejus eſt, ita cognominatus; Archidiaconus *Transligeritanus*, & Archidiaconus *Transvingennenſis*.

Planities fertiliſſima, Carim inter & Angerem vel Andriam in Turonibus jacens, à Monte Tricardi & Bliriaco (*Bleré*) ad Montem Theſauri, *Campania* olim vocabatur, ac etiamnum appellatur *Champagne*. In Geſtis dominorum Ambaciensium *Campaniæ* hujus *Turonicæ* non minimum fit mentio. *Maxima planities ultra Endriam ſita, quæ antiquo vocabulo Campania dicitur, eos nimis fatigaverat.* Item: *Gueuno de Caſtellione cum ſuis copiis Campaniam cauſâ depradandi aggreſſus eſt, & uſque ad ripas Cari fluvii venit.*

Operæpretium fuerit loca *Turonum* vetera, ſed minùs nota, quorum Gregorius Turonicus Epiſcopus meminit, & nos etiam ex parte jam mentionem fecimus, heic ſubjicere, ac litterarum ordine explicare. Interpretationem plerorumque nominum à Joh. Maano Turonico, qui de Metropolitana Eccleſia *Turonenſi* ſcripſit; aliquot ſed paucorum à Mich. Marollio Abbate Villæ Lupenſis mutuabimur. Sunt igitur hæc.

Alingavia vel *Alingavienſis vicus* Gregorio; *Lingia* Fulconi Richino dicitur; *Langiacum* in Geſtis dominorum Ambacienſium, *Langeſium* aliàs. Certe in quibuſdam Synodis, præſertim in Synodo anni MCCLXX. vocatur *Alingavia, ſive Langeſium*: vulgò *Langeai*, aut *Langey*. Quædam tabulæ Geographicæ *Langeis*, quædam *Langez* appellant. Opidulum nunc eſt ad Ligerim infra *Turonos* poſitum, melonibus ſuis clarum.

Angiacum, *Angé*, ad fluvium Carim inter caſtrum S. Anniani & Montem Tricardi.

Aſiacum, vulgò *Aſay*, aut ſi pronuntiationem vulgarem ſequimur, *Azay*. Ejus nominis II. ſunt in Turonibus loca ad fluvium Carem: alterum *Azay le Chetif*, id eſt *Aſiacum* Parvum aut Paupertinum; alterum *Azay le Rideau* cognominatum. Eſt & *Aſiacum* ad Carim, *Azay ſur Cher*. & *Azay le Ferron* inter fluvios Andriam & Claſiam.

Balatedine in vico ædificatam à Perpetuo Epiſcopo *Turonico* Eccleſiam ſcribit Gregorius. *Balatedo Balatedinis* declinatur, ut ordo ordinis, cardo cardinis. *Balatedinem* Marollius *Vanne* interpretatur, alias Rupem Corbonis; at Maanus (cui accedo) *Balan*, qui eſt locus non procul à flu. Cari.

Berravum aut *Berravum* Marollius *Bourray* ad Carim flu. prope Montem Tricardi, aut *Berray* non longè à Lauſduno diſtans, aut certè *Bretenay* ad Ligerim infra *Turonos* ait eſſe, dubius atque hæſitans. Maanus *Baron* interpretatur, locum inter Croſam & Claſiam Croſæ mox acceſſurum: cui aſſentiri malim. Gregorius nunc *pagum Berravenſem urbis Turonicæ*, id eſt *pagi Turonici* vicum; nunc *vicum Berravum* appellat, numeratque inter Eccleſias à Perpetuo inſtitutas.

Briccam vicum memorat Gregorius, in quo Brictius Epiſcopus Eccleſiam inſtituerit: quem locum eſſe *Bray* aut *Brei*, aliàs *le Fau* ad Angerem flu. Luccas inter & Cormaricum Maanus ſcribit, & *Breſim caſtrum* ſæpe in libro de Geſtis dominorum Ambacienſium vocari. Eſt vicus *Turonicus* in confinio *Turonum* & Andicavorum poſitus, proximus Caſtellis, *Chaſteaux en Anjou*, vulgò *Breche* dictus nomine ad *Briccam* accedente.

Briotreidis vicus, in quo Brictius Eccleſiam ædificavit, memoratur à Gregorio: quem *Autreche* locum III. leugis diſtantem ab Ambacia Marollius putat eſſe, Maanus *Briſay*; ego *le Briuore* ad Andriam.

Brixis vicus, in quo Euſtochius Eccleſiam ædificaviſſe Gregorio dicitur, mihi videtur eſſe *Breiis caſtrum* in Geſtis dominorum Ambacienſium memoratum, & *Briſay* nunc dici: quam appellationem Maanus *Briotreidi* convenire arbitratur.

Buculium Maanus haud dubiè priſca ſecutus monumenta vocat *Bueil*: à quo nomen familiæ Bucuilenſi.

Calatonnum vicum, in quo Brictius Eccleſiam inſtituit, *Chaumont* ſeu Calvum Montem in confinio *Turonum* & Carnutum ſeu Bleſenſium Marollius eſſe exiſtimat; Maanus indictum relinquit. Equidem *Clion* ad Andriam inter Paludellum (*Palnau*) & Caſtellionem magis eſſe crediderim.

Cancedi hodieque nuncupantur *Chanceaux* ad Cuſillam amniculum.

Cerate vicus, Gregorio dictus & *Ceratenſis Turonicæ urbis vicus*, in quo Euphronius Eccleſiam exſtruxit, eſt *Ceré* inter Andriſium & Carim amnes ſitus locus. *Ceray* quidam ſcribunt. Cerate *Ceré*, ut Condate *Condé*.

Ciconiacum eſt *Cicogné* Carim inter & Angerem vel Andriam fluvios.

Ciſomagus, vel *vicus Ciſomagenſis*, in quo Martinus ædificaviſſe Eccleſiam dicitur à Gregorio, ſi Marollio creditur, eſt *Charniſay* inter Claſiam amnem & ſilvam, aut certè *Cigongné*: ſi Maanum ſequi malumus, (ut profectò malumus) eſt *Chiſſeau*, locus Cari fluvio appoſitus, non longè remotus à Monte Tricardi.

Columbaria à re nomen habuere, ad Carem flu. poſita, *Columbiers* hodieque dicta. Sunt & *Columbaria* in Biturigibus, *Coulombiers*, non longè à Nereenſi vico ſeu Aquis Neri, *Neris*: ubi Patroclus Monaſterium *Columbarienſe*, à Gregorio memoratum exſtruxit.

Condate, vel *Condatenſem Diœceſis Turonicæ vicum*, & *vicum Condatenſem* poſt Severum Sulpicium, necnon *Condatenſem Diœceſin* vocat Gregorius, in quo Martinus deſtructis delubris baptizatiſque Gentilibus Eccleſiam ædificavit. Hic locus in confinio *Turonum* & Andicavorum poſitus eſt ad Vingennæ & Ligeris confluentes, & *Cande* vulgò dicitur o in a converſo.

Dols vicus nō longè ab Andria fluvio & Aſia-

co Captivo, vulgò *Dolus*. Gregorius ſcribit, *Euſtochium inſtituiſſe Eccleſias per vicos Iciodorum, Luccas, Dolus*. *Dolus* dixit in IV. caſu pro *Dolos*, ut *Pariſius* pro Pariſios. Inde orta terminatio vulgaris nominis, *Dolus*.

Evena vicus, in quo Perpetuus ædificavit Eccleſiam, Marollio eſt *Eve le Montier*; Maano *Aveine* rectè: qui eſt locus Ligerim inter & Vingennam. Ut avenam *aveine* Noſtri dixere; ſic Evenam *Aveine*.

Gaudium, cujus meminit Gregorius in libro de Gloria Martyrum, Marollius *Joüy* exponit. At Joiacum, *Joüé* vel *Jouay* incolis dictum, in *Turonibus* ad Carim reperio; *Joüy* non reperio. Idem Marollius alibi *Jocundiacenſem domum Turonis proximam*, à Gregorio in libri V. Hiſt. capite XIV. memoratam, *Jouy* eſſe ait, oblitus ſui.

Iciodorum vicus, in quo Euſtochius Eccleſiam conſtituit, *pagus Iciodorenſis urbis Turonicæ*, id eſt vicus *pagi Turonici*, Gregorio dicitur in libro VI. Hiſtoriæ; eidem alibi *vicus Iciodorenſis ſub termino Turonicæ urbis*; vulgò *Iſeure*, c in ſ, o in eu ex more converſis, locus in confinio *Turonum* & Pictonum: de quo alibi egimus.

Lucilliacum à Lucillio nomen accepit. *Vicus Lucilliacus* ab Injurioſo fundatus eſt, ut Gregorius ſcribit. *Luſillé* incolæ appellant: ſed plerumque *Leſillay* efferunt, aut *Lezillé*. Vicus eſt inter Carem & Angerem vel Agnerem fluvios. De eo omnes conveniunt.

Mantolomagus vel *Mantolomaus vicus*, quem Gregorius à Voluſiano Epiſcopo Turonico *ædificatum*, id eſt Eccleſiâ donatum eſſe tradit, & in libro VII. *Montalomagenſem vicum* nuncupat, *Mantelan* u. nuncupatur.

Malliacum, *Malliacenſi Monaſterio* & S. Sollemnis tumulo Gregorio non indictis celebre, Marollius interpretatur *Maillé*, locum III. leugis infra *Turonos* poſitum ad colles Ligeris, nunc Eccleſiâ Collegiatâ & Ducatûs titulo ſub novo nomine Luini clarum. Eſt & *Malliacum* alterum in *Turonibus* ad Vingennam flu. *Maillé Laillier*.

Marotalum notum eſt. Vocat Gregorius *Marotalenſem Eccleſiam termini Turonici* in libro VII. Hic locus à *villa Marotalenſi*, cujus in libro X. Gregorius meminit, mihi videtur differre. Nunc dicitur *Mareüil*, aut *Marueil*, eſtque locus ad Carim poſitus inter caſtrũ S. Anniani & Angiacum in extremis *Turonum* finibus.

Mediconnum vicum, in quo Perpetuus ædificavit Eccleſiam, *Metray* Marollius exponit; Maanus feliciùs *Monnoye*, nomine ad *Mediconnum* propiùs accedente. Pleræque tabulæ *Monnaye* præferunt. Eſt & *Moſne* ad Ligerim proximus Ambaciæ: quod nomen ad *Mediconnum* accedit.

Mons Laudiacus, in quo Baſilicam S. Laurentio Perpetuus ſtruxit, & quem *vicum Laudiacum* VI. *ab urbe Turonis miliario* Gregorius in Hiſtoriæ libro II. vocat, eſt *Mont-Loüis*, locus ſupra *Turonos* ad ſiniſtram ripam Ligeris poſitus, III. ab ea urbe leugis remotus: de quo jam alibi diximus.

Novivicenſis Eccleſia in Turonico memoratur à Gregorio, in libro de Gloria Martyrum. *Novus Vicus* eſt *Neufvy en Touraine*.

Novilliacus vicus ab Injurioſo *fundatus* dicitur Gregorio, id eſt Eccleſia ibi primum ædificata; & à Baudino *alter vicus Novilliacus ædificatus*, alias *Nobiliacenſis pagus urbis Turonicæ* Gregorio vocatus. Duo ſunt hodieq; ejus nominis in *Turonibus* vici, alter prope Hagam Turonum *Novilliacus Nobilis* cognominatus, *Nuilli le Noble*, aliàs *Neüilly le Noble*: alter *Novilliacus ad Ederam* cognominatus, *Nuilli*, aliàs *Neüilly le Lierre*, locus ad Braennam amnem poſitus. (*la Branle*.) Eſt & Novilliacus tertius, ad Pontem Petreum cognominatus, *Nuilli* vel *Neuilly Pont-Pierre*, in confinio *Turonum* & Andicavorum. *Nobiliacum* vel *Nobiliacus* nomen eſt à Nobile deductum, quod viri nomen proprium fuit inter Romanos. Hinc loca non pauca in Galliis *Nobiliaci* appellationem acceperunt: ſed pòſt de *Nobiliaco Novilliacum* factum b in u commutato, uti ſæpiſſime accidit.

Navicellæ, locus ad Siceram fluvium, *Nazelles*. Sicera autem *la Ciſſe* u. dictus, Monticellos *Monteaux*, Cambiacum *Cangé*, Limetiacum *Limeray*, Montiacum *Monjay*. Navicellas *Nazelles*, Nucetum *Noizay*, Vernadum *Vernou* alluit; & accepto Braennâ (*la Branle*) in Ligerim defluit ſupra Turonos. Oſtium ejus *os Siceræ* vocatur, *Bec de Ciſſe*. Gregorius in capite XXIX. libri I. de Miraculis S. Martini de *Navicellis* ita refert. *Loco illi Navicellis nomen priſca vetuſtas indiderat, quem locum Baſilica S. Martini à diuturno tẽpore retinebat*. Incolæ de *Navicellis* fecere *Nazelles*, ut Noſtri de navicula vel navicella *nacelle*.

Orbaniacus vicus in libro de Gloria Martyrum Gregorio memoratus, *Orbiniacus* meliùs in libro X. Hiſtoriæ dicitur, & in *Orbiniaco vico* ab Euphronio *Eccleſia ædificata*. Vulgò *Orbigné* nuncupatur, aliàs *Orbigny*. locus inter amnes Carim & Andreſium (*l'Indrois*) ſitus. Ab orbo Orbinus; ab Orbino *Orbiniacus* vel Orbiniacum potiuſquàm *Orbaniacum*.

Oxima in agro Cainonenſi *Huiſmes* dicuntur, inter Angerem & Vingennam fluvios; ut Oximæ in Nortmannia *Heiſmes*.

Paternacenſis Parochia urbis Turonicæ vocatur à Gregorio, in libello de Vita S. Nicetii Lugdunenſis Epiſcopi: ubi ipſe Gregorius *benedixit Eccleſiam, ſacravit altare, decerpſit fila de facietergio Nicetii, locavitque in templo, & dictis miſſis, facta oratione diſceſſit*. *Paternacum* à Paterno nomen habet, ac u. dicitur *Perrenay* vel *Pernay*; ut *Paterniacum* in pago Bernenſi, Noſtris *Payerne*, Helvetiis *Peterlinguen* vocatum.

Priſciniacum vicus pagi Turonici, à Priſcino nomen accepit. Ut autem à Vero Verinus, à Criſpo Criſpinus; ſic à Priſco Priſcinus: ex Priſcino fit Priſciniacum. Gregorius in libello de Vita S. Nicetii Lugdunenſis Epiſcopi, ejus loci meminit hiſce verbis. *Apud vicum Priſciniacenſem urbis Turonicæ Eccleſia dudum conſtructa abſque Sanctorum pignoribus habebatur*. Vulgò dicitur *Precigny* i in e mutato, & g inter i & n inſerto. Sunt autem duo ejus nominis vici, alter alteri proximi: hic major Priſciniacus, *le Grand Precigny*; ille minor Priſciniacus, *le Petit Precigny* cognominati:

ambo in Præfectura Lucceníi poſiti, prior ad Claſiam fluvium, *Claiſe*; poſterior ſeu minor ad Brenonnem amniculum, *Brignon*, quem Claſia defert in Croſam.

Rotomagus vicus eſt agri Turonici, in quo Brictius, ut in vicis Calatonno, Bricca, atque Camone, Eccleſiā ſtatuiſſe dicitur Gregorio in libri x. Hiſtoriæ capite xxxi. & ultimo, quod auctor inſcripſit *Recapitulationem de Epiſcopis Turonicis*. Hunc vicum Marollius *la Roüé*, aut *S. Antoine du Rocher* interpretatur dubius hæſitanſque: at Maanus *le Pont de Ruam*, alias *le Pont de Ruan* exponit. *Ruam* autem vel *Ruan* ad *Rotomagum* proximè accedit: uti *Rotomagum* Veliocaſſium caput *Rouen* appellamus, nomine à *Ruan* parum recedente. *Rotomagus* igitur vicus Turonum, vulgò nuncupatus eſt *Ruam* aut *Ruan*: & quia pontem habet Agneri vel Andriæ impoſitum non procul à Montebaſonis, ſæpiùs *le Pont de Ruan* appellari conſuevit.

Senaparia haud dubiè à ſinapi nomen invenit, & *Sinaparia* dici debet. *Urſus* (inquit Gregorius) *Turonicum territorium eſt ingreſſus, & ad locum quem Senapariam vocari priſcus inſtituit auctor, acceſſit, ædificatoque Oratorio Monaſterium ſtabilivit, commiſſaque Leupatio Præpoſito ſummâ Regulæ, Monaſterium aliud ſtatuit, quod nunc Loccis vocant, ſitum ſuper fluvium Angerem.* Addit Gregorius, *Leupatium apud Senapariam Monaſterium, quod intra terminum Turonicum erat, Abbatem conſtitutum*. Vulgò nuncupatur *Seneviere*: ut ſinapi *ſeneve* Noſtri appellant. Ex quo intelligitur locum hunc, veterrimo Monaſterio clarum, à ſinapi quo ager ejus abundabat, *Sinapariam* primò dictum eſſe, poſtea corruptè *Senapariam*. Eſt autem vicus inter Andriam & Andreſium amnes ſitus, quem recentiores *Senaperias* vocitant: uti de Cannabariis Cannaberiæ, de Saponariis Saponeriæ factæ. Patronum vicani habent hodieque Leupatium, quem *S. Leubaſſe*, & *S. Libeſſe* appellant.

Severiacum villa, Fortunato in Vita S. Germani Pariſ. Epiſcopi memorata, & à Severo cognominata, eſt *Sivrai* vel *Sivré*, locus Hagæ Turonum proximus ac fluvio Croſæ.

Siroiabenſe Oratorium commemorat Gregorius in libri I. Miraculorum S. Martini capite XVIII. *cujus altarium S. Confeſſoris* (Martini) *manus alma ſacravit*. Marollius hunc locum *Siran la Latte* fortè eſſe ait, non longè à Severiaco, Belliſmo, (*Belleſme*) & Noviliaco. Niſi ſi potiùs *Siran la Late* eſt *Lata Monaſterium, in quo B. Martini habentur Reliquiæ*: uti Gregorius in libri IV. capite XLIII. tradit.

Solonacum, vel *vicus Solonacenſis*, in quo Martinus ædificavit Eccleſiam, quemadmodū tradit Gregorius, an *Sully*, an *Sorgé* potiùs ſit, dubitat Abbas Villæ Lupenſis. Ego neutrum eſſe exiſtimo. Nam utriuſque loci appellatio à *Solonaco* longè recedit. Quare Maano libens aſſenſerim, qui *Sonné* vel *Sonnay* interpretatur. Eſt autem *Sonnay* inter duos fluvios Andriam & Claſiam, & inter duas ſilvas poſitus vicus, non procul ab Inſula Savarici & Caſtellione ad Andriam: de quo meridiano Turonum vico potiùs loqui Maanum puto, quàm de altero Septemtrionali Turonici pagi viculo, *Sonay* ſimiliter nuncupato, qui eſt inter ſilvam & Caſtellum Rainaldi. De *Solonaco* ſublatâ ſyllabâ II. *Sonacum* à Noſtris factum: ex *Sonaco Sonnay*, ſicut ex Turnaco *Tournay*, ex Camaraco *Cambray*.

Tauriacum, vel *Tauriacus vicus*, à *Tauro* (quod nomen viri proprium apud Romanos fuit) nomen accepit. In *vico Tauriaco* Euphronius Eccleſiam ædificavit, ſicuti ait Gregorius. Tauriacum *Tué*, an *Truye* inter Carem & Andriam ſit, dubitat Marollius. De eo Maanus ſilet.

Tornomagus, vel *vicus Tornomagenſis*, in quo Martinus Eccleſiam ædificavit, id eſt, cujus incolas de idololatris Chriſtianos fecit, ut Gregorius ſcribit, eſt *Tournon*: in confinio Turonum & Pictonum locus, Iciodoro proximus ad Croſam

Valeriæ à Valerio nomen nanctæ ſunt, *Valieres*, vicus ad Coſilæ vel Coſiliæ & Ligeris confluentes. Aliæ ſunt *Valeriæ* proximæ Ambaciæ, *Valieres les Grands*, Præpoſiturâ ad Baſilicam S. Martini pertinente claræ.

Vedunta, vulgò dicitur *Vonte*: quam Fulco Richinus, Comes Andicavorum & Turonum anno MLXX. extruxiſſe, & Monachos ibi collocaviſſe dicitur.

Vernadum, aliàs *Vernadus* aut *Vernaus vicus*. in quo Perpetuus Eccleſiam ædificavit, nomen ſervat, ac nuncupatur *Vernou*: eſtque caſtellum nunc ad Archiepiſcopum Turonicum pertinens, Baroniæ titulo clarum, ad Siccam flumen. *Vernonum* Geſta dominorum Ambacienſium vocant.

Vernolium vel *Vernoilum* non longè à Luccis & Andria fluvio, *Verneüil* aut *Verneuel* etiamnum dicitur. Hunc vicum Maanus (cujus auctoritate fretus neſcio) à Baudino Epiſcopo Turonico ædificatum fuiſſe aſſerit.

Villa Lupa, aliàs *Villa Lupercii* dicta à Lupa loci domina, Abbatiali Monaſterio inſignis eſt ad Andreſium fluvium ſeu minorem Andriam, (*Indrois*) qui in Andriam Angeremve (*Indre*) devolvitur. Vulgò *Ville-Loin* appellatur. De locis Turonici pagi veteribus, ſed obſcurioribus hactenus.

Maanus urbem *Turonos parvam* olim, aut ſaltem *modicam fuiſſe* ait, ſed poſtea caſtri S. Martini ſeu Martinopolis adverſus Nortmannorum incurſiones, ac demum nuper novarum munitionum acceſſione auctam, & ampliſſimam factam eſſe. Quod quàm verè Maanus dixerit, docet Homilia de S. Vvillibrordo ante Nortmannorum latrocinia & irruptiones compoſita: quam Caniſius, ejus editor Alcuino tribuit; ego Monacho Epternacenſi. Ibi hæc leguntur. *Quid de te Turonica loquar civitas? Muris quidem parvula es & deſpicabilis; ſed S. Martini patrocinio magna & laudabilis. Quis te propter te adierit? Nonne propter illius certiſſima ſuffragia turba ad te confluunt Chriſtianorum?* Carolus Magnus in epiſtola ad Alcuinum *fumo ſordentia Turonorum tecta* vocat; Alcuinus ei reſcribens *Turonim fumoſis tectis contentum* eſſe affirmat.

Turonis olim in urbe moneta percutieba-

tur. In Vita S. Theodulfi (*S. Tion*) Abbatis Montis Horenſis ſive Monaſterii S. Theoderici, quam Mabilio edidit, *uxor cujuſdam Turonici Monetarii nomine Rigovera* memoratur. Unde *parvos Turonenſes*, *Turonenſes parvos*, *ſolidos* item *Turonenſes*, *ſolidos Turonenſes nigros*, & *libras Turonenſes* in priſcis litteris reperio. *Parvi Turonenſes* ſunt omnino nummuli æreî, quos nunc denarios *Turonenſes*, aut certè quos duplices Turonenſes vocamus, *deniers Tournois*, *doubles Tournois*: *ſolidi Turonenſes nigri* nummi ex ære, quos Noſtri ſolidos vocant, *ſous Tournois*. *Libra Turonenſis* (*livre Tournois*) denarium aureum, qui & *Francus aureus* & *ſcutatus aureus* vocabatur, valebat, ſeu xx. ſolidis permutabatur. Dicti ſunt *ſolidi Turonenſes*, dictæ *libræ Turonenſes* ab urbe *Turonis* ſicut ab urbe Pariſiis *ſolidi Pariſienſes*, *ſous Pariſis*; *libra Pariſienſis*, vel *libra Pariſienſium*, *livres Pariſis*.

In Diſceptationis meæ de Baſilicis Regiis Defenſione, in prioris partis capite III. docui & abunde probavi, errare eos, qui Baſilicam S. Litorii matrem Turonorum Eccleſiam fuiſſe, quæ poſtea S. Catiani appellationem ſuſceperit, & nunc quoque ſedes Archiepiſcopi ſit, ſibi perſuadent. Baſilicam enim S. Litorii ætate Perpetui, atque etiam Gregorii noſtri, nomen auctoris ſervaviſſe, & à majore urbis Eccleſia diſtinctam fuiſſe. Certè in libri ultimi Hiſtoriæ capite ultimo de Vigiliis à Perpetuo inſtitutis ſic refert Gregorius. *Natali Domini in Eccleſia, Epiphania in Eccleſia, Paſcha in Eccleſia, die Quinquageſimo* (id eſt Pentecoſtes) *in Eccleſia: Natali S. Litorii ad ejus Baſilicam*; hoc eſt ad Baſilicam S. Litorii. Heic duo loca diverſa apertè deſignantur, *Eccleſia*, & *Baſilica S. Litorii*, qui ferè ab omnibus corrupto nomine pro *Litorio Lidorius* dicitur. *In Eccleſia*, id eſt in majore civitatis Eccleſia Natalis Domini, Epiphania, Paſcha, & Pentecoſte celebrantur ex veteri more; in *Baſilica S. Litorii* Natalis Litorii celebratur. De Litorio autem Gregorius ſcribit. *Hic ædificavit Eccleſiam primam intra urbem Turonicam, ſepultuſque eſt in ſupradicta Baſilica, quæ hodieque ejus nomine vocitatur.* Idem tradit, Martinum *tranſtuliſſe corpus Catiani, ſepeliſſeque ipſum juxta S. Litorium in illa nominis ſui Baſilica*, id eſt in Baſilica S. Litorii. *Injurioſus* (inquit) XV. *Epiſcopus Turonicus inſtituit Tertiam & Sextam in Eccleſia dici*: hoc eſt in majore civitatis Eccleſia. Tum ipſe de ſe addit. XIX. *Gregorius ego indignus Eccleſiam urbis Turonicæ, in qua B. Martinus & ceteri Sacerdotes Domini ad Pontificatus officium conſecrati ſunt, ab incendio diſſolutam diruptamque nanctus ſum: quam reædificatam in ampliore altioreque faſtigio, XVII. ordinationis meæ anno dedicavi.* *Eccleſiam* ergo plerumque Gregorius abſolutè vocat, & nonnumquam *Eccleſiam urbis Turonicæ*, ac *Eccleſiam Turonicam*, vel *Eccleſiam civitatis*, & *ſanctam Eccleſiam* appellat ſedem Epiſcopatus, ſeu majorem urbis Eccleſiam; in qua Martinus, & ceteri à Martino uſque ad ipſum Antiſtites conſecrati erant: (In majore autem ſuæ quiſque urbis Eccleſia veteri more conſecrari ſolebant Antiſtites) & *Baſilicam S. Litorii* ſemper ab ea diſtinguit cum re tum nomine, poſteriorem hanc non aliter quàm *S. Litorii Baſilicam* nuncupans. Fortunatus libri X. Carmen II. *de Eccleſia Turonica, quæ per Epiſcopum Gregorium renovata eſt*, inſcripſit: qua in Eccleſia Martinus tunicam ſuam egenti nudo donaverit, & ſacra myſteria tractaverit. In majoris autem urbis Eccleſiæ ſecretario tunicam ſuam egenti dederat: in majore urbis Eccleſia ſacra facere conſueverat Martinus Epiſcopus. Quid *Baſilicæ S. Litorii* contigerit; intercideritne, an potiùs titulum mutaverit, aut majoris Eccleſiæ (ſi tamen ei proxima erat) acceſſio facta ſit, incertum eſt. Hæc ſi legiſſet in capite III. Defenſionis meæ V. CL. Marollius, Abbas Villæ Lupenſis: (ne de Launoio loquar) numquam affirmaviſſet *Baſilicam S. Litorii*, quam à Martino ſtructam ait, cùm à Litorio ædificata ſit, poſtea mutato titulo metropolitanam *Eccleſiam S. Mauricii*, ac demum *S. Catiani* dictam eſſe. Quæ verò adjicit, ac millies ceu certiſſima inculcat Marollius, Epiſcopos Turonicos à Bricio uſque ad annum circiter DCL licèt in *Baſilica S. Litorii* conſecrarentur, non aliam ſedem quàm *Baſilicam S. Martini* habuiſſe, in qua & ſepulti ſint; vera eſſe ac ſimul ſtare non poſſunt, aut ut liberè loquar, inter ſe pugnant. Quippe ſi ut ipſemet ait, in *Baſilica S. Litorii* Epiſcopi Turonici conſecrabantur, *Baſilica S. Litorii* ſedes utique eorum, ac proinde major & mater urbis Eccleſia eſſe debuit, atque adeò etiam fuit; non *Baſilica S. Martini*: cùm ſemper in majoribus civitatum Eccleſiis ut conſecrari, ſic & ſedem ſuam habere Epiſcopi tum ſolerent. *Baſilicam* autem *S. Litorii* majorem Turonorum Eccleſiam aut ſedem Antiſtitum non extitiſſe, ſupra docui. Idem nunc de *Baſilica S. Martini* docere operæpretium erit.

Animadverto igitur apud Gregorium noſtrum *Baſilicam S. Martini*, quam *Baſilicam ſanctam*, *ſanctam Baſilicam*, *beatam Baſilicam*, *Baſilicam S. Martini*, *Baſilicam domni Martini*, & nonnumquam abſolute *Baſilicam* κατ᾽ ἐξοχὴν appellat, ab *Eccleſia*, id eſt à majore & matrice urbis Turonum Eccleſia ſemper & ubique apertè diſtingui. Non aliis quàm Gregorii teſtimoniis utar. In capite XXV. libri II. Miraculorum S. Martini. *Cum in venerabili Dominicæ Nativitatis nocte ſacroſanctis deducta excubiis, procedentes de Eccleſia, ad Baſilicam ſanctam ire diſponeremus.* Heic *Eccleſia*, eſt major urbis *Turonicæ* Eccleſia, mater matrixque ceterarum: *Baſilica ſancta*, Baſilica S. Martini; & ab una ad alteram fiebat proceſſio.

Quis dubitat? vel quis tam manifeſta negat?

In libro de Vita Sanctorum Patrum, de ſe ita Gregorius ſcribit ſub aliena perſona. *Dedicaverat Oratorium intra domum Eccleſiaſticam urbis Turonicæ.* Hæc *domus Eccleſiaſtica* vel *domus Eccleſiæ*, *Oratorium* ſuum habens, erat Epiſcopium ſeu domicilium Epiſcopi, majori Eccleſiæ contiguum: de qua domo ejuſque oratorio in libri V. Hiſt. capite XLIX. ita refert. *Dum in domo Eccleſiæ reſiderem, in-*

greſſus Oratorium, Davidici Carminis ſumo librum. Et infrà. *Me adhuc commorante cum Rege, hic quaſi jam eſſet Epiſcopus, in domum Eccleſiæ ingreditur impudenter, argentum deſcribit Eccleſiæ*, &c. Gregorius ergo in *domo Eccleſiæ*, ubi & oratorium dedicaverat, hoc eſt prope majorem Eccleſiam aliquando commoratus eſt habitavitque; non ſemper (ut Marollius aſſerit) in *Baſilica S. Martini*: & ea in domo argentum *Eccleſiæ* ſervabatur, non in *Baſilica S. Martini*. Quid clarius? In libri II. Hiſtoriæ capite XXXVIII Gregorii verba ſunt hæc. *Chlodoveus ab Anaſtaſio Imper. codicillos de Conſulatu accepit, & in Baſilica B. Martini tunicâ blatteâ indutus eſt & chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc adſcenſo equo, aurum argentumque in itinere illo quod inter portam atrii & Eccleſiam civitatis eſt, præſentibus populis manu propria ſpargens, voluntate benigniſſima erogavit.* Ergo alia tum erat *Baſilica S. Martini* cum ſuo atrio: alia *Eccleſia civitatis*, videlicet mater Turonorum urbis Eccleſia. In libri V. capite IV. *Die ſancto Epiphaniæ cùm pſallentes de Eccleſia egreſſi, ad ſanctam Baſilicam properarent.* Hæc eſt à majore urbis Eccleſia ad Baſilicam S. Martini Proceſſio: ille contra à *Baſilica S. Martini* ejuſve atrio ad civitatis Eccleſiam Chlodovei Patriciatum edentis proceſſus. In libri V. capite XXVII. *Chilpericus Rex de pauperibus & junioribus Eccleſiæ, vel Baſilicæ bannos juſſit exigi*: id eſt majoris *Eccleſiæ*, & *Baſilicæ S. Martini*. Similiter in libri VIII. capite XL. *Pelagius quidam Eccleſiæ, vel* (id eſt, &) *Baſilicæ S. Martini damna intendiſſe* dicitur, *cæſoſque homines ſanctæ Eccleſiæ, exanimes reliquiſſe.* In libri IX. capite XXVI. *Ingoberga Regina quædam Eccleſiæ Turonicæ, & Baſilicæ S. Martini delegavit.* Denique Gregorius in capite ultimo libri X. Hiſtoriæ *Eccleſiam*, id eſt matrem civitatis Turonorum Eccleſiam, ſemper tam à *Baſilica S. Martini* quàm à *Baſilica S. Litorii* diſertè diſtinguit. Hæc cùm animadverteret Marollius in ſua Translatione Gregorii, & ſæpe ab Gregorio (ut ſuprà notavimus) *Eccleſiæ & Baſilicæ*, vel *Eccleſiæ Turonicæ & Baſilicæ S. Martini* conjunctim ceu duorum diverſorum locorum fieri mentionem: excogitavit rationem quâ ſe expediret, & ut eſt vir admodum ingenioſus & acutus, novam verborum Gregorii explicationem commentus eſt: aſſeruitque *Eccleſiæ* quidem nomine Eccleſiam S. Martini; *Baſilicæ S. Martini* appellatione atrium, porticus, ædes denique omnes Eccleſiæ S. Martini adjunctas, ac eodem immunitatis ſeu aſyli jure gaudentes, à Gregorio deſignari. Cui expoſitioni hactenus inauditæ ne adquieſcam, ipſius Gregorii me deterret auctoritas, ſemper *Eccleſiam* à *Baſilica S. Martini* diſtinguentis, & Baſilicam S. Martini nuſquam vocantis abſolutè *Eccleſiam*, aut *Eccleſiam S. Martini*. Omitto proceſſum Chlodovei à *Baſilica S. Martini* ad *Eccleſiam civitatis*, & duas Gregorii Clericorumque pſallentium *de Eccleſia ad Baſilicam junctim* Proceſſiones, à Gregorio ſuprà memoratas, apertè oſtendere non modicam hujus *Eccleſiæ* à *Baſilica* iſta diſtantiam: qualis & quanta in ædes Eccleſiæ adjunctas cadere non poteſt. Præterea Epiſcopi quotieſcumque ſollemniter die feſto procedunt, non aliunde quàm à majore Eccleſia & ſede ſua ad aliquam aliam intramuranam aut ſuburbanam procedunt Eccleſiam; non ad atria aut ad ædes majoris Eccleſiæ. At omnes à Bricio ad Gregorium Turonici Epiſcopi numero XIV. (Voluſiano & Vero exceptis qui in exſilio periere) ſepulti ſunt in *Baſilica S. Martini*. Quid inde? Ideone *Baſilica S. Martini* major urbis Eccleſia, & tam vivorũ Epiſcoporum ſedes quàm mortuorũ fuit? Antiſtites poſtquam more Romano extra urbes in campo juxta aggerem publicum ſepeliri deſierunt, plerique in Baſilicis quas exſtruxerant, ſepeliri voluerunt: ut Litorius Turonicus in ſui nominis Baſilica, Marcellus Pariſiacus in vico ſuburbano; Germanus in Baſilica S. Vincentii, quam a Childeberto Francorum Rege ædificandam curaverat; Hilarius extra Pictavos in Baſilica nominis ſui. Saturninus ſimiliter extra Toloſam in Baſilica cognomine, & multi ejus ſucceſſores ſepulcra ſua habuerunt: Martialis Lemovicenſis Epiſcopus, Germanus Autiſſiodurenſis, Remigius Remenſis extra muros ſuæ quiſque civitatis, in ſui quiſque nominis Baſilica humati ſunt: quæ cuncta loca majores harum urbium Eccleſias tum fuiſſe, nemo propterea dixerit. Accedit, quòd *Baſilica S. Martini Abbatem* ſibi ſuum, & *cellulas*, & *Fratres* ſeu *Religioſos*, id eſt Monachos ætate Gregorii habebat, ſeu ut uno verbo dicam, Monaſterium erat: ſicut in Diſceptationis noſtræ de Baſilicis Regiis capite III. docui: quod matri majorive civitatis Eccleſiæ minimè convenire, omnes vident. Dicet aliquis. Si Baſilica S. Martini non erat tum Epiſcopalis ſedes; cur igitur Gregorius Turonicus Epiſcopus ea in Baſilica ſemper ſedit, ſemper commoratus eſt, quaſi aliam in urbe ſedem non haberet? Equidem fateor, ſæpe multumque ac diu miratum me eſſe, quòd Gregorius in domo Eccleſiæ rarò, in Baſilica S. Martini ferè ſemper habitaverit: ut ex ejus Hiſtoria Francica variiſque opuſculis intelligitur. Sed poſtea apud ipſummet Gregorium ejus rei cauſſam ſæpiſſime requiſitam tandem reperi. Sic enim in libri Hiſtoriæ IV. capite XX. ſcribit Gregorius. *Tunc S. Baſilica* (*S. Martini* ibidem dicta) *à peccatis populi, & ludibriis quæ in ea fiebant per Vvilicharium conjugemque ejus, ſuccenſa eſt: ſed & civitas Turonica ante annum jam igni conſumta fuerat, & tota Eccleſiæ in eadem conſtructæ, deſerta relictæ ſunt. Protinus B. Martini Baſilica, ordinante Chlothario Rege, ſtanno cooperta eſt, & in illa quâ priùs fuerat elegantiâ reparata.* Et in libri X. capite ultimo, ſeu in *recapitulatione de Epiſcopis Turonicis*, de ſupradicto incendio ita refert. *Hujus tempore* (Euphronii Epiſcopi) *civitas Turonica cum omnibus Eccleſiis magno incendio concremata eſt. Poſtea Baſilica S. Martini & ipſa incendio eſt aduſta per Vviliacharium: quam idem Pontifex texit ſtanno, opitulante Rege Chlothario.* De ſe autem eum in modum loquitur noſter Hiſtoricus. XIX. *Gregorius ego indignus Eccleſiam urbis Turonicæ, in qua B. Martinus & ceteri Sacerdotes conſecrati ſunt, ab incendio diſ-*

ſolutam diruptamque nanctus ſum: quam readificatam in ampliori altiorique faſtigio, XVII. ordinationis meæ anno dedicavi. B. legionis Teſtium Agaunenſium reliquias, & SS. Apoſtolorum pignera in Eccleſia collocavi. In cellula S. Martini, Eccleſia ipſi contigua, SS. Coſmæ & Damiani Martyrum reliquias poſui. Baſilicas S. Perpetui adustas incendio reperi: &c. Igitur civitas *Turonum* cum omnibus Eccleſiis ſuis igne cóſumta eſt ante annos circiter XIV. quàm Gregorius Epiſcopus conſtitueretur; & inſequenti anno Baſilica S. Martini extra urbem incenſa eſt. Sed Baſilica quidem S. Martini ſtatim munificentiâ Regis Chlotharii & curâ Euphronii Epiſcopi in priſtinum decorem reſtituta, ſtanno etiam tecta fuerat: at major Eccleſia civitatis, (ne de ceteris loquar) cui *contigua cellula S. Martini* ſuum habebat altare, unà cum domo Eccleſiæ neglecta eſt, & igne deformata, *diſſoluta, diruptaque*, ac *deſerta* jacuit. Quare danda fuit opera Gregorio, ut jacentem attolleret, dirutamque repararet. Hoc opus ut maximum erat, lentum & XVI. circà annorum fuit. Nam major Eccleſia civitatis anno demum Gregorii Sacerdotii XVII. conſummata eſt atque dedicata; domo Eccleſiæ multo antè jam refectâ, & Oratorio ibi dedicato. Dum ædificatur *Eccleſia Turonica*, dum *domus Eccleſiæ* quam Epiſcopium dicunt reficitur, locum domicilio delegit Gregorius, quem ex tota urbe opportuniſſimum judicabat, nimirum *Baſilicam S. Martini*: quam porticuum laxitas, & atrium ampliſſimum, in quo Ingeltrudis puellarum Monaſterium ſtatuit, ac domus Baſilicæ magnifica commédabat. An Gregorio quidquam gratius eſſe potuit Baſilicâ S. Martini, qui Martinum prædeceſſorem ſuum ſemper in ore habuit; de eo in X. libris Hiſtoriæ Francicæ, & in ceteris operibus ſuis paſſim ac libentiſſimè loquitur; de ejus virtutibus ac ſignis IV. libros ex profeſſo compoſuit? Ob hanc igitur cauſſam Gregorius noſter in Baſilica S. Martini habitavit. Sed idem feciſſe omnes à Brictio ad Gregorium Epiſcopos Turonicos, (quod aſſerit Marollius) nuſquam legi, nuſquam apud veteres ſcriptores reperi. Omnes quidem hi, uno & altero excepto, in Baſilica S. Martini ſepulti ſunt: ſed ibi præter Gregorium eorum commoratus eſt nemo. Salva enim eis ſua erat Eccleſia, in qua ſacra facerent: ſalva domus Eccleſiæ ſuæ, in qua habitarent. In Vita MS. Beati Baldi Archiepiſcopi Turonenſis, quem Gregorius *Baudinum* vocat, hæc de eo reperio. *Ut deo deſervientibus temporalia ſtipendia non deeſſent, hic in Eccleſia B. Mauricii Turonicæ civitatis menſam Canonicorum inſtituit. In Eccleſia B. Mauricii*, id eſt in majore urbis Eccleſia: non ergo in Baſilica Martiniana, non in Litoriana. Ex ſupradictis apparet vel cæco, ſuam ſemper fuiſſe civitati Turonum *majorem Eccleſiam*. Epiſcoporum ſedem, à *Baſilica S. Martini* diſtinctam, & à *Baſilica S. Litorii*. Non ægrè feret, ut credo, Marollius, vir docilis & ingenuæ nobilitatis, me à ſua ſententia receſſiſſe. Liberæ enim ſunt in republica litteraria doctorum ſententiæ; libera veri inquiſitio: & ſemper licuit, ſemper licebit, alteros ab alteris modeſtè ac citra inſectationem diſſentire. Quod ad me attinet, Marollium v. Cl. plurimi facio, elegantem, & ſupra fidem laborioſum, immo verò potiùs facilem & extemporalem Latinorum Hiſtoricorum Poetarumque tranſlatorem. Ingenium hominis laudo; nec me pœnitet, quos de Vita ſua compoſuit, libros olim perlegiſſe.

Odo Tricaſſium, & Meldorum, Carnutum, Turonum ac Bleſenſium Comitatus poſſedit, atque à Regibus noſtris tenuit. Duo ei filii, Theobaldus qui & Tetbaldus, ac Stephanus erant: ex quibus Theobaldus Carnutes, *Turones*, ac Bleſenſes hereditario jure obtinuit; Stephano Tricaſſes ac Meldi obtigere. Ambos oderat Henricus Francorum Rex, propterea quòd more majorum ſuorum novis rebus ſtudebant, & fratri ipſius, Odoni rebelli ſeſe adjunxerant. Quamobrem poſt fratrem captum & cuſtodiæ mandatum, & poſt fuſum fugatumque Stephanum, urbem *Turonos* Theobaldo abſtulit, & Goffredo Tuditi Comiti Andicavorum dedit. Sed capienda erat ea urbs Goffredo, ut Principis beneficio frueretur: quam cùm nutu Regis anno uno & ampliùs obſediſſet, Theobaldus obſeſſis tandem laturus auxilium venit, victuſque & captus, & ad muros Turonicæ civitatis adductus, eam Goffredo dedidit, atque cum MDCC. ampliùs viris, aut (ſicuti aliis placet) cum DCCLX. militibus in vinculis remanſit: ut Glaber Rodulfus in libri V. capite II. ſcribit. Idem refert Chronicon Vindocinenſe his verbis. *Anno* MXLIV. *Tetbaldus, filius Odonis, captus à Gozfrido* XII. *Kalendas Septemb. poſtridie civitatem Turonicam reddidit*. Unde in alio Chronico dicitur *Gaufridus* Comes Andegavenſium *Tetbaldo* Carnotenſi ac Turonenſi Comiti, acie victo captoque *Turonicam civitatem extorſiſſe*. Quidam à Gaufredo, ad obſidionem poſt prœlium reverſo, captam urbem aiunt. In Geſtis Conſulum Andegavenſium reperio, anno MXLII. Theobaldum Comitem, in nemore Braio unà cum DXXC. militibus captum, Turonorum, Caïnonis & Lengiaci ſive Alingaviæ, Comitatuſque Turoniæ deditione ſeſe à Gaufrido redemiſſe, pacemque ab Rege Francorum inter ambos factam, ipſum cum ſuis incolumem dimiſſum eſſe. *Itaque Martellus facto hominagio pro ſuſcepta terra Theobaldo ipſo deliberato, donaria militibus diſtribui conſtituit*. Verba ea ſunt Geſtorum, in primis notanda. Sic poſtea Wilelmus Dux Aquitanorum & Pictavorum Comes, quem idem Goffridus Martellus victum acie vulneratumque ceperat, poſt triennalem cuſtodiam, *hominio à Martello ſuſcepto, Santonicum Conſulatum ei quietum* cum ingenti pecunia *conceſſit*, domumq; liber rediit. Goffridus Martellus aut Tudes, Gaufridus alius & Gotfridus etiam dictus, quoniam filios non habebat, inter ſororis filios Goffridum Barbatum & Fulconem Richinum Conſulatus ſuos moriens diviſit, ac anno MLX. obiit. Sed anno MLXVII. aut ut quibuſdam placet MLXVIII. Goffridus à fratre captus, atque Comitatu Turonico ſpoliatus, & in vincula conjectus eſt.

Quamobrem

Quamobrem Stephanus Comes Bleſenſium & Carnutum, ac Helias Cenomannicus Conſul Barbatum in libertatem atque in Comitatum ſuum reſtitui poſtulârunt, & adjutore Philippo ejus nominis primo Francorum Rege, Fulconem graviter impugnârunt: quos quia armis repellere non poterat, Stephanum quidem exhibito hominio, Philippum Regem fraternis ſpoliis, nimirum Caſtro Nantonis donato placavit. *Fulco cum Stephano, hominagio ſibi* (id eſt ipſi) *facto concordatus, Regem Francorum adiit, & cum eo fœderatus, Philippo Regi Landonenſe Caſtrum conceſſit.* Bis errat Burdigalenſis, qui & Turonos, Catnonem atque Lengiacum *citra hominium* à Theobaldo Gaufredo Tuditi datos; & eidem Theobaldo, qui jam obierat, ab Fulcone Rechino hominium factum eſſe ſcribat. Sic igitur Turoni, Caino & Alingavia, Conſulatuſque Turonicus, quos Carnutum & Bleſenſium Comites à Regibus Francorum tenuerant, poſtea Comites Andegavenſes à Carnutum & Bleſenſium Comitibus; Bleſenſes Comites à noſtris Regibus tenuerunt. Quare Johannes Sareſberienſis in epiſtola ad Bartholomæum Exonienſem Epiſcopum, Henricum eo nomine II. Anglorum Regem, eumdemque Ducem Normannorum & Aquitanorum, Comitem Andegavorum, Turonorum & Cenomannorum, de ceteris quidem Ducatibus & Comitatibus ſuis ipſum filioſve ejus Regi Francorum (Ludovico VII.) hominium & fidem jurejurando promiſiſſe affirmat: pro *Turonico* autem *Comitatu* fidem ac hominium non Regi, ſed Theobaldo Comiti Bleſenſi debuiſſe. *Die ſequenti* (inquit) *filios ſuos adduxit* (Henricus) *Henricum & Richardum: quorum primus hominium & fidelitatem fecit Regi Francorum de Comitatibus Andegavenſi & Cenomannenſi; (Nam ipſe Rex in hominio Comitis Theobaldi pro Turonenſi remanet) alter verò præſtitâ fidelitate ſimiliter & hominio, Pictavenſem recepit Comitatum.* Sed anno MCXXCIX. Philippus Auguſtus civitatem *Turones*, quam eodem anno Henrico Regi Anglorum armis abſtulerat, pace factâ Richardo ejus paullo antè mortui filio ſucceſſorique novo reſtituit: quemadmodum Rigordus & Guillelmus Armoricus tradunt. Ita factum eſt, ut Richardus & Johannes Anglorum Reges, & Arturus amborum fratris filius Turonos, quos ipſorum majores per annos CXLIX. à Comitibus Carnutenſibus Bleſenſibuſque tenuerant, à Rege Francorum tenerent. *Anno* MCXCIX. *Arturus facit Philippo Magnanimo hominium de Comitatu Cenomannico, & Andegavico, & Turonenſi. Anno* MCCI. *ad faciendum ſibi hominium de Ducatu Aquitaniæ, Turoniæ & Andegaviæ Comitatu ſubmonebatur à Philippo Rege Johannes* Rex Angliæ, frater ac ſucceſſor Richardi. Verba ſunt Guillelmi Armorici, quæ Johannes Pariſienſis tranſcripſit, & in ſuum Memoriale Hiſtoriarum tranſtulit. Verùm anno MCCII. *Turoniam* unà cum Nortmannia, Andegavia, Cenomaniaque Philippus Aug. Francorum Rex, Johanni Anglorum Regi propter Arturi, Gaufridi majoris fratris filii cædem, eripuit occupavitque, & ſuam eſſe quàm in fide & clientela ſua maluit. *Turonia* ex eo tempore ſemper Regibus noſtris aut Regii ſanguinis Principibus, nec umquam externis paruit: quam Johannes Franc. Rex anno MCCCLX. in Ducatum evexiſſe dicitur. Et hactenus de *Turonibus*.

TURRIS AD MATRONAM.

Ludovicus Craſſus Rex Francorum in litteris anni MCXIX. inter Cellas vel Prioratus ad Cluniacum pertinentes numerat *Turres ſuper Maternam*: ita & quidam alii faciunt: quem locum Remenſis Diœceſeos Honorius PP. II. in litteris anno MCXXV. datis *Turrim ſuper Marna* nuncupat in numero ſingulari. *Matrona* autem fluvius à recentioribus *Materna* dictus eſt, ac poſtremò *Marna*, ficuti hodieque dicitur *Marne*. Rainaldus Remorum Archiepiſcopus *Turrim ſuper Materna* vocat, & ejus Eccleſiam *Turrenſem Eccleſiam* pro Turritanam: cujus ex Rainaldi litteris, anno MCXXV. datis diſcimus, *altare de Turre ſuper Materna*, à potentibus dominis de Plaga Jorri occupatum, poſtea per manum ipſius Rainaldi redditum eſſe Cluniaco. Quidam eam *Tours ſur Marne* vocant, id eſt *Turres ad Matronam*, ut à Turonis civitate & capite Gentis Turonum diſtinguant, quam *Tours en Touraine* nuncupant. Alii numero ſingulari & genere maſculino *Tour en Champaigne* appellant, id eſt *Turnum in Campania*, vel *Turnum Campanenſem*, potiuſquàm *Turrem*; atque adjacere Matronæ fluvio, & Baroniæ titulo gaudere aiunt. Vulgò in tabulis dicitur & ſcribitur *Tour ſur Marne*, poniturque inter Sparnacum & Catalaunos. Legi litteras Imperatoris Caroli cognomine Craſſi, datas *Pariſiis* IV. *Kalend. Novemb. anno Incarn. Dominica* DCCCXXCVI. *Indict.* IV. *anno Imperii Caroli in Italia* VI. *in Francia* V. *in Gallia* II. in quibus inter res & villas Eccleſiæ Turonicæ S. Mauricii à Carolo Aug. patruo ejus, atque à Ludovico Rege, ejus filio datas memoratur *Turnum in Remenſi pago ſuper fluvium Maternam poſitum*: qui locus poſtea à recentioribus veteris ejus nominis ignaris mendosè *Turris* ac *Turres* videtur pro *Turnum* dictus eſſe, propterea quòd vulgare loci nomen, videlicet *Tour*, tam *turri*, quàm *torno* vel *turno* convenit atque reſpondet.

Eſt & locus in Vinemaco, *Tours en Vimeu* vulgò dictus: quem *Turres*, vel *Ad Turres* olim Latinis ſcriptoribus nuncupatum eſſe conſtat.

Habet & ſuam *Turrim* Arvernia, *la Tour d'Auvergne*, vel *la Tour en Auvergne*: quæ nobiliſſimæ familiæ *de Turre* nomen dedit, & veterrima Baronia cenſetur extitiſſe, *caſtellum de Turre* dicta in litteris Bernardi de Turre anni MCXCI. Habet *Turrim* ſuam Dalfinatus, *la Tour*: à qua veteres Dalfini *Barones Turris* dicebantur. Eadem in provincia eſt Turris Pini cognominata, *la Tour du Pin*.

TURRIS TALEMUNDI.

Turris Talemundi ab auctore & domino ſuo cognomen accepit. Fuit autem apud Francos

nomen viri proprium *Talemundus*, necnon Faramundus & Theudemundus: ut Sigimundus vel Sigiſmundus apud Burgundiones; Thoriſmundus aut Turiſmundus, & Ragemundus vel Raimundus apud Gothos; Remiſmundus apud Suevos: quæ quatuor Gentes Germanæ fuere, & eadem linguâ ſunt uſæ. *Turris Talemūdi* meminit ante annos DXXVI. *VV. de Manſiaco*, Ludovici VII. *Regis Francorum Seneſcalcus* in epiſtola ad Sugerium *Abbatem S. Dionyſii. Vt domino & amico meo mando, quòd Turrem Talemundi, in quantum potui, ad honorem Regis fideliter huc uſque ſervavi: modò verò dominus Eblo de Malleone reditus Turris mihi ex toto aufert, & domino Epiſcopo Pictavenſi dixit, quòd ampliùs reditus Turris me non ſufferret habere.* Ibidem *Turris* hæc *in Pictavia* eſſe dicitur, ſicut eſt & *Malleo* Eblonis in Diœceſi Malliacenſi vel Rupellenſi: fit ibi etiam mentio Burdigalæ, quam *Burdellum civitatem* bis vocat iſte VV. *Turris Talemundi* nunc omiſſo *Turris* nomine nuncupatur *Talemond*; in quibuſdam tabulis *Talmont*, in aliis *Talmon*. Eſt autem caſtrum ad mare Aquitanicum ſitum, inter Olonam & Abbatiale Monaſterium S. Michaëlis in Eremo, *S. Michel en l'Er*, ad Tremolliæ vel Tremoliæ dominos pertinens, ac Principatus titulo clarum. Nugantur, qui caſtrum hoc *Talemundum* quaſi *Talum Mundi*, id eſt finem orbis dictum eſſe putant. Henrici de Tremolia anno MDCXLVII. tituli hi fuerunt. *Henricus Tremolliæ dominus, (la Trimoüille, vel la Trimoille) Toarcii Dux & Par, Turris Talemundi Princeps, Spineti Marchio, Vallis, (la Val) Montis Fortis, Giſnarum, Benaonis, (Benon* prope Surgerias*) Taliaburgi (Taillebourg) & Ionvellæ Comes; Redonum Vicecomes; Vitrey. (Vitré en Bretagne) Mali Leonis* ſeu *Malleonis, (Mauleon) turris Berngiæ vel Berriæ, ac Didonnæ Baro. Turris Talemundi* dicta eſt ab auctore: ut in Numidia *Turris Caſaris; colonia Turris Libyſonis* in Sardinia, aliàs *Turres*, ſedes Archiepiſcopatus; *Turris Tamallenſis* in Tripolitana; *Turris Draconeti* ad Rhodanum.

In litteris Alienoris Reginæ, datis anno MCXCIX. Rodulfus de Malo Leone *Talemundum & Rupellam ab Alienore requiſiviſſe* dicitur: quod *caſtrum de Talemundo*, & *terra de Talemundo* ibidem vocatur. *Turris* igitur *Talemundi*, dicta eſt & *Talemundum*, & *caſtrum Talemundum*.

TUSIACUM.

Tuſiacum villa fuit in Diœceſi Tullenſi, Synodo ibi anno DCCCLX. habita celebris: quam *Tonſi* vel *Tuſi* Labbeus interpretatur. *In territorio Tullenſi villa Tuſiacus*, necnon *villa Tuſiacum Tullenſis Parœciæ* item dicitur.

TUTELA LEMOVICUM.

Tutela in Lemovicibus nobile Monaſterium habuit ad flumen Curretiam, *Correze*, quod infra Brivam in Viſeram cadit. Ex eo Cœnobio Epiſcopatus factus ac Lemovicis detractus. *Tullum caſtrum* vocatur in Vita S. Martialis Lemovicenſis Epiſcopi, quæ recentior ac nullius eſt auctoritatis. Odo Cluniacenſis Abbas, in libro I. de Vita S. Geraldi Aureliacenſis Comitis, meminit *Tutelenſis Cœnobii*, cujus antè Abbas fuerat. Noſtri *Tuelle* primùm, deinde *Tulle* appellavere: quidam *Tulles* mendosè ſcribunt in numero plurali. In litteris anno MCCCCXLV. datis vocatur *la ville de Tuelle* ſic: *Devant le Seneſchal de Limoſin, ou ſon Lieutenant en la ville de Tuelle*. Nomen *Tuelle* de *Tutela* factum detractâ T. litterulâ; vocabulum *Tulle* demtâ II. ſyllabâ Odo in Sermone de incendio Baſilicæ S. Martini *Tutelenſem vicum*, & *Tutelenſem Eccleſiam* commemorat. Eſt & *Tutela* una è præcipuis Navarræ urbibus, *Tudela urbs* Hermanno Monacho in libro de reſtauratione Eccleſiæ Laudunenſis dicta, nomen dans uni de V. Navarræ Præfecturis ſeu Merindatibus: quæ hodieque *Tudela* nuncupatur, urbs clara & nobilis ad Iberum fluvium, cui pons lapideus heic eſt impoſitus. Eſt & *caſtrum in Albienſi Diœceſi, quod dicitur Tudelle*, ut ſcribit Petrus Monachus in capite LX. libri de bello Albigenſi: quod primùm *Tutelam* Latinè dictum eſſe non dubito: nunc vocatur *Teuller*.

Notitia Epiſcopatuum Galliæ, poſt annum MCCCXXII. compoſita, in Aquitanica I. ſeu in provincia Bituricenſi tres ex veteribus Monaſteriis *novos Epiſcopatus* collocat, *S. Flori, Vabrenſem*, & *Tutellenſem*; primum ab urbe Arvernis, alterū à Rutenis, ultimum à Lemovicis avulſos. Opidum S. Flori, *S. Flour*, apud Indiciacū Plano monti impoſitū eſt in Arvernia ſuperiore vel Cebennica, quem Superiorem Pagum vocitāt, *le Haut Pays*. Guillelmus de Podio Laurentii in capite XXXIV. *S. Florum caſtrum Arverniæ* nuncupat à S. Floro Vellavorum Epiſcopo. Caſtrum Vabrenſe *Vabres* vulgò dicitur, *Vabrincum* à Maſſono nuncupatum *opidum Rutenorum*; quod nomen apud veterem aliquem auctorem reperire non memini. Hi tres Epiſcopatus, *S. Flori, Vabrenſis*, & *Tutelenſis* præter ceteros facti à Johanne PP. XXII. qui anno MCCCXVI. ſedere cœpit Avenione: de quo Petrarcha in libro II. Rerum memorandarum ita ſcribit: *Gallia adhuc queritur Epiſcopatus plures ab eo diviſos, locatoſque parum idoneis locis: cùm antè in longè optimis opulentiſſimiſque urbibus Epiſcopos tantùm haberet.*

V

VABRENSIS PAGUS.

IN ardui montis cacumine Vulfilaicus Diaconus Langobardus, vir ſanctus, Monaſterium & magnam Baſilicam ædificavit, conditoris nomine nunc dictam *S. Vvalfroy*, regnantibus apud Francos Guntchramno & fratrum ejus filiis Childeberto ac Chlothario. Ibi *caſtrum Vabrenſe* quondam fuiſſe dicebatur: quod priuſquàm concideret, agro latè circumjacenti nomen ſuum dederat, itaut *pagus Vabrenſis* appellaretur: quem pagum *Vaurenſem* etiam dictum, & propter latitudinem regionis duos in Comitatus diviſum fuiſſe, in Diviſione Regni Lotharii invenio. Hodieque cum *agrum Vaurenſem* incolis vocari, *le pays de Vaure*, Germanis *der VVavare*, & ad ripas Aliſontiæ, Ornæ, & Cari fluminum jacere accepimus, Moſam inter & Moſellam: ut in libro XIV. Rerum Francic. ſcripſimus. *Ducatum Vvaverinſem* litteræ Caroli Magni vocant, & in eo ponunt *pagum Evoſienſem*, id eſt Epuſum vel Epoſium, & *Regiam foreſtem Vvauram*, pago cognominem: quam acta S. Dagoberti fabuloſa *Vvepriam* aut *Vvipriam ſilvam* corruptè nuncupant; Vvilthemius *ſilvam Vabrenſem*; vulgò *le bois de Vosure*, quæ altero lapide à Satanaco diſtat.

Hunc pagum priſcæ tabulæ nunc *Vabrenſem*, nunc *Vvabrenſem* & *Vvabrinſem*; modò *Vaprenſem* vel *Vvaprenſem*, modò *Vvaurenſem*; quin etiam *Vvaverenſem*, *Vvaberenſem*, *Vvabarenſem*, *VVavarienſem*, & *Vvebriam* ac *Vvebram* nominant.

Veteres tabulæ Nugaretum (*Narroy*) & Floriacum (*Fleury au pays Meſſin*) *in pago Vvabrinſe, in Comitatu Scarponinſe* locant. Litteræ Godefridi anno DCCCCXCI. datæ *Gerverardi Foſſam inter II. torrentes Lotoſam & Horontem ſitam in pago Vvaurinſe & Comitatatu Scarponinſe* memorant. Litteræ anni DCCLXIX. *Berulfivillam* (*Bruville*) *in pago Vvabrinſe, in Comitatu Virdunenſi ſuper fluvium Senode* ponunt; tabulæ anni DCCCCXIV. *Confluentes* (*Conflan*) *in pago Vvabrinſe, in Comitatu Virdunenſi ſuper fluvium Hornam*; litteræ anni DCCCCLIX. *villam Grimiuciam* (*Grimigny*) *in pago Vvaprenſi & Comitatu Virdunenſi* collocant. Quamquam tabulæ anni DCCCXXII. *Dodoniſcurtim* (*Doncourt aux Templiers*) *in pago Virdunenſe ſive Vvabrinſe* ſtatuunt; aliæ anni DCCCXXCV. *Gandeliſiam ad Ornam* (*Jandeliſe ſur Orne*) *in pago Virdunenſe ſive Vvabrinſe*, & *Bettoniſcurtim* (*Bettancourt*) ſimiliter *in pago Virdunenſe ſive Vvabrenſe ſuper fluvium Speona*: quæ duæ tabulæ videntur *pagum Virdunenſem* ſeu Verodunenſem, & *pagum Vabrenſem* confundere. Litteræ Henrici, Regum ejus nominis II. Imperatorum primi, datæ anno MXV. *in pago Vaprenſi, in Comitatu de Caſterei prædium Ballodium* ponunt: quod idem Princeps alibi *Balodium in pago Mattenſi* vocat. (*Ballien en Matoix*) Has litteras apud Vvilthemium legi, qui de *pago Vabrenſi* diligenter ſcripſit, dum Acta S. Dagoberti Mart. notis illuſtrare conatur. Ex quibus colligo, in *pago Vabrenſi* tres ſaltem tum fuiſſe Comitatus, *Verodunenſem*, *Scarponnenſem*, & *Caſterenenſem*, nobis ignotum: cùm Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *in pago Vaurenſe Comitatus* tantummodò *duos* conſtituat, quos ne nominat quidem.

VADANI MONS.

Vadani Mons, ſæpe à Richerio in Chronico Senonienſi ante annos CCCC. memoratur, locus à re nomen habens: cujus Comitatus à Ducis Lotharingiæ proximo herede poſſideri conſuevit. *Vandemont* vulgò dicitur, eſtque opidum inter ſilvas & montes poſitum in Lotharingia, interque flumina Moſellam & Moſam. Richerius in libri II. capite XXIV. tradit, *Comitatum Vadani Montis Girardo in ſortem obveniſſe*, Matthæi Ducis Lotharingiæ fratri. Otto Friſingenſis Epiſcopus, qui XII. ſæculo floruit, *Hugonem Vademontenſem Comitem* memorat: *Vadimontanum Comitem* alii plerique dicunt.

Sed cùm Richerius in capite XVI. & ultimo libri V. Chronici quater *Comitem Vuadani Montis*, & *terram Vuadani Montis* ſemel memoret; *Vuadani Mons*, an *Vuadanus Mons* dici debeat incertum eſt. In eo Comitatu *villam Vuaſſoncourt* ponit Richerius. In litteris datis anno MVII. Gerardus *Comitem Vadani Montis* ipſe ſe appellat: Chiffletius *Vaudani Montis Comites* nuncupare mavult.

VADENSIS PAGUS.

Hic pagus memoratur in Silvacenſibus Capitulis Caroli Calvi his verbis. *Miſſi in Landuniſo, Portiano, Sueſſonico, Urciſo, & Vadiſo.* *Vadenſis* igitur *pagus* erat, ut eſt hodie, proximus pagis Sueſſionico & Urcenſi. *Hugo Magnus*, frater Philippi Francorum Regis, *uxorem duxit* Adelheidem *filiam Herberti Vermandorum Comitis: per quam obtinuit Comitatus duos, Vermandenſem & Vadenſem*; ſicut ait auctor incertus. Coronationi Philippi I. Franc. Regis interfuit Rodulfus *Comes Vadenſis*, id eſt Rodulfus II. Comes Criſpeii. Noſtri Hiſtorici Latini veteres Radulfum, avum maternum Adelhaidis vel Adelæ, *Creſpeienſem ſive Vadenſem Comitem* appellitant: quoniam caſtellum *Creſpeium* vel *Criſpiacum*, pagi & Comitatus *Vadenſis* caput eſt, vulgò *Creſpy en Valois*. Olim *Vadum*, vulgò *Vé*, videtur *pagi Vadenſis*, cui & nomen dedit, caput exſtitiſſe. *Vadum* autem Noſtris *Vé* dictum, vicus hodieque eſt in *pago Vadenſi*, inter Villarem ad collum Retiæ & Creſpeium. Sic Vadum Magnum Noſtri in pago Baiocaſſino nuncupant *le Grand Vé*. Frodoardus in libri II. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis capite XVIII. *pagum Vadenſem* locat inter *Laudunenſem* & *Porcianum*. *Vadenſis* igitur *pagus* vulgò dicitur *le Valois*, quaſi *Valenſis*, d in l mutato, ut de cicada Noſtri *cigalam* fecere, de Vadicaſſibus Galeveſſinos, de Gadibus *Calis*. Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarum *Valeium* hunc pagum vocat ante annos CCCL. interdum & *Valeſium*; recentiores plerique *Valeſiam Comitatum* aut *pagum*.

Quidam ignari antiquitatis ac veteris nominis ejus pagi, *pagum Vallenſem* dictum putant à vallibus, ob idq; *le Vallois* cum duobus l ſcribunt. Aſper enim eſt montibus, & plenus vallibus atque convallibus gratiſſimis. Sic Veragri cum Sedunis *Vallenſes* in priſcis Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ nuncupantur à vallibus Alpium, & *civitas Vallenſium Octodorum* in Alpibus Graiis: agerque eorum *Vallis*, & *territorium Vallenſe* appellatur à Mario in Chronico, vulgò *le Vualay* aut *Vualais*. *Vallenſem* quoque *regionem* in Hiſpania proximam *Ceritaniæ* eamdem ob cauſam vocavere, nimirum propter convalles montium Pyrenæorum.

Bodinus, quamquam eſt in originis nominum inveſtigatione plerumq; infeliciſſimus, tamen falsò quidem ſed non ineptè *pagum Vualdenſem* appellandum eſſe aſſerit in libris de Republica, voce Germanica pagum ſilveſtrem ſignificante. *Vuald* quippe vel *Vualt* Germanis ſilva eſt. Conſtat autem pagum *Vadenſem* ſilvas magnas & multas, præcipuè ſilvam Retiam (*Rets*) habere, quæ eſt inter Firmitatem Milonis & *Villare ad collum Retiæ* cognominatum. Ita partem pagi Vallenſis in Veragris, *pagum Valdenſem* ob ſaltus Alpinos in priſcis tabulis dici reperio.

Hic pagus, licet ex parte Silvanectum, Meldorum, Sueſſionumque compoſitus, à Melciano, *le Mulcien*, & à *Silvanectenſi* pago diſtinguitur in Capitulis Regis Caroli, apud Silvacum promulgatis anno DCCCLIII. & Latinè nunc à Noſtris dicitur *Valeſium*, ut pagus Vallenſis in Veragris *Valleſia*: quem quidam falsò affirmant Axonâ, Iſara, Matronaque maximis fluminibus claudi atque circumdari. Nam Axonam quidem attingit; Iſaram & Matronam non attingit, ab Iſara pago Silvanectenſi, à Matrona Meltiano ſummotus: qui ex Comitatu non ita pridem Ducatus factus eſt.

Pagus Vadenſis ſeu *Valeſium*, partim eſt in Silvanectibus, ut Criſpeium; partim in Sueſſionibus, ut Altoilum vel Altolium *Anteüil*, Prioratu ſeu Cellà Cluniaco ſubjectâ nobile.

Porta Veneris, alio nomine dicta porta Sueſſionica vel Sueſſonica Durocortori Remorum ad occaſum Solis, dicitur & Johanni Sareſberienſi *porta Valeſia*: ex quo videor meritò poſſe colligere, jam ætate Johannis hujus ante annos quingentos *pagum Vadenſem* dictum eſſe *Valeſium*: cùm porta in urbe Remis, quæ *Veneris* ac etiam *Sueſſionica* antè nuncupabatur, tum *Valeſia* appellaretur, quòd ut in urbem Sueſſionas, ſic in *pagum Valeſium* Sueſſionis proximum duceret. Verba Johannis in epiſtola CLXXII. ad Henricum Comitem talia ſunt. *Quas quæſtiones cùm mihi Albericus Remenſis, quem cognominant de Porta Veneris, quæ vulgò Valeſia dicitur, nomine veſtro adhibitis aliquot litteratis viris propoſuiſſet; ut verum Domine fatear, obſtupui.*

VADINIACUM.

Vadiniacum in inſula Ittæ fluminis Diœceſique Rotomagenſi poſitum eſt, cellamque ſeu Prioratum Benedictinum habet, & nunc truncato nomine *Gany l'Iſle* appellatur, id eſt *Vadiniacum* ad inſulam. Vidi qui *Vadum Nicaſii* vocarent, propterea quod Nicaſius quem Mellentini colunt, eo in loco Ittam vado tranſiiſſe dicitur.

VADUM.

Eſt caſtellum, quod *Vadum Mali Nidi* nuncupatur, *Gué de Mauny*: in quo Johannes Philippi Valeſii filius natus eſt anno MCCCXIX.

Eſt & Magnum Vadum S. Clementis, *le Grand Vé*, ad oſtium fluminis Viræ, quo ſinu Baiocaſſini à Conſtantinis dividuntur: & à quo in Eccleſia Baiocaſſina *Archidiaconatus Vadenſis* nomen accepit.

VALCIODORUM.

Valciodorum ſeu caſtellum, ſeu vicum in

Monaſterium convertit Eilbertus Comes anno DCCCCXLIV. qui locus eſt ad flumen Moſam in Comitatu Namucenſi, vulgò *Vauſſorre*. Miræus *Vvaſſors* vocat; alii *Vaſſore*: tabulæ quædam *Vvanſors* meliùs nuncupant, & inter Caroli Montem ac Bovinnam ad Moſam collocant.

VALENTIA SEGALAUNORUM, ET DE SEGALAUNIS.

Qui Plinio *Segovellauni* in Narbonenſi provincia inter Vocontios & Allobroges, Ptolemæo in Gallia Narbonenſi ſub Allobrogibus *Segalauni* Σεγαλαυνοὶ dicuntur; in Notitia Imperii Romani detractâ ex *Segovellaunis* mediâ ſyllabâ *Segolauni*. *In Gallia Præfectus Sarmatarum Gentilium per tractum Segolaunorum*. Cn. Planci in epiſtola ad Ciceronem VI. verba ſunt hæc. *Studium in ea re* (id eſt in reconciliando mihi Marco Lepido) *ſuum mihi L. Gellius de tribus fratribus Segavianis probavit: quo ego interprete noviſſimè ad Lepidum ſum uſus. Amicum eum Reip. cognoſcere videor.* Ubi legendum emendandumque puto i litterâ in l mutatâ *de III. fratribus Segalaunis*: itavt L. Gellius cum II. fratribus ſuis Gallus fuerit, ac natione *Segalaunus* ſeu *Valentinus*. Erat autem tum Plancus ad & trans Iſaram, qui in Rhodanum effluit ad Confluentes, (*Conflans*) vicum *Valentiæ Segalaunorum* proximũ, ut ipſe in epiſtola V. & VII. docet: habebatque in exercitu maxima auxilia & *Principes Galliæ*, uti epiſtolâ VIII. ad Ciceronem diſertè teſtatur: quos inter Galliæ Principes L. Gellium iſtum *Segalaunum* cum II. fratribus ſuis fuiſſe non dubito. Ortelius in Theſauro ſuo Geographico & Holſtenius, quos quidam recentiores ac noſtræ ætatis ſequuntur, aiunt ac perſuaſiſſimum habent opidulum *Saillans* à *Segalaunis* dictum eſſe, ac eorum nomen ſervare. Locus autem *Saillans* poſitus eſt ad flu. Drunam, (*la Drome*) inter Deam Vocontiorum & Criſtam: quem *Salientes* Latinè nuncupatum eſſe, magis quàm à *Segalaunis* nomen accepiſſe arbitror. Ut omittam au quoties à Noſtris mutatur, in o aut in ou & eu mutari, non in a conſueviſſe, & Taunacum utrumque *Tonay* à Noſtris dici, Icaunam *Ionne*, pauſare *repoſer*, claudere *clorre*, raupa vel rauba *robes*, Aurelianos *Orleans*, aurum *or*, auriculas *oreilles*: item alaudam *aloüette*, laudare *loüer*, traugum *trou*: item paucum *peu*, Augam caſtrum *Eu*. Quare ex *Segalaunis Selons* aut *Sailons* fieri poteſt, ut ex Catalaunis *Chaalons*: *Saillans* fieri non poteſt. Denique *Saillans* à ſalientibus aquis haud dubiè nomen habuit, & cùm plurimum abſit *Valentiâ Segalaunorum*, proximuſque ſit locus Deæ Vocontiorum; ad Vocontios potiuſquàm ad *Segalaunos* pertinere, & Deenſi potiuſquàm *Valentinæ* Diœceſi attribui oportere mihi videtur.

Plinius *Valentiam* coloniis adnumerat Narbonenſis provinciæ. *In mediterraneo* (inquit) *coloniæ Arelate Sextanorum, Bliteræ Septimanorum, Arauſio Secundanorum in agro Cavarum, Valentia, Vienna Allobrogum. Opida Latina Aquæ Sextiæ Salyorum*, &c. *Coloniæ* lego, non *colonia*: quoniam has V. urbes Colonias fuiſſe conſtat. Quod ſi *Colonia* legeretur, ad Arelate tantùm referri poſſet ac deberet, itavt ea una *Colonia* appellaretur ceteris IV. excluſis. Ptolemæo ſub Allobrogibus *Segalaunorum urbs Valentia Colonia*, Οὐαλεντία Κολωνία in Gallia Narbonenſi: in tabula Peutingeriana inter Auguſtam & Tegnam (*Tain*) *Valentia*; in Æthici Itinerario inter Auguſtam & Urſolos. *Viennenſis* (inquit in libro XV. Ammianus) *civitatũ exſultat decore multarum: in quibus potiores ſunt Vienna ipſa, & Arelate, & Valentia.* Ambroſius in epiſtola XXVII. *Valentiam Gallorum* cognominat, ut diſtinguat à Valentia Colonia Hiſpaniæ Citerioris ſeu Tarraconenſis, capite Conteſtanorum, quam *Valentiam Hiſpaniæ* vocat Aimoinus in Tranſlatione Georgii & Aurelii Mart. & à Vibona vel Vibone Valentia in Brutiis, vulgò *Bivona* dicta. Hæc urbs, nomine & colonis Romana, capútque *Segalaunorum*, forſitan ea eſt, quæ *Colonia Julia Valentia* in nummo Auguſti nuncupatur, *Colonia Valentia* in nummo Tiberii. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *Civitas Valentinorum* appellatur, & inter prov. Viennenſis civitates XIV. ſexto loco numeratur. In Chronico Roberti *civitas Valentia* Viennenſis provinciæ civitatum ſexta quoque eſt. At apud Gervaſium Tilleberienſem, & in duabus Notitiis Gervaſio recentioribus, *Valentinus* Epiſcopus primus eſt inter ſex Antiſtites Viennenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffragantes.

Proſper in Chronico *Valentinam urbem*, & *Valentiam nobiliſſimam Galliarum civitatem* nuncupat; Bonifatius PP. I. in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ *Valentinam civitatem*. Noſtri *Valence* vocant, urbem poſitam ad ſiniſtram ripam Rhodani, unâ leugâ infra Iſaræ & Rhodani confluentes.

In quadam Notitia vetere dicitur *civitas Valentinorum à Valente conſtructa*, ut *civitas Gratianopolitana à Gratiano*: quod falſum eſt, nec refelli meretur. Nam à valentia, id eſt à viribus & robore nomen Latinum accepit, non à Valente Auguſto Gratiani Aug. patruo: qui in Oriente imperavit; adeò *Valentiam* IV. & ampliùs ſæculis ipſo antiquiorem exſtruere non potuit. Gratianus quidem Aug. Cularoni, ejuſdem provinciæ Viennenſis veterrimæ urbi nihil præter nomen ſuum videtur dediſſe. Eſt & *Valentia* parvum opidum in finibus Pictonum, *Valence*. Valentia porrò nomen Latinum eſt, à valeo deductum, quo priſci vires & robur potentiamque deſignavere. Inde apud Nonium verſus Afranii, ni fallor. *Gubernator navem torquet arte, non valentiâ.*

Pagus Valentinus, Ducatûs titulo illuſtris, *le Valentinois*, vocatur à Plinio *regio Segovellaunorum*, inter regiones Vocontiorum & Allobrogum; in Notitia Imperii *tractus Segolaunorum*; *Valentinæ urbis rura* in Chronico Proſperi. Hic autem pagus Rhodani ripam ſiniſtram ac nonnulla etiam in dextra fluminis ripa obtinet: ſi verum eſt, quod aiunt, Turnonem ad dextram Rhodani ripam poſitum, Helviiſque ſeu pago Viva-

ſienſi proximum, Segalaunis ſeu Diœceſi *Valentinæ* nihilominùs adſcribi. Sic Allobroges, qui *Segalaunis* finitimi erant, trans Rhodanum vicos poſſeſſioneſque habuiſſe, Cæſar in libro I. de bello Gallico tradit: & in libro IV. affirmat, *Menapios ad utramque ripam Rheni agros, ædificia, vicoſque habuiſſe.* Sic Livius in libro XXI. ſcribit *Volcas*, nimirum Arecomicos, *Gentem validam circa utramque ripam Rhodani colere.*

VALENTIANÆ.

Chlodoveus ejus nominis tertius Rex Francorum *Valentianis in Palatio* ſuo, ad univerſorū cauſas audiendas & recto judicio terminandas reſedit: ut litteræ ejus docent, *Valentianis* datæ. *Anno* DCCLXXI. *domnus Rex Karolus Synodum habuit ad Valentianas*: ut veteres rerum Francicarum Annales & Vita Caroli Magni docent. *Villam Valentianam* Eginhardus appellat in Annalibus. *Anno* DCCLXXI. *peracto ſecundum morem generali Conventu ſuper fluvium Scaldam, in villa Valentiana. Rex Karolus ad hiemandum proficiſcitur.* Idem *vicum Valentianas* nuncupat in libro IV. de Tranſlatione SS. Martyrum Marcellini & Petri, quum memorat *Georgium Preſbyterum & rectorem Monaſterii S. Salvii Mart. quod in pago Fanomartenſi, in vico Valentianas appellato, in ripa Scaldis fluvii ſitum eſt. Valentianas* memorat & Nithardus in libro IV. *Anno* J. D. DCCCLIII. *domni Reges Hlotharius & Karolus convenerunt ad Valentianas per menſem Novembrium.*

Valentianæ autem haud dubiè à Valente dictæ ſunt: ſive Valentinianus major Auguſtus fratris ſui atque collegæ eis nomen impoſuit; ſive ab aliquo alio ita ſunt cognominatæ. Sic *Marciana* Monaſterio illuſtres veteri, & *Valentianis* proximæ, à Marciano nomen acceperunt.

Valentianas nunc *vicum*, nunc *villam* ab Eginhardo vocari non eſt mirum. *Villa* enim à Gregorio cæteriſque noſtris ſcriptoribus paſſim pro vico ſuburbano vel agreſti accipitur & ponitur: quod jam ætate Auſonii in uſu fuiſſe, indicat hic ejus verſus de Lucaniaco.

Villa Lucani nunc potieris aco.

Vicum Valentianas cum Monaſterio S. Salvii *in pago Fanomartenſi* ponit Eginhardus. Nimirum pago Fanomartenſi nomen dedit Fanum Martis, nunc vicus Hainoi à *Valentianis* non procul remotus, & *Famars* vulgò dictus. *Valentianas* porrò Scaldis interfluit, ac duas in partes dividit. Pars trans Scaldim eſt in pago Fanomartenſi, ut ait Eginhardus, & in Diœceſi Camaracenſi: pars cis Scaldim eſt in pago Auſtrebantenſi ac Parœcia Atrebatenſi, ſub diſpoſitione Archidiaconi Auſtrebanti ſeu Oſtrovandiæ, *Oſtrevant.* Auctor Vitæ Sancti Gaugerici Camaracenſis Epiſcopi, *Morante* (inquit) *viro Dei apud Fanum Martis in Diœceſis ſua territorio, negotiator pueros captivos vinculis conſtrictos, per eum locum venumdandos duxit.* Ulpianus quum notat *Fanum Martis in Gallia*, cui legare teſtamento liceat, eum locum deſignat. Philippus Eccleſiæ Bonæ Spei Prior, in Paſſione MS. S. Salvii Mart. ad Eccleſiæ S. Salvii Priorem, *primum Hainoii opidum Valentianas* appellat, *Hainoenſiumque* & *Condati* (*Condé ſur l'Eſcaud*) ibidem meminit. Altera Vita S. Salvii Epiſcopi, eâ multo vetuſtior *Valentianas* etiam in Hainoo collocat, *fiſcumque*, id eſt villam publicam ſeu fiſcalem nuncupat. *Adveniens in partibus Hainoenſis fiſci, qui vocatur Valentianas*, &c. Guillelmus Nangiacenſis in anno MCCLIV. *Valentianas caſtrum fortiſſimum, caput totius Hanoniæ Comitatus*, & ibidem *Valentianum caſtrum* vocat. In rebus anni MCCXCI. *Gens* (inquit) *caſtri quod Valentianas dicitur, in pago Flandriæ & Hanoniæ ſiti, contra Johannem Comitem Hanonienſem, dominum ſuum rebellavit.* Nimirum pars *Valentianarum* quæ ultra Scaldim eſt, Hainoi eſt vel Hanoniæ: pars quæ citra Scaldim, Flandriæ impropriè attribui poteſt: cùm in Atrebatibus quidem ſit poſita, à Flandria tamen non procul diſtet.

Valentiana ex vico ſeu villa fiſcali vel publica opidum, aut potiùs urbs totius ferè Hainoi clariſſima evaſere, & velut in Fani Martis locum ſucceſſere: quas recentiores Latini ſcriptores *Valencenas* corrupto nomine dixerunt, (in his Urbanus Papa IV. in epiſtola ad Ludovicum IX. Francorum Regem *Johannem de Valencenis* memorans) uti Marcianas *Marcenas*. Incolæ illas *Valenchiennes*, Noſtri *Valenciennes*; has *Marchiennes* utrique nuncupant. *Opidum Valenciene in Comitatu Henovia* Rigordus vocat; Guillelmus Nangiacenſis nunc *Valentianas*, nunc mendosè *Valentinianas*. *Anno* MVII. *Henricus Imper. ſeditione ſuorum coactus, caſtrum Valentianas, ſitum in Marcha Franciæ & Lotharingiæ, Balduino Comiti Flandrenſium beneficiavit.* (id eſt beneficii vel feudi loco conceſſit) *ut ſibi contra motus ſuorum auxilio eſſet.* Liber mirabilium rerum à Bernardo geſtarum Montis & *Valentianarum* in Hainoo meminit his verbis. *Mons vocatur caſtrum primum in provincia Hainoenſium. Valencenas nominant opidum grande & populoſum.*

VALLAGIA.

In litteris Glannafolienſibus anno DCCCXXXIX. datis hæc legimus. *Alodum noſtrum, qui eſt in pago Andegavenſi, in Condita Maciacenſe, quæ eſt in Vallagia.* Eſt hic pagus in Andicavis valde depreſſus, & in vallibus jacens, ut Vallenſis regio, *le Valais*, ac vulgò dicitur *Vallée*: ubi eſt Bellum Forte, *Beaufort en Vallée.* Eſt & in eadem *Vallagia Burgulium*, locus Abbatiâ clarus, *Bourgueil en Vallée.* *Valeia* hæc dicitur in Geſtis Conſulum Andegavenſium. *Landricus per Turonim & Lengiacum deſcendens, Valeiam impugnabat.* Item: *Comes* (Fulco Nerra) *inde Valeiam intrans, Andegavis ad libitum deſcendebat.* *Valeia* mendosè & corruptè dicta pro *Valleia*: quo nomine infrà appellatur. *Similiter Fulco quos potuit in Valleiam adunat.*

Regiuncula prope Carnutas, à ſitu quoque depreſſo ac humili nunc *Valis Carnotenſis*, aut abſolutè *Valis*; nunc *Valleia* dicta eſt,

appellaturque etiamnum *Vallée*. In priſcis litteris *Abbas & Monachi S. Petri in Valle* (*S. Pierre en Valiée*) ſæpe & *in Valleia* memorantur: *Eccleſia S. Martini de Valle* (Carnotenſi) in litteris anni MCCXLVII; *Eccleſia B. Martini in Valle, quæ in ſuburbio Carnotenſi ſita eſt*, & *Monachi B. Martini de Valle* in litteris anni MCLI; *Abbas & Canonici S. Johannis de Valleia* in litteris anni MCCXLVII. ſupradictis; *Stephanus Abbas S. Johannis de Valeia* anno MCXX. in Chronico Mauriniacenſi, mendoſè pro *Valleia*.

In majore Archidiaconatu Eccleſiæ Aurelianenſis regiuncula eſt humilis ac depreſſa, à ſitu *Valles* dicta, *Vaux*: in qua vicus eſt *S. Dionyſii in Vallibus* cognominatus, *S. Denis en Vaux*; & vicus *S. Cyrici in Vallibus*, *S. Cyre en Vaux*, cum ſua uterque Eccleſia.

VALLETRIA.

Valletria vel *Valetria* in priſcis tabulis nuncupatur *Barreges*, u in b. l in r. converſis. Ibi ſunt aquæ pingues ac (ſi ita loqui licet) unctuoſæ & calidæ in Pyrenæis montibus finibuſque Bigerronum, ægris ſalutares, qui ad eas thermas balneaque decurrunt.

VALLILIÆ.

S. Aldricus (Archiepiſcopus Senonum) *Cœnobium S. Remigii, quod erat ante portam civitatis*, (Senonicæ) *in propria villa ejuſdem Cœnobii quæ vocatur Vallilias, commutavit*, Ludovici Pii Aug. Principatu: *Vvenilo* Aldrici ſucceſſor, *perficiens Cœnobium S. Remigii apud Vallilias, ditavit illud honoribus & facultatibus multis*, ubi & *ſepultus eſt in crypta S. Anaſtaſiæ Virginis*. In *Vallienſi* Monaſterio Baſilica B. Mauricii erat. Vulgò *Vareilles* hic locus dicitur: in quo Monaſterium S. Remigii poſtea à Nortmannis incenſum atque dirutum eſt, Eurardo Senonicam Eccleſiam regente: uti Clarius ante annos circiter DL. tradidit in Chronico Monaſterii S. Petri Vivi. *Vallilia* à *valle* in qua ſitæ erant, & à *liliis* quibus ager circumjacens abundabat, Latinum nomen videntur accepiſſe, & *Vareilles* Noſtris eſſe dictæ l in r converſo, ut luſciniolam *roſſignol*, ulmum *orme* vocant, ululare *urler* dicunt.

VALLIS COLORIS.

Auctor ignotus qui Geſta Ludovici VIII. Francorum Regis litteris mandavit, ejus loci meminit his verbis. *Anno* MCCXXIV. *in Octavis B. Martini hiemalis, inter Ludovicum Regem Franciæ & Henricum Regem Alemanniæ, filium Friderici Imperatoris, apud Vallem Coloris concilium celebratur*, &c. Vulgò *Vaucouleur* dicitur, eſtque caſtrum ad flumen Moſam, inter Novum Caſtellum & Commerciacum poſitum De eo Guillelmus de Nangiaco. *Anno* MCCXI. *Cum veniſſet Fridericus Imp. apud Vallem Coloris, quod caſtrum Lotharingiæ eſt ſuper Moſam fluvium ſitum: Philippus Rex Franciæ miſit illuc filium ſuum Ludovicum, ut hinc inde mutuam confœderationem inirent.* Item. *Anno* MCCXXXVIII. *Fredericus Romanorum Imperator Regi Franciæ Ludovico mandavit, ut uſque ad Vallem Coloris accederet, cum ipſo colloquium habiturus.* Ibidem *Anno Domini* MCCXCIX. *Albertus Rex Romanorum & Philippus Rex Franciæ circa Adventum Dominicum apud Vallem Coloris inſimul congregati, inclita & antiqua utriuſque Regni fœdera ibi ad invicem confirmârunt.* Cauſa Latini nominis loci mihi incognita. Quid enim ſignificat *Vallis Coloris*? Si caſtrum in valle poſitũ eſt, quid heic colore opus eſt? aut quid coloris nomine deſignatur? Quid eſt vallis coloris, aut vallis colorata? Johannes Pariſienſis in Memoriali Hiſtoriarũ *Vallem Coloris* initium Lotharingiæ facit, cui & Verdunum, Tullum ac Mediomatricos urbes attribuit.

VALLISDUNI ET VALLISDUNÆ.

Vallis Duni memoratur in Chartulario Fiſcamnenſi, in quibuſdam litteris. *De feodo Vuillelmi Hendeart de Parochia S. Petri Veteris in Valledun*: in aliis litteris, datis anno MCCXXXVII. *Apud Gaillardiam in Valleduni ad campos & ad villam.* Obſervo *Vallem Duni* eſſe locum in Caletis, poſitum ad Talam vel Dunum fluvium, vulgò *le Val-Dun*: quem locum proximum *Parœciæ* vel vico *S. Petri Veteris* (*Saint Pierre le Vieux*) ad eumdem amnem ſito, non modò ſuperiores litteræ, ſed etiam tabulæ Geographicæ nobis exhibent. Ea de re dubitari non poteſt, cùm nomina locorum priſca & recentiora, ſituſque conveniant.

A *Valleduni* differunt *Vallisdunæ*, quas Ordericus Vitalis in libro VIII. Hiſtoriæ & multi alii cõmemorant, hoc eſt Vallis montes. *Dunum* enim veteribus Gallis mons; *duna* & *Dunæ* montes. Chronicon S. Stephani Cadomenſis *Vallium Dunas* duobus nominibus appellat; ſcriptores rerum Anglicarum *Valleſdunas* uno nomine, *Valeſdunas* item & *Valiſdunas*. Anno MXLV. Dux Normanniæ Guillelmus adverſus Guidonem cognatum ſuum, Nigellum Conſtantienſem, & plures alios Proceres rebellantes, *à Rege Henrico petiit auxilium: qui commoto exercitu Comitatum Oximenſem ingreſſus, Valesdunas venit: ubi hoſtes Ducis invenit congregatos & paratos ad bellum. Exercitus igitur Francorum & Ducis eis viriliter congreſſi, citò eos devicerunt, & ita atteruerunt, ut quos gladius non extinxit, timor fugere compellens, intrare fluvium Olna fecerit, quo ſunt abſorpti*: ut præter ceteros ſcribit Johannes Pariſienſis. Eſt ergo *Vallis Duni* in Caletis Diœceſique Rotomagenſi; *Vallisdunæ* autem, vel *Valleſdunæ* vel *Valedunæ*, in Comitatu pagove Oximenſi, & in Diœceſi Saienſi ad flumen *Olnam* ſeu Olinam, *Orne*, locus nunc ignotus.

VALLIS GELLONIS.

Vallis Gellonis vel *Agellonis* prope Arautim fluvium in Septimania provincia, agróque Lutevenſi, nomen hodieque retinet, *le Val de Gellone*. Quidam *Monaſterium Gellonenſe* nuncupant; *Gellonem* Vita Benedicti Abbatis.

Locus eſt poſitus ad fluvium Araurim, duabus ab urbe Leuteva leugis remotus: quem plerique accolæ *S. Vvillelmi Deſertum* vocitant, *S. Guillem le Deſert*, à Vvilhelmo ejus Monaſterii conditore: quem Theodorici Comitis & Aldanæ filium, permiſſu Caroli Magni, ex Comite Toloſano ibi anno DCCCVI. veſte mutatâ Monachum factum eſſe, liber de Vita ipſius docet.

VALLIS GUIDONIS.

Ordericus Vitalis in libro X. Hiſtoriæ nunc *Valles*, nunc *caſtrum de Vallibus* vocat, *La-Val*: quod eſt caſtrum in Cenomanis ad flumen Meduanam poſitum. *Vallem*, & *Vallem Vvidonis* vel *Guidonis* plerique appellant: quòd multi ejus caſtri domini *Guidones* ſunt dicti. Johannes Majoris Monaſterii Monachus in Geſtis Gaufridi Comitis Andicavenſis *Lavallem* vocat, quaſi *Illam Vallem*, *La Val*, ex articulo & nomine loci in unum conjunctis barbaro vocabulo facto. Certè *Guidonem de Lavalle*, necnon *Guidonem Lavallenſem* nominat. Nunc caput Comitatûs eſt. Anno MCCXLII. habitum eſt Concilium *apud Vallem Guidonis*: quod imperitè *Lavallenſe* dici, & *opidum Lavallis* pro *Vallis* rectè obſervavit Labbeus, vir piiſſimus doctiſſimuſque, amicus meus. Prædium fuit in pago Cenomanico Maduallis Gallicolatino nomine dictum, id eſt Bona Vallis; quod Sigibertus Monaſterio Sueſſionico S. Medardi dediſſe fertur. *Villa Madualis in partibus Cenomannicæ urbis*, & *fundus Madualenſis* aliis dicitur: quam *Maduallem* olim pro *Valle* ſeu *Valle Guidonis* habendam putavi.

Eſt & vicus proximus Soonæ caſtro *Vallis*, vulgò *le Val* dictus. Sunt & *Valles* prope Melodunum Senonum, *Vaux* à ſitu cognominatæ.

VANGIONIS RIVUS CASTRUM.

Caſtrum *Vangionis Rivus* à fluviolo ſeu rivo ſuo nomen accepit. In Chronico Monaſterii S. Benigni memoratur *Rogerius dominus caſtri, quod vocatur Vvangionum Rivus*. In litteris Galteri domini Vangionis Rivi, datis anno MCCXXXV. *Molendinum ædificare valeat nec in rivulis des Anges ſuper Vangionem, neque de fontibus Vangionis*. Ibidem *Prioratus B. Stephani Vangionis* fit mentio. *Vangio* ergo vocabatur rivus vel amniculus, à quo caſtrum quod alluit, *Vangionis Rivum* cognominavere. In aliis litteris *Rogerius caſtri quod vocatur Vvangionum Rivus, indigena & Advocatus* dicitur. Dictus *Vangionis Rivus*, ut eamdem ob cauſſam *Rivus Morentini*, *Romorantin*. Olim à Noſtris *Vaingnori*, & *Vaignori* vocabatur; in Chartario MS. Eccleſiæ Lingonicæ *Vainnorri*, in litteris anni MCCCXIII. *I. Dame de Vainnorri*. In litteris Caroli Franciæ & Navarræ Regis, datis anno MCCCXXVI. *Vuoignon Ru* nũcupatur: *Au Seigneur de Vvoignon Ru*. Nunc *Vingnori* dicitur, locus Comitivæ titulo clarus, & Diœceſeos Lingonicæ finibus continetur, hoc eſt Ducatu Burgundiæ. Nam *Æduenſem*, (id eſt Auguſtodunenſem) *Lingonenſem*, & *Cabilonenſem Epiſcopatus in Ducatu Burgundiæ* ſuo, ſolos videlicet ponit ſuis in litteris Robertus Dux Burgundiæ. Fluviolus *Vangio* vocatur in tabulis Geographicis *Vinnori*, aliàs *Vingnori*, id eſt *Vangionis* vel *Vangionum Rivus*; & unus de primis in Matronam defluit.

VAPINCUM TRICORIORUM,

Hanc urbem priſcis omnibus Geographis ignotam Itineraria memorant. Æthicus in itinere a Mediolano Arelate per Alpes Cottias, *Vapingum* ponit inter Caturigas & Alabunte ac Secuſteronem: idem in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam, Caturicas inter & Montem Seleucum *Vapincum* collocat ſic. *Ebreduno*, *Caturicas* M. P. XVI. *Vapinquo* XII. *Monte Seleuco* XXXIII. *Luco* XXVI. *Dea Vocontiorum* XII. *Auguſta* XXII. *Valentia* XXII. quod fuit iter Hannibalis. *Vapincum* autem à Mediolano diſtare millibus paſſuum CCLV. ait. Itinerarium à Burdigala Hieruſalem uſque inter Montem Seleucum & Caturigas *Manſionem Vapincum* ſimiliter collocavit: tabula Theodoſiana quoque *Vapincum* Seguſteroni & Catorigomago, id eſt Catorigis medium interpoſuit. Veteres Notitiæ civitatum Galliæ modò *civitatem Vapincenſium* aut *Vapencenſium*; modò *civitatem Vappincenſium* & *Vappencenſium* nuncupant, quintam inter civitates provinciæ Narbonenſis II. nonnumquam *civitatem Vapicenſium* & *Vapecenſium*. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro Hiſt. V *Vapigenſem Eccleſiam* vocat: quæ urbs, Aimoino in libro III. & Roberto in Chronico aliiſque *civitas Vapingum* dicitur.

Conſtantius Epiſcopus civitatis Vappincenſis Epaonenſi Concilio interfuit atque ſubſcripſit; Concilio Aurelianenſi V. *Velleſius Epiſcopus Eccleſiæ Vappincenſis*, necnon Synodo Pariſienſi II; Concilio Pariſienſi IV. *Sagittarius Epiſcopus Eccleſiæ Vappicenſis*; Concilio Matiſconenſi II. *Aredius Epiſcopus Eccleſiæ Vappicenſis*; Concilio Cabillonenſi *Potentiſſimus Epiſcopus Eccleſiæ Vappicenſis*.

Sincerum urbis nomen *Vapincum*, pro quo *Vapingum* quidam dixere c in g commutato: alii qui de vappa ſomniaverunt, *Vappincum* & *Vappencum* appellare maluerunt. Nonnullis & *Vappicum* placuit, & *Vapicum* aut *Vapigum*. Niſi ſi potiùs mendum eſt, ortum ex compendio ſcripturæ. *Vappicum* & *Vapicum*, ac *Vapigum* ſcribebatur cum virgula litteræ i ſuperducta: quam cùm non animadverſam omitterent veterum codicum tranſſcriptores vel librarii, *Vappicum* & *Vapicum* ac *Vapigum* nobis pro *Vappinco* & *Vapinco* & *Vapingo* obtruſerunt. Certè urbs quidem *Vapincum Gap* à Noſtris dicitur, ut vaſtare *gaſter*, veſpa *gueſpe*, Vaſco *Gaſcon*, vagina *gaine*: at *pagus Vapincenſis* totum urbis cum ipſa littera n. nomen retinet. Vocatur enim *le Gapencois*.

Vapincum (quodcumque vetus ei nomen fuerit) caput *Tricoriorum* olim exſtitiſſe, planè mihi perſuadeo, idem perſuaſurus & doctis.

Hoc

Hoc docent priſca Itineraria ſuprà laudata, & iter Hannibalis ad Alpes tendentis: quem Livius in libro XXI. ſcribit *ad levam in Tricaſtinos flexiſſe*, (circa opidum S. Pauli Tricaſtinorum) *inde per extremam oram Vocontiorum agri* (id eſt per Deam Vocontiorum & Lucum Auguſti) *tetendiſſe in Tricorios*, (nimirum ad *Vapincum* caput Gentis) *haud uſquam impeditâ viâ, priuſquàm ad Druentiam flumen Alpinum pervenit*. Certè *Vapincum* poſitum eſt ad amniculum qui in Druentiam effluit: & *Vapincum* ac *Tricorios* emenſo Hannibalis militi Druentia tranſeundus fuit. Samſon tamen unà cum Ebroduno *Vapincum*, & *Vapincenſem pagum* aut Diœceſin Caturigibus attribuere maluit, quoniam *Vapincum* à Caturigis XII. tantùm millibus diſtet: quæ futilis ratio eſt. Saluangius Vocontiis *Vapincum* adſcribit, haud multo Samſone feliciùs.

Plinius in Narbonenſi provincia has regiones ita ordine digerit. *Regio Anatiliorum, & intus Dexuviatium Cavarumque; rurſus à mari Tricoriûm, & intus Triullorum, Vocontiorum & Segovellaunorum, mox Allobrogum*. *Regio Tricoriûm* ſeu *Tricoriorum* apud Plinium, eſt *ager paguſve Vapincenſis*: qui Τετρὰγοι à Strabone nuncupantur, & ponuntur inter Vocontios & Medullos. *Saltem Tricorios* memorat Ammianus.

VARASCI.

Varaſcorum in Sequanis Dubis fluminis accolarum, quos ab hæreſi Bonoſi & Photini ad Catholica dogmata Euſtaſius Luxovienſis Abbas revocavit, fit mentio apud Jonam in Euſtaſio, & in Vita S. Salabergæ: a quibus nomen habet *pagus Vvaraſch*. in Diviſione Regni Lotharii, inter fratres Ludovicū & Carolum Francorū Reges facta commemoratus, inter Eliſchouvam & Scudingum ſive Scutingenſem pagum ſitus. Auctoris libelli de Vita Salabergæ verba hæc ſunt. *Euſtaſius ad Luxovium regreſſus eſt: deinde ad Vvaraſcos, qui partem Sequanorum provinciæ & Duvii amnis fluenta ex utraque ripa incolunt, pergit, qui & ipſi* (ut Baioarii) *eodem Bonoſi Photinique maculati errore, ævo jam ſenes tabeſcebant: ad quos vir Dei veniens, eos ad ſanctæ Eccleſiæ gremium revocavit*. Equidem *Varaſcos* potiuſquàm *Vvaraſcos* ſcribi exiſtimo oportere: à quibus nomen accepit *Comitatus Vareſci* in Comitatu Burgundiæ, ſive *Comitatus de Vareſco*, tractus in Sequanis hodieque ita dictus: quem memorant Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXIX, & *Comitatum Vvaraſcorum* nuncupant ante annos octingentos, atque inter *Comitatum Sucdingium* vel potiùs Scudingium & *Comitatum Portiſiorum* ſive Portenſium collocant. Ejus pagi meminit Adſo, qui & Hermiricus, Abbas Luxovienſis, in libello de Miraculis S. Vvaldeberti Abbatis his verbis. *In pago ruſticorum uſu Vvaraſcum nuncupato fuiſſe quemdam virum novimus Bernericum*. Guichenonius litteras profert datas anno DCCCCXLIII. *In pago Vvaraſcum, in Comitatu Scodingum*; &c. additque partem Comitatus Burgundiæ Brexiæ conterminam, olim *pagum Vvaraſcum* dictam eſſe: Comitatum *Scotingum* vel Scutingum vallem eſſe, in qua ſunt Salinæ, *Salins*. Hugo Archiepiſcopus Veſontienſis in litteris datis anno MXL. aut L. *Eccleſiam S. Leodegarii in Comitatu Portenſi, Eccleſiam S. Martini in pago Vvaraſco, in villa Tercenniano* memorat. Legi Chartularium MS. Auguſtodunenſis Eccleſiæ, in quo Carolus Francorum Rex litteris datis *anno* XXII. *regni, redintegrante* XVII. *largiore verò hereditate indepta* III. ſic ſcribit. *Sunt autem eadem res ſitæ in Comitatu Vvaraſco ſuper rivulum Onna, in villa quæ vocatur Polinei*. Ibidem *Adeleith* Comitiſſa (mater ex Richardo Duce Burgundiæ Rodulfi Franc. Regis) *villam Polmiacum ſitam in Comitatu Vvaraſco ſupra rivolum Onnam, Eccleſiæ S. Nazarii, quæ mater eſt Eccleſiarum* totius Diœceſeos Æduorum, deſtinat & donat litteris, *datis anno* XXV. *poſt obitum Odonis regnante Carolo Glorioſiſſ. Rege*. Polemniacum igitur ſeu Polniâcum ad fluviolum Onnam, (*Poligni*) in *Vvaraſcis* erat. *Varaſcorum* nomen hodieque ſervat locus *Varax* vulgò dictus in Sequanis, Comitatûs titulo inſignis. Certe *Chriſtophorus* quidam *de Ria Marchio Varembonis, Comes Rupis & Varaſci* (*de Varax*) à Genealogis appellatur: qui locus *Vareſcum* dicitur à quibuſdam, & in Diœceſi Veſontienſi ponitur. Legi litteras Humberti Archiepiſcopi Veſontienſis, datas anno MCXLIII. in quibus *Landericus Archidiaconus de Varax*, & *Aurelius Archidiaconus de Salinis* memorantur. *Vareſcum* ſeu *Varax Varaſcis* nomen acceptum refert.

Varaſci eo ſaltem nomine priſcis ſcriptoribus ignoti, pars fuere Sequanorum, ut ſitus ipſorum ad fluvium Dubim indicat.

VARDO FLU.

Fluvii hujus primus meminit ante annos mille ducentos Apollinaris Sidonius, qui in epiſtola IX. libri II. *Pruſianum* Tonantii Ferreoli villam ad *Vardonem* fluvium deſcribit, & *Vardonem flavis rubrum glareis, niſi quum nive impalluit, per alveum perſpicuum, ac quietum* vocat. Vardo igitur, *Guardo* Ruricio epiſtolâ VII. libri I. *Gardo* Gervaſio, Theodulfo in Parænesi ad Judices *Vvardo*, Catello *le grand Guerdon*, vulgò *le Gardon* Noſtris dictus, aliàs contracto nomine *le Gard*, primò quidem in duos alveos dividitur: quorum alter Anduſiam *Anduſe*, Condate *Condet*, Caſſinogilum *Caſſinolle*, Ripam Altam *Rivealta* attingit, & Vardo Anduſienſis vocatur, *Gardon d'Anduſe*: alter Pedaticum *le Peage*, Manſum Dei *le Mas Dieu*, Aleſtum *Alais* vel *Alez*, opidum Comitivæ titulo inſigne alluit, ac Vardo Aleſtenſis cognominatur, *Gardon d'Alais*. Tum ad Ripam Altam duobus alveis in unum conjunctis *Vardo* jam ſolidus Solhacum, (*Souillac*) & accepto Aiſſena Ucecienſi amniculo, vicum S. Privati *S. Privat*, Vada *Vaez*, Caſtellionem *Chaſtillon* prætérlapſus, Pontemque Vardonis *Pont du Gard*, ac Caprarias *Cabrieres*; apud Bellumquadrum in Rhodanum effluit. Pons autem ille triplici arcuum & pilarum ordine alio alii ſuperim-

poſito, quorum unus olim fontem Nemauſum deducebat, hodieque ſpectabilis eſt. Cujus Romani operis exiguas reliquias etiamnum admiramur: quid facturi, ſi totum integrumque ſupereſſet? *Les Ponts du Gar* quidam vocant haud abſurdè, cùm pons triplex ſit, & trium pontium inſtar videri poſſit.

VARENNÆ.

Varennæ, *Varennes*, ſunt ad flumen Elaver in pago Burbonenſi, inter Vernolium & Montem Acutum *Montagut*.

Sunt & *Varennæ* in Burgundia pagoque Matiſconenſi non longè à fluvio Grauna, vulgò S. Gengulfi opidum dictæ, *S. Jangoul*; ut Vita ejus docet.

Ad Sequanam inter Vernonem & Gallionem (*Gaillon*) ſunt quoque *Varennæ*, ſeu *Portus Varennarum*, *le Port de Garennes*.

Nec non *Varennæ* in finibus Pariſiorum, *Varennes*, aut *la Varenne S. Maur*: & proxima eis villa *Clauſa Varenna* dicta. Quæ omnia loca à cuniculis nomen accepere. Noſtri enim loca cuniculoſa *varennas* olim appellavere, quas *garennes*, & *varennes* nunc dicimus.

VARILLÆ.

Movens Comes noſter ab Apamiis, venit ad caſtrum quod dicitur Varillæ prope Fuxum: quod combuſtum & vacuum inveniens, Gente ſua munivit: ut ſcribit Petrus in capite LV. libri de bello Albigenſi. Vulgò hoc caſtrum nuncupatur *Barrile*, aliàs *Barille*. proximumque eſt Fuxo opido, & eidem fluvio appoſitum. *Varille* quidam, alii *Varilla* apud Petrum ſcribunt.

VARUS FLUVIUS.

Varus, Italis *El Var*, aliàs *Varo*, Noſtris *le Var* dicitur, famâ quàm naturâ major fluvius, cunctis Geographis notiſſimus, propterea quòd Galliam Narbonenſem ab Italia dividit, hoc eſt à regione Italiæ Liguria, quam recentiores provinciam Alpium Cottiarum dixere. Certè Strabo & Ptolemæus Narbonenſem Galliam *Varo* terminavere. Idem facit Mella in capite IIII. libri II. & *Varum flumen ab Alpibus delabi, & quia Italiam finit, notum* eſſe tradit. Item in capite V. *Galliam à Varo* & *à Rheno ad Pyrenæum uſque promitti* ſcribit, & ibidem nihilominus Nicæam Galliæ attribuit: cùm trans *Varum* intra fines Italiæ ſit poſita ad *Paulonem* fluviolum, Mellæ ipſi in capite IV. ſuprà laudato memoratum. Plinius ſimiliter Narbonenſem Provinciam *amne Varo Alpiumque* (Maritimarum) *jugis ab Italia diſcernit* in capite IV. libri III. nec ultra amnem *Varum* oram ejus provinciæ profert: & in capite V. *latitudinem Italiæ eſſe* CCCCX. *millium inter duo maria, Inferum & Superum, amneſque Varum ac Arſiam*; & *univerſæ ambitum à Varo ad Arſiam* neſcio quot *millia paſſuum efficere* prodit. Ibidem oram Italiæ, ac primùm Liguriæ deſcribens, à *Varo* incipit & à Nicæa, quam rectè Italiæ adſcribit, ſibi conſentiens. *Igitur* (inquit) *ab amne Varo Nicæa, opidum à Maſſilienſibus conditum, fluvius Pado.* Ubi legendum eſt *Palo* vel *Paulo*. Lucani de *Varo* inprimis notandus eſt verſus.

Finis & Heſperiæ promoto limite Varus.

Quo verſu Lucanus *Varum* quidem Italiæ terminum facit, ſed poſtquàm ejus promoti ſunt fines: quod cur dicat, aut quare ita ſentiat ignoro. Nam Galliæ Italiæque confinia ſemper euſque proceſſiſſe, ſemper *Varum* ambarum regionum terminum exſtitiſſe puto: nec reperio uſquam, aut reperiſſe memini, quo tempore aucta fuerit Italia, & *Vari* oſtium Alpeſque Maritimas attingere cœperit, quò antè non perveniret.

Varus quo ex monte demittatur, quemve fontem habeat, alibi diximus. Alluit Caſtellum Novum *Chaſteau Neuf*, Villam Novam *Ville Neufve*, vicum Guillelmorum *Guillaumes*, vicum Robertorum, vel Ad Robertos, *les Roberts*, vicum S. Leodegarii *S. Legier*, Ad Varum *Auvare*, Intervalles *Entervals*, aliàs *Entrevaux*, Glannatevam *Glandeves*, Podiolum vel Podietum *le Poget*, vicum S. Antonini, Villare *le Villar*, Macontium *Macoins*, Reveſtitum *Reveſt*, Rocculam *la Roquete*, Ad S. Martinum, *S. Martin*; vicum *Varum*, fluvio cognominem, in litteris anno MXII. datis memoratum, *le Bare*; Ad S. Margaritam, *S. Margarita*, & municipium S. Laurentii, *S. Laurens*: demum in mare Gallicum, ſex auctus amnibus, duobus majuſculis, IV. minimis, influit. *Varum* autem Romani dixere à curſu obliquo & ut ita loquar tortuoſo. Varus enim nuncupatur, qui non rectis eſt cruribus, ſicuti veteres Grammatici, Feſtus, Nonius, & priſca vocabularia ſeu gloſſaria docent. Hinc *varicare*, *divaricare*, *varicus*, & *varicitùs* orta ſunt: *varices* quoque à figura nomen accepere; & *vara* à collocatione: unde natum proverbium, *vara vibiam ſequitur*.

VASATES ET COSSIO VASATIUM.

Cæſar in Commentario III. ſcribit, P. Craſſum Sottiatibus victis & in deditionem acceptis, *in fines Vocatium* (*Vocontiorum* vulgò mendoſè legitur) *& Taruſatium profectum eſſe*, & poſt fuſos acie Aquitanos *maximam partem Aquitaniæ*, in primis *Precianos*, *Vocates*, *Taruſates ſeſe Craſſo dedidiſſe*, *obſideſque ultro miſiſſe*. Plinius *Baſabocates* inter Aquitanicæ Gentes numerat, Latuſatibuſque conjungit. Et *Vocates* quidem Cæſaris Marlianus *Vaſates* eſſe putat in provincia Auſcitana; & eum ſecutus Samſon, non *Vocates* modò, ſed etiam *Baſabocates Vaſates* interpretatur. *Baſabocates* quidem Plinii in *Bocates*, id eſt *Vocates* mutari oportere exiſtimo: cui nomini cùm ſupraſcripſiſſet aliquis *Baſa* vel *Baſas*: ex interpretatione nominis & nomine in unum poſtea temerè conjunctis conflatum eſſe monſtroſum vocabulum *Baſabocates*.

Hæc Gens à Strabone omittitur; à Ptolemæo dicitur *Vaſatij* Οὐασάτιοι: ſic enim emen-

dandum eſt legendumque pro Οὐασάτιοι. *Vaſatij* autem à Ptolemæo nuncupantur Vaſates, ut *Tricaſsi* Tricaſes, vel Tricaſſes; *Velioca'ſsi* Vehocaſſes; *Viducaſsi* Viducaſſes; *Atrebatij* Atrebates.

Urbs *Vaſatium* (ut Ptolemæus ait) Κοσσίον, *Coſſio*; Auſonio in Parentalibus *Coſſio Vaſatum*. Poſtea nomine Gentis cujus caput erat, appellari cœpit *Vaſata*. Ammianus Marcellinus in libro XV. *Novempopulos* (inquit) *Auſci commendant, & Vaſata*. Paullinus in epiſtola ad Auſonium *arenoſas Vaſatas* etiam vocat; Itinerarium Hieroſolymitanum *civitatem Vaſatas*. Eadem Sidonio in epiſtola XII. libri VIII. *Vaſatum civitas, non ceſpiti impoſita, ſed pulveri* dicitur; *Vaſates* etiam in epiſtola VI. libri VII. & Auſonio in Eidyllio II, in Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Vaſatica*; & inter prov. Novempopulanæ XII. civitates IX. obtinet locum, in una X. in Chronico Roberti octavum. Gervaſius Tiſlebérienſis, & quædam Notitia eo recentior inter Epiſcopos Vaſconiæ Auſcitanæ metropoli ſuffragantes *Baſatenſem* nono loco enumerant, alia Notitia VIII. loco *Vaſatenſem*, alia VII. Vulgò *Baſas* nuncupatur, vel *Bazas*: ſicut ſolent Vaſcones u litteram in b commutare: eſtq; parvum opidum XX. ferè jugerum in arenoſo agro non longè à Garumna. Arenæ ipſæ, aliàs Landæ vel Lannæ Burdigalenſes, aliàs *Landæ Vaſatenſes* appellantur, *les Landes de Bazas*.

Ager Vaſatenſis dicitur *le Bazadois*, Seneſcalco ſuo ſubjectus. *Vaſatenſis* porro Seneſcalcia nunc duas Diœceſes complectitur, *Vaſatenſem* & Aturenſem: ſed ante Ludovici XI. principatum pars Seneſcalciæ Burdigalenſis fuit, cum Burdigala Vaſatas, Atures, Aquas Tarbellicas Baionamque continentis; ut Scaliger aſſerit.

Concilio Agathenſi interfuit & ſubſcripſit *Polemius Preſbyter, miſſus à Sextilio Epiſcopo de Vaſatis civitate*: ipſe adfuit Concilio Aurelianenſi I. *Sextilius Epiſcopus Eccleſiæ Vaſaticæ* ibi nũcupatus; Matiſconenſi II. *Oreſtes Epiſcopus Eccleſiæ Vaſatica*. Gregorio in libro VII. Hiſtoriæ *Oreſtes Vaſatenſis Epiſcopus* appellatus: qui Gregorius in libro VI. *Monaſterium Virginum in Vaſatenſi civitate* fuiſſe ætate ſua docet. Hæc urbs patria fuit Julii Auſonii, ex Medico Præfecti Prætorio Illyrici; patris Auſonii, Grammatici & Rhetoris Latini: qui Comes, & Quæſtor ſacri Palatii, & Præfectus Prætorio Galliarum, deinde Italiæ, ac demum Conſul ordinarius fuit, à diſcipulo ſuo Gratiano Aug. prior renuntiatus.

VASIO VOCONTIORUM.

Vocontij Cn. Planco in epiſtola ad M. T. Ciceronem memorati; Straboni Οὐοκόντιοι, necnon Οὐοκόντιοι *Vocuntij*, inter Cavares & Tricorios, fines Allobrogum attingunt, & in profundis vallibus habitant. Quod verè à Strabone dictum. Nam inter Avenionem Arauſionemque Cavarum & Vapincum Tricoriorum *Vaſio Vocontiorum* eſt, Arauſioni tamen quàm Vapinco multo propior; & Dea Vocontiorum à Gratianopoli vel Cularone Allobrogum non longè diſtat. Cæſar quoque in Seguſianos tendens, *fines Vocontiorum ulterioris provinciæ Allobrogum finibus* proximos facit; ſicuti fines Deenſium finibus Viennenſium Allobrogum propinqui ſunt, Segalaunis tamen ex parte interjacentibus: quorum nulla habita ratione Tacitus in Hiſt. libro I. *fines Allobrogum & Vocontiorum* ſimiliter conjungit. Livius in libro XXI. *per extremam oram Vocontiorum agri tetendiſſe in Tricorios* Hannibalem ſcribit; Silius in libro III. *rura Vocuntia carpſiſſe*. A Ptolemæo Οὐοκόνδιοι *Vocondij* dicuntur pro *Vocontij*; ut ab eodem *Anderidum* Gabalorum pro Anderitum: in tabula Peutingeriana & in Itinerario Æthici *Bocontij* u in b. mutato pro *Vocontij*. *Et genus vini, quod vocat dulce Narbonenſis provincia, & in ea maximè Vocontij*, ut ait Plinius in capite IX. libri XIV. qui & *ortam Novariam ex Vertacomicoris Vocontiorum hodieque pago* aſſerit; & *Equitem Romanum Iulium Viatorem è Vocontiorum Gente fœderata* commemorat. C. Poſtumo M. Poſtumi qui poſtea Imperator Galliarum fuit filio, & ipſi Cæſari, deinde Auguſto futuro, *Tribunatum Vocontiorum* dediſſe ſe adoleſcenti, dicit Valerianus Aug. apud Pollionem in epiſtola ad Gallos.

Caput Gentis *Vaſio*, & ut videtur colonia. Nam Mellæ inter urbium quas habet Gallia Narbonenſis opulentiſſimas eaſque colonias primum locum obtinet *Vaſio Vocontiorum*. Plinio in Gallia Narbonenſi *Vocontiorum civitatis fœderatæ duo capita, Vaſio & Lucus Auguſti; opida verò ignobilia* XIX. Ex quo intelligitur *Vocontiorum* civitatem aut Gentem validam ac frequentem fuiſſe, quæ XXI. opida habuerit, in his capita Gentis *Vaſionem* & *Lucum*. Ex quibus *Lucus* cur caput alterum Gentis vocetur à Plinio, ignoro aut etiam miror: cùm hic honor & gradus *Deæ Vocontiorum* potiùs convenire debere videatur, Coloniæ Romanæ, ac veteri civitati provinciæ Viennenſis, & hodieque Epiſcopatûs ſedi. Ptolemæo in Gallia Narbonenſi Οὐασίων dicitur; Sidonio in epiſtola IV. libri VIII. *Vaſionenſe opidum*; in Conciliorum Carpentoratenſis & *Vaſenſis* II. præfationibus *vicus Vaſenſis* rectè & verè. Nam ex ingenti urbe pridem ad vicum redacta eſt. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, octavum locum tenet inter Viennenſis provinciæ civitates *civitas Vaſienſium*, aliàs *civitas Vaſenſium*, & *civitas Vaſionenſium*. Roberto in Chronico, Gervaſio Tiſleberienſi, & in recentioribus Notitiis IV. ſedem obtinet *Vaſionenſis* Epiſcopus inter Arelatenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffragantes Antiſtites. Vulgò *Vaiſon* dicitur tranſpoſitis litteris tertia & IV. eſtque urbs ſemiruta, impoſita monti fluvio Louveſæ incumbenti in Vindauſcenſi Comitatu: qui amnis ad urbis nomen accedit.

Daphnus Epiſcopus de civitate Vaſenſi, provincia Viennenſi Concilio Arelatenſi interfuit; Concilio Epaonenſi *Gemellus Epiſcopus Eccleſiæ Vaſenſis*; *Quinidius Epiſcopus Eccleſiæ Vaſenſis* Concilio Pariſienſi IV; *Artemius E. E. Vaſenſis* Concilio Matiſconenſi I.; *Petro-*

nius E. E. Vaſionenſis Concilio Cabilonenſi: ex quibus Quinidius vel Cynidius inter Sanctos relatus eſt, de quo Uſuardus in Martyrologio: XV. *Kal. Mart. in Galliis civitate Vaſionenſi N. S. Quinidii Epiſcopi.* Sancta Synodus habita *in civitate Vaſenſi* apud Auſpicium Epiſcopum Dioſcoro V. C. Conſ. iterum altera Decio Juniore Conſule, præſidente Cæſario.

Ager paguſve Valenſis, *territorium Vaſionenſe* vocatur à Florentio Preſbytero civitatis Tricaſtinæ in libro de Vita S. Ruſticulæ Vaſionenſis, Abbatiſſæ Arelatenſis Monaſterii S. Cæſarii, quem ad Celſam ejuſdem Monaſterii Abbatiſſam compoſuit.

VASSIACUM.

In Vita S. Bercharii Abbatis, quam Adſo Monaſterii Dervenſis Abbas ſcripſit, *ſiſcus Regius Vaſſiacus* memoratur: in Privilegio Childerici Regis Francorum Berchario dato *Vvaſiacus* dictus his verbis; *in ſine Vvaſiacinſe*: vulgò *Vaſſi*, cui propinquus eſt locus *Puteolus*, vulgò *Puiſie*. Scribit Adſo Childericum Chlodovei filium, Dagoberti nepotem Berchario Abbati ſilvam villæ publicæ nomine *Vvaſſiaci* ad cœnobium conſtituendum petenti donaviſſe, unaque aulam regiè ornatam, quam ſibi apud Puteolum ſtruxerat, quò venandi cauſâ crebiò venire conſueverat: eaque ex aula Bercharium SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Eccleſiam feciſſe, locique nomine Puteolum appellaviſſe. In tabulis donationis Bercharii ipſius, vocatur *Monaſterium Puteolus ſupra fluvium Vigera, Puiſie ſur Voire. Vaſſiacum* autem eſt opidum ad Bleſam amnem qui in Matronam devolvitur, *la Blaiſe*: cujus *Bleſa* fit mentio in libro Miraculorum S. Bercharii.

UCIO.

Vcio eſt in Arvernis, *Vſſon*, aliàs *Vſſon les Nonnettes* cognominatus, propterea quòd Monaſterium ſacrarum Virginum habet, quas *Nonnas* vocamus. In Chartulario Brivatenſi legi litteras Vvillelmi Principis & Marchionis, datas anno DCCCCXVII. ubi hæc reperi. *In Comitatu Brivatenſi, in Vicaria Vcionenſe. Vcio* ergo in Comitatu Brivatenſi erat, qui hodieq; à Brivate non totas IV. leugas abeſt, locus in monte poſitus prope Celſinanias. *Vxonem* alii vocavere. Innocentius PP. VIII. in litteris datis anno MCCCCXCVIII. inter Eccleſias ad Monaſterium S. Rufi extra muros Valentiæ pertinentes, numerat *Eccleſias S. Martini de Vxone, & S. Mauricii de Vxone Claromontenſis Diœceſis. Vxus*, à quo *Vxo*, apud Fredegarium in libro IV. & in libri V. Chronici capite LXIV. gladius eſt.

VELIOCASSES.

Qui J. Cæſari in libro II. Commentariorum belli Gallici *Velocaſſes*, in libro VII. *Bellocaſſi* vocantur, Hirtio *Velliocaſſi* aut *Veliocaſſi* & *Veliocaſſes* prope Caletos, in veteribus libris; Plinio in capite XVIII. libri IV. in Lugdunenſi Gallia *Vellocaſſes*: Ptolemæo ſunt in Lugdunenſi Gallia Οὐενελιοκάσιοι, ſeu potiùs Οὐελιοκάσσιοι, (ita enim emendandum puto) id eſt, *Veneliocaſſes* vel *Veliocaſſes*, quorum urbs Rotomagus. Verum & incorruptum populi ejus nomen, ut equidem Ptolemæum ſecutus reor, *Veliocaſſes*, aut quod idem eſt, *Veliocaſſi*, & *Velocaſſes*: & ita apud Cæſarem & apud Hirtium ac Plinium emendandum credo. *Caletos & Velocaſſes* ſemel atque iterum in libro VI. conjunctim memorat Oroſius, ut & Hiſtoria Miſcella MS. cujus in libri VI. nunc *Vellocaſſes*, & *Veliocaſſes*; nunc *Velocaſſes* & *Belliocaſſes*, pro *Beliocaſſes* vel *Veliocaſſes* nuncupantur.

Errat Petrus Pithœus, qui in libro I. Subſecivorum ait, *Velocaſſes*, *Veliocaſſes* & *Bellocaſſes* in veteribus libris Cæſaris ſcriptos, eos *eſſe qui poſtea Baiocaſſes* dicti ſint. Errat & Joſephus Scaliger in Notitia ſua Galliæ, quum *Velocaſſes* & *Bellocaſſos* apud Caium Julium Cæſarem mendoſa eſſe nomina putat, & in *Baiocaſſes Baiocaſſoſque* commutanda. *Veliocaſſes*, poſtea *Veliocaſſini*, & truncato nomine corruptoque *Vilcaſſini*, aut ut apud Sugerium *Vilcaſſinenſes* dicti ſunt, *les Veuxinois*; & ab his *pagus Veliocaſſinus* aut *Velcaſſinus*, *le Veuxin*: *pagus Vircaſinus* in Capitulis Caroli Calvi mendosè pro *Vilcaſinus* inter pagos Silvanectenſem & Belvacenſem: ubi Calcegium ad Ittam, *Chancy*, patria S. Anſberti Rotomagenſis Epiſcopi.

Pagus Veliocaſſinus ab Iſara flumine ad Indellam pertinebat: poſtea duas eſt diviſus in partes. *Veliocaſſes Normanni* dicti ſunt, *le Veuxin Norman*, qui ad Duces Normannorum, ac poſtea Reges Anglorum pertinebant, Indellam inter & Ittam poſiti: qui Regum Francorum erant, *Veliocaſſes Franci* vocabantur, *le Veuxin François*, Itta & Iſara clauſi. Pars *Veliocaſſinum* trans Indellam & circum utramque Sequanæ ripam ſita, pagum alium conſtituit, Rotomagenſem dictum à Rotomago capite *Veliocaſſium*. Hadrianus Turnebus in libro IX Adverſariorum ſcribit, *Velocaſſium Francorum inter Eiam & Eptam ſitorum* eſſe Tream, *Trie*, Rupem Guidonis, & Maniacum (*Maigny*) uſque ad Bellovacorum opidum Clarummontem: *Velocaſſium Normannorum inter Eptam & Andelam conſiſtentium* loca præcipua eſſe Gornacum, Novum-Mercatum, Giſortium, Dangutum, & Andeliacum patriam ſuam. In auctoris incerti libro III. Chronicorum, de Henrico filio Gaufridi Comitis Andicavenſis hæc legimus. *Ille pro collato ſibi adjutorio, patre ſuo concedente, Vulcaſſinum Normannum quod eſt inter Ettam & Andelam, Regi Ludovico totum in munere dedit*: (cujus ope Normanniam Stephano eripuerat) *in qua terra continentur hæc caſtella & firmitates: Giſortium, Nealfa, Sterpiniacum, Dangutum, Gamachiæ, Arachivilla, Caſtrum Novum, Baudemont, Brainum, Toruntum, Buſcalia, Negentum ſuper Andelam.* In Geſtis Ludovici VII. Regis Francorum eadem reperiuntur, diciturque *Henricus aſſenſu patris ſui pro tanto beneficio totum Vilcaſſinum Normannicum Regi conceſſiſſe perpetuò poſſidendum, videlicet ab Etta fluvio uſque ad flumen Andela: in quo*

continentur villæ & opida inferiùs nominata, caſtrum Giſorcy, caſtrum Neauſle, Eſtrepigni, caſtrum Dangu, Gamaches, Haravilla, Caſtrum Novum, Baudemont, Braium, Tornucium, Bucale, & Nogentum. Hi ſunt ergo fines, hæc loca *Veliocaſſium Normannorum.* Rogerius Hovedenus in Annalibus *Velio.aſſes Francos* Itta & Iſara fluminibus ſicut ſupra fecimus claudit: quum eos à Giſortio ad Ponteſiam pertinere ſcribit. Giſortium enim ad Ittam eſt poſitum; Ponteſia vel Briva Iſaræ ad Iſaram vel Eſiam. Verba Rogerii ſunt. *Totum Vouquelin Francigenum, videlicet totam terram quæ eſt inter Giſorcium & Ponteſe.* Vita S. Geremari Abbatis *pagum Vulcaſſinum* vocat, & *Belvacenſi pago* (uti hodieque eſt) contiguum facit. Geſta Dagoberti *pagum Vulcaſſinum* nuncupant, in eoque *Stirpiniacum villam* ponunt.

Ceterùm *Velocaſſes* & *Caletos* in libro II. Commentariorum Cæſar inter Belgas ponit, quòd utrique trans Sequanam ſunt conſtituti, quo flumine Belgas à Celtis ſeu Gallis dividi aſſerit. Idem de Caletis facit Strabo: *Menapiis* (ait) *contermini ſunt ad mare Morini, Bellovaci, & Ambiani, Sueſſiones, & Caleti uſque ad Sequanæ oſtium.* Rectè id omninò. Sed iidem poſtea nihilominus, unà cum capite ambarum gentium Rotomago in dextra ſeu in Belgica ripa Sequanæ poſito, Lugdunenſi Celticæve Galliæ ab Auguſto forſitan incertam ob cauſſam ſunt attributi: ut ex Plinio Ptolemæoque diſcimus.

Veliocaſſes aut *Vel ocaſſes* ſincerum Gentis nomen eſſe docet & Magno, apud quem hæc legimus, *Veliocaſſus, Rodomacus*: id eſt *Veliocaſſium*, cujus caput Rotomagus; ibi & Caletus nuncupatur *Callidus* mendoſè pro *Calidus* vel Calitus.

Notandum eſt, quod ab amico meo Curticeliarum in Veliocaſſibus Francis ad Ittam poſitarum domino accepi, durare etiamnum inter *Veliocaſſes* Francos ac Normannos *Veliocaſſes* odia, & ſublatis pridem inimicitiarum ac bellorum de finibus cauſis, cùm utrique uni Regi pareant, adhuc tamen eſſe diſcordes, itaut nec matrimonia inter ſe contrahere; nec alteri cum alteris quidquam velint habere commune.

Veliocaſſes, Lexovii & Eburovices pares olim viribus erant, quibus tribus populis terna millia hominum eſſe à Gallis imperata Cæſar in libro VII. refert: iidem tamen *Velocaſſes* in libro II. uti Caleti & Veromadui, X. millia armata pollicentur.

VELLAVI ET REVESSIO VELLAVORUM, ET DE ANICIO SEU PODIO.

J. Cæſar in Commentario VII. ſcribit, ad Aleſiam obſidione Romana liberandam, millia hominum triginta quinque à Principibus Galliæ *imperata eſſe Arvernis, adjunctis Eleuteris, Cadurcis, Gabalis, Vellavis, qui ſub imperio Arvernorum eſſe conſueverunt.* In antiquis codicibus Cæſaris *Vellavis* & *Velavis* ſcriptum reperimus; in editis ejus Commentariis *Velaunis* & *Vellaunis*. *Vellavi* autem & Gabali ut olim ſub imperio Arvernorum fuere, & inter Arvernorum pagos numerabantur, ſic etiamnum Præfecturæ Arverniæ accenſentur, ejuſque rectori unà cum Gabalis parent: nec paucos ſcriptores reperias, qui *Podium* caput *Vellavorum*, *Podium Arvernorum* cognominent, *Puy en Auvergne*; cùm à ceteris *Podium Vellavorum*, *Puy en Velay* nuncupetur. Strabo *Vellavos* adnumerat XIV. Gentibus inter Garumnam & Ligerim habentibus ſedes, Julianæ Aquitaniæ ab Auguſto attributis: cui *Vellay* Οὐελλάιοι dicuntur inter Helvios & Arvernos, ut Magnoni *Vellaus* in numero ſingulari. Plinius eos quod miror in anxia relatione Gentiũ Aquitaniæ omiſit: omiſit & Mella, quod non miror, quoniam pauciſſimorum Galliæ præterquàm Narbonenſis populorum mentionem fecit. A Ptolemæo vocantur *Velauni*, Οὐελαυνοὶ in Aquitania: in Notitiis nunc *Vellavi*, nunc *Bellavi*; aliàs *Vallavi*, id eſt *Puates* vel *Ruates* à capite Gentis; *Vallavi* & Roberto in Chronico; quibuſdam *Vallagi*. *Velauni* autem appellati, ut *Vellannodunum* opidũ Senonum apud Cęſarẽ *Segovellauni* apud Plinium, alias Segolauni. *Arvernos* & *Vellavos* in libri VI. capite XXVI memorat Gregorius.

Apud Ptolemæum *Velannorum* urbs Ῥουέσιον, *Revesio*: ſic enim legi exiſtimo oportere pro Ῥουεσσιον vel *Ruesium*; ut Κόσσιον Vaſatium, Νεμωσσὸς Arvernie, & Οὐεσούνα, pro Κόσσιον, Νέμωσσον, & Οὐεσουνα ſunt reſtituenda. Ῥουέσιον inquam ſcribendum eſt, non Ῥουέσιον *Rueſio*, itaut υ ſecundæ ſyllabæ ejus nominis ſit initium, non finis primæ. Quippe obſervo in tabula Peutingeriana *Revesſionem* vocari ſic. *Segoduni, Ad Silanum, Anderitum, Condate, Reveſſione, Icidmago, Aquis Segete, Foro Segusianorum.* Certè hodieque Anderitum Gabalorum eſt inter Segodunum Rutenorum & *Reveſſionem Vellavorum*, unde ſecundo flumine Ligere itur Forum Seguſianorum.

Poſtea *Roveſio* vel *Reveſio* nomen populi cujus caput erat accepit, & *Vellavi* dici cœpit. Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro X. *Vellavam urbem* appellat; *Vallagiam* Vita Ludovici Pii. His omnibus multo antiquiores Notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ *civitatem Vellavorum* nuncupant; aliàs *civitatem Bellavorum*; nonnumquam *civitatem Vallavorum, id eſt Buatum vel Puatum*; interdum & *civitatem Vellavorum, quæ nunc Podium dicitur*: quæ inter Aquitanicæ primæ civitates octavum & ultimum obtinet locum: quem octavum locum occupat & apud Gervaſium Tiſleberienſem ac in Notitiis Epiſcopatuum Galliæ eo recentioribus ſub nomine *Anicy* ſive *Pody*.

Aiunt novi ſcriptores, civitatem *Vellavorum* ſeu *urbem Vellavam* eſſe opidum S. Pauliani, *Saint Paulian*, duabus leugis diſtans ab *Anicio* monte ſeu Podio celſiſſimo. In *Anicio monte* (*Mont Anis*) extructam eſſe urbem, quæ proprio nomine montis ſui *Anicium*, & communi *Podium* appellata ſit, id eſt *Mons*. Montem enim Gallis podium vocari, vulgò *le Puech, le Pen, & le Pui*: ſtan-

te *urbe Vellava*, ab Euhodio ejus Epiſcopo (*S. Voſi*) ſedem Epiſcopatus in montem locúmque *Anicium* tranſlatam eſſe. Certè *Anicij* Gregorius meminit, tamquam loci à *civitate Vellava* differentis in libri x. capite xxv. his verbis. *Ingreſſus Vellava urbis terminum, ad locum quem Anicium vocitant accedit, & ad baſilicas propinquas cum omni exercitu reſtitit, inſtruens aciem, qualiter Aurelio ibidem tunc conſiſtenti Epiſcopo bellum inferret.* Apertè Gregorius *Vellavam urbem*, id eſt *Reveſſionem* vel civitatem *Vellavorum* diſtinguit ab *Anicio*, ubi tum Epiſcopus *Vellavorum* commorabatur, velut in caſtro ſuæ Diœceſeos. Sed ne ætate quidem Gregorii ſedes Epiſcopatûs ſtata erat *Anicium*. Alioquin Gregorius *Anicium*, ſi ſedes jamtum Antiſtitis & caput Gentis fuiſſet, *civitatem*, aut *urbem* aut *opidum* vocaviſſet; non (ut facit) *locum*.

Quodcumque ergo nomen olim tulerit, quodcumque nunc ferat *Reveſſio* ſeu *civitas Vellavorum*: ſive everſâ eâ urbe, ſive etiam adhuc ſtante, tranſlata eſt Epiſcopatûs ſedes in civitatem *Anicium* vel *Podium*: ſed tempus tranſlationis incertum, quod utique Evodii Epiſcopi ætate multo poſterius fuit. Hinc in veteri Notitia Galliæ *civitas Vallavorum, id eſt Puatum*, vel *Buatum*; in alia *civitas Vellavorum, quæ nunc Podium dicitur*: non quòd iidem ſint *Vellavi* & *Puates*, eadem *civitas Vellava* & *Podium*; ſed quòd in locum civitatis *Vellavorum Podium* ſucceſſerit, & *Vellavi* à novo capite Gentis *Puates* dicti ſint. Sic in eiſdem Notitiis *civitas Albenſium, nunc Vivarium*; *civitas Veromanduorum, quæ nunc Noviomagus*; *civitas Tungrorum, quæ nunc Leodium*; *civitas Lauſanna, quæ priùs Aventicus Elvitiorum*. Quæ verba nihil aliud docent, quam in locum Albæ Helviorum Vivarium, in locum Auguſtæ Veromanduorum Noviomagum ſucceſſiſſe: caput Tungrorum jam non eſſe Aduacam ſive Tungros civitatem, ſed Leodicum; caput Helvetiorum jam non eſſe Aventicum ſed Lauſannam; & Albâ Vivarium, Auguſtâ Noviomagum, Aduacâ Leodicum, Aventico Lauſannam ſedes Epiſcopales tranſlatas eſſe. Gervaſius Tiſleberienſis, & quædam Notitiæ eo recentiores Epiſcopum *Anicienſem* ſeptimum numerant inter Antiſtites Bituricenſi Archiepiſcopo ſuffragantes, *Anicienſem* inquam *ſive Podienſem: quem eſſe domini Papæ* vel *exemtũ* Notitia quædam & Provinciale MS. tradit, id eſt metropolitani ſui poteſtati exemtum, & uni Epiſcopo Romano peculiari quodam privilegio ſubjectum. Unde *Stephanus Dei gratiâ Anicienſis Epiſcopus, domini Papæ ſuffraganeum ſpecialem* ſe ipſe appellat in litteris anni MCCXXIII. Rigordus in Geſtis Philippi Aug. in anno MCXXCIII. utroque urbem nomine appellat, *Anicium* nimirum, & *civitatem Anicienſem*, & *Podium*. *Durando Dominus dicitur apparuiſſe in civitate Anicienſi, quæ vulgò nunc Podium dicitur. Principes* (ait) *majores & minores cum populis in Aſſumtione B. Mariæ, ſicut ſingulis annis ſolet fieri, apud Anicium convenerunt.* Nimirum major urbis *Anicij* ſeu *Podij* Eccleſia jamtum B. Virginis titulo & patrocinio ac virtutibus erat illuſtris, ob idque peregrinorum magno concurſu celebrabatur. Nugatur Maſſonus, quum *Anicium* ab Auicio colle vocari oportere ait, non *Anicium*, deceptus verbis Rigordi ab ipſomet corruptis. In libro de Miraculis Bernardi Viennenſis Archiepiſcopi, Ludovici Pii principatu, fit mentio *civitatis, quæ dicitur Vetula in pago Vallavorum*: quæ *civitas Vetula* in Vellavis, eſt haud dubiè *Anicium* aut *Podium* civitas, caput Gentis Vellavorum.

Anicium dicitur opidum, quòd ſit *Anicio* monti editiſſimo impoſitum non procul à Ligeri; *Podium*, quod in monte ſtructum ſit: vulgò *le Puy en Velay*. *Podium* enim Galli montem locúmve celſiſſimum olim vocavere. Sic *Podium Soricarium* vel *Sorigner* caſtrum in territorio Biterrenſi à ſitu dixere, *Puy Salgnier*. Podium Laurentii caſtrum *Puy Laurent*; caſtrum Podium Celſum in Diœceſi Albienſi, *Pech Celſis*; Podiolum munimentum prope Toloſam.

Pagus Vellavus, à Gregorio in libri IV. capite XLI. vocatur *Vellavum territorium*, & abſolutè *Vellavum*; in libri x. capite XXV. *Vellava urbis terminus*: *Vallagia* fortè in Vita Ludovici Pii Aug. vulgò *le Velay*; in veteribus Martyrologiis, ſi Scaligero creditur, *pagus Velaunus*. Ego non aliter uſquam legere memini quàm *pagum Vellavum*. Pago eo ac Diœceſi continentur *Podium*, Eſpalicum, Fabia *Fay*, Caſtellum Novum.

Cebenna mons à Rhodano ad Garumnam pertinet, per Helvios ſeu Vivarienſes, & *Vellavos* Arvernoſque longè diffuſus.

Lucani verſus ſunt hi

Quà montibus ardua ſummis
Gens habitat cana pendentes rupe Cebennas.

Quibus verſibus quidam putant deſignari Genevam Allobrogum, quæ nec in monte poſita, nec niſi ante annos CCCCLX aut D. *Gebenna* dici cœpta eſt. Ego deſignari arbitror urbem, quam nunc *Anicium* & *Podium* vocitamus, habitatam à *Gente ardua* ſeu *montana*, id eſt à *Vellavis*, & in dorſo jugi Cebennici unius è multis, nimirum *Anicij* poſitam, atque à jugo Cebennico cujus è dorſo pendebat *Cebennas* nuncupatam: uti Juvenalis *pronum Tibur*. Paullinus *Bilbilim acutis pendentem ſcopulis* nominat. Certè tot & tantos montes, & tam latè diffuſos, quales ſunt Cebennæ, è *cana rupe pendentes* Lucanus dicere non potuit, atque adeò dicturus non fuit, niſi unum aliquem in eis locum deſignare voluiſſet.

VENDERÆ.

In Vita MS. S. Theoderici Abbatis dicitur Rex Theodericus, Chlodovei Magni Regis filius, *Venderas ſuper fluvium Materuam reverendo patri Remigio; Gaugiacum verò in pago Remenſi villam ſitam S. Theoderico contuliſſe*. Hic locus *Vendera* ad Matronam hodieque nuncupatur *Vendieres*, *Gaugiacum* verò *Gueux*.

VENDOPERA.

Eſt *Vendopera* in Lingonibus, vulgò *Vendeuvre* dicta: cujus Annales Bertiniani in anno DCCCLXV. meminere his verbis. *Receptâ ſub defenſione Caroli villâ quæ Vendopera dicebatur, quam Hludovicus Imper. S. Petro tradiderat, & Vvido Comes per plures annos tenuerat.* Hanc Johannes Romanus Epiſcopus eo nomine octavus in epiſtola ad Ugonem & Radolfum, & in epiſtola ad Boſonem Principem *villam ſuam Vendoaram* appellat, queriturque à Boſone invaſam, ac Aremberto ejus Vaſſallo in beneficium datam eſſe. *Vendopera* dicta à vendendo & opera, ut manopera à manibus & opera, carropera à carris & opera. Ludovicus Francorum Rex in litteris anni MCXIX. *Vandoperam* numerat inter Prioratus XLV. ad Cluniacum pertinentes, in Regno ſuo poſitos. Eſt & *Vendopera*, *Vendœuvre* prope Nanceium in Diœceſi Tullenſi; item *Vandopera* locus in Cenomanis Monaſterio vetere clarus, *Vandeuvre*.

VENENA FLU.

Venetam in antiquis tabulis appellari amniculum *Vanne* vulgò aut *Venne* dictum, qui apud Agedincum Senonum caput in Icaunam influat, & in urbem inductus, vicos ejus purget, ſcribit Maſſonus in libro de Fluminibus Galliæ. *Venenam* tamen eum dici in Annalibus duobus ante annos DCL. compoſitis animadverto. Incertus auctor in Chronico ab anno DCXXCVIII. ad annum MXV. deducto ſic ſcribit in Lothario Rege. *Dixerat Helpo incenſurum ſe Eccleſias & villas, quæ ſunt ſuper Venena fluvium uſque ad civitatem, (Senonicam) infixurumque lanceam ſuam in portam S. Leonis.* Idem eiſdem verbis refert Hugo Monachus Floriacenſis in Chronico: niſi quod *ſuper Venenas fluvium* ibi legitur pro *ſuper Venena fluvium*.

VENETI.

Venetorum civitatis eſt longè ampliſſima auctoritas omnis oræ maritimæ regionum earum: quòd & naves habent plurimas quibus in Britanniam navigare conſueverunt, & ſcientia atque uſu nauticarum rerum ceteros antecedunt, & in magno impetu maris atque aperto, paucis portubus interjectis quos tenent ipſi, omnes ferè qui eodem mari uti conſueverunt habent vectigales: ut ſcribit C. Julius Cæſar in Commentariorum de bello Gallico libro III. qui & eorum civitatem vel regionem *Venetiam* ibidem appellat; *Veneticum* Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri Hiſtoriæ Franc. IX. capite XVIII, Vita S. Melanii Epiſcopi Redonenſis *parœciam Venetenſem*. De *Venetorum* viribus eadem ferè Strabo ceterique Geographi, qui & *Venetos* decimæ regionis Italiæ incolas, ortos à *Venetis* noſtris exiſtimavere: tametſi Cato & C. Nepos aliter ſentiunt.

Ab Strabone quidem malè *Gentes Belgarum maritimorum Veneti & Oſiſmii* nuncupantur, Βελγῶν ἔθνη τῶν παρωκεανιτῶν Οὐένετοι καὶ Ὀσισμοι: cùm ambo ſint Celtarum maritimi populi ſeu Galliæ Lugdunenſis.

In tabula Peutingeriana, quam aliqui Theodoſianam appellant, *Venetorum* caput atque urbs primaria *Veneti* vocatur nomine Gentis; ut & in Notitia Imperii Romani his verbis: *Sub diſpoſitione V. S. Ducis tractus Armoricani & Nervicani Præfectus militum Maurorum Venetorum Venetis* in tractu Armoricano; ab Gregorio in libri Hiſt. X. capite IX. *Veneti urbs* quoque, in libri VIII. capite XXV. *civitas Venetica* dicitur, in libro V. *urbs Venetica*. In Veteribus Notitiis Galliarum compluribus *civitas Venetûm* nuncupatur, vulgò *Vannes*.

A Plinio Secundo in libri IV. Naturalis Hiſtoriæ capite XIX. memorantur *inſulæ complures Venetorum, quæ & Venetica appellantur* in Oceano Gallico.

Ceterùm *Veneti*, ut Eginhardus in Annalibus tradit, primùm à Britannis, metu Anglorum ac Saxonum & amore libertatis ex patria profugis tributarii facti ſunt; deinde ab Chlodoveo Rege domiti, ſub Francorum ditione ac imperio per annos circiter XC. fuerunt: donec anno Chriſti DLXXVIII. à Vvaroco Britannorum Regulo recepti ſunt, qui fuſis fugatiſque Guntchramni copiis, *Venetiam* in poteſtate ſua ita retinuit, ut uſque ad Pippinum Regem qui oppidum *Venetos* anno DCCLIII. cepit, non alios dominos quàm Britannos Regulos habuerit. Atque ob id *Veneticam regionem* a Vvaroco Venetorum Comite quem *Guerecum* & *Vverocum* appellat, *Broguerec* Britannico nomine dictam, id eſt Guereci regionem, ait auctor libri de Vita Gildæ Sapientis; ut in libro VI. Rerum Francicarum obſervavimus. *Broge* enim *Galli agrum dicunt*, ſi Scholiaſtes Juvenalis auditur. *Apud utroſque Britannos*, Inſulares & Armoricanos *bro* hodieque regionem vel agrum ſignificat: ſi qua Bocharto fides habetur. Nomenoius poſtea Britannorum Rex *Veneto*, Carolo Calvo eripuit, Regnoque ſuo adjunxit.

Ceterùm miror *Venetos*, cùm tantæ olim fuerint auctoritatis tantarumque virium navalium, & tam latè in Armorica dominati ſint, non modò Turonibus & Cenomanis, ſed etiam Redonibus, Andicavis, Namnetibus, & Curioſolitibus vel Corioſopitibus, non admodum nobilibus (ſi unos Cenomanos excipias) populis a Romanis eſſe poſtpoſitos: itaut in provincia Lugdunenſi tertia civitas eorum vix ſeptimum locum tenuerit.

Duas legi Notitias provinciarum civitatumque Galliæ, in quibus *civitas Ciantium, id eſt Venetûm* nuncupatur; & quamdam aliam, in qua *civitas Cianctium, id eſt Venetum* dicitur; in Chronico Roberti Monachi Autiſſiodorenſis *civitas Ciantum, id eſt Venetum* in Turonenſi provincia: itaut *Venetorum* urbs primaria proprio nomine *Cianctium* vel *Ciantium* appellata eſſe videatur: quod an ejus nomen fuerit, haud facilè dixerim, cùm nuſquam alibi reperiatur. Et forſitan ex *Crociatono Venetorum* quod Ptolemæus memorat, *Ciantium* vel *Ciantum Venetorum*

factum eſt ab Geographiæ ignaris. Apud Claudium Ptolemæum invenietur vetus & propria urbis *Venetorum* appellatio, duobus vocabulis, quæ deſunt additis eum in modum: Τὴν δὲ δυσμικὴν μεγάλην ὑπὸ τοὺς Οὐενέλους [οἰκοῦσιν Οὐένετοι,] ὧν πόλις Δαριόριγον. Sic enim emendanda vel potiùs ſupplenda reor verba Ptolemæi, à quo *Venetos* inter populos Galliæ Lugdunenſis prætermitti potuiſſe non eſt veriſimile. Certè accolunt *Veneti* occiduam oram Oceani, ſubjectam ſubjacentemve Oſiſmiis, aut potiùs eis adverſam. *Dariorigum* ergo vetus nomen fuit civitatis *Venetorum*: quæ in tabula Peutingeriana *Dartoritum* aut *Dariorilum* mendosè ſcribitur,

Trientem aureum publicavit Botarotius, inſcriptum *Venetus*, id eſt *Venetis*. Sic *Pectavus*, *Arvernus civi*. *Remus fit*, *Petrocorius*, *Parſius*, *Parſius cive*, apud eumdem quibuſdam in nummis ſcriptum reperio, pro Pictavis, Arvernis civitate, Remis fit, Petrocoriis, Parisiis, Parisiis civitate. Sed utrum *Venetus*, *Pectavus*, *Parſius*, & cetera hæc nomina ſint in nominativo ſingulari, *Venetus Veneti*, *Parſius Parſii*; an in IV. caſu plurali, *Venetus* pro *Venetos*, *Parſius* pro *Parſios*, incertum eſt.

In mediterraneo regionis X. Italiæ colonia Cremona, Brixia Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte, & oppida Acelum, Patavium, Opitergium, Belunium, Vicetia, Mantua: ut ait Plinius in libri III. capite XVIII.

VENTADORUM.

In litteris datis anno MCCCLXXV. *Bernardus Comes Ventadorenſis* memoratur apud Juſtellum in familia Comitum Arvernorum. In aliis priſcis litteris *Ventedorn*, necnon *Ventadourn* ſcriptum reperitur. Nimirum *Ventadurum* vel *Ventadorum* dici potuit vulgò *Ventedorn*, aut *Ventadourn*; ut Salodurum vel Salodorum ſuum Helvetii *Solothurn*; Vitodurum Æthici *Vinterthurn* vocitant. Nunc detractâ n. litterâ ſupervacaneâ *Vantadour* appellatur, eſtque in Lemovicibus caſtrum, Ducatûs nunc titulo illuſtre.

Eſt & *Ventatorium* in Gothia circa Montem Peſſulanum, locus ventis expoſitus: à quo in litteris datis anno MCXCI. *Guido de Ventatorio*, *Prior S. Firmini* vocatur.

VERAGRI, ET OCTODURUM VERAGRORUM SEU VALLENSIUM.

C. Julius Cæſar in libro III. Commentariorum belli Gallici tradit, *Nantuates*, *Veragros*, *Sedunoſque à finibus Allobrogum & lacu Lemano & flumine Rhodano ad ſummas Alpes pertinere*. Ex his *Nantuates*, non ſemel apud Cæſarem eo in libro mendosè ſcribuntur *Antuates*. Inſcriptionem è tropæo Alpium in libri III. capite XIX. profert Plinius, in qua *Nantuates*, *Seduni*, *Veragri*, *Salaſſi* ordine recenſentur: ſicut Strabo *Veragros Nantuateſque* conjungit prope Lemanum lacum, quorum alteri *Varagri* Οὐαράγροι, alteri *Nantuatæ* Ναντουᾶται ab ipſo vocantur. Eſt ad Rhodanum Natertium, *Naters* vulgò dictum: quem locum *Nantuatium* nomen ſervare olim exiſtimavi: Necdum mihi hæc conjectura diſplicuit. Samſon tamen in Fociniacenſi pago, (*la Baronie de Foncigni*) & in parte Ducatus Caballiacenſis (*le Chablais*) Nantuates ſtatuere mavult.

Dio in libro XXXIX. in ſitu *Veragrorum* deſignando Cæſarem ad verbum ſequitur, eóſque a lacu Lemano & ab Allobrogibus uſque ad Alpes ſedes habere ait: Οὐαράγρους παρὰ τῷ Λημάνῳ λίμνῃ καὶ πρὸς τοῖς Ἀλλόβριξι μέχρι τῶν Ἄλπεων οἰκοῦντας. *Veragri* poſtea unà cum *Sedunis* à valle Pennina vel Sedunenſi, quæ à Rhodani fontibus ad oppidum Martiniacum ſive ad Dranſiæ & Rhodani confluentes pertinet, & ab aliis vallibus dicti ſunt *Vallenſes*. Penninæ autem Alpes dictæ ſunt non à tranſitu Pœnorum, ſed à Deo Pennino, quem in ſummo ſacratum vertice Montani colebant, uti ait Livius in libro XXI.

Caput *Veragrorum* vicus primùm, deinde civitas fuit, & nomen habuit *Octodurum*. De quo Cæſar in libro III. *Vicus Veragrorum, qui appellatur Octodurus, poſitus in valle, non magna adjecta planitie, altiſſimis montibus undique continetur, & duas in partes flumine dividitur*: Dranſâ videlicet, non ut quidam putant Rhodano. Ab *Octoduro Octodurenſes* Plinio in capite XIX. libri III. *Sunt præterea Latio donati incolæ Alpium, Octodurenſes, & finitimi Centrones. Cottianæ civitates, Caturiges.* In tabula Theodoſiana proxime *Tarnaias Octoduro*: apud Æthicum, in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, *Auguſta Prætoria Salaſſorum* M. P. XXV. *Summo Pennino* M. P. XXV. *Octoduro* M. P. XXV. *Tarnadas* (vel *Tarnaias*) M P. XII.

Poſt civitas è vico evaſit, ſeu ſedes Epiſcopatûs. Certè in Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, in provincia Alpium Graiarū & Penninarum *civitas Centronum Darantaſia* ceu Metropolis primas obtinet; *civitas Vallenſium Octodorum* ſecundas: & Darantaſia quidem ad Alpes Graias pertinet; *Octodorum* ad Penninas: quæ in priſcis Notitiis nunc *civitas Valenſium Octodoro*, nunc *civitas Vallenſium, id eſt Octodorus* vocatur, nonnumquam *civitas Valenſium, id eſt Octodurum*; in quadam Notitia *civitas Verusager, id eſt Valenſium, ſeu Octodorum caſtrum, Cannavenuſta*: ubi legendum eſt *civitas Verager* vel *Veragrorum*. Vera & ſincera Gentis & urbis nomina ſunt, *civitas Vallenſium Octodurum*, vel *Octoderum*. *Theodorus Epiſcopus Octodurenſis* Concilio Aquileienſi interfuit, quod Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii Principatu eſt habitum ſub Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi; *Conſtantius Epiſcopus civitatis Octodorenſis* Synodo Epaonenſi; *Rufus civitatis Octodorenſis Epiſcopus* Conciliis Aurelianenſibus IV. & V. & Concilio Arvernenſi II. Poſtea *Octoduro Veragrorum* Sedunos tranſlata eſt ſedes Epiſcopatûs. Quippe Concilio Matiſconenſi II. anno DXXCV. interfuit atque ſubſcripſit miſſus *Heliodori Epiſcopi à Sedunis*. Seduni aut Sedunum, caput Sedunorum ad Rhodanum, Germanis *Sitten*, Noſtris *Sion* dicitur,

dicitur, & pagus Sedunenſis *le Sionnois*. Unde Robertus in Chronico, in Alpibus Grais ſub *Darentaſia metropoli* ponit civitates *Auguſtam*, & *Sedunum*, *quæ & Octodorum*, id eſt cujus Epiſcopatus ſedes olim fuit *Octodori*.

Igitur *Octodurum* ut antea ex vico civitas, ſic ex civitate vicus iterum factum, nunc *Martiniacum* vocatur, Germanis *Martinach in Vvallis*, Noſtris *Martigni*: poſitumque eſt ad utramque Drantiæ vel Diantæ ripam in Rhodanum paullo pòſt devolvendi, & caput olim fuit Vallis inferioris, *bas Vvalais*, ut Seduni ſuperioris, *haut Vvalais*: quemadmodum Simlerus, Cluverius, & ceteri recentiores Geographi docêt, quibus libens accedo. Errat Marlianus, qui *Octodorum vicum Veragrorum*, nunc dici *S. Mauricij* ait, & in duas partes *Rhodano* flumine dividi, propterea quòd Monaſterium S. Mauricii non ad Drantiam, ſed ad Rhodanum jam Drantiâ auctum eſt poſitum. Marlianum quem arguere & deridere ſolet, in *Octoduro* errantem ſequitur Joſephus Scaliger, & in ſua Notitia Galliæ *civitatem Vallentium Octodurum* S. Mauricium exponit, *Saint Maurii*: quem locum alii *S. Mauritzen in Vvallis*; alii *S. Morits*; Noſtri *S. Maurice* vocant; veteres *Tarnaias* aut *Agaunum* dixere.

Vallenſes autem, quorum civitas fuit *Octodurum*, nomen habuere à Valle Pennina, cujus meminit vetus inſcriptio apud Goltzium, *Proiegatum provinciæ Ratiæ Vindeliciæ & Vallis Pœninæ* commemorans. Sic à vallibus Pyrenaicis *Vallenſem regionem* in Hiſpania Tarraconenſi cognominatam eſſe accepimus, quam *Cerritaniæ* conjungunt Eginhardus & Vita Imper. Ludovici Pij. *Vallem Penninam* à capite Rhodani ad Drantiæ & Rhodani confluentem pertinere aſſerit Cluverius. Ab ea Valle aliique & *Vallenſes*, & *Vallenſis regio* nomen acceperunt. *Vallenſem regionem* Marius Aventicenſis Epiſcopus in Chronico nunc *territorium Vallenſe*, nunc abſolutè & ſimpliciter *Vallem* nuncupat, & ibi Tauredunum caſtrum montanum ad Rhodanum, montemque Tauredunenſem vel Tauretunenſem non longè à lacu Lemano; ibi *Monaſterium S. Agaunenſium*, ſeu Thebæorum Martyrum Mauricii, Exſuperii, Candidi aliorumque ponit: ibi Langobardos à Francis *in Baccis* victos acie cæſoſque eſſe tradit, qui locus aut vicus non multum abeſt à Monaſterio Acauno, & *Bex* vulgò appellatur. *Vallenſis regio* nunc bifariam dividitur, in ſuperiorem & inferiorem. *Pagus Vallenſis inferior*, à recentioribus ſcriptoribus Latinis *Valleſia*, & *Valeſia*. à Germanis *Vvalliſſerland* vocatur, aliàs *Vvalis*, ab accolis *le Vvallais*, *le Vvalay*, aut *le Valeis* vel *Valley*: cujus Principem ſe dicit Sedunenſis Epiſcopus. Ejus regionis inferioris incolæ, ſive *Vallenſes inferiores* nuncupantur *les Valeſans*, caputque habent civitatem Sedunos. *Regio Vallenſis ſuperior*, priſcis *Comitatus* vel *pagus Valdenſis*, vulgò *le pays de Vaut* appellatur, aliis ſed malè *le pays de Vaux*, quaſi à Vallibus: continetque Bibiſcum, (*Vivers*) Lauſanam caput regionis, Nividunum atque Urbam in Helvetiis. Caballiacenſes, *les Chablaiſiens*, inter Vallenſes inferiores & Lemanum lacum conſiſtentes, ubi ſunt Gaillardum & Ternacum, (*Gaillart* & *Terni*) pago Vallenſi inferiori quidam attribuunt. Nonnulli, quos inter eſt Samſon, *regionem Vallenſem inferiorem* ſive *Valleſiam* (*le Valais*) iterum ſubdividunt duas in partes; in *ſuperiorem Vallenſem*, *le haut Valais*, cujus caput ſit civitas Seduni; & in *inferiorem Vallenſem*, *le bas Valais*, in qua ſit *Octodurum Veragrorum* vel *Vallenſium*, *Martigni*, cujus & olim caput exſtiterit: itaut illa *Sedunos*, hæc *Veragros* Gentes Alpinas complectatur.

Pagos *Vallenſem* atque *Valdenſem* diſtinguit apertè Sigiſmundus Burgundionum Rex in litteris inſtitutionis Monaſterii Acaunenſis his verbis. *Eidem Monaſterio pro anima mea ſalute dono de rebus meis in pagis vel territoriis Lugdunenſi, Viennenſi, & Gratianopolitano, & Auguſtacamerario, & pago Genevenſi, Valdenſi*, (*le pays de Vaut*) *& ſive Aventicenſi, & Lauſanenſi, & Biſuntinenſi curtes ſic nuncupatas*, *N & N*, *& in pago Vallenſi*, (*le Valais*) *& in valle Auguſtana quæ eſt à finibus Italiæ, alias curtes*, &c. Ubi & pagum *Lauſanenſem* à *Valdenſi* diſtinguit. Secinunt & Annales Bertiniani *Vallenſem Comitatum* ſeu pagum à *Vvaldenſi* in rebus anni DCCCXXXIX. & illum *Comitatum Valliſſiorum*, hunc *Comitatum Vvaldenſem*, vel potiùs *Valdenſem uſque ad mare Rhodani*, id eſt uſque ad lacum Lemanum quem Rhodanus ingreditur, *in Burgundia* memorant. In litteris Rodulfi Burgundiæ Tranſiurenſis Regis, datis Vabræ anno DCCCCXXCVIII. *Comitatus Vvaldenſis* nuncupatus: (*pagus* enim & *Comitatus* una res eſt) & *Abbatia Romani Monaſterij* eſſe ſita *in Comitatu Vvaldenſi* dicitur. Incolæ *pagi Valdenſis Valdenſes* Latinis ſcriptoribus, Noſtris *les Vaudois* appellantur, hæreſi olim ſua infames. Ex his intelligitur, *Vallenſem regionem* inter duas provincias fuiſſe diviſam: cùm *pagus Vallenſis* in provincia Alpium Graiarum & Penninarum fuerit; *pagus Valdenſis*, ſive *regio Vallenſis ſuperior*, in provincia Maxima Sequanorum, ſive in Helvetia ad lacum Lemanum.

VERBIGENUS PAGUS.

Omnis civitas Helvetia in IV. pagos diviſa olim erat, ut ait Cæſar in libro I. qui & duos ex eis memorat, *pagum Tigurinum*, & *pagum Verbigenum*. Hunc ultimum Cluverius credit ab *Urba* fluvio nomen accepiſſe, & *Urbigenum pagum* ob id, non autem *Verbigenum* appellari oportere, atque ita apud Cæſarem hoc nomen emendari debere. *Urba* autem fluvius *Orbe* vulgò dictus, *Urbam villam pagi Ultraiurani* Fredegario memoratam, Aimoino libri IV. initio *villam Urbanam* mendosè nuncupatam alluit. (*Orbe*) *Urbigenorum* ergo nomine Cluverius aliique *Urbæ* amnis accolas, nimirum *Urbenſes*, Friburgenſes & Bernates deſignari volunt: at Furnerius in Orbis Notitia, *Urios* pro Cæſaris *Vibigenis* habet, apud quos eſt locus

Vren appellatus in Helvetia. Sed caduca eſt ejus conjectura, quæ duabus tantùm litterulis innititur. *Pagum Vrbigenum* Guillimannus Argoviam interpretatur, *Aergen*, id eſt pagum ad Arolam flumen.

VERBINUM.

Æthicus in itinere à Bagaco Nerviorum Durocortorum Remorum, inter Duronum & Catuſiacum *Verbinum* collocat, à Durono x. à Catuſiaco vi. millibus paſſuum diſtans. Ex quibus *Duronum*, tabulæ Peutingerianæ etiam notum, *la Capelle*; *Verbinum Vervin* vel *Vervins*; Catuſiacum *Taveau*. Minaticum, *Niel le Comte*; Muennam Novum Caſtellum ad Axonam *Neuf Chaſtel ſur Aiſne*, Cluverius & Bergerius interpretati ſunt, ut Blondellus affirmat. *Verbinum* in Teoracia pace inter Henricum Magnum & Philippum ſecundum Hiſpaniæ Regem facta nobilitatur.

VERCINIACUM.

Anno DCCLXXIX. *Domnus Rex Karolus iter agens in partibus Neuſtriæ, perveniens ad villam Compendium: & iterum revertenti inde in partes Auſtriæ, obtulit ſe Hildebrandus Dux Spoletanus cum multis muneribus in villa quæ dicitur VerzinIacus*: ut legimus in Vita Karoli Magni. *Villam VercenIacum* alii vocant, & *Vvercimacum*, in primis Annales veteres rerum Caroli Magni, & Eginhardus; *Vvercõniãcum vicum* Poëta Saxo in libro I; *villam quæ vocatur Vvercimiacum* Annales Bertiniani. Vulgò dicitur *Verſigny*, locus à Criſpeio pagi Vadenſis capite III. circiter leugis diſtans.

VERINBREA.

Verinbrea villa publica in Geſtis Francorum & in Appendice Chronici Fredegarii vocatur, poſita ad flumen Iſaram in Diœceſi Sueſſionica, ac in pago Vadenſi, vulgò *Verberie*, & corruptè *Barberie*: ubi Carolus Dux & Princeps Francorum graviter ægrotavit anno DCCXXXIX. *Verimbriam opidulum* appellat auctor Vitæ Ludovici Pii; *Vermeriam Palatium* Chronicon Fontanellenſe, Capitula Caroli Calvi, aliique rerum Francicarum ſcriptores. Synodus *Vermerienſis*, quæ anno DCCCLIII. habita eſt, ab ea nomen invenit; & altera antè ſub Pippino Rege habita. Apud *Vermeriam* anno DCCCLXIX. aliud Concilium Epiſcoporum eſt congregatum. *Villa publica Vurembria* dicitur in Chronico Hildeneſheimenſi corruptè.

VERNO.

Verno, *Vernon*, opidum eſt poſitum ad ripam fluminis Sequanæ inter Meduntam & Gallionem: quod ab Orderico Vitale in libro XII. Hiſtoriæ *Vernon* terminatione Francica appellatur, ut *Alencion* in libro XIII. vocatur Alentio: ceteris *Verno* dicitur, poſituſque eſt è regione magnæ ſilvæ. Guillelmus Armoricus in anno MCXCVIII. *Vernonem Patiacumque* commemorat. Johannes Sareſberienſis, eo vetuſtior, in epiſtola CXXVIII. ad Epiſcopum Norvuicenſem ejuſdem meminit. *Sed profectò majus eſt, quod nobis reſtituto Vernone Fortuna promittit.* Recentiores *Vernonium* corruptè nuncupant.

Eſt & *Vernetum*, aliàs *Vernetum* in Secalaunia prope Rivum Morentini mediis in ſilvis, *Vernon*: item *Vernelli* (*Vernaux*) vicus in Briegio Diœceſique Pariſiaca prope Craſſum Nemus, *Gros Bois*: necnon *Vernadum* (*Vernon*) ad fluvium Siceram in Turonibus proximum ſilvæ. Quo fit, ut exiſtimem *Vernonis* aut *Verni* nomine Gallico ſilvam deſignari olim conſueviſſe.

VERNOLIUM.

Ordericus Vitalis in libro XIII. Hiſtoriæ cum Alencione & Nogento Perticenſi *Vernolium* opidum cómemorando conjungit: quod vulgò *Verneuil*, aut *Verneüil au Perche* dicitur, eſtque in confinio Aulercorum Eburovicum & Carnutum non longè ab ingenti ſilva poſitum ad Arvam amnem, Ebroicis tamen quàm Carnutis multo propius. *Vernogilum* primò dixere Galli, deinde *Vernoilum*, ac poſtremò *Vernolium*: ut Corbogilum, Nantogilum, & ſimilia poſteà in Corboilum, ac Nantoilum, ac demum in Corbolium & Nantolium mutata ſunt. Plurima ſunt ejus nominis loca in Galliis: ſed quid eo nomine Gallico ſignificaretur olim, ſcire difficile eſt, veteri linguâ Gallicâ pridem exoletâ exterorum adventu ac imperio, Romanorum nimirum, atque Francorum, Gothorum, Burgundionum, Normannorum.

Eſt *Vernolium* in pago Burbonenſi, *Verneul*, ſilvis adpoſitum non longè ab flu. Elavere.

Nec prætermitti debet *Vernolium*, *Verneüil*, antea Marchiæ, nunc Ducatus titulo clarum, in Bellovacis ad Iſaram poſitum inter Credilium vel Credulium (*Creil*) & Pontem ad S. Maxentiam, ſilvis adſitum: qualem omnium *Vernoliorum* ſitum eſſe animadverto, ac *Verni* villæ fiſcalis, vici *la Verne* ad flu. Ittam, *Vernonis* prope Guſiam, *Bernon*, *Vernonis* etiam Sequanæ ac ſilvis proximi, ac *Vernotis* in Secalonia: itaut priſco nomine Celtico *verno* ſilva deſignata eſſe videatur.

VERNUM.

Vernum villa olim Regia fuit, jaminde à Chlothario III. Chlodovei junioris filio, hoc eſt ante annos mille. In Vita Baboleni Abbatis exſtat epiſtola ejus Regis, *facta Verno Regali Palatio*. Vita B. Eucherii Epiſcopi *Vernum fiſcum publicum* vocat, ſub Carolo Principe Francorum. *Illuſter Pippinus Rex Francorum univerſos pene Galliarum Epiſcopos aggregari fecit ad Concilium Verno Palatio publico, recuperare* (id eſt reparare) *aliquantiſper cupiens inſtituta Canonica*, anno Chriſti DCCLV. Sed & *inclytus Rex Carolus*, Pippini pronepos, *anno V. regni ſui*, Chriſti DCCCXLIV. *menſe Decembri, Indictione VII. Epiſcopos ac ceteros fideles ex diverſis partibus evocavit ad Vernum Palatium*. In Vita Ludovici Pii Aug.

memoratur & *Vernum*, atque in Capitulis ſupradicti Caroli Calvi, ejus filii, leguntur *Canones Concilii in Verno Palatio habiti* anno regni ejus v. Errant qui Vernonem ad Sequanam eſſe arbitrantur, *Vernon*. Aliud enim eſt *Vernum*, aliud *Verno*. Situm *Verni* docent Annales Bertiniani in rebus anni DCCCXXXVIII his de Ludovico Imper. Pio cognominato verbis. *Ipſe orationis gratiâ Pariſius Sanctorumque Martyrum baſilicas curavit inviſere: directoque Carolo in partes Cenomannicas, ipſe in Verno, Compendio, ceteriſque circumjacentibus locis venationi congruis ſtativa habuit.* *Vernum* igitur *Palatium*, locus erat venationi conveniens, inter Luteciam Pariſiorum & Compendium Sueſſionum poſitus: quem eſſe *Ver* puto locum Criſpiaco, & ſilvæ, ac Iſaræ fluvio propinquum, à Monſtreletio memoratum; aut certè *Vernëüil*, locum Ducatûs titulo inclitum ad flumen Iſaram in Bellovacis, Credilium inter & Pontem ad S. Maxentiam ſitum media in ſilva ejuſdem nominis, ob idque venatoribus opportunum & gratum. *Vernum* autem *Verneüil* à Noſtris dici potuit: ut Nantum locum fiſcalem in pago Conſtantino, B. Marculfi Monaſterio clarum, *Nanteüil* Noſtri vocavere, cùm tamen propriè *Verneüil* & *Nanteüil* niſi ex Vernoilo & Nantoilo, aut ſi mavis ex Vernolio & Nantolio confici nec poſſit nec debeat. In Capitulis ſuis Carolus Calvus ſic præcipit filio: *in Verno porcos accipiat tantùm.* In Annalibus Bertinianis ſitus *Verni* deſignatur inter Compendium & Monaſterium S. Dionyſii. *Anno* DCCCLXXVII. *Ludovicus iter agens per Carisiacum & Compendium uſque ad Vernum, quatenus ad ſepulturam patris ſui* (Caroli Imper.) *apud Monaſterium S. Dionyſii perveniret.*

Eſt & apud Frodoardum in Hiſtoria Remenſis Eccleſiæ, *villa Verna in pago Virtudenſi.*

VERNUS SOL.

Inter Lugdunum Convenarum ſeu potiùs inter Aquas Siccas & Toloſam *Vernus Sol* ab Æthico memoratur, in itinere ab Aquis Tarbellicis Toloſam, à Lugduno LIV. ab Aquis Siccis (*Seiches*) XII. à Toloſa XV millibus paſſuum diſtans. *Vernum Solem* hunc locum vocavere Romani, aut incolæ Galli Romanæ ditionis ac linguæ, quòd ad vernum Solem qui eſt gratiſſimus ſpectaret. Fortè nunc Placentia ſeu *Plaiſance* dicitur ab amœnitate cæli ſolique.

VEROMANDUI, ET AUGUSTA VEROMANDUORUM.

Julius Cæſar in libro II. ſcribit, *Veromanduos*, ut & Velocaſſes, Caletos & Ambianos, qui cum ceteris Belgis contra populum Romanum conjuraverant, obſideſque inter ſe dederant, ad id bellum pollicitos eſſe millia armata decem: *& trans Sabin flumen omnes Nervios conſediſſe, adventumque ibi Romanorum exſpectaſſe unà cum Atrebatibus & Veromanduis finitimis ſuis. Nam his utriſque perſuaſerant, ut eamdem belli fortunam experirentur.* Strabo nullam *Veromanduorum* mentionem fecit, ut eſt in Celticæ & Belgicæ deſcriptione negligens & confuſus. Plinio in Belgica *Veromandui*; Floro in epitome libri CXIV. Livii, & in tabula Theodoſiana *Viromandui*; Ptolemæo ſub Nerviis in Gallia Belgica *Romandues*, οἱ Ῥομάνδυες corruptè dicuntur. Truncatum enim eſt nomen Gentis, & ex prima ejus ſyllaba Οὐι articulus factus οἱ. Scriptum quippe fuiſſe à Ptolemæo puto Οὐιρομάνδυες, *Viromandues*. *Veromandui* porrò à Ptolemæo dicti ſunt *Viromandues*, ut Ædui ab Auſonio *Ædues*; Mediomatrici à Cæſare & Ptolemæo *Mediomatrices*; Gabali à Strabone & Plinio *Gabales*; Triboci à Cæſare *Triboces*. *Cohors* XIX. *Veromanduorum* in veteri inſcriptione apud Goltzium memoratur. Pro *Veromanduis* quidam *Vermanduos*; Æthicus & Dado *Veromandos*, interdum & *Veremandos* antiqui codices; *Veromandos* & *Velomandos* Hiſtoriæ Miſcellæ liber VI. MS; Robertus in Chronico *Veremandos*; Vitæ S. Balthildis ſcriptor æqualis *Vermandos*; nonnulli *Vermendos* dixere. Ex *Viromanduis Viromandos* Jonas in libro de Vita S. Euſtaſii, Annales Bertiniani ac Aimoinus; *Viromannos* Guillelmus Armoricus in Philippide fecere. Priſca & incorrupta Gentis nomina *Veromandui* & *Veromandi*; necnon *Viromandui* & *Viromandi*; vulgò *les Vermandois*: quorum nominis partem ſervat *Epamanduodurum* in Sequanis, aliàs *Epomanduodurum*, à Veſontione XXXI. millibus diſtans, vulgò *Mandeurre*.

Nomen dedere *Veromandui* pago *Veromanduenſi*, *le Vermandois*, Comitibus quondam ſuis claro & illuſtri: qui *pagus Vermandenſis* dicitur à veteri ſcriptore Vitæ S. Balthildis, & in Chronicó de Geſtis Nortmannorũ, à Ludovico Pio Aug. in Diviſione Regni inter filios *pagus Virdomadenſis*, corruptè pro *Viromandenſis*; in Capitulis Silvacenſibus Caroli Calvi *pagus Vermendiſus*, id eſt *Vermendenſis* inter *Noviomiſum* & *Adertiſum*; à Brittone in Philippide mendosè *Viromannia* ſemper pro *Viromandia*; Anſelmo Gemblacenſi Abbati in Chronico *Viromandia*.

Urbs Gentis caput, Epiſcopatus quondam ſedes, dicta eſt ab Auguſto Cæſare *Auguſta Veromanduorum*; Ptolemæo Αὐγοῦστα Ῥομανδύων mendosè pro Αὐγοῦστα Οὐιρομανδύων; in tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana ſimiliter *Auguſta Viromanduorum*; Æthico *Auguſta Veromandorum* inter Camaracum & Contraginnum; in Annalibus Bertinianis non ſemel & *Auguſta Viromandorum*. In Notitiis provinciarũ & civitatum Galliæ *civitas Veromanduorum* nuncupatur, & *civitas Veromandorum*; atque inter XII. provinciæ Belgicæ II. urbes quartum locum obtinet. *Civitas Viromandenſis*; *urbs Veromandenſis*, *Viromandi* quoque, nomine Gentis cujus caput fuit, appellata eſt. Unde Jonas in Vita Euſtaſii Abbatis, *Acharium Viromandorum & Noviomenſem ac Tornacenſem Epiſcopum* vocat; Dado Eligium *cuſtodem urbium ſeu municipiorum. Veromandenſis quæ eſt metropolis urbs, Tornacenſis, Noviomenſis. Viromandi*, vel ut Aimoinus loquitur in ſitu Galliæ, *Viroman-*

dus eſſe metropolis urbs dicitur à Dadone, ab eoque & à Jona Noviomago ſeu *Noviomo* præponitur, non quòd eſſet metropolis & caput provinciæ Belgicæ ſecūdæ; (Nam Durocortorum Remorum metropolis ſemper fuit ejus provinciæ, ut eſt hodie) ſed quod caput eſſet Gentis *Veromanduorum*, & mater urbium, municipiorum ac caſtellorum ad eam pertinentium, ſedeſque Epiſcopi omnibus *Veromanduis* imperantis: donec Auguſtâ everſâ, aut quam aliam ob cauſam, ex ea urbe ſ des Epiſcopalis Noviomagum tranſlata eſt, & Noviomagus in omnia Auguſtæ jura ſucceſſit. Legi Paſſionem MS. S. Quintini in codice Muſciacenſi, in qua hæc reperio. *Milites, qui B. Quintinum ducebant, cùm in quoddam municipium quod antiquo nomine Auguſta Viromandorum nuncupatur, perveniſſent, Præſidem ibi juſſi ſunt exſpectare. Hoc Chriſti providentiâ actum eſt, quatinus ipſum locum ipſius Martyris ſanguine & nomine ſanctificaret.* Quintinus igitur ibi agonem conſummavit, & pro Chriſto ſanguinem fudit, ob idque loco nomen ſuum dedit.

Certè *Auguſta Veromanduorum*, vel *Viromandi*, nunc vocatur opidum S. Quintini, *Saint Quentin* vel *S. Quentin en Vermandois*, propterea quòd B. Quintini Martyris & Levitæ corpus ſervat, à venerabili matrona Euſebia inventum anno poſt ejus agonem LV. & *in ſuperiore loco eminentis opidi quod olim Auguſta Viromandorum vocabatur, collocatum*; uti ait Sigebertus in Chronico. Auctor Annalium Bertinianorum qui in anno DCCCXCII. deſinunt, Anno (inquit) DCCCXLII. *Carolus Cariſiacum Palatium veniens, Ermendrud neptem Adalardi Comitis, uxorem ducit: atque Auguſtam Viromandorum, ad memoriam videlicet B. Quintini Martyris, Nativitatis Domini & Apparitionis feſtum celebraturus proficiſcitur.* Item, *Anno* DCCCLII. *Carolus fratrē Lotharium ad ſuū conloquium invitans, apud Auguſtam Viromandorum quæ B. Quintini Martyris corpore inſignitur, fraternè ſuſcipit, honorificè afficit, regaliter munerat.* Sed vetuſtiſſimus noſtrorum omnium ſcriptorum Gregorius in libro de Gloria Martyrum rem conficit paucis. *Apud Virmandenſe opidum Galliarum Quintinus Martyr quieſcit.* Gregorius igitur, Bertiniani Annales, & Sigebertus, Vitam ac Paſſionem Quintini Mart. ſecuti, recentiores quoque Mercantius, Claudius Hemeræus, aliique *Auguſtam Veromanduorum* eſſe *opidum S. Quintini* affirmant, propter Eccleſiam ibi Quintini Mart. reliquiis ac nomine inſignem. Ita ſentit & Joſephus Scaliger in Notitia Galliæ. Petrus Maſſonus in Notitia Epiſcopatuum Franciæ, *Auguſtam* quidem *Veromanduorum opidum à Martyrio B. Quintini appellari* ait: ſuſpicatur tamen cum aliquibus, cathedram Epiſcopatûs extitiſſe *in Cœnobio Vermand*, quod *Monaſterium Veromanduorum* vocat: quaſi vicus urbi præferri ab Epiſcopis per Canonas potuerit aut etiam debuerit; aut quaſi alibi quàm in capite Gentis quiſque ſuæ Epiſcopi ſedem ſtatuere conſueviſſent.

Legi in codice Muſciacenſi Revelationem corporis S. Quintini Mart. veterem, in qua hæc reperio. *Require Euſebia locum, qui dicitur Auguſta Viromandorum, juxta fluvium qui vocatur Somena; ubi tranſit agger publicus, qui venit de Ambianenſium civitate, & pergit Leodunum Clavatum.* Ibidem dicitur *Euſebia voluiſſe S. Quintinum Mart. Viromandis civitate ſepelire; ſed* propter pondus *in quodam municipio quod Auguſta Viromandorum nuncupatur, eum ſepeliſſe.* Ubi *Viromandos civitatem* à *municipio Auguſta Viromandorum Summina* addito ſcriptor falsò diſtinguit, & *municipium* ſeu *locum Auguſtam Viromandorum* ad *Somenam*, haud dubiè accipit pro opido S. Quintini, *S. Quentin*; (quod verum eſt) at *civitatem Viromandos* pro *Vermand*; quod falſum: tamquam *Vermand* qui nunc vicus eſt, olim civitas & caput Gentis, ac ſedes Epiſcopatus extiterit; urbs & caput *Viromandorum* non extiterit *Auguſta*, cùm id vel unus Ptolemæus disertè teſtetur. Legerat hanc Quintini corporis Revelationem inventionemve Maſſonus, & lectione ejus in errorem quem ſupra notavimus, inductus eſt. Aliter ſentit Philippus Cluverius, quem Monetus & Samſon ſequuntur, & in capite XXIV. libri II. de Antiqua Germania, *Auguſtam Veromanduorum* caput Gentis, credit eſſe *Vermand vicum* ab opido S. Quintini V. millibus paſſuum diſtantem, Abbatiæ titulo illuſtrem ad Dalmanionem fluvium: credit hoc inquam, locorum propinquitate & ſimilitudine nominum, atque ea præcipuè ratione adductus, quòd urbes Galliæ quotquot capita Gentium ſunt, depoſitâ propriâ appellatione, ſuæ quæque Gentis nomen aſſumſerint, uti *Vermand* nomen *Veromanduorum* ſervat. Sed ſcire Cluverius debuit, plura in Galliis capita populorum nomen proprium retinuiſſe quàm gentili mutaviſſe. Quippe & Lugdunum caput Seguſianorum, & Auguſtodunum caput Æduorum, & Rotomagus Veliocaſſium, & Conſtantia Unellorum, & Tullum Leucorum, & Verodunum Verunorum, & Camaracum Nerviorum atque Turnacum, & Tervanna Morinorum, ac Bononia, & Mogontiacum, & Colonia Agrippina Ubiorum, & Veſontio Sequanorum, & Aventicum Helvetiorum, & Auguſta Rauracûm, & Vienna Allobrogum, & Valentia Segalaunorum, Vaſio Vocontiorum, Avenio Cavarum, & Maſſilia Græcorum, & Burdigala Biturigum Viviſcorum, & Aginnum Nitiobrigum, ac XX ferè aliæ urbes Galliæ, nomen hodieque proprium ac vetus retinent, nec Gentis quæque ſuæ appellationem umquam ſuſcepere. Conſtat quidem ſimilitudine nominum in locorum inveſtigatione vix ullum eſſe argumentum levius, ullum fallacius.

Auguſta igitur *Veromanduorum* ad flumen Suminam, eſt citra dubitationem opidum S. Quintini: quod Frodoardus in Chronico nunc à munitionibus loci *caſtrum S. Quintini*, item *caſtellum S. Quintini*. & *caſtellum ſuper Somnam apud S. Quintinum*, nunc *opidum S. Quintini* vocat, nonnumquam *ad S. Quintinum*, & *apud S. Quintinum*; Annales Metenſes in anno DCXC. *ad B. Quintini Martyris limina*, à Baſilica loci Reliquiis & ta-

mulo ac nomine Quintini illuſtri dixere.

VERTAVUM.

Vertavum poſitum eſt ad fluvium Separim cognomine Namneténſem, (*la Sevre Nantoiſe*) & ab urbe Namnetis II. leugis diſtat. *Verton* Noſtri vocant. Ibi Martinus Monaſterium ſtatuit in honore Johannis Baptiſtæ, quod *Vertavum* & *Vertavenſe* appellavērunt; Abbate quondam ſuo gaudens. Nunc eſt Cella, Pictavenſi Monaſterio S Jovini de Marnis ſubjecta. *Vertavi* meminit Vita S. Martini Vertavenſis Abbatis.

VERUNI, ET VERODUNUM CAPUT VERUNORUM.

Caius Plinius Secundus in libri IV. capite XVII. inter Galliæ Belgicæ gentes *Veruno. liberos* numerat omnium primus, & ex omnibus unus ac ſolus. Nullus enim alius cùm è veteribus tum ex recentioribus ſcriptoribus *Verunorũ* mentionem fecit. Hos Samſon ætate Julii Cæſaris Mediomatricis attributos exſtitiſſe, ac paullo pòſt ditioni eorum exemtos fuiſſe; idroque à Plinio *Verunos liberos* dici, cùm *Verdunos* aut *Verodunos* vocari oporteat, confidentiſſimè affirmat ſolâ conjecturâ ductus. Nimirum exiſtimat, ſtante Imperio Romano, in Gallia liberorum populorum genera fuiſſe duo: & alios quidem qui ante Cæſaris & Plinii ætatem nobiles admodum clarique erant, quales Nervii, Leuci, Treviri, Seguſiani, Santones, Bituriges Cubi, atque Arverni fuerunt, à Plinio *liberos* cognominari, propterea quòd unà cum reliquis tributa non pendebant, & meliore ceteris conditione atque imperio æquiore utebantur: alios autem qui Cæſari ignoti indictique ſunt, ut *Verunos*, Silvanectes, Meldos, non ob aliud à Plinio *liberos* appellari, quam quia cùm majoris populi pars aut clientes fuiſſent Julio Cæſare in Gallia bellum gerente, poſtea mutata ſorte ante Veſpaſiani Principatum ex ſubjectis liberi erant & ſui juris facti. Quæ mera ſunt ſomnia, nec ulla cujuſquam veteris ſcriptoris auctoritate nituntur. An enim omnium Belgicæ, Celticæ & Aquitaniæ Gentium meminit C. Julius Cæſar? An meminit Toxandrorum, populi inter Belgas celeberrimi, & ut ait Plinius in *plura nomina diviſi*? an Tungrorum nationis nobiliſſimæ & validiſſimæ? an Abrincatuorum in Lugdunẽſi Gallia, Tricaſſium, Vadicaſſium? ne de Meldis loquar. An meminit Biturigum Viviſcorum, Convenarum in Aquitania, & Conſorannorum? Ideone quia Cæſar de his cunctis ſilet, vivo & ſcribente Cæſare per ſe populi non fuerunt, aut ſub aliorum ditione & imperio fuerunt? Ideone inter Julii Cæſaris & Plinii ætatem noſci, creſcere, florere cœperunt? Planè (ni fallor) quoniam ceteris Galliarum Gentibus quietiores habuit ac pacatiores obedientioreſque, de his tacuit Cæſar: qui minimè aliàs operam dedit, ut omnium ad unum Galliæ populorum numerum iniret. Perſuaſiſſimum igitur habendum eſt, cùm majores tum minores Galliæ populos, quos Plinius *liberos* cognominet, uno eodemque modo ac ſenſu, una eademque de cauſa *liberos* dici, quòd ab Imperatoribus Romanis aliqua libertate donati erant, & tributorum aut ſaltem aliorum onerum publicorum præ ceteris immunitatem habebant. Alioquin credendum eſſet, Senones & Bellovacos, qui teſte Cæſare in fide & amicitia civitatis Æduæ fuerunt; Sueſſiones qui Remorum erant in clientela; Cadurcos, Gabalos, & Vellavos, qui ſub imperio Arvernorum eſſe conſueverant, ſub Principibus Romanis numquam hoc jugum excuſſiſſe, numquam ſe, ut ita loquar, in libertatem aſſeruiſſe, cùm nec à Plinio nec à quoquam alio liberi appellentur.

Quod ad *Verunos* noſtros pertinet, nihil eo in nomine corrigendum: nec quia caput *Verunorum Verodunum* vocatur, *Veruni* in *Verdunos* aut *Verodunos*, aut etiam (quemadmodum quidam faciunt ſine cauſa) in *Verodunos* ſunt mutandi, repugnante veterum Plinii codicum ſcripturâ. Parcendum eſt nomini, quod uſque ad noſtram ætatem per annos mille ſexcentos unius Plinii diligentiâ ſervavit. Nec quia Strabo & Ptolemæus ceterique priſci Geographi ac Hiſtorici *Verunos* omiſere, credere debent Critici, in eos impune graſſari ſibi licere.

In tabula Theodoſiana Principatu Theodoſii Magni facta, quæ ab editore vulgò Peutingeriana dicitur, caput *Verunorum Vironum* nomine Gentis appellari mihi videtur. *Vironum*, *Nintteaci* IX. *Auxenna* X. *Durocortoro* XII. *Vironum* autem à *Verunis* pro *Verunum*, ut e in i, & u in o mutari conſuevere. Joſephus Scaliger in Notitia Galliæ, *in veteribus Conciliis Gallicanis aliquando Epiſcopum Veronenſem perperam legi* ait *pro Verodunẽſem*. In quo ipſe haud dubiè fallitur. *Verunum* enim, *Veronum* ac *Vironũ* unius ejuſdemque urbis nomen eſt ſincerum ac incorruptum, capitis nimirum *Verunorum*, quos & *Verones* ac *Virones* dixere: & à *Verono* rectè dictus eſt *Epiſcopus Veronenſis*.

Æthicus in Itinerario provinciarum *Verodunum* hanc urbem appellat, & inter Durocortorum ac Divodurum ponit his verbis. *Iter à Durocortoro Divodurum uſque millia paſſuum* LXII. *ſic*: *Baſilia* M.P.X. *Auxuenna* M.P.XII. *Verodunum* (aliàs *Virodunum*) M.P.XVII. *Fines* M.P.VIIII. *Ibliodurum* M.P.VI. *Divodurum* M.P.VIII. In vetertima omnium Notitia provinciarum & civitatum Galliæ, circa Honorii A. principatum compoſita, *civitas Verodunenſium* ſimiliter dicitur, & in provincia Belgica prima numero quarta atque ultima ponitur. In aliis Notitiis *civitas Verodunenſium*, in aliis *civitas Verudunenſium*, in aliis *civitas Verudonenſium*, in aliis *civitas Verodonenſium*, alibi *civitas Verdunenſium* appellatur. *Verodunenſes* autem, & *Verudunenſes*, dicti ſunt à *Veroduno* vel *Veruduno*: quam urbem & *Verodonum* ac *Verudonum* nonnumquam appellavere u in o, & invicem o in u converſis, interdum contracto nomine *Verdunum*, & corruptè *Veredunum*. Gregorius Turonicus Epiſcopus in Hiſtoria MS. *Viredunum civitatem*, & *Viredunenſem urbem*

nuncupat; *Viredunum* & Paulus Verodunenſis Epiſcopus in epiſtola ad Deſiderium Cadurcorum Antiſtitem. Fortunatus in libri III. Carmine XXIX. ad Agericum Epiſcopum, *Veredunum* ac *urbem Veredunam* vocat his verſibus.

Urbs Vereduna brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.
Major in anguſto præfulget gratia gyro:
Agerice tuus quam magis auxit honor.

Deſideratus *Epiſcopus Eccleſiæ Veredunenſis* Cōciliorum Arvernenſis & Aurelianēſis v. decretis ſubſcripſit. *Viridunum* rerum Ludovici Pii Carolique Calvi ſcriptores vocant; Gerbertus in epiſtolis *Virdunenſium civitatem*; pleriquе recentiorum & *Virdunum*. In epiſtola XLIX. Nicolai Papæ ad Epiſcopos Regni Lotharii *Viridenſem Antiſtitem* pro *Viridunenſem* mendosè excuſum reperio. Apud Botarotium in veteri nummo legimus, *Vereduno fiit*; in altero, *Virduno fitur*.

Verodunum aut *Verudunum*, vulgò *Verdun* vocitant Noſtri, & incolas *Verodunenſes*, *les Verdunois*: pagum *Verodunenſem*, Nithardo in libro I. & Frodoardo in anno DCCCCXXXIX. *Viridunenſem* dictum, *le Verdunois*.

Eam urbem nunc claram & magnam Moſa interfluit; quam qui veteribus incorruptiſque nominibus appellare voluerit, non aliter quàm *Verunum* aut *Vironum* nomine Gentis, aut certè *Verodunum Verudunumve* proprio vocabulo appellabit. *Verodunum* autem vel *Verudunum* dicitur non tamquam *Veri mons*, ſed tamquam *Verunorum* aut *Veronorum mons* ſeu *dunum* à ſitu. *Verodunum* inquam dicitur quaſi *Veronodunum* ſive *Veronorum mons*; *Verudunum* quaſi *Verunodunum* aut *Verunorum mons*. Quippe ut ſuprà notavimus, *Veruni*, & *Veroni* ac *Vironi* una eſt unius Gentis appellatio.

In urbe *Vereduno* ſunt Abbatialia Monaſteria S. Vitoni, (*S. Vanne*) quod eſt virorum in *monte S. Vitoni*; S. Mauri, (*S. Maur*) quod eſt puellarum; S. Pauli; & S. Agerici.

Concilii Agrippinenſis decretis *Sanctinus à Laticlavo* ſubſcripſit. Ubi Sirmundus emendandū ait ab *Articlavo*, quoniam *Verodunum* Sanctini ſedem, *urbem Claverum* olim dictam eſſe docet Bertharius Preſbyter, qui de Epiſcopis Verodunenſibus ad Dadonem Antiſtitem ſcripſit. Addere potuit Sirmundus & Sigeberti verba, quæ talia ſunt. *Anno Chriſti* MXLVII. *urbem Claborum quæ Virdunus dicitur, Godefridus incendit*: & apud Ægidium Aureæ Vallis Monachum in Geſtis Epiſcoporum Tungrenſium, *Sanctinum Articlavorum vel Virdunenſium* dici. Sed Jacobi Sirmundi conjecturæ accedere non poſſum. Nec enim magis intelligo quid ſit *Articlavum* quàm quid *Laticlavum*, cùm neutrum alibi reperiam: & nemo non videt, inter *Laticlavum Articlavumve* & *urbem Clavorum* aut *Claborum* plurimum intereſſe. Nec Berthario, vel potiùs Laurentio, & Sigeberto recentibus auctoribus credo, *Verodunum* dictum eſſe *urbem Clavorum* aut *Claborum*, aut *urbem Clabiam*. Quis enim hoc alius ſcripſit? Quis antiquus ſcriptor hoc nomen uſurpavit? ſive *Clavorum Claborumve* nomen eſt neutri generis, ſive maſculini in IV. caſu, aut etiam in genitivo plurali nomen Gentis. Nonne ſuprà docui *Verunum* aut *Vironum*, atque *Verodunum*, veteres eſſe ac ſinceras ejuſce urbis à Gente atque à ſitu appellationes? Quis *Articlaves*, aut *Clabos* Gentibus Belgicæ umquam adnumeravit excepto Laurentio?

Quidam *Verodunum in Lotharingia* cognominant, *Verdun en Lorraine*, (ſicuti Vita Bernardi *Virdunum civitatem Lotharingorum* eſſe ait) ut illud diſtinguant ab aliis ejuſdem nominis locis, variis in Galliæ regionibus conſtitutis. Quippe eſt & *Virdunum* ad Ararim in Burgundia, *Viredunum caſtrum* Marliano dictum, *Verdunum* in litteris anni MCCLXXIV. *Verdun* vulgò, opidum aut caſtrum poſitum ad trium fluminum confluentes. Ibi enim Arar ſiniſtrà ripà Dubim recipit, dextrà Dunam, (*Dune*) à quo forſitan nomen locus accepit. *Virdunum* quoque in Provincia reperio, ſi qua duobus veteribus Gregorii Turonici Epiſcopi codicibus fides habetur, in capite XXXIX. libri IV. Hiſtoriæ Francicæ, ubi lego in uno quidem: *Et Zaban quidem per Virdunenſem deſcendens urbem, uſque Valentiam venit*: in altero, *per Verdunenſem*; cùm in editis libris legatur *per Dienſem*: & eſt in Provincia fluvius *Verdon*, Verdunus. Eſt etiam *Verdunum* ad Garumnam, Toloſanis olim Comitibus ſubjectum, *Verdun*, quod Petrus Monachus in Hiſtoria Albigenſium vocat *caſtrum nobile, diſtans v. leugis à Toloſa, ſuper Garumnam fluvium ſitum, nomine Verdunum*, aliàs *caſtrum Verdunum*.

VESATUM.

Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta, in Capitulis Caroli Calvi *Velſatum* nuncupat, in Annalibus Bertinianis *Veoſatum*. *Lingas, quod de iſta parte Moſæ eſt, & pertinet ad Veoſatum*. In nummis Carolingorum *Vuioſatum* quoque ſcriptum reperitur. *Vuiſatum* Sigebertus in anno Chronici MCVI. appellat. Sed heic *Viſatum*, illic *Vioſatum* cum unico u. ſcribi oportet. Otto Friſingenſis in libri VII. capite XII. *Guegeſar* vocat corruptè pro *Guegeſat*; Conradus Lichtenavius *Vueg-ſar* pro *Vuegeſat*; nonnulli & *Vegeſatum*. Opidum eſt ad Moſam flumen inter Leodicum & Trajectum poſitum, vulgò *Vveſet*, aliàs *Viſet* dictum, ſi tamen opidi magis quàm vici nomen meretur.

VESONTIO SEQUANORUM.

C. Julius Cæſar in libro I. Commentariorum belli Gallici *Veſontionem eſſe opidum maximum Sequanorum* tradit, *& naturâ loci ſic munitum, ut magnam ad ducendum bellum det facultatem: propterea quòd flumen Alduabis ut circino circumductum pæne totum opidum cingit: reliquum ſpatium quod non eſt ampliùs pedum* DC. *quà flumen intermittit, mons continet magna altitudine, ita ut radices ejus montis ex utraque parte ripæ fluminis contingant. Hunc murus circumdatus arcem efficit, & cum opido conjungit.* At nunc Dubis navigabilis

fluvius, apud Cæſarem corruptè *Alduabis* vel *Alduadubis* dictus, non pæne totum opidum cingit, ſed (ut ait Marlianus) *Veſontionem ex magna parte interſecat*; aut potiùs ut Chiffletii verbis utar, ipſum *medium interluit* ac dividit. Fredegarii ac Jonæ ætate mons *Veſontionis* flumine Dubi cingebatur ac veluti circumvallabatur. Sic enim Fredegarius ſcribit in libro v. ultimoque Chronici. *Cùm domorum denſitas in diffuſo latere proclivi montis ſita ſit, prorumpunt ardua in ſublimibus cacuminibus: qui* (mons) *undique abſciſi fluminis Dova alveo vallante nullatenus commeantibus viam pandit.* Eadem verba de ſitu *Veſontionis* reperio in libro de Vita Columbani Abbatis, quem Jonas Monachus compoſuit: ſive Jonas à Fredegario, ſive contrà Fredegarius à Jona accepit. Ambo enim æquales fuere, & Dagoberti ac Chlodovei principatu nituere circa annum DCXXX. & DCXL. Dio in libro XXXIX. Cæſarem ſequitur, & *Veſontionem Sequanorum urbem* appellat, τὴν Οὐεσοντίωνα τὴν τῶν Σηκουανῶν πόλιν. Tabula Theodoſiana vel Peutingeriana, atque Itinerarium Æthici *Veſontionem* quoque, necnon *Viſontionem* nuncupant; Voſontionem & Magno his verbis: *Sequanus, Veſontio.* In Notitia Imperii Rom. hæc legimus. *Sub diſpoſitione V. S. Ducis provinciæ Sequanici Milites Latavienſes Olinone.* Quæ verba haud dubiè corrupta, ſic emendari arbitror oportere expunctis II. litterulis e & ſ, & mutatione trium litterularum L in B. N in V. & L in T. *milites Batavi Veſontione*: quæ certiſſima eſt conjectura. Nam *Batavi Seniores* Veſontione in præſidio erant: at verò *Olinonis* loci qui mentionem faciat, neminem uſquam reperio, licèt Chiffletius vicum eſſe proximum Baſiliæ credat, & aliis perſuaderi id poſſe ſperet. *Veſontio* igitur vetus eſt nomen urbis, ſincerúmque & incorruptum: quod Romani, ut ſæpe aliàs, vulgari pronuntiatione Gallorum moti multis modis mutavere.

In nummo Galbæ apud Goltzium vocatur *municipium Viſontium*: apud Ptolemæum quoque Sequanorum urbs primaria *Viſontium*, Οὐισόντιον: niſi ſi legendum eſt Οὐεσόντιον, *Veſontio*; in quibuſdam Notitiis *Veſontium* & *Biſuntium*; Eginhardo etiam, & Ludovico Pio ac Carolo Calvo *Veſontium*.

Julianus Aug. in Epiſtola XXXVIII. *Vicentionem* vel *Bicentionem*, Βικεντίωνα, quomodo alius nemo; Ammianus Marcellinus cùm editus tum etiam ſcriptus, in libro Hiſtoriæ XX. *Beſantionem* appellavit; Capitula Caroli Magni *Biſſancion villam partis Burgundiæ*, id eſt urbem Burgundiæ. Noſtri *Beſançon* etiam vocitant, ad *Beſantionem* proximè accedente, vel potiùs *Beſantionem* exprimente ac reddente vocabulo. Sic enim factio Noſtris eſt *façon*, mactio *maçon*, Brictio *Briçon*, aliàs *Briſſon*, Brigantio *Briançon*, potio *un poçon*, menſuræ lactis genus, cantio *chançon*, Alentio *Alençon*, lectio *leçon*, coctio *cuiçon*, aliàs ſed corruptè *cuiſſon*.

In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, nunc prov. Maximæ Sequanorum *metropolis civitas Veſontienſium*; nunc *Metrop. civitas Veſontienſium* nuncupatur; in una quadam mendoſè *Beſantiacum*, nomine ad *Beſantionem* Ammiani accedente.

In Notitia, quam ex Bibliotheca Thuanea eruit Andreas Cheſnius, *Chryſopolis* vocatur his verbis. *Maxima Sequanorum, in qua eſt Veſontium, quæ vocata eſt olim Chryſopolis, id eſt Aurea civitas.* In alia Notitia provinciarum ac civitatum Galliæ, quâ Iſidorus Mercator, & Iſidorum ſecuti Simlerus, Merula, Scaligerque præter ceteros utuntur, *provinciæ Lugdunenſi* IV. ſubjicitur provincia Maxima Sequanorum, novo & indebito appellata ibi nomine *provincia Lugdunenſis* V. cujus *metropolis civitas Criſpolinorum, id eſt Veſuntio*, aliàs *Veſontionum*. Sed hæ Notitiæ (ut notavi in Sequanis) recentiores ſunt ambæ atque corruptæ. Neque enim *Veſontionem vocavere olim Cryſopolin*: cùm contrà veteri ac Gallicæ *Veſontionis* appellationi multis pòſt ſæculis Græcum nomen ſucceſſerit. Præterea quis ferat *civitatem Chriſpolinorum* mutilo ac nihil ſignificante vocabulo nuncupari, quæ *civitas Cryſopolitanorum* debuit appellari? *Chryſopolin* ſive *Auream urbem* vocant & nonnulli è Noſtris Hiſtoricis atque Chronographis; vocant & nonnullæ Vitæ Sanctorum. Sed præter ceteros Johannes PP. VIII. qui anno DCCCLXXII. ſedere cœpit ante annos ferè octingentos, & uſque ad annum DCCCXXCII. Romanæ Eccleſiæ præfuit, hoc nomen uſurpavit. Quippe in epiſtola, quam ad Carolum Craſſum nondum Imperatorem miſit menſe Junio, Indictione XIII. & quæ *dilecto ac ſpiritali filio Carolo Glorioſo Regi* inſcribitur, *Theodericum* Veſontionis metropolitanum Antiſtitem, *ſanctæ Chryſopolitanæ ſedis Archiepiſcopum* vocat.

Cauſſam nominis cum requiro, hanc reperio. *Veſontionem* Ammianus Marcellinus *Beſantionem*, Carolus Magnus *Beſancion*, Notitia quædam Galliarum *Beſantiacum* appellat, Noſtri *Beſançon*. Nummus autem erat aureus, à Byzantio ſeu Conſtantinopoli ubi percutiebatur *Byzantius* vel *Byzantinus* dictus Græcis, Noſtris *un Beſan d'or*, Imperatoris Orientis vultu ſignatus. Ut autem *Beſantio* & *Biſancio* ad *Byzantium* huncce aureum vel (ut Noſtri linguæ Græcæ ignari ſcribebant) *Biſantium*; ſic *Beſançon* ad *Beſan* proximè accedit. Inde factum eſt, ni fallor, ut Noſtri crediderint *Beſantionem* vel *Beſançon* idem eſſe, atque *urbem Byzantiorum* vel *Biſantiorum*, *la ville des Beſans*, & ut ab aureis iſtis Græco nomine *Chryſopolin* ſive *auream civitatem* appellaverint: ſicuti quædam Notitiæ in eadem provincia Maxima Sequanorum ſub Metropoli Veſontione *caſtrum Argentarienſe* VII. interdum & IV. loco ponunt, quam & *civitatem Argentarienſem* aliqui codices vocant, velut ab argento nomen habentem. Dicet aliquis. Annon *Veſontio* nomen eſt Gallicum, auream urbem vel *Chryſopolin* Celticâ linguâ ſignificans? Id quidem verum eſſe poſſit. Sed tamen nihilominùs in priore ſententia perſeverandum puto. Nummos autem olim *Veſontione* percuti conſueviſſe conſtat ex auro, argento, & ære. Nos aliquot vidimus: & Botarotius quemdam veterem nummum profert, inſcriptum *Veſon-*

tione. Fuit *Veſontione Palatium*. Video enim *oſtij* majoris Eccleſiæ Veſontienſis, *quod ducit ad Palatium*, mentionem fieri.

Amphitheatrum olim *Veſontio* extra muros habuit, latum paſſus circiter cxx. cujus fundamenta & porticus majore ex parte dirutas ſpectari ait Chifletius, ubi nunc eſt extramuranum ſacellum S. Iacobi. Supereſt in urbe hodieque *vicus Arenarum*, qui ad portam Amphitheatri ducebat; & porta ipſa Amphitheatri, una ex quinque *Veſontionis* portis, *porta Arenarum* olim cùm aliis tum Calliſto PP. II. in litteris anno MCXX. datis nuncupata, quæ nunc intra muros urbis integra conſpicitur. Quin & una de ſeptem civitatis tribubus, *tribus Arenarum* vocatur. Amphitheatra autem Galli in urbibus ſuis *Arenas* olim appellare conſueverant, ab arena notiſſima Amphitheatri parte, gladiatoribus venatoribuſque deſtinata. Si qua Marliano fides, *Pantheon* quoque, *Campus Martius*, qualis Treviris, & *Campus Minervæ Veſontione* hodieque ſunt cum aliis operibus Romanis.

Fuit & alia porta *Veſontione*, *porta de Vareſco* dicta, in veteri libro Rituali Eccleſiæ S. Stephani *porta Varaſconorum*: quam nunc clauſam eſſe tradit Chifletius, ſed cauſſam ejus nominis ignorare ſe fatetur. Ego à *Varaſcis* vel *Vvaraſcis*, partem provinciæ Sequanorum & utramque Dubis ripam incolentibus nomen accepiſſe eam exiſtimo, vel potiùs credo ac perſuaſiſſimum habeo. *Varaſci* autem & *Varaſco* vel *Vareſco* loco nomen ſuum dedere, atque ipſi nonnumquam pro *Varaſcis* dicti ſunt Varaſconi aut Varaſcones: ut Francis, Friſiis, Burgundiis, Lugiis, Æſtiis vel Æſtis videmus accidiſſe, quos Francones, Friſiones aut Friſones, Burgundiones, Lugiones, ac Æſtiones vel Eſtones appellatos eſſe conſtat. *Porta* igitur *de Vareſco*, vel *porta Varaſconorum*, eadem quæ porta Varaſcorum vel Varaſconum.

Incolæ *Veſontionis* à *Veſontione Veſontionenſes* rarò dicuntur priſcis præſertim ſcriptoribus: à Veſontio *Veſuntiove* ſæpiùs *Veſontes*, ac *Veſontienſes* vel *Veſuntienſes*; à Biſontio Biſuntiove *Biſontii*, recentioribus *Biſuntini*, & *Biſuntinenſes*. Quippe *Veſontionem* à quibuſdam *Veſontium*, & *Biſontium* quoque ſeu *Biſuntium* vocari ſuprà obſervavi. Ammianus Marcellinus in libro xv. *apud Sequanos* (inquit) *Biſontios videmus & Rauracos*. In Notitia Imperii Romani inter Legiones Comitatenſes XXXII. *Veſontes* numerantur: iidem ſæpiſſimè *Veſontienſes* aut *Veſuntienſes* appellantur. Certè in Conciliis Gallicanis quæ ſub Merovei poſteris habita ſunt, decretis Antiſtitum ſubſcribunt nunc *Epiſcopi Veſontienſium*, vel *Epiſcopi Eccleſiæ Veſontienſis*, nunc *Epiſcopi civitatis Veſuntienſis*; rarò *Eccleſiæ*, aut *civitatis Veſontionenſis Epiſcopi*, nonnumquam *Biſuntinæ Eccleſiæ Epiſcopi*.

Veſontienſes ſive *Veſontionenſes* Noſtris nuncupantur *les Beſançonnois*: pagus Veſontienſis ſeu Veſontionenſis, *le Beſançonnois*.

In Eccleſia *Veſontienſi* cum majore Archidiaconatu ſeu *Veſontienſi*, jam ante annos CCCC. IV. erant Archidiaconatus, videlicet Salinenſis, Gradicenſis, Trevenſis, & Luxovienſis. In Calliſti PP. II. litteris anni MCXXIII. *Archidiaconatus de Dola* memoratur, ut appareat ante annos DL. ſuum & Dolæ Archidiaconum fuiſſe.

Favernacum, Salinæ, Ledo Salinarius, Dola, Gradicum vel Gratacum, Treva, Ruber Mons vel Rubeus Mons, Palma ſeu Balma, & Varaſcum *Veſontienſi Diœceſi* continentur, item Mons Falconis, Falconiacum, Ruſiacum, Pauliacum, Marciacum, Saliniacum, Montanæ, Veſullum, Arboſium.

VESULLUM.

In Chronico Divionenſis Monaſterii S. Benigni, quod ad annum MLII. deducitur, circa finem fit mentio *caſtelli Veſulli* his verbis. *Rainaldus Comes* (Sequanorum ſeu Burgundiæ) *juxta caſtellum Veſullum dictum dedit Eccleſiam in honore S. Georgij ſacratam, ut ibi conſtrueretur Monaſterium*. Vulgò *Veſoul* nuncupatur, caſtellum non procul ab Arari fluvio, appoſitum amniculo qui in eum effluit. Liber Miraculorum S. Prudentii novo nomine & ab auctore compoſito *caſtellum Viſorium* appellat, & jamtum *Veſol* ſeu *Veſoul* linguâ vulgari dictum eſſe docet. *Caſtellum, quod vulgò Veſol, Latinè Viſorium congruè poteſt appellari*. Sed auctor ille, quiſquis fuit, magis congruè & Latinè de *Veſol Viſolium* facere potuit ac debuit. In Vita MS. S. Urbani Epiſcopi Lingonicæ urbis *caſtrum Veſolenſe* dicitur. *Veſolenſe caſtrum, quod eſt ſitum in colle ardui montis*.

VETERA.

Vetera vocavere Romani caſtra, ut diſtinguerent à novis aut recentioribus. Æthicus inter *Coloniam Traianam* & *Calonem Vetera* ponit, ubi *legio una & viceſima*. alibi (quod idem eſt) inter *Caſtra Vlpia* & *Calonem*; Tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana inter *Coloniam Traianam* & *Aſciburgium* ſic. *Colonia Traiana* XL. *Veteribus* XIII. *Aſciburgio* XIIII. *Vetera* Simlerus *Berck* eſſe ait ad Rhenum, *aut* (*ut aliis placet*) *Santen*. Horum in numero eſt Cluverius, qui *Vetera Santen* exponit. *Santen* autem vel *Sanden* opidum eſt Clivenſis Ducatus.

Vetera ſæpe Cornelius Tacitus memorat: in libro IV. Hiſtor. *Caſtra quibus Veterum nomen eſt*. Ibidem ait, duas legiones à Civile pulſas, *in Vetera Caſtra conceſſiſſe*, Principatu Veſpaſiani. *Pars* (inquit) *Caſtrorum* (Veterum) *in collem leniter aſſurgens, pars æquo adibatur. Quippe illis hibernis obſideri premique Germanias Auguſtus crediderat. Inde non loco, nec munimentis labor additus*. Ex quibus diſcimus Auguſtum *Vetera Caſtra* condidiſſe, ut ibi duæ legiones hiemarent, ad ambas provincias Germanias, ſuperiorem & inferiorem, premendas & in officio continendas. Ea erant hiberna legionum duarum, nimirum quintæ & XIX. primùm, deinde quintæ & quartædecimæ. Unde Tacitus ſcribit, V. & XIV. *legiones apud Vetera obſeſſas* eſſe à Claudio Civile Batavo: & *ſpem oppugnantium Batavorum auxiſſe amplitudinem valli Veterum, quod duabus legionibus ſitum*, (conditū potiùs)

vix

vix quinque millia armatorum tuebantur. Idem in libro I. Annalium *ferociam* V. *& undevicesima legionum, sexagesimum apud lapidem (loco Vetera nomen eſt) hibernantium* notat initio Principatûs Tiberii. Ergo ab Ara Ubiorum, ubi duæ legiones, I. & Viceſima ſub vexillo cum Duce ſuo Germanico hiemabant, LX. millia paſſuum aberant *Vetera*, tunc quintæ & XIX. legionum, poſtea V. & quartædecimæ hiberna. Abeſſe autem à *Veteribus* ait Æthicus millia paſſuum LII. Coloniam Ubiorum, cui proxima erat Ara Ubiorum. Ptolemæus inter *Batavodurum* & *Coloniam Agrippinenſem* in Germania inferiore ponit Οὐέτερα, *Vetera, ubi legio triceſima Ulpia*: ut appareat Principatu Marci Aurelii Antonini, quo tempore Ptolemæus floruit, *Vetera* legionis XXX. hiberna exſtitiſſe: quæ poſtea ut ex Æthico diſcimus, legionis XXI. caſtra eſſe cœperunt, Conſtantino Maximo Imperatore eo tranſlatæ.

VETERESPICTAVI.

Carolomannus & Pippinus, Duces & Principes Francorum anno DCCXLII. Regnum Francorum, quod à morte patris per menſes IX. aut X. pro indiviſo ambo poſſederant, ſummâ inter ſe concordiâ diviſere in loco Clennum inter & Vingennam flumina haud procul à Caſtello Heraldi ſito, qui *Veteres Pictavi* dicebatur. In veterrimis noſtris Annalibus omnibus vocatur hic vicus *Vetus-Pictavis*, vulgò *Vieux Pottiers*, poſitus ad Clennum, non longè ab ejus & Vingennæ confluentibus: quem locum non magis veteres Pictavos caput Gentis, ſeu Auguſtoritum Pictonum fuiſſe puto, quàm Maſſiliam veterem, *Marſeille Vieille* aut *Marſeille Veire*, (qui eſt viculus proximus Maſſiliæ ad mare, interfluente amniculo,) antiquam & veram Maſſiliam, ac primas Græcorum Phocenſium ſedes exſtitiſſe.

UGERNUM CASTRUM.

Strabo *Ugerni* in Volcis Arecomicis primus meminit, quum ait à Nemauſo per *Ugernum* & Taraſconem διὰ Οὐγέρνου καὶ Ταρασκῶνος Aquas Sextias uſque iter eſſe milliariorum LIII. Tabula Theodoſiana quæ vulgò Peutingeriana dicitur, inter Nemauſum & Arelatum *Ugernum* ponit, à Nemauſo millibus paſſuum XV. ab Arelato interfluente Rhodano octo diſtans, ad citeriorem ripam fluminis poſitum. Ibi Sidonius Avitum ab exercitu Gallicano Auguſtum conſalutatum ait in Panegyrico ei dicto.

Fragor atria complet
Ugerni.

In Vita Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi *caſtrum Ugernenſe* nuncupatur; in Chronico Johannis Abbatis Biclarenſis *caſtrum Oderno tutiſſimum, in ripa Rhodani fluminis poſitum*, aliàs *Ugerno*: à Gregorio in libro VIII. *Ugernum Arelatenſe caſtrum* prope Nemauſum in Provincia Arelatenſi; *caſtrum Ugernum* in libri IX. capite VII. vocatur; *Vegernum* à Magnone. Quod caſtrum, poſtea *Bellum Quadrum* vel *Bellum Cadrum* dictum eſſe à ſitu & figura puto: idque Strabonis verba ſuprà laudata planè confirmant mihique perſuadent, *Ugernum* ac Taraſconem ceu loca proxima conjungentis. Eſt enim *Bellum Quadrum* (*Beaucaire*) oppoſitum Taraſconi, & ſolò Rhodano ab eo diviſum. Unde Provinciales negant inter utrumque locum oves & verveces paſci.

Entre Beaucaire & Taraſcon
Ne repaiſt brebis ne mouton.

Quidam *Ugernum Orgon* interpretantur, repugnante ſitu. Orgo enim eſt ad Druentiam flumen, & Orgonem inter ac Nemauſum Arelatum eſt poſitum æquali ferè intervallo: contrà *Ugernum* ad Rhodanum veteres omnes poſuere Nemauſum inter ac Arelatum. Simlerus *Ugernum* non multo feliciùs habet pro *Ernagino*: quod Ernaginum quid ſit, aut quî nunc vocetur, alibi docuimus.

In litteris datis anno MCXXV. *inſula Gernica inter Belcaire & Taraſconem* memoratur: *la Vergne* vocitant indigenæ, eſtque inter *Bellum Quadrum* & Taraſconem in fluvio Rhodano, ut Catellus in pagina CCCLXI. docet. Amnica autem iſta inſula *Gernica*, & vulgaris appellatio *la Vergne* ad *Ugernum* proximè accedere videri poteſt, & *Ugernum* potiùs eſſe quàm Bellum Quadrum: de quo quiſque judicet. Conſtare quidem debet ac pro certiſſimo haberi, alterutrum locum, nimirum *Gernicam* aut *Bellumcadrum*, vetus *Ugernum* eſſe.

VICELIACUM.

Monaſterium Viceliacum juxta Choræ fluvium conſtructum à Comite Gerardo, nobili & opulento, dicitur in Tranſlatione corporis S. Mariæ Magdalenæ ex civitate Aquenſium in *Viceliacum*. Litteræ ipſius Gerardi Comitis duæ *Vizeliacum* vocant, docentque ab eo & à Berta ejus conjuge, Evâ communi filiâ conſentiente, *Monaſterium Pultarienſe* vel *Pultarias* ad Sequanam *in pago Laticenſi, in Regno Burgundiæ, & in parœcia Lingonicæ civitatis*; (*Pontieres*) & *in loco qui dicitur Vizeliacus, in pago Avalenſe & Regno Burgundiæ* alterum Monaſterium exſtructum villiſque & latifundiis ditatum eſſe, regnante apud Francos Carolo Calvo. *Viceliacum* vulgò *Vezelay* nuncupatur; *Virzelaum* in litteris Paſchalis PP. *anni* MC. item *Verziliacum* in ejuſdem litteris anni MCIX. in Epiſcopatu Æduenſi vel Auguſtodunenſi, pagoque Morvinno. Lucius PP. in litteris anni MCXLIV. *Viziliacenſem Abbatiam* vocat, Gaufridus Abbas Vindocinenſis nunc *Vizeliacum*, nunc *Vezeliacum*; quidam *Vidiliacum*. Anno MCXLV. Concilium ibi celebravit Eugenius PP. III. cui Ludovicus Rex Francorum interfuit.

VICINONIA FLU.

Flumen *Vicinonia* cervicem peninſulæ in qua Britannia minor poſita eſt, ſecat, & Vitreium (*Vitré*) præterlapſum, opidum Redonas interluit, Bellam-Perticam, Rotonem, (*Redon*) Rivos, *Rieux*, Rupem-Bernardi ac Inſulam attingit, ac demum inter Namnetas &

Venetos, ſed Venetos propius in Oceanum Britannicum effunditur. Vulgò *Vilaine* truncato & corrupto veteri nomine appellatur quaſi *Vinonia*, n in l mutato: quemadmodum pridem obſervavi, multis in aliis nominibus Gallicis ac Latinis factum eſſe à Noſtris. Quippe unicornem vocamus *licorne*, Bononiam *Boulogne*, Caſtrum Nantonis *Chaſteau Landon*, piſcem nanpradam vel nanpredam *lamproye*: & Normannos vulgus *Lormannos* nuncupat. *Vicinoniam* primus omnium commemorat Gregorius Turonicus Epiſcopus in libris Hiſtoriæ Franciæ v. ac x. quem amnem non ſemel & *torrentem* ob rapiditatem appellat: *fluvium Vicinoneam*, aliàs *Vicinonem* Fredegarius in libri v. Chronici capite xi; *Vicononiam fluvium* libellus de bello inter Rainaldum ac Lambertum Caroli Calvi Comites; Aimoinus nunc *fluvium Viſ-on* aut potiùs *Viſnon*, nunc iv. casûs Græca terminatione *fluvium Vuiſnona*, id eſt fluvium Viſnonem, uti *Diviona caſtrum* in libri iv. capite xl. Divionem vocat; Ammianus Marcellinus *Cabillona* Cabillonem Araricum. Recentiores, quos Maſſonus ſecutus eſt, *Vigeloniam* & *Vigelaniam* dixere, c in g, i in e, n in l ex more converſis.

Quædam tabulæ ad oſtium *Vicinoniæ Viſoniam* ponunt, *Viſone*: quæ ſi nos non decipiunt, nomen fluvii videtur olim hic locus tuliſſe, & dictus eſſe *Vicinonia* primùm, dein mutilato nomine *Viconia*, & litterâ c in ſ mutatâ *Viſonia*: ut Noſtri ex placere fecerunt *plaiſir*, ex licere *loiſir*, ex racemo *raiſin*, ex Ticino *Teſin*, ex vicino *voiſin*.

VICTORIACENSIS VILLA.

Gregorius in libri iv. Hiſtoriæ capite ultimo, & v. primo *Victoriaci villæ* meminit, meminere & Fredegarius ac Geſta Francorum & Aimoinus: quam idem Gregorius *villã Victoriacenſem* in libri vi. capite xli. Jonas de Vita B. Columbani & Hariulfus in Chronico Centulenſi *Victoriacum villam publicam, in ſuburbano Atrabatenſis urbis ſitam* vocant. In quibuſdam Jonæ exemplaribus mendosè legitur *Arauſienſis urbis*. In villa *Victoriaco* Sigibertus Rex ſalutatus, & paullo pòſt idem per inſidias immiſſis à Fredegunde percuſſoribus eſt interemtus. Hunc eſſe ait Aubertus Miræus vicum inter Atrebatas Duagiumq; medium, ii. leugis à Duagio diſſitum, qui *Vitri* nuncuperur hodieque, ubi Chlotharius infans Chilperici patris juſſu nutritus eſt. Fortunatus de Vita Radegundis *Victuriacum* vocat his verbis. *Quam* (Radegundem) *cùm preparatis expenſis Victuriaci voluiſſet Rex prædictus* (Clotarius) *accipere, per Beralcham ab Ateiis nocte cum paucis elapſa eſt.*

VICTORIACUM CASTRUM: ET DE VICTORIACIS VEL VITRIACIS.

Victoriacum caſtrum, quò Mundericum Regnum affectantem ſeſe cum ſuis contuliſſe tradit Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro iii. Aimoinus in libro ii. Hiſtoriæ *caſtrum Victuriacum* vocavit, ac in Arvernorum finibus poſuit. Equidem exiſtimo caſtrum *Victoriacum* Gregorii fuiſſe in Diœceſi Catalaunica, ac in pago Pertenſi Regnoque Theodorici Auſtraſiorum Regis; ad Saltum amnem, ad tertium lapidem à flumine Matrona: id quod Frodoardus in Chronico nunc *Victuriacum caſtrum*, *Pontigoni fiſco* proximum, ſicuti etiamnum eſt, in rebus anni DCCCCLII. nunc *Victoriacum caſtellum* appellat; recentiores auctores *caſtrum Vitriacum*, & *Vitriacum Incenſum* ac *Vitreium* vocãt, propterea quod à Ludovico Pio ſeu Juniore igne conſumtum eſt: *Vitri en Partois*, vel *Vitri le Bruſlé*. Ejus in locum Franciſcus Francorum Rex *Victoriacum* ad fluminis Matronæ ripas exſtruxit: quod ab ipſo *Victoriacum Franciſci* cognominatum eſt, *Vitri le François*, quaternis aut quinis in anno nundinis celebre. Ceterùm cùm multa ſint loca ejus nominis in Galliis, alia à victoria aliqua ex hoſtibus lata, vel boni ominis cauſsâ; alia à Victore, vel à Victorio domino aut conditore nomen accepiſſe mihi videntur.

Helgaldus ſcribit, Rotbertum Franc. Regem ædificaviſſe præter cetera *Monaſterium S. Medardi in Vitriaco caſtro*: cujus nominis duo ſunt loca in ſilva Aurelianenſi, alterum *Vitriacum* abſolutè dictum, *Vitry*; alterum *Vitriacum ad Logias*, *Vitry aux Loges*: quorum alterum, videlicet prius ab Helgaldo haud dubiè deſignatur. Nam Rotbertus plerumque Aurelianis commorabatur. In priore iſto *Vitriaco* eſt hodieque baptiſmalis Eccleſia *S. Medardi de Vitriaco*, (*Vitry*) in Archidiaconatu Pitiverenſi, ad Monaſterium Floriacenſe pertinens. Anonymus in libri iv. de Miraculis S. Benedicti capite xxvi. ejuſdem *Vitriaci* meminit. *Unus* (inquit) *ex Fratribus* (Floriacenſibus) *Vitriacum advenit: qui locus Regalis Palatij honorificentiâ noſtris temporibus decorabatur.* Hodieque *Vitriacum* illud cellam ſeu Prioratum habet Floriaco ſubjectum. *Vitriacum* porrò aut pro *Victoriaco* dictum, & ex eo factum eſt; aut ſi ſincerum loci nomen hoc eſt, à vitro quod ibi conficiebatur, cognominatum videtur: quod & de aliis ejuſdem nominis locis dicendum atque ſentiendum.

Caſtrum Victuriacum, quod in Arvernis Aimoinum collocare ſupradiximus, in litteris Ludovici Imper. Auguſti, anno xii. imperii ejus datis, *caſtrum Victoriacum* vocatur in Chartulario Brivatenſi: quibus in litteris *Eccleſiam, ubi S. Julianus Martyr corpore requieſcit, quæ eſt conſtructa in vico Brivatenſi* (apud Arvernos) *non procul à caſtro Victoriaco, quæ à Saracenis combuſta erat, reparaſſe*, & in ea conſtituiſſe xxxiv. Canonicos Berengarius Comes Brivatenſis dicitur, *& in caſtro Victoriaco quod ſimiliter readificavit*, xx.

VICUS AD AXONAM; AD SALIAM, AD ALTEIAM.

Vicus ad Axonam, *Vic ſur Aiſne*, à ſcriptoribus noſtris recentioribus nuncupatur plerumque. Neminem tamen è veteribus qui

ejus mentionem fecerit, legere memini.

Eſt & *Vicus* in Lotharingia prope Marſallum & Medium Vicum, (*Moyenvy*) ſalinis ſuis nobilis, vulgò *Vy*, aliàs *Vic*. Vita Johannis Gorziæ Abbatis ab æquali auctore ſcripta *Salinas Vici* memorat. Poſitus eſt *Vicus* ad Saliam, *Seille*, fluvium Fortunato ante annos MLXX. celebratum: quem Johannes Gorzienſis Abbas in libro de tranſlationibus & Miraculis S. Glodeſindis Virginis, *fluvium civitati* (Mettis) *à parte orientali contiguum qui Salia dicitur*, nuncupat. Chronicon de Mettenſibus Epiſcopis à V. doctiſſimo Dacherio vulgatum, *caſtrum Ducis* Lotharingorum *apud Vicum* à Stephano Mettenſi Epiſcopo dirutum; & à Bertranno Mettenſi Antiſtite qui anno MCXXC. iniit, *apud Vicum nobilem domum ædificatam*; à Conrardo ejus ſucceſſore *in villa Vico caſtrum nobile murorum & turrium altitudine firmatum eſſe* tradit.

Alius eſt *Vicus* ad Alteiam, *Vy ſur Antie*, ſic à ſitu cognominatus, in finibus Ambianorum.

VIDULA FLU.

Flumen *Vidula*, vulgò *la Vêle*, ab Ebbone Remorum Epiſcopo, Imperatoris Ludovici Pii æquali, memoratur in carmine, quod Frodoardus Hiſtoriæ Remenſis Eccleſiæ inſeruit. Eſt & apud Frodoardum *Malliacus ſuper flumen Vidulam*, vulgò *Mailly* non procul Remis. Ejus meminit & Britto in libro IX. Philippidos.

> Auxona cui faciunt nomen vulgare moderni:
> Qui tibi cùm tollat nativum Vidola nomen,
> Ipſe ſuum perdit, Iſarâ majore receptus.

Fallitur autem Maſſonus, qui *Summam* veteri lingua Campanienſi ſeu Belgica fontem ſignificare ait, atque vicos ad capita amnium in Axonam effluentium poſitos, *ſummas* eorum amnium hoc eſt fontes dici, ut Summam Vidulæ (*Somme-Vele*) fontem eſſe *Vidulæ*; Summam Bionæ (*Somme-Bionne*) fontem eſſe Bionæ; Summam Turbæ (*Somme-Teurbe*) fontem eſſe Turbæ vel Turbidæ; Summam Suppiæ, fontem Suppiæ; Summam Sartæ, fontem Sartæ in Celtica. Quippe nomen Latinum eſt, non Belgicum Gallicumve: & *Summus-Vidula* oriens *Vidula* vocatur, *Summus-Turba*, oriens Turba: propterea quòd capite fluminis ut & cujuſlibet aliùs rei nihil eſſe in ipſo flumine, in ipſa re altius poteſt. Vici autem ad capita Vidulæ & Turbæ aliorumque amnium ſiti, meliùs dicentur *ad Summum-Vidulam*, *ad Summum-Turbam*, quàm *Summus-Vidula*, & *Summus-Turba*. Hæc cùm notaviſſem, venit in manus meas codex Remenſis Monaſterii S. Remigii, ante annos ſeptingentos ſcriptus, in quo opinionem meam confirmari gaviſus ſum. Quippe ibi *Summa-Turba* dicitur, item *ad Summa Turba*, ſive *ad Summam Turbam in pago Porcenſi*, numeraturque inter villas, de quibus decimas Monaſterium illud colligit. Ibi inquam dicitur *Summa Turba*, & *Ad Summam-Turbam*, non *Summa-Turba*; aut *Ad SummamTurbe*: uti Maſſonus exiſtimavit dici oportere. Vetus ſcriptor, qui de conſtructione Corbeiæ Novæ in Saxonia, & de tranſlatis eò B. Viti Martyris Reliquiis ante annos octingentos libellum compoſuit, *Summam Harnam* ſimiliter nuncupat vicum ad caput Harnæ vel Arnæ flu. poſitum his verbis. *Deinde tranſito fluvio cui vocabulum eſt Matrona, diverterunt in villam cui nomen Salices; poſt hoc in vicum Summa-Harna.* Hic vicus *Somme-Arne* vulgò dicitur, aliàs à Patrono loci *Saint Eſtienne d'Arne*. Eſt autem Harna vel Arna, *Arne* vulgò, unus è fluviolis in Suppiam effluentibus. Oritur *Vidula* in media Campania ad tertium milliarium ab urbe Catalaunis, apud vicum, qui ob id *Summus Vidula* vel *ad Summum Vidulam* dicitur, vulgò *Somme-Vele*: & alluit Spinam *l'Eſpine*, Novam Villam *la Neufville*, Luperciacum à Luperco nomen habens, *Louvercy*; Liberiacum *Livry*; Septem Salices *Sept-Saux*; Balliam *Baſſe*; Prunetum *Prunay*, aliàs Pruneium; Malliacum *Mailly*; vicum S. Leonardi *Saint Lienard*; Durocottorum Remorum, Pontem Archiepiſcopi, *Pont l'Archeveſque*; Campaniacum *Champigny*; Proviliacum *Proüilly* Frodoardo memoratum; Juncariam *Jonchery*; Montaniacum *Montigny*; Brolium *Brueil*; Fines vel Fimmas *Fimes*; Baſilicam *Baſoche*; ac Brainam ſive Brennacum *Braine*; ac demum Axonam ingreditur apud Condate, *Condé*; quo nomine Gallico confluentes deſignantur.

Hic fluvius *Vitula* vocatur in litteris Caroli (Calvi) Imper. Auguſti, datis Compendio Palatio III. Nonas Maii, Indictione X. anno regni in Francia XXXVII. & in ſucceſſione Lotharii VII. & Imperii II. *pontem ſuper fluvium Vitulam* memorantibus. *Vitula* vocatur & in libro Pergameno de decimis Remenſis Monaſterii S. Remigii, ante annos circiter ſeptingentos ſcripto, ubi nomina Foraneorum recenſentur. *Iſti ſunt de ſuper Vitula. Salaco debet denarios* VIII. *Ragenoldus* VIII. *Hunulfus* VIII. & alii aliæque numero LIV. Et forſitan *Vitlina* villa, cujus ibidem fit mentio, à fluvio *Vitula* cui impoſita eſt, nomen accepit, *Vitlina* contracto nomine dicta quaſi *Vitulina*. In enumeratione fluviorum Galliæ, quam in codice ante annos CCCC. ſcriptam inveni, *Vidola* dicitur, ut ſuprà à Guillelmo Brittone. *Vidola cadit in Axonam: in partibus Remis & Brana currit.*

Inter Decanatus rurales XVII. Remenſi Eccleſiæ ſubjectos, inter quos eminent Decanatus Maceriarum, Duni *Dun* ad Moſam, Caſtelli, Reiteſtis vel Retexti, Grandis Prati, Attiniaci, Sparnaci, Ruminiaci, & Moſomagi ſive Moſomi, ſextum obtinet locum Decanatus *Vidula*: quo *Vidula* nomine vicum Summum *Vidulam* dictum deſignari non dubito.

VIENNA ALLOBROGUM: ET DE ALLOBROGIBUS.

Viennam Cæſar in libro VII. Commentariorum belli Gallici, & Plancus in epiſtola ad Ciceronem commemorant. Strabo *Allobro-*

gum metropolim ad Rhodanum jacentem vocat, τὴν Οὐιένναν, τὴν τῶν Ἀλλοβρίγων μητρόπολιν κειμένην ἐπὶ τῷ Ῥοδανῷ. *Col. Vienna*, id eſt *Colonia Vienna* in veteri inſcriptione; *Col. Vienna leg.* VII. *Claudiana Pia* in nummo Neronis dicitur. Ipſe Claudius Aug. Lugduni natus in Gallia, in oratione quam habuit in Senatu de Gallis civitate donandis, *ornatiſſimam valentiſſimamque coloniam Viennenſium* appellavit hiſce verbis: *Ornatiſſima colonia valentiſſimaque Viennenſium quàm longo jam tempore Senatores huic Curiæ confert?* Forſitan jaminde à Julio Cæſare, à quo *civitate donatos quoſdam è ſemibarbaris Gallorum receptoſque in Curiam* tradit Suetonius, & Imper. Vitellium Aug. *Viennæ pro tribunali* jura reddidiſſe; tamquam Romæ ſederet in Curia: ut omittam quod Tacitus ſcribit, Valerium Aſiaticum bis Conſulem, *Viennenſem* fuiſſe. Conſul autem Romanus niſi Senator Romanus fieri utique non potuit.

Auctor eſt Velleius, Tiberium Cæſarem *res Galliarum maxima molis, accenſaſque plebis Viennenſium diſſenſiones coercitione magis quàm pœna molliſſe*: ex quo apparet eam tum urbem principatu Auguſti frequentiſſimam & validiſſimam fuiſſe. Pomponius Mella inter *urbium quas habet Gallia Narbonenſis opulentiſſimas* ponit *Viennam Allobrogum*; quam & Plinius in capite IV. libri III. *Viennam Allobrogum* exemplo Mellæ abſolutè nuncupat, non addito nomine coloniæ: ubi ſic ſcribit. *In mediterraneo colonia Arelate Sextanorum, Blitera Septumanorum, Arauſio Secundanorum in agro Cavarum, Valentia, Vienna: opida Latina Aquæ Sextiæ Salyorum*, &c. Sed forſitan apud Plinium pro *colonia* legendum eſt *coloniæ*: quod mihi veriſimilius videtur, cùm conſtet has V. urbes colonias militares exſtitiſſe. *Veterem inter Lugdunenſes Viennenſeſque diſcordiam proximum inter Neronem & Galbam bellum accenderat: multæ invicem clades, & Galba reditus Lugdunenſium in fiſcum verterat; multus contrà in Viennenſes honor: unde æmulatio & invidia, & uno amne* (Rhodano) *diſcretis connexum odium. Vetuſtas dignitaſque coloniæ* (Viennæ) *valuit, ut à Fabio* Valente Vitellianarum partium Duce ſervaretur: quemadmodum Tacitus in libro I. Hiſtor. prodidit. Vetus ergo colonia jamtum erat *Vienna*: & Paulus in libro II. de cenſibus *Lugdonenſes Gallos, item Viennenſes in Narbonenſi juris Italici eſſe* ait, item *colonos & juris Italici eſſe, ſive immunes eſſe & ſolum eorum.*

Ab Ptolemæo collocantur *Allobroges* ſeu *Allobryges*, Ἀλλόβρυγες ſub Medulis ab oriente Rhodani, quorum urbs inſignis & mediterranea *Vienna*, ὧν ἐπίσημος πόλις ἢ μεσόγειος Οὐιέννα: Martiali *pulcra Vienna*, & *Vitifera Vienna* cognominata; Auſonio ut Mellæ *opulenta Vienna*: cujus in urbis etymologia Stephanus atque Ado nugantur. Et Stephanus quidem ait *Viennam* vel *Biennum* (Βίεννον) urbem fuiſſe Cretæ, cujus incolas ariditate ac ſterilitate ſoli compulſos, navibus Rhodanum flumen Galliæ intraſſe, & ad ejus ripam in locis paluſtribus urbem condidiſſe, *Viennamque* appellaviſſe, cùm *Vianna* virgo una de ſuis hiatu terræ ibi hauſta eſſet: *Viennæ* ethnicon eſſe *Viennenum*. (Βιεννεῦσι) Quæ fabuloſa eſſe vel ex eo uno intelligitur, quòd nec Plinius nec Ptolemæus, nec quiſquam alius ullam in Creta urbem Viennum agnoſcat.

Ab Euſebio in Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libri V. capite I. *Galliæ metropoles inſignes, & ceteris circa urbibus eminentiores vocantur Lugdunum & Vienna*; Γαλλίας μητροπόλεις ἐπίσημοι, καὶ παρὰ τὰς ἄλλας τῶν αὐτόθι διαφέρουσαι βεβοημέναι Λούγδουνος καὶ Βιέννη. Scilicet altera Lugdunenſis Galliæ vel Celticæ caput & mater urbium erat, altera provinciæ Viennenſis.

Provincia Viennenſis (inquit Ammianus in libro XV.) *civitatum exſultat decore multarum: quibus potiores ſunt Vienna, & Arelate, & Valentia, & Maſſilia.* Itinerarium Æthici *à Mediolano per Alpes Graias Viennam* iter *millium paſſuum* CCCVIII. ſtatuit; item *à Mediolano per Alpes Cottias Viennam* M.P. CCCCIX. & *Viennam* Urſolis & Lugduno mediam interponit; ab *Urſolis* XXVI. *ab urbe Lugduno* M.P. XXIII. *aut per compendium* M.P. XVI. diſtantem. Hoc eſt, quod Seneca in Apocolocynthoſi ſcribit, Lugdunum à *Vienna* ſextodecimo lapide abeſſe. Tabula Peutingeriana inter *Lugdunum* & *Figlinas Viennam* collocat, quam corruptè *Vigennam* vocat. Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ veteres & circa Honorii principatum factæ provinciam Viennenſem commemorant, & in ea civitates XIII. nonnullæ XIV. quarum ſit *metropolis civitas Viennenſium*. Nomen vetus hodieque retinet, vocaturque *Vienne*, nunc, ut olim, provinciæ Viennenſis caput ſed admodum imminutæ, caput & Dalfinatus.

Portam Viennenſium Herculiam vocari juſſere Diocletianus Jovius & Maximianus Herculius AA. à poſterioris cognomine. Fuit & *Flamen Viennæ* non unus, & *Flaminica Vienn.* non una, quemadmodum priſci lapides docent. Ex Notitia Imperii diſcimus, *Procuratorem linificii Biennenſis Galliarum*, id eſt *Viennenſis* fuiſſe: & *in provincia Gallia Ripenſi*, aliàs *Riparienſi*, hoc eſt in *provincia Viennenſi* ad ripam Rhodani ſiniſtram jacente, *Præfectum claſſis fluminis Rhodani Viennæ, ſive Arelati*, id eſt modò Viennæ modò Areloti conſtitiſſe: à qua claſſe *corpus nautarum Rhodanicorum* in veteri inſcriptione apud Goltzium, & in altera Hadriani Aug. apud Panuinium *Rhodanici* nomen acceperunt.

Agon Gymnicus ex teſtamento cujuſdam *Viennæ* celebrari ſolitus dicitur à Plinio in libro IV. epiſtolarum: quem agona Trebonius Rufinus in Duumviratu ſuo, & poſtea de conſilii ſententia Traianus Aug. ſuſtulerint, quòd mores *Viennenſium* inficeret.

Inventa vitis, per ſe picem reſipiens in vino, Viennenſem agrum nobilitavit, Arverno Sequanoque & Helvico generibus non pridem illuſtrata: Viennenſeſque ſoli picata ſua pluris permutâſſe, ſed inter ſeſe amore patriæ creduntur, idque vinum frigidius reliquis exiſtimatur, ut Plinius in libri XIV. capite I. & IV. prodidit. Martialis in libro XIII. qui Xenia

inſcribitur, in *picatum vinum de vitifera Vienna veniens* diſtichon compoſuit.

Heic Onufrium Panuinium ſatis mirari non poſſum, qui in *Gallia Lugdunenſi Viennam coloniam* ponat; neque hoc errore contentus, duas de una urbes coloniaſque faciat, ac coloniam *Viennam Allobrogum* in Narbonenſi Gallia iterum, loco ſcilicet ſuo reponat.

Quem ſuprà Plinius in libri XIV. capite I. *Viennenſem agrum*; Geſta Francorum in capite XXI. *pagum Viennenſem* vocant, & *in pago Viennenſe, in loco Viſorontia* inter Chlodomerem & Godomarum pugnatum eſſe referunt, ibique Chlodomerem Francorum Regem à Burgundionibus interfectum. Noſtri *le Viennois* nuncupant.

Vienna Regis Archelai, Herodis magni filii ſucceſſoriſque relegatione, Juliani Cæſaris Conſulatum ineuntis proceſſu ac ludis, Valentiniani junioris Aug. ab Arbogaſte Comite extincti, Conſtantis Aug. vel potiùs tyranni ab Gerontio interfecti, & Godegiſili Burgundiæ Tetrarchæ à Gundobado fratre obſeſſi expugnatique nece nobilis, poſt ſublatum in Gallia Imperium Romanum, caput Regni & ſedes Regum Burgundionum fuit; deinde Francorum ditioni ſubjecta eſt.

Habuit autem Amphitheatrum ſicuti proxima ei colonia Lugdunum: qua de re dubitare non debemus, cùm pleræque Galliæ urbes etiam mediocres, videlicet Lutecia, Meldi, Sueſſionæ, eo ornamento non caruerint. Habuit & *Palatium* ſuum, ſedem Imperatorum ac Regum, Sulpicio Alexandro in libro IV. Hiſtoriæ memoratum, ac forſitan etiam duo. Nam quum Gregorius in capite XXXIV. libri II. Hiſt. Franc. Viennæ *Palatium Regale intramuranum* cæleſti igne incenſum ait, videtur indicare alterum Palatium Viennæ extra muros fuiſſe. Habuit eadem urbs *aquæductum*, cujus ſpiraculum intra muros magno lapide claudebatur; & *Eccleſiam hæreticorum* ſaltem unam, regnantibus ibi Burgundionibus Arianis; ac *turrim* quinque millium hominum capacem, ut Gregorius in libri II. capite XXXIII. docet. Urbis ſitum Theodulfus enarrat hoc diſticho.

Saxoſa petimus conſtructam in valle Viennam:
Quam ſcopuli inde artant, hinc premit amnis hians.

Palatium *Viennæ* intramuranum Alcimus Avitus Viennenſis Epiſcopus, in Homilia de Rogationibus, vocat *arcem*, necnon *ædem publicam in civitatis vertice ſublimem & immenſè faſtigiatam*.

Erant cùm aliis in urbibus Galliarum, tum maximè *Viennæ* viri non pauci nobiles ac illuſtres, natione Galli, quos quia Senatorio genere orti erant, & ſtante Occidentis Imperio majores ſuos Senatores Romanos habuerant, *Senatores* appellabant. *Colonia* quidem *Viennenſium* longo antè tempore quàm Claudius Druſi filius imperaret, *Senatores Curiæ Romanæ conferre* cœperat: & auctor eſt Avitus Viennenſis Epiſcopus, Senator Romanus, Mametto Antiſtite, ſeu Severi & Antherii principatu *Senatum Viennenſem magno illuſtrium numero floruiſſe*, à quo *Vienna urbs Senatoria* cognominata ſit; (ſicuti colonia Equeſtris ab Equitibus Rom. videtur dicta ad Lemanum lacum, quem Rhodanus Viennenſis fluvius ingreditur.) Hi Senatores nobilitate ſua Romanoque nomine inflati, tamquam ſoli ſaperent, ſoli docti, diſerti, generoſique eſſent, ceteros omnes contemnebant. Quare Domnulus à Chlothario majore *Viennenſium* Epiſcopus deſignatus, per Proceres qui aderant Regem rogavit, ne ſineret hominem ſimplicem *Viennæ inter Senatores Sophiſticos ac judices philoſophicos* verſari atque vexari, ut Gregorius ſcribit, & ut in libro Rerum Francicarum XI. obſervavimus. Quia & apud eumdem Gregorium in libri Hiſtoriæ II. capite XXXIII. dicitur Gundobadus Burgundionum Rex captâ *Viennâ interfeciſſe Senatores, Burgundioneſque qui Godegiſilo* fratri ſuo *conſenſerant. Senatores* iſti erant *Viennenſes* ſaltem maxima ex parte, Mario in Chronico *Seniores* dicti, cujus hæc ſunt verba: *Patricio & Hypatio Coſſ. Eo anno Gundobagaudus captâ civitate* (Vienna) *fratrem ſuum interfecit, pluresque Seniores, ac Burgundiones qui cum ipſo ſenſerant, morte damnavit.* Teſtamentum Ephibii vel Euphibii Abbatis legi, *anno II. Glorioſi Childeberti Regis* factum atque ſubſcriptum, de villa Geneciaco Eccleſiæ *Viennenſi* donata, quod Childebertus Rex regni ſui anno III. confirmavit: in quo ſæpe *Senatus Viennenſis*, & *Senatorum Viennenſium* ceu judicum loci fit mentio. *Teſtamentum ſororis noſtræ* (Rufinæ) *judicante Senatu, in Vienna civitate reſidente, huic teſtamento noſtro inſeruimus.* Item. *Ego ſoror tua Rufina teſtamentum hoc meum ſubſcribo, & ſacro Senatui, ut firmum maneat, roborare manibus rogavi cuncta hæc quæ ſuperiùs comprehenſa ſunt; ſuper quibus etiam Edictum Regium fieri petivi.* Item. *Quicumque contra hoc teſtamentum venerit, Senatorio judicio ad libras* CCCC. *auri in publico reddere compellatur.* Item. *Hoc teſtamentum ex Geneciaco villa, & de III. portione alia ſororis meæ, ego Ephibius Abba manu propria roboravi, & Senatoribus univerſis ut hoc ipſum roborarent jure petivi & rogavi. Senator Eulogius parens SS.* (id eſt ſubſcripſi) *Rufina ſoror SS. Pelagius Senator, Leubinus Senator, Caracteius Senator, Arginus Senator, Silvanus Senator, Gregorius Senator, Artemius Senator, Eulogius Senator. Syagrius Senator, Rufus Senator, Ergerius Senator, Spectabilis Senator, Macrinus Senator. Sic & ceteri. Simplicius Quæſtor, Senator Notarius Libellarius publicus dictavi, ſubſcripſi anno II. Glorioſi Childeberti Regis: Reverendo patre Caeoldo Sanctæ Dei Viennenſi Eccleſiæ præſidente, anno Chriſti* DCXCVI.

Vienna olim ſub Merouei Caroliqne poſteris Moneta fuit, in qua nummi percutiebantur. Apud Botarottium in quodam nummo legitur *Vienna fit*; in alio *Vienna*.

Narbonenſis Gallia una è IV. Galliæ provinciis olim fuit, *Viennamque* præter ceteras urbes ſibi ſubjectam habuit: poſtea in V. provincias paullatim diſtracta eſt, nimirum in Narbonenſem I. Narbonenſem II. *Viennenſem*, Alpes Penninas & Graias, atque Alpes Maritimas: *Viennenſi provinciæ* XIII. aut

etiam XIV. civitates, quot nulli alii Galliarum provinciæ ſunt attributæ, in primis Arelatum, Avenio, & Maſſilia. *Provincia Viennenſis* in Concilio Arelatenſi Voluſiano & Anniano Coſſ. anno Chriſti CCCXIV. primùm fieri mentionem animadverto, in quo *civitas Viennenſis, civitas Arelatenſium, civitas Maſſilienſis, civitas Vaſenſis*, & *civitas Arauſicorum provincia Viennenſi* adſcribuntur: itaut Conſtantino Maximo Aug. Imperante, aut etiam ante principatum ejus *provincia Viennenſis* citra dubitationem fuerit. Sed paullo poſt creſcente Arelati dignitate ac ſplendore, *provincia Viennenſis* in duas diviſa eſt, in *provinciam Viennenſem*, & provinciam Arelatenſem. *Viennenſi provincia* ac Metropoli Valentia, Darantaſia, ſi non antea, ſaltem poſt metropolis, Geneva, & Gratianopolis ſolæ; Arelatenſi reliquæ X. provinciæ quondam Viennenſis civitates ab Leone PP. primùm, deinde à Symmacho ſunt adſcriptæ: cùm jam Imperante Honorio Arelatenſi Metropolitano Epiſcopo in *Viennenſi* & utraque Narbonenſi Epiſcopos ordinandi poteſtas facta eſſet. Ea ratione *Vienna*, quæ priùs extiterat urbs Galliæ Narbonenſis, deinde caput provinciæ cognominis atque XIII. civitatum, vix IV. ſub ſe urbes habuit. Quamquam poſtea (ut ex Roberti Chronico diſcimus) octo civitatum ſuffragatione gaviſa eſt, nimirum Genevæ, Gratianopolis, Albæ ſeu Vivarii, Deæ, Valentiæ, Carpentoratis, Tricaſtinorum, & Mauriennæ: de quibus duas urbes Tricaſtinorum & Carpentoratenſium detractas eſſe Gervaſius Tilleberienſis & quædam eo recentiores Notitiæ teſtantur: itaut *Viennæ* parerent, quemadmodum hodieque parent, Valentia, Vivarium, Dea, Gratianopolis, Maurienna, Geneva; Arelato autem Maſſilia, Avenio, Arauſio, Vaſio, Cabellio, Tricaſtini, Carpentorate, Telo: quarum numero urbes ditionis ſuæ Avenionem, Vaſionem, Cabellionem, & Carpentorate Epiſcopi Romani exemere, Avenione in Archiepiſcopatum evecto. Hæc cùm ita ſint, miror admodum *Viennenſem*, unum è VI. Burgũdiæ Archiepiſcopis, *Regnique* ejus olim *Cancellarium*, ſedem ſuam in nummorum inſcriptionibus *maximam ſedem Galliarum* (ut ait Gervaſius) vocaviſſe, & ſe *Primatem Primatum* etiamnum dicere. Quippe maximæ ſedes Galliarum ſunt, atque ita appellari poſſunt Lugdunum caput Galliæ Celticæ, IV. provinciis Lugdunenſibus præſidens; Auguſta Trevirorum, quæ duabus Belgicis præeſt, Mogontiacum civitas, quæ Germaniæ I. & II. civitas Biturigum, quæ provinciis Aquitaniæ I. ac II. & Novempopulanæ; Narbo urbs, quæ Narbonenſi I. & II. atque etiam ipſi Viennenſi, & Alpibus Graiis, Penninis, ac Maritimis olim præfuit. *Vienna ſedes maxima Galliarum* nuncupari non poteſt, nec umquam potuit, cùm Narboni metropoli totius provinciæ Narbonenſis, ex qua detracta eſt Viennenſis provincia, ſubeſſe debuerit. Præterea *Viennenſis* Epiſcopus metropolitanus nullum ſub ſe Archiepiſcopum, nedum Primatem umquam habuit, nullum nunc habet. Nam Darantaſia metropoleos honore nondum donata, aut certè tum eo privata per annos minùs centum ei ſubjacuit; Arelatum verò ſimul ac Archiepiſcopatus ſive metropolis evaſit, ab *Vienna* diſſultum eſt, & propriæ novæque provinciæ caput conſtitutum; & Avenio ante pauca ſæcula in metropolim provectus eſt. Quare cùm Primas ſeu Patriarcha ſit, qui aliquem Archiepiſcopum ſeu provinciæ alterius metropolitam ſibi ſubjectum habet, ut Lugdunenſis, Bituricenſis ac ſimiles: *Viennenſis* Epiſcopus, *Metropolitanus Epiſcopus* ſive *Archiepiſcopus* dici poteſt; *Primas* dici non poteſt, *Primas Primatum* multò minùs. Ex his intelligitur graviter errare Simlerum, Merulam, Joſephum Scaligerum, Maſſonium, & recentiores Geographos, qui pro una Viennenſes prov. quinque, ac nonnumquam octo nobis obtrudunt, Iſidorum Mercatorem aut Peccatorem ſecuti, futilem ſcriptorem, qui veterum Epiſcoporum Romanorum epiſtolas ſuppoſiticias edidit. Et Scaliger quidem poſt Simlerum & Merulam profert Notitiam Galliæ, quam ope veterum codicum emendatam ait, ego mendoſiſſimam ac recentem judico, cùm ſit Iſidori: in qua *provincia Viennenſis prima*, & pro Narbonenſi I. *provincia Viennenſis* II. pro Narbonenſi II. *provincia Viennenſis* III. pro Alpibus Maritimis *provincia Viennenſis* IV. & pro Alpibus Graiis & Penninis *provincia Viennenſis* V. ponuntur & vocantur: tum etiam ſi Deo placet, provincia Aquitania I. *ſexta Viennenſis*; prov. Aquitania II. *Viennenſis* VII. provincia Aquitania III. Novempopulana, *octava Viennenſis* inſcribuntur nuncupanturque. Idem addit, Cæſarem Auguſtum in XVII. provincias Galliam diviſiſſe: quod refutatione non eget, cùm IV. in partes Auguſtus Cæſar totam Galliam diviſerit, ut Strabo in libro IV. tradidit. Verùm paullo modeſtior Scaligero Maſſonus in Notitia Epiſcopatuum Franciæ ait, Iſidorum iſtum, quem ſequitur, & Hiſpalenſem Epiſcopum fuiſſe falsò putat, *Viennenſes* V. feciſſe, nimirum *provinciam Viennenſem*, & ex Narbonenſi I. *Viennenſem* II. ex Narbonenſi II. *Viennenſem* III. ex Alpibus Maritimis IV. *Viennenſem*, ex Alpibus Graiis & Penninis *quintam Viennenſem*: uti apud Simlerum & Merulam V. *Viennenſes*, non autem octo numerantur. Quod ſi Iſidorus iſte primus omnium fecit, peſſimè omnium fecit: cùm neque ante Conſtantinum Maximum Aug. *provinciæ Viennenſis* mentio ulla fiat uſpiam, nec veteres plus unâ *provinciâ Viennenſi* umquam agnoverint. Certè conſtat *provinciam Viennenſem* partem fuiſſe Galliæ Narbonenſis, ab eaque avulſam. Abſurdum autem eſſet, abolito nomine veteri provinciæ Narbonenſis, pro provincia Narbonenſi I. & provincia Narbonenſi ſecunda *Viennenſem ſecundam* & *tertiam* nobis obtrudere, & appellationem Narbonis ſupprimere, quæ urbs jaminde ab Auguſto Cæſare caput quartæ Galliarum partis extitit, *Viennam* ei priùs diuque ſubjectam ubique præferendo. Idem de Alpibus Graiis & Penninis, & de Alpibus Maritimis ſentiendũ: quæ cùm Narbonenſi Galliæ adjunctæ attributæque ſint, in *Viennenſis quarta* & *quinta*

vocabulum concedere non debuerunt. Iſidorum nihilominùs non modò Simierus & Merula, Scaliger atque Maſſonus, ſed etiam Ortelius ac Samſon in ſuis tabulis, aliique docti Geographi cæcum ducem clauſis oculis ſequi non erubuerunt, & pro veteri ac proba Galliarum diviſione recentiorem ac malam nobis ingerere ſuſtinuerunt. Ortelii verba ſunt de provincia Gallia Ripenſi vel Riparienſi, ad ripas Rhodani, Iſaræ & Druentiæ poſita. *Gallia Riparenſis in libro Notitia: hæc aliis Viennenſis* I. *vocatur.* Item: *Gallia Viennenſis Ammiano in libro* XV. *Hanc in* V. *provincias diſtinguit liber Notitia provinciarum Imperii Rom.* Hoc de Notitia falsò dictum. Ex eo tamen intelligitur, Ortelium cum Maſſono & aliis *Viennenſem* in V. ejus nominis provincias diviſiſſe.

A *Vienna* Dalfini nomen accepere, qui ſe *Dalfinos Viennenſes & Albonis Comites* vocavere, *Daufins de Viennois & Comtes d'Albon.* Eſt autem Albo caſtellum montanum, non longè à Rhodano inter *Viennam* & Tegnam poſitum. Dalfinus verò proprium viri nomen fuit *Vienna* dominantis, quod ad poſteros *Vienna* finitimarumque urbium dominos tranſiit, & ad ipſam regionem, quæ *Dalfinatus* ab eis dicta eſt. Alii *Delphinos Viennenſes*, & *Delphinatum* corruptè pro *Dalfinus* & *Dalfinatus* appellitant, atque à *delphino* piſce nomen accepiſſe ſibi perſuadent. Quin & *Dalfini Viennenſes* pictum in ſcuto delphinum tulere, tamquam *Dalfinatus* totius, aut ſaltem *Vienna* ejus capitis inſigne. Certè Avitus *Viennenſis* Epiſcopus in epiſtola ad Apollinarem Epiſcopum ſcribens, qualem ſibi anulum ſignatorium fieri velit, ante annos MCL. vocat *anulum ferreum, concurrentibus in ſe delphinulis concludendum, cujus anuli medium delphinorum cauda tenebunt.* Quæ mea de Aviti anuli duobus *delphinulis* obſervatio etſi quibuſdam viris doctis & amicis noſtris admodum placuit; tamen *Dalfinos* noſtros *Viennenſes* deſtruere poſſe mihi non videtur, aut in eorum locum *Delphinos Viennenſes* ſubſtituere. Cauſa errandi Latinis ſcriptoribus, & pro *Dalfino* vel *Dalphino Delphinum* ponendi fuit, quòd Noſtri cum *Dalfinum*, tum etiam *delphinum* piſcem linguâ patriâ *Daufin* nuncupant.

Vienna portam Lugdunenſem fuiſſe, quæ Rhodanum & Lugdunum trans illud flumen poſitum ſpectabat, docet Paſſio vetus S. Ferreoli Tribuni, quæ in Bibliotheca Victorina ſervatur: in qua de Ferreolo carcere *Viennenſi* divinitus liberato, ac *Viennam* egrediente hæc invenio. *Egreſſus portam Lugdunenſem, ac capite defixus, conſilium conſtituit quærere ſecum, cui potiſſimum via inſiſteret. Tranſmiſſo Rhodano, ingreſſus aggerem publicum,* &c. *Mons* ibidem fuit nomine *Quirinalis*, ut Romæ. *Elegit Theuderius (S. Cher) in monte Quirinali locum & Baſilicam B. Martyris Laurentii*: ut in Vita S. Theuderii Abbatis *Vienna* reperitur. *Mons Quiriacus* aliis dicitur. Litteræ Bernuini Viennenſis ſedis Archiepiſcopi *Eccleſiam, quæ eſt in honore S. Blandinæ Mart. dedicata, atque in monte Quiriaco ſita, pro vetuſtate & pro obſidione civitatis pæne deſtructam*, Ratberto Preſbytero & Abbati reficiendi atque reparandi dant facultatem.

Scholiaſtes Juvenalis ait *Allobroges Gallos ideò ſic dictos eſſe, quoniam broge Galli agrum dicunt, allo aliud; & ipſi ex alio loco tranſlati ſint.* Qui ſanè fallitur. Nam *broge* quidem vel *brog* olim Gallis pagus fuit aut regio, ut & nunc *bro* Anglis, ac utriſque Britannis: atque ob id *Venetiam à Vuaroco Venetorum Comite* quem *Vuerocum & Guerecum* appellat, *Bro-guerec Britannico nomine compoſito dictam* ait auctor libri de Vita Gildæ Sapientis: ſed *allo* aliud Græcâ linguâ ſignificat, Gallicâ non item. Præterea *Allobroges* ſedes mutaviſſe, aut ex alia regione in eum agrum quem obtinent à quoquam traductos eſſe, nemo umquam tradidit. Interpres vetus Horatii ad eum verſum

> Rebuſque dubiis infidelis Allobrox,

Allobroges ſcribit *eſſe Gallos, rufos & Sequanicos dictos, incolentes tractum Alpium à Veſontio in Germaniam*: & Iſidorus in Gloſſis *Allobroga Gallum rufum* interpretatur. Quæ amborum interpretatio diſticho Juvenalis hocce Satiræ VII. malè intellecto nititur.

> Sed Rufum, atque alios cædit ſua quemque juventus:
> Rufum, quem toties Ciceronem Allobroga dixit.

Q. Curtius Rufus Rhetor erat inſignis Romæ, natus *Vienna Allobrogum* in Gallia, & ob eloquentiam ac patriam ſuam ſæpè à diſcipulis *Cicero Allobrox* dictus; *Gallus & valdè diſertus* veteri Scholiaſtæ Juvenalis nuncupatus: & ſi qua Achilli Statio fides habetur, inter XI. Rhetores claros, quorum vitæ ab Suetonio ſcriptæ perierunt, in II. codicibus priſcis tertius nominatus, ſcriptor Vitæ Alexandri Magni. Ait igitur Juvenalis, Rufum hunc præter ceteros, quo declamante ſæpiſſime diſcipuli admiratione impulſi & multis vicibus acclamaverint, *Cicero Allobrox, Cicero Allobrox*, nihilominùs ab eiſdem per contemtum & petulantiam ſingularem nonnumquam cædi. Quod cùm non intelligerent ſupradicti auctores duo, *Allobroges, Gallos rufos*; *Allobroga Gallum rufum* ſunt interpretati. Omitto *Allobroges* differre à Sequanis, quos *Sequanicos* Horatii Scholiaſtes malè pro *Sequanis* nuncupat: nec tractum montium à Veſontione uſque ad Germaniam eos incolere, quæ ſunt Sequanorum & Helvetiorum ſedes, ſed inter lacum Lemanum & Rhodanum ac Iſaram habitare. Bochartus in libro I. de Coloniis Phœnicum, apud utroſque Britannos, inſulares & ciſmarinos *bro* regionem; *bel* aut *vbel* excelſum ſignificare tradit: inde ab Gallis dictos eſſe *Allobroges*, qui montanam Sapaudiæ regionem obtinerent: quæ conjectura mihi non arridet. Nam *bel* aut *vbel* ab *allo* multum diſtat. Nec feliciùs Cluverius putat, à pontibus multarum urbium, quos Rhodano & Iſaræ fluminibus impoſitos haberent, *Allobroges quaſi Albrugger* aut *Albrugger* eſſe nuncupatos.

Cicero in oratione III. in Catilinam de *Allobrogum Senatu & populo* refert, *homines Gallos ex civitate malè pacata, quæ gens una*

veſtat, quæ populo Rom. bellum facere & poſſe & non nolle videatur, ſpem imperii & rerum ampliſſimarum ultro ſibi à Patriciis hominibus oblatam neglexiſſe: nimirum *ſpem imperii* totius provinciæ Galliæ vel Narbonenſis: ſicut apud Cæſarem in libro VII. Vercingetorix *Allobrogum principibus pecunias, civitati autem imperium totius Provinciæ pollicitus eſt*: ex quibus intelligitur Gentem potentiſſimam fuiſſe. Hi Polybio, Plutarcho, Appiano ac Dioni *Allobriges*, Ἀλλόβριγες; Ptolemæo & Apollodoro ac Stephano *Allobryges* Ἀλλόβρυγες, ἔθνος δυνατώτατον Γαλατικόν; Straboni, Characi, atque omnibus etiam ſcriptoribus Latinis *Allobroges* dicuntur. Livius libro XXI. poſtquàm deſcripſit Inſulam ſeu agri aliquantulum, quod amplexi Iſara Rhodanuſque confluunt in unum; [illegible] *accolere prope Allobroges, Gentem jam inde nulla Gallica Gente opibus aut famâ inferiorem*. Quintus Fabius Maximus Conſul *apud flu. Iſaram prælio commiſſo adverſus Allobrogum Regem Arvernorumque Gentes, ad VI. Idus Auguſti CXXX. millia perduellium cecidit*, ob id *Allobrogicus* cognominatus, ut ait Plinius in libri VII. capite L. Quamquam Bituitum Arvernorum Regem tum captum reperio; de *Allobrogum* Rege nullam fieri mentionem invenio. *Cohors* VIII. *Allobrogum* in veteri inſcriptione apud Goltzium memoratur.

Quidam recentiores Geographi aiunt *Allobrogum* olim fuiſſe, Quantumcumque terrarum Diœceſibus Viennenſi, Genevenſi, Gratianopolitana ac Maurienneſi continetur: ex quibus *Viennenſis* Diœceſis maxima ex parte in Dalfinatu eſt, aliquantulum in pago Vivarienſi; Gratianopolitanæ parœciæ major portio in Dalfinatu, minor in Sapaudia; Genevenſis Diœceſis ferè tota in Sapaudia, Maurienneſis tota in eadem regione conſiſtit. Ut appareat *Allobroges* ex æquo in Dalfinatu & in Sapaudia ſedes habuiſſe, nec aut Sapaudiæ ſoli, aut uni Dalfinatui eos attribui oportere. Huic ſententiæ facilè acceſſerim, quòd conſtat *Viennam*, Genevam, & Cularonem vel Gratianopolim *Allobrogum* urbes fuiſſe: de Maurienna tamen idem non conſtat. De Ventia & Solone opidis *Allobrogum* in *Sollimenſium* civitate egimus.

Allobroges trans Rhodanum vicos poſſeſſioneſque habuiſſe, Cæſar in libro I. de bello Gallico ſcribit: quod verum eſſe vel ex eo apparet, quòd hodieque pars aliqua Diœceſeos *Viennenſis* in Helviorum ſeu Vivarienſium finibus jacet, quos Vivarienſes trans Rhodanum eſſe, omnes ſciunt.

Eſt alia in Arduenna ſilva inque pago Lucilіburgenſi, olim Eifliæ regiunculæ attributa, *Vienna* caput Comitatûs. A Jacobo de Aveſnis *G. Comes de Vienna in Ardenna* memoratur; ab Alberico in anno MCCXXVIII *Sibylia Comitiſſa Viennæ, quæ eſt in Diœceſi Trevirenſi*. Hæc *Vienna Trevirica* nuncupatur à Brouvero: vulgò dicitur *Vianden*, Noſtris *Viane*, & eſt medio loco poſita inter Auguſtam Trevirorum, ac *Rupem in Arduenna*, (*la Roche*) opidum Comitivæ titulo etiam inſigne. Eſt & *Vienna*, *Viana* Jacobo Aveſnenſi nuncupata prope Gerardimontem in Flandria, (*Gerarmont*) dominii nomen ferens: *Vienna* quoque, *Vianen* vulgò dicta in Diœceſi Trajectenſi apud Batavos. *Viennam caſtrum Henrici Comitis de Grandi Prato* vocat Laurentius in Geſtis Epiſcoporum Virdunenſium ante annos DXXX. quod caſtrum in Campania Gallica ad Axonam, *Vienne le Chaſteau* dicitur, eſtque proximum Viennæ Villæ, *Vienne la Ville*.

Auctor eſt Reginonis Chronici Continuator anno DCCCCLXVIII. *Fridericum apud Ingelheim in præſentia Regis* (Ottonis eo nomine primi) *Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum ordinatum* eſſe. Sed & Radulfus de Diceto memoriæ tradit, *anno* MCLXXVIII. *Fredericum Imperatorem Romanum, apud Arelatum quartam Imperii ſui ſedem, in Aſſumtione B. Virginis coronatum eſſe*, & eodem anno *per Viennenſem Archiepiſcopum capiti ſuo feciſſe imponi diadema Burgundiæ die natali B. Virginis in urbe Vienna*: & anno MCXXCVI. VI. Kal. Febr. à *Viennenſi Archiepiſcopo Fredericum Imperatorem Romanum Mediolani coronatum fuiſſe*. Hugo *Viennenſis* Archiepiſcopus à Friderico Rom. Imperatore anno MCLIII. privilegium Eccleſiæ ſuæ impetravit. Legi litteras ejus ipſius Frederici Imper. Rom. & ſemper Auguſti, datas *Arboſii* (*Arbois*) anno MCLVII. quibus Heraclium Lugdunenſem Archiepiſcopum & Primatem, *ſacri Palatii Burgundiæ glorioſiſſimum Exarchum, & ſummum conſilii ſui Principem* facit: præterea eidem ſucceſſoribuſque ejus *totum corpus civitatis Lugdunenſis, & omnia jura Regalia per univerſum Archiepiſcopatũ citra Ararim intra & extra civitatem* donat atque concedit. Denique Hainricus in Annalium ſuorum annis MCCCXLV. & XLVI. *Delfinum Viennenſem* nuncium ſeu legatum Imperatoris ad Papam fuiſſe ſcribit. Nimirum anno MXXXII. Rodulfus Ignavus Burgundiæ Rex regia inſignia Imperatori Conrado moriens miſit, Regnumque ei ſuum reliquit. Ex quo tempore *Lugdunum*, *Viennam* quoque & Arelatum, (quæ tamen ambæ urbes poſterioris hujuſce Burgũdiæ Regni non fuerant) omnia demum inter Rhodanum flu. & Alpes, nimirum cum Sapaudia *Dalfinatum* & *Provinciam* ſub nomine *Burgundiæ* aut *Regni Arelatenſis* Imperatores Germani ſibi vindicaverunt; & *Arelatum* pro *capite Regni Burgundiæ* vel Regni Arelatenſis, *Viennenſem Archiepiſcopum* pro *Burgundiæ Regni Cancellario* habuerunt.

Legi litteras Bernuini Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopi, quibus *villam Sancti Mauricii*, ſeu majoris Eccleſiæ civitatis ſuæ, nomine *Ebaonem* Teutberto nobiliſſimo Comiti concedit jure beneficiario poſſidendam. *At ego vice verſâ jure beneficiario eamdem villam Mantulam cum omnibus ſuis adjacentiis ei refundo & condono; & inſuper aliam villam Eccleſiæ noſtræ nomine Ebaonem, ſive Tertilianum, cum omnibus quæ ad eam pertinent, ejus dominationi concedo.* Hic *Ebao* vicus ante annos ferè DCCC. ibi memoratus, eſt ut exiſtimo *Epao*, qui Concilio *Epaonenſi* nomen dedit. Huic Concilio Avitus Viennenſis Epiſcopus interfuit, & ſubſcripſit XVII. *Kalendas Octobr. Agapeto V. C. Conſule Epaone*. anno

Chriſti DXVII. quem locum olim *Evian* ad lacum Lemanum eſſe exiſtimavi. Sed poſtea didici *Evianum* locum ignobilem ac minimè antiquum eſſe. Erravit in *Epaone* Maſſonus, qui *Epaunum* pro *Epaone* vocet, & in *Agaunum* mutandum eſſe arbitretur: itaut pro *Epaonenſi* Concilio *Agaunenſe* nobis obtrudat.

VILLA AD FRANCOS.

Aimoinus, in libro de Vita Abbonis Floriacenſis Abbatis, ejus loci meminit hiſce verbis. *Eadem die qua de caſtro Albaterra promovimus, tranſmeato Ella flumine, in villa quæ ad Francos dicitur, hoſpitati ſumus. Inde ad Dornonia fluenta ventum. Villa ad Francos* nunc dicitur Villa Francica vel Villa Franca, *Ville-Franche*, eſtque poſita inter flumina Ellam (*Ile*) & Dornoniam vel Duranium, *la Dordogne*.

VILLA MAGNA.

Villa Magna Monaſterium eſt Abbatiale, clarum ac vetus in Septimania, quod cum vico in quo ſitum eſt, priſcum nomen ſervat: dicitur enim *Valmaigne*.

VILLA MARTIA.

Legi Geſta Epiſcoporum Trevirenſium MS. ad annum MCXXII. deducta, in quibus hæc reperio. *Bertulfus Treberorum Epiſcopus Villam quæ Martia dicitur, de manu Regia comparavit. Martia Villa*, vel *Villa Martia* à Marte cognominata, eſt omnino *Marville* in Ducatu Luciliburgenſi. Mars Noſtris *Mar* dicitur: inde Villa Martis *Marville*; dies Martis *Mardy*. Poſita eſt ad amnem Viſinum, *Vezin*, in Charem influere properantem. Alia eſt, ut puto, *Villa Martis*, ſita *in pago Moſellenſi*: quæ in veteribus tabulis memoratur, ac Mettenſi Monaſterio S. Arnulfi donata eſſe dicitur à Dambele ſeu Chilperico Francorum Rege.

VILLARIACUM.

Apud *Villariacum* locum in agro Tricaſſino Chrothildem in matrimonium accepiſſe dicitur Chlodoveus Francorum Rex: ſi Fredegario & Aimoino fidem habemus. Hic vicus aut villa nunc vocatur *Villers* non procul ab Arciaca & Tricaſſis. Alii malunt eſſe *Villeri*, locum ab Auguſtobona Tricaſſium priore remotiorem, Barro ad Albam propinquum.

VIMINA FLU.

Aucum vel Auciam fluvium qui nunc *Briſella* dicitur, alio vocabulo *Viminam* ante annos octingentos appellatum eſſe, & ab eo pagum *Vimnau* nomen accepiſſe mihi videri, ſcripſi in fluminibus Caletorum: quod docent verba hæc in Chronici Fontanellenſis capite VII. *in pago Vimnau ſuper fluvio Vimina, in loco qui vocatur Vimolas*. Ubi alii legunt VI. *Molas*, id eſt *Sex Molas*; alii IV. *molas*, id eſt Quatuor Molas. Mabilio vir doctus & diligens *Viminam* hunc accipit pro amniculo, qui circa vicum *Vime* oritur, eique nomen ſuum dedit, ac vicum *Freſtemeules* alioſque alluit, & apud Gamapium in Briſellam influit.

VINCIACUM.

In Appendice Chronici Fredegarii, & in Geſtis Francorum, ac in veterrimis noſtris Annalibus *Vinciacum*, aliàs *Vinciagum* & *Vinciecum locus* eſt *in pago Camaracenſi*, Caroli Martelli de Rege Chilperico ac de Præfecto Palatii Ragenfredo victoriâ anno DCCXVII. XII. Kalendas Aprilis relatâ nobilis, vulgò *la Cenſe de Vinci* hodieque dictus viculus: uti Aubertus Miræus ſcribit: qui & addit, villulam nunc eſſe propinquam opido Crepacordio, (*Crevecœur*) ad Camaracenſe Monaſterium S. Autberti pertinentem.

VINDAUSCA, ET COMITATUS VINDAUSCENSIS.

Concilio IV. Pariſiis habito anno Domini DLXXIII. Regni Chlotharii filiorum XII. interfuit præter ceteros, ac die III. Iduum Septembrium, Indictione VI. in Baſilica domini Petri ſubſcripſit *Tetradius Epiſcopus Eccleſiæ Vendaſcenſis*. Poſt annos circiter LXX. Synodi evocatione Glorioſiſſimi domini Chlodovei Regis Cabilloni in Baſilica S. Vincentii Martyris habitæ conſtitutionibus ſeptimus & viceſimus ſubſcripſit *Licerius Epiſcopus Eccleſiæ Vindauſcenſis*. Tetradius & Licerius qui Epiſcopi *Vindauſcenſes* & *Vendaſcenſes* dicuntur, Epiſcopi ambo Carpentoractenſes fuere, non quòd Carpentoracte & *Vindauſca* una eademque urbs fuerit, ſed quòd Carpentoractenſes Epiſcopi, jaminde à Concilio Epaonenſi noti, regnantibus apud Francos Chlotharii majoris filiis ac nepotibus *Vindauſca* commorari conſueviſſent. Unde in Notitia provinciarum & civitatum Galliæ quam Joſ. Scaliger edidit, in provincia Viennenſi decima numeratur *civitas Carpentoractenſium, nunc Vindauſica*; id eſt cujus nunc civitatis Epiſcopus ſedet *Vindauſica*: in duabus Notitiis quas Andreas Cheſnius vulgavit, inter provinciæ Viennenſis civitates XIV. pænultima ponitur *civitas Carpentoratenſium, nunc Vindauſca*. Ubi Cheſnius perperam legit *Vinclauſca* & *Vinclauſa*. Nemo enim neſcit d in cl, & contrà cl in d à tranſcriptoribus atque à typographis per ſummam negligentiam mutari conſueviſſe. Petrarchæ in epiſtola ad Guidonem Archiepiſcopum Genuenſem, & in Vita S. Sifredi dicitur *urbs Vendaſcenſis*.

Vindauſica igitur vel *Vindauſca*, quæ & *Vendaſca*, opidum erat *Memenorum* in provincia Viennenſi, civitatis Carpentoractenſis finibus Diœceſique incluſum, quod aliquamdiu Epiſcopi ſui ſedem apud ſe habere meruit. Nunc *Venaſque* vocitant, unà cum u. d litterâ eliſâ, aliàs *Venaiſſe*: eſtque opidum in monte poſitum, à Carpentoracte vix III. leugis diſtans interfluente amne: à quo pagus vel Comitatus *Vindauſcenſis* nomen accepit, quem pagum Guillelmus de Podio Laurentii ante annos CCCC. *terram Venaiſſini* &

Venaſſinum appellavit, à *Vindauſca* ſeu *Venaſca* pagi olim capite ducto vocabulo. Provinciales *Comtat de Venaiſſin*, alii *Comté de Venaicin*, id eſt *Comitatum Vindauſcenſem* vel *Venaſcinum* nuncupant; quidam corruptè *Comté de Veniſſe*. Ejus pagi Comitatuſve caput olim fuit haud dubiè *Vindauſca* ſeu *Venaſca*, cùm ſuum ei ante multa ſecula nomen dederit, quod hodieq; ſervat. Sunt in finibus regionis quam Pedemmontis vocitant, duo ejuſdem nominis loca, *Venaſque*, & *Benaſco*; item *Venaſca* in Aragonia urbs.

Nunc ut Gentis Mimenorum ſic & Comitatûs *Vindauſcenſis* aut *Vinaſcini* caput eſt Carpentoracte, veterrima Epiſcopatus ſedes, ante annos MCL. & MCXL. Conciliorum ſubſcriptionibus indictionibuſque nobilis: cui Comitatui Vaſionem & Cabellionem urbes quidam attribuunt, Inſulam *Liſle*, Interaquas *Entragues*, Caderoſſam *Caderouſſe*, Petram Latam *Pierrelate*, aliaque opida & caſtella.

Ceterùm *Vindauſca* videtur à Græcis Maſſilienſibus dicta eſſe *Aeria* à ſitu. Certè ab Strabone *Avenio*, *Arauſio & Aëria* junctim memorantur, ut finitimæ urbes: ex quibus *Aëria Ἀερία* ita nuncupata ſit, quòd in celſiſſimo loco ſit poſita: quæ omnia *Vindauſcæ* conveniunt. *Aëream* Plinius appellat: ſed in veteribus ejus codicibus *Aeria* reperitur. Apud Stephanum Apollodorus in libro Chronicorum IV. *Aëriam urbem Gallicam* vocat: ἔστι δὲ Κελτικὴ πόλις Ἀερία: quam *Aëriam* noſtram eſſe non dubito.

Gregorii PP. IX. epiſtolam, datam anno MCCXXXI. legi, quâ rationem reddit Ludovico Regi Francorum Illuſtri, cur *Comitatum Vindauſcenſem*, tot impenſis & tot hominum labore ac ſanguine quæſitum, ac vixdum hæreſi liberatum, quem *terram Venaſcenſem* & *terram citra Rhodanum* appellat, Eccleſia Romana ad majorem cautelam retineat, nec Nobili viro Raimundo Comiti Toloſano reſtituat. Alterâ epiſtolâ eodem Chriſti anno Pontificatus ſui v. datâ, eiſdem verbis ſcriptâ, Blancæ Reginæ Francorum Illuſtri, Ludovici matri, ſimiliter pro Raimūdo roganti idem reſpondit. Eiſdem verbis Gregorius Comiti ipſi Toloſæ reſcripſit, pro quo in integrum reſtituendo Fredericus Romanorum Imperator & Siciliæ Rex, & Rex ac Regina Francorum Illuſtres precabātur: ac in litteris datis Laterani XVIII. Kal. Februarias, Pontificatus ſui anno VII. Raimundum ſua repetentem ac per litteras nuntioſque inſtantem, ſicut antea Imperatorem ac Francorum Regem, novâ technâ eluſit, ſingens & aſſerens gratis, *multos* (quorum neminem nominabat) *in terram Venaſcenſem* quam ſibi reſtitui velit, *jus habere ſe dicere*. Has V. epiſtolas publicavit Lucas Acherius, Monachus ex æquo pius & doctus, in tomo III. Spicilegii ſui. *Marchiam Provinciæ* inter Druentiam & Iſaram flumina jacentem, aut ſaltem partem ejus, nimirum *Comitatum Vindauſcenſem* ac finitima anno MXCVI. jam ſibi vindicabat, & inter Eccleſiæ Romanæ beneficia vel feuda numerabat Urbanus PP. II. quæ ab Eccleſia Rom. tenerentur. Certè Urbanus PP. II. in decreto anni MXCVI. ſic loquitur. *Comes Toloſanorum & Rutenenſium, Dux Narbonæ, & Marchio Provinciæ Raimundus, partem potentatus ſui à Romana Eccleſia detinens, honores omnes ad B. Ægidium pertinentes tam in Valle Flaviana quàm in extrinſecis dereliquit*. Hæc *pars potentatus* Raimundi ſoli *Marchiæ Provinciæ* convenit, & aliam terram deſignare non poteſt: cùm Toloſanum Rutenicumque Comitatum, & Ducatum Narbonis Regis Francorum beneficio Raimundus teneret. Nimirum tum Urbanus PP. ab Imperatore Heinrico impugnabatur, & ipſe invicem Imperatorem à communione removerat: & ideo multa quæ Imperator vindicabat, (Provinciam autem inprimis ut Regni Arelatenſis partem ſibi vindicabat) ſibi ipſe ac Eccleſiæ Romanæ aſſerebat, & inter feuda ſua numerabat.

VINDOCINUM CASTRUM.

Vindocinum in Carnutum finibus ad flumen Lidericum, *caſtellum Vindocinum* Gregorio noſtro ceteriſque appellatur; Guillelmo Armorico in libro Philippidos III. *Vindocinū*

Caſtrum forte nimis, populoſâ gente repletum:
Quod Lidericus aquâ ſubterfluit amnis amœnâ.
Cui tamen haud prodeſt quidquam munitio ducta
Circuitu triplici, nec tantæ copia gentis.

Vulgò *Vendoſme* vocitant Noſtri, i in e, c in ſ, & n in m converſis, ut de Iculiſna Ecoliſma & *Engouleſme* facta. Hoc Maſſonus magno errore *Ptolemæo cognitum municipium* nuncupat in libro de fluminibus Galliæ: quaſi urbs *Vindinum* Cenomanorum caput apud Ptolemæum, poſſit haberi pro *Vindocino* caſtello Carnutum. Ortelius quoque in Theſauro ſuo Geographico nominis ſimilitudine deceptus, urbem Cenomanorum *Vindinum* Ptolemæi, nomen corruptum, idem quod *Vindocinum* eſſe exiſtimavit.

Ab eo nomen habet *pagus Vindocinenſis*, *le Vendoſmois*, *pagus Vinduſniſus* dictus in Capitulis Caroli Calvi pro *Vinduſnenſis* vel *Vindunenſis*, & inter *Aurelianenſem* & *Carnutinum* ſeu Carnutinum pagos ibidem poſitus. Ex *Vindocino* igitur ante annos DCCC. factum eſt *Vinduſnum*, à quo *pagus Vinduſniſus* vel *Vinduſnenſis*: de *Vinduſno* Noſtri fecere *Vendoſme*, i in e, u in o, & n in m. mutatis.

VINDOILISUS PAGUS.

Vindoiliſi pagi fit mentio in Capitulis Silvacenſibus Caroli Calvi, anno DCCCLIII. editis. *Hildewicus Abba, Tritinfridus Epiſcopus, Ingilwinus, Goſſelmus miſſi in Pariſiaco, Melciano, Silvanectenſi, Vilcaſino, Belvacenſi, Vindoiliſo. Vindoilenſis pagus*, quem Carolus cognomine Calvus Francorum Rex de more tum uſitato *Vindoiliſum* vocavit, & cum Bellovacenſi pago conjunxit ut proximum, haud dubiè à *Vindoilo* nomen accepit: quod *Vindoilum* recentiores *Vindolium* dixere, ut Corboilum, Corbolium, Vernoilum Vernolium, Nantoilum Nantolium: Noſtri *Vendeuil* aut *Vendeul* nuncupant. Eſt

autem hic locus proximus Britolio, loco Abbatiâ illuſtri, & à capite pagi Bellovacenſis Cæſaromago non ampliùs ſex leugis diſtat. *Pagum Vindulenſem* alibi quàm in Capitulis iſtis Caroli reperire non memini. Eſt Caſtellio qui cognominatur *Chaſtillon en Vendelois*: ſed hic pagus *Vindalenſis* ſeu *Vendelais* à pago *Vindoilenſi* differre, nec à *Vindoilo* capite *pagi Vindoilenſis* nomen accepiſſe, videri poteſt: licèt Caſtellio in Bellovacis, vulgò dictus *Catillon*, à *Vindoilo* IV. leugas abſit.

VINDOMAGUS VOLCARUM ARECOMICORUM QUÆ ET UCECIA.

Apud Ptolemæum *ſub Volcis Tectoſagibus ſunt Volcæ Arecomici uſque ad flumen Rhodanum, quorum urbes mediterraneæ Vindomagus & Nemauſus colonia*: Οὐόλκαι Ἀρικόμιοι, ὧν πόλεις μεσόγειοι Οὐινδόμαγος, Νέμαυσος Κολωνία. Et Nemauſum quidem Arecomicorum omnes norunt; *Vindomagum* nemo. Ego *Vindomagum* Volcarum Arecomicorum urbem mediterraneam, eſſe exiſtimo quæ poſtea *Vcecia* nuncupata eſt. Poſita eſt autem *Vcecia* ad amniculum vel potiùs rivum, qui in Vardonem influit & Aiſſena dicitur aut Eſſena, *Ayſſene* aut *Eyſene*. Ab Eſſenæ & Vardonis confluentibus vix duo millia paſſuum abeſt *Vcecia*: quam olim *Vindomagum* appellatam arbitror à ſitu, quaſi manſionem ad Vindonem flumen ſive Vardonem: ſicuti Rotomagus à Roto vel Rodobecco rivo (*Robec*) haud dubiè nomen accepit. *Vindonem* priſci Galli vocavere, quem poſteriores litterâ n in r mutatâ *Virdonem* ac *Vardonem*: ut *Canentelus* fluvius à Ptolemæo nuncupatur, ab Auſonio ceteriſque *Carantonus*, *la Charante*: *bonnam* pro termino veteres Galli dixerunt; Nos *bornam* dicimus.

Veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ in provincia Narbonenſi prima *Vceciam* ponunt nunc ultimo loco, nunc pænultimo: quam aliæ *caſtrum Vcecienſe* & *Vcecinſe*; aliæ *civitatem Vcecienſium*; quædam mendosè *caſtrum Vceticenſe, id eſt Aſtiucecenſe*, necnon *caſtrum Vcetenſe, id eſt Aſtiuenſium civitatem metropolim* nuncupant. Menda orta eſt ex repetitione proximè præcedentiũ litterarum, & ex tranſpoſitione duarum ſequentium. Itaque legendum & corrigendum puto *caſtrum Vceticenſe, id eſt Viticenſe*: item *caſtrum Vcetenſe, id eſt Viticenſium civitas metropolis*. Quamquam cur *metropolis* vocetur neſcio, nec ita vocandi cauſſam ullam reperio: numquam enim eo honore gaviſa eſt *Vcecia*, ſed ſemper Narbonem; & dum Narbo Gothorum fuit ac Saracenorum, Bituricas ad tempus pro metropoli habuit, vel ſi aliis credimus, Arelatum. Robertus in Chronico *Vceciam*, uti facere debuit, Narbonenſi provinciæ attribuit, & VIII. collocat loco: ſed corrupto nomine *civitatem Vcenſem* appellat. Gervaſius Tiſleberienſis & quædam ipſo recentiores Notitiæ *Vticam* ineptè nuncupant: & inter Epiſcopos *Narbonenſi Vaſconiæ Archiepiſcopo ſuffragantes Vticenſem* octavum ponunt. Quidam Monachus non admodum vetus & diligens, ni fallor, qui duos de Vita S. Arnulfi Mettenſis Epiſcopi libros compoſuit, *Vcetiam*, *Aſtimacenſem etiam urbem vocari* bis aſſerit, fortè à rivo *Aſtima* ſeu *Aiſena*. Gregorius noſter in libri VIII. capite XVIII. *urbem Vceticam*, & in libri VI. capite VII. *Ferreolum Vcecenſem Epiſcopum* appellat: ex quo apparet promiſcuè nunc *Vceciam*, nunc *Vcetiam* dici conſueviſſe. Nam ab *Vcecia Vcecenſis*, vel *Vcecienſis*; ab *Vcetia Vceticus*, *Vcetienſis* & *Vceticenſis*. Diviſio Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta *Vcetiam* vocat, *Vivariiſque* conjungit, & iterum poſt *Lugdunenſe* ac *Viennenſe* territorium *Vivarias* & *Vcetiam* infrà commemorat, id eſt pagum Vivarienſem, & *pagum Vceticum*. Rigordus in anno MCXCV. *in Gothia civitatem Vceticam* appellat.

Concilio Agathenſi ſubſcripſit *Probatius Epiſcopus de Vcetia*; Concilio Aurelianenſi IV. *Firminus Epiſcopus Eccleſiæ Vceticenſium* dictus, in Concilio Pariſienſi II. *Firminus Epiſcopus Eccleſiæ Vceticæ*.

Vcetia vel *Vcecia pago Vcetico* vel *Vceticenſi*, aut *Vcecienſi* nomen ſuum dedit: quem Aimoinus de Tranſlatione Georgii & Aurelii Martt. *pagum Vzecenſem*, vel rectiùs *Vcecenſem*; vulgò *Vzegnois* vocitant. Ipſa *Vzes* appellatur ab incolis, aut *Vſez*. Scaliger *Vſets* ſcribit, qua ratione nemo alius.

VINDONISSA.

Vindoniſſa mentionem primus omnium fecit Tacitus in libro IV. Hiſtoriarum, quum *cohortium, alarum, legionumque hiberna Magontiaci ac Vindoniſſa ſita* fuiſſe, & legionem XXI. *Vindoniſſæ* caſtra habuiſſe tradidit. In tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana *Vindoniſſa* quoq; memoratur inter Auguſtam Rauracûm & Arborem Felicem ac Brigantium Rætiæ. Æthicus in Itinerario nunc *Vindoniſſam*, nunc corrupto nomine *Vindones* vocat; in itinere quidem de Pannoniis in Gallias per mediterranea loca Treveros uſque. *Brigantia* M. P. XXIV. *Arbore Felice* M.P. XX. *Ad Fines* M. P. XX. *Vindones* M. P. XXX. *Arialbinno* M. P. XXIII. in itinere autem per ripam Pannoniæ à Tauruno in Gallias, *Brigantia* M.P. XXIV. *Arbore Felice* M. P. XX. *Finibus* M. P. XX. *Vitudoro* M. P. XXII. *Vindoniſſa* M. P. XXIII. *Rauracis* M. P. XXVII. Brigantia porro *Bregentz* nuncupatur; Arbor Felix *Arbon*, oppidum ad lacum Brigantinum; Fines vel Ad Fines *Pfin an der Thur*. Ita autem dictus eſt hic locus, quòd eſſet poſitus in confinio Rætiæ & Galliæ Belgicæ, ſeu quòd eſſet finis Rætiæ primæ, & initium provinciæ Maximæ Sequanorum in Gallia Belgica. Eumenius in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto *Vindonem* appellat, & ſemel atque iterum *Vindonis campos* commemorat *hoſtium ſtrage completos*; etſi quidam codices ibi exhibent *Vindoniſſæ*. Veteres Notitiæ provinciarum & civitatum Galliæ *caſtrum Vindoniſſenſe* appellant, ac plerumque *caſtrum Vindonenſe*, ut etiam *civitatem Vindonuſam*, id eſt *Vindonenſem*, & in provincia Maxima Sequanorum V. loco ſtatuunt. *Caſtrum Vindoniſſenſe* à *Vindoniſſa* deducitur; ut *caſtrum Vindonenſe* à *Vindo* vel *Vindones*: quibus nominibus

uſos eſſe Eumenium atque *Æthicum* in ejus loci appellatione ſuprà oſtendimus.

Vindoniſſa olim ſedes Epiſcopatûs fuit. Certè Epaonenſi Concilio interfuit atque ſubſcripſit *Bubulcus Epiſcopus civitatis Vindoniſſæ*; Arvernenſi Theodeberti Principatu habito *Grammatius Epiſcopus Eccleſiæ Vindoniſſæ*; idem Concilio Aurelianenſi IV. ubi *Grammatius Epiſcopus civitatis Vindonenſis* vocatur, ſicuti in Concilio Aurelianenſi V. *Grammatius Epiſcopus Eccleſiæ Vindonenſis*. Poſtea circa annum DC. *Vindoniſſa*, ab Alamannis ut aiunt everſæ, Epiſcopatus tranſlatus eſt Conſtantiam Germanicam, alterius provinciæ urbem, Mogontiaco provinciæ Germaniæ primæ Metropoli ſubjectam.

Ibi exſtructum eſt à dominis loci caſtrum, vulgò *Altenburg*. id eſt vetus caſtrum dictum: à quo *Altenburgenſes ſe Comites & Vindoniſſa dominos* vocaverunt.

Nunc *Vindoniſſa* truncato veteri nomine *Vvindiſch* nuncupatur: & eſt vicus exiguus ac paucularum ædium prope Arolæ & Ruſæ confluentes; aut ut Simlerus ait ad trajectum Urſæ fluminis. *Urſam* autem alii, alii *Ruſam* recentiore nomine appellant amnem *Ruſſ*. qui in Arolam influit.

Eſt & *Vindeniſſa villa* in pago Remenſi, Frodoardo in Chronico & in Hiſtoria memorata, & *Vendereſſe* vulgò dicta, n in r, i in e converſis: ſicut Noſtri de Canentelo fluvio Ptolemæi *Charente*, de bonna *borne* fecere. Hæc *Vindoniſſa* dicitur in Teſtamento quod Remigio attribuitur. In pago Laudunenſi altera eſt *Vindeniſſa villa*, ſeu vicus.

VINEMACUS PAGUS.

Pagus Neuſtriæ Vinemacus, ubi *villa Andeſagina ſuper fluvium Aucia*, in Vita S. Lupi Senonici Epiſcopi memoratur; *Vinmacus pagus* in Vita Salvii Ambianenſis Epiſcopi, ubi *villa Auguſta*; *Vitnau* in Capitulis Caroli Calvi corruptè dictus; *pagus Vimau*, item *Vitmau* aliis meliùs nuncupatus: inter Auciam & Suminam fluvios jacet, ſeu inter Tellau & Pontiu pagos, quemadmodum ſuprà laudata Capitula Silvacenſia indicant. Uſuardus & Ado in Martyrologiis *pagum Vimnacenſem ſuper Somnam fluvium* appellant in finibus Ambianorum, aliàs *pagum Vimacenſem*; Silveſter Giraldus Cambrenſis qui circa annum MCXC. ſcripſit, *in Francorum Regno Vimocenſe territorium*.

Chronicon Fontanellenſe in capite IX. *Balliolum in pago Vimnau* ponit, *Balcidunum in pago Vimnau*, *Bodardi villam in pago Vvimnau*; & in capite XII. prodit Vvandonem *contuliſſe Cœnobio* Fontanellæ, *in pago Vvimnau ſuper fluvio Vimina, in loco qui vocatur IV. Molas*, (aliàs *Viniolas* aut *Vineolas*) *tertiam partem de Cora*. Ex quibus *Balliolum*, eſt *Baillenl en Vimen*: *villa Andeſagina* ad Auciam vel Aucum fluvium, nunc Breſlam dictum, eſt *Anſene*; *villa Auguſta* ad mare *Aut*, inter Breſlam & Suminam amnes. Pippinus Rex in literis datis anno I. regni ſui *in pago Vimnao* memorat *Marcam*, *Aviſnas*, *Vidriacum*, *Arcas*.

Pagus autem *Vimnau* nomen mihi videtur accepiſſe à *fluvio Vimina* aut *Vimna* ſuprà memorato: quem eſſe Auciam ſive Aucum, Breſlam nunc vulgò appellatum puto: itaut & Eara & Aucia fluvii binomines fuerint, & ille *Tella*, hic *Vimina* aut *Vimna* etiam ſint appellati. Nunc iſte pagus *le Vimen* nuncupatur, nomine ex *Vimau* aut *Vimoco* facto.

VINGENNA ET VINCENNA FLUVII.

Vingenna, *la Viane*, aliàs *la Vignane* accolis fontis ejus Lemovicibus dictus, nobis *la Vienne*, nobilis eſt fluvius Aquitaniæ; quem plerique *Vigennam* appellant. Sed in veteribus codicibus cùm Gregorii Turonici Epiſcopi & Fortunati, tum aliorum *Vingennam* cum n in prima ſyllabâ ſcriptum ſemper inveni. Quin & in libri I. Gregorii capite ultimo *Vigennam fluvium* editum reperio; & in Annalibus Bertinianis, in anno DCCCLXXIX. *Vincennam*; in Geſtorum Francorum capite XVII. *Vincennam*, ut & apud Jonam de Vita Euſtaſii. In Vitæ S. Leodegarii capite XVIII. *Vigentiam fluvium* pro *Vigennam* mendoſè impreſſum legimus. Hic amnis Ratiatum Lemovicum, oppidum S. Juniani, Confluentes, Inſulam Jordanis, Luciacum, Calviniacum, Caſtellum Heraldi in Pictonibus, Inſulam Burchardi, Cainonem Turonum alluit, & apud Condate (*Cande*) decurrit in Ligerim: *Vigenna* Brittoni non ſemel nuncupatus. Roriconi Monacho in libro IV. *Vicenus* fluvius corrupto nomine. Amnes non ignotos recipit *Clennum*, (*Clain*) Devæ *Dive*, Vonnæ, & Medioximi (*Mieſſan*) aquas deferentê; & *Croſam* minore Croſâ (*petite Creuſe*) & Vartimpâ (*Gartempe*) auctum. *Croſa* autem dicitur ab altitudine. Nam quidquid altum & profundum eſt, *croſum* vocare Noſtri ſolent, *creux*.

Eſt & in Burgundia *Vincenna* fluvius, qui in Ararim devolvitur, Fredegario aliiſque memoratus, & *Vingenna* etiam ſæpe dictus: quem vulgò *Vingenne* vocitant, aliàs *Vigenne*.

VINTIUM NERUSIORUM.

Plinius in libri III capite XIX. *Neruſiorum* meminit inter Gentes Alpinas, à mari ſupero ad inferum pertinentes: apud quem in inſcriptione è tropæo Alpium ultimi numerantur *Neruſi*, *Velauni*, *Suetri*: ubi pro *Neruſi Veruſi* mendoſè editum plerumque reperitur. Certè Ptolemæus eos in *Alpibus Maritimis* collocat, atque *Neruſios* appellat, quibus *Vintium* urbem attribuit in Italia. In Maritimis Alpibus Νερουσίων πόλις Οὐίντιον. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatū Galliæ, *civitas Vincienſium* inter octo provinciæ Alpium Maritimarum civitates ultima numeratur, nunc *civitas Vintienſium Vintio*, nunc *civitas Venſienſium Ventio*; aliàs *civitas Vinſienſiū*; & *civitas Vinſcienſium*, *id eſt Ventio* corruptè dicta pro *civitas Vinſienſium* aut *Vincienſium*; interdum ſed corruptiſſimè *civitas Valcienſium*, *id eſt Ventia*. A Roberto *civitas Ventio* Alpium Maritimarum octava ac noviſſima

ponitur, ut & à Gervaſio Tilleberienſi aliiſque. Gregorius Turonicus Epiſcopus Deoterii ſive Deuterii, & Phronimii *Vinciensium* Epiſcoporum mentionem fecit in libri IX. capite XXIV. ex quibus *Deuterius Epiſcopus civitatis Vinciensis*, ſeu *Eccleſiæ Vinciensis* Conciliis Aurelianenſibus IV. & V. ſubſcripſit; Synodo Matiſconenſi II. miſſus ejuſdem *Deuterii Epiſcopi à Ventio*. *Aurelianus Epiſcopus Eccleſiæ Ventienſis* Concilio Cabillonenſi ſtatutis principatu Chlodovei junioris Francorum & Burgundionum Regis ſubſcripſit. Verum ac ſincerum urbis nomen *Vintium*; incolarum *Vintienſes*: pro quo *Vincium*, *Ventium* & *Vencium*, item *Vincienſes*, *Vinſienſes* ac *Venſienſes* ſcriptores plerumque dixerunt, i in e, t in c, aut in ſ. commutatis. Noſtri *Vence* hodieque eam urbem appellitant, aliàs *Vanze*; Itali *Venza*: cujus major Eccleſia B. Virginis Mariæ titulo illuſtratur, Epiſcopi ſedes.

Vintio proximum eidemque amniculo appoſitum eſt opidum S. Pauli, *S. Paol* Provincialibus dictum, necnon à vicinia capitis ſui *S. Paul de Vence*. Quæ res multos in errorem induxit, itaut de duobus locis unum facerent, & *Vintium* ſedem Epiſcopatûs ab *opido S. Pauli* non differre arbitrarentur. Hos inter Joſephus Scaliger *civitatem Ventienſium* in ſua Notitia Galliæ ſemel atque iterum *S. Paul de Vence* interpretatur, ſive *opidum S. Pauli de Vintio*. Amniculus qui *Vintium* alluit, per opidum S. Pauli & Villam Novam in mare Liguſticum effluit.

In Vita Aigulfi Abbatis Lerinenſis Adrevaldus ſcribit, Arcadium Monachum Lerinenſem *ad Mummolum ſe contuliſſe Vicetiæ civitatis Principem*, ſuaſiſſeque ei, *ut ad Monaſterium iret, quaſi multas pecunias ibi reperturus*. Ubi emendandum aliqui putant *Veceтiæ civitatis*: ego *Vintiæ civitatis* reſtituendum reor, t & e in n mutatis. Nam Uceтia plurimum diſtat ab inſula Lerino; *Vintium* verò proximum eſt eidem inſulæ ac Monaſterio. Malos autem Epiſcopos, qualis fuit Mummolus Vintienſis Epiſcopus, Lerinenſis Monaſterii prædo, nonnumquam *Principes* urbium & *dominos* pro Epiſcopis per jocum appellabant, quòd potentia & auctoritate ſua malè uterentur more Principum ſæcularium. Certè in libro de Vita Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi, quem auctor vetus ad Ermenarium ejus ſucceſſorem compoſuit, hæc legimus. *Erant in hoc mendacio primi & quaſi rectores Palatii, Deſideratus cognomine Dido, qui quondam Cabilloni habuit Principatum, necnon & ejus collega Bobo, qui urbem Valentiam habuerat in dominium. Nec enim digni ſunt ut urbium nominentur Epiſcopi, qui magis terrenis deſideriis inhiabant, & cæleſtia non curabant.*

In *pago Comitatuque Vintienſi* eſt Monaſterium S. Veriani *ad flumen Lupum*, *fluvium Lupi* dictum in litteris datis anno MXCIII. item *caſtrum Aurilucum*, vel *caſtrum Aurei Luci* in veteribus tabulis, aliàs *Arlucius*: *locus Puteus juxta fluvium Lupi*. Fluvius autem *Lupus* ſeu *Lycus*, vulgò vocatur *le Loup*, & cis Varum decurrit in mare.

VIRA FLU. ET LOCUS.

Vira fluvius eſt in Nortmannia notiſſimus, *Vire*, qui opidum *Viram* non procul à capite ſuo, *Vire*; Taxam, *Texe*; Condate ad *Viram* cognominatum, *Condé ſur Vire*, ad *Vira* & rivuli cujuſdam confluentem poſitum; & caſtrum S. Laudi vel Lautonis, *Saint Lo* prætterlapſus, in Oceanum effluit. Ejus mentionem facit Ordericus Vitalis in libro XI. Hiſtoriæ his verbis. *Portum qui Barbaflot dicitur applicuit, & ſuper Vada Viræ in vico qui Carentonus vocatur, quievit.* *Vada Viræ* (ut exiſtimo) vocavit Ordericus Magnum Vadum, *le Grand Vé*, locum ad oſtium fluminis *Viræ* poſitum non procul à Carentono. Quidam & flumen, & caſtrum *Viriam* appellant, ſecuti Innocentium Papam III. qui in litteris datis anno MCCX. *caſtrum Viriæ*, hoc eſt caſtellum *Viriam* nuncupavit.

VIRGEIUM CASTRUM.

Virgeium caſtrum, alii *Verciacum*, alii *Vergiacum* caſtrum inexpugnabile, & *Verziacum* ac *Virzeium* vocant; Guillelmus Brito *Vergiacum caſtrum* in anno MCXCIV; Rigordus *caſtrum Vergi*, & *caſtrum Vergiaci*: qui & *Guidonem dominum caſtri* memorat. Vulgò *Vergy* dicitur in Burgundiæ Ducatu, Diœceſique Æduenſi ſive Auguſtodunenſi.

VIRIDE FOLIUM CASTRUM.

Gaufridus Monachus Claravallenſis, Bernardi Abbatis diſcipulus & Notarius, in libro IV. de Vita ejus mentionem facit hujus loci. *Apud Viride Folium, ſic enim dicitur caſtrum territorii Toloſani.* Veteres litteræ, & Guillelmus de Podio Laurentii idem memorant caſtellum in Gothia. Vulgò *Verfeil* nuncupatur. A ſolo pingui ac humido in quo conditum erat, nomen accepit: quaſi in ſolo herbæ, & folia arborum admodum virent.

VIRIDE PODIUM CASTRUM.

Viride Podium idem Gallis olim erat, quod viridis mons, vel mons viridis: cujus nominis aliquot ſunt loca in Gallia. Petrus in libri de bello Albigenſi capite XLII. poſt caſtrum Thermarum expugnatum, & caſtrum Conſtantiam occupatum, tradit *veniſſe* Simonem Comitem Montis Fortis *ad aliud caſtrum, quod Viride Podium vocatur*: quod intra triduum ad deditionem compulerit. Vulgò *Puechuert* dicitur, & à re nomen habet. Eſt enim caſtrum in monte herboſo poſitum non longe ab Electa.

VIRIDUNUM CASTRUM.

Hic *locus Viridunus* vocatur in Geſtis Epiſcoporum Autiſſiodurenſium, *Verdun ſur Saône*, in Diœceſi Cabillonenſi. *In Comitatu Cabilonenſe, in loco qui Viridunus dicitur.* Chro-

nici Beſuenſis auctor Johannes Monachus *Virdunum* appellat, & *Girardi de Virduno* mentionem non ſemel facit: *Viredunum caſtellum Ararim fluvium attingens* nuncupat Raimundus Marlianus, in ſuo Cæſaris Commentariorum Indice.

VIRISIACUM.

Frodoardus in libri II. Hiſtoriæ Remenſis capite III. *Viriſiacum* vicum memorat de S. Baſolo ſcribens: (*S. Baſle*) *In vico Viriſiaco ad radices montis Remorum, quem nemus inde incipiens obumbrat Rigetium. Viriſiacum* nunc *Verzy* eſt; nemus Rigetium *la foreſt de Ronte*, aliis Rihetius ſaltus. Baſolus Lemovix in vico *Viriſiaco*, X. paſſuum millibus ab urbe Remis diſtante, ſilvis & fontibus amœno Monaſterium exſtruxit, ubi placida pace compoſitus quieſcit: quod Monaſterium Nivardus Remorum Epiſcopus reparavit. Locum unà cum Cœnobio *S. Baſle* à Baſoli Monaſterio Noſtri nunc dictitant. In tabula Campaniæ Remenſis vel Gallicæ video Monaſterium & locum S. Baſoli (*S. Baſle*) in monte prope *Viriſiacum* poni, (*Verzy*) vel potiùs proxime, ſeorſum tamen, tamquam locus alter ab altero diſtinguatur; *Viriſiacum* in planitie eſſe: utrumque autem locum ad maximam ſilvam, hoc eſt ad nemus Rigetium Rihetiumve collocari.

VIROVIACUM.

Æthicus in itinere à Portu Geſoriacenſi Bagacum uſque, *Viroviacum* memorat, & Caſtello Morinorum atque Turnaco medium interponit, à Caſtello XVI. à Turnaco totidem millibus paſſuum diſtans. *Virovinum* pro *Viroviacum* corruptè atque mendosè vocat tabula Peutingeriana ſic. *Caſtello Menapiorum* (legendum eſt, *Morinorum*) XII. *Virovino* XIII. *Tervanna* XXII *Viroviacum* nuncupatur vulgò *Vverzeken* aut *Vervek*, Noſtris *Vervich*, vicus ad flumen Letiam inter Teruannam atque Turnacum poſitus. Recentiores ſcriptores Latini *Verviacum ad Liſam* appellitant.

VIRSIO CASTRUM.

Virſio, vulgò *Vierzon*, aliàs *Viarron*, vetus eſt opidum Biturigum Cuborum, ad confluentem Euvræ & Caris fluminum poſitum: Guillelmo Armorico in Geſtis Philippi Aug. in anno MCXCVI. *caſtrum in territorio Biturigum, quod Virſonem vocant*: quod dolo cepiſſe Richardus Rex Anglorum & concremaviſſe dicitur. Rigordus *in agro Bituricenſi caſtrum Virſonis* more ætatis ſuæ nuncupat, id eſt *caſtrum Virſonem*. Legi veteres litteras anni MXCII. in quibus nunc *Virſio*, nunc *Virzio* ſed corruptè dicitur, & *Virſionenſis Abbatia* & *caſtrum* memoratur. Litteris ſubſcribit *Arnulfus Virſionenſis*, *Arnulfus Virzionis dominus* ibidem dictus; & *Stephanus de Magduno*. Litteris datis anno IV. Henrici Regis *Martinus Abbas Virſonenſis* ſubſcribit. In litteris anno X. Rotberti Regis datis *Hubaldus Virſionenſis*, *Arnulfus Dunenſis*, (*Dun le Roy*) & *Giraldus de Gargileſſa* (*Gargileſſe*) memorantur. In tabulis ſignatis anno IV. Rodulfi Regis mentio fit de *caſtellulo Viriſione*. Sincerum caſtri nomen *Virſio*, quod & *Virſio*: quod recentiores corruptè *Virzonem*, *Verſonemque* dixere. Bituriges in ore habent hocce de *Virſione* diſtichon homœoptoton, ante annos CCC. aut CCCC. compoſitum,

> Virzio villa virens, aliunde pauca requirens,
> Vitibus ornata, campis, pratis decorata.

Quorum verſuum ſi qua habetur ratio, *Virſio* colonia fuerit nationis Germanæ, Veſigothorum videlicet aut potiùs Francorum, à viriditate ſoli ſui cognominata; uti Vvirtziburgus aut *Vuirziburgus* in Francia Orientali vel Teutonica, quam vulgò *Herbipolim* Latinogræco nomine appellant. *Vvirt* enim Germanicâ linguâ herbam virentem, viriditatem, & ſolum viride herboſumque ſignificat.

VIRTUDUM CASTELLUM.

Virtudum, vulgò *Vertus*, caſtrum eſt in Campania Remenſi, quod *Virtudenſi pago* nomen dedit, *Virtudiſo* dicto in Capitulis Caroli Calvi. Frodoardus in Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis libri IV. capite II. *Virtudem* vocat, & *villam Vernam* in *pago Vertudenſi* ponit. In Appendice Frodoardi *Villa Virtutis* nuncupatur; *vicus Virtutis vocabulo in pago Catalaunico* Glabro Rodulfo in libri II capite XI; in Vita B. Arnulfi Sueſſionum Epiſcopi apud Liſiardum *in Campania caſtellum Teubaldi Comitis, quod dicunt Virtutes.* In litteris Henrici Trecenſis Comitis Palatini, datis anno MCLXXIX. *Virtutum* dicitur. *Virtutenſis Monaſterij* meminit Hermannus Monachus de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis. Ex his apparet, *Virtudum* ab aliis *vicum*, aut quod idem erat, *villam*; ab aliis *caſtellum* vocari atque haberi: & à vetuſtioribus ſcriptoribus *Virtudum*, & *Virtudem*; à recentioribus *Virtutem*, *Virtutes*, atque *Virtutum* nuncupari.

VISERA FLU.

Viſera fluvius, *la Veſere*, in Vita S. Sori & apud veteres noſtros ſcriptores memoratur. *Viſera* Muratum, Condate, (*Condac*) Uſercam Monaſterio nobilem, *Uſerche*, attingit: infra Brivam Curretiam recipit, inde Teraſſonem Cœnobio inſignem, Condate, *Condat*, Montanacum, *Montignac*, Marciacum, *Marzac* alluit, & ad Limolium, *Limeil*, in Duranium effluit. Ruricius major, Lemovicenſis Epiſcopus, in epiſtola ad Ruſticum filium ejus meminit. *Cognovi, quòd piſcationis in Viſcara pro parte Viſera nobis juſſeras delicias miniſtrare.* Lego; *Cognovi, quòd piſcationis in Viſera preparata nobis juſſeras delicias miniſtrari.* Idem in epiſtola ad eumdem Magnificum filium Ruſticum. *Pro Baxone, qui ad Eccleſiam Uſerca confugit, interceſſor accedo.* Et in epiſtola ad Conſtantium. *Moneo, ut craſtino quod erit IV. feria, Brivæ ſis; temporiùs tamen: quod te facturum minimè credo.* Vivebat hic Ruricius ante Gregorium Turonicum Epiſcopum annis circiter centum: qui primus & *Uſerca*, & *Briva*, id eſt Brivæ Curre-

viæ, locorum in Lemovicibus nobilium, & *Viſera* fluminis ibidem navigabilis meminit.

Eſt alius ejuſdem nominis fluvius eique proximus, Superior *Viſera* dictus a ſitu, vel certè ab aquarum altitudine, *Haute Veſere*, Albam Roccam & Cambium *le Change* alluens: quem Ella, *l'Ile*, fluvius nobilis in Duranium defert.

VISORONTIA.

Viſeronciam vocat Marius in Chronico locum, ubi Chlodomeres Francorum Rex à Burgundionum Rege Godomaro eſt interfectus; Gregorius Turonicus Epiſcopus *Viſorontiam*, alias *Viſorentiam locum urbis Viennenſis*, id eſt locum urbi Viennæ ſubjectum, ſive locum ſitum in pago Viennenſi. *Viſoronciam* nuncupant Geſta Francorum; Fredegarius MS. in libri IV. Chronici capite XXXVI. *Veſeronciam*; cùm in libris editis *Veſontiam* reperiamus, quod ſine dubitatione corruptum & mutilatum eſt nomen. Vicus eſt vulgo dictus *Veſeronce* non procul à Rhodano, inter Viennam & Belicium urbes poſitus, ſed Belicæ propior. *Voiron* in Dalfinatu Labbeus exponit. Hugo Italiæ Rex & Provinciæ Comes in litteris datis anno DCCCCXXVIII. ſub nomine *Hugonis Regis* Viennæ, Regni ejus anno III. *Veſeronciam* vocat. *Confirmamus* (inquit) *per hoc noſtrum Regale præceptum Eccleſiæ S. Mariæ & S. Theuderij* (*S. Cher*, Abbatiæ Monachorum in pago Viennenſi) *illas res, quas olim eidem Eccleſiæ per chartulam donavimus, videlicet Eccleſiam S. Martini ſitam in Veſeroncia, cum omnibus integritatibus ſuis: videlicet cum ſervis & ancillis utriuſque ſexus, & cum terris, vineis*, &c.

VITODURUM.

Vitodurum vel *Vitudorum* memorat Æthicus in Itinerario provinciarum, & inter *Fines* ac *Vindoniſſam* ponit, à Finibus XXII. à Vindoniſſa XXIII. millibus paſſuum diſtans in provincia Maxima Sequanorum. Nunc vocatur *Vuinterur*, eſtque thopidum agri Tigurini in Helvetiis, qui Maximæ Sequanorum attribuuntur.

VITREIUM CASTRUM.

In litteris Hamelini Redonum Epiſcopi hæc reperio. *Cumque die conſtituto ventum eſſet in campum, & factis juramentis pugiles hinc & inde fortiter dimicarent in prato Epiſcopi juxta fluvium Iſolam, præſentibus nobis & Comite Conano, & Roberto Vitrienſi, Oliverio de Dinanno*, (*Dinan*) *& Hamone de Guerchia*, (*la Guerche*) *& aliis Proceribus multis, & ferè omni populo & Clero Redonenſi: tractatum eſt de concordia, & convenit*, &c. Gaufridus Abbas Vindocinenſis, Ludovici VI. Regis Francorum æqualis, in epiſtola ad Gerardum Egoliſmenſem Epiſcopum, Apoſtolicæ Sedis Legatum, *Andream de Vitreio* commemorat. Vulgò *Vitré* nuncupatur, caſtrum non procul à capite Vicinoniæ poſitum in Diœceſi Redonenſi. Memini & *Vitriacum* alicubi dictum reperire.

ULCEIUM.

In litteris Goſleni Sueſſionenſis Epiſcopi, datis anno MCL. *Savaricus de Ulceio* memoratur. *Ulceium* caſtrū nunc vulgò *Ouchi le Chaſtel* dicitur, eſtque urbi Auguſtæ Sueſſionum vicinum; cui proximus eſt ejuſdem nominis vicus ad eumdem amniculum, *Ulceium villa*, *Ouchi la Ville* dictus vulgò. *Ulcheium*, & *menſura Ulchey* in Chartulario Monaſterii Sueſſionenſis S. Criſpini Mart. in Cavea, memorantur in litteris II. aut III. datis anno MCCLXII.

ULDA FLU.

Ulda amnis à Gregorio Turonico Epiſcopo in libro Hiſtoriæ X. ac ultimo memoratur, Britanniæque attribuitur. Quippe ſcribit, exercitum Guntchramni Francorum Regis ſuperato flumine Vicinoniâ, Franciæ Britanniæque tum termino, mox *Uldam* fluvium tumultuariis pontibus factis tranſiiſſe. Hic eſt omnino fluvius, qui Rohanum, & Caſtrum Gauzleni vel Goſlini *Joſelin*, ac Malum Strictum *Maleſtroit* prætetlapſus, in Vicinoniam defluit, & *Auſte*, vel *Auſt*, & *Aouſt* in tabulis geographicis mendosè corrupteque nuncupatur, cùm *Olde* vel *Oude* ſit appellandus. Sanè fluvium qui Rohanum alluit, vocat Argentræus Britto *la riviere d'Oude*, id eſt *Uldam*, Nam ex *Ulda Oude* Noſtri fecere, ut ex ultra *outre*. Valeant ergo, qui vulgari & corrupta appellatione fluminis decepti, Latinè *Auguſtum* appellant, propterea quòd & *Auguſtus* menſis *Aouſt* Noſtris dicitur, & *Auguſta* Prætoria *Aouſte* vel *Auſte*.

ULFEIUM.

Guido Comes Forenſis in litteris datis annò MCLXXIII. *Ulfeium* memorat, quod & *Ulfeiacum* vocat; item *Mandamentum S. Symphoriani*, caſtrum *Perogiam*, *Antonem*, & *duo caſtella S. Anemundi*, aliàs *Enemundi*. Ex quibus *Ulfeium* vel *Ulfeiacum* dicitur *Urfé*; *Mandamentum S. Symphoriani*, vulgò nuncupatur *S. Siphorien le Chaſtel*; Perogia *Perouge*, Anto *Anton* ad Rhodanum, à Perogia II. leugis diſtans; *caſtellum S. Anemundi* appellatur *S. Chamond*. Et *Ulfeium* quidem, *Ulfenum* quibuſdam dictum, caſtrum eſt in pago Forenſi ſuperiore, non procul à Monte Maurilionis, ac Baronatûs titulo illuſtratur, habetque proximum vicum ejuſdem nominis, à Patrono loci Marcello *S. Marcel d'Urfé* appellatum. *Caſtellum S. Symphoriani* eſt in pago Forenſi inferiore Rhodanum inter & Ligerim: cujus nominis eſt alter locus ad Rhodanum Lugdunum inter & Viennam, *S. Saforin*. *Caſtellum S. Anemundi* Forenſi pago inferiori attribuitur. Animundus, Anemundus & Enemundus unum idemque nomen eſt, ut & apud Gregorium Turonicum Epiſcopum *Animodus* pro *Animundo*, Faramodus pro Faramundo, Thoriſmodus pro Thoriſmundo. Quidam & *Chanemundum* dixere pro *Anemundo*, ut pro Lothario Chlotharium; pro Amingo Chamingum, pro Aube-

done Chaubedonem, pro Lodoveo Chlodoveum, pro Attuariis Chattuarios, pro Ariberto Charibertum. Ex *Chanemundo* unâ ſyllabâ truncato Noſtri *Chamond* fecere.

ULIARUS INSULA QUÆ ET OLARIO.

Ejus inſulæ, in Oceano pagoque Santonico poſitæ, meminit primus omnium Plinius in libri IV. capite XIX. his verbis. *Inſulæ complures Venetorum, quæ & Venetica appellantur; & in Aquitanico ſinu Uliarus.* Ita legitur in exemplaribus Plinii, Lugduni & alibi editis: at in exemplaribus ejus, Lutetiæ anno MDXVI. impreſſis, *Uliari* nulla fit mentio. Ibi enim hæc reperiuntur mendosè. *Inſulæ complures Venetorum, quæ & Venetica appellantur, & inter Aquitanicum ſinum. Inſula Venetica*, Pulchra Inſula *Belle Iſle*; *Gronais*, *Bruzet*; inſula Mororum *l'iſle de Mourriers*; *Houac*, aliæque. Hæc igitur inſula ætate Plinii jam vocabatur *Uliarus*; at poſtea *Olario* dici cœpit. Certè Sidonius in quadam epiſtola *Olarionenſes lepuſculos* commemorat. Ex *Olario* autem fit *Olarionenſis*. Recentiores *Oleronem* nuncupavere; nonnumquam & *Oleronum*. Vulgò nunc *Oleron* dicitur, aut *iſle d'Oleron*. In ea ſunt vici ampliùs centum & quindecim, in quibus eminent S. Dionyſii, S. Georgii, S. Petri, Dolutum, *Dolus*, & Caſtellum, *le Chaſteau*, portu commodo inſtructum. Ipſa Diœceſi Santonicæ attribuitur; at Radis inſula Rupellanæ vel Malliacenſi.

Ab *Olarione*, maximâ inſularum ſinus Aquitanici, nonnumquam & vicinæ inſulæ, ut Radis, Aia *l'iſle Dais*, Varenna *la Garanne*, Oria *Iſle d'Orre*, aliæque proximæ dicuntur *inſulæ Olarionenſes*, *les Iſles d'Oleron*: ſicut tres Stœchades ad Maſſiliam nomine majoris appellantur à Guicciardino *les Pomegues*. Eſt enim Pomponiana ſeu Meſe una de Stœchadibus, eaque maxima, vulgò dicta *Pomegue*.

ULISSINGA.

Eſt in inſula *Vualacria*, Friſiæ olim Citeriori, nunc autem Zelandiæ attributâ, urbs maritima *Vliſſinga*, incolis *Vliſſingen*, Noſtris *Fleſſingue* dicta, portu Britanniam inſulam petentibus commodiſſimo inſtructa: quam Lipſius in ſuis ad Tacitum adnotationibus per jocum potiuſquàm ſeriò ab *Ulyſſe* conditam dictamque eſſe ait. Conſtat enim hanc urbem novam eſſe: [illegible] ſunt Harlemum, Amſtelodamum vel Amſtelædamum ad flu. Amſtelam, (*Amſterdam*) Roterodamum, (*Roterdam*) Dordracum *Dordrecht* vel *Dort* ad Dortum amnem, Middelburgus, Berga *Berg op Zoom*, Silva Ducis *Bos-le Duc*, Ruræmunda, Sedanum ad Moſam *Sedan*, Caroli Villa *Charleville* ad idem flumen, Berna apud Helvetios, & multæ aliæ: quas ob id majore ex parte miſſas fecimus, quoniam ad notitiam antiquitatis hiſtoriæque parum aut nihil conferunt.

ULTERIOR PORTUS.

Ulterior Portus in Caletis à ſitu nomen invenit. Sic enim dictus eſt, quòd Auga vel Auco portu eſſet portus ulterior, ac mari propior: vulgò *Treſport*. *Ultriſportum* corrupto jamtum nomine vocat Ordericus Vitalis in libro XII. *Pratellenſem, Troarnenſem, & Ultriſportenſem Abbates* in Normannia memorans. *Pratellenſi* autem Abbati nomen dedere Pratella, *Preaux*, vetus opidulum & Monaſterium Monachorum, S. Benedicti regulæ ſubjectorum in finibus Lexoviorum & in valle ad flumen Riſelam, propinquum Ponti Audomari, ſed Pratellenſi Abbatiæ Benedictinarum propius. *Troarnenſi Abbati* nomen dat vicus *Troarnus* ad Divam flumen, *Tourne*. Robertus Comes Aucenſis circa annum Domini MXXXVI. *Monaſterium S. Michaëlis Ulterioris Portus ædificavit*, ut Vuillelmus Gemeticenſis ſcribit: quod eſt in municipio maritimo Cœnobium Benedicti ſtatuta ſequentium Monachorum, in Diœceſi Rotomagenſi Comitatuque Aucenſi.

Guibertus in libro II. de Vita ſua *Veterem Portum* vocat. *Eſt* (inquit) *Auginum caſtrum*, (*Eu*) *cui præeminet Abbatia S. Michaëlis juxta mare, quod dicitur Veteris Portûs*. *Ulteris Portum* corruptè nuncupant Roberti Comitis Augenſis litteræ anno MXXXVI. datæ; Johannes Comes Augenſis in litteris anni MXLIX. *S. Archangeli Michaëlis Ulterioriſportenſem Eccleſiam* nominat, pro *Ulterioriſportuenſem*; & idem alius in litteris quibus Abbates Fiſcanni & Fulcardi Montis ſubſcripſere, *Eccleſiam S. Michaëlis de Ulteriori Portu*.

UMBRANICI ET UMBRANICIA.

Plinius in Narbonenſi provincia *Umbranicos* collocat. Quippe in libri III. capite IV. ordine litterarum populos ejus ita enumerat. *Lentovani, qui & Porunerontenſes; Nemanſum Arecomicorum, Piſcena, Ruteni, Toloſani Tectoſagi Aquitaniæ contermini, Taſcodunitani Conomienſes, Umbranici, Vocontiorum c. f. II. capita*, &c. Quibus ex verbis ſitus *Umbranicorum* erui non poteſt, Gentis Straboni, Melæ, Ptolemæo ac ceteris veteribus Geographis ignotæ. In tabula Theodoſiana eorum regiuncula vel pagus vocatur *Umbranicia* ſic. *Lactorates, Auſci, Volcæ Tectoſagi, Umbranicia*. Qua in tabula ſi quis heic ordo ſervatur, *Umbranici* à Volcis Tectoſagibus ſeu à Toloſanis non procul abfuerunt. Certè pagus vulgò dictus *Auraguez*, ab urbe Toloſa non longè remotus, ab nomine *Umbranicia* parum recedit. Nihil tamen affirmo.

VOCONTII.

Vocontii inter Alpinas Gentes aut Alpinis proximas clariſſimi olim fuerunt: quorum capita Vaſio, Lucus Auguſti, & Dea *Vocontiorum*. Plinius in capite IV. libri III. *Vocontiorum civitatis Fœderatæ duo* tantùm *capita*

comme-

commemorat, *Vaſionem & Lucum Auguſti*, & quales ſunt, mediterraneos facit ac interiora terrarum habitantes, quum *intus regionem Vocontiorum* ponit Tricullos inter & Segovellaunos. Idem Novariam ex *Vertacomicoris Vocontiorum pago* ortam eſſe affirmat in capite xvi. Hi Straboni nunc *Vocontij*, nunc *Vocuntij*, Οὐοκόντιοι, Silio quoque in libro iii. *Vocuntii* dicuntur.

> Jamque Tricaſtinis incedit finibus agmen,
> Jam faciles campos, jam rura Vocuntia carpit.

Loquitur Silius de Hannibale, quem Livius & veteres omnes auctores, atque Ammianus Marcellinus per *Vocontios* iter in Italiam feciſſe ſcribunt. A Ptolemæo *Vocondij* nuncupatur t in d converſo; in priſcis Itinerariis *Bocontij*, u in b mutato.

Pompeius Trogus ex quo Juſtinus epitomen fecit, ſe *in Vocontiis* natum eſſe prodit: quod ideo dico, ut agnoſcant Galli, quantum & quàm elegantem Hiſtoricum ſibi vindicare debeant.

Vocontiorum nominis veſtigium agnoſco in montibus, ſive in tractu montano Deæ *Vocontiorum* proximo, quem *Vercors* vulgò, id eſt *agrum Vocontium* appellari animadverto, n in r, t in ſ commutatis. Noſtri enim Diaconum *Diacre*, pampinum, *pampre*, bonnam *borne*, Cinentelum flumen Aquitaniæ apud Ptolemæum, *la Charante*, cophinum *cofre* dictitant, n. in r. tranſeunte: iidem ex Pontio *Pons*, ex Giſortio *Giſors*, ex Reontio *Rions* fecere, litterâ t in ſ converſâ. Tamen Salvanius Boëſſius, vir doctiſſimus *Vertacomicoros Vocontiorum pagum*, ex quo ortam Novariam ait Plinius, *Vercors* interpretari mavult.

De *Vocontiis* in Vaſione jam diximus.

VOGLADE.

Voglade vel *Voclade*, quibuſdam *Bogladoreta*. *Voglavum* aliis, caſtellum in Pictonibus Clenno flumini appoſitum, *Vouglé*, nomen ſuum campis circumjacentibus dedit, in quibus Alaricus Rex Veſigothorum à Chlodóveo Francorum Rege acie victus eſt & interfectus anno Chriſti DVII. & Aquitania tota Franciciæ ditioni ſubjecta. *Voglade*, & *Vogladenſe campi* à rerum noſtrarum ſcriptoribus commemorantur; *campus Vogladenſis* x. *ab urbe Pictava miliario*, Gregorio in libri Hiſtoriæ ii. capite xxxviii. dicti; in Geſtis Francorum *campus Vogladiſus ſuper fluvium Clinno*; Fredegario *campania Voglavenſis* in libri iv. capite xxv. item *campania Vocladenſis*; Roriconi in libro iv. *campus Voſaglinſis ſuper Clinnum fluvium*.

VOLCÆ ARECOMICI, ET NEMAUSUS ARECOMICORUM.

Cæſar in libro vii. ſcribit, ſe *præſidia in Rutenis, Provincialibus, Volcis, Arecomicis, Toloſatibus, circumque Narbonem conſtituiſſe*: item Vercingetorigem *Rutenos Cadurcoſque ad fines Volgarum, Arecomicorumque depopulandos miſiſſe*. Ubi legendum fide codicum ac ita interpungendum eſt, *in Rutenis Provincialibus, Volcis Arecomicis*, &c. item *ad fines Volcarum Arecomicorum depopulandos*, &c. Quare fruſtra & ridiculè Raimundus Marlianus ex *Arecomicis* quos & *Aremicos* vocat, qui nulli fuerunt, Arauſicos & Avennicos facit: cùm Arauſio & Avenio Cavarum urbes fuerint, Gentis provinciæ Viennenſis, à *Volcis Arecomicis*, Gente provinciæ Narbonenſis primæ Rhodano diviſæ. Nam quòd idem Arauſicos Armeniacenſeſque confundit, refelli non meretur. Livius in libro xxi. Hannibalis iter in Italiam per Galliam Narbonenſem deſcribens, *tandem* (inquit) *in Volcarum pervenit agrum, Gentis validæ. Colunt autem circa utramque ripam Rhodani*. Hoc de *Volcis Arecomicis* Livius dicit; Volcæ enim Tectoſages procul à Rhodano aberant: & Mela quum *Rhodanum inter Volcas & Cavaras emitti* ait, *Volcas Arecomicos*, non autem Tectoſages deſignat. Quædam in ſiniſtra ripa Rhodani ſeu in finibus provinciæ Viennenſis *Volcæ Arecomici* obtinebant ætate Hannibalis, atque etiam Livii: ſicuti *Allobroges*, Gentem maximam provinciæ Viennenſis, *trans Rhodanum vicos poſſeſſioneſque habuiſſe* Cæſar ſcribit, nimirum in Sequanis; & *Menapios ad utramque ripam fluminis Rheni agros, ædificia, vicoſque habuiſſe*. Similiter Mela quum inter Rhodanum & Ledum flumina ponit *ſtagna Volcarum*, de *Volcis Arecomicis* loquitur, qui hæc loca obtinuerunt. Et Plinius in libri ix. capite viii. *provincia Narbonenſis in Nemauſenſi agro ſtagnum Laternam appellatum*, anguſtis faucibus, capturâ mugilum nobile celebrat: Nemauſenſis porrò ager cum Nemauſo, *Volcarum Arecomicorum* pars eſt. Idem ſecutus Melam, qui in litoribus Galliæ Narbonenſis *raras urbes raroſque portus, & omnem plagam Auſtro atque Africo* ſeu Circio *expoſitam eſſe* ſcripſerat, violento alteri, alteri culices invehenti; in Narbonenſi provincia *oppida eſſe rara præjacentibus ſtagnis* affirmat. In libro i. de bello Civili dicitur Cn. *Pompeius agros Volgarum Arecomicorum & Helviorum* (id eſt Helviorum) *publicè Maſſilienſibus conceſſiſſe*. *Vocontiorum* (inquit Plinius) *civitatis Fœderatæ duo capita Vaſio & Lucus Auguſti; oppida verò ignobilia* xix. *ſicut Arecomicorum* xxiv. *Nemauſenſibus attributa*: quæ verba Cęſari contradicere videntur.

Straboni metropolis eſt *Volcarum Aricomicorum Nemauſus*, Νέμαυσος, à Rhodano centum ferè ſtadiis diſtans: quos *Volcas Aricomicos* Strabo *alteram*, nimirum dextram *Rhodani ripam accolere* tradit, circa alteram ripam colentibus Salyis & Cavaribus. Ab Mela *Arecomicorum Nemauſus* adnumeratur urbium Galliæ Narbonenſis opulentiſſimis iv. loco; Plinio *Nemauſum Arecomicorum* in Narbonenſi provincia nuncupatur; *Col. Aug. Nemauſus*, id eſt *Colonia Auguſta Nemauſus* in nummo Auguſti; *Col. Nem.* hoc eſt *Colonia Nemauſus* apud Golzium alioſque in nummo Antonini A. Ptolemæo ſub Volcis Tectoſagibus ſunt *Volcæ Aricomij* uſque ad flumen Rhodanum: quorum urbes

mediterraneæ *Vindomagus & Nemauſus colonia*, Νέμαυσος Κολωνία, in libro VIII. & Europæ tabula IV. ἡ Νέμαυσος ἐπίσημος dicta, *Nemauſus illuſtris*. Stephanus memoriæ prodidit, Parthenium ſcripſiſſe, *Nemauſum urbem Galliæ à Nemauſo Heraclida* conditam ac dictam fuiſſe: *ethnicon* eſſe *Nemauſius*, & *Nemauſinus*. Ego à *Nemauſo* fonte ſuo nomen accepiſſe *Nemauſum* non dubito, cujus fontis in Burdigala (ni fallor) meminit Auſonius.

> Vitrea non luce Nemauſus
> Purior.

Negat Auſonius *Divonâ* fonte Burdigalenſi *Nemauſum* fontem urbis *Nemauſi* eſſe ſplendidiorem. Nunc fluviolus *le Viſtre* vulgò dictus, (ſi qua Catello & tabulis fides habetur) per foſſam *Nemauſenſis civitatis* decurrit, alluitque vicos Burgum *le Bourg*, Viridaria *Vergeres*, Veſtricum *Veſtric*, Vallem Viridem *Vauvert*; Salmoſam *Salmoze*, & non procul ab Aquis Mortuis in maritimum ſtagnum Laternam ſive Taurum paludem (*l'eſtang du Tau*) ſe fundit. Hic fluviolus, eſt omnino *Nemauſus*. Auſonii veterumque, fons *Nemauſi* urbis, qui rivum facit per ſupradicta loca decurrentem, & quòd ſit more vitri purus, ſplendidus atque perſpicuus, depoſitâ *Nemauſi* appellatione, pridem *Vitreus* nuncupatus eſſe mihi videtur à Latinis ſcriptoribus, & à Noſtris demum inſerta ſ. litterâ *le Viſtre*.

In Veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ *civitas Nemauſenſium* appellatur, ſemel ſed mendosè *civitas Nemauſa*; & inter provinciæ Narbonenſis primæ civitates octo quartum, ſæpiùs V. obtinet locum; in Roberti Chronico tertium. Gervaſius Tilleberienſis, & quædam Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ eo recentiores Epiſcopum *Nemauſenſem* ſeptimum tantummodò (quod miror) ſive antepænultimum ponunt inter novem Antiſtites, Narbonenſi Vaſconiæ Archiepiſcopo ſuffragantes.

Æthicus in Itinerario *Nemauſum* collocat ſemel ac iterùm *Arelate* inter & *Ambruſſum*, (*Ambres*) ab Arelate XIX. aliàs XIV. ab Ambruſſo XV. millibus diſtantem; quam urbem tabula Peutingeriana inter *Ambruſium* & *Ugernum* ponit, ac *Nemuſum* corruptè appellat. Gregorius *urbem Nemauſum* in *Septimania provincia* memorat libri VIII. capite XXX. Appendix Fredegarii inter regionis Gothicæ *urbes famoſiſſimas Nemauſum, Agathen*, & *Biteras* numerat, quæ à Carolo Duce & Principe Francorum dirutæ aut mœnibus nudatæ ſunt ejectis Saracenis. *Nemauſus* vulgò *Nimes* dicitur.

Suetonius memoriæ tradidit, *Nemauſenſes* Tiberii Rhodi manentis imagines & ſtatuas ſubvertiſſe per odium aut contemtum: & ſi qua Julio Capitolino fides, Hadrianus Aug. *Baſilicam in honorem Plotinæ apud Nemauſum opere mirabili exſtruxit*: & T. Aurelii Antonini Pii Imper. paternum genus è Gallia Tranſalpina, *Nemauſenſe* ſcilicet fuit. *Corporati Nemauſenſes*, & *Horologium Nemauſi* in veteribus inſcriptionibus reperiuntur; in Notitia Imperii Rom. *Præpoſitus theſaurorum Nemauſenſium*. Sed ante omnia hæc urbs Amphitheatrum hodieque habet magnificentiſſimum, & maxima ex parte integrum, *Arenas* vulgò dictum. Julianus Toletanæ ſedis Archiepiſcopus, de expeditione Vvambæ Regis Gothorum in Gallias, *Arenas validiori muro cinctas*, item *caſtrum Arenarum*, & *clauſtra Arenarum* vocat; *gradus marmoreos* loci memorat, & *cavernas* vel *abdita Arenarum*, quò ſe Paullus rebellis cum ſuis receperat, atque extra civitatem fuiſſe *Arenas* indicat. Solebant autem qui bellum gerebant, Amphitheatra urbium, & cetera opera Romana arte & natura munita, Eccleſias etiam majores Chriſtiani pro caſtellis habere, & ſi vulgari verbo uti liceat, incaſtellare. Unde Aimoinus ſcribit, *Trevirinos in Arenis civitatis locato præſidio, conatibus Chrocì Regis reſtitiſſe*. In litteris Bernardi Atonis *Vicecomitis Nemauſenſis*, datis anno MCLXXIX. *civitatem de Nemauſo*, & *caſtrum de Arenis prope civitatem* commemorari video, item *omnes habitantes in Nemauſo, & in Arenis*, tamquam in locis diſtinctis. Amphitheatra enim plerumque extra urbes erant, ab arena ſeu cavea, parte ſui, *Arena* Gallis plerumque dicta. Hæc autem cavea ſeu arena, Amphitheatri area erat, *cavea* à cavitate nuncupata, *arena* ab arena quâ ſpargebatur. De *Nemauſo* ſic Theodulfus in Paræneſi ad Judices ſcribit.

> Inde Nemauſiacas ſenſim properamus ad arces:
> Quò ſpatioſa urbs eſt, reſque operoſa ſatis.

Quibus verbis *Nemauſum* urbem magnam fuiſſe, & valdè operibus Romanis, nimirum Amphitheatro ſuo, & Baſilicâ Plotinæ illuſtrem ac claram apertè indicat, Principatu Ludovici Pii Aug. ante annos DCCCXL. In Paſſione MS. S. Baudelii de *Nemauſo* hæc reperio. *Ea tempeſtate urbs eadem murorum & celſarum turrium præmaximo ambitu & firmitate ſicuti compagine quadrorum erat conſpicua; civium frequentia & inhabitatione nimium populoſa, & mercimoniis divitiarum undique advectis ſupramodum opulenta.*

Nemauſenſis ager, cujus ſuprà à nobis Plinii verbis mentio facta eſt, longè lateque olim patuit ad Rhodanum & ad Vardonem ac mare: ſi verum eſt, quod ait Plinius, *Arecomicorum opida ignobilia* XXIV. *Nemauſenſibus attributa fuiſſe*. In *pago Nemauſenſi* maritimum *ſtagnum Laterna*, à Plinio celebratum. Recentiores quidam *agrum Nemauſenſem*, *le Nemauſois* vocant; & urbis incolas ſeu *Nemauſenſes*, *les Nemauſois*: quod nomen apud veteres noſtros ſcriptores reperire non memini.

Diœceſi *Nemauſenſi* in *Volcis Arecomicis* continentur *Nemauſus*, Aquæ Vivæ *Aigues Vives*; Villa S. Ægidii *S. Gilles*; Aleſtum *Allex* vel *Alau* Comitivæ caput; Furcæ *Fourgues* aut *Fourques*, opidum à ſitu ita dictum, quòd ibi Rhodanus in tres alveos diviſus velut furcam tridentem refert: Bellum Quadrum, aliàs Bellicadrum *Beaucaire*; Juncariæ, Bellagarda, Sumerium *Somiere*; Anduſia *Anduſe* ad Vardonem poſita; Turnacum *Tournac*; Colomacum *Colognac*; Vicanum *Vigan*; Sal-

via *Sauve*; & Armaſanicæ *Aymargues*, cujus in municipii Vicariatu Aquæ Mortuæ ſunt, *Aigues-mortes*, & Vallis Viridis *Vauvert*. Ex quibus Aleſtum ad Vardonem fluvium, Bellicadrum, Sumerium, Anduſia, Vicanum, Salvia & Armatanicæ capita ſunt Vicariatuum vel Vicariarum, quas incolæ *Vigueries* vocitant, & Vicarios *Viguiers*.

Volcarum Arecomicorum altera urbs *Vindomagus* à Ptolemæo refertur, & quidem primo loco: quam nos *Vetiam* eſſe ſuſpicamur, aut potiùs credimus. Fuit & *Volcarum Arecomicorum* urbs *Magalona*: ex qua ſedes Epiſcopatûs Montem Peſſulanum tranſlata eſt.

VOLCÆ TECTOSAGES, ET TOLOSA VOLCARUM TECTOSAGUM.

Qui Straboni Οὐολκαὶ οἱ Τεκτόσαγες; Ptolemæo Οὐόλκαι Τεκτόσαγες; Cæſari, Livio & Melæ *Tectoſages*; Plinio nunc *Tectoſages*, nunc *Tectoſagi*; Juſtino quoque *Tectoſagi*; *Volcæ Tectoſagi* Auſonio, & in tabula Peutingeriana dicuntur: Stephano *Tectoſax*, & *Tectoſages* (Τεκτόσαγες) nonnumquam in nominativo ſingulari, in plurali *Tectoſages* & *Tectoſagæ*, *Gens Gallica*. Scribit Strabo *Volcas Tectoſages* ad Pyrenæum accedere, & Septemtrionalia Cemmenorum montium nonnihil attingere, atque eorumdem montium auſtrina uſque ad promuntoria habitare, & ſecundam auri terram colere: unde plurimi ſeditione pulſi migraverint in Aſiam, ac Phrygiæ majorem melioremque partem armis obtinuerint, caputque Ancyram habuerint. Pars hæc Phrygiæ *Galatia* & *Gallogræcia* à Gallis, qui Græcis miſti erant, dicta. *Quæ fertiliſſima ſunt Germaniæ loca circum Hercyniam ſilvam, (quam Eratoſtheni & quibuſdam Græcis fama notam eſſe video, quam illi Orcyniam appellant) Volcæ Tectoſages occuparunt, atque ibi conſederunt*; ut Cæſar in Commentario VI. belli Gallici refert: cujus verba tranſcripſi, prout ab Aimoino emendata laudantur: cùm legatur apud Cæſarem, *Orciniam appellãt vulgò. Tectoſages occuparũt.* Etiam *ex Gente Tectoſagorum non mediocris populus Illyricum petivit, ſpoliatiſque Iſtris, in Pannonia conſedit*: quemadmodum Juſtinus in libro XXXII. prodidit. *Galli* (ait Livius libro XXXVIII.) *ſeu inopiâ agri, ſeu ſpe prædæ, Brenno Duce in Dardanos pervenerunt: ibi ſeditio orta, & ad XX. millia hominum, ſeceſſione factâ à Brenno, in Thraciam iter averterunt, & poſtea à Byzantio in Aſiam tranſmiſerunt. Cùm tres eſſent Gentes, Toliſtobogi, Trocmi, Tectoſagi, Trocmis Helleſponti ora data, Toliſtobogis Æolida atque Joniam, Tectoſagi mediterranea Galatiæ occuparunt*, & ſtipendium totâ cis Taurum Aſiâ, à Syriæ quoque Regibus terrore nominis exigebant. At Plinius Toliſtobogos in Galatia parte Phrygiæ majore cum Tectoſagibus collocat, Trocmos in Mæoniæ & Paphlagoniæ regione.

Volcarum Tectoſagum urbes à Ptolemæo nominantur, Toloſa, Illiberis, Ruſcino, Narbo, Carcaſſo, Beterræ, Ceſero, Agatha. Falsò igitur Scaliger *Beterras* Volcis Arecomicis attribuit.

Clarior eſt quàm ut indicari egeat *Toloſa*. Cæſar in libro III. tradit, P. Craſſum *multos viros fortes Toloſâ & Narbone, quæ ſunt civitates Galliæ provinciæ finitimæ Aquitaniæ, nominatim evocaviſſe*. M. T. Cicero in Oratione pro M. Fonteio *Toloſæ* ter meminit, necnon *Crodunis, Vulchalonis, & Cobiomagi vici inter Toloſam & Narbonem*: quæ loca nunc ſunt incognita. Straboni dicitur *Toloſſa* Τολῶσσα, poſita in anguſtiis iſthmi, Oceanum à mari Narbonenſi vel interno dividentis; Melæ quoque inter urbium quas habet Gallia Narbonenſis opulentiſſimas *Toloſſa Tectoſagum*: ſimiliter Aquis Sextiis veteri marmori inſcriptum legitur, *Silvano Toloſſenſi.* In nummo Galbæ *Colonia Toloſa* vocatur; Ptolemæo in *Volcis Tectoſagibus Toloſa colonia* urbs mediterranea, Τολῶσα κολωνία; in tabula Peutingeriana, inter *Caſinomagum* & *Lacteram Toloſa*; in Itinerario Hieroſolymitano *civitas Toloſa*. Juſtinus *Tectoſagorum Gentis antiquam patriam Toloſam* ad *Toloſenſem lacum* appellat: *Palladiam* Martialis, Auſonius Sidoniuſq; cognominant à templo & cultu Minervæ; Auſonius etiam *opulentam*.

Auſonius Narbonem XII. loco claras inter urbes poſuit, *Toloſam* XV. muris ex latere coctо ingentis ambitûs cinctam, appoſitam Garumnæ flumini

> Innumeris cultam populis confinia propter
> Ninguida Pyrenes, & pinea Cæbennarum,
> Inter Aquitanas Gentes & nomen Iberum.

Quibus verſibus non ſitus *Toloſæ* deſcribitur, ſed fines *Volcarum Tectoſagum*, quales ferè à Strabone ſupra aſſignantur. Certè pleræque urbes *Volcarum Tectoſagum*, in primis *Toloſa*, inter Aquitaniam & Hiſpaniam, ſive inter Cebennas Pyrenæoſque ſunt ſitæ. Addit Auſonius,

> Quæ modò quadruplices ex ſe cùm effuderit urbes,
> Non ulla exhauſtæ ſentit diſpendia plebis,
> Quos genuit, cunctos gremio complexa colonos.

Hæ IV. *urbes quas modò Toloſa effudit*, ſunt omnino (ni fallor) quatuor novæ ejus regiones, propter magnitudinem ſui *urbes* & *coloniæ* à Poëta dictæ, quibus non multo antè, & forſitan ætate ipſius aucta fuerat, & quarum ope alumnos ſuos ac cives omnes gremio continebat: quibus in longinqua miſſis facilè potuiſſet exhauriri. Hæ IV. *urbes* vel *coloniæ*, aut regiones veteri civitati additæ & adjunctæ, inſtar V. urbium erant. Unde Auſonius in epiſtola ad Paulinum *Toloſam quintuplicem* vocat. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Toloſatium* ſecundum locum tenet inter provinciæ Narbonenſis primæ civitates octo; in quadam Notitia *civitas Toloſanenſium* mendoſè nuncupata. Apud Robertum quoque in Chronico à Narbone metropoli proxima eſt *civitas Toloſa* inter Narbonenſis provinciæ decem civitates At Ger-

vaſius Tiſleberienſis,& Notitia Epiſcopatuum Galliæ ipſo recentior *Toloſanum* quinto loco ponunt inter IX. Epiſcopos Narbonenſi Vaſconiæ Archiepiſcopo ſuffragantes, Carcaſſonenſi, Biterrenſi, Agathenſi, Lutevenſique (quod mirere) ei prælatis. *In Narbonenſi Narbonam & Toloſam principatum urbium tenere* ait Ammianus: quas ambas Aimoinus & Hugo Aquitaniæ urbibus magno errore adnumerant.

Johannes demum PP. XX. vulgò dictus XXII. *Toloſam* ad metropolitanum ſive Archiepiſcopale extulit faſtigium, & VII. novas ei ſedes attribuit, Apamienſem, Mirapicenſem, S. Papuli, Montis Albani, Rivenſem, Lumberienſem, & Vaurenſem: veterem provinciæ metropolitanum Narbonenſem Carcaſſone, Elena, Biterris, Agatha, Leuteva, Magalona, Nemauſo, Uccecia antiquis ſedibus, ac Tomeriis S. Pontii, & Electâ novis Epiſcopatibus ſuffragantibus contentum eſſe juſſit.

Una hodieque è maximis Galliarum clariſſimiſque urbibus *Toloſa*, vulgò dicta *Toloſe* aut *Toulouſe*, per annos XXCIX. Regia Veſigothorum fuit, caputque *Regni Toloſani*, quod Chlodoveus Rex Francorum victo cæſoque Alarico evertit ac occupavit. Poſtea Charibertus Dagoberti Regis Francorũ frater, cùm *Toloſates*, Cadurcos, Aginnenſes, Petrocorios, Santones, & Novempopulos à fratre accepiſſet, *ſedem Toloſanam eligens, regnavit* aliquamdiu *in parte provinciæ Aquitanicæ*, ut Fredegarius ſcribit, & quotquot eum tranſcripſere. Deficientibus Merovei poſteris, ſub Pippino & Carolo Ducibus & Principibus Francorum, ſubque Pippino Rege Caroli filio, *Toloſam* cum Uccecia Duces Aquitaniæ obtinuere, Eudo, ejuſque filius ac nepos, Hunoldus & VVaifarius. *Toloſam* obtinuere deinde Reges Aquitaniæ, Ludovicus Pius, & Pippinus ejus filius nepoſque Pippinus, ac Carolus Caroli Calvi filius. Succeſſere eis longo pòſt intervallo *Toloſæ* Comites, nonnumquam Comites S. Ægidii nuncupati; qui totam Gothiam, & partem etiam Aquitaniæ, nimirum Albigenſes, Cadurcos, Aginnenſes, Rutenos etiam ac Petrocorios obtinuerunt.

Toloſates bis memorat Cæſar, & *Santonum fines non longè à Toloſatium finibus abeſſe* ait in libro I. parum exactè; cùm minimum XXX. leugis diſtent. Æthicus in Coſmographia, ac Veteres Notitiæ Galliæ *Toloſates* etiam appellant, ut & Martialis, qui *quadræ caſei Toloſatis* meminit. Plinio in libri III. capite IV. dicuntur *Toloſani Tectoſagi Aquitaniæ contermini*; in capite XIX. libri IV. *Toloſani, Nitiobroges Tarne amne diſcretos à Toloſanis* aſſerenti. Gregorius noſter in libri IX. capite XXXI. *Toloſanos* nuncupavit; vetus inſcriptio, Juſtinus & Hieronymus *Toloſenſes*. Quo nomine *Toloſatium*, vel *Toloſanorum* aut *Toloſenſium* non tantùm incolæ *Toloſæ* (*les Toulouzains*) ſed etiam totius *pagi Toloſani* deſignantur.

Pagum Toloſanum Fredegarius in libri V. Chronici capite LVII. & Geſta Dagoberti, aliique commemorant, *le Toulouſain*. Ludovicus Pius Auguſtus in ſtatuto de Monaſteriis Regni Imperiique ſui *pagum Toloſanum* non modò à *Septimania*, ſed etiam ab *Aquitania* ac *Vaſconia* diſtinguit: ut & Vita Ludovici Pii *pagum Toloſanum* à *Septimania* ſeparat in enumeratione Monaſteriorum, quæ hic Princeps reparavit, aut à fundamentis exſtruxit. Primus omnium Gregorius Turonicus Epiſcopus in libri VIII. Hiſtoriæ capite XXX. *Septimaniam provinciam* quæ Gothorum Regibus parebat, à *pago Toloſano* Franciciæ ditioni ſubjecto diſtinxit.

Eſt in Vardulia, regione Hiſpaniæ Tarraconenſis Aquitaniæ finitima, quam nunc indigenæ *Ipuſcoam*, Hiſpani *Guipuſcoam* vocant, *Toloſa* urbs mediterranea, *Toloſeta* quibuſdam dicta, ad quam fluvius Uria vel Oria Ataxem accipit. Nec procul à *Toloſa* abeſt vicus ad Garumnam, vetus *Toloſa* dictus, *Vieille Toloſe*. Eſt & in Vaſconia ſeu Novempopulana *Toloſula* vel *Toloſella*, *Toloſette*, prope Monaſterium S. Severi & Montem Martiani nota heic opida.

Toloſana Diœceſis continet præ ceteris *Toloſam*, Placentiam, Villam Novam, Montem Aureolum *Montoriol*; Veterem Toloſam *Vieille Toloſe*; Villam Longam *Ville Longue*; Pauliacum, Judicaturam Lauriacenſem *la Jugerie de Lauraguez* vel *Lauragois*, Sanctam Fidem *Sainte Foy*; Montem Acutum *Montagut*; Villam Francam, Montem Goliardum vel Galardum *Montgailhard*, Montem Laureum, Clarum Montem, Vivaria, Altam Ripam.

Erat Toloſæ *Capitolium*, uti Narbone ac Coloniæ Agrippinæ, Jovi dicatum, & celſo in loco poſitum, quò multis gradibus adſcendebatur: quod Sidonius, Gregorius in libri I. capite XXVIII. aliique commemorant. Erat ibi & *Amphitheatrum*, & *Palatium*: quorum trium operum Romanorum nullæ ſuperſunt reliquiæ. Petri Mauricii Abbatis Cluniacenſis in epiſtola adverſus Petrobruſianos de ſummo ac multorũ graduum *Capitolio Toloſæ* verba ſunt hæc: *Iſta cùm in Capitolio Senatorum, quales vos aggregare ſoletis, de Conſulari vel Regio tribunali declamatorio ore vobis proferre moris ſit, adducto ſtatim in ſententiam veſtram eruditiſſimorum illorum conventu, invicta orationi ſubitò acclamatur.* Ex quibus intelligitur *Capitolium Toloſæ* ætate Petri qui anno MCLVIII. obiit, adhuc ſtetiſſe, & *Toloſatibus* pro domo publica in qua conventus haberent fuiſſe. *Senatores* vocat Petrus & quidem *eruditiſſimos*, magiſtratus aut principes civitatis *Toloſæ*. Ab *Capitolio Capitolini* dicti ſunt magiſtratus publici *Toloſæ*, *Capitouls*, quos alii velut à *Capitulo Capitularios* vocant: quales Burdigalæ ſunt Jurati, *Jurats*; alibi Conſules, *Conſuls*; alibi Pares, *Pairs*; alibi Scabini. Toloſæ regiones ſunt VIII. quæ *Capitolatus* vocantur, *Capitoulas*. Ibidem Petrus *Toloſam* appellat *urbem vicinis populoſiorem, & aſſiduitate frequentium populorum, ac experientiâ multiplicium doctrinarum doctiorem; nobilem ex ſe, ignobilem ex errore* Petrobruſianorum: & cùm epiſtolam hanc ad Arelatenſem & Ebrodunenſem Archiepiſcopos, & ad Deenſem ac Vapincenſem Epiſcopos ſcri-

bat, nihilominùs eorum *provinciam Septimaniam* ſemel atque iterum nuncupat: ut appareat non *Provinciam* modò, cujus eſt Arelatum, ſed etiam Dalfinatum, cujus urbes ſunt Ebrodunum, Dea & Vapincus, unà cum Gothia à Petro Mauricio *Septimaniæ* appellatione deſignari.

Guillelmus de Podio Laurentii in capite xxx. *Vadaculum Toloſæ* memorat. *Intravit Toloſam menſe Septembri non ponte, ſed vado ſub Vadaculo. Vadaculum* dictum quaſi parvum vadum: poſt *Badaclum* nuncupari cœpit, vulgo *Baſacle*. Inde nomen habent *Caſtrum Vadaculi*, aut *caſtrum de Badaclo*; & *Pons Badacli*, vel *ad Badaclum*, *le Pont du Baſacle*; Molæ *Badacli*, *les Moulins du Baſacle*: & Porta *Badacli*, *Porte du Baſacle*, loca Caſtro proxima. Ibidem Guillelmus *Pinnam Teretii*, & *Pinnam S. Jacobi* in eadem urbe memorat, loca mihi incognita. Eſt hodieque *Toloſæ* Oratorium ſeu Eccleſiola S. Jacobi, matrici vel metropolitanæ Eccleſiæ S. Stephani proxima, cujus parietes cum pinnis ſuis ac turriculis *Pinnæ S. Iacobi* nomine fortitan ab Guillelmo deſignantur.

Apud Lambertum Schafnaburgenſem in Chronici anno MXLIX. paginâ XVI. & in anno MLXIX. paginâ CLXXIX. *Toloſæ* fit mentio tamquam Imperatori ſubjectæ, vitio exemplarium. Nam paginâ XVI. pro *Toloſæ* emendandum eſt *Tullenſem*: & in paginâ CLXXIX. *Tullenſis* ſubſtituendum in locum *Toloſa*.

Comes Toloſanus, qui & Marchio Provinciæ erat ac vocabatur, anno MCCXXXV. *de Marchia Provincia homagium præſtitiſſe Imperatori, à quo eam recipiebat*, dicitur Godefrido in Annalibus. Nimirum Provincia cum Dalfinatu, Sapaudia & Burgundiæ Comitatu Imperio accenſebatur. Unde Comitem Provinciæ ab Imperatore Militem factum apud Godefridum invenio: & *Ludovicum Provinciæ Comitem* anno MCLX. *Erfordiam cum aliis Imperii Proceribus veniſſe, & auxilium contra Mediolanenſes Imperatori conjuraviſſe*, id eſt Imperatori jurejurando vel ſacramento promiſiſſe, Appendix Lamberti tradit.

VOLOVICUM.

Præjectus Arvernorum Epiſcopus, vir ſanctus, unà cum Marino Abbate & miniſtro quodam ſuo, *in loco Volovico*, aliàs *Volvico* per ſicarios ab Arvernorum Proceribus ſubornatos ac immiſſos eſt interfectus ac ſepultus: quem plerique Martyrem vocant. Natalis ejus VIII. Kalendas Februarii Martyrologiis adſcribitur. Avitus Præjecti ſucceſſor in eodem loco, ob plurimas admirabileſque Beati Antiſtitis virtutes, Monaſterium cum Baſilica ædificavit, cui & Bodonem ejus propinquum præfecit Abbatem: ut docet vetus auctor libri de Vita S. Præjecti. *Volovicum* nunc *Volvic* appellatur. In Vita S. Boniti Arvernorum Epiſcopi *Eodaldus Volvicenſis Cœnobii Pater*, id eſt Abbas memoratur: quod *Vulvicenſe Cœnobium* dicitur in Vita S. Auſtremonii; *Vulvicum* in Tranſlatione ejus.

VOLTA.

Volta in veteribus Paſchalis PP. & Ludovici Francorum Regis litteris, ante annos DL. datis, numeratur inter Prioratus Ordinis Cluniacenſis, locus in Arvernia ad Elaver, Monaſterio clarus, etiamnum dictus *la Voute*. Monachus quidam in libro de Vita S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis quinti, *Quidam* (inquit) *S. Dei Matris Anicienſis Eccleſiæ Clericus nobiliſſimus, lepræ contagio maculatus, privatum ſibi velut tantæ corruptioni neceſſarium juxta Alerii (Alier) fluvium quemdam elegerat locum, Monaſterio quod dicitur Volta contiguum*. Et infrà. *Conſtruxit etiam in prædiolo genitorum ſuorum quoddam Monaſterium, Volta à revolutione aquæ circumcurrentis nuncupatum, ſtudioſo opere decoratum. Volta* igitur dicta à voluendo pro *Voluta*, eſtque in Diœceſi S. Flori poſita. Eſt & *Volta* ad Rhodanum, *la Voute*, contra Rhodani & Drunæ confluentes, inter Turnonem Vivariumque poſita.

VONGUS VICUS.

Vongus vel *Vongum vicus* in Itinerario Æthici memoratur, in itinere à Durocortoro Treviros, & inter Durocortorum Remorum ac Epoiſſium vicum ponitur, ac leugis XXII. ab utroque loco abeſſe dicitur. Hic eſt, ut exiſtimo, vicus ad Axonam poſitus, medio inter urbem Remos ac Epuſum vel Epoiſſium ſpatio, vulgò *Vou* dictus: aut certè potiùs *Vouzi*, vel *Vonſi*, qui locus ad idem flumen ſitus eſt, nec procul à *Vou* diſtat, eoque vico multo major eſt & clarior ac frequentior. *Municipii Vongi* meminit Frodoardus in libri III. Hiſtoriæ Remenſis capite X. quod & *caſtrum Vonzenſe* vocat. Hic vicus nomen dedit *pago Vongenſi*: quem Capitula Caroli Calui *Vonziſium*, id eſt *Vonzenſem* appellant, & inter *Remtianum* pagum ac *Stadiniſum*, hoc eſt inter pagum Remenſem ac Stadinenſem ponunt. *Vozinſem* mendoſe Annales Fuldenſes nuncupant: Frodoardus in libri II. capite XVIII. optimè omnium *pagum Vongenſem* vocat, & inter Dolomenſem ac Caſtricenſem pagos medium interponit; idem eumdem initio Chronici *pagum Vonzinſem*, alias *Vozinſem* appellat. Alcuinus in Vita S. Vedaſti ejuſdem pagi meminit his verbis. *Venerunt in pago Vongiſe ad locum qui dicitur Grandeponte, juxta villam Reguliago ſuper fluvium Axona*. Erat ergo pagus *Vongenſis* ad flumen Axonam. Reguliacum autem vel Riguliacum eſt omnino vicus ad Axonam inter Attiniacum & *Vonſi*, vulgo *Rilly* dictus. In Diviſione Regni Imper. Ludovici inter filios *Vngenſis* mendoſè vocatur & ſcribitur pro *Vongenſis*, poniturque *in media Francia* inter *Varenſem* & *Caſtrenſem*: *pagus Vonceacus* dicitur in libro de Miraculis S. Dionyſii ante annos DCCC. compoſito.

VOSAGENSIS VICUS.

Voſagenſis territorii Biturici pagus à Grego-

rio in libri Hiſtoriæ Franciccæ IX. capite XIX. memoratur : quem *Beſage* interpretatur Marollius, & in extremis Biturigum finibus eſſe ait.

VOSAGUS SILVA ET MONS, ET DE VOGESO.

Silva Voſagus ingenti magnitudine, Auſtriam à Burgundia dividebat. Ejus pars major ab Auſtraliorum Regibus poſſidebatur, quà ſcilicet *Voſagus* Borbetomagum, Nemetas, Tabernas, Saletionem, Brocomagum ac Argentoratenſes ad Rhenum attingit, & quà introrſus pertinens inter Moſellam ac Moſam attollitur : reliqua pars circa caſtrum Luxovium & Anagratas Monaſteriumque Salicis in Sequanis, Regum Burgundiæ erat. In ſilva *Voſago* bubali ſeu boves feri multi naſcebantur : quos ab imperito vulgo pro uris bubalos vocari tradit Plinius, cùm bubalos gignat Africa vitulorum potiùs cervorumve quadam ſimilitudine : ut in libro XV. Rerum Francicarum ſcripſimus. *Silvam Voſagum* quidam *ſaltum Voſagum*, alii *eremum Voſagum* nuncupant ; interdum *Voſegum ſilvam*, *Voſegi ſaltum atque ſecreta*, ut Eginhardus in Annalibus ; Vita Ludovici Pii Imper. *Voſagi luſtra*, ac *Voſagi latiſſimam vaſtitatem* ; *Vuaſagum* Nithardus in libro III. *Vuoſegam ſilvam* priſci Annales. Ab ea Frotharius Tullenſis Epiſcopus in epiſtola ad Drogonem Mettenſis Eccleſiæ Epiſcopum *Monaſterium Voſgenſe* videtur appellaviſſe.

Fortunatus in Carmine ad Gogonem de *Voſagi* feris & Arduennæ ita refert.

Ardennæ, an Voſagi, cervi, capræ, helicis, urſi
Cæde ſagittifera ſilva fragore tonat?
Seu validi bufali, &c.

Jonas de Vita Columbani Abbatis *eremum vaſtam Voſagum, & aſpera vaſta ſolitudinis ſcopuloſaque loca* commemorat, *in quibus ſola feræ, urſi, bubali, lupi frequentes videbantur*. De bubalis *Voſagi ſilvæ* idem affirmat Gregorius noſter in libri Hiſtoriæ X. capite X. In ea ſilva Cœnobium Montis Romarici vetus ac nobile, ſeu Rumerici caſtellum poſitum eſſe præ ceteris, docet Vita S. Salabergæ.

In tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana à Bonconica ad Brocomagum pertinet *ſilva Voſagus*, quod eſt ſpatium millium paſſuum LXI. ad ripam Rheni. Eſt autem ſilva, ſimul ac mons quoque eo nomine, quem multicipitem montem aiunt inter Aleſatios & Lotharienſes eminere, & longo tractu à Treviris per Mediomatricos & Leucos ad Lingones & Sequanos pertinere, alibi convallium & perennium aquarum amœnitate, alibi ſilveſtrium jugorum altitudine ſpectabilem ; quà in Lotharingiam & in Burgundiam Comitalem brachia diffundit, claris Monaſteriis inſignem. Mons *Voſagus* Lotharingiam à Comitatu Burgundiæ & ab Aleſatia diſcludit : nec jam à Bonconica ad Brocomagum, ut tabula Theodoſiana docet ; ſed ad Auguſtam Rauracûm aut ad Baſiliam Sequanorum pertinet, quod eſt ſpatium CXXXII. milliarium : ac vulgò dicitur à Noſtris *le mont de Voſge*, vel *les montaignes de Voſge*. Nomen *Voſegi* aut *Voſagi* ſervat Cœnobium cum vico *Voyge* aut *Voyſe* dictum, Moſæ fontibus proximum : ſervat & inter flumina Moſam ac Moſellam ſilva ingens cùm plana tum maximè montana, quam *la foreſt de la Voyge*, aliàs *le bois de la Voyſe* nuncupant, à qua abeſt opidum *Voyſſi* milliaria circiter XXXII. *Voſagi* appellationem retinens. Mons ſilveſtris Burgundiam Comitalem à Lotharingia dividens, ac propterea Mons Burgundiæ dictus, *Montaigne de Bourgongne*, aliàs Mons Falcium à feno & paſcuis, *Mont de Faucilles*, pars eſt ſaltus ac *montis Voſagi*. Regio utrumque *montis Voſagi* latus continens uſque ad Duos Pontes opidum ſive *Zu eipruck*, *Voſagia* aut *pagus Voſagenſis* nunc vulgo nuncupatur, à Lotharienſibus quidem *le pays de Voſge*, aut *la Voſgue*, à Germanis autem *Das Vvaſgavv*, id eſt Voſagenſis pagus. *Gavv* enim & *govv* Germanica linguà pagum ſignificat, ut Cluverius ſcribit : & Nithardus *Vuaſagum* pro *Voſago* vocavit, ex quo *Vvaſ-gau* Germani fecerunt. Ex his apparet, plurimos montes longe lateq. diffuſos, ſed alteros alteris contiguos communi nomine atque ſingulari *Voſagum* vocari, id quod Juræ, Cebennæ, Pyrenæo videmus accidiſſe. Richerius in Chronico Senonienſi hanc regionem deſcribit in libri I. capite II. excelſis montibus & vallibus profundiſſimis, in quibus nemora abiegna ſint aſperam, longam itinere IV. dierum, latam VI. aut VII. millibus, feris quàm hominibus convenientiorem : *quam terram* (inquit) *antiqui Voſagum, moderni Vogiam dixerunt*. Georgius Furnarius in ſua Orbis Notitia ſcribit, *Voſagum montem cum ſilva in Lingonibus oriri, & per XXV. leugas verſus ortum excurrere ad Baſiliam, quà Burgundiam à Lotharingia dividit ; inde ad Septemtrionem verſus continuis jugis & perpetuis ſilvis Lotharingiam ab Aleſatia ſeparantem, per L. leugas ad Mogontiacum & Auguſtam Treverorum expandi. Ex eo monte Moſam, Moſellam, Ararim* ſeu Sauconnam, *Hellum*, vel potiùs Ellum, *Ill*, alioſque non obſcuros fluvios *demitti*, alios in Oceanum, alios in mare Gallicum partim ſuo partim alieno ore perventuros.

Certè *ſilva monſque Voſagus* capita quatuor maximorum fluminum continet, Matronæ, Moſæ, Moſellæ, atque Araris. Ex quibus *Moſam profluere ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum*, tradit Cæſar in Commentario IV. belli Gallici : ex quo intelligitur *Vogeſum* montem à veteribus dictum eſſe, qui poſtea à recentioribus tranſpoſitis litteris vocatus ſit *Voſegus* & *Voſagus*. *Vogeſi* montis in Lingonibus meminit & Lucanus in libro I.

Caſtraque quæ Vogeſi curvam ſuper ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Eſt altera *ſilva Voſagus* in pago Diœceſique Laudunenſi, cujus Hermannus Monachus in libri III. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis capite III. ante annos D. meminit his verbis.

Epiſcopus (Laudunenſis Bartholomæus) *Laudunum rediens, duxit eum in ſilvam Voſagum, oſtenditque ei* (Norberto) *in ipſa locum quemdam, qui Pratum Monſtratum vel Præmonſtratus vocatur.* Idem in capite v. libri III. *ſilvam Voſagum* iterum vocat, & proximam Lauduno, ac extramurano Monaſterio S. Martini facit: alibi etiam in Laudunenſi Diœceſi *Cœnobium S. Nicolai in ſilva Voſago ſitum* commemorat: itaut nomine *ſilvæ Voſagi* ſilvam Codiciacenſem aut Farenſem Lauduno proximam deſignaviſſe videatur, *la foreſt de Coucy*, in qua uterque locus eſt.

VOSAVIA.

Voſavia in Tabula Peutingeriana vocatur, & ponitur inter Bontobricam vel Bodobricam & Bingium, à Bodobrica VIII. à Bingio XII millibus paſſuum diſtans. *Ober-Vveſel*, id eſt *Superius Vvaſaliacum* appellant Germani, ut diſtinguant à *Vvaſaliaco Inferiore*, quod ſitum eſt contra Burginatium, ad ripam dextram ſive Germanicam Rheni in duo brachia ſcindi properantis, & *Vveſel* vulgò dicitur. *Voſaviam* eſſe *Ober-Vveſel*, quæ & abſolutè *Vveſel* nuncupatur, obſervavit Cluverius in Germania Antiqua. Ego cum locum Hrabani ætate ante annos octingentos *Vaſaliacum* vel *Vvaſaliacum* recentiore nomine appellari animadverto. Sic enim ille in Martyrologio ſcribit. II. *Nonas Jul. depoſitio B. Goaris Presbyt. & Conf. qui in ultimos Galliæ fines, in provinciam quæ Rheno contigua Trigoria vocatur, & ad Diœceſin pertinet Treverorum, intra terminos Vvaſaliacenſes pervenit, & ibi Deo liberè ſervire delegit.* Ponit Hrabanus opidum Germanorum ſive opidum S. Goaris in provincia quidem Trigoria, ſeu in pago Trigorio Rheno flumini adjacente, & ad Diœceſin Treverorum pertinente, ſed *intra terminos Vvaſaliacenſes*: uti hodieque opidum S. Goaris, *S. Gevver*, *Vaſaliacum* attingit, atque inter ipſum ac Bobardum eſt ſitum.

Utrumque locum pro *Vaſaliaco Veſaliam* nunc omnes appellitant.

VOSIA.

Voſia clara veteri Abbatia, eſt in Lemovicum finibus, ac vulgò dicitur *Viſore*, aut *Vigeois*. Ab ea Gaufridus *Voſienſis Prior* cognominatus eſt, qui Chronicon ab anno DCCCCXCVII. ad annum MCXCIII. deduxit. *Voſium* quidam appellant.

VOSONNUM.

Botarotius nummum veterem publicavit, inſcriptum *Voſonno vico*. Nunc vocatur *Vonſon*, habetque Cellam vel (ut vulgari receptoque utar nomine) Prioratum, cui cura animarum adnexa eſt. Certe in Archidiaconatu Soliacenſi qui unus eſt de VI. Archidiaconatibus Eccleſiæ Aurelianenſis, inter Parœcias ſeu Eccleſias Baptiſmales numeratur *Prioratus Curatus SS. Petri & Eligii de Voſonno*. In Chartulario Abbatiæ Balgentiacenſis legi litteras Radulfi Balgentiacenſis domini, in quibus *B. Mariæ Eccleſiam juxta Ligerim in caſtro Balgentiacenſi ſitam*, (*Baugency*) *Eccleſiam S. Firmini, & Eccleſiam Voſonenſem* memorat. *Veſonum* ergo quidam ante annos DLXX. vocavere pro *Voſonnum*.

VOSSUENSE MONASTERIUM.

Foillanus Furſeum fratrem ſuum non multo pòſt ex Hibernia ſecutus in Gallias, *Monaſterium Voſſuenſe* beneficio ac largitione Gertrudis Virginis, Pippini Majoris domus filiæ, in villa ejus fundavit: ubi & obiit atque ſepultus eſt. Ita vocat hoc Cœnobium vetus liber de Vita B. Gertrudis. Poſtea *Foſſenſe* Monaſterium dictum eſt, u in f ex more Germanico mutato: *Foſſa* in Diviſione Regni Lotharii inter Ludovicum & Carolum anno DCCCLXX. facta. In Chronico Gemblacenſi, à Miræo edito, *Foſſe* à ſitu nomen dicuntur accepiſſe. *Anno* MCXL. *Comes Namucenſis aggreſſus opidum quod Foſſis dicitur, quia nomen tale ſibi dat ſitus ipſe loci, multis captis aut occiſis, multa præda abducta, opidum totum cum Monaſterio B. Foillani combuſſit, ædificia lapidea quæcumque eminentiora erant deſtruxit.*

Locus cum Monaſterio inter Caſtellum (*Chaſtelet*) & Namucum eſt ſitus in Diœceſi Leodicenſi ad fluviolum Geruernam non procul à fluvio Sabi, & *Foſſ* vulgò nuncupatur, aliàs *Foſſe*. Melius tamen eſſet *Foſſes* in numero plurali ſcribere, cùm ante annos octingentos locum & Monaſterium *Foſſas* vocari videamus.

URBA CASTRUM.

Vicus pagi Tranſiurenſis nomine *Vrba*, à lacu Lemano millia paſſuum circiter XVIII. abeſt, quem quidam *caſtrum Vrbam* appellant. Ejus mentionem facit Itinerarium Æthici in itinere à Mediolano per Alpes Graias Argentoratum: facit & Fredegarius in libri v. ac ultimi Chronici capite XLII. *in pago Vltrajurano villam Vrbam* memorans. Poſita eſt *Vrba* ad *Vrbam* flumen, & cum fluvio nomen vetus retinet. Vocatur enim Noſtris *Orbe*; incolis *Orbach*; recentioribus ſcriptoribus *Orba*; *caſtrum Orba* in Annalibus Mettenſibus in anno DCCCLXVI; Aimoino in libri IV. capite I. *pagi Vltrajurani villa Vrbana* mendosè. Æthicus quidem inter *lacum Lauſonium* & *Ariaricam Vrbam* ponit, tum *Veſontionem*, ab Vrba millibus paſſuum XL. diſtantem. In quadam Notitia Galliæ quam ex Bibliotheca Petaviana erutam publicavit Andreas Cheſnius, *Vrbem* hunc fluvium pro *Vrbam* appellatum reperio his verbis. *In provincia Maxima Sequanorum caſtrum Ebrodunenſe juxta Vrbem ſuper lacum.* Videtur Latino nomine locus hic dictus eſſe *Taberna*, & à fluvio *Vrba* præfluente *Vrba* appellationem accepiſſe. Certè Rodulfi Regis Glorioſiſſimi Burgundiæ litteras legi, quæ ſic expliciunt. *Acta ſunt hæc in villa Tabernis, quam alio nomine propter fluvium ibidem defluentem Vrba appellant.* *Data* XVIII. *Kalen-*

dus Februarij, anno ab I. Domini MXIX. *regnante Rodolfo Rege, anno regni ſui* XXXI. quibus litteris Eccleſiam Sancti Blaſii *in Viculis, in pago & in Comitatu Genevenſi ſitam*, Rodulfus Cluniacenſibus Monachis confert. Guillimannus *Vrbam* inter lacum Lauſonium & Ariaricam, à lacu XVIII. millibus paſſuum, ab *Ariarica* ſeu Ponte Arlicio (*Pontarlei*) XXIV. diſtantem apud Æthicum, ait eſſe *Orbam* cum ceteris; ſed opidum hoc ad *Tilam*, fluvium non procul inde ex Jura erumpentem ponit.

Vrba autem fluvius oritur ex lacu quodam, & alluit Lacum, *le Lieu*, locum magno lacui adſitum, à quo nomen accepit; Juram Abbatiale Monaſterium, *Ioux*; Vallem Vrbæ *Val Orbe*; caſtrum Vrbam, *l'Orbe*; caſtrum Ebredunum, *Iverdon*, ad caput lacus Ebredunenſis, qui & Novoburgenſis vocatur: deinde in Arolam defluit.

URBIA FLU.

Flumen *Vrbia* Regnum Chilperici à Regno Guntchramni dividebat: ponſque erat in pago Pariſiaco ei flumini impoſitus, quem *pontem Vrbienſem civitatis Pariſiacæ* in capite XIX. libri VI. Hiſtoriæ Francicæ appellat Gregorius, capitulumque iſtud inſcribit, *De hominibus Chilperici apud Vrbiam fluvium*. Ex quo colligo *Pontem Vrbienſem* a flum. *Vrbia* dictum eſſe. Ibi Chilpericus Rex Francorum præſidium militum poſuit ad arcendos tranſitu inſidiatores, ſi qui à fratre ſummitterentur. Aimoinus in libri Hiſtoriæ Francicæ III. capite XLVIII. dum Gregorium tranſſcribit nec intelligit, gravi errore pro *Ponte Vrbienſi* ſive *Vrbia* fluminis, *Pontem Pariſiacæ urbis* nobis obtrudit. Partem autem pagi Stampenſis, & Stampas ipſas Junnæ fluvio adſitas Guntchramnus tum obtinebat: itaut *Vrbia* fluvius proximus Junnæ, ea ex parte terminus eſſet Regni Chilperici, Luteciæ Pariſiorum ac Auguſtæ Sueſſionum dominantis. Quare non dubito, quin *Vrbia* iſte fluvius apud Gregorium ſit amnis *Ordea* & *Orgia* vulgò dictus, *Orge*, qui vicum S. Maximæ, *S. Meſme*, Dordingum, *Dourdan*, & Caſtra alluit, ibique Remandam recipit, *Remande*, ad quem ſunt Rumbelictum, *Rambouïllet*, vicus S. Arnulfi in Aquilina ſilva, *Saint Arnoul en Iveline*, ac Bruerïæ Caſtellum, *Bruieres le Chaſtel*. Tum *Vrbia* Campum Lupi, *Chantelou* vel potiùs *Champdelou*, Brittonariá *Bretonniere*, Lupi Villam *Leuville*, Spinetum vulgò dictum *ad Ordeam*, *Eſpinay ſur Orge* Noſtris nuncupatum, ac Villam Meſſium, *Ville-moiſſon* præterlapſus, augetur rivo vel amniculo ex Marcociis, Linais, (*Linas*) ac Longo Ponte decurrente. Inde ad Minorem Vallem (*le petit-Vaux*) Ivetam amnem admittit, *Ivette*, qui Donnampetram *Dampierre*, ad S. Ferreolum *Saint Forgel*; Capellam Milonis *la Chappelle-Milon*, Caproſum *Chevrenſe*, Gif Monaſterium, Bures, Orceium *Orſay*, Palatiolum *Paleſeau*, Villam-Bonam *Villebon*, Montem Gemellum, *Longjumeau*, Majorem Vallem *le Grand Vaux* attingit, atque apud Sabiniacum vicum non ignobilem in *Vrbiam* influit. His auctus aquis *Vrbia* paullo infra Geviſiacum *Juviſy* in Sequanam evolvitur. *Pons* igitur *Vrbienſis civitatis Pariſiacæ* apud Gregorium, vel *Pons Vrbiæ fluvij* videtur eſſe Sabiniacum ad *Vrbiam*, *Savigny ſur Orge*, vicus pagi Pariſiaci, ubi pons *Vrbiæ* eſt hodieque impoſitus: de quo ceu de re contemnenda Noſtrorum eſt verbum, *le Pont de Savigni en l'air*, aliàs *len lere*. Niſi ſi malumus *Geviſiacum*, oſtio confluentibuſve *Vrbiæ* ac Sequanæ proximum, *Pontis Vrbienſis* nomine ab Gregorio deſignari.

URCENSIS PAGUS.

Pagus Vrcenſis medius fuit inter pagos Sueſſionicum & Vadenſem: ut docent Capitula Caroli Calvi, in quibus *Vrciſus* nuncupatur. Ab Frodoardo in Hiſtoria Eccleſiaſtica Remorum *villa Novilliacum in pago Vrcinſe* commemoratur, id eſt in *pago Vrcenſi*. Hic pagus nunc obſcurus eſt & ignotus vel incolis. Forte ab *Vrco* fluvio, *Ourcq*, nomen accepit, qui Fatam Tardanenſem & Nantogilum ad *Vrcum* cognominatum, *Nantueil ſur Ourc*, ac Firmitatem Milonis attingit, non procul à pago Sueſſionico & Vadenſi, ac in Matronam decurrit, ferè ex adverſo confluentium Mucræ & Matronæ. Nantogilo ad *Vrcum* proximum eſt municipiolum *Nully Saint Front* dictum: quod *Novilliacum* Frodoardi *in pago Vrcinſe* videri poteſt. Eſt quidem in Burgundiæ Campaniæque confiniis Urca fluvius, *Ource*, qui Croſam *Creuſe*, & Arſam *Arce*, aliis Larſam dictum, (*Larſe*) amnes accipit, & apud Barrum Sequanicum in Sequanam labitur: ſed ab *Vrco* potiùs quàm ab *Vrca* iſto *Vrcenſem pagum* cognominatum arbitror.

URSIDUNGUS.

Vrſidungus à Monaſterio S. Giſleni poſteà *Cella S. Giſleni* vocari occœpit, vel ſimpliciter *Cella*, aut *Monaſterium Cellenſe*: vulgò locus cum Monaſterio *S. Guilin* aut *Guilhain* appellatur, eſtque in Diœceſi Camaracenſi. Sic *Cellam* Noſtri *Monſtier la Celle* vocant in Epiſcopatu Tricaſſino; *Cellulam S. Euſicy* ad flu. Carum in Biturigibus Cubis, *Celle en Berri*. Giſlenus in pago Hainoo prope Caſtrilucium ſeu Montes in *Vrſidungo* Monaſterium ſtatuit, ac *Cellam Apoſtolorum* appellavit: quæ *Abbatia S. Ghiſleni* nunc dicitur à Patrono ac conditore, & totius Hainoi primaria habetur.

URSOLI.

Inter Valentiam & Viennam *Vrſoli* ponuntur ab Æthico, in itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam, inde Durocortorum, inde Geſoriacum ſic. *Valentia* M. P. XXII. *Vrſolis* M. P. XXII. *Vienna* M. P. XXVI. *Vrſoli*, aliàs *Vrſeole* omnino debet eſſe *Roſſillon* vel *Rouſſillon*, locus in Dalfinatu inter Valentiam & Viennam non procul à flumine Rhodano; *Iſſilio* dictus Viennenſis Diœceſeos

ſeos in litteris datis anno MCCLVII. *Roſſellio* in litteris anni MCCLX. Eſt & *Roſſilio* in Santonibus, *Rouſſillon*, qui locus nomen familiæ nobili dedit.

URTA FLU.

Vrta fluvius inter amnes qui in Moſam devolvuntur non ultimum locum tenet, in Diviſione Regni Lotharii inter Reges Ludovicum & Carolum anno DCCCLXX. facta memoratus his verbis. *De Arduenna, ſicut flumen Vrta ſurgit inter Biſlanc & Tumbas, ac decurrit in Moſam: & ſicut rectâ viâ pergit in Bedenſi, excepto quod de Condruſio eſt ad partem Orientis trans Vrtam.* Oritur nimirum *Vrta* in Arduenna ſilva inter Biſlanc & Tumbas loca nunc nobis incognita, & partem pagi Bedenſis alluit, atque à Condruſis accolitur. Oritur inquam ex lacu, vel potiùs ex ſtagno, qualia multa ſunt his in locis ad capita fluviorum, alluitque *Vrtam* vicum nominis ſui, *Ourt*, non procul à fonte ſuo, deinde *Vrtam* minorem recipit *Ourt*, cujus amniculi IX. circiter millia currentis fonti adjacet vicus alter *Vrta* item dictus, *Ourt*. Tum attingit caſtellum Rupem vel Roccam *la Roche*, Hammum majorem & minorem, *Grand Han*. *Petit Han*, Durbuium *Durbuy*, Longum Vadum *Longué*: mox Amblavam fluvium admittit, *Amblef*: demum Vveſam *Vveſa*, aliàs *Vveſdret* ſeu Vveſdratum Limburgenſem fluvium apud vicum Condate (*Chêne*) recipit, atque ad urbem Leodicum in Moſam effunditur. Accolæ vocitant *Vrt*, Noſtri *Ourt*. Quidam ad vicum S. Leonardi, *Saint Lenart*, *Vrte* & Moſæ confluentes ponunt proxime Leodicum.

USERCA.

Vſerca, vulgò *Vſerche*, in finibus Lemovicum veteri Monaſterio eſt illuſtris, cujus fit mentio in Concilio Lemovicenſi II. anno Chriſti MXXXIV. habito his verbis. *In primis familiam B. Martialis in hac urbe, Solemniacum atque Vſercam Cœnobia nobiliſſima, Monaſteria quoque in hac urbe (Lemovicis) S. Martini & Auguſtini, necnon & congregationem Virginum in Baſilica B. Dei genitricis gaudeo ſancti ordinis* (Monaſtici) *reverentiam regulariter obſervare. Hac dixi propter Abbatem Monaſterij Vſercenſis, quem dicunt hoc anno inſtituta ſancti Concilij contempſiſſe. Eccleſiam Vſerca* primus omnium Ruricius major, Lemovicenſis Epiſcopus, Gregorio noſtro multo vetuſtior, in epiſtola ad Ruſticum memoravit.

UTICUM SILVA ET MONASTERIUM.

In Diœceſi Lexovienſi, & Decanatu Monaſterioli eſt ſilva *Vticum* vel *Vticus* dicta, vulgò *Ouche*, vel *la foreſt d'Ouche*, & locus eo in ſaltu ejuſdem nominis, ubi Ebrulfus Abbatiale Monaſterium extruxit, quod ab ipſo nomen accepit, & vocatur unà cum loco *Ad S. Ebrulfum*, *S. Evroul*. *Saltum Vticenſem, ſilvam* & *eremum Vticenſem* Ordericus Vitalis & Vvillelmus Gemeticenſis commemorant. Monaſterium S. Ebrulfi, quoniam ſitum erat in pago Oximenſi non longè à caſtello Oximis, (*Hieſmes*) olim *Oximenſe* dictum eſſe, necnon à *ſaltu Vtico Vticenſe*, Cointus in ſuis Annalibus aſſirmat.

UTTA SALTUS.

Vtta ſilva vel *ſaltus* memoratur ab Nithardo in libro II. poniturque inter urbem Senonicam & civitatem Tricaſinorum his verbis. *Karolus Senonicam adiit urbem; hinc noctu conſurgit, per Vttam iter faciens, ſperanſque (uti nuntiatum illi fuerat) quos ſuprà memoravimus Guntboldum, Vvarnarium, Arnulfum, Gerardum, cæteroſque in eodem ſaltu conſiſtere. Quos quoniam conſequi non potuit, ſociis equiſque feſſis; poſt Cœnam Domini quieti indulget, ac Tricaſinorum civitatem in craſtinum adiit.* Hæc *ſilva Vtta* inter Agedincum Senonum & Auguſtobonam Tricaſſium, nunc vulgò dicitur *Otte*, uti primus obſervo: & Sedantum in *Vtta*, *Seant en Otte*, ab *Vtta* in qua eſt, cognomen accepit. Fuit olim hæc ſilva (qualis eſt hodieque) maxima, inter Icaunam & Venenam amnes longè lateque patens ante annos D. regnante apud Francos Ludovico ejus nominis VII. & à Villa Nova Regis Agedinco proximâ ferè uſque ad Auguſtobonam Tricaſſium pertinebat: ut colligo ex epiſtola M. S. Mariani Autiſſiodorenſis Abbatis ad Ludovicum Francorum Regem, tomo IV. Cheſnii inſertâ, in qua hæc reperio. *Placuit Serenitati veſtræ, dare nobis locum quemdam in foreſta qua dicitur Orta in poteſtate Præpoſiti veſtri Senonenſis. Ibi ſororibus noſtris Deo ſervientibus clauſtrum juxta morem Ordinis noſtri conſtruximus. At quoniam Regalis providentia veſtra juxta prædictum locum Villam Novam ædificare cœpit, &c.* Ubi pro *Orta* haud dubiè legendum eſt *Otta*. Nam cùm ſub Carolo Calvo ante annos octingentos *Vtta* dicta ſit hæc Regia ſilva; u. in o ex more mutato *Otta* quidem poſtea vocari potuit; *Orta* vocari non potuit. T. enim in r converti nec ſolet, nec poteſt.

Fuit & ibi caſtellum Aquæ in *Vtta* dictum, *Aix en Otte*, vel potiùs *Otte* Nicolao Ægidio in rebus Johannis Francorum Regis, aliis *Aix en Ote*, & *Aix* abſolutè nuncupatum, poſitum ad rivum in Venenam effluentem, non procul à Sedanto in Utta, ad Eccleſiæ Tricaſſinæ Epiſcopum pertinens: ubi Anglos quadringentos in præſidio fuiſſe anno MCCCLVIII. & cùm uſq; ad portas Auguſtobonæ Tricaſſium incurſionem faciendo perveniſſent, à Tricaſſinis fuſos eſſe ſcribit Ægidius, & ab his qui evaſerant *Aquas* eſſe incenſas atque deſertas. Lupus Ferrarienſis Abbas in epiſtola CXXV. ad Folcricum Epiſcopum Tricaſſium Aquas iſtas in Tricaſſibus commemorat, quæ XVI. millia paſſuum ab Auguſtobona abeſſe dicuntur: & *prædium Aquenſe*, necnon *Aquenſem fundum*, hoc eſt villam Aquenſem appellat ante annos octingentos.

Vtta ergo ſilva pago circumjacenti latè nomen dedit, ſicuti ſaltus Brexius Brexiæ,

ſaltus Briegius Briegio, Perticus Pertico, ſilva Teoracia Teoraciæ, &c.

In litteris Imperatorum Ludovici & Lotharii, inter cetera Monachis Monaſterii S. Germani data, memoratur *in Senonico Agmantum* (*Ejmant* vulgò) *cum ſilva dicta Vjta*. Ubi de *Vtta ſilva* Imperatores loqui nemo non videt, & pro *Vjta Vtta* reſtitui oportere.

Vetus quidam ſcriptor *nemus Ottonis* ut puto appellat. *Vir Dei S. Ebbo, Senonenſis Archiepiſcopus, ſoli Deo placere cupiens, Eremiticam vitam duxit apud Arceiam in nemore Ottonis, & ſæpe Senonis rediens, populum ſibi commiſſum illuminabat verbo, virtutibus & exemplis. VI. Kal. Sept. migravit à ſeculo, anno* DCCL. Arceia vulgò *Arcey* nuncupatur, & vix II. leugas abeſt à Sedanto in *Vtta*: ita ut *nemus Ottonis Vtta* ſilvæ partem eſſe dubitari non poſſit.

UXANTIS ET SENA INSULÆ OCEANI BRITANNICI.

Apud Æthicum inter inſulas maris Oceani quod Gallias & Britannias interluit, præter ceteras *Vxantiſina* ponitur, & *Vindeliſſiata*. Ex quibus *Vxantiſina*, in Regio codice *Vxantis Ina* diviſim, in aliis *Vxantiſina* & *Vſantiſina*, alibi *Vixantiſſima* appellatur. Ego ante annos triginta hic bis duas in unam inſulas coaluiſſe, ac legi oportere apud Æthicum exiſtimavi, *Vindelis, Siata, Vxantis, Sina*, repetitâ ſ. litterâ; vel *Vſantis, Sina*, aut *Vixantis, Sina*. Nec me ejus conjecturæ pænituit, poſtquàm animadverti à Cambdeno idem jam obſervatum fuiſſe. *Vxantis* Noſtris dicitur *Oueſſant*, aliàs *Heyſant*, vel *Heſſant*, Anglis *Vſhant*, à promuntorio Fagi (*cap du Fou*) non longè remota: ut ex Æthici priſcis exemplaribus ſuprà laudatis intelligitur, *Vxantis* propriè & ſæpiùs, interdum *Vſantis*, ſed & *Vixantis* nuncupata. Plinius qualis Lutetiæ anno MDXVI. editus eſt, quæ editio membranarum locum obtinet, in capite XVI. libri IV. ejus meminit, cui *Axantis* nominatur. *Inter Hiberniam & Britanniam Mona, Monapia, Ricina, Vectis: infrà verò Samnis & Axantis.* Dicta eſt *Axantis* eadem terminatione nominis quâ *Vectis*. In editione Lugdunenſi quæ recentiſſima eſt, reperitur *Stambis & Axantos*: & ita legit apud Plinium Cambdenus, cui *Axantos* Oſiſmiis Genti Britanniæ Armoricæ adjacet, non procul à litore. Ego cùm animadverterem ab Æthico *Vxantim*, aut *Vſantim*, & *Vixantim* eam inſulam appellari; olim exiſtimavi Plinii codices corruptos eſſe, & pro *Axantis Vxantis* legi oportere: nunc dubito utra alteri vocalis prævalere debeat. Nam ad *Axantim* magis *Heyſant* aut *Heiſſant* accedit: *Vxanti* vel *Vſanti Vſhant* nomen Anglicum magis convenit; *Vixanti* appellatio Britannica *Oüeſſant*, u in ou & x in geminum ſſ converſis: ſicut utrem *outre*, utenſile *outil*, laxare *laiſſer*, lixivium *leſſive* Noſtri dictitant. Hi duas in tabula Britanniæ duas ex una inſulas faciunt maximo errore, & alteram *l'Iſle d'Oueſſant* majorem & litori propiorem, alteram *Heiſſant* majorem. Britto in libro VII. Philippidos inſulæ *Vxantis* videtur meminiſſe his verſibus.

Et qui roſtratis ratibus ſecat æquor Alanus,
Piratas ſecum aſſumat quibus utitur ipſe,
Quum Greneſim rebus juvat exſpoliare vel Oſſam.

Ubi *Oſſant* legi malim: nomine deducto ab *Vxanti*, u in o & x in duo ſ. commutatis. Niſi quis malit *Oſſam* Brittonis & *Oſam* Aimoini unam inſulam eſſe, quam Aimoinus in libri II. de Miraculis S. Benedicti capite XI. ita deſcribit. *Oſa Oceani maris eſt inſula, quæ à continenti Armoricanæ regionis terra quam Cornu Galliæ vocant, pelago XVI. paſſuum in transverſum porrecto ſejungitur. Pelagus inter inſulam ac continentem terram, ob ſui anguſtiam & rupium in eo prominentium exaſperationem, difficilem navigantibus multoties efficit tranſitum.* *Greneſis* autem eſt *Greneſey*, inſula Anglis ſubjecta, nec multum diſtans ab *Vxanti*, Oſæ tamen propior.

Quæ autem apud Plinium cum *Axanti* conjungitur inſula *Samnis*, à Mela nuncupatur *Sena in Britannico mari Oſiſmicis adverſa litoribus, Gallici numinis, hoc eſt Mercurii oraculo inſignis*; *Sina* ab Æthico ſuprà; in nonnullis Plinii exemplaribus mendoſis *Sonnuos* vel *Sonnos*, & *Siambis*: vulgò *Sain* aut *l'Iſle de Sayn* dicitur à Noſtris, in quibuſdam tabulis *Seims*. Ex Sena *Sain*, ex Samni *Seims* deducta eſt appellatio. *Sena* autem infra *Vxantim* poſita, & Audiernæ portui adverſa eſt, non ut ait Cambdenus Bravati.

UXELLUM.

Chartularium Monaſterii S. Evurtii Aurelianenſis MS evolui, necnon & Chartarium Eccleſiæ Aurel. S. Crucis, in quibus *Vxellum ſuper Malvam* memoratur, ibidem & *Huiſſellum* corruptè dictum. Hic locus Cellâ ſeu Prioratu clarus, in Eccleſiæ Aurelianenſis Archidiaconatu Balgentiacenſi poſitus eſt, ac *Huiſſeau* vulgò nuncupatur, aliàs *Vſſeau*, in quibuſdam tabulis mendoſe *Haiſſeau*. *Huiſſeau* quoque in Secalonia non longè à Rivo Morentini, *Vxellum* Latinè videtur dictum eſſe.

Eſt & *Vxellum* Marchiæ titulo clarum in Burgundia, *Vxelles*, in pleriſque tabulis *Vcelle* meliùs, in pago Cabillonenſi non longè à Branciduno *Brancion*, & à fluvio Grauna *la Grone*, qui Ararim auget.

Ab *Vxello*, veteri nomine Gallico ſignificationis nunc incognitæ, deducitur *Vxellodunum*, Hirtio tantopere celebratum in Cadurcis: quod vocabulum ex *uxello* & ex *duno* ſeu monte compoſitum atque conflatum eſt.

W

VVALACRIA INSULA, ET DE MIDDELBURGO.

Annales Fuldenſes, qui in anno DCCCXCII. deſinunt, *Vvalchram* inſulam vocant his verbis. *Anno* DCCCXXXVII. *Nordmanni tributum exactantes, in Vvalchram inſulam ve-*

nerunt, ibique Eggihardum ejuſdem loci Comitem, & Hemmingum Halpdani filium cum aliis multis xv. *Kal. Jul. occiderunt, & Doreſtadum vaſtaverunt, acceptoque à Friſionibus tributo reverſi ſunt.* Chronicon de Geſtis Nortmannorum in Gallia, ad annum DCCCXCV. deductum, piraticam irruptionem Nortmannorum quæ anno DCCCXXXVII. facta eſt deſcribens, *inſulam Vvalacriam* appellat; *Vvalacriam inſulam* appellant & Annales Bertiniani, in anno DCCCXCII. deſinentes, Friſiæque citeriori vel Gallicæ attribuunt hiſce verbis. *Anno* DCCCXXXVII. *Nordmanni irruptione ſolitâ Friſiam irruentes, in inſula quæ Vvalacria dicitur noſtros imparatos aggreſſi, multos trucidaverunt, plures deprædati ſunt: & aliquamdiu inibi commorantes, cenſu prout libuit exacto, ad Doreſtadum eadem furiâ pervenerunt, & tributa ſimiliter exegerunt.* Ex quo intelligitur, partem Friſiæ Citerioris vel Ciſrhenanæ dictã eſſe *Zelandiam* à recentioribus: cùm *Vvalacria* inſula quæ olim *Friſia* adſcribebatur, nunc attribuatur *Zelandiæ.* Iidem Annales in anno DCCCXLI. *Gualacras* nuncupant, id eſt *Vvalacras. Lotharius Herioldo Dano Gaula Cruſalia, quæ vicina loco, hujus meriti gratiâ in beneficium contulit.* Quæ verba prorſus corrupta, ſic emendo. *Gualacras, aliaque vicina loca h. m. g. i. b. c. Vvalacria* inſula, Zelandiæ maxima inter v. ejus inſulas, quæ & *Vvalacra*, & *Vvalchra*, vulgò *Vvalcheren* nuncupatur, urbemque habet claram *Middelburgum*, in qua, ut & in urbe Hollandiæ *Harlemo* anno MDLIX. ſedes Epiſcopatus eſt ſub Trajecto metropoli conſtituta. *Middelburgum* autem à ſitu Germanis dictum eſſe puto, quaſi *mediterraneum burgum* aut opidum: ſicut *Middelſexiam* aut *Midaleſexam* vocavere Tranſmarini Saxones ſeu mediterraneam Saxoniam, provinciam cujus caput eſt Londinium; Merciam Angli *Middelangliam*, hoc eſt mediterraneam Angliam nuncupavere, cui caput olim Dorcinca aut Dorkaceſtria, pòſt verò Lincolnia. Ejus inſulæ meminit Alcuinus in libri de Vita S. Vvillebrordi Trajectenſis Epiſcopi capite XIV. hiſce verbis. *Vir Dei pervenit ad quamdam inſulam Oceani, Vvalacrum nomine, in qua antiqui erroris idolum remanſit.* Meminit & Sigebertus in anno MVII. *Vvalachras* vocans: quam Regni Lotharingiæ inſulam Balduino Comiti Flandrenſium Imperator Heinricus beneficii loco dedit. Apud quemdam ſcriptorem *Vvalecras* memini reperire.

S. VVALARICUS IN PLANIS.

In litteris quibuſdam quas in tabulario Fiſcamnenſi legi, hæc verba reperio. *Ego Vvillelmus Harenc, de S. Vvalarico in Planis, dedi & conceſſi*, &c. Vicus ergo maritimus & portus qui eſt in Nortmannia & in regione Caletorum Diœceſique Rotomagenſi, S. Vvalarici Abbatis nomen ferens, olim ante annos D. & ampliùs dictus eſt *S. Vvalaricus in Planis. S. Valeri les Plains*, quòd in planitie ſitus eſſet: ut diſtingueretur à portu S. Valarici in Ambianis ad flumen Suminam, qui olim Leuconaus vel *Luganau* vocabatur, & aggeribus arenarum vel dunis proximus erat. Certè hodieque proximum habet vicum, *Maineville les Plains* dictum, hoc eſt *Magnam Villam in Planis.* Nec longè abeſt à S. Vvalarico in Planis *Plana Silva*, in veteribus Chartarii ejus tabulis memorata, in quibuſdam litteris *Plena Silva* mendosè & corruptè vocata: qui eſt vicus *Plaine Seve* nuncupatus. *S. Vvalaricum in Planis*, nunc plerique *S. Vvalaricum in Caletis* appellant, *S. Valeri en Caux. S. Remigium de Planis* vocat Ordericus in libro X. *Saint Remy du Plain*: qui eſt locus in Cenomanis à planitie agri ſui haud dubiè cognominatus, ſicuti *S. Vvalaricus in Planis.*

S. VVALDOMERIS OPIDUM.

In Seguſianis quos à *Foro Seguſianorum* capite vulgò *Forenſes* vocamus, eſt in colle poſitum *opidum S. Valdomeris*, quibuſdam *Baldomeri* dicti, *Saint Germier*, vel *S. Galmier.* Hæc fuit patria Clementis Puteani, avi clariſſimorum Petri & Jacobi Puteanorum fratrum, quondam amicorum meorum. Legimus *titulum memoriæ S. Vvaldōmēris*, è Bibliotheca Petaviana erutum atque vulgatum, XIV. verſus continentem, quibus ejus fides, pietas, & miræ ad ſepulcrum virtutes ac ſigna laudantur. Maſſonus mendosè *S. Bardomerum* vocat, & *opidum Forenſium, cui à S. Bardomeri templo nomen eſt.* Ex *Valdomere* vel *Vvaldemere* Noſtri fecerunt *Galmier*, ut ex veſpa *gueſpe*, ex vaſtare *gaſter*, ex Vvarnachario vel Vvarnario *Garnier*, ex Vvaiſario *Gaiſier*, ex Vvakerio *Gautier*, ex vuantis *gants*, ex Vvenilone *Ganelon*, ex Vvaſtone *Gaſton.* In Uſuardi Martyrologio hæc legimus: III. *Kalendas Martias Lugduni S. Baldomeri, viri Dei: cujus ſepulcrum crebris miraculis illuſtratur. Lugduni*, id eſt non in urbe ipſa, ſed in agro Diœceſique Lugdunenſi. Neque enim, ut arbitror, alibi quàm in opido nominis ſui, inter Caſellas (*Chazelles*) & opidum S. Stephani (*Saint Eſtienne de Furen*) ſito, parumque à Ligeri remoto, ſepultus eſt *Vvaldomeres* vel *Baldomerus.*

VVALONIÆ.

Vvaloniæ à *Vvalone* cognominatæ ſunt: quod viri nomen linguâ Francicâ olim bonum ſignificavit; & *Vvalo*, *Vvala*, ac *Vvalach*, *Gualo* etiam ac *Galo* ſcribebatur. In Vita Aderaldi, in Eccleſia Tricaſſina circa annum M. Archidiaconi, apud Camuſatium hæc lego. *Pater ejus Vvalo eſt dictus, qui linguâ Auſtraſiorum interpretatur bonus.* Hoc caſtrum Nortmanniæ Francicæ, ſitū in parte pagi Conſtantini, quam nonnulli *Hagam*, quidam Hiſtorici Angli impropriè *inſulam Conſtantini* pagi pro pæninſula vocant, & II. circiter leugis à mari diſtans, hodieque nuncupatur *Valongnes.*

VVALLENSES AUT VVALLONES, QUI ET ROMANI.

Cùm Germaniæ populi provincias Imperii Romani in Occidentis partibus, nimirum Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Africam, ac Italiam aliaſque armis occupaviſſent; provinciales quidem ſive veteres earum provinciarum incolæ priſcum nomen ſuum retinuere, ac modo ſuæ quiſque nationis proprio vocabulo; modò idque ſæpiùs in commune *Romani* ſunt appellati: novi autem Romanarum provinciarum poſſeſſores ac domini Germani, honoris cauſâ dicti ſunt *Barbari*. Unde in priſcis Legibus & Hiſtoriis, & apud Gregorium noſtrum ac Fortunatū *Barbaros* & *Romanos* junctim nominari, & alteros alteris opponi conſtat. Hinc & partem Galliæ quæ Odoni Francorum Regi parebat, *Franciam Romanam*, hoc eſt Neuſtriam vel Franciam Gallicâ linguâ utentem Liutprandus in libro I. vocat, ut à Francia eam Germanica Germanicæque linguæ, ſive ab Auſtria Lotharii ſive Regno & Germania diſtinguat: & Nithardus in libro III. *Romanam linguam* appellat eam quâ Galli utebantur, opponitque *Teudiſce*, id eſt Teutonicæ vel Germanicæ *linguæ*, ut in libro VI. Rerum Francicarum obſervavimus. Certè Divæus in libro VII. Rerum Brabanticarum ſcribit, *eſſe & Gallicam Brabantiam, quam Romanduam appellent, in qua Nivellenſium, Gennapienſium, Hulpenſium, Gravienſium, Geldonienſium, Eſcurianorum, Jandrenienſium, Orpenſium, Geſtanorum, & Hannutenſium præfectura ſint.* *Brabantia* ergo *Romandua* ſeu Romana, Brabantia Gallica eſt, linguâ Gallorum utens, vulgò *le Vuallon Brabant*, & promiſcuè *le Roman pays* dicta. Equeſtres ad lacum Lemanum, Caballenſes vulgò dicti, & confines eis Vallenſes, hoc eſt Sedunenſis & Lauſanenſis Diœceſeon partes quæ Gallicâ linguâ utuntur, *pagus Romanus* nuncupantur, vulgò *pays Roman*: *pagus* inquam *Romanus*, id eſt Gallicus. Hujus pagi incolæ linguam ſuam, quæ eſt Gallica lingua corrupta, ipſi *Romanam* vocant, & ſe *Romanè loqui* aiunt, *parlar Roman.* Ræti Curienſes, portio quondam Imperii Romani, ſe etiam *Romanos* appellitant: & fabuloſa Poëmata vulgò *Romana* nuncupant Noſtri, *Romans*, quòd ſint linguâ Romanâ compoſita, hoc eſt Gallicâ. In Chronico Monaſterii S. Trudonis, quod in anno MCVIII. deſinit, *Adelardus factus Abbas anno* DCCCCXCIX. dicitur *nativam linguam non habuiſſe Teutonicam, ſed quam corruptè nominant Romanam, Teutonicè Vuallonicam.* Opponitur ergo lingua *Romana* ſeu *Vuallonica* linguæ *Teutonicæ* vel Teudiſcæ, id eſt Germanicæ.

Germani Romanos iſtos, quorum in agris finibuſque conſederant, linguâ ſuâ *Vuallenſes* vel *Vuallanos* nuncupavere. Giraldus Cambrenſis in deſcriptionis Cambriæ capite I. & VII. ſcribit, Cambriam montibus, ſilvis, aquis, paludibuſque munitiſſimam inſulæ Britanniæ partem, quò ſe Britanni metu Saxonum Anglorumque receperant, poſt occupatum Britannicum Regnum *Vualliam dictam à Saxonibus, qui linguâ ſuâ extraneum quemlibet Vuallum, & Gentes has ſibi extraneas Vuallenſes vocant: ac inde hodieque barbara* uſitataq; magis, ſed minùs propriâ *nuncupatione & homines Vuallenſes, & terram Vualliam dici.* Britanni igitur cum Damnonia, Cornubiâ aut *Cornuvvalliâ* nuncupatâ, Venedotiam, Demetiam, & Povviſiam obtinuere: quas III. regiones ipſi communi nomine Cambriam aut Cumbriam; Angli & Saxones *Vualliam*, hoc eſt Romanam ſeu externam provinciam, *Vuales*, Gallicè *Galles*; incolas *Vuallenſes* aut *Vuallicos*, id eſt exteros appellarunt. Venedotia *Nordvvallia* vel *Northvvallia*; Demetia *Sudvvallia* vel *Suthvvallia*, id eſt *Auſtrina Vuallia* eſt nominata. Similiter Ræti Curienſes qui circa Curiam Rætorum habitant, & ipſi ſe *Romanos* appellant, à Germanis atque Alamannis *Chur-Vualſchen*, id eſt Curienſes Romani vel Itali nuncupantur. Certè eorum regionem nunc *Ducatum Curienſem* & *Curiam*, nunc *Curvvallam* appellari video. *Curvvallam* autem, nomen Germanicum, Glaber Rodulfus in præfatione libri IV. *Curiam Gallorum* interpretatur; Vvilhelmus Malmeſburienſis Monachus in rebus anni DCCCLXV. *Comitatum Galliæ*: uterque malè: cùm nec *Cur* Comitatum, nec *Vualla* Galliam heic ſignificet. Rætia enim Galliæ numquam eſt contributa, ſed Italiæ. Guillimannus in libro II. rerum Helveticarum *Vualen à Germanis dici* ait *cùm propè omnes externos & alterius linguæ populos, tum præcipuè Italos*: & in Comitatu Siſgoviæ vel Siſſiacorum opidum *Valenburgum*, *burgum Romanorum* interpretatur. Audio etiamnum Germanis *Vualchen* Italum appellari, *Vualch* Sclavinis. Hinc & *Vualachiam* dictam eſſe nomine Germanico quidam aiunt regionem ad ſiniſtram Danubii ripam jacentem, quam *Blachiam* Βλαχίας Nicetas Choniates vocat, propterea quod Romanos ſeu Italos incolas habuerit. Monſtreletius in Voluminis I. capite CXL. linguæ *Latinæ* opponit Romanam vulgarem vel *Gallicam*, quam *Valec* vocat. *Lequel Archeveſque expoſa premierement en Latin, & apres en Valec ſi eloquentement*, &c. *Vualſch Germanis peregrinum ſignificat & barbarum, & proprio magis intellectu Gallum, & Vuallus ſermo Gallicum*: inquit Buchananus in libro II. Rerum Scoticarum parum diligenter & exactè. Nam *Vualſch* Germanicè *peregrinum* quidem, ſeu externum & alterius linguæ hominem populumve ſignificat; *barbarum* planè non ſignificat; nec magis *propriè Gallum*, quàm Britannum *Vuallenſem*, Rætum Curienſem, Italum, aut quemvis alium ditionis olim linguæque Romanæ populum deſignat.

Ut ergo Britanni liberi à Saxonibus & Anglis *Vuallenſes*; ut Ræti Curienſes ab Alamannis finitimis *Curvvalli* Germanicè nuncupati ſunt, id eſt exteri & alterius linguæ homines aut populi, quos alii *Romanos* appellavere: & ut Germani Italum *Vualchen* hodieque vocitant: ita & eamdem ob cauſſam Belgas, qui linguâ Gallicâ utuntur, Germani finitimi vel potiùs Germanobelgæ

Vvallenſes appellant, *Vvalen*, & ὑποκοριστικῶς *Vvaelgen* aut *Vvaelken*: Noſtri *Vvallons* aut *Ouallons* nonnumquam dicunt exemplo & more Germanorum, à quibus pro externis & alienæ linguæ populis habentur. *Vvallenſium* vel *Vvallonum* in Gallia Belgica tres ſunt provinciæ, Atrebates, Flandria *Vvallenſis*, Turnacum, Inſulam, Duagium, Orciacumque & pagum Pabulenſem, *Peule* complexa, & Hainoum: quæ tres provinciæ in commune *pagus Vvallenſis* vocantur, *pays Vvalon*, id eſt pagus Gallicus aut Romanus, linguâ utens Gallicâ vel Romanâ. Et hæ quidem provinciæ tres hoc nomine deſignantur: non deſignantur Sapaudia, Sedunenſis & Lauſanenſis Diœceſeôn portio, Burgundia Jurenſis vel Sequanorum, Lotharingia, Luciliburgenſis Ducatus, & Leodicenſis Diœceſis, ac pars Brabantiæ ſupradicta, quæ tamen linguâ Romanâ vel Gallicâ ſimiliter utuntur etiamnum, licèt corruptâ. Cluverius in ſua Germania nomen hocce *Vvallenſium* vel *Vvallonum* in Belgica notavit quidem obſervavitque cum multis aliis; ſed cauſam & originem nominis cum multis aliis ignoravit: ignoravit & Bodinus vir doctus in ſua Republica, qui *Vvallones* noſtros, tamquam vagos & ſæpe foris ac procul à patria bellum gerentes, dictos putavit à crebra interrogatione iter facientium, Quò proficiſcimur? *Où allons-nous?* quæ ridicula eſt priſci nominis Germanici interpretatio. Eadem infelicitate Matiſconem à longitudine, Lemovices à fame deduxit, nominibus Gallicis Græcam originem aſſerere conatus. Vvillelmi Malmeſburienſis qui ante annos D. floruit, & primus *Vvallenſium* in Britannia inſula ac *Vvallia* nomen non multo antè natum uſurpavit, verba notanda ſunt. *Lotharingi*, (inquit) *Alamanni, & ceteri Transrhenani populi, qui Imperatori Teutonicorum ſubjecti ſunt, magis propriè ſe Francos appellari jubent:* (Nimirum Franci Orientales dicebantur) *& eos quos nos putamus Francos*, (id eſt Francos Occiduos ſeu propriè dictos) *Galuvalas antiquo vocabulo quaſi Gallos nuncupant.* Immò verò quaſi *Gallos Romanos* vel *externos* & alienæ linguæ: nec minùs Vvillelmus in *Gal-Vvala* quàm in *Curvvalla* interpretatione erravit. Sed Francos noſtros *Galuvalas* à Lotharienſibus & à Germanis Transrhenanis olim appellatos eſſe, nuſquam alibi reperio. Duo ſunt in Lotharingia fluvii *Nida*, quorum alter alterum in Saravum defert: quorum alterius accolæ Germanicâ linguâ utuntur, alterius Romanâ ſeu Gallicâ. Quare alter Nida Teutonicus Germanicuſve Germanicè cognominatur, *die Teutſche Nide*; alter Nida Romanus vel Vuallonicus, *die Vvelſche Nide*.

VVARACTUM.

Lantharius Comes Lemovicenſis, Lantherus aliàs dictus, *in loco qui vocatur Vvaractus*, Monaſterium in honore B. Petri Apoſtoli ædificavit, quod Pardulfus primus Abbas rexit: ut docet Vita Pardulfi ab ſuppare auctore ſcripta: qui & ait Pardulfum *in vico pagi* Lemovicenſis *Seredinno* aut *Seredogno* (*Sardene*) nobilibus Senatoribus natum eſſe. Pardulfus, vulgò *Pardoul*, aliàs *Pardoux* dicitur: cujus nominis multa ſunt loca in Aquitania, multi & viri. Memini Morellum Medicum, (*Moreau*) qui mendosè *Moram* appellari maluit, cùm de Medico quodam Aquitano ſcriberet, qui *Pardoux* vocabatur, *Perdulcis* ei nomen indidiſſe pro *Pardulfi*. *Vvaractum* caput habetur Marchiæ ſuperioris, poſitumque eſt inter fontem Vartimpæ fluvii, (*la Gartempe*) & Croſam, ac nunc *Gueret* vocatur. Gaufredus Prior Voſienſis *Garactum*, & ejus incolas *Garactenſes* appellat. *Vvaractum* in Lemovicibus nomen dedit *pago Vvaractenſi*, *le Gueretois*. Unde vicus ei proximus *S. Sulpicij Vvaractenſis* nuncupatur, *S. Sulpice Gueretois*. Romani vervactum, agrum requietum & aratri pridem expertem; Noſtri *gueret* vocavere: hoc nomen Latinum loco ei fuiſſe olim exiſtimo, quod poſtea in *Veractum*, *Varactum Vvaractumve*, & *Garactum* mutatum ſit. In litteris Vvillelmi Londinienſis Epiſcopi *acras vvarettatas* & *rebinatas* reperio, hoc eſt agros (ſi ita loqui licet) *vervactatos* ſeu in vervacta converſos.

VVARANDRA.

B. Geremarus in villâ Vvarandrâ, quæ ſita eſt in confinio Belvacenſium ſuper fluvium Ittam, ortus eſt tempore Dagoberti Francorum Regis: ut in Vita ejus MS. reperitur. Locus eſt hodieque ad flumen Ittam in Veliocaſſium Bellovacorumque confinio inter Giſortium atque Gornacum municipia poſitus, ſed Novo Mercatui proximus, vulgò *Onarde*, aut potiùs *Varde*, id eſt *Vvardra* truncato *Vvarandra* nomine appellatus. *Vvarindra* & *Guarandra* in quibuſdam priſcis codicibus ſcribitur.

VVARCUS CASTELLUM.

Vvarcus caſtellum eſt ad Moſam ac Sulmonam flumina, Noſtris *Vvare* dictum. In Chronico MS. Monaſterii Moſomagenſis fit ejus mentio. *Otto Comes, qui caſtellum fecerat, quod Vvarcus nomen habebat.* Item: *caſtellum, quod Vvarchum ſuperiùs diximus appellari.* Ibidem *caſtellum Vvarchum*; Bracæ vel Bragæ (*Brayes*) in Remenſi Parœcia; aliaque loca memorantur: & *Moſomum Comitiva Porticenſis partibus*, id eſt *pago Porticenſi* attribui videtur.

VVARENGISI VILLA.

Eſt alia Cella ſita in Vvarengiſſi Villa, quam etiam Monachi ſine licentia mea inhabitare noſcuntur: ut ait Frotharius Tullenſis Epiſcopus in epiſtola ad Drogonem Mettenſem Epiſcopum. *Vvarengiſi Villa* igitur ad Tullenſem Diœceſin pertinebat, quæ hodieque *Vvarangèville* nuncupatur, poſitaque eſt ad ripam Morta fluminis in Lotharienſium finibus inter Roſaria *Roſieres*, & Nanceium, etiamnum Cellâ ſeu Prioratu ſuo clara, à domino quondam ſuo cognominata.

VVASITICUM.

Nithardus in libro III. de diſſenſionibus filiorum Lodhuvici Pii, ad annum DCCCXLIII. deducto, *Vvaſitici* meminit ceu loci Palatii-ve Regalis, id eſt villæ Dominicæ. *Quod cùm Karolus in Vvaſiticum didiciſſet, Hugonem direxit*, &c. ubi non longè à Moſa fluvio *Vvaſiticum* videtur collocare. In Capitulis Caroli Calvi hic locus (ni fallor) nuncupatur *Baſiu*, ut & in Annalibus Bertinianis: in primis anno DCCCLVI. quædam *Capitula* dicitur *miſiſſe Rex* (Carolus cognomine Calvus) *de Baſiu per Hadabrannum & Bettonem*. An ſit *fiſcus Vaſſiacus* dictus Adſoni in Vita S. Berchari Abbatis, id eſt villa Regia; *Vvaciacus* in litteris Theodorici Francorum Regis nuncupatus, vulgò *Vaſſy*, nunc opidulum Campaniæ, incertum eſt. *Vvaſciacum* Frodoardus in libro III. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis commemorat: quod à *Vaſſiaco* ſupradicto cur quidam diſtinguendum putent, equidem neſcio, nec comminiſci poſſum.

VVASLOGIUM.

Betharius Preſbyter in brevi Chronico MS. de Epiſcopis Virdunenſis Eccleſiæ, quod uſque ad Dadonem Antiſtitem & ad Ludovicum Regem Germaniæ, ſeu ad annum DCCCI. deduxit, *Vvaſlogij* meminit in Agreberto Epiſcopo. *Hujus tempore* (inquit) *S. Grodingus Vvaſlogium Monaſterium conſtruxit, & ſub ditione noſtra Eccleſia poſuit.* In Diviſione Regni Lotharii anno DCCCLXX. facta hic locus vocatur *Vvaſloi*, & inter Andanam ac Altum Montem ponitur. *Vvaſloi* vel *Vvaſlogium* aliqui *Beaulieu en Argonne* interpretantur, id eſt *Bellum Locum in ſilva Argunna* vel *Argonna*; quæ pars Arduennæ eſt. Laurentius tamen Monachus Cœnobii S. Vitoni, qui de Epiſcopis Virdunenſibus uſque ad Alberonem Antiſtitem ſcripſit, & in anno MCXLIV. deſiit, quum Robertum *ad Eccleſiam Belli Loci aſſumtum* eſſe tradit, videtur à *Vvaſlogio Bellum Locum* diſtinguere. Sed fortè *Vvaſlogium* aut *Vvaſloi*, Latini ſcriptores recentiores à ſitu Bellum Locum dixere. *Vvaſlor* Aubertus Miræus *Vvaſlare* Monaſterium in ſilva Fania, (*Vvaſler*) à rivo ita cognominatum, ac pridem dirutum exponit.

VVASTINENSIS PAGUS.

Pagus Vaſtinenſis vel *Vvaſtinenſis* in Vita vetuſtiſſima S. Aunarii vel Aunacharii Autiſſiodorenſis Epiſcopi primùm, ut exiſtimo, memoratus, *le Gaſtinois*, unus eſt ex his pagis, quibus Franci Transrhenana gens, poſtquàm in Galliis ſedem ceperunt, linguâ ſuâ Germanicum nomen impoſuere. Adrevaldus *Vvaſtinenſem provinciam* appellat. In Capitulis Caroli Calvi Silvaci latis *Vvaſtenisus* pagus vocatur, ſeu *Vvaſtenenſis*, & à *Milidunisſo* hoc eſt Melodunenſi pago diſtinguitur. Apud Nithardum ſimiliter in libro I. pagi *Vvaſtinenſis* & *Milidunenſis* diſtinguntur. Odo quoque Monachus Foſſatenſis in Vita Burchardi Comitis Melodunenſis & Corbolienſis, *Vvaſtinenſem pagum*, & *pagum Milidunenſem*, ſeu *Comitatum Milidunenſem* ſeparatim ut diverſiſſimos memorat. Inter formulas veteres Marculfo ſubjunctas formula XLI. commemorat *Gaicum Monaſterium conſtructum in pago Vvaſtinenſi*; quod *Monaſterium S. Mariæ* vocat, & puellarum fuiſſe docet formula XLII. Quem locum eſſe exiſtimo *Gyles Nonnains* hodieque nuncupatum, hoc eſt Gaicum Nonnarum, ſeu ſacratum Virginum, in pago Vvaſtinenſi ad flumen Lupam, III. à Monte Argiſi leugis diſtantem. Ex quo intelligitur, *pagum Vvaſtinenſem* olim minùs latè patuiſſe & anguſtiorem fuiſſe, quàm nunc ſit: cùm Melodunum Senonum in pago *Vvaſtinenſi* nunc ponamus, atque à pago iſto cognomine nus *Melun en Gaſtinois*: quod olim pagum ſuum peculiarem & cognominem habuit, à *Vvaſtinenſi* diverſum, *Milidunenſem* & *Milidunenſem* dictum à Meloduno, quod tum Milidunum appellabant. *Pagum Vvaſtinenſem* memorat Odorannus in Chronico, *villamque* in eo *Fontanas* ponit; memorat & Aimoinus Floriacenſis Monachus in libro I. de Miraculis S. Benedicti. Fulco qui Gaufridum fratrem ſuum Comitatu Andicavenſi ſpoliaverat, captumque in carcerem conjecerat, *formidans ne Rex* (Philippus I.) *pro perpetrata fraude ipſi adverſaretur, Comitatum Vaſtinenſem quem Andegavenſes Comites ante ipſum tenuerant, eidem Regi conceſſit habendum*: quemadmodum in codice Floriacenſi invenitur.

Ita autem nomine Germanico à Francis dictus eſt hic pagus, quòd ſtagnis, montibus, ſaxis ſeu rupibus, & ſilvis, (quarum hodieque pars, in primis Bieria remanet) ſcateret, & olim eſſet majore ex parte incultus, ac ſterilis & deſertus. Hilzondis Comitiſſa in litteris datis anno DCCCCXCII. mentionem facit de *agris cultis & incultis, Vvaſtinis*, &c. id eſt locis deſertis ac vagis, qualia Flandrenſes qui linguâ Germanicâ utuntur, *Vvoeſtynen* appellant. In litteris Henrici I. Brabantiæ Ducis anni MCCIX. hæc legimus. *Omnes Vvaſtinæ, quæ terræ ſilveſtres dicuntur, totius alodii de Herentals, ipſi Duci permaneant.* In Henrici II. Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ litteris anni MCCXLVII. *In omni terra, quæ vulgò Vvaſtina dicitur*: item ibidem, *in dictis Vvaſtinis.* Certè in Pictonibus circa Caſtanetum, *la Chaſtaigneraye*, Voventum *Vouvant*, Merventum, Secundiniacum *Secondigni*, & Partiniacum *Partenay*, ager eſt hodieque ſilveſtris, ſed olim multo quàm nunc incultior, in longitudinem XII. leugas ſeu millia paſſuum circiter XL patens, *pagus Vvaſtinenſis* ſimiliter eamdem ob cauſſam nuncupatus, vulgò *Gaſtinois*, aliàs & ſæpiùs *Gaſtine* vel *le pays de la Gaſtine*, id eſt *Vvaſtina*: ubi hodieque ſunt vici, Boſcellus *Buiſſeau*, Boſcaria *Boiſſere*, Boſcetum *Bouſſay*, & Tilia *le Teil*: qui vel nominibus ſuis ſilvas ibi olim longè lateque patuiſſe indicant. Silvas enim Noſtri *boſcos* & *foreſtes* vocitant. Eſt etiam in *Vvaſtina Pictonica* Vietium, *Viers en Gaſtine.*

à ſitu cognominatum. Bituriges Cubi in agro ſilveſtri & deſerto *Vaſtinnum* habent, *Vatan*: cujus mentionem facit vetus ſed fabuloſa Paſſio S. Lauriani hiſce verbis. *Oportet te in territorio Biturico vicum vaſtæ ſolitudinis Martyrio tuo deſtinatum adire, qui priſco vocabulo Vaſtinnus vocatur.* Ibidem: *in ſaltu vaſtæ ſolitudinis vicum, qui Vaſtinnum dicitur. Vicus Vaſtinnum,* & *locus Vaſtinum* aliàs nuncupatur. In Martyrologiis quibuſdam priſcis notatur IV. *Nonas Julias in territorio Biturigæ civitatis, vico Vaſtinno, natale S. Lauriani Epiſcopi & Martyris.* Circa *Vaſtinnum* ſunt vici Boſcolium *Buſſeul*, à boſco vel ſilva nomen habens, Spinatia *l'Eſpiniere.* & Ulmetellum *l'Ormetiau*, inculti & ſterilis ac ſilveſtris agri certiſſimum argumentum. In pago Vindocinenſi fuit ſaltus, nomine Germanico *Vaſtina* dictus; fuit & in Cenomanis altera ſilva, *Vaſtina* quoque nuncupata: Gaufridus Comes Andegavorum, qui Monaſterium S. Trinitatis apud caſtrum Vindocinum anno MXL. exſtruxit, utriuſque *Vaſtinæ* meminit in ſuis litteris, & inter ea quæ huic Monaſterio confert, memorat *in ſaltu Vaſtina Eccleſiolam quæ dicitur Eremitarum in pago Vindocinenſi: in Epiſcopatu Cenomanico medietatem cum paſnagio totius foreſtæ Vaſtinæ. Vaſtina* ſilva in pago Vindocinenſi, non ſemel vocatur *Gaſtina* in litteris Mathildis Comitiſſæ Vindocinenſis, datis anno MCXIX; *foreſtis Gaſtina* in litteris Johannis Vindocinenſis Comitis; quibus anno MCXLVII. *partem foreſtis ſuæ Gaſtina* Vindocinentibus Monachis S. Trinitatis donare ſe profitetur. *Foreſtem de Vvaſtino.* & *foreſtam de Vvaſtinio* in aliis tabulis rectiùs nuncupatam reperio. Hæc eſt (ni fallor) ſilva *Gaſtineta* vel *Gaſtina*, in qua circa annum MCXL. cœnobium nomine *Gaſtinetum*, *Gaſtine* ædificâſſe dicitur Chriſtianus Monachus. Proximus eſt huicce Abbatiæ vicus S. Laurentii, vulgò *S. Laurent es Gaſtine* cognominatus. Præmonſtratenſes in pago Epiſcopatuque Conſtantienſi habent Monaſterium, aut ut vulgari nomine utar Abbatiam, *de Vaſtinio Candido*, aliàs de *Blanca Landa* cognominatam, vulgò *Blanche Lande*, inter Exaquium *l'Eſſay*, & caſtrum S Salvatoris Vicecomitis ſitam. Ex quo intelligitur *Vaſtinium* idem ſignificare quod *Landam. Landa* autem agrum arenoſum, ſilveſtrem ſterilemque ſignificat: quales ſunt *Landæ Burdigalenſes* vel *Vaſatica*, & *landæ* Armoricanæ ſeu *Britannica.* In Chronico Monaſterii Andrenſis quod Guillelmus Abbas anno MCCXXXIV. perfecit, litteræ Gerardi Morinorum Epiſcopi datæ anno MXXCIV. *Comitatum Solitudinis de Giſnes* memorant; ut & litteræ Balduini Comitis Giſnenſis *Comitatum Solitudinis*, id eſt jus gladii eo in loco, item *terram quæ jacet ſupra domum Fretemeri in Solitudine.* Hæc *Solitudo de Giſnes*, *Vvaſtinia de Giſnes* in eodem Chronico nuncupatur; & *dominus Manaſſes Comes tempore Rainaldi Abbatis in Vvaſtinia de Giſnes unam carrucatam terræ loco Andrenſi contuliſſe* dicitur: & *decima Vvaſtiniæ terræ Giſnenſis Comitis*; necnon *Simon Prior de Vvaſtio in Comitatu Giſnenſi* ibidem commemorantur.

Vvaſtinia ergo, ſeu *Vvaſtinia terra ſolitudinem* Germanicâ linguâ ſignificat: & *Vvaſtinia* nomen in ea Solitudine hodieque ſervat locus *Vvatines* dictus. Comitatus autem Giſnenſis ſilvis, paludibus & montibus ſqualet. *Vvaſtum*, vulgò *Vvaſt*, idem erat quod *Vvaſtina*. Apud Henricum de Knighton in libro IV. de Eventibus Angliæ, *anno C. MCCCXL. in ſubſidium guerræ Regi conceſſa eſt taxa per II. annos duratura, ſcilicet nonus agniculus, IX. vellus, IX. garba; de civibus & burgenſibus verò nona de omnibus bonis ſuis & catallis; & ſimiliter de mercatoribus qui commorantur in civitatibus & burgis; etiam de his qui morantur in foreſtis & Vvaſtis, & omnibus aliis qui non vivunt ſub labore agriculturæ, quintadecima.*

Cùm ergo conſtet *Vvaſtinas* vocari ſilvas, terraſque ſilveſtres & deſertas: apparet hoc nomen *pago Vvaſtinenſi* optimè convenire, qui magna ex parte incultus eſt, & ſilvis ac ſaxis (vulgò rupes vocant) horridus, omniumq; rerum ſterilis, præſertim circa Nemus, Muritum & Miliacum. *Gaſtinetum* Vvillelmus Britto in libro X. Philippidos nuncupat, & cum *Caſtro Nantonis* conjungit: uti Odo monachus Foſſatenſis jam ante annos DC. conjunxerat in Vita Burchardi Comitis Corbolii his verbis: *Dedit Comes Burchardus Eccleſiæ Foſſatenſi in Vvaſtinenſi pago, in Comitatu Nantonenſi atque in Epiſcopatu Senonenſis urbis prædium Setam.*

VVERDA.

Suidbertus Epiſcopus *in inſula Rheni quæ vocatur in litore* (ut Beda loquitur) Monaſterium conſtruxit; ubi & obiit. Hanc *inſulam Rheni* infra Coloniam Agrippinam Germani *Vverdam* appellavere, nomine inſulam ſignificante, & *S. Suitberti inſulam*, ſeu *S.S. Vverdam*: nunc *Cæſaris Inſulam* nuncupant, *Keiſerſ-Vveerd* vel *Keiſerſ-Vvert*; claram oppido, & Monaſterio, quod nunc pro Monachis Canonicos, ac etiamnum Suidberti Patroni ſui Reliquias habet. Eſt & *Vverda* ſeu *Vvertina* ad flumen Ruram in pago Ripariorum Colonienſique Diœceſi, veteri Monaſterio à Liudgero ſtructo illuſtris: ut Mabilio doctiſſimus Monachus obſervat.

VVILTABURGUS, ET DE VVITLA.

Beda in libri V. Hiſtoriæ capite XII. de Vvilbrordo, Romæ à Sergio PP. Epiſcopo Friſiorum ordinato anno DCXCVI. & Clemente nominato, ſic refert. *Donavit autem ei Dux Francorum Pippinus locum cathedræ Epiſcopalis in caſtello ſuo illuſtri, quod antiquo Gentium illarum vocabulo Vviltaburg, linguâ Gallorum Trajectum vocatur.* Erravit Beda, & qui eum ſecutus eſt Sigebertus, quum ambo ex duobus locis unum faciunt. Trajectum enim ſedes Epiſcopatûs vetus eſt in Friſia citeriore, parte Bataviæ, ita Gallicâ vel Romanâ linguâ dictum à trajectu Rheni fluminis: at *Vviltaburgus*, illuſtre Pippini caſtellum, abeſt à Trajecto millia paſſuum tria

atque ſexcentos, & vulgò *Vviltenburg* hodieque dicitur; olim *Vviltaburgus* (ni fallor) Gentium Germanarum circumhabitantium, nimirum Batavorum Friſiorumque linguâ nuncupatus: ut Cluverius docet. *Vviltaburgum* aut *Vultaburgum* quidam ineptè *Vviltorum* aut *Vultarum oppidum* interpretantur: cùm *Vviltos* aut *Vultas* ipſimet nobiſcum ignorent, nec qui ſint, aut ubi habitaverint, poſſint oſtendere.

In Annalibus Fuldenſibus, in rebus anni DCCCXXXVI. reperimus, *Nordmannos Andoverpam civitatem incendiſſe, ſimiliter & Vvitlam emporium juxta oſtium Moſæ fluminis, & à Friſionibus tributum accepiſſe.* Aliàs legitur *Vvitcham* mendosè. Annales iſtos ſequitur Sigebertus in Chronico, & in anno DCCCXXXVII. *Vvitlam emporium ſitum juxta oſtium Moſæ* appellat. Hanc *Vvitlam* quidam credunt eſſe *Vviltaburgum*, id eſt *Vviltam* in Friſia citeriore: quibus libentiſſimè accederem, ſi *Vviltaburgus* eſſet ad oſtium Moſæ: quod *Brila* magis convenit, quàm *Vviltaburgo*, juxta oſtium Rheni poſito. Quare *Vvitlam* eſſe omnino portum ad os Moſæ exiſtimo, paullo infra Fladirtingam, *Vlaerdingue* vel *Vlaerdingen*: quem portum & locum Noſtri *la Brile*, incolæ *Briel* appellant.

VVITSANTUM.

Lambertus in Comitibus Giſnenſibus *Vvitſantum* proximum Calaſio, ab alba arena in qua ſitum eſt, nomen inveniſſe ait. *Apud Stronas, Britannicum ſecus portum qui ab albedine arenæ vulgari nomine appellatur Vvitſant, Monachorum conſtruxit Monaſterium Rodulfus Giſnenſium Comes.* Idem *Vvitſandum*, *Vvichſandum*, & *Vvithſantum* appellat, & incolas ejus *Vvithſanticos*, & *Vvichſandicos*. *Vvit* ergo album, *ſant* aut *ſand*, atque etiam *ſan* ſabulum arenamve Morinorum linguâ olim ſignificavit. *Britannicum portum* prope Stronas *Vvitſantum* nuncupavit Lambertus, hoc eſt Galliæ portum Britanniæ adverſum ac proximum, & unde commodiſſimus in Britanniam inſulam trajectus eſt: uti Geſoriacum eamdem ob cauſſam *portum Morinorum Britannicum* Plinius appellarat. Certè Vulganius Anglus ex Britannia ſeu Anglia in Gallias tranſiens, *appulit ad portum Vviltſam appellatum: qui videlicet locus ex albentis ſabuli interpretatione tale ſortitur vocabulum*: ut in Vita B. viri reperio. Ubi pro *Vviltſam* emendandum eſt *Vvitſant*, notandumque Lamberti interpretationem hoc altero veruſti ſcriptoris teſtimonio confirmari. Nunc dicitur *Vvitſan*, in quibuſdam tabulis *Vviſan*. Cambdenus *Vvitſan* Icium portum eſſe ait, eumque portum ex quo in Britanniam trajectus erat, pridem obſtructum eſſe, ob idque ut antea *Vvitſantum* Geſoriaco ſucceſſerat, ſic in *Vvitſanti* locum Calaſium fuiſſe ſubſtitutum. Reginaldus Comes Boloniæ & Ida uxor ejus, in litteris ſuis datis anno MCC. *traverſum vel paſſagium apud Vvitzhant in Comitatu Boloniæ* memorant; Mathildis in litteris anni MCCXL. *Vviſſant* appellat. Guillelmus Abbas Andrenſis in Chronico de rebus Monaſterii ſui, quod ad annû MCCXXXIV. deduxit, *Burgum Vvithſand* vocat, & in Comitatu Giſnenſi ponit, ut & Andram vel Andriam, *Andre*; Ardeam ſeu Ardam caſtrum, *Ardre*; Bredenardam, caſtellum Sangatam *Sangate*; caſtellum *Colemude*.

S. VVLMARI MONASTERIUM ET MUNICIPIUM.

Euſtachius Comes Bononiæ in litteris ſuis datis anno MCVII. nunc *Monaſterium S. Vulmari*, nunc *locum S. Vulmari* vocat. Ex *Sancti Vulmari* nominibus truncatis & in unum conjunctis factâ vitiosâ appellatione, *Samer* incolæ nuncupant, pro *Saint Vulmer*. Eſt autem hoc Monaſterium Abbatiale in eremo pagi Bononienſis non longè ab Oceano & à patria Vulmari Silviaco villa: quod opidulo circumjacenti originem & nomen dedit: ut Mabilio notat.

VVLTACONUM.

Gregorius in capite XLV. libri II. de Miraculis S. Martini *Vultaconum vicum Pictavienſem* commemorat. Profert Claudius Botarotius trientem *Teudomeris*, diademate à margaritis redimiti, cujus in averſa parte ſcriptum legitur *Vvultacomo*: quod eſt nomen loci, ubi moneta percuſſa: de quo nihil ampliùs ſcio.

VVLTIACUM.

Jonas de Vita Columbani *Vultiaci* meminit his verbis. *Progreſſus deinde* (Columbanus) *venit ad villam quamdam Vultiacum, quæ ſupra amnem Matronæ ſita eſt. Ibi receptus à quodam viro Authario nomine*, &c. Apud Hildegarium in Vita S. Faronis Epiſcopi Meldenſis *villa* dicitur *Vvilciacus*; apud Fridegodum *villa in litore amnis Matronæ ſita Vuilciacus* in libro de Vita S. Audoëni. Erat ergo hæc villa Autharii Optimatis, cujus duos filios infantulos Adonem & Dadonem, à matre ſibi oblatos, Columbanus ibidem ſua benedictione ſacravit. *Euſſi* plerique interpretantur: qui eſt vicus ad Matronam flumen non longè ab urbe Meldis, ubi S. Autharius Adonis & Dadonis pater hodieque colitur, ſicut in Monaſterio Reſbacenſi, quod ejus filius Audoënus Dado condidit.

INDEX

INDEX

NOMINUM LATINO-GALLICUS.

A.

ABALLO, *Avallon*. p. 1.
Aballonenſis vel Avalenſis Pagus, *l'Avallonois*. 1.
Abbatis Villa, *Abbeville*. 1.
Abrincatui vel Abrincatuni, *Avranchinois*. 1. 2.
Abrincatuorum Ingena, *Avranches*, 1. 2.
Abrincatinus Pagus *l'Avranchin*. 2.
Ad S. Abundum, *S. Haon* 2. 131.
Acaunum, *S. Maurice*. 2. 593.
Adlullia, *Argenlle* 24.
Adrus fl. qui & Ifrus, & Heſrus, vulgò Arotius; *Arroux*. 64.
Aduatici qui. 3.
Ædui, *Autunois, Chalonois, Maſconnois, Nivernois*. 3. 4. 5.
S. Ægidii villa in valle Flaviana *S. Gilles*. 500.
Ægirtius flu. vel Egirtius, *Gers*. 67. 259.
S. Æmiliani caſtrum, *S. Emilien*, vel *S. Melion*. 500.
Agatha, *Agde*. 5. 6.
Agathenſis Pagus, *Agadez*. 6.
Agedincum Senonum, *Sens*. 6. 7.
Agedunum, *Ahu*. 263.
Agiedunum *Aiglun*. 172.
Agmantum, *Eſmans*. 7. 626.
Agirenſis Pagus *d'Ath*. 7.
Agmo flu. vel Enno, *Aa*. 7. 470.
Agotus flu. *Agout*. 26. 133.
Aia vel Agia inſula *Iſle d'Ais*. 191.
Alabons vel Alabonte, aut Alamonte, *Talart*, vel certè *Alamon*. 7. 258.
Alactis Mons *Alibermont*, 114.
Alamanni Galicani qui. 7. 8. 498.
Alamannorum Curtis *Aumencourt*. 539.
Alani Galicani qui. 8.
Alba flu. *Aube*, *Aubete* vel *Aubetin*. *l'Aubois*, *Alve*. 8 190.
Alba marna *Aumalle*. 9.
Albechouva quæ 9.
Albici, ſeu Reii, & Alebece Reiorum Apollinarium *Riez*. 9. 10.
Albigenſes *Albigeois*. 10.
Albiga *Alby*. 10.
Albigenſis vel Albienſis Pagus *l'Albigeois*. 10.
Alomanæ vel Albanianæ *Alſen*. 10.
Aloo *Albon*. 607.
Albucio, *Aubuſſon*. 10. 11.
Albula, vel Albeta *Aubette riv*. 482.
Albus Mons *Blamont*. 11. 354.
Aldenarda *Audenarde*. 37
Aldenburgus *Oudenborch*. 37.
Alea Fluvius, *Ale*. 11.
Alentio, *Alençon*. 11.
Aleſatia, *Elſaten*, *l'Alſace*, *Auſſois*, & *Auſſay*. 11.
Aleſia Mandubiorum *Aliſe*. 11. 12.
Aleſienſis Pagus aut Aliſienſis, vel Aliſcum *l'Auxois*. 12.
Aletum, *Guich Aleth*. 12.
Algia *Auge*. 13.

6

Alingavia, Lingia, Lengiacum, *Langey*. 13. 353.
Alingo *Alengon* vel *Langon*. 13.
Alſincum vel Alſincum *Anſi*. 22.
Alſontia flu. *Alſitz* aut *Alſat*. 13. 14. 540.
Alteriæ caſtellum *Alleres* vel *Alteres*. 323.
Almaniſcæ *Almeneſches*. 14.
Alsona *Auzon*. 47.
Alta Ripa *Altrip*. 154.
Alta Ripa *Autrepe en Tardenois*. 544.
Alteia fluvius & vicus *Autie*. 14.
Alta Petra *la Haute Pierre*, aut certè *Monſtier Haute-Pierre*. 258
Altriacum ad Axonam, *Autry*. 72.
Altricum vel Autricum *Autri*. 71.
Altum Villare *Auvilliers*. 14.
Altus Mons *Hautmont*. 14.
Altus Pullus caſtrum *Hautpoul*. 133.
Alverni vicus ad Ifaram flu. *Auvers*. 384. 422.
Amatiſla flu. *l'Amaſſe*, 570.
Ambacia *Amboiſe*. 14.
Amberta *Ambierte*. 131.
Ambiani *Amienois* 15. Ambianenſis Pagus *l'Amienois*. ib.
Ambianorum Samarobriva *Amiens* 15. templa vetera urbis, Amphitheatrum, porta Clypiana. 539.
Ambiliates ſeu Ambialites *Lamballois*. 15.
Amblava flu. & locus *Amblef*. 16.
Ambiadum *Ambly*. 16.
Amboroniacum *Ambournay*. 16. 480.
Ambruſum vel Ambruſium *Ambres*. 618.
Amfleat vel Amfleot *Ambleteul* 16. 17.
Ammanium *Haens*. 17.
Amelianum *Muvau*. 17.
Amilianus vel Æmilianus Pagus *le territoire de Milhau en Rouergue*. 339.
Ampucius villa *Ampuce* vel *Ampus*. 458.
Anagnutes qui. 17.
Anagratæ *Anegray*. 17.
Andana *Anden*, alias *Andenne*. 17.
Andelaum *Andelot*. 17.
Andeliacum vel Andeleium *Andely*. 17.
Andenetium *Ancenis*. 18.
Andecavorum Juliomagus *Angers* 18. 19.
Andecavi vel Andegavi *Angevins* 18. Andegavenſis Pagus *Anjou*. 18. Andium loca, opida & caſtella 20. Eccleſiæ Andegavenſis Archidiaconi, Archipreſbyteri & Decani. 498.
Andeſagina *Anſene*. 20.
Anderna vel Andria *Andre*. 20.
Andethannale vel Epternacum, *Echternacz*. 20.
Andium vel Angia, inſula proxima Liliæ vel Leſiæ, *Andio*. 219.
Andomatunum Lingonum *Langres* 20. 21. idem Andematernum dictum 121
Andoverpum vel Antverpia *Antwerpen*, *Anvers*. 21.
Andrinus flu. *l'Indrois*. 22.
S. Anemundi caſtrum *S. Chamond* 22. 615.
Anetum *Anet*. 72.
Anger vel Andria flu. *Indre*. 22.
Angia *Enghien* vel *Anguien* 22.
Angio flu. Burgundiæ, *Agnon*. 554.

LLll

Angledura *Anglure*. 22.
Anicetacum vel Anitiacum *Aniſi*. 190.
Annonia ad S. Caſes, alias *Anſue*. 22.
Antipolis *Antibe*. 22. 23. 24.
Anto *Anton*. 615.
Antonium, *Anton*. 154.
Antrum inſula *Aindre*. 25.
Antunnacum *Andernach*. 21.
Apamiæ *Pamies*. 25. 26.
Apta Julia Vulgientium *Apt*. 27.
Aquæ Sparſæ, *Aigueperſe*. 27.
Aquæ Bigerronum, vel Aquenſis vicus *Bagneres*. 84.
Aquæ Convenarum *Agues*. 158.
Aquæ Calidæ, *Chaudes Aigues*. 47.
Aquæ Grani *Aken*, *Aix la Chapelle*. 27. 28.
Aquæ Mortuæ *Aiguesmortes*. 29.
Aquæ Neri *Neris*. 29.
Aquæ Sextiæ Salyorum *Aix*. 29.
Aquæ Siccæ *Seiches*. 501.
Aquæ Tarbellicæ *Aqs*. 30. 31. 32.
Aquæ in Villa *Aix* en *Otte* 625.
Aquila caſtrum *l'Aigle*. 32.
Aquilina Silva, Evelina, vel Evlina, *la foreſt d'Iveline*. 458.
Aquitania, *Aquitaine*, *Guienne*. 32. 33.
Arar flu. vel Saconna, *la Saône*. 34.
Arauris Fluvius *Erau*. 35.
Arauſa ſive Ceſero aut Ceſſero, *S. Tuberi*. 6. 35. 199.
Arauſio Cavarum *Orange*. 35.
Arboſium *Arbois*. 608.
Arcæ Remorum *Arches*. 36. Archeæ alias dictæ. 135.
Arcæ Calcorum *Argues*. 56.
Arceia vel Arcia *Arcey*. 45. 626.
Arcelæ *Archelles*. 36.
Arda vel Ardea Morinorum *Ardres*. 36. 37.
Arduenna Silva, *la Foreſt d'Ardenne*, & *Bois des Ardennes*. 37. 38.
Arduus Fluvius *Ardre*. 38.
Arega flu. vel Aregia, *Ariege*. 16. 223.
Arelatum *Arles*. 38. 39. 40.
Arenacum *Arnheym*. 40.
Argantomagus *Argenton*. 40. 41.
Argantovaria *Colmar*. 41.
Argenteus amnis *Argence*. 190.
Argentarius flu. vel Argentum, *Argenton*. 556.
Argentomum caſtrum *Argentan*. 41.
Argenteo, Argentum, vel Argentonium caſtrum, *Argenton l'Egliſe*. 41.
Argentoratum *Straſbourg*. 41. 42.
Argiliacæ vel Argilericæ *Argilly*. 194.
Ariaxe, Area, *Arten*, *Arre*. 42.
Arragamantia vel Arrolia *Arouage* aut *Arouaiſe*. 549.
Armalaniacæ *Aymargues*. 43.
Armorica *la Bretagne*. 43. 44.
Arona fl. *Arondes*. 481.
Arna vel Harna fl. *Arne*. 540.
Aroanna flu. *Ouaine*. 44.
Arola flu. *Ar* & *Aar* a quo pagus Arolenſis, Argouva vel Aragouva. 365. 366. Arola etiam Arar dictus. 498.
Artemari Monaſterium *Monſtier Ramey*. 44.
Arriaca vel Atriaca *Arcy ſur Aube*. 44. 45.
Artona *Artonne*. 45.
Arva flu. *Arve*. 45.
Arverni *Auvergnats*, & Auguſtonemetum Arvernorum *Clermont en Auvergne*. 45. 46. 47. 48.
Arverna Regio vel Pagus Arvernicus *Auvergne*. 47. Arverniæ loca clariora. ib.
Aſa Paulini *Anſe*. 48.
Aſciburgium *Aſcheiburg*. 48.
Aſilum *le Mas d'Aſil*. 48.
Aſpaluca *Aſpe*. 81.
Aſpalucenſis Vallis, *la Vallée d'Aſpe*. 82.
Aſtenidum vel Satanacum *Stenay*. 48. 506.
Atanacum *Amay*. 48. 49.
Atanus S. *Isle de la Perche*. 49.
Atax flu. *Aude*. 49.
Athenopolis *Grimaut*. 146.
Atteiæ *Aires*. 49. 420.
Attiniacum *Attigni*. 50.
Attipiacum *Atiche*. 50.
Atrebates *Arteſiens*. 50.
Atrebaticus vel Adertenſis Pagus *l'Artois*. 51.
Atrebatæ vel Origiacum Atrebatum *Arras*. 50. 51.
Atur flu. *l'Adour*. 52. 53.
Aturiripenſis Pagus *Pays d'Auribat*. 53.
Aturæ, civitas Aturenſium, vel Vicus Julii *Aires*. 53. 54.
Avallis villa *Avaux*. 549.
Avallocium vel Alogia *Alluye*. 54.
Avario flu. *Auerren*. 26. 491.
Aucia, Auva, vel Aucum flumen, *la Breſle* aut *Breſelle* 56. 115. 116. 117.
Avedonacum *Aunay*. 54. Avedonacenſis Pagus, vulgò Alnetum *Pays d'Aunis*. 54.
Avenio Cavarum *Avignon*. 54. 55.
Avennacum *Avenay*. 470.
Aventicum Helvetiorum *Avenche*. 55. Aventicenſis Pagus *Vchtland*, alias *Vviſſburgergou*. 55.
Avera vel Avara major flu. *Eure* vel *Youre*. 86. 312. Avera minor *Aurette*. 86.
Avenæ *Avennes*. 55.
Auga vel Aucum *Eu*. 55. 56. Aucenſis Pagus *l'Euſois*. 56.
Auguſta villa in Pago Vinemaco *Auſt*. 56.
Auguſta Rauracum vel Rauraci, *Augſt*. 466. 467.
Auguſta Prætoria Salaſſorum *Aouſte* vel *Oſta*. 56. Vallis Auguſtana *Val di Oſta*. ib.
Auguſta Sueſſionum *Soiſſons*. 56. 57. 58.
Auguſta Trevirorum vel Treviri, Noſtris *Treves*, *Trier* Germanis. 58. 59. 60.
Auguſta Tricaſtinorum *S. Paul de Tricaſtin*. 60. 61.
Auguſtodunum Æduorum *Autun*. 61. 62. 63. urbe Ædua. 63. Auguſtodunenſis Pagus *l'Auſtunois*. 63.
Auguſtodunum *Auſtum* in Epiſcopatu Ebredunenſi. 258.
Aulerci Cenomani *les Manceaux*. 64.
Aulerci Eburovices *Dioceſe d'Evreux*. 66.
Aura vel Aurea flu. *Aure*. 177.
Aureliacum *Orillac*. 66.
Auſci & Auguſta Auſcorum *Auſch*. 66. 67.
Auſterbantum Noſtris *Oſtrevant*, *Ooſterbant* Germanis. 67. 349.
Auſtria *Lorraine*, *Francenie*, *Auſtriche*. 68. 69.
Autiſſiodurum *Auxerre*. 69. 70. 71. Autiſſiodorenſis Pagus *l'Auxerrois*. 71.
Autura flu. *Eure*. 71. 72.
Axuenna *S. Manehou*. 72.
Axeium *Eſſe*. 72.
Axima Centronum *Aiſme*, Italis *Eſma*. 143. 144.
Axla Flandriæ opidum *Axel*. 537.
Axona flu. *Aiſne*. 72. 73.

B.

Bacivum vel Bacium *Bais*. 73.
Baccæ in Valle Pennina *Bex*. 593.
Bagacum Nerviorum *Bavay*. 73.
Baiocæ vel Bajocaſſium civitas, olim Argenus Viducaſſium, *Bayeux*. 74. Bajocaſſinus Pagus *le Beſſin*. 74.
Baiao caſtrum *Baillon* vel *Baillon*. 347.
Balgentiacum *Baugency*. 228. 277.
Balliolum *Bailleul en Vimeu*, *Bailleul en Hainau*, &c. 74.
Baliſa flu. *Baiſe*. 315.
Ballodium vel Balodium in Pago Mattenſi *Ballon en Mateix*. 579.
Balma *Baume les Nonnes*. 74.
Bapalmæ vel Batpalmæ *Bapaumes*. 255.
Barbaflot *Barfleu en Contantin*. 74. 75.
Barbentio *Barbençon*. 129.
Barrum ad Sequanam *Bar ſur Seine*. 75.
Barrum ad Albam *Bar ſur Aube*. 75.
Barrum Ducis *Bar le Duc*. 75. Barrenſis Pagus *le Barrois*. ib. Barrenſis Ducatus loca. 318.
Baſcenſes, Baſcli, vel Vaſci, *les Baſques*: Baſconia, *le Pays des Baſques*. 261. 262.
Baſilea, Germanis *Baſel*, Noſtris *Baſle*. 75. Baſilienſis Pagus vel Baſalchouva. 75. 76.
Baſiniacum *le Baſigne*. 76.
Baſolcæ *la Baſoche*. 76.
Baſtonia villa *Baſtoingne*. 58.
Batavodurum *Batenburg*, alias *Vvik te Duerſtede*, id eſt vicus Doreſtate. 76.
Batavia ſeu Batavorum inſula, *le Betau*, aliàs *de Betuwe*, & pars Sudhollandiæ. 77.
Batha inſula *Baaz*, aut *Iſle de Bas*. 77.
Beda *Bidburg*. 77. Bedenſis Pagus vel Bedagouva. 77.

Belendi *Belin* 524.
Belgica vicus *Balbhuſen*. 78.
Belica *Beley*, 78. Beliſenſis Pagus *le Bugey*. 78.
Bellismum *Beleſme*. 79.
Belsita *Beijen* aut *Vueljen*. 241.
Bellovaci *Beauvaiſins*. 79. eorum urbes & caſtella. 80.
Belnaium *Beaune ſur*. 115. 116.
Bellum Quadrum *Beaucaire*. 80. fortè Ugernum caſtrum. 601.
Bellus Jocus *Beaujeu*. 80. Bellojocenſis Pagus *le Beaujolois*. 81.
Bellus locus *Bellewe*, vel *Beaulieu*. 273.
Bellus Mons in Lingonibus, Monaſterio Virginum clarus *Bemont*. 281.
Bellus Mons *Beaumont le Vicomte*, & *Beaumont le Roger*, ac *Beaumont ſur Oiſe*. 81.
Belna villa *Beaune en Gaſtenois*. 326.
Belnum *Beaune*. 81. Belnenſis Pagus *le Beaunois*, ib.
Belſa vel Belſia *la Beauſſe*. 81. 82.
Benao prope Surgerias *Benon*. 578.
Beneharnum aut Benarnum *Leſcar* 82. Beneharnenſis Pagus *le Bearn*. 82. 83.
Bernacum *Bernay*. 479.
Beruli Villa *Bruvil e*. 579.
Beſvenſe Monaſterium vel Fontis Beſvæ *Baize*. 83. Beſva flu. *Baie*. 83. locus, in quo Monaſterium, Fons Beſvæ & Fons Beſva dictus a ſitu. 83.
Bettonis Cortis in Caletis *Betencourt*. 548.
Bettonis curtis in Pago Vabrenſi *Bettancourt*. 579.
Bevera vel Beveris flu. *Bievre*. 83. Bevera vicus *Bievre*. 83.
Bibracum *Vives*. 83.
Bibracte Æduorum, *Beuvray* vel *Beuray*. 61.
Bieria Silva *Biere*, vel *la Foreſt de Fontainebleau*. 83. 84.
Bigerricus Pagus *le Bigorre*. 84. Bigerrones aut Bigerri *Bigarrats*. 84.
Binchium vel Bintium *Bins en Hainaut*. 529.
Birra flu. *Berre*. 85.
Birontium *Biron*. 365.
Bituriges Cubi *Berruiers*. 85. Bituricus Pagus *le Berri*. 86. ejus Pagi urbes, oppida & caſtra. 87. Biturigæ vel Biturica, olim Avaricum, *Bourges*. 85. 86.
Biturigum Viviſcorum Burdigala *Bourdeaux*. 87. 88. Burdigalenſis Pagus *le Bourdelois*. 87. 88.
Blanziacum *Blangi en Ternois*. 88.
Blavio inſula *Briſien*. 6. 226.
Blavio *Blaves*. 88.
Blavetum flumen & oppidum *Blavet*. 88. 89.
Blavitum aut Blavia *Blaye*. 89. Blavienſis Pagus *le Blaignez*. 89.
Bleſa flu. *la Blaiſe*. 588.
Bleſa flu. *Blees*. 89. Bleſa Caſtellum *Bleſcaſtel*. ib. Bleſa villa *Bleiſſ*. ib. Bleſenſis Pagus Bleſitchouva ab eo fluvio cognominatur. 89.
Bleſum caſtrum *Blois*. 89. 90. Pagus Bleſenſis *le Blaiſois*. 90.
Blethona flu. *Bleone*. 171.
Bleva caſtellum *Bleve*. 313.
Bliriacum *Blere*. 570.
Biterra Septimanorum *Beziers*. 90. aliàs Biterræ. ib. Pagus Biterrenſis *le Bezares*. 90.
Boatium civitas, Lapurdum, Baona vel Baiona, *Bayonne*. 261. 262.
Bobacum vel Babocum *Beuvens*. 90.
Bobæ vel Bovæ caſtrum *Boves*. 90.
Bodobriga vel Baudobrica *Bopart*. 91.
Bodonis Monaſterium *Boudonvelle* vel *Bouſonville*. 230.
Boii *Bourbonnois en partie*. 91. 92.
Boii *les Buies*, Boiorum ager *le Pays de Buchs*. 261. 329. Boii vicus *Buchs*. 92.
Bonconica vel Bouconia *Oppenheim*. 92.
Bonna caſtrum, Germanis *Bon*, Noſtris *Bone*. 92.
Borbetomagus Vangionum vel Vvarmatia, Noſtris *Vormes*, Germanis *Vvorms*. 92. 93. ejus ager Pagus Vvormacienſis & Vvormazfelda. 93.
Borbonia, olim Vervo caſtrum, *Bourbonne*. 280.
Boſentiacæ vel Baſentiacum *Buſançais*. 87
Braccum Saccum vel Brachesac caſtrum, *Briſſac*. 93.
Bracanetum *Bricquenay*. 544.
Brachbantum & Brachbantenſis Pagus, nunc Brabantia ex parte, *le Brabant*. 93.
Braenna flu. Turonum, *la Braule*. 570.
Bragerniacum *Bergerac*. 94. 279.
Braium *Bray*, *Braye*, *Brou*. 94. 95.
Brandevilla *Branville*. 190.
Brancedunum *Brancion*. 95.
Brantolmum Monaſterium vel Brantoſmum *Brantôme* 327.
Bredo vel Vallis Vebronna, *S. Rambert de Beugey*. 464.
Breccæ caſtrum *Breyes*. 523.
Bredenarda terra *Brenarde*. 37.
Brennacum vel Braina *Braine*. 95.
Breona vel Briona *Brienne*. 95. Pagus Brionenſis. ib.
Breſla flu. *Breſne*. 570.
Brexia *la Breſſe*. 96.
Bribodorum vel Brivodurum *Briare*. 96.
Brieleria *Briſſerie*. 98.
Briocerum *Bridiers*. 96.
Briodrum vel Briodorum ad Axonam *Brierre*. 72.
Briegius vel Brigenſis Pagus & Saltus, *la Brie*. 96 97.
Brigantio *Briançon*. 97. Pagus Brigantionenſis *le Briançonnois*. ib.
Brigia flu. *Braye*. 97.
Brinonia *Brignole*. 189.
S. Brioci oppidum, *S. Brieu*. 97. urbs Oſiſmiorum. 395.
Brioletum vel Brioledum *Brieloy*. 98. 234.
Brionia *Briône*. 98.
Brionis ſaltus vel Briona *Brenne*. 283.
Brioſſium vel Brigioſium *Brion*. 54. 98.
Briovera *S. Lo*. 98.
Britannia *la Bretagne*. 98. incolæ ejus Britanni vel Brittones, *les Bretons*. 98. 99. 100.
Britannicus Oceanus *le Canal*, aut *la Manche*. 218.
Britolium *Breteul*. 100.
Briva Curretia *Brive la Gaillarde*. 100.
Briva Iſaræ, vel Pons Iſaræ *Pontoiſe*. 101. 453.
Brivas *Brioude*. 101. ager Brivatenſis *le Brivadois*. 101.
Broburgus *Bourbourg*. 101.
Brocariacum *Bourcheresſe*. 102.
Brocomagus *Brumat* vel *Brumt*. 102.
Brolium vel Brolium in Cotia *Breu*. 162.
Brolium in Briegio *S. Fiacre*. 333.
Bromagus vel Viromagus *Bre*. 102.
Bronium locus & Abbatia *Brugne*. 282.
Brotona ſilva *Bretot* vel *Rontot*. 237.
Bruccia *Broſſe*. 41. 102.
Brucella *Bruſſelles* Noſtris, Germanis *Bruſſell*. 102.
Brunichildis caſtrum *Bournigues*. 102.
Brunonis Mons *Bourmont en Barrois*. 338.
Bruzzæ Noſtris *Bruges*, Flandrenſibus *Brugge*. 102. 103. Flandriæ & Flandrenſe municipium Audoeno dictæ. 103 196.
Bublio *Buillon*. 103.
Bubula vel Bulbula fl. *la Bouble*. 524.
Bubulæ *Bulles*. 80.
Bunaium *Bern*. 103.
Burbincia vel Borbinſia flu. *Brebence* aut *la Brebince*. 64.
Burbo Erchenbaldi, *Bourbon l'Archambaud*. 103. 104. ab eo Pagus. Burbonenſis *le Bourbonnois*. 104.
Burbo Anſelli *Bourbon l'Anſi*. 104.
Burdemons *Bourlemont*. 104.
Burgaracum *Bacharach*, Germanis *Bacheak*. 105.
Burginatium vel Burcinatium *Cranenburg*, aut certè *Burnet*. 104.
Burgolium vel Burgulium *Bourgueuil*. 105.
Burgundia *la Bourgogne*, 105. 106. 107. 108. Burgundia inferior ſeu Ducalis aut Regia *le Duché de Bourgogne*. 107. Burgundia ſuperior vel Comitalis aut Imperialis *le Comté de Bourgogne*. ib. Burgundiones vel Burgundii *les Bourguignons*. ib. Burgundiæ inferioris ſeu Regiæ aliquot Pagi. 550.
Burgus Pontii Paulini caſtrum *Bourg*. 179.
Buruncus, *Buruch*, alias *Vvuringen*. 108.
Butila *la Bouille*. 516.
Buſſolium vel Beſſogilum *Buſſeuil*. 555.
Buxidum in Morivenſi Comitatu *Buxey*. 326.
Buxidum vel Buxiacum *Buſſi*. 494.
Buxude caſtellum *Boſſut*, alias *Bouſſos*. 108.

C.

CAbaretum *Cabarede*. 109. ager Cabaretenſis *le Cabardes*. ib.
Cabellio colonia *Cavaillon*. 109.
Cabilonnum *Chalon*. 109. Cabillonenſis Pagus *le Chalonnois*. 110.
Cadocum *Cayeu*. 15.
Cadomus *Caen*. 110.
Cadunum *Cadouin*. 365.
Cadurci les *Quercinois*, olim *Caorſins*. 110. 111. Pagus Cadurcinus, *le Querci*, olim *le Caorſin*. 111. Cadurcorum caput Divona, vel Cadurci *Cahors*. 111. An Uxellodunum a Cæſare dicatur. 111. 112.
Cæſaris Burgus *Cherbourg*. 112.
Cæſarea inſula, Gerſeium vel Gerſoium, *Gerſey*. 219.
Cæſarodunum Turonum, vel Turoni *Tours*. 112. 113.
Cæſaromagus Bellovacorum vel Bellovaci, *Beauvais*. 113. 114.
Caino *Chinon*. 114.
Calaro flu. *Garon*. 456. 457.
Calagorgis *Cazeres*. 158.
Calegium ad Itam *Chancy*. 588.
Caletum vel Calatum *Calais*. 114. 448.
Caleti *les Cauchois*. 115. Pagus Caleticus *le Pays de Caux*. 115. Caletorum fluvii, Guiteſle *la Viteſleu*, Tala vel Durus *Dun*, Sedana *Seane* aut *Saane*, Belnarum *Beaune*, Seta *la Sie*, Guarenna, Deppa, Fara *Iere*, & Aucia vel Aucum *la Breſle* aut *Breſeile*. 115. 116. 117.
Caledum Beccum *Caudebec*. 118.
Calma *Chaume*. 97.
Calmiſiacum *Chermizy*. 165.
Calo *Celleren* aut *Galeren*. 118.
Calonna *Chalonne*. 10.
Calvus Mons in Baſſiniaco, *Chaumont en Baſſigny*. 118.
Calvus Mons Velocaſſium *Chaumont en Vexain*. 118.
Camaracum *Cambray* Noſtris, Germanis *Camerick*. 119. Pagus Camaracenſis *le Cambreſis*. 119. Camaracenſis Diœceſeos loca. 123.
Camaria inſula Rhodanica, *la Camargue*. 119. 533.
Cambete *Caemps*, *Kambs*, vel *Kemps*. 120. 467.
Cambidobrenſe Monaſterium *Combronde*. 120.
Camelaria *Chamaliere*. 120.
Cameliacum vel Camiacum *Chambli*. 120. Pagus Cameliacenſis vel Cameiacenſis *Chamblois*. 120.
Camiliacum *Chemilie*. 120.
Camiliacum *Chemilly*. 120.
Camizus *Chemou*. 120. ab eo Camizifus Pagus vel Camizenſis. ib.
Campania Remenſis aut Gallica *la Champagne*: Campanenſes *les Champenois*. 120. 121. 122. Campaniæ fines, urbes & caſtella. 121. 122. Campania Brabantica *Kempenlandt* vel *Campigne*. 123.
Campania in Turonibus, *Champagne*. 572.
Campaniacum *Champagne*. 98.
Campi Lapidei *les Craux*. 123.
Campanum *Campan*. 524.
Canis Suſpenſus *Capendu*. 124.
Candida amniculus *Conde* vel *Caude*. 8.
Cantilia *Chantelle le Chaſtel*. 124.
Cantobenna vicus *Chanteïn*. 47.
Cantogilus *Chantenge*. 124.
Capannæ *Chabannes*, item *Chavannes*. 124.
Capdenacum *Cadenac*. 124.
Capella *Cappelle Broek*, vel *Cappelle Brouë*. 124. *la Capelle en Tierache*. 549.
Capleia *Chablie* vel *Chablis*. 124.
Capræ Mons *Chievremont*, alias *Kevermont*. 124.
Capraria *Cabreres*. 125.
Ad S. Capraſium *S. Grapazi*. 501.
Caputcervium *Saterge* vel *Saterges*. 125.
Caput ſtagni *Capeſtang*, alias *Capeſtain*. 49. 125.
Caput Vultonæ *Chef boutonne*, vel *Chef-boutonne*. 125. 146.
Carantonus flu. *Charente*. 125.
Carantonus *Charenton*. 125.
Carbonaria ſilva, *la foreſt Charbonniere*. 126. ejus partes. ibid.
Carcaſſo *Carcaſſonne*. 126. 127. Pagus Carcaſſonenſis vel Carcaſſenſis *le Carcaſſez*. 126. 127.
Carcer caſtellum *la Chartre*. 127.
Carentonus vicus *Carentan*. 127.
Carentona flu. *la Charentone*. 479.
Caris fluvius *le Cher*. 127.
Cariniacum *Charny*. 550.
Cariſiacum *Chierſi* vel *Querſi*. 127. 128.
Caritas *la Charité ſur Loire*. 128.
Carmanum *Carmain* vel *Cramail*. 128.
Carnutum civitas, olim Autricum *Chartres*. 128. 129. Carnutenus vel Carnutenſes *Chartrains*. 129. Pagus Carnutinus *le pays Chartrain*. 129.
Carobriæ *Chabris*. 98. 129.
Carocotinum *Crotoy*. 129.
Caroli locus *Charlly*. 131.
Carpentoracte Meminorum *Carpentras*. 129. 130.
Carroſſum *Charroux*. 130.
Carſici *Carſis* aut *Caſſis*. 520. 546.
Ad S. Carterium, *S. Chaſſer en Perigord*. 130. 501.
Cartobra *Chartreuve en Tardenois*. 544.
Cartilatum caſtrum *Carlat*. 130. Pagus Cartilatenſis *le Carladez*. 130.
Carus locus vel Cariloçus *Charlieu*, item *Cherlieu*. 131.
Carvo ad Moſam *Grave* vel *Graaffen*. 314.
Caſacongedunum aut Caſægonguidunus *Congnon*. 515.
Caſeolæ *Chaſelles*. 550.
Caſeolum caſtrum *Cherſeul*. 280.
Caſinum *Caſlus*. 131.
Caſpingium *Geiſſenburg*. 77.
Caſſinogilum *Chaſſeneuil*. 131.
Caſnus in Cotia, *Cheſne en Cuiſe*. 161.
Caſtellio ad Lupam *Chaſtillon ſur Loin*. 131.
Caſtellio ad Sequanam *Chaſtillon ſur Seine*. 131.
Caſtellum in Volago *Chaſtel*. 132.
Caſtellum vel Caſtella in Andibus *Chaſteaux*. 132.
Caſtellum Carnotes *Chaſtel Chalon*. 132.
Caſtellum Goſcelini *Joſcelin*. 132.
Caſtellum Guntherij ad Oſnam flu. *Gontel*. 132. 219.
Caſtellum vel caſtrum Guntherij ad Meduanam flu. *Chaſteau Gontier*. 132.
Caſtellum Heraldi vel Airaldi *Chaſtelleraud*. 132. Pagus Caſtroairaldenſis *le Chaſtelleraudois*. 132.
Caſtellum Marcellianum, poſt Caſtrum Francum, ac demum Canoæ dictum *Canes*. 273.
Caſtellum Menapiorum *Keſſel*. 335.
Caſtellum Morinorum *Caſſel*. 132. Vallis Caſtellana *le Val de Caſſel*. 132.
Caſtellum Theodorici *Chaſteau-Thierry*. 133.
Caſtri locus, vel Caſtriluciun, aut Mons Caſtrilocus *Mons en Hainau*. 133. 349.
Caſtra Herculis *Erkelens*. 104.
Caſtrum, alias Caſtra *Caſtres en Albigeois*. 133.
Caſtrum Allo *Chaſtelaillon*. 133.
Caſtrum Brientii *Chaſteaubriant*. 134.
Caſtrum Caninum *Chaſteauchinon*. 134.
Caſtrum Celſum *Chantoceaux*. 134.
Caſtrum Cenſorium *Chaſteau Sanſoy* aut *Chaſteau Cenſoy*. 134.
Caſtrum Galliardum vel Guallardum *Chaſteau Gaillard*. 463.
Caſtrum Lidi *Chaſteau du Loir*. 134.
Caſtrum Lucii vel Calucium *Chalus*. 134.
Caſtrum Lunæ *Chaſteau de la Lune*. 134.
Caſtrum Nantonis *Chaſteau Landon*. 135. 145.
Caſtrum Novum Arii *Caſtelnau d'Arri*. 135.
Caſtrum Novum de Strictis Fontibus, *Caſtelnau de Stretofons*. 135.
Caſtrum Portianum *Chaſteau Porcien* vel *Chaſteau en Porcien*. 135.
Caſtrum Radulfi *Chaſteau Rou*. 136.
Caſtrum Rainaldi *Chaſteau Renaud*. 136.
Caſtrum S. Sidonii *S. Sons* vel *S. Saens*. 136.
Caſtrum Villanum *Chaſteau Villain*. 136.
Catalauni ſeu Noviomagus Vadicaſſium, *Chaalons*. 136. 137. Catalaunicus Pagus, *le Chaalonnois*. 137.
Catoriſſium vel Catruſia vicus *Chartrouſſe* aut *Chartrouſe*, nec non *la Grand' Chartreuſe*. 138. 164.
Caturiges *ceux de Chorges*, *Embrun & Briançon*. 138.
Caturiges vel Catorigomagus *Chorges*. 139. 477.
Catulliacus vicus vel Catulliacenſis, *ville de Saint Denis en France*. 140. 411.
Cauciacum *Chorſi ſur Eſne*. 140.
Caudiacum vel Codiciacum, Coceium & Cociacum, *Couci*. 140. 143.
Cavaucum aut Caſiacum *Chezy*. 140.
Cebenna, aliàs Cebennæ, *les Cevennes* vel *les monta-*

gnes d'Auvergne. 140. 141.
Celbis caſtellum *Stat Kil*, Celbis Burgus *Kylburg*, Celbis fluvius *Kilaut Kelb*. 142.
Cella Bobani, aliàs inſula Germanica, *Monſtier la Celle*. 141. 142.
Cellula S. Eutitii *Selles en Berry*, vel potiùs *Celle*. 142.
Cella S. Genulfi *Celle ſur Nahon*. 142.
Cella Dunenſis *Celle Dunaiſe*. 163.
Cellula S. Maxentii *S. Maixent*. 142.
Ceſtinaniæ *Sanſilanges*. 142.
Cema vel Cemenus mons *Camelion*. 142.
Cemenelium *Cimies* vel *Cemelie*. 142. 143.
Cenomani vel Aulerci Cenomanni *Manceaux*. 64. Cenomanicus Pagus vel Cenomania *le Maine*. 64. Cenomani, vel Suindinum aut Subdinnum *le Mans*. 64.
Centronum regio *la Tarantaiſe*. 144.
Centulum *S. Riquier en Ponticu*. 144.
Cerate *Coré* vel *Ceray en Touraine*. 145.
S. Ceremici caſtellum *S. Celerin*. 145.
Cervedo *Cervon* 360.
Cervia *Chievre*. 145.
Chares aut Charus flu. *le Chier*. 145.
Chora flu. *la Cure*. 145. Chora vicus Monaſterio Abbatiali inſignis *Cure*. 145.
Ciconiæ *Chicheri en Tonnerrois*. 550.
Cimacum *Chimay*. 146.
Cippidum *Chippe*. 146.
C[illegible] fl. *le Conſſon*. 524.
Ciromagus *Civ[illegible]ſeau*. 146.
Ciſtercium *Citeaux*. 146.
Clariacum *Clery*. 311.
Clamatulicorum locus *Ramatuelle*. 556.
Claravallis *Clervaux*. 146.
Clatia flu. *Claiſe*. 183.
Claſtris *Clary*. 147.
Clauſa vallis *Vaucluſe*. 147.
Clennus flu. *le Clain*. 147.
Cliſſonio *Cliſſon*. 147.
Clumeciacum *Clamecy*. 147.
Clivus vel Cleva *Cleves*. 147. Clivenſes *Clevois*. ib.
Clota *Claye*. 266.
Cluenſe caſtrum *Cluis*. 147.
Cluniacum *Clugny*. 147.
Cluſa *Cluſe* ad Arvam flu. aut *la Cluſe* ad Rhodanum. 258.
Coeſnus flu. *Coeſnon*. 148.
Col[illegible]unum *Coudun*. 80.
Conchæ *Conches*. 34.
Colonia Agrippina Ubiorum, Noſtris *Cologne*, Germanis *Koln* aut *Colen*. 148. 149.
Colonia Equeſtris Noiodunus aut Nividunum, Noſtris *Nion*, Germanis *Newis*. 149.
Colonia Trajana vel Caſtra Ulpia, *Kellen*. 150.
Colonia vicla *Coulcine au Maine*. 150.
Columbæ *Coulons*. 150.
Columbaria *Coulomiers*. 150.
Columbarium *Colmar*. 150.
Columbarium *Coulmiers*. 550.
Columna vicus *Colommelle* aut *Columelle*. 151.
Combralia *le Pays de Combraille*. 120. 152.
Commerciacum *Commercy*. 152.
Compendium *Compiegne*. 152.
Conchæ, quæ & Caſtellio, *Conches* aliàs *Chaſtillon*. 152.
Concæ vel Conquæ, *Conches en Rouërgue*. 152.
Concordia *Kocherſperg*. 152.
Concurcallum *Concreſſaut*, in veteri nummo Concartum. 152.
Condate *Coſne ſur Loire*. 153.
Condate *Chana*. 474.
Condate vel Condatenſis vicus, *Conde*. 153.
Condateſcenſe Monaſterium, *S. Oyan de Ioux*, vel *le Monaſtere de ſaint Claude*. 153.
Condate vel Condatum *Condé ſur l'Eſcaud*. 154.
Condomium *Condom*. 313. Pagus Condomienſis *le Condomois*. 313.
Condruſtum vel Condruſus vicus *Condreux*, Pagus
Condruſiorum circa Urtam flu. *Condrem* vel *le Condrez*. 154.
Confluentes *Conflans en Limoſin*. 154.
Confluentes Iſaræ & Sarræ *Conflans*. 153.
Confluentes Iſaræ & Rhodani *Conflans*. 154.
Confluentes Moſellæ & Rheni *Coblentz*. 154.
Confluentes Matronæ & Sequanæ *Conflans*. 154.
Confluentes Arolæ & Rheni *Cobientz* aut *Coublens*. 155.
Conniacum *Cognac*. 155.
Conoleum, Conaldum vel Canaltum *Cunaut*. 155.
Conſoranni, vel civitas S. Licerii, Noſtris *Conſerans*, Vaſconibus *Couſerans*, aliàs *S. Lezer*. 155. Pagus Conſorannenſis *le Couſerans*. 155.
Conſtantia vel Crociatonum Venellorum *Coutance*. 156. Pagus Conſtantinus *le Cotentin*, vel *la Hague du Cotantin*. 156.
Contecium *Conty*. 80.
Contraginnum, quod & Calniacum, *Chauni*. 157.
Convenæ *Commingeois* 157. 158. Pagus Convenicus *le Comminge*. 10.
Convenæ vel Lugdunum Convenarum, *Saint Bertrand*. 158. 159.
Corbaria Vallis palatium *Corbiere*, a qua Archidiaconatus, & montes proximi cognominati *les montagnes de Corbiere*. 370. 371.
Corbeia caſtrum *Corbie*. 159. ager Corbeienſis *le Corbiois*. 159. Corbeia fluvius *Corbie*. 10.
Corbilo ad Ligerim *Coiron*. 159.
Corbiniacum *Corbigny*, aliàs *S. Leonard*. 159.
Corbonienſis Pagus vel Corbonia *le C[illegible]* [illegible] eo Corbo vicus *Courcon*. 160.
Corbonacum vel Carbonacum *Corbeni* vel *S. Marcou*, aut cette *Cherbonne*. 160.
Corti vacum vel Cortovacum *Falkenberg*. 160.
Cormutius vicus *Saint Aventin au Cormier*. 160.
Corteriate *Coutras*. 160.
Cortoriacum Noſtris *Courtray*, Germanis *Cortrick*. 161. Pagus Cortoriacenſis *le Courtreſis*. ib.
Cotia ſilva *la foreſt de Cuiſe* aut *la foreſt de Compiegne*. 161.
Craſſa *la Grace prés Montlaur*. 161.
Crazzacum *Grazay*. 162.
Creventinum *Crevan*. 162.
Creciacum vel Criſciacum *Creci en Ponthieu*. 162.
Creciacum ad Saram *Creci ſur Sere*. 162.
Creſſ[illegible] Bellovacorum *Creil*. 162.
Credo *Craon* 162. ager Creonenſis *le Craonnois* aut *le Craonois*. ib.
Creſta caſtrum *Creſt*. 162.
Crientius vel Criento fluvius *le Crinchon*. 162. [illegible]
Croſolium caſtrum ad Eataum flu. *Creſſ*. 1[illegible]
Criſpeium *Creſpi en Valois*. 163.
Criſpinium *Creſpin*. 163.
Crodolſus fl. *le Crou*. 161.
Crono *Cornon* vel *Coutnon*. 163.
Crola flu. vel Crolia *la Creuſe*. 164. [illegible]
Croviacum vel Cro[illegible] *Crouy*. 164.
Cruciniacum *Creutznach*. 164.
Crupita *Creutzen*. 21.
Cularo Allobrogum vel Gratianopolis *Grenoble*. 164. 165. Pagus Gratianopolitanus *le Greſivaudan*. 165.
Culenceum *Culant* 80. 330.
Culmiſciacum *Cormi[illegible]*. 165.
Curbio *Courbion* vel *Monſtier au Perche*. 166.
Curianum Promontorium *Cap de [illegible]*. 228.
Curioſolitum civitas *Quimpercorentin*. 166. Curioſolitum ager, Cornubia vel Cornu Galliæ, *Cornouaille*. 166.
Curticulæ vel Curcellæ *Courcelles*. 166.
Curtinetum vel Cortinacum *Courtenay*. 166.
Curva Villa *Courville*. 71.
Cuſilla flu. vel Cotelia *Chaſſille*. 134.
Cyrene urbs Maſſiliæ, *Cauran* vel *Cyrens*. 321.
Cyaneus flu. *Siagne*. 273.

D.

DAlbuth, Dalbued, vel Dalbodium, *Dan lenf*. 186.
Dalphinatus, Delphinatus vulgò *le Dauphiné*. 167. 168. loca ejus aliquot 168.
Dalmantino flu. *Daumignon*. 61.
Damfrons *Danfront en Paſſais*. 168.
Dangeolum caſtrum *Dangeul*. 311.
Danguſtum *Dangu*. 168.

Danum portus *Dam*. 168.
Darnienſis aut Darnuenſis Pagus circa Gemblacum. 493
Dauratum *le Dorat*. 169.
Dex caſtrum *Deon*. 125.
Dex Monaſterium *S. Filibert de Grand-lieu* 245.
Dea Vocontiorum *Die*. 169. Pagus Deenſis *le Diois*. ib.
Dececia *Decize*. 169. & 170.
Decem Pagi *Dieuze* Noſtris, *Duoſe in Lotringen* Germanis. 170.
Denegontium *Digoins*, vel *Digoine*. 170. Digonia etiam dictum. 461.
Deonantum *Dinant*. 170.
Dervus ſaltus *Der*. 170. Dervenſe Monaſterium *Monſtier en Der*. 170.
S. Deſiderii oppidum *S. Diſier*. 170.
S. Deſiderii vicus *S. Gers*. 501.
Dicaſmuta *Dixmude*. 170.
Dinannum *Dinan*. 171. Pagus Dinannenſis *le Dinannois*. 171.
Dinia Brodiontiorum vel Sentiorum *Digne*. 171.
Diva flu. *Dive*. 172. Diva locus *S. Sauveur de Dive*. ib.
Divio caſtrum *Dijon*. 172. 173. Pagus Divionenſis *le Dijonnois*. ib.
Divodurum Mediomatricorum vel Mettis *Mets*. 173. 174.
Dodonis Curtis *Doncourt*. 579.
Dola *Dole*. 175.
Doli aut Dolenſis vicus, *Deols* aut *Bourg de Deols* alias *Bourgdieux*. 175.
Dolus *Dol en Bretagne*. 175.
Doma caſtrum *Dome* 175.
Dombenſis Pagus *le Pais de Dombes*. 96. 175.
Dominium Martini, vel Domini Martini caſtrum *Dammartin*. 175. 333.
Domitiacum *Domecs*. 176.
Doncherium *Donchery*. 133.
Donincum *Doulens*. 175.
Dononium *Denain*. 176.
Donzeium *Donzy*. 176. Donzeienſis Pagus *le Donziois*. ib.
Dordingum *Dourdan*. 176.
Dormanum *Dormans*. 176. Domnamantum olim dictum. 323.
Doromellum *Dormeille*. 44.
Drahonus flu. *Die Draon*. 176. Rhodanus parvus Fortunato dictus. 474.
Driencuria caſtrum *Dancourt*. 176.
Drotius vel Dragutus flu. *Drot*. 223.
Druentia flu. *la Durance*. 177.
Druna flu. *Drome*. 177.
Druna flu. *Droune riv*. 177. 187.
Duagium *Douay*. 177.
Dubis flu. *le Doux*. 177. 178.
Dulcumenſis Pagus *le Dormois*, aut *le Païs de Dormois*. 178.
Dunkerca *Dunkerque* Noſtris, *Duynkercke* Germanis. 178.
Dunum, Dunenſe caſtrum, vel Caſtellum-Dunum, *Chaſteau-Dun*. 178 Pagus Dunenſis *le Dunois*. 178.
Dunum, vel Dunum Regis *Dun-le-Roy*. 179. Dunum ad Moſam *Dun*. 178.
Dunus flu. vel Tala *Dun en Caux*. 115. 116.
Ad Duos Pontes *Zweibrucken*, Noſtris *Deux-Pont*. 185.
Duracarum prælium *Ducler* 482.
Duranius flu. Doronoma, Dornonia, Dordonia, *la Dordogne*. 179.
Duria vel Dura, olim Marcodurum, *Duren*. 180. 315. 316.
Duria Seguſinus flu. *Doire Suſine*. 511.
Duria flu. *Dore* aut *Doire*. 315.
Durnomagus *Durſmagen* aut *Dournmagen*. 180.
Durocaſſes vel Droca *Dreux*. 180. Durocaſſinus Pagus *le Drouguſin*. 180.
Durocortorum Remorum, vel Remi *Reims*. 180. 181. 182.
Duroicoregum *Rue* 15. 182.
Duroſtallum *Dortal* 182.
Duſiacum vel Duodeciacum *Douzy les Prez*. 182. 183.
Duſmenſis Pagus *le Duesmois*. 183. Duiſmum Caſtrum, *le Chaſteau de Duesme*. ib.
Duſtris vel Doſtra flu. *Douſtre*. 557.
Duthmala flu. *Dommele*, qui per Bucſtellam ſeu Boxtellam & Silvam Ducis in Moſam defluit. 558.

E.

EAra flu. Caletorum, *Iere*. 127. 547. 548.
Ebodia inſula *Alderney*. 229.
Ebroicæ, vel Mediolanum Aulercorum Eburovicum *Evreux*. 66. Ebroicinus Pagus. ib.
Eborolacum vel Eurogilum *Evreule*. 184.
Ebrodunum caſtrum *Iverdun*. 184.
Ebrodunum Caturigum *Embrun*. 138. Pagus Ebrodunenſis *l'Embrunois*. 139.
Eburobrica *Bremont* vel *Brenon*. 184.
Echa *Eyck* vel *Etke*. 17.
Edera flu. *Iere*, alter in Pariſiis, alter in Carnutibus Pagoque Dunenſi. 185.
Edobola Silva *la foreſt de Vor*. 185.
Eflia *Eiffel*. 185.
Elaver flu. *l'Alier*. 185.
Elbotum *Elbeuf*. 185.
Electa *Alet*. 186.
Elena vicus, ſeu Lenenſe caſtrum, *Lens*. 186.
Elena civitas, *Eine*, alias *Eaune*, Hiſpanicè *Elna*. 185. pagus Helenenſis aut Elnenſis. 186.
Ella flu. *Ille* vel *l'Ille*, Vaſconicè *la Ille*. 187.
Elno *S. Amand*. 187.
Eluſa vel civitas Eluſatium *Euſe*, aliàs *Eauſe*. 187. 188 pagus Eluſanus. 188.
Eluſio aut Eluſo *Lux*. 188.
Engeriacum vel Ingeriacum *S. Jean d'Angeli*. 188.
Engilinhemium *Ingelheim*. 188.
Epomanduodurum *Mandeurre*. 110.
Eptiacum villa *Itzich*. 13.
Epuſum vel Epoſium *Ivoy*, Germanicè *Ipſch*. 189.
Ercherecum *Achery*. 189.
Ernaginum *Eragnac*. 189.
Ernodorum vel Ernotrum, *S. Ambrois ſur Arnon*. 189.
Erubris flu. & vicus *Rouer* aut *Rober*. 141.
Etanna *Yenne*. 474.
Evena *Vegue*, aut certè *Avesne*. 189.
Evoriacæ vel Eboriacum *Faremouſtier*. 189. 190.
Exando *Iſſandon* vel *Iſſandon*. 190.
Excalfurnum vel Eſcalfornum *Eſchanfour*. 190.
Excifum *Exſie* vel *Eiſſe*. 376.
Exoldunum *Iſſoudun*. 190.
Exaquium *l'Eſſay*. 190.
Exona *Eſſone*. 190.

F.

FAlemannia *Famenne* aut *Faminne*. 191.
Faleſia *Falaiſe*. 191.
Fania ſilva & pagus *Faigne*. 192. 549 550.
Fanum Jovis *Fanjaux*. 192.
Fanum Martis *Fan*, vel *Fammars*. 192. pagus Fanomartenſis *le Haunau*. 192. 582.
Fara *la Fere en Picardie*. 192.
Fara Tardanenſis *la Fere en Tardenois*. 192.
Fara Campanenſis *Fere Champenoiſe*. 192.
Faſiana villa *Feſin*. 193.
Fauriniacum *Faverney* 193.
Ferrariæ vel Bethleem *Ferrieres* 193.
Ferraria *la Ferriere en Dauſiné*. 193.
Fidemium *Femi*. 193.
S. Fidis vicus, *Sainte Foy*. 501.
Fidentiacum *Vic Fezenſac*. 193. ager & Comitatus Fidentiacus. ib.
Fielnæ *Fiennes*. 193.
Fieritum *Ferrette*. 565. 538.
Figiacum *Figeac* 115.
Filicetiæ *Fougeres*. 194.
Fines vel Fininiæ *Fimes*. 194.
Fines *Pfin an der Thur*. 611.
Firmitas in Braio *la Ferté en Bray*. 194.
Firmitas Adelhaidis, alias Firmitas Balduini, *la Ferté Alais*. 194.

Firmitas ſub Jotro *la Ferté ſous Iouerre*. 194.
Firmitas Garberti *la Ferté Gaucher*. 194.
Firmitas Aucu.di *la Ferte Au eul*. 194.
Firmitas Bernardi, *la Ferte Bernard*. 194. ager Firmitatenſis *le Fertois*. 194.
Firmitas opidum proximum Claræ valli, *la Ferté ſur Aube*. 194.
Firmitas Vicedomini *la Ferté au Vidame*. 194.
Firmitas Huberti *la Ferte Hubert*. 195.
Firmitas Aureni *la Ferte Auvrain* 195.
Firmitas Naberti *la Ferté Nabert*. 195.
Firmitas S. Albini *la Ferté S. Aubin*. 195.
Fiscamnum *Feſcam en Caux*. 195.
Fladirtinga *Vlaerdingen*. 195.
Flatei inſula vel Flateus inſula *l'iſle de Flais*. 195.
Flandria linguâ Francicâ utens, ſeu Flandria Gallicana, *le Franc*. 568.
Flandria vel Flandra, Germanis *Vlanderen*, Noſtris *Flandres*, aut *la Flandre*. 196.
Flandrenſes, Niceta Flammones, aliis Flammingi, *Flamans*. 196.
Flaviacum *Flay*, aut *S. Germer de Flay*. 196.
Flaviniacum *Flavigny* 196.
Fleon vicus aut Fleo major *le grand Fleyon*: Fleo minor *le petit Fleyon*. 549.
Flecchia, vel Filica, Fixa, Filla, *la Fleche*. 196. 197.
Fletio vicus *Fleeten* vel *Vulueden*. 265.
Flevum oſtium Rheni & lacus, *Herſtie*. 197.
Flevum caſtellum vel Flenium *Delfs*. 77.
S. Florentini opidum *S. Florentin*. 197.
S. Flori opidum, vel Indiciacum caſtrum. *S. Flour*. 578.
Floriacum *Fleury*, aut *S. Benoiſt ſur Loire*. 197.
Floriacum ad Oſcaram *Florey*. 197.
Folanebraium *Follenbray*. 95
Fonolhadenſis pagus *Fenolhedes*. 339. Fonolhadum vel Fenollietum *Fenolhed* aut *Fenouiles*. 371.
Fons Biraudi *Fontaine Biraut*. 197. 198.
Fons Calcarius, vel Forum Calcarium *Forcalquier*. 459.
Fons Ebraldi *Font-Evraud*. 198.
Fons Rogi *Font-Rouge*. 198.
Fons Veneræ caſtrum *Fonvenz*, vel *Fouvent*. 180.
Fontanæ *Fontaines ſur Aube*. 198.
Fontanæ in Tungris opidum, *Fontaines*. 198.
Fontanella *Fontenelle*, aut *S. Vandrille*. 198.
Fontanella *Fontenelle en Hainau*. 198.
Fontanetum *Fontenay en Auxerrois*. 198. 199. Fontanetum *Fontenay en Poitou*. 199.
Foreſtis Cella *Foreſt Monſtier*. 144.
Formicella *Vormezele*. 199.
Forum Claudii vel Darantaſia Centronum *Monſtier en Tarantaiſe*. 143. 144.
Forum Domitii *Frontignan*. 199.
Forum Hadriani *Voorburg*. 77.
Forum Julii *Frejus*. 159.
Forum Seguſianorum *Feur en Forés*. 200. pagus Forenſis *le Forés* aut *Forois*. 200.
Forum Tiberii *Keiſerſtuel*. 155.
Foſſæ *Fos*. 316. Foſſenſis ager *terroir de Fos*. 316.
Foſſæ opidum, & Monaſterium Foſſenſe, antè Voſſaci ... *Foſſe*. 623.
Fracta Vallis *Freteval*. 200.
Francia *la France*, vel *le Neuſtrie*, & *l'Auſtraſie*. 201. 202. Franciæ nominis variæ ſignificationes. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208.
Franciſcopolis, ſeu Portus Gratiæ, *le Havre de Grace*, Anglicè *New Haven*, id eſt Novus Portus. 210. 211.
Fraxinetum *Fraxeneto*. 211.
Frontiacum caſtrum *Fronſac*. 211. 212. ager Frontiacenſis *le Fronſadois*. 212.
Furoni *Feron*. 212.
Fuſniacum *Fagny*. 212.
Fuxum *Foix* caſtrum & pagus Comitatuſve. 212.

G.

GAbali vel Gabales Gens Aquitaniæ *les Gevaudans*. 213. Gabali urbs, olim Anderitum Gabalorum *Iavouls*. 214. pagus Gabalitanus *le Gevaudan*. 214.
Gabarretum vel Gavarritum *Gabarret*. 109. pagus Gavarritanus *le Gavardan*. 109.
Gabro vel Gabronium, olim Gambro vel Gambronenſe cœnobium, *Iauron*. 215. 392.
Gaicum Monaſterium *Gy les Nonnains*. 630.
Galardo vel Gualardo caſtrum *Gallardon*. 215.
Gala vel Jala flu. *la Ialle*. 88.
Gailardum Caſtrum aut Guallardum, *Chaſteau Gaillard*. 215.
Galliacum Caſtrum *Gaillac*. 215.
Gallicum Mare, *Mer de Levant*, aut ex parte *Mer de Marſeille*. 216.
Gallicus Oceanus *Mer du Ponant*. 218.
Gallio *Gaillon*. 220.
Gamapium *Gamache en Vexin*. & *Gamache en Vimeu*. 220. 551.
Ganda vel Gandavum *Gand* Noſtris, Germanis *Ghent*, 220. Gandenſis pagus *le Gantois*. 220.
Gargileſſa *Gargueſſe*. 614.
Gargogilum *Gergeau* aut *Iargeau*. 221.
Garites *Comté de Gaure*. 221.
Garumni *Riviere*. 221.
Garumna flu. *la Garonne*. 221. 222. 223.
Gatnapia *la Ganache*. 223.
Gavarciacum *Iavarçay*. 223.
Gaudiacus vicus in Carnutibus *Iouy*. 151.
S. Gaudentii caſtrum, *S. Gaudens*. 500.
Gaugiacum *Gueux*. 551.
Gaveta *Gaure ſur l'Eſcaud*. 223.
Gaveda vel Gavea *la Iaive*. 172.
Gauduli *Chaudeul*. 172.
Geldonia *Iodoigne*, Germanicè *Geldenaken*. 224.
Gelduba *Gelb am Rheyn*, alias *Geldub*. 224.
Gelra *Gelder* aut *Gelre* Germanis, Noſtris *Gueldres*. 224.
Gello, *S. Guillem le deſert*. 224. 583.
Gelnacus vicus *Iaunay*. 251.
Gemeticum *Gemiege* vel *Iumiege*. 224.
Gemmiacum *Gemblou* vel *Gemblours*. 224. 225.
Genabum vel Aureliani *Orleans*. 225. 226. 227. Genabenſes *les Guepens*. 228. populus caninus, *chiens d'Orleans*, ib. pagus Aurelianenſis, *l'Orleannois*. 228.
Genapia, *Ghenneppe*, aut *Gennep*, Noſtris *Guenepe*. 229.
Geneva *Geneve*. 229. pagus Genevenſis, *le Genevois*. 230.
S. Gengulfi opidum, vel Varennæ, *S. Iangoul*. 230.
Geraldi Mons, aliàs Gerardi Mons, *Geerſbergben*, Noſtris *Gramont* aut *Geramont*. 230. 553.
S. Gerontii opidum *S. Gerons*. 500.
Gerardi Villa *Gerville* 230.
Gerboredum caſtellum *Gerberoy* 80. 230.
Gergovia Arvernorum *Gergove*. 46.
Germanicum caſtrum *Germigny en Bourbonnois*. 231.
Germaniacum vel Germiniacum *Germigny ſur Vele*. 231.
Germanorum opidum, nunc S. Goaris opidum, *S. Gouver Guern*. 231.
Geſoriacum ſeu Bononia Morinorum *Boulogne ſur Mer*. 231. 232. pagus Geſoriacus vel Bononienſis, *le Boulonnois* aut *le Boulevois*. 233.
Giemum caſtrum vel Giemiacum, *Gien*. 234.
S. Gisleni Cella, vel Cella Apoſtolorum, olim Urſidongus, *S. Ghiſlain*. 234.
Glinæ *Guines*. 234.
Giſortium *Giſors* 234.
Glannafolium *Glanfeuil*, vel *S. Maur ſur Loire*. 235.
Glannateva *Glandève* aut *Glandevez*. 235.
Glanum, vel Glanum Livii, *Lanſac*. 139.
Glomma, Glomna, vel Glonna, *S. Florent*. 497.
Gobæum Promuntorium *le Chef de S. Mahé*, aliis *Cap du Fou*. 235.
Gorzia *Gorze*. 235.
Goſleni Fons vel Goiſlevi Fons *Gaillefontaine*. 236.
Gradicum caſtrum *Grey*. 236.
Granceium caſtrum *Grançay*. 236.
Grandis Mons *Grammont* 236.
Grandis Silva *Grand' Selve*. 236.
Grandis Vallis *Granvelle* aut *Granfel*. 236.
Grannona *Garande* vel *Guerande*. 236.
Graſſa *Graſſe*. 236.
Gravenengæ *Gravelinnes*, Flandrenſibus *Greuuling*. 237.
Grauna vel Graona flu. *la Grone*. 14. 147.
Gredo aut Gredonenſe caſtrum, *Greze*. 214. 237.

Grentonis Manſio *Grentemaiſnil* vel *Gratemeſnil*. 237.
Greo Mons *Puy de Grion*. 365.
Grinnes *Rhenen* 77.
Guaceium vel Vaceium *Gaſſay*. 395.
Guadce opidum, *Guer*. 237.
Guatenna vel Vatenna *Varenne*. 237.
Guatevilla *Vaterille* 237.
Guerlebos *Quillebeuf*. 238.
Guenoriacum *Vegnori*. 238.
Guepia caſtrum *la Guepie*. 238.
Gugerni *Geen*. 238.
Guetta vel Guita flu. *la Guye*. 164.
Guirardi villa *Guiereville*. 190.
Guiſium caſtrum *Viſan*. 238.
Guitefleda flu. vel Viteſleda *Vetefleu*. 17. 115.
Gurto *Gurdon*. 239.
Guſia *Guiſe*. 239.

H.

HAbendum caſtrum vel Habundum *Ramberg*. 480.
Haga Paganelli *la Haye Paynel*. 507.
Hatonis vel Hattonis Caſtellum *Haton Chaſtel*. 338.
Hainoum aut Hagnoum *le Hainau*, Germanice *Henegau* vel *Hainegouw*. 240. Hainoenſes vel Hainoattii *les Hennuyers*. 10.
Hamaticum *Hamay* aut *Hamaige*. 240.
Hammolant vel Hamatlant Comitatus *Hollande*. 141. 142.
Hammus *Hem*, *Han*, *Hen*, id eſt vicus 241. Hammulus hoc eſt viculus *Hamel* 241.
Harecortis *Harcour*. Anglis *Harecourt*. 241.
Harefiotum *Harfleu*. 241.
Hariſtallium *Herſtal* 241.
Haſbania, Noſtris *Haſbain* vel *Haſbaigne*, aut *la Haſbaye*, Germanis *Haſpengouw*. 242. Haſba flu. *Haſpen* aut *Heſpen* 242.
Halnonium *Hannon* 242.
Helelus *Ele* vicus. 241.
Hellona, Elna vel Alna flu. *Eaune* vel *Yaune*. 117.
Helvetus vel Elcebus, Noſtris *Seſtad*, Germanis *Schleſtatt* 243.
Helvetia *Schweitzerland* Germanis, Noſtris *la Suiſſe*. 243.
Helvetii *Schweitzer* aut *Suitſcher* Germanis, Noſtris *les Suiſſes*. 243.
Helvii, vel Albenſes *les Vivarois*. 245. Helvicus, vel Albenſis, aut Vivarienſis pagus *le Vivarez*. 245.
Alba Helviorum, aut Vivarium, *Viviers*. 245.
Herbatilicum *Herbauge* 245. Herbatilicus vel Arbatilicenſis pagus *le Comté d'Herbauge*. ib.
Herius inſula *Heri*, alias *l'Iſle de Nermouſtier*. 246.
Heſdinium *Heſdin*. 240. 346.
Hoium *Hui*. 246.
Holmus vicus, nomen dans Holmetiæ, *Oumoy*. 239.
Holmetius pagus *le pays du Houlme*, pagus Holmus, ubi caſtellum Atnebec, dictus in libro Miraculorum S. Vulframni ante annos DC. 246.
Horata inſula *Houat*. 472.
Hormentio flu. *Armençon*. 246.
Hoſdencum *Houdan* 246.
Huben caſtellum *Yban*. 247.
Humolariæ *Homblieres* 247.
Huneflotum *Honfleu*. 241.
Hunulfi Curtis *Hounecourt*. 247.
Hypæa inſula vel Hypata *Iſ*. 532.

I.

JAlgeium *la Roche d'Igé*, alii *Ianſé*. 248.
Jameſium, quod olim Gemmatium, *Iametz*. 338.
Jarnacum vel Alarniacum caſtrum *Iarnac*. 248
Iereium *Iury*. 248.
Icauna flumen *Ionne* 248.
Iciodorum Arvernorum *Iſſoire*. 249.
Iciodorum Turonum *Ieuxe*. 249.
Icius portus *Eſtaples*. 249.
Iculiſma vel Ecoliſma *Engoleſme* aut *Angouleſme*. 250. pagus Ecoliſmenſis *l'Angoumois* vel *l'Engoumoiſin*. 250.
Idonea flu. *Huigne* vel *Huine*. 250. 251.
Igorandis Pictonum *Ingrande*. 251.
Igorandis Biturigum *Aigurande*. 251.
Illiberis opidum *Colioure*, Hiſpanis *Colibre*, aut *Colivre*. 251.
Illiberis fluvius, Latinis Ticis & Tecum dictus, vulgò *Tec*. 251.
Iluro *Oleron*. 251. 252.
Incta *Encre*. 252.
Inda S. Cornelii *Munſter*. 252.
Indrella flu. *Anaelle* 252.
Indis flu. vulgò Idanus, *Dain*. 252.
Inſula *l'Iſle*, Germanis *Riſſel*. 253.
Inſula Barbara *l'Iſle-Barbe*. 253.
Interamnis *Entrains*. 253.
Jocundiacum Turonum *Iouay*. 251.
Jocundiacum Lemovicum *Ioac*. 253.
Jopila *Iupile* aut *Iopil*. 253.
Jorrum *Iouarre*. 254.
Jovimacum *Ioigny*. 254.
Jovis Villa *Ioinville*. 254.
Ipra caſtrum, *Ipre* Noſtris, Germanis *Iperen*, 254. Ipra flu. *Ipere*. 254.
Irtio *Herſon*, au. *Hierſon*. 254.
Iſara flum. in Allobrogum *Iſere*. 255.
Iſara Belgarum flumen *Oyſe*. 255.
Iſeræ *Iſiers*. 255.
Itta flu. *Epte*. 255.
Itto vel Ittona flu. *Iton*. 72. 255.
S. Judoci cella, *S. Ioſſe ſur Mer*. 256.
Juliacum Noſtris *Iuliers*, Germanis *Iulich*. 256.
Juliobona Caletorum, vel Deppa, *Dieppe*. 256. Juliobona non eſt Iliebona *l'Illebonne* ib.
Juncturæ ſeu Monaſterium S. Deodati, *S. Diey*. 330.
Junna, Junia, vel Jonia, qui & Exona, *la Iuine* aut *la Riviere d'Eſſone* 257. 531.
Jura Mons, *le Mont Iura*, alias *le Ioux*, & *le Mont ſaint Claude* 257. Juren ſis ſaltus, Jorenſis eremus, 257. Jurenſe cœnobium. 258.
Juſtina *Mont Iuſtin* aut *Mont Iuſtin*. 258.
Juviniacum in pago Tarvanenſi *Iovine*. 258.
Juviniacum iterum in Epiſcopatu Lugdunenſi, *Iuvignieu*. 258.

L.

LActora, Vaſconibus *Leytoure* & *Letoure*, Noſtris *Leſtore*. 259.
Læticus pagus aut Leticus, *la Lecuve*. 260.
Lætia, Legia vel Lidus flu. *la Lis*. 260.
Lætia aut Letta flu. in Tungris, *Leſch* aut *Leſche*. 260.
Lætia opidum in Hainoo, *Lieſſes* aut *Lieſſy* 260.
Landericiacum vel Landericiæ, *Landrecy* Noſtris, incolis *Landrechies*. 260.
Lantana flu. in Sequanis, *Lantaine*. 310.
Lapurdum vel civitas Boatium *Bayonne*. 261. 262. Lapurdenſis pagus *Labord*, aut *le pays de Labourd*. 261.
Latara caſtellum *le Chaſteau de Lates*, aut *la Tour de Late*. 263.
Laterna ſtagnum, vel Taurus palus, *l'Eſtang du Tau*, vel *l'Eſtang de Perols*. 263.
Latona S. *Iean de Laone*. 264.
Laticenſis pagus *Lacots* aut *Lecots*. 280.
Lavardinum caſtrum *Lavardin*. 264.
Laubiæ, Noſtris *Lobes*, indigenis *Lob*. 264.
Lauchonia vel Lauconia ſilva, *la foreſt de Livry*, vel *la foreſt de Bondis*. 264.
Laudiacum *Mont Louis* vel *Mont-Loys*. 264.
Lauracum caſtellum *Lorrac*. 265.
Laureolum, alias Aureolum & Aureola, *Laurrel*. 177.
Lauri *Leerdam*. 265.
Lauriacenſis pagus vel Lauracenſis *Lauraguez*. 265. 319.
Lauriacum, *Lorre*. 265. pagus Lauriacenſis *le pays de Lorris*. ib.
Lauriacum in Andicavis *Loire*. 265.
Lauſana, Germanis *Loſans*, Noſtris *Loſanne*. 265.
Lemanus Lacus, Lacus Lauſonius, vel Lacus Loſonnæ, *le Lac de Lauſanne*, vel *le Lac de Geneve* 265.
Lauſdunum caſtrum *Loudun*. 265. 450. pagus Lauſdunenſis *le Loudunois*. 265.

Lauterna fluviolus vel rivus, *Lazert*. 266.
Ledia ſilva *Laye*. 266.
Ledi, vulgò Lita, *Loer* ad Netam flu. 266. 376.
Ledus fluvius *le Les*. 267.
Lehunum vel Leontium *Lihons en Santers*. 501.
Lemane *la Limagne*. 48.
Lemanus Lacus, *le Lac de Geneve*. 214. 265.
Lemburgus vel Limburgus *Limbourg*, Germanicè *Limborg*. 267.
Lemovicæ vel Ratiaſtum *Limeges*. 267. 268. Lemovices Aquitani, vel Lemovicini, *les Limoſins*. 268. Lemovicinus pagus *le Limoſin*. 268. Lemovicum oppida & caſtella. 268. 269
Lemovices Armoricani Cæſaris, vel Leonenſes, *les Leonnois*. 1 Leonium, aut Leo, vel oppidum S. Pauli, *S. Paul de Leon*. 269. 270. urbs Oſiſmiorum. 395. Leonia, vel pagus Leonenſis, *le Leonnois*. 169.
Leodia vel Leodica ſilva *la Foreſt d'Orleans*. 270.
Leodicum *Liege* Noſtris, Germanis *Luttich*, Belgis *Luydick*. 270. 271.
Leodicenſis pagus, vel Liugæ, *le Liege*. 271.
Leodo Salinarius, *Lion le Saunier*. 271.
Leomania Vice comitatus, *Lomaigne*. 259. 281.
Leones caſtellum, *Lions*. 271. 272. ſilva Leonum *la foreſt de Lions*. 272.
Leonis ſinus, aut mare Leonis, *Golfe du Lion*, Italis *Mar di Lione*. 217.
Leporetum *Labrit* vel *Albret*. 271. pagus vel Ducatus Leporetanus, *l'Albret*. 272.
Leprolus vicus Turonum *le Loroux*. 272.
Leproſum vel Leproſium caſtrum Biturigum *Leroux*. 272.
Lerinus vel Planaſia, *Lerin*, alias *l'Iſle de Saint Honorat* 172.
Lero inſula *l'Iſle de Sainte Marguerite*. 273.
Leria flu. olim Sigmas, *Laire*, Vaſconicè *Leyra*. 329.
Lerius flu. *le Lers*. 26.
Leſura mons, *Loſere*. 214.
Leſura vicus *Leſer*. 274. Leſura flu. *die Leſer*. 274.
Lethernachum *Lecinn*. 16.
Leucata *Leucate* vel *Locate* Noſtris, Hiſpanis *la Leucata*, mons ſeu Promuntorium, cum caſtello & vico ejuſdem nominis. 274.
Leuconaus vel Legonaus, *Saint Valery*, Picardis *Saint Vaūary*. 274. 627.
Leveſantum vicus *Leuven*. 265.
Levitania, *Lavedan*. 84.
Leuteva vel Luteva, quæ & Forum Neronis, *Lodeve*. 274.
Lexovii, olim Noviomagus, *Lizieux*. 275. pars pagi Lexovienſis vel Liſvini & Lizuacenſis *le Lieuvin*. 275. 190.
S. Liberatæ vicus *S. Livrade*. 500.
Liberiacum *Livry*. 603.
Liciniacum caſtrum *Lezignen*, vel *Luſignan*. 276.
Liciniacum *Leſigny en Brie*. 276.
Lidus, Leda, Lidericus, Legrus vel Ligerus flu. *le Loir*. 134. 276.
Liente *Lience* aut *Liece*. 276.
Liger flu. *la Loire*, Vellavis *la Leire*. 176. 277.
Ligericinus, Ligerinus vel Ligeritus flu. *Loiret*. 278.
Ligno fluvius *Loignon*. 278.
Liguria locus *Liviere*. 278.
Lilletium caſtrum *Lilers*. 278.
Limoſum vel Limoſium caſtrum *Limoux*. 278.
Lingones *les Langrois*. 279. 280. Lingonum oppida, caſtella, & pagi. 280. 281.
Lingo vel Lingon flu. *Ingon*. 375.
Linſo *Lelle*. 281.
Liptinæ *Leſtines*. 281.
Lira caſtellum ad Riſelam flu. *Lire*. 281.
Liriſinus flu. *la Lizaine*. 482.
Liſga ſilva vel Liſica *la foreſt de Leſgue*. 282.
Litanobriga *Verneuil* ad Iſaram flu. 282.
Logium ſilva *la foreſt aux Loges*. 282.
Lomenſis vel Loſſenſis Comitatus & pagus, *Loon* vel *Loen* Flandrenſibus, incolis *Los*, Noſtris *Los*. 282.
Longa Villa ad Sedam flu. *Longueville*. 283.
Longiledium *Lonlay*. 283.
Longolarium vel Longlare *Glare*. 283.
Longoretum, aliàs Monaſterium S. Sigiranni in Brionis ſaltu vel Briona, *Lonrey*, vel *Saint Seran en Brenne*. 283.
Longoretum vel Longum Rete *Longret*. 283.
Longus Vicus *Longuvi*. 283.
Lopolagium *Soye*. 120.
Lotharingia ſuperior vel Moſellana, ſeu Ducatus Nanceii, *le Duché de Lorraine*, Germanis *Lotringen*. 286. 287. Lotharingia inferior vel Moſana, ſeu Ducatus Ripuariorum, *Lothier* vel *Lotrich*. 288.
Lovigenna *Louvi*. 288.
Lovinaſtrum *Valiere* 288.
Lovonium vel Lovanium, Noſtris *Louvain*, Germanis *Leeven* vel *Lueven*. 288.
Lucæ *Liches*. 288.
Luccium caſtrum *Luche*, aut certè *Luce*. 323.
Luciliacum Turonum, *Luſiole* vel *Luiſne* 289.
Luciliburgus caſtrum *Luxembourg* Noſtris, *Lutzenborg* Germanis. 289.
Lucus Vocontiorum *Luc*. 289. 352.
Lucio *Luçon*. 313. pagus Lucionenſis *le Luſſonnois*. ib.
Lucus prope Brinoniam, *Luc*. 289.
Lugdunum Batavorum *Leiden*, alias *Leyen*. 289.
Lugdunum Clavatum *Laon*. 289. 290. 291. pagus Laudunenſis *le Laonois*. 291.
Lugdunum Seguſianorum *Lyon*. 291. 292. 293 294 295. pagus Lugdunenſis *le Lyonnois*. 294. Lugdunenſis Gallia *la Gaule Lyonnoiſe*. 296. 297. & ſeqq.
Luliacum *Leuilly*. 290.
Lumberium *Lombers*. 27.
Lunna in pago Bellojocenſi *Belleville*. 148.
Lunate vel Lunellum, *Lunel*. 351. 365.
Lupa fluvius Senonum *Loin*. 308. 365.
Lupa flumen Sequanorum *la Louve*. 308. Lupa alius qui Auturam auget, *la Loupe*. ib.
Lupus fluvius *le Loup*. 308. 613.
Lupercïacum *Louvres le Bourg*. 308.
Lupercïacum alterum, *Louvercy*. 603.
Lupercio *Lourſon*. 309.
Luſdum *le Lude*. 309.
Luſius vicus vel Luſia, *Saint Iean de Luz*, Vaſconibus *Loezune*. 309.
Lutera *Lure*. 309.
Lutoſa amniculus *Loze*. 11.
Lutoſa in Hainoo, *Leuſe*. 309.
Lutoſæ in Tricaſſibus, *Louſes*. 310.
Luxovium *Luxeu*. 310.

M.

MAlinæ, Maliſnæ, vel Maſlinæ, *Malines* Noſtris, Germanis *Machelen*. 311.
Maceriæ in Campania, *Maiſieres*, Germanicè *Makeren*. 311.
Maceriæ ad flumen Alteiam, *Maſiers*. 312.
Maceriæ in pago Furenſi, *Majeres*. 311.
Maceriæ Turonum in Brionis ſaltu *Maiſieres en Brenne*. 312.
S. Maclovii urbs, *S. Malo*. 12.
Madriniacum in pago Mauripenſi, *Marnay*. 326.
Madualliſ, ſeu Vallis Guidonis, *la Val*. 312. 584.
Magalona *Maguelonne*. 312.
Magdunum ad Averam flu. vel Mediolanenſe caſtrum *Mehun ſur Yeure*. 312.
Magdunum, Maidunum, vel Mandunum caſtrum, *Mehun ſur Loire*. 313. pagus Magdunenſis *le Mehunois*. 313.
Magedo *Meignon*. 450.
Magnus Locus vel Monaſterium Magnilocenſe, *Maulien* 313.
Magnus Mons caſtrum, *Maimont* vel *Mémont*. 354. pagus Magnimontenſis. 281. 354.
Maiatum *Mayet*. 313.
Maldra flu. vel Mandra *Mandre*. 111. 550.
Malliacum Pictonum *Maillezay*. 315.
Malliacum Turonum *Maillé*. 314.
Malliacum ad Vidulam, *Meilly*. 605.
Malmundarium *Malmédy* vel *Malmedair*. 314.
Malva flu. *Mauve*. 313.
Malus Leo, vel Malleo caſtrum *Mauleon*. 314.
Malleo in Subola *Mauleon de Sole*. 535.
Mamerciæ caſtellum, *Memers en Saonnois*. 314. 494.
Manata vel Menata *Menat*. 314.

Mannaticium *Manrich* vel *Mauriex*. 314.
Manlia in Carnutibus *Maule*. 311.
Manſum caſtrum in pago Aginnenſi, *le Mas d'Agenois*, 314.
Manſus Afili *Mas d'Aſil*. 314.
Manſus Sanctarum Puellarum, *le Mas Saintes Puelles*, 314.
Manſus in Carnutibus *Manſe*. 313.
Mantala vel Mantula *Mente* 315.
Marcaſium Radulfi *Marcheroux*. 344.
Marcellіacum *Marcelli ſur Aube*. 315.
Marcheſneium *Marchenoir*. 81. 315.
Marcianæ *Marchienes*. 315.
Marci villa *Marville*. 319.
Marci *Marquiſe*, aut potius *Merq*. 315. 354.
Marcodurum, vel Marcomagus, aut Duria, *Duren*. 180. 315. 316.
Margarida Mons in Gabalis *Margaride* vel *Margeride*. 215. 563.
Mariacum *Marré*. 98. 316.
Marilegium vel Marolegia *Marley*. 316.
Mariliæ vel Maricolæ *Maroilles*. 316.
Maritima Avaticorum *Martegue* aut *Martigue*. 316. Maſtromela vel Maſtramela ſtagnum *L'eſtang de Martegue*, vel *Mer de Martigues*. 316.
Marchia vel Marka Provincia *la Marche*. 316. 317.
Marenneium *Marigny*. 507.
Mareventum *Mervant*. 444.
Marmanda caſtrum *Marmande en Agennois*. 317.
Marna caſtrum *Marle*. 317.
Maroialum Turonum *Marueil ſur Cher*. 317.
Maroialum in pago Aurelianenſi *Marolle*. 317.
Marrona flu. *Renelle*. 482.
Marſalium caſtellum *Marſal*. 317. 318.
Marſna *Merſen*. 318.
Martelli caſtrum *Martel*. 318.
Martianum *Mont de Marſan*. 53.
Martiliacum caſtrum *Marcillac*. 318.
Maſciacum *Macay*. 318.
Maſonis Monaſterium *Maeſmunſter*. 318.
Maſſava vel Maſva *Meſve*. 277. 317.
Maſſilia Græcorum *Marſeille*. 318. 319. 320. 321. Mare Græcum, vel Mare Maſſilienſe, *Mer de Marſeille*. 321.
Maſtanum caſtrum vel Maſtacium *Matas*. 318.
Mataputeum caſtrum *Mateputaix*. 322.
Matemenſe ſeu Elobremenſe caſtrum *Marné*. 322.
Matiſco Æduorum *Maſcon*. 322. 323. pagus Matiſconenſis vel Matiſcenſis, *le Maſconnois*. 323.
Matriacenſis vel Madriacenſis pagus *Madrie*. 324.
Matriolæ *Marolles*. 423.
Matrona flu. *Marne*. 323.
Matrona mons, *le Mont Geneure*. 97.
S. Matthæi Finis Terræ Promuntorium ac municipium cum Monaſterio, *Saint Mahé de Fine Terre*. 323. olim Gobæum Promuntorium dictum. 255.
M[illegible] *Mele*. 324.
Mauri Monaſterium, vel Maurum Monaſterium, *Maur-Munſter*. 324.
Mauriacum *Mery*. 324. Mauriaci campi vel Mauriacenſis campania, *la plaine de Mery*. 121. 122. 324.
Mauriacum in Arvernis *Mauriac*. 324.
Maurienna *Saint Iean de Morienne*. 325. Maurienna vel Vallis Maurienna, *la Murienne*, aut *la Val de Morienne*. 325.
Maurilіacum vel Miliacum, *Milli en Gaſtinois*. 325.
Maurimacum *Morigni*. 325.
Mauripenſis vel Morivenſis pagus *le Hurepois*. 326.
Mauſiacum *Mozac*. 326. 327.
Ad S. Maxentiam, *Pont Sainte Maixance*. 327.
S. Maxentii cellula vel Monaſterium *Saint Maixent*. 327.
S. Medardi vicus, *S. Mars*. 327.
Medenantenſis pagus *le Melantois*. 327.
Mediomatrici vel Mettenſes *les Meſſins*. 328.
Medioximus fl. *Mioſſan*. 57.
Meduana flu. *la Mayne*. 328.
Meduana caſtrum, vel Meduana Juchelli *Mayenne*, aut *Mayne la Iuhel*. 328.
Meduli prov. Aquitaniæ *les Medoquins*. 329. inſulæ Medulicæ, *les Iſles de Medoc*. 329. ager Medulorum *le Medoc*. ib. ora Medulica, *la Coſte de Medoc*. ib.
Meduli vel Medulli prov. Narbonenſis, quorum oppidum Medullio *Meüillon*. 329.
S. Medulfi aquæ *S. Mion*. 129.
Megeni Monaſterium vel Medianum Monaſterium; *Moyen Mouſtier*. 330.
Meginenſis pagus *Meylands*. 330. Meginum ejus caput *Meyen*. 330.
Melbodium *Maubeuge*. 330.
Meldacenſis Comitatus vel pagus, aut Mangia, *les Mauges*, alias *le Comté de Mauge*. 330.
Meldacum opidulum ejus caput *Mauge*. 330.
Meldi vel Jatinum *Meaux*. 331. 332. Meldorum Gentis loca. 333.
Melgorium *Melgueil*. 333.
Mellotum in finibus Bellovacorum *Mello* aut *Merlou*. 80. 543.
Melugda vel Melunda, *Molome en Tonnerrois*. 281.
Melentum *Meulan*. 334.
Melodunum Senonum *Melun*. 334. pagus Melodunenſis vel Miglidunenſis *le Melunois*. 334.
Melpinum caſtrum *Merpin*. 335.
Meltianus pagus *le Dioceſe de Meaux, où eſt le Multien*. 335.
Memmate vel Mimmates, *Mande en Gevaudan*. 214. 215.
Mentuniacum *Mantenay*, aut *S. Lie*. 336.
Mercorium *Mercœur*. 333.
Mercoria villa in Lemovicibus *Mercqs*. 334.
Merolіacum *Olierque*. 336.
Merrebecchi *Moerbeke*. 354.
Merula ſuper Sartam, *Mello ſur Sarte*. 337.
Meſteno *Maintenon*. 337.
Meſua caſtellum *Meſe*. 337.
Metioſedum *Meudon*. 337.
Mettis *Mets*. 173. 174. Mettenſis pagus, *le pays Meſſin*. 174.
Metullum vel Metulum *Mello*. 450.
S. Michaelis Monaſterium ad duas Tumbas, *le Mont S. Michel*, vel *S. Michel du Mont*. 338.
S. Michaelis in Eremo Monaſterium, *S. Michel en l'Er*. 578.
S. Michaelis opidum & Monaſterium ad Moſam flu. *S. Mihel* vel *S. Michiel*. 338.
Middelburgus *Middelbourg*. 627.
Milmandra flu. in finibus Biturigum Cuborum, *la Marmande*. 338.
Minariacum *Merghem*, Noſtris *Merville*. 338. 339.
Minerva caſtrum *Minerve* aut *Menerbe*. 339. pagus Minervenſis, *le Minervez*, vel *le Minerbois*. 339.
Minnodunum *Milden* vel *Moulden*. 339.
Mirapicis caſtrum *Mirepois*. 26.
Miriacum *Mici* aut *S. Meſmin de Mici*. 339.
Miciacum vel Meciacum ad flu. Vicinoniam *Meſſac*. 339.
Mogontiacum Noſtris *Mayence*, Germanis *Maintz* vel *Mentz*. 340. 341.
Molinæ *Moulins*. 342.
Molinæ Angilbertorum *Moulins Engilbert*. 342.
Monaſteriolum *Monſtreuil l'Argille*. 342.
Monaſteriolum *Montreuil en Auge*. 13.
Monaſteriolum Ambianorum, olim Bragum, *Monſtreüil*. 342. 343.
Monaſteriolum Berlaii *Monſtreuil Belay*. 343.
Monaſteriolum Senonum *Monſtereau faut-Yonne* 344.
Monaſterium Villare, *Montivilliers*. 344.
Moneſi vel Meneoſi *Moneins*. 524.
Mons Acutus *Montegu en Laonnois*, item *Montegu en Poitou*. 344.
Mons Albanus *Mont-Auban*. 26.
Mons Argiſus *Mont-Argis*. 344. 345.
Mons Aureus *Montoire*. 345.
Mons Barrus *Montbar*. 345.
Mons Baſonis in Turonibus, *Mont-Baſon*. 570.
Mons Beruli *Mont-brun*. 345.
Mons Briſiacus *Briſach*. 345. pagus Briſiacenſis vel Briſigavia *Briſgauu* Germanis, Noſtris *le Briſgau*. 346.
Mons Bruſonis *Mont-Briſon*. 346.
Mons Budelli *Membrole* aut *Montbrolle*. 524.
Mons Cabilonis *Monchaulon*, vel *Montchablon*. 346.
Mons Capreoli *Montcaurel en Boulonnois*. 346.
Mons Ciniſius, vel Alpis Cottia, *le Mont Cenis*. 349.
Mons Conſulatis vel Mons Contorius *Montcontour*. 346. 347.

Mons Cornutus *Moncornet en Tierache & Moncornet en Ardenne.* 347.
Mons Dei ſerii *Mondidier.* 347.
Mons Dubletti *Montdenbleau.* 347.
Mons Falconis *Monfaucon*, item *Fauquemont*, aut *Valkenburg.* 348.
Mons Fortis, *Montfort.* 348.
Mons Fortis Amalarici, *Montfort l'Amauri.* 348.
Mons Gualtherii vel Mota Gautherii, *la Mote Gautier.* 313. 364.
Mons Gomerici *Mont Gommery.* 349. 557.
Mons in Paſcuis, vel Mons in Pabula, *Mons en Peule* vel *Mont en Pouille.* 349. pagus Pabulenſis vel Pabula *Peule* aut *Peuele.* 349.
Mons Incenſus *Monrences.* 365.
Mons Jovis vel ſummus Penninus, *Mont Iou* aut *Mont Iou.* 349.
Mons Lupelli *Montluel.* 349.
Mons Lutzonis *Mont Luçon.* 350.
Mons Maurilionis *Mont-Morillon.* 350.
Mons Medianus *Miegemont.* 350.
Mons Medius, vel Mons Maledictus, *Montmedy.* 350.
Mons Mirabilis *Montmiralle*, vel *Montmirail*, item *Montmiral.* 350.
Mons de Nube, vel caſtellum de Nube, *la Mote de la Nuë.* 313.
Mons Peſatus *Monpeſat.* 350.
Mons Peſſulanus *Montpellier.* 351.
Mons Pictonis vel Punctonis *Montpenſon.* 351.
Mons Pelgardæ *Montbeliard.* 351.
Mons Regalis *Montreal*, *Monreal*, *Morogan.* 351. Regalis Mons *Realmont*, & *Reaumont.* 352.
Mons Relaxus *Morlais.* 352.
Mons Rotundus *Montrond* vel *Mouron.* 487.
Mons Rebelli vel Revelli *Mont Reveau le petit.* 352.
Mons Saxonis *Mont Sauſon.* 280. 478.
Mons Seleucus *Montaleon.* 352.
Mons Sorelli *Mont Soreau.* 353.
Mons Tarenſis vel Mons ad Taram *Mont-à-Taire.* 353.
Mons Theſauri *Montreſor.* 353.
Mons Tricardi *Montrichart.* 353.
Montalomagus *Mantelan.* 356.
Montes S. Engilberti *les Monts de S. Inglevert.* 357.
Montilium Ademari *Montelimar.* 356.
Montio *Pont à Mouſſon.* 356. 357.
Montis Burgus *Montebourg.* 357.
Morantiacum *Morance*, vel certè *Morhanges.* 357.
Morginnum *Morges.* 158. 164.
Moritania *Mortaigne ſur l'Eſcaud.* 359.
Moretonium caſtrum *Mortain en Normandie.* 360.
Moritonium, Moritania, vel Moritonia, *Mortaigne au Perche.* 360.
Morsa flu. *Meurte.* 360.
Mortuum Mare *Moriemer*, item *Mortemar.* 360.
Morvinnus pagus *le Morvan.* 360.
Moſa vicus ad caput flum. Moſæ, *Meuſe en Baſſigni.* 361.
Moſa flu. Noſtris *la Meuſe*, Germanis *Maes.* 361. 362. Moſanus pagus, vel Maſau *Marſlands.* 361. 362. Moſæ ortus & curſus. 362.
Moſella flu. Noſtris *la Moſelle* & *Mozelle*, Germanis *Moſel.* 362. 363.
Moſellanus vel Moſellenſis pagus *Muſelgouw.* 363. Ducatus Lotharingiæ ſuperioris ab eo flumine *Ducatus Moſellanorum*, vel *Moſella regionis* dictus. 363. Moſellæ curſus. 363.
Mosomagus vel Moſomus *Mouſon.* 364.
Mota, *la Mote en Baſſigny.* 364.
Mucra flu. *le Morin.* 364. Mucra minor, *le petit Morin.* ib.
Muſcedonum *Mucidan.* 365.
Mura locus cœnobio veteri clarus *Mury.* 365.
Murellum caſtrum *Moret* aut *Murel.* 365.
Murcæ *les Mureaux.* 365.
Murittum, Muritum, & Moretum *Moret.* 365.
Muria caſtellum Galliæ *la Mure.* 366.
Murtena caſtrum, alias Muratum, Helvetiis *Murten*, Noſtris *Morat.* 366. 487.
Muſciacum *Muſſac.* 366.
Muſſiacum *Muſſi ſur Aube.* 44.

N.

NAmnetes vel Namnetici, *les Nantois.* 367. Condivicnum vel Namnetæ, *Nantes.* ib. pagus Namneticus, *le Nantois.* 367. 368.
Namucum, antè Mannucum dictum, *Namur.* 368.
Nanceium *Nancy.* 368. diſtet à Naſio. 371. 564. 565.
Nantogilum *Nanteuil le Haudouin.* 368.
Nantoginum vel Nantoilum, *Nanteuil en Retelois.* 368.
Nantuadis vel Nantoadis *Nantua.* 368. 369.
Nantus in pago Conſtantino, *Nanteuil.* 369.
Nant vicus in pago Meldenſi *Nanteuil* 369.
Narbo Martius *Narbonne.* 369. 370. 371.
Naſium *Grand Nancy.* 371. 564 565.
Naſonacum *Naſſoin* vel *Naſſogne*, vel certè *Schoeneck.* 371.
Nava fl. *Naha* vel *Nahe.* 372 Navenſis pagus Germanis *Nachgouwe.* ib.
S. Nazarii vicus, *S. Nazere.* 236.
S. Nectarii caſtrum *Senectere.* 500.
Neelfa *Neaufle en Vexain.* 372. Nelfa Caſtellum in Carnutibus, *Neaufle le Chaſteau.* Nelfa Villa, *Neaufle la Ville.* ib.
Nemeſa flu. *Nyms*, Proneam augens *Pruym.* 540.
Nemus *Nemaurs.* 372.
Nemauſus Volcarum Arecomicorum *Nimes.* 617. 618. Nemauſus rivus, *le Viſtre.* ib.
Nerta flu. *Neers.* 52.
Neuſtria *la Neuſtrie* vel *Neuſtraſie.* 372. 373. *la Normandie.* 373.
Nicæa, *Nice en Provence*, Italicè *Niza* vel *Nizza* 374. 375.
Nigella caſtrum *Nelle.* 375.
Niger Pullus, *Voerden.* 10. 265.
Nimve *Nieuwen* aut *Nieuwe.* 375.
Niortum caſtrum *Niort.* 376. ager Niortenſis, *le Niortois.* 376.
Nita flu. *le Nied Aleman*, Nita minor, *le Nied Françoiſe.* 376. uterque *Nide* Germanis dictus, pago Nitenſi vel Nitachouvæ nomen dedit. 376.
Nitiobriges *les Agennois.* 376. Aginnum Nitiobrigum *Agen.* 377. pagus Aginnenſis, *l'Agenois.* 377.
Niviala, pòſt Nivigella ac demum Nivella dicta, *Nivelle.* 377.
Nobiliacum vel Noviliacum *Nouaillé.* 377.
Nobiliacum, *S. Leonard de Noblac.* 377.
Nortmannia, vel Nortmannia Francorum, antè Neuſtria dicta, *la Normandie.* 373. 379. 380.
Notra fl. *Neete.* 125.
Novaliceum *la Novaleze.* 380 511.
Novempopulana, ſeu Vaſconia Aquitanica vel Citerior, *la Gaſcogne.* 380. 381. 382 ejus partes. 382.
Novelium *Neuſſe*, vel *Nuys.* 382.
Novigentum vel Noviențum in Tricaſſibus, *Nogent ſur Seine* 383.
Novigentum Artaldi, *Nogent l'Artaud.* 383.
Novigentum Pariſiorum ad Sequanam, *Saint Cloud.* 383.
Novigentum Pariſiorum ad Matronam fl. *Nogent ſur Marne.* 383.
Novigentum Bellovacorum ad Iſaram, *Nogent les Vierges.* 383.
Novigentum in pago Laudunenſi, *Nogent ſous Coucy.* 383.
Novigentum in Pertico, vel Novigentum Rotroci, *Nogent le Rotrou.* 383.
Novigentum Bernardi, *Nogent le Beſnard.* 383.
Novigentum Regis, *Nogent le Roy* 533.
Novigentum ad Auturam, *Nogent ſur Eure.* 383.
Noviodunum Æduorum, pòſt Nivernum aut Nevernum à fluvio Nivere *Nievre* dictum, *Nevers.* 383. 384. pagus Nivernenſis, *le Nivernois.* 385.
Noviodunum Biturigum *Neuvy ſur Baranjon.* 385.
Noviodunum Senonum, aliis Novus Vicus ad Ligerim, *Neuvy.* 385.
Noviomagus Batavorum, *Nieumegen* incolis & *Nimegen*, Noſtris *Nimegue.* 386.
Noviomagus Nemetum, urbs Nemetæ, ac pòſt Spiracia & Spira dicta, Germanis *Speir*, Noſtris

Spire. 386. à fluvio Spira *die Speye* aut *Spier* nomen habet. 386.
Noviomagus Trevirorum, *Numagen.* 387.
Noviomagus Veromanduorum *Noyon.* 387. pagus Noviomagenſis vel Noviomenſis, *le Noyonois.* ib.
Noviorgum *Royan.* 502. 503.
Novum Caſtellum, aut Novum Caſtrum B. Mariæ, *Caſteau Cambreſi.* 388.
Novum Caſtellum in Arduenna *Neufchaſtelle.* 388.
Novus Burgus *Neufbourg.* 388
Novus Mercatus, *Neuf-Marché.* 388.
Nucetum vel Nocitum *Neſi.* 388.
Nucaretum in pago Vabrenſi *Narroy.* 579.

O.

OBris vel Orobis flu. *Orb.* 389.
Ocelum *Exilles.* 143. 389.
Occiacum, ſeu ad S. Ragnebertum, *S. Rambert en Forez.* 464.
Odorna vel Orna flu. *l'Orne.* 389. Orna villa *Orne.* 390. Odornenſis vel Ornenſis pagus *l'Ornois.* 390.
Ogæ *la Hogue S. Vaſt.* 390.
Oia inſula, *l'Iſle-Dieu*, vel potiùs *l'Iſle-d'Ieu.* 390.
Olbia, vel Areæ *Hieres*, Italis *Eri.* 391.
Oldo, qui & Uldo & Uldunus flu. *Oudon riv.* 392.
Olda qui Meduanam auget, *Oudon riv.* 392.
Olmia caſtrum *l'Olmes.* 391.
Olina vel Orna flu. *Orne.* 392.
Oltis vel Oltis flu. *l'Ole & l'Ould*, vel *Lot.* 502.
Olona *Olonne.* 392. Arenæ Olonenſes, *les Sables d'Olonne.* 392.
Orbacum *Orbay.* 393.
Orbeccum locus & fluvius *Orbec.* 393.
Orbiniacum *Orbigny.* 393.
Orge Fons *Font A'torgue*, alias *Font Eſtorgue.* 393.
Orolaunum *Arlon.* 393.
Orticola vel Urticola caſtellum *Ortienſe.* 325.
Oſcara flu. *Ouſche.* 394. ab eo pagus vel Comitatus Oſcarenſis. ib.
Oſcelius inſula Sequanæ *Oiſſel*, aut *l'Iſle de Bedaſne.* 394.
Oſcella *Vrelle.* 95.
Oſida *Oye.* 372.
Oſiacum municipium *Oiſi.* 388.
Oſiſmiorum urbes, Leonenſis, *S. Pol de Leon*, Trecorenſis *Treguier*, ac Briocenſis *S. Brieu.* 395.
Odonis manſio *Auton*, vel potiùs *Oton.* 76.
Oximenſis pagus *l'Hiemois*, aut *le pays d'Hieſmois.* 395. Oximus vel Oximi caſtrum *Hieſmes.* 395. 495.

P.

PAciacum vel Paceium *Pacy.* 397.
Palatium in Lemovicibus, *le Palais*, ad Taurionem flu. 397.
S. Papuli civitas, *S. Papoul* 26.
S. Pardulfi caſtrum, *S. Pardoul.* 500.
Paredum *Paroy le Moinal.* 398
Pariſiorum fluvii, Sequana *Seine*, Matrona *Marne*, Iſara *Oyſe*, Crodoldus *le Cron*, Eſcera *Ierre*, Bevera aut Beveris *Bievre*, Urbia *Orge*, Junna *Ioine*, Separa aut Savara *Sevre.* Pariſiorum regiunculæ, Francia, *la France*, ager Pariſiacus *le Pariſis*, Alnetum *l'Aunay*, pagus Joſacenſis vel Hurepenſis *le Joſas*, aut *l'Hurepois*, pagus Caſtrenſis, Vallis Galliæ *Van de Galie*, & pars Briegii. Pariſiorum caſtella, Brain, *Braye Comte Robert*, Brueriæ *Brueres le Chaſtel*, Capreoſa *Chevreuſe*, Caſtra *Chaſtres*, Caſtra *Chaſtres en Brie*, Caſtellum Forte *Chaſteau Fort*, Canda *la Queuë*, Corboilum *Corbeil*, Caſtrum Bacaudarum vel Foſſatum Bacaudarum *S. Maur de Foſſez*, Gometium Caſtellum *Gomets le Chaſtel*, Gornaium *Gournay*, Lutargiæ vel Luſarchiæ *Luſarche*, Maliacum *Marly le Chaſtel*, Mons Letherici *Montlehery*, Mons Maurentiacus *Montmorency*, Turnomium *Tournan*, Villa Petroſa *Villepreux*, aliaque. Pariſiorum vici præter ceteros, Alpecum *Aupec*, Antoniacum *Antoiny*, Arcolium *Arcueuil*, Argentolium vel Argentolium *Argenteuil*, Atteiæ *Attes*, Atteiolæ *Etiolles*, Aureliacum *Orly*, Axona vel Exona *Eſſonne*, Balneola *Baigneux*, Bonogilus vel Bonolium ad Matronam *Boneuil*, Bungeiæ vel Bonzeiæ *Bondis*, Burgus Reginæ *Bourg la Reyne*, Cala *Chelle*, Caput Villæ *Chaville*, Carento *Charenton*, Caronvenna *Chaleuane*, Catolacum *S. Denis en France*, Centum Nuces *Cennoi* aut *Sanoi*, Ciconiolæ *Segnelles*, Civiliacum *Chevilly*, Clippiacum *Clichi la Garenne*, Collis Longus *Conlon*, Columbæ *Coulombes*, Criſtoilum vel Criſtolium *Creteil*, Curva Via *Courbe Voye*, Diogilum *Dueil*, Edera *Ierre*, Fiſcunna *Eſcouen*, Gaunilla *Gonneſſe*, Gentiliacum *Gentilly*, vicus S. Germani in ſilva Ledia *S. Germain en Laye*, Iſciacum *Iſſy*, Latiniacum *Laigny*, Limoliæ vel Limogiæ *Limours*, Luperæ *Louvres en Pariſis*, Marcoiæ *Marcouſſis*, Moidunum *Meudon*, Mons Gemellus *Lonjumeau*, Mons Martyrum, olim Mons Mercurii & Mons Martis dictus, *Montmartre*, Nemptodorum *Nanterre*, Novigentum *S. Cloud*, Nucetum *Noiſi le Grand*, Palatiolum *Paleſeau*, Rotoialum *Rueil*, Sarcella *Sercelle*, Spinogilus vel Spinolium *Eſpineuil ſur Seine*, Verſaliæ *Verſailles*, Villa Nova S. Georgii *Villeneufve S. George*, Villare-Bellum *Valiers le Bel* a 398. pagina uſque ad 438.
Pariſiorum urbs Lutecia, item Pariſii, *Paris.* 438. 439. 440.
Patavium vel Pataium *Patay en Beauſſe.* 441.
Patriciacum *Percy.* 441.
Pauliacum *Pauilly.* 441. Pauliacum alterum *Poüilly.* 441. 442.
Pauson flu. *Palson* vel *Paillon.* 375.
Pauli Curtis *Poilcour.* 486.
S. Pelagii opidum *S. Palais.* 500.
Penetale Monaſterium *Penets.* 442.
Pennelocus *Nüwenſtatt*, Noiſtus *Villeneufve.* 442.
Peretum caſtellum *Peray.* 323.
Perugia caſtrum *Perouge.* 615.
Perrona Veromanduorum *Peronne.* 442.
Perpeniacum *Perpignan.* 187 491.
Perta *Perte*, Pertenſis pagus *le Partois.* 442. 443.
Perſenia *Perſeigne.* 494.
Perticus ſaltus & pagus *le Perche.* 443. 444. Pertici partes IV. 444.
Pertiniacum vel Partiniacum *Partenay.* 444.
Pergantium *Barganſon* vel *Breganſon.* 25.
Perviciacum *Perves.* 444.
Petrucia *Burren.* 444.
Petiverts caſtrum *Pitiviers* vel *Pluviers.* 444. 445. Pagus Petivetenſis *le Pituerais.* 445.
Petræ Fons *Pierre Font.* 445.
Petræ Pons *Pierre-Pont.* 445.
Petrocia *Petruſſe.* 445.
Petrocorii *Perigourdins.* 445. Petrocorii vel Petrocoti, olim Veſunna Petroc. *Perigueux.* 446. pagus Petrocoricus *le Perigord.* 446.
Petromantalum vel Medunta *Mante.* 446.
Picardia *la Picardie.* 447. Picardi *les Picards*, cur ita dicti. ib. Picardiæ pagi. ib.
Pictones, pòſt Pictavenſes & Pictavini dicti, *les Poitevins.* 448. Pictavi, olim Auguſtoritum Pictonum *Poitiers.* 448. pagus Pictavus *le Poitou.* 449. Pictonum fines, & minores pagi atque opida & caſtella regionis. 449. 450.
Pidus flu. *le Py.* 539
Pinciacum *Poiſſi.* 450. pagus Pinciacenſis vel Pinceciſus *le Pincerais*, vel *le Poiſſiois.* 450.
Pingeniacum vel Pinqueniacum *Pigneigny.* 450.
Pinna caſtrum *Penne d'Agenois*, & *Penne d'Albigeois.* 451.
Piſuniſium *Poinſi.* 451.
Piſcenæ vel Peſcenatium *Peſenas.* 451.
Piſcium *Peſou.* 451.
Piſtæ *Piſtres*, ut aliis placet *Poſes.* 451.
Plana Silva *Plaine Seve.* 627.
Ploalmel caſtrum *PLoermel.* 132.
Poloniacum *Polene.* 452.
Podium Laurentium vel Laurentii *Puy-Laurent*; Podium Seguerium vel Seiguer *Puy Saiguier*, Podium Nauterium *Py Nantier*, Podium Normanni *Puy-Norman*, Podium Alvari *Pech Alvari*, Podium Cæſaris *Puy de Serre*, Podium Siccum *Puy Sec*, Podium Caninum *Puy Coenin*, Podium Vrig

talli *Puy Veaux*; Podium Magenfridi *Puy Manfrey*, Podium Guillelmi *Puy Guillaume*. 452.
Poleminiacum *Poligny*. 452. 585.
Pompeiacum caſtrum *S. Vincent d'Agenois*. 452.
Pompomana inſula *la Pomegue*. 512.
Pons Altus *Pont Autou*. 452. Pons Elaveris *Pont Alier*, Pons Sulgæ *Pont de Sorgue*, Pons Vrſonis *Pontorſon*. 452.
Pons Arcus *Pont de l'Arche*. 453.
Pons Audomari *Pont Audemer*. 453. an olim locus dictus ſit Brevoduram. ib.
Pons Axonæ an ſit Pons Varenſis, *Pont-à-Vere*. 453.
Pons Fabricatus *Pont Faverge*. 539.
Pons Petreus *Pontpierre*. 445.
Pons Remigii *Pont de Remy*, aut *Pontdormy*. 453. 454.
Pons Saiæ *Pont de Sé*. 454.
Pons Saravi *Sarbruc*, Germanis *Sarbruggen*. 185. 504.
Pons Scaldis *Escaupont*. 454.
Pontes Ambianorum *Pont à Selane*. 454.
Pontes Icaunæ vel Pons Syriacus *Pont ſur Yonne*. 454. 541.
Pontes Sequanæ, vel Ad Duodecim Pontes *Pont ſur Seine*. 454.
Pontes in Santonibus *Pons*. 454.
Pontico vel Pontigo villa publica *Pontion*. 455.
Pontiniacum *Pontigni*. 281.
Pontivus pagus *le Pontieu*. 455.
S. Portiani opidum *S. Porcain*, aut *S. Pourſain*. 455. 456.
Portianus pagus *Porcean* vel *Porcien*. 135.
Portus Minei *Portmeen*. 146.
Portus Balii *Port Bail*. 456.
Portus Iliæ *Port de Pile*. 163.
Pratum Longum *Pralon*. 281.
Prætorium Agrippinæ *Roomburg*. 10.
Pratum Monſtratum vel Præmonſtratum *Premonſtré*. 456.
Pratella *Preaux*. 616.
Priſciniacum *Brignais*, vel *Brignieu*. 456.
Priſciniacus vicus *Perſieu*. 96.
Privatium caſtrum *Prevaz*. 457.
Prote inſula *la Rateneau*. 532.
Pronea flu. vel Prumia *Pruym*. 540.
Prumea vel Prumia locus ei adſitus, *Pruime*. 540.
Proviliacum *Preuille*. 470.
Provincia *la Provence*. 457. 458. nunc latius ſumta, nunc ſtrictius. 458. urbes Provinciæ. 459. Marca Provinciæ quæ. 459. inſulæ Provinciæ. 531.
Pruvinum caſtrum *Provins*. 459.
Pultariæ *Pontiere*. 459.
Puteolus caſtrum *Puiſet en Beauſſe*. 460. Puteolus in ſaltu Dervenſi *Puſie*. ib.
Puteoli vicus agri Pariſiaci *Puſeux* aut *Puſieux en France*. 460.
Puteus S. Sigiſmundi *S. Sigiſmond*, aut *S. Simon*. 131. 460.

Q.

Quadrigellæ quæ & Cadrellæ *Charolles*. 461. pagus Comitatuſque Quadrigellenſis vel Kadrellenſis *le Charollois*. 461.
Quadrugiæ caſtrum, Carrucæ vel Carrogium, *Carrouges*. 461.
Quantia fluvius, qui & Quanta & Quenta, & Cancia, *la Canche*. 461. Quentauvich vicus ad Quentam vel Quantiam quis fuerit. 256. 461. 462.
Quercetum vel Caſnetum *le Queſnoy*. 462.
Quintiacum in finibus Pictonum *Quinçay*. 462.
Quintiacum *Quincy*. 462.

R.

Adevetum *Raviers*. 463.
Radulfi pons *Ratepont*. 463.
Radis inſula *l'Iſle de Ré*. 463.
Radolium vel Rodenum *Reüil*. 464. à Radone nomen non accepit. ib.
S. Ragneberti opidum in Brexia, olim Bredo vel Vallis Vebronna, *S. Rambert de Beugey*. 464.
S. Ragneberti opidulum alterum, Occiacum pridem dictum, *S. Rambert en Forés*. 464.
Ramberti Pratum *Rubempré*. 464.
Ramboldi *Rambures*. 464.
Rama vel Roame *Rame*. 465.
Rameruſum caſtrum *Rameru*. 465.
Ranco caſtrum *Rancon* vel *Rancogne*. 465.
Rarauna vel Rauranum *Rom*. 54. 449.
Ratiatenſis aut Ratenſis pagus, *le Païs & Duché de Raiz*, alias *Retz*. 465. caput ejus pagi Ratiatum vel vicus Ratiatenſis quid fuerit. 168. 465. 466.
Rauciacum caſtellum vel Roceium *Roucy*. 466.
Rauga, olim Rodium *Roye*. 466.
Rauraci vel Raurici, olim Colonia Raurica, vel Augusta Rauricorum, alias Augusta Rauracûm, *Augſt*. 466. 467.
Redæ *Raſes*: pagus Redenſis *le pais de Raſez*. 371. 467.
Redonæ, olim Condate Redonum *Rennes*. 467. 468. pagus Redonicus *le Rennois*. ib.
Regenna *Regeane*. 468.
Regula caſtrum, olim Squirs, *la Reole*. 468.
Reiteſte *Retel*. 468. pagus Reiteſtinus *le Retelois*. 468.
Remi *Remois*. 468. 469. 470. Remenſis Diœceſeos opida & loca, & pagi. 470. pagus Remenſis vel Remtianus *le Remois*. 470.
S. Remigii de Planis caſtellum *S. Remy du Plain*. 313. S. Remigii de Monte caſtellum, *S. Remy du Mont*. 313.
Renenſis pagus *Hetlande Van Ryen*. 21.
Rentica *Renty*. 51. 470.
Reomaus *Reome* vel *Mouſtier S. Iean*. 470.
Reontium *Riens*. 470. 471.
Reſbacis *Rebes*. 471.
Reſtis *Reſt* vel *S. Pierre de Rés*. 471.
Retia ſilva vel Reſia *la Foreſt de Rets*. 471.
Retortorium caſtrum *Riotier*. 471.
Reuviſius vicus & mons *Ruys*. 471.
Rhenus flu. *le Rhin*, Germanis *Rheyn*. 472. ejus curſus, 472. Rheni dicti accolæ ejus. 473.
Rhodanus flu. *le Roſne*, accolis fontis *le Ros*. 473. 474. ejus curſus. 474. ſinus ad Gradus. 475. oſtia Rhodani. 475. 476. inſulæ in ejus oſtiis. ib.
Ribodi Mons caſtrum *Ribemont*. 476.
Ricomagus *Riom*. 476. 477.
Rigetius vel Rihetius ſaltus, *la foreſt de Route*. 614.
Rigodulum *Rigol*, aut *Reoll*. 477.
Rigomagus civitas Alpium Maritimarum, *Rie*, aut certè *Regen*. 477.
Rigomagus in Germania inferiore, *Rimagen*. 477.
Riguliacum *Relly*. 477. 478. 621
Rinctus vel Rinctius flu. *Rance*. 12.
Rionava *Ryonne*. 478.
Riparii aut Ripariolii, *Ribarolles* vel *Riberols*. 478. 479. eorum regio pòſt dicta Ripuaria, vel Ribuaria, quæ fuerit. ib.
Ripatorium *la Riveour*. 479.
Ricia, Riſla, vel Riduia fluvius, *Rille*. 479.
Rivi caſtrum *Rieux*. 26 27.
Rivus Morentini *Romorantin* vel *Remorantin*. 479.
Rivus monaſterium *Ris*. 142.
Rocca Mortis *Rochemeau*. 130.
Rodonium vel Ronetum *Rôny*. 479. 480.
Rodobeccus vel Rodebeccus flu. *Robec*. 482.
Romanum Monaſterium *Romans*. 480.
Romanum Monaſterium *Roman Moſtier*. 142.
Romarici aut Rumerici Mons *Remiremont* Noſtris, Germanis *Rumerſberg*. 480.
Roſſontum *Roſſon le Long*. 480. ab eo pagus Roſſontenſis. ib.
Roſſontum in Bellovacis *Roſſon ſur Arende* 480. 481.
Rotnacum vel Rotenacum *Roncen* Flandrenſibus, Noſtris *Ernay*. 481.
Roto *Redon*. 481.
Rotoialum in pago Rotomagenſi *Rueüil*. 481.
Rotomagenſis pagus trans Sequanam, *le Romois*. 481. 482.
Rotomagus Veliocaſſium *Rouen*. 482. 483. ejus portæ, Amphitheatrum, tria ſolia munita. 483. cauſa ejus nominis. 482. Veliocaſſium fuit & Caletorum caput. 482. Rotomagenſis Diœceſis. 485.
Rotumna vel Rotonna flu *Retomne*. 486.
Rotundæ *Rotonde*. 486.
Rotundus Mons *Rommont*. 486. 487.

INDEX

Roveritum nemus vel Rovretum, *le Bois de Boulogne*, olim *la foreſt de Rouvray*. 487.
Rubreſus lacus *l'Eſtang de la Rubine*. 49.
Rubridum ſeu Roboretum *Rouvroy en Beauſſe*. 546.
Rucetum in Cenomanis *Roueſſe*. 328.
Rufiacum *Ruffec*. 487.
Rufiacum caſtrum in Sequanis *Ruffet*. 487.
Rufiniacum caſtellum Biturigum, *Rouſſet le Chaſteau*. 87.
Rufiana *Rufach*. 487.
Ruguiæ ad Riſelam flu. *Rugles*. 479.
Rumbelitum vel Rambolitum *Rambouillet*. 487. 488.
Rupella vel Rochella *la Rochelle*. 488.
Rupes Amatoris *Roquemadour*. 112. 488.
Rupes Cavardi *Roche-Chouart*. 488.
Rupes Fulcaldi vel Fulcaudi *la Rochefoucaud*. 488 141.
Rupes ad Ionem *Roche ſur Yon*. 488.
Rupes Maura in pago Nemauſenſi *Roquemaure*. 489.
Rupes Maura in pago Vivarienſi *Rochemore*. 489.
Rupes Monachi *la Roche au Moyne*. 489.
Rupes Petroſa *la Roche Pozé*. 489.
Rupes Rivula vel Rupes Rubra *Roquebrune*. 479.
Rupes Widonis vel Guidonis *la Roche-Guion*. 489. 490.
Ruta fluvius *Roer*. 490. Rurimunda *Ruremonde* aut *Roermond*. 490.
Ruſcino *Rouſſillon* vel *la Tour de Rouſſillon* Noſtris, *Tor Roſſello* Hiſpanis. 490. regio Ruſcinonum vel Comitatus Ruſcinonenſis *le Rouſſillon*. 490. 491.
Ruſcino vel Thetis flu. *Tet*. 490.
Ruteni *les Rouerguois*. 491. 492. Rutena, olim Segodunum Rutenorum *Rodez*. 491. 492. pagus Rutenicus, *le Haut & Bas Rouergue*. 492.
Rutila *Roeil* vel *Rottel*. 492.

S.

SAbis, aliàs Saba, Savus & Sambra flu. *la Sambre*. ab eo pagus Sambrenſis vel Sambrinus cognominatus *le Sambrée*. 493.
Sabiolum *Sablé*. 494.
Sabionariæ *Savonnieres*. 494.
Saclinium vel Seclinium *Seclin*. 527.
Sacer Portus *Barbeau*. 414.
Sacrum Cæſaris caſtrum *Sancerre*. 494.
Sagonna, Sagona aut Seona caſtrum *Saone*. 494. pagus Sagonenſis vel Soonenſis *le Sonnois*. ib.
Saji vel Sagii *Sees*. 494. 495. pagus Saienſis vel Sagienſis. ib.
Salentiacum *Salence*. 495.
Saleta flu. *la Sauare*. 524.
Saleta minor *petite Sandre*. 22.
Salernum *Salers*. 495.
Saletio caſtrum *Seltz*, ad Saletionem flu. *Seltz*. 495 496.
Salia flu. *Seille*. 496. 603.
Salnenſis ager vel Salonenſis *le Saunoy*. 496. 498.
Salicola *Satreuſe*. 496.
Salientes *Saillans*. 581.
Salinæ Sequanorum *alins*. 496. 497.
Salinæ in Lotharingia *Salme*. 497. *Selme* etiam dictæ. 512.
Salmona flu. *Salm*. 274.
Salmuntiacum *Saumence*. 497.
Salmurum caſtrum *Saumur*. 497. 498.
Salodurum vel Saloturum caſtrum, Noſtris *Soleurre*, Helvetiis *Solothurn*. 498.
Salona *Salone*. 499.
Saluiæ vel Salluviæ caſtellum & fons, *Sauſſes* & *Salſes*. 499.
Saltuenſis pagus *le pays de Saut*. 339.
Saltus Algiæ *Saut d'Ange*. 11.
Salva Terra *Sauveterre*, *Salveterre*, *Salvaterre*. 490.
Salvia in pago Nemauſenſi *Sauve*. 538.
Salvitas *la Sauvetat*, *la Salvetat*, *la Salbetat*. 497. 499.
Samblacitanus vel Sambracitanus ſinus, *le Golfe de Grimaud*, aut *de S. Tropez*. 217.
Sanciacum vel Sanctiacum *Sancy*. 500.
Sangata *Sangate*. 501.
Sanitium Verdantiorum *Senez*. 501.
Santerenſis pagus, Sana Terra, & Sanguis Terſus aliis mendoſe dictus, *le Santers*. 501.
Santones, Santoni, Santonici, *les Saintongeois*. 501. 502. pagus Santonicus *la Saintonge*. 502. caput Gentis Mediolanum Santonum, & Santoni *Saintes*. 502. 503.
Santonum oppida & caſtella. 503.
Santonum portus *Brouage*. 503.
Sapaudia, Sabaudia & Saboia, *la Savoye*. 503. 504. unde nomen habeat. 504. Sapaudiæ fines & pagi. 504.
Saponariæ *Savonieres*. 494.
Sara flu. Belgicæ II, *Serre*. 504.
Saravus flu. idem Sara, Saroa, & Sarra, *Sahr* aut *T[illegible]* Germanis, Noſtris *Sar*. 504. 505.
Sarauenſis pagus vel Sarachova *Sargow*. 505.
Sarchinium vel Sarcinium in Tungris, *S. Trond*, Germanis *S. Truden*, aut potius *Kerkum*. 144. 505.
Sarcinium in Atrebatibus *Sercin*. 505.
Sarcinæ *Sargines*. 505.
Sarclitæ aut Sarcloæ *Saclé ſur Iuine*. 511.
Sarlatum vel Sarlatium *Sarlat*. 513. pagus Sarlatenſis *le Sarladois*. 514.
Sarnia aut Sarnia inſula *Grenefey*, Anglis *Garnſey*. 229.
Sarta vel Serta flu. *la Sarte*. 505. 506.
Sathonicurtis *Saulcourt*. 506.
Saturniacus vicus *Forns*. 45.
Savara vel Sarta flu. *le Rua de Seure*. 506. Savara vicus *Seure*. 506.
Saverdunum *Sabardun*. 506.
Saviniacum *Savigni*. 507.
Saviniacum vel Sabiniacum *Severy*. 507.
Saxiniacum *Saurie*. 507.
Saxiacum caſtrum *Seiſſac*. 507.
Scaldis flu. Ptolemæo Tabuda, *l'Eſcaud* Noſtris; *Schelde* Germanis. 507. ejus curſus. 507. Scaldia inſula ad os Scaldis *Schouwen*. 508.
Scardeo *la Riviere aux Cardons*. 145.
Scarpa, Scarpus & Scarbus flu. *Scarpe*. 177. 507.
Scarponna caſtrum *Scharpeigne*, aut *Sarponne*. 508. pagus Scarponnenſis. ib.
Scoceium *Ecouché*. 508.
Scobritum, vel vicus S. Vitalis, *S. Vian en Retz*. 465.
Scotalia caſtrum *Scarathe* vel *Eſcouraille*. 508.
Secalonia vel Segalonia *la Sologne*. 509.
Secuſterio *Siſteron*. 509. pagus Secuſteronenſis vel Segeſtericus *le Ciſteronois*. 509.
Secaudium vel Sidoleucum *Saulieu*. 509.
Seca flu. *la Sie*. 116.
Secena *Seine*. 173.
Sedana flu *Seane* aut *Saane*. 186.
Sedunum *Sauden*. 47.
Sedunum vel Sedunum *Sion*, Germanis *Sitten*. 510. pagus Sedunenſis *le Sionois*. ib.
Seguſio, Seguſium, Siuſium, Siuſium *Suſe*. 512. 513. Vallis Seguſina *le Val de Suſe*. 512. Duria Seguſinus *Doire Suſine* [illegible]. 511.
Segia vel Seva flu. *See*. 514.
Segeſtrum *Seſtre* aut *S. Sene*. 518.
Senciacum *Senecey*. 527.
Senonicus pagus *le Senonois*. 514. Senonica Diœceſis. ib.
Senna flu. *Senne*. 520.
Senonæ *Senone*. 330. 514. Vallis Senonienſis. 514.
Sena inſula *Sain* vel *l'iſle de Sayn*. 626.
Sentiacum *Sintzick*. 514.
Sennina flu. *Seinne*. 514.
Separis Namneticus *la Seure Nantoiſe*. 516. Separis Niortenſis, *la Seure Niortoiſe*. ib.
Septimania, vel Gothia, & Gallia Gothica, *le Languedoc*. 515. 516. cur Septimania dicta ſit. 515. cur Linguadoccium. 516. varia Septimaniæ nomina. 515. Septimaniæ fines. 516.
Sequana flu. Segona, Sigona, Secana, Geon ſeu Geobonna recentioribus dictus, *la Seine*. 516. ejus curſus 516 quando ab eo Lugdunenſis pars dicta Sequanica, & incolæ Lugdunenſis vocati Sequani. 517. 518. Litus Sequanicum, vel Litus Sequanæ *la Riviere de Seine*. 518.
Seredinnus vel Seredignus vicus *Sardene*. 629.

Seſmarus vel Seſomiris flu. *le Semoy*. 523.
Setius Mons *le Mont de Sete*, aut *Cap de Sette*. 523.
Severacum caſtrum *Serviere*. 523.
Severiacum in Turonibus *Sivray*. 523.
Seuſa *la Suſe*. 523.
Sextatio vel Soltantio *Souſtancion*. 351.
Sezannia vel Sezania *Seſane*. 523.
Sicaula flu. Seulus alias & Sivo.is *Siole*. 524.
Sicera flu. alias Sicia, quibuſdam Siſara *la Ciſſe*. 524.
Sichne, Sichemium recentioribus *Sichem*. 524.
Silvacum *Ville en Selve*, alias *Ville Serve*. 524. 525.
Silva Ducis *Boſleduc*, incolis *Shertogenboſch*. 525.
Silva Rubra ad Albam flu. *Sevarelle*. 281.
Silvanectæ, olim Auguſtomagus Silvanectum *Senlis*. 525. Silvanectenſis pagus *le Senliſien*, antea *le Servois*. 525.
Silviniacum *Souvigni*. 526.
Sinardi Pons *Senerpont*. 117.
Sindunum ad Axonam in Remis *Senuc*. 72. 178.
Sinemurum in pago Aleſienſi *Semur en l'Auſſois*. 526.
Sinemurum Brienenſe caſtrum alterum, *Semur en Brienois*. 526. 527.
Sirca caſtrum, vel caſtellum Sericum *Sirck*. 492.
Sirio *le Siron riv.* aut potiùs *Barſac* ad Sirionis Seronive & Garumnæ confluentes. 223. 527.
Sithiu vel Audomaropolis *S. Omer*. 527.
Sodobrium *Sueure*. 528.
Solbiſia *Sembiſe*. 528.
Sollemniacum *Solignac* vel *Solognac*. 528.
Solliacum *Suliy*. 528.
Solliacum in Ducatu Barrenſi, *Souilly* vel *Soully*. 338.
Solliacum in Cadurcis *Souillac*. 528.
Solinienſium aut Salinenſium civitas, vel Salinæ Suetriorum *Seillans*. 528.
Solonium vel Solo Allobrogum *la Saone*. 255. 529.
Solonacum *Sennay*. 146.
Sonegiæ *Soignies* vel *Songuies*, Germanis *Sonnieck*. 529.
Soniaca ſilva *Bois de Soigne*. 529.
Soliacum ad Sequanam *Soiſi ſur Seine*. 529.
Soliacum ad Scolam *Soiſi ſur Eſcole*. 529.
Sotium aut Sotia, opidum Sotiatium *Sos* vel *Soz*. 530.
Sparnacum *Eſpernay*. 530.
Sparno vel Sparnomum *Eſpernon*. 530.
Spedotenum vel Spedona *Eſpone*. 530.
Spinal caſtrum in pago Calvomontenſi *Eſpinal*. 118.
Spinctum Principatus titulo illuſtre *Eſpenoy*. 530.
Spinlia aut Spiſſia *Eſpoiſſe*. 102.
Staplo vel Stablo *Stoblon* aut *Eſtablon*. 530.
Stabulaus, Stablaus aut Stabolau, *Stavelo* aut *Stanlo*. 531.
Stampæ *Eſtampes*. 531. pagus Stampenſis *l'Eſtampois*. ib.
Sterpiniacum in Vilcaſſino *Eſtrepigni* vel *Eſtrepagni*. 531.
Stivagium *Eſtivay*. 350.
Stoechades inſulæ tres, *Prote le Rotoneau*, Meſe quæ & Pomponiana, *la Pomegue*, & Hypæa *If*: communi nomine dictæ *les Iſles de Marſeille*, & *les Pomegues*. 531. 532. 533. 534.
Stotavilla *Eſtouteville*. 534.
Stramiacum *Cremieu*. 534.
Strata aut Monaſterium Stradenſe *Eſtrée*. 142.
Stripiniacum in pago Stampenſi *Eſtrechi*. 531.
Strum in Atrebatibus *Eſtrun*. 534.
Sturium, Phœnice, Phila, *les Iſles d'Hieres*, aliàs *les Iſles d'Or*. 534. 535.
Subola vallis *Sole* vel *Soule*. 535.
Succaſſes *Socas*. 524.
Sueſterorum regio *le Sterel*. 536.
Sueſſiones *les Soiſſonnois*. 536. & 537. pagus Sueſſionicus *le Soiſſonnois*. 537. Sueſſionum Parocciæ, Abbatiæ, opida, pagi 537.
Sueſtra *Suſter* aut *Suſteren*. 537.
Sugintenſis pagus, Suentenſis vel Suentiſus, *Suntgaw*. 538. non *le Sauſſey*. ib.
Sulga flu. vel Vindalicus amnis, Sorgia nunc, *la Sorgue*. 538.
Sumerium *Sommieres*. 538.
Sumina flu. Somena aliàs, & Sumna ac Somna; *la Somme*. 538. Frudis olim, & Samara aut Samarus dictus, recentioribus Somona & Somana. 539.
Supra, Sopia vel Suppia flu. *Suippe*. 539. Sopia municipiolum *Suippe*. ib.
Sura flu. recentioribus Soroe, *Saur*. 540. Sura vicus ei adſitus *Saur*. ib.
Surgeriæ *Sugeres*. 540.
Suricinium vel Soregium *Soreze*. 540.
Surregium *Seure*, nunc *Bellegarde*. 540.
S. Symphoriani mandamentum vel caſtellum, *S. Sforien le Chaſtel en Fords*. 615.
S. Symphoriani caſtrum ad Rhodanum *S. Saforin*. 615.

T.

TAbellicum, Talleburgus vel Taleaburgus, *Tailleburg*. 542.
Tabernæ ad Rhenum *Saverne*, Germanis *Rheinzabern*. 542.
Tabernæ quæ nunc Aleſaticæ cognominantur, *Elſaſzabern*, nonnumquam & abſolutè *Zabern*, Noſtris quoque *Saverne*. 542.
Tabernæ *le petit Saverne*, Germanicè *Bergzabern*. 524.
Tabulæ vel Tablæ *Alblas*. 77.
Taifalia vel Teifalia vicus *Tifauge*. 543.
Talamita *Talande*. 47.
Tamnum *Talmon* vel *Talemont*. 502. 503.
Tancardi Villa vel Tancredi *Tancarville*. 543.
Tara flu. *Tarre* olim, nunc *Teren*. 543.
Taraſco Salvorum *Taraſcon*. 543.
Taraſco caſtrum in Comitatu Fuxenſi, *Taraſcon* vel *Terraſcon*. 543.
Tatarum *Tarare*. 543. 544.
Tardanenſis pagus *le Tardenois* aut *Tartenois*. 544.
Tarnis flu. *le Tarn*. 544.
Tarvenna Morinorum, Noſtris *Terouanne*, Belgis *Teruvaen*. 544. 545. Tarvennenſis pagus *le Terouannois*. 545.
Tarulates *le Turſan*. 545.
Tauniacum *Tonay-Charente*. 545.
Tauniacum alterum *Tonay-Boutonne*. 545.
Taurentum *la Ciotat* vel *la Cioutad*. 546.
Tauriacum caſtrum *Toury en Beauſſe*. 546.
Tauriacum alterum in Secalaunia *Toury*. 546.
Taurinniacum caſtrum, vel Torinneium, *Torigny*. 546.
Tegna *Tin*. 546 547.
Tegulariæ caſtrum, *Tilliers*. 547.
Tellau pagus, nec non Taloa, & Talogienſis pagus, *le pays de Tallou*, aliàs *le pays de Taloy*. 547.
Telo Martius *Toulon*. 548. 549.
Tenerchebraium caſtrum *Tinchebray*. 95.
Teoracia vel Teoraſcia ſilva & pagus *la Tierache*. 549. 550.
Terlumum vel Teloniæ *Trelon*. 550.
Ternodorum *Tonnerre*. 550. pagus Ternodorenſis *le Tonnerrois*. ib.
Teſtrebantium *Teyſterbant*. 550. 551.
Teucera ad Alteiam *Tieure*. 182.
Textricium *Tertre* vel *Teſtre ſur Daumignon*. 551.
Teberti Villa *Teberville*. 275.
Thalametum *Talemey*. 478.
Theminæ vel Teminæ caſtrum *Themines*. 551.
Thenæ *Tienen*, Noſtris *Tillemont*. 551.
Theodemerenſis pagus *le Thimerais*. 551. Theodemerenſe caſtrum *Thimer*. ib.
S. Theoderici Monaſterium, vel Cœnobium Orenſe, *S. Thierry*. 551.
Theodonis Villa *Thionville*, Germanis *Diedenhoven*. 551. 552.
S. Theotfridi Monaſterium *S. Chaffre*, aliàs *Monaſtier*. 552.
Theoruadum Palatium, vel Doadum caſtellum *Doué*. 552.
Thermæ caſtrum *Termes*. 552. 553. ager Thermenſis vel Terminenſis *Termenex*. 553.
Thetboldi Villa *Thibenville*. 474.
Theudurum ſeu Teudurum vicus *Tudderen by Sitthart*. 160.
Thilia vel Thila *Ty* aut *Diel* Noſtris, *Dyle* Germanis. 288. 504.
Tiberiacum *Berchem*. 553.
Tibernio *Tivernon*. 546.

Ticlevinn: *Dickelvenne*. 553.
Tigernum caſtrum *Tiern*. 553.
Tigurinorum caput Tigurum, Turicum & Turegum *Zurich*. 553. 554. lacus Tigurinus vel Turicinus *Zurichſee*. 553. pagus Tigurinus *Zurichgeu*. 554.
Tila flu. & Tilius *Tille* vel *Til*. 554.
Tilæ Caſtrum vel Tilenſe Caſtrum *Tille-Chaſteau*; corrupte *Trichaſteau*. 554.
Tilietum Godini *Tillay le Godin*. 546.
Tilietum Paganelli *Tillay le Paineux*. 546.
Tiliaum vel Tillum *Tel* aut *Teil*. 45.
Tinconium *Xancoins* vel *Sancoin*. 85.
Tinurtium caſtrum *Tournus*. 554. 555.
Toarcis caſtrum *Touars*. 555. pagus Toarcenſis *le Touarcois*. 556
Toeanus flu. *Toué* aut *le Toiné*. 552.
Toëna flu. qui & Terna & Tarna, *le Ternois*. 556. pagus Comitatuſve Ternenſis vel Tarnenſis *le Ternois*. ib
Tolbiacum caſtrum *Zulck* vel *Zulck*, Noſtris *Senche*. 556. 557.
Tolca vel Tolcha portus *Tenque*. 557. Tolca fluvius *Tenque*. ib.
Toloſa Volcarum Tectoſagum *Toulouſe*. 619. 620. pagus Tolotanus *le Toulouſain*. 620.
Tolvera flu. *Tenvre*. 557.
Tomeriæ S. *Pons de Tomieres*. 186.
Tornina caſtrum *Turenne*. 557. Vicecomitatus paguſve Tornnenſis, *le Pays & Vicomté de Turene*. 557.
Tornates *Tournay*. 524.
Tormentum flumen *Tormente*. 557.
Tornomagus *Tournon*. 146.
Tougeni vel Tugeni *Die Zuger*. 557.
Tugium caput Tougenorum vel Tugenorum *Zug*, Noſtris *Soug*. 558.
Toxandria vel Taxandria locus, *Teſſenderloo*. 558. Toxandria vel Taxandria regio *Kempenlandt*, id eſt Campinia vel Campania. 558.
Trajectum Batavorum caſtrum, vel Trajectum inferius aut ulterius, *Vtrecht* vel *Vtrecht*. 559.
Trajectum ſuperius ad Moſam, ſive Trajectum Tungrorum *Maeſtricht* vel *Maſtricht*. 559. & 560. pars ejus *Vic* dicitur, id eſt vicus. 560.
Trama vel Tremæ *Treſme*. 560. Trema flu. aut Trama. ib.
Tranquillus vicus, *Trancolt* vel *Trancaut*. 560.
Tranſlicto inſula, *Terra de Lucra*. 273.
Tremolia vel Tremollia *la Tremouille*. 578.
Trevidum locus *Treves*. 560. Trevidum flumen *Trevezels*. ib.
Treviri *Trevois*. 561. non dicendi Treveri, aut Triveri aut Trebiri. 561.
Triangulus caſtrum *Trainel* aut *Treynel*. 561.
Tricaſſes, Tricaſes & Tricaſini, *Troyens*. 562. Auguſtobona vel Auguſtomana Tricaſſium, poſt Tricaſſæ, ac demum Trecæ, *Troyes*. 562. 563. pagus Tricaſſinus. 563.
Trica, Trea, vel Tria, *Trie*. 559. Trea caſtellum, *Trie le Chaſteau*; Tria portus *Trie-le-Port*, Tria Bardoli *Trie-le Bardon*. 559.
Triobris flu. *Trevezyre*, alias *Trieure*. 563.
Troezen vel Trecæ urbs Maſſilienſium in Gallia, *Trez*. 121.
Troannus vicus *Tourne*. 616.
Trolieium *Troli* 564.
Truccia vicus *Droiſſ* vel *Druiſſ*, aut certè (ut aliis placet) *Trunes ſur la Dellette*. 564.
Tubinium caſtrum *Tuin*. 564.
Tuillum caſtrum vel Tullio *Touillon*. 564.
Tullum Leucorum, quod & Leucia, *Toul en Lorraine*. 564. 565. ejus urbis burgi duo, S. Apri, & S. Manſueti 565. Tullenſis Diœceſis quanta 565. Tullenſis pagus. ib.
Tungrorum fines quanti. 565. 566. Atuaca vel Aduaca Tungrorum, quæ & Tungri, *Tongres*, Germanicè *Tongeren* aut *Tungren*. 566.
Turba, Travia vel Tarvia Bigerronum, alias Bigerra, *Tarbe*. 24.
Turenſis pagus, Turgovia vel Durgaugia, *Turgow*. 566.
Turholtum *Thorolt*. 567.
Turnacum *Tournay*, Germanis *Dornick*. 567. pagus Turnacenſis *le Tournefis*. 567. Nerviorum urbs Turnacum videtur fuiſſe cum Camaraco & Bagaco. 567. 568.
Turnacum vel Tornacum in Cenomanis, *Tornes*. 568.
Turno vel Torno caſtrum, *Tournon*. 569.
Turonicus pagus vel Turonia *la Touraine*. 569. Ducatus Turoniæ fines 570.
Turonum flumina. 570. Ducatus Turonici pars Diœceſi Biturica continetur. 570. Diœceſis Turonica quot Eccleſias & Monaſteria habeat. 571. quot Archidiaconos. ib. Loca Turonum vetera aliquot. 571. 572. 573. Baſilica S. Litorii major Turonorum Eccleſia & ſedes Antiſtitum non fuit, ut nec Baſilica S. Martini. 574. 575. 576.
Turris ad Matronam, vel Turres ſuper Maternam, item Turnus, *Tours ſur Marne*. 577.
Turris Talemundi, vel Talemundum caſtrum in Pictonibus, *Talemond*. 578
Tuſiacum *Toiſy* vel *Toſi* 578.
Tutela, *Tulle en Limoſin*. 578.
Tutela caſtrum Albienſium, *Teullet*. 578.

V.

VAbrenſis pagus *le pays de Vaivre*, Germanicè *der Vvavart*. 579. Vvavra aut Vvepria ſilva, vel Vabrenſis, *le Bois de Voivre*. 579.
Vabrenſe caſtrum *Vabres*. 578.
Valdani Mons *Vaudemont*. 579.
Vada, vel ad Duodecimum *Vvageningen*. 77.
Vadenſis pagus *le Valois*. 580.
Vadiniacum *Gany l'Iſle*. 580.
Vadicaſſinus pagus *la Galevaſſe*. 137.
Vadum Mali Nidi *Gué de Mauny*. 580.
Vadum Magnum S. Clementis, *le Grand Vé*. 580.
Vadum, caput pagi Vadenſis, *Vé*. 580.
Valciodorum *Vauſſore* aut *Vuauſors*. 581.
Valentia Segalaunorum, *Valence*. 581. pagus Valentinus, *le Valentinois*. 581.
Valentianæ *Valenciennes*. 582.
Valiagia vel Valleia, *Vallee en Anjou*. 582.
Vallis Carnotenſis, vel Valleia, *Vallee*. 583.
Valletria, *Barege* 583.
Vallilæ, *Varellles*. 583.
Vallis Coloris *Vaucouleur*. 583.
Vallis Duni, *le Val Dun*. 583.
Vallis Gelonis, *le Val de Gellone*. 583. Vide Gello 224.
Vallis, vel Vallis Guidonis, *la Val*. 584. Vide Madualis.
Vallis, vel Vallis Pennina *le Vuallais*, & *le pays de Vaut*. 593.
Vangionis Rivus, *Vingnors*. 584. Vangio fluvius *Vinners* vel *Vingnors*. ib.
Vapincum, *Gap*. 584. pagus Vapincenſis, *le Gapencois*. ib.
Varales, *Varax*. 585.
Vardo flu. *le Gardon* aut *le Gard*. 585.
Varennæ *Varennes*, item *Garennes*. 586.
Varillæ *Barrile*, vel *Varille*. 586.
Vartimpa flu. *Gartempe*. 612.
Varus flu. *le Var*. 586.
Vaſatæ vel Coſſio Vaſatum *Bazas*. 587. ager Vaſaticus *le Bazadois*. ib.
Vaſcorum regio *le Pays des Baſques*. 262. Vaſci & Baſcli *les Baſques*. 262.
Vaſconum regio vel Vaſconia *la Gaſcogne*, olim Novempopulana. 381. 382. Vaſconiæ pagi. 582.
Vaſconis Vallis, *le Val Vaſcois*. 546.
Vaſio Vocontiorum *Vaiſon*. 587.
Vaſſiacum *Vaſſy*. 588. an a Vuaſitico differat. 630.
Vaſtinnum *Vatan*. 87.
Vaurum *la Vaur*. 26.
Ucecia *Vzés*. 611. Vide Vindomagus.
Ucio *Vſſon*. 588.
Vegeris flu. *la Vegre*. 72.
Velocaſſes aut Velocaſſi *les Veuxinois*. 588 pagus Velocaſſinus *le Veuxin*. 588. 589. ejus partes & loca. 588 589.
Vellavorum civitas, olim Reveſſio, nunc Anicium, aut Podium *le Puy*. 589. 590. pagus Vellavus *le Velay*. 590.
Venderiæ *Vendieres*. 590.
Vendopera *Vendevure*. 591.
Venena flu. *Vanne* aut *Venne*. 591.
Veneti, olim Dariorigum *Vannes*. 591. 592. Venetia

vel

vel pagus Veneticus *Broguerec*. 591.
Ventadorum *Vantadour*. 592.
Ventia Allobrogum *Venay*. 529.
Veragrorum vel Valerſium civitas Octodurum *Martigni*, Germanis *Martenach*. 592. 593.
Verbinum *Vervin*. 594.
Vercimiacum *Verſigny* 594.
Verimbrea *Verberie*. 594.
Vernela flu. *la Venelle*. 34.
Verno *Vernon* 594.
Vernolium *Verneuil*. 594.
Vernotum in Secalaunia *Vernon*. 594.
Vernum Palatium *Ver*, aut certè *Ver-neuil*. 594. 595.
Vernus Sol *Plaiſance*. 595.
Veromandui vel Veromandis *les Vermandois*. 595. pagus Veromandenſis *le Vermandois*. ib. Viromandi urbs, olim Auguſta Veromanduorum, *S. Quentin*. 596.
Vertavum *Verton*. 597.
Verunotum caput Verunum aut Verodunum, *Verdun en Lorraine*. 597. 598.
Vetatum *Vue*, et aut *Viset*, Noſtris *Viſé* 598.
Veſontio Sequanorum *Beſançon*. 599. 600. pagus Veſontionenſis *le Beſançonnois*. 600.
Veſullum caſtrum *Veſoul*. 600.
Vetera *Santen*, aut ut Sitſero placet, *Berck*. 600.
Veteres Pictavi aut Vetus Pictavis, *Vieux Poitiers*. 601
Ugernum caſtrum *la Vergne*, aut certè *Beaucaire*. 601.
Vicelliacum *Vezelay*. 601.
Vicinonia flu. *Vilaine*. 602.
Victoriacum villa publica prope Atrebatas, *Vitri*. 602.
Victoriacum caſtrum *Vitri en Partois*, vel *Vitri le Bruſle*. 602.
Vitriacum caſtrum in ſilva Aurelianenſi, *Vitry*. 602.
Vicus ad Axonam *Vez ſur Aiſne*. 602.
Vicus ad Aiteram, *Vy ſur Autre*. 603.
Vicus Bigerronum *Vic de Bigorre* 84.
Vicus in Lotharingia, *Vy* vel *Vic*. 603.
Vicus Julius *Germersheim*. 154.
Vidula flu. *la Vêle*. 603.
Vienna Allobrogum *Vienne*. 604. 605. 606. 607. 608. pagus Viennenſis, *le Viennois*. 605. Viennæ Amphitheatrum 605. Palatium ib. Senatus ib. Provincia Viennenſis una tantum fuit. 605. 606.
Vienna *Viane*, Germanicè *Vianden*. 608.
Vienna caſtellum ad Axonam, *Vienne le Chaſteau*, Vienna Villa, *Vienne la Ville*. 608.
Vigera flu. *la Vezre*. 588.
Villa ad Francos *Ville Franche*. 609.
Villa Magna *Valmaigne*. 609.
Villa Martis *Marville*. 609.
Villa Taſiliacum, *Ville Taillac*. 395.
Villariacum *Villers*, aut ut aliis placet, *Villeri*. 609.
Vincineldis *Villemeux*. 44.
Vincenna aut Vingenna flu. *Vigenne* vel *Vingene*. 408.
Vindauſca *Venaſque* aut *Venaiſſe*. 609. pagus & Comitatus Vindauſcenſis *Comtat de Venaiſſin*. 610.
Vindana portus *Landevenec*. 101.
Vindocinum caſtrum *Vendoſme*. 610. pagus Vindocinenſis *le Vendoſmois*. ib.
Vindoſium aut Vindolium *Vendeuil*. 610.
Vindomagus Volcarum Arecomicorum, quæ & Ucecia, *Uzès*. 611. pagus Uceenſis aut Uceticus, *l'Uzegeois*. 611.
Vindoniſſa civitas *Vvindiſch*. 611. 612.
Vindeniſſa villa *Vendereſſe*. 612.
Vinemacus pagus *le Vimeu*. 612.
Vintium Neruſiorum *Vence* aut *Vanze*. 612. 613.
Vira flu. *Vire*. 613. Vira vel Viria caſtrum, *Vire*. 613.
Virgeium ſive Vergiacum caſtrum, *Vergy*. 613.
Viride Folium caſtrum, *Verfeil*. 613.
Viride Podium caſtrum, *Puech Vert*. 613.
Viridunum caſtrum, *Verdun ſur Saône*. 613.
Viriſiacum *Verzy*, vel *S. Baſle*. 614.
Viroviacum *Vvervege*, Noſtris *Vervich*. 614.
Virtio *Vierzen* vel *Viarron*. 614.
Viruſdum caſtellum *Verins*. 614.
Viſera flu. *la Veſere*. 614.
Viſorontia *Veſeronce*. 615.
Vitodurum *Vuinterthur*. 615.
Vitreium caſtrum, *Vitré*. 615.
Ulceium *Ouchi le Chaſtel*. 615.
Ulda flu. *Olde* vel *Oude*. 615.
Ulſeium vel Ulſeiacum *Uſſe* 615.
Uliarus inſula, quæ & Olario, *Oleron*. 616.
Uliſlinga *Fleſſingue*, *Vliſſingen* incolis. 616.
Ulterior Portus *Treſport* 616.
Vocontii, aut certe Vertacomicori Vocontiorum pagus *Vercors*. 617.
Voglade vel Vociade *Vouglay*. 617.
Vogodorgiacum vel Vodogoriacum *Vaudeay*. 73.
Vodovicum *Velose*. 621.
Voita *la Voute*. 621.
Voluentum *Vouvant* 444
Vongus vicus *Vouze*. 621. Vongenſis pagus. ib.
Volagenſis vicus in Biturigibus *Belage* 622.
Voſagus ſilva & mons, *la Foreſt de la Vosge* aut *Voyſe*, item *Montagne de Bourgogne*, vel *Mont de Faucilles*. 622. Voſagia aut pagus Voſagenſis *la Voſge*. ib.
Voſagus ſilva altera in pago Laudunenſi, *la Foreſt de Coucy*. 623.
Voſavia, poſt Vueſaliacum, demum Veſalia dicta, *Vveſel* vel *Ober Vveſel*. 623.
Voſia *Viſoze* aut *Vigeois*. 623.
Volonnus vicus *Volonen*. 623.
Urba caſtrum vel Tabernæ, *Orbe*, incolis *Orbach*. 623. Urba flumen *Orbe*. 624.
Urbia flu. *Orge*. 614
Urſidungus, vel Cella S. Ghiſleni, *S. Guilbain*. 624.
Urſolis, poſt Rothuro, *Rouſſillon* 624.
Urta flu. accolis *Urt*, Noſtris *Ourt*. 625. Urta vicus *Ourt*. ib.
Uſerca *Uſerche*. 625.
Uſtiliacum vel Hoſtiliacum caſtellum, *Oſtille*. 313.
Uticum aut Uticus ſilva, *Ouche*. 625. Uticum locus ea in ſilva, *S. Evroul*. ib.
Utrio fluvius *Orrou*, corruptè *Auron*. 86.
Utta ſaltus *Otte*. 625.
Uxantis inſula Oceani Britannici *Oueſſant*, alias *Heiſſant*. 626.
Uxellum *Uſſeau* vel *Huſſeau*, item *Uxelles*. 626.
Vvalacria inſula, *Vvalcheren*. 627.
S. Vvalaricus in Planis, *S. Valery les Plains*, vel *S. Valery en Caux*. 627.
S. Vvaldomeris opidum *S. Germier*, vel *S. Galmier* 627.
Vvalonix *Valognes*. 627.
Vvallenſes Belgæ aut Romani, *Vvallons* Noſtris, Germanis *Vvalen* & *Vvaalxen*. 629.
Waractum *Guerrt*. 629.
Warandra *Varde*. 627.
Warcus caſtellum *Vvare*. 629.
Warengiſi Villa *Vvarengeville*. 629.
Wala aut Vvaſda, *le pays de Vvaes* aut *Vvaz*. 221.
Waſiticum *Vaſſy*. 630.
Waſlare *Vvaſler*. 192.
Waſlogium vel Vvaſlor *Beaulieu en Argonne*, aut certè *Vvaſler*. 630.
Vvedereſba aut Vvedrevia *Vvetteravv*. 341.
Vverda, *Keiſerſvveerd* vel *Keiſerſvvert*. 631.
Vviltaburgus *Vviltenburg*. 612.
Vvitla emporium juxta os Moſæ *la Brile* vel *Briel*. 632.
Vvitſantum *Vvitſan*. 632.
S. Vulmari Municipium & Monaſterium *Samer*. 632.
Vuidraca fl. *Lendrach*. 64.
Vvulteiacum aut Vuilciacus *Euſſi*. 632.
Vultunna fl. *Bentonne*. 125. 145.

INDEX

NOMINUM GALLICO-LATINUS.

A.

A Agnio flu. vel Enno. 7. 470.
Abbeville, Abbatisvilla. 1.
Achери Echerecum. 189.
d'Acx Agnenſis pagus. 77.
l'Adour riv. Atur flu. & Aturrus. 52. 53.
Agadez Agathenſis pagus. 6.
Agde Agatha. 5. 6
Agen Aginnum, Nitiobrigum 377. *les Agennois* Nitiobriges vel Nitiobroges. 376, *l'Agenois* pagus Aginnenſis. 377.
Agnon riv. Angio, 554.
Ahu Agedunum. 163.
Aigueperſe Aqua Sparſa. 27.
Aigues Mortes, Aquæ Mortuæ. 29.
L'Aigle, Aquila caſtrum. 32.
Aiglun, Agiedunum. 172
Aigurande Igorandis Biturigum. 252.
Aillerez vel *Allueres* Alleriæ. 315.
Aimargues Armaſanicæ. 43.
Ainay Atanacum. 48. 47.
Aindre Iſle Antrum. 25.
Aire Atia. 42.
Aires civitas Aturenſium, Aturæ, Vicus Julii. 53. 54.
Aiſne riv. Axona. 71. 71.
Aix en Provence, Aquæ Sextiæ Salyorum. 29. 30.
Aix en Otte, Aquæ in Utta ſilva. 625.
Aix la Chapelle, Aquæ Grani. 27. 28.
Aiblas Tabulæ vel Tablæ. 77.
Albon Albo. 607.
Alby Albiga. 10. *Albigeois* Albigenſes vel Albienſes. 10. *l'Albigeois*, Albigenſis vel Albienſis pagus. 10.
Albret vel *Labret* Leporetum. 272.
Alderney Iſle Riodia. 219.
Ale riv. Alea. 21.
Alençon, Alentio. 21.
Alengon aut *Langon* Alingo. 13.
Alet Electa. 186.
Alſen Albinianæ vel Albanianæ. 11.
L'Alier riv. Elaver. 185.
Aliebermont Alacris Mons. 154.
Aliſe, Alesia Mandubiorum. 11. 12.
Alluet Avallocium, Alogia. 54.
Almeneſches Almaniſcæ. 14.
Alſace, *Auſſois*, vel *Au Say*, Aleſatia. 11.
Alſitz vel *Alſat riv.* Alisontia. 13. 14. 540.
Altrip Alta Ripa. 154.
S. Amand Elno. 187.
L'Amaſſe riv. Amatilla. 570.
Ambierte Amberta. 131.
Ambleteul Amfleat aut Amfleot. 16. 17.
Amblef riv. Amblava. 16.
Ambly Amblidum. 16.
Amboiſe Ambacia. 14.
Ambournay Ambroniacum. 16. 480.
Ambres Ambrullum vel Ambrulium. 618.
S. Ambrois ſur Arnon, Ernodorum vel Ernortum. 180.
Amienois Ambiani. 15. *l'Amienois* Ambianenſis pagus. 15.
Amiens Samarobriva. 15. 519.
Ampus vel *Ampuce*, Ampucius villa. 458.
Ancenis Andenetium. 18.
Andel'e riv. Indella flu. 152.
Andelot Andelaum 17.
Andely Andeleium vel Andelacum. 17. 18.
Anden vel *Andenne* Andana. 17.
Andernach Antunnacum. 25.
Andie Andium vel Angia, inſula maris Britannici. 219.
Andre Anderna vel Andria. 20.
Anegray Anagratæ. 17.
Anet Anetum. 72.
Angers, & *Angevins* Andicavi vel Andegavi. 18. 19. 20.
Anglure Angleſura. 22.
Anguien Angia. 22.
Anjou Andegavenſis pagus. 18.
Aniſi Aniciacum vel Aniſiacum. 190.
Anjo Antincum vel Altincum. 12.
Anſe Aſa Paulini, vel Aſa Pauli. 48.
Anſene Andelagina. 20.
Antibe Antipolis. 22. 23. 24.
Antoin Antonium. 154.
Anton Anto ad Rhodanum. 615.
Anvers Andoverpum vel Antverpia. 21.
S. Aon Eccleſia S. Abundi. 2. 131.
Aouſte vel *Oſta* Auguſta Prætoria Salaſſorum. 56.
Apt Apta Julia Vulgientium. 27.
Aqs vel *Daqs* Aquæ Tarbellicæ. 30. 31. 32.
Aques Aquæ Convenarum. 158
Aquitaine, & *Guienne*, Aquitania prov. 32. 33.
Ar vel *Aar* Arola flu. quibuſdam Arar, a quo pagus Arolanus dictus Argouva vel Aragouva. 365.
Arbois Arbolium. 608.
Arcey Arceia vel Arcia. 45. 626.
Archelles Arcellæ. 36.
Arches Arcæ Remorum. 36. Archeiæ Frodoardo dictæ. 135.
Arcis ſur Aube Arciaca. 44. 45.
Ardenne, aut *les Ardennes* Arduenna ſilva. 37. 38.
Ardre Arduus fluvius. 38.
Ardres Arda vel Ardea Morinorum. 36. 37.
Argence, alias *Argens* amnis Argenteus. 199.
Argentan Argentonium caſtrum. 41.
Argenton Argantomagus. 40. 41.
Argenton Argentarius fluvius vel Argentum. 556.
Argenton l'Egliſe Argentonium caſtrum vel Argento. 41.
Argilly Argillariæ vel Argilleriæ. 494.
Argou le Adlullia. 14.
Ariege riv. Areia vel Aregia. 26.
Arles Arelatum. 38. 39. 40.
Arlon Orolaunum vicus. 591.
Armençon riv. Hormentio. 246.
Arne riv. Arna vel Harna. 140.
Arnheym Arenacum. 40.
Aronde riv. Arona. 481.
Aronage vel *Aroaiſe* Aridagamantia vel Aroaſia. 549.
Arques Arcæ Caletorum. 36.
Arras Atrebatæ aut Origiacum. 50. 51.
Arroux riv. Adrus, Itrus, Helrus, nunc Arotius. 64.
Arteſiens Atrebates. 50. *Artois* Atrebaticus pagus vel Adertenſis. 51.
Artonne Artona. 45.
Aſchelburg Aſciburgium. 48.
Aſpe Aſpalluca. 82. *la Vallée d'Aſpe* Aſpallucenſis vallis ad fluvium cognominem. 82.
Aſſé vel *Eſſay* Axetum. 72.
Attichi Attipiacum. 50.
Attes Atteiæ. 49. 409.

Attigni Attiniacum. 50.
Avalon Avalo. p. 1.
l'Avalonnois Aballonenſis vel Avalenſis pagus, 1.
Avaux Avallis villa, nunc Comitivæ titulo inſignis, 149.
Aube, Aubete, l'Auber, Alve, Alba flu. 8.
Aubette riv., Albula vel Albeta. 482.
S. Aubin du Cormier, Cornutius vicus, 165.
Aubuſſon Albucio. 11.
Aude riv. Atax fluvius. 49.
Audenarde vel *Ouaenarde* Aldenarda. 57.
Aveiron Avario fluvius, 26, 491.
Avenay Avennacum, 470.
Avenche Aventicum Helvetiorum. 55.
Avennes Avenæ 55.
Auge Algia 13.
Augſt Auguſta Rauricorum, aliàs Auguſta Rauracûm, vel Rauricorum. 476 467.
Avignon Avenio Cavarum. 54. 55.
Aumale Alba Marla. 9.
Aumencourt Alamanorum Curtis. 519.
Aunay Avedonacum, 54 *pays d'Aunis.* Avedonacenſis pagus, vulgò neſcium, 54.
Aure riv. Aura vel Aurea flu, 177.
Aure riv. Alva flu. 45.
Aurette riv. Avara vel Avera minor. 86.
pays d'Auribat Aturii pontis pagus. 53.
Auch Auſci, & Auguſta Auſciorum. 66, 67.
Auſt Auguſta villa in pago Vinemaco, 56.
Autie riv. Alteia 14.
Auton vel potiùs *Oton* Manſio Odonis, 76.
Autri Autricum vel Autricum, 71.
Autreſe Alta Ripa in pago Tardanenſi, 544.
Autry Altriacum ad Axonam, 72.
Avranches Abrincatuorum Ingena, 1. 2.
l'Avranchin Abrincatinus pagus, 2.
Avranchinois Abrincatui vel Abrincatini, 1. 2.
Autun Auguſtodunum Æduorum, & urbs Ædua. 61. 62. 63. *l'Autunois* Auguſtodunenſis pagus. 63.
Auvergne Arverna regio, pagus Arvernicus, Arvernia. 47.
Auvergnats Arverni. 45. 46. 47. 48.
Auvers Alverni vicus ad Iſaram fl. 384.
Auvilliers Altum Villare. 14.
Auxerre Autiſſiodurum. 69. 70. 71. *l'Auxerrois* Autiſſiodorenſis pagus. 71.
Auxois pagus Alſenſis, 12.
Auzon Alſona. 47.
Axel Axla Flandriæ opidulum. 557.

B.

BAaz aut *Iſle de Bas* Batha inſula. 77.
Bacharach, Germanicè *Bacbrack* Burgaracum. 105.
Bagneres Aquæ Bigerronum, vel Aquenſis pagus. 84.
Bailleul en Vimeu item *Bailleul en Hainau* Baliolum. 74.
Baillon vel *Baillou* Balao caſtrum. 547.
Bais Bacivum vel Bacium 73.
Baiſe riv. Baiſa flu. 513.
Baize Beaurenſe Monaſterium. 83.
Balkhin en Belgica vicus. 78.
Baliſeu en Marois Baliolidum. 579.
Bapaume Bapalmæ vel Batpalmæ, 253.
Bar ſur Aube Barrum ad Albam. 75.
Bar le Duc Barrum Ducis. 75. *le Barrois* Barrenſis pagus. 75.
Bar ſur Seine Barrum ad Sequanam. 75.
Barbeau Sacer Portus. 494.
Barbençon Barbentio. 529.
Barege Valletria. 581.
Barfleu en Coſtantin Barbaflot. 74. 75.
Bargançon vel *Bregançon* Pergantium. 13.
Barſac Sirio aut Serio ad Sironis & Garumnæ confluentem. 527.
Barrile vel *Barnle* Varilla. 586.
S. Baſle S. Baſoli Monaſterium, alias *Verzy* ſeu Viriſiacum. 614
Baſle, Germanicè *Baſel*, Baſilia. 75. Baſilienſis pagus vel Baſilenouva. 75. 76.
la Baſoche Baſolcæ. 76.
Baſques Vaſci, & Baſcli vel Baſclenſes 161. *le pays des Baſques* regio Vaſcorum vel Baſclorum, Vaſconia vel Baſclonia. 162.
le Baſſigni Baſſiniacum. 76.
Baſtogne Baſtonia villa. 58.
Batenburg, alias *Vorst te Duerſtede*, Batavodurum & Vicus Doreſtate. 76.
Bavay Bagacum Nerviorum. 73.
Baugence Balgentiacum, à quo Archidiaconatus Balgentiacenſis in Eccleſia Aurelianenſi. 128 277.
Baume les Nonnes Balma. 74.
Bayeux Baiocæ vel Baiocaſſium civitas, olim Argenus Viducaſſium. 74. *le Beſſin* Baiocaſſinus pagus. 74.
Bayonne Lapurdum, Boatium civitas, Baona vel Baionia denominata. 261. 262.
Bazas Coſſio Vaſatum vel Vaſatæ. 587. *le Bazadois* ager Vaſatenſis, 15.
le Bearn pagus Benearnenſis. 82 83.
Beaucaire Bellum Quadrum. 80. olim fortè Ugernum caſtrum dictum. 601.
Beaujeu Bellus Jocus. 80. *le Beaujolois* Bellojocenſis pagus 81.
Beaulieu en Argonne Vvaſlogium vel Vvaſlot. 630.
Beaune Belnum. 81. *le Beaunois* pagus Belnenſis. 81.
Beaune riv. de Caux Belnatum. 115. 116.
Beaumont le Vicomte, Beaumont le Roger, & Beaumont ſur Oyſe Bellus Mons. 81.
Beaune en Gaſtinois Belna villa. 326.
Beauſſe Belſia aut Belſa. 81. 82.
Beauvaiſins Bellovaci. 79. eorum urbes & caſtella. 80. *Beauvais* Cæſaromagus Bellovacorum, vel Bellovaci. 113. 114.
Beley Belica. 78. *le Bugey* Belicenſis pagus. 78.
Belleme Bellimum. 79.
Bens Becendi. 524.
Belieu aut *Beaulieu* Bellus Locus. 179.
Bemont Bellus Mons in Lingonibus. 281.
S. Benoiſt ſur Loire, alias *Fleury*, Floriacum. 197.
Benon près Smigeres Benao Comitatus. 578.
Bercheres Liberiacum. 553.
Bergerac Bragetiacum. 94.
Bergzabern, Noſtris *le Petit Saverne*, Tabernæ, nunc Tabernæ Montanæ. 542.
Bernay Bernacum. 479.
Berre riv. Birra flu. 85.
Berri pagus Bituricus, vel civitas Biturigum. 86. *Berruiers* Bituriges Cubi. 85.
Beſançon Veſontio. 599 600.
le Betau, aliàs *de Betuwe*, cum parte Sudhollandiæ & Geldriæ, Batavia ſeu inſula Batavorum. 77.
Bettancourt en Vaſure, Bettonis Curtis. 579.
Betencourt Bettonis Curtis. 148.
Beuvrons Bobacum vel Babocum 90.
Beuvray vel *Beuray* Bibracte opidum Æduorum. 61.
Beziers Biterra Septimanorum, vel Biterræ. 90. *le Bezares* Biterrenſis pagus. 90.
Bex Bacci vicus. 593.
Bitburg Beda vicus. 77. Bedenſis pagus vel Bedagouva. 77.
Beuvre riv. Bevera aut Beveris. 83. *Beuvre village*, Bevera ad eum fluvium. 81.
Biere Bieria ſilva, *la Foreſt de Fontaine-Bleau* aliàs dicta. 83. 84.
Bigorre Bigerritanus pagus. 84. *Bigorrais* Bigerrones aut Begerri 84.
Bilſen aut *Belſen* Beliſia. 142.
Bins aut *Binchs en Hainau* Binchium, aliàs Bintium. 529.
Bingen Bingium. 84 85.
Biron Bironium. 365.
la Blaiſe riv. Bleſa. 588.
Blaiſon Blaſo. 88.
Blamont Albus Mons. 11. 554.
Blangi en Ternois Blanziacum. 88.
Blavet Blavetum flumen & opidum. 88. 89.
Blaye Blavutum aut Blavia. 89. *le Blayois* Blavienſis pagus. 89.
Bleone riv. Bledona Dinienſis fluvius. 171.
Blere en Touraine Blariacum. 570. *Bleve* Bleva caſtellum. 113.
Bleſe riv. Bleſa. 89. *Bleſcaſtel* Bleſa Caſtellum. 89. *Bleſſ* Bleſa villa. ib.

INDEX

Blois Bleſum caſtrum, 89. 90. le Bleſois Bleſenſis pagus, 90.
Bone Noſtris, Germanis Bon, Bonna caſtrum, 92.
Bopart Boudobriga vel Baudobrica, 91.
Bern Bund[illegible]um, 101.
Bourdeaux Burdigala Biturigum Viviſcorum, 87. 88. le Bourdelois Burdigalenſis ager, 87. 88.
Bos le duc, Germanis Shertogenboſch Silva Ducis, aut Boſcum Ducis, 526.
Boſſut Boſſuce caſtrum, 108.
la Bouche Bouchia vel B[illegible] fl. 524.
Boudenzelle vel Bon[illegible] Bo[illegible] Monaſterium, 330.
Bovez Bovæ vel Bovæ caſtrum, 90.
la Bouille Butila, 516.
Boulogne ſur Mer Geſoriacum Morinorum vel Bononia, 231. 232 le Boulenois vel le Boulenois pagus Geſoriacus vel Bononienſis, 232.
Bourbon l'Archambaud Borbo Erchenbaldi, 103. 104. le Bourbonnois pagus Burbonenſis, 104.
Bourbon l'Ancy Burbo Anſelmi, 104.
Bourbonne Borbona, olim Vervo caſtrum, 280.
Bourbonnois en partie Boii, 91. 92.
Bourbourg Brobutgus, 101.
Bourcnore's Brio[illegible]acum, 101.
Bourg Burgus Pontis [illegible], 179.
Bourges Avaricum Biturigum, & Biturigæ, vel Biturix, 85. 86.
la Bourgogne Burgundia, 105. 106. 107. 108. Duché de Bourgogne Burgundia inferior ſive Ducalis, 107. la Comté de Bourgogne Burgundia ſuperior, vel Comitalis, aut Imperatoria, ib. les Bourguignons Burgundiones aut Burgundi, ib.
Bourgueil Bur[illegible] vel Burgolium, 105.
Bourlemont B[illegible]demons, 104.
Bourmont en B[illegible] B[illegible] Mons, 138.
B[illegible]gues B[illegible] caſtrum, 102.
Boutonne riv. Vulto[illegible] flu. 545.
Brabey caſtrum B[illegible], vel Braicum in Pictonibus, 94.
Brabant vel Brachbant Brabantum & Brachbantenſis pagus, nunc ex parte Brabantia, 93.
Brai ſur Seine caſtrum Braium, vel Braiacus municipio, 94.
Braine Brennacum vel Brenna, 95.
Brancion Brancedunum, 95.
la Brenne riv. Braenna flumen Turonum, 570.
Brantôme Monaſterium Brantoſmenſe vel Brantoſmum, 127.
Branville Brandevilla, 190.
Bray, locus in Bellovacis, paguſque ejuſdem nominis, Braium, 94.
Bray ſur Somme Braium ad Suminam, 94.
Bray, vel la foreſt de Bray Braium non procul à Gornaco & Epta flu. 94.
Braye Comte Robert Braia caſtrum, 94.
Braye riv. Brigia flu. 97.
Braye Braia in Pictonibus non longè à Campiniaco 94.
Brebence aut la Brebince Burbincia aut Borbinſia flu. 64.
Terre de Brenarde Bredenarda terra, 37.
Brenne Foreſt Brionis ſaltus, vel Briona ſilva in Turonibus, 283.
la Breſle aut Breſelle riv. Aucia vel Aucum, 115. 116. 117.
Bre[illegible] riv. B[illegible] fluvius Turonum, 570.
la Breſſe Brexia, 96.
la Bretagne Britannia, 98. Armorica etiam dicta, 43. 44.
les Bretons Britanni vel Brittones, 98. 99. 100.
Breteuil Britoilum, 100.
Bretez vel Routot [illegible] ſilva, 117.
Briançon Brigantio, 97. le Briançonnois pagus Brigantionenſis, 97.
Briare B[illegible]orum vel Br[illegible]dorum, 96.
Briquebec [illegible]ctum ad Rotumnam flu. 544.
Brie [illegible], 96.
Brienne Brenna vel Briona, 95. pagus Brionenſis le B[illegible] ib.
Brienne [illegible] vel Briodorum ad Axonam, 72.
S. Brieuc, B[illegible] oppidum, 97.
la Brie Briegius vel Brigenſis pagus & ſaltus, 96.
Brignais [illegible] Priſcimiacum, 456.
Brignole [illegible], 289.
la Briele, [illegible] Briel, Vortla emporium ad os Moſæ, 612.
Brimont vel Brimon Eburobrica, 184.
Briolay Briolelum, 98.
Brione Brionia, 98.
Brion Brigioſum, poſt Brioſſium dictum, 54. 98.
Brioude Brivas, 101. le Brivadois pagus Brivatenſis, 101.
Briſach Mons Briſiacus, vel Briſiacum, 345 le Briſgaw pagus Briſiacenſis vel Briſgavia, 346.
Briſlou Blaſco inſula, 6. 116.
Briſſac Braccum Saccum vel Brachesac caſtrum, 95.
Briſſerte Briſiceta, 98.
Brive la Gaillarde Briva Curretia, 100.
Bro Bromagus vel Viromagus, 102.
Broſſe Broſcia, 101.
Brou Braiacum, Braium, Braiotum caſtrum in Perticuo, 94.
Brouage Santonum portus, Broagium à luto dictus, 543.
la Broye locus Brahic & eremus Braic in pago Pontivo, 94.
Broyes Breca caſtrum, 125.
Bruges aut Brugge, Bruxiæ, Brugiæ, & Flandrenſe municipium, 102 103. 196.
Brugne vel S. Girard Bronium, locus Abbatiâ clarus, 282.
Brumat vel Brumt Brocomagus, 102.
Bruſſeles vel Bruſſell Broxella, 102
Bruville Berulfi villa in pago Vabrenſi, 579.
les Buches Boii, le Pays de Bueks, aut le Bue Boiorum ager, 261. 329. Buchs Boii vicus, 329.
Buillon Bublio, 103.
Bulles Bubulæ in Bellovacis, 80.
Burick Burancus, 108.
Burren Perrueſca, 444.
Buſançau Boſentiacæ vel Buſentiacum, 87.
Buſſi Buſtiacum vel Buxi[illegible]um, 494.
Buxoy Buxidum in Morivenſi Comitatu vel pago Mauripenſi, 326.

C.

CAbarede Cabaretum, 109. le Cabardes ager Cabaretenſis, ib.
Cabrieres Capraria, 125.
Cadenas Capoenacum, 124.
Cadenin Cadumum, 365.
Caemps, Kambs, vel Kemps Cambete, 120. 467.
Caeo Catomus, 110.
Cahors Divona, vel Cadurci, 111. le Caorſin, nunc le Querci, pagus Cadurcinus, 111. les Caorſins, nunc Quercinois Cadurci, 110. 111.
Caſlus Caſlutium, 131.
Calais Caletum & Caleſium, 114.
S. Calés Anninſula vel Monaſterium S. Carileſi, 22.
la Camargue Camaria inſula in Rhodano, 119. 533.
Cambray, Germanicè Camerick Camaracum, 119. le Cambreſis, pagus Camaracenſis, 119.
Camelion Cema vel Cemenus Mons, 143.
Campan Campona, 524.
le Canal aut la Manche Oceanus Britannicus, vel ſinus Britannicus, 118.
la Canche riv. Quantia, qui & Quanta, & Quenta, & Cancia, 461.
Cande Condate vel Condatenſis vicus, 155.
Canes Caſtellum Marcellinum vel Canox, 271.
Cap de Buch Curianum Promuntorium, 329.
Cappelle Brouë vel Capede Brone Capella, 124.
Cappendu Canis Suſpenſus, 124.
Capeſtang, alias Capeſtaing Caput Stagni, 49. 125.
Carcaſſonne Carcaſſo, 126. 127. le Carcaſſez pagus Carcaſſonenſis vel Carcaſſonenſis, 126. 127.
Carenſac Carentonus vicus, 127.
Carlat Carlatum caſtrum, 130. le Carladez pagus Carladenſis, 110.
Carmain vel Cramail Carmanum, 128.
Carpentras Carpentoracte Memmiorum, 129. 130
Carrouges Quadrugæ, alias Carrucæ, vel Carrogium caſtrum, 461.
Carſi vel Car ès Carſici, 120. 546.
Caserts Caſagæ, 158.
Caſſel Caſtellum Morinorum, 131. le Val de Caſſel Vallis Caſſellana, ib.

Caſteau Cambreſi Novum Caſtellum, vel Novum Caſtrum S. Mar[illegible]æ. 188.
Caſt[illegible]au de Streteſons, Caſtrum Novum de Str[illegible]is [illegible]. 131. 134.
Caſtenau d'Arr[illegible] Caſtrum Novum Arrii. 135.
Caſtres en Albigeois, Caſtrum, alias Caſtra, 373.
Cavaillon [illegible] Colonia. 1[illegible]9.
Caudebec Ca[illegible] 115. *le pays de Caux*, pagus Caletenſis. 115. 116. 117.
Caudebec [illegible] Beccum. 118.
Cayeu [illegible]. 15.
S. Cer[illegible] S. Cere[illegible] Caſtrum. 145.
Celle ſur [illegible] Cella S. Ge[illegible] ad Naonem fl. 142.
Celleſ[illegible] Gelors Ca[illegible]o. 118.
Ceray en Touraine Cerate. 145.
Cervon Cerv[illegible], 150.
les Cevennes, aut *les Montagnes d'Auvergne*, Cebenna vel Cebennæ, 140. 141.
Chaa[illegible] vel *Chal[illegible]* Calvi[illegible] Locus, 111.
Chaalons Noviomagus V[illegible] vel Catalauni, 136. 137. *le Chaa[illegible]nois* pagus Cata[illegible]nus. 137.
Chavannes, item *Chavannes* Capannæ, 124.
Chablis aut *Chablis* Capella. 124.
Chaures Catubr[illegible]x, 129
Chalon Cabillonum, 109. *le Chalonnois* pagus Cabillonenſis, 110.
Chalonne Calonna, 20.
Chaluis Caſtrum Luci, vel Calucium. 134.
Chamar[illegible] Cam[illegible]a, 120.
Chambly Cambel[illegible]cum [illegible] Cambliacum, 120. *le Chambliſis*, pagus Cam[illegible]enſis vel Cam[illegible]enſis, 120.
S. Chamond S. Anemundi caſtrum 22 615.
la Champagne Campania Remorum aut Gallica, 120, 121 122. *les Champenois* Campanenſes, 12[illegible].
Champagne Campania Turonica, inter Carum & an[illegible] flu. 531
Ch[illegible] Campaniacum, 98.
Chana Cond[illegible]. 474.
Chanteloup le Chaſtel Can[illegible]a 124.
Chantonge Ca[illegible], 124.
Chanteceaux Caſtrum C[illegible]um. 134.
Chanteloup Can[illegible] vicus, 47
la Forêt Charbonniere Carbonaria ſilva 126.
Charenton riv. Caramonus, 125.
Charenton Carantonus, 125.
la Charente riv., Carantona. 479.
la Charité ſur Loire Caritas. 128.
Charlieu, alias *Cherlieu* Carus Locus, 131.
Charny Carni[illegible]m, 150.
Charolles Quadrigellæ vel Cadrell[illegible]æ 461. *le Comté de Charolois* pagus Comitatuſque Quadrigellanus vel Cadrellanus. 461.
Charron Carroſ[illegible]m, 130
la Chartre Carcer caſtellum 127.
Chartres Autricum, aut [illegible] Carnutum. 118. 120. *Chartrains* Carnutum vel Carnutenſes. 129. *le pays Chartrain* pagus Ca[illegible], 129.
Chartreuve Cartobra in pago Tardanenſi.544.
Chartreuſe vel *Chatreuſe*, item *la Grand' Chartreuſe* C[illegible], [illegible] vicus & mons in [illegible] A[illegible] 135.
Chaſ[illegible] [illegible], [illegible].
Ch[illegible] [illegible]um, 111.
Chaſteau Briant Ca[illegible] Brienti, 134.
Chaſteau-Chinon Caſtrum Caninum, 134.
Chaſteau de la Lune C[illegible] Lunæ, 134.
Chaſteau du L[illegible] Caſt[illegible] 14.
Chaſteau-Dun Dunum, Dunenſe Caſtrum, vel Caſtellum Dun[illegible], [illegible].
Chaſteau Ga[illegible] Gualliardum Caſtrum, aut Galliardum. 225. 463
Chaſteau G[illegible] Caſtrum Guntherii ad Meduanam flu. 132.
Chaſteau Landon Caſtrum Nantonis, 115. 145.
Chaſteau [illegible], vel *Chaſteau en Porteau*, Caſtrum Portianum 115.
Chaſteau Renaud Caſtrum Rainaldi. 116.
Chaſteau Ron Caſtrum [illegible], 136
Chaſteau Thierry C[illegible] Theodorici, 173.
Chaſteau Villain Caſtrum V[illegible]anum, 116.
Chaſteaux Caſt[illegible] vel Caſt[illegible] Andious, 132.
Chaſtel Caſtellum in Vaſago, 132.
Chaſtel Aillon Caſtrum Alio, 133.
Chaſtel Chalon Caſtellum Carnones. 132.
Chaſtelleraud Caſtellum Heraldi vel Airaldi 132. *le Chaſtelleraudois* pagus Caſtro Airaldenſis, 132.
Chaſtillon ſur Loin Caſtellio ad Lupam, 131.
Chaſtillon ſur Seine Caſtellio ad Sequanam. 131.
S. Chartier en Perigord, ad S. Carterium. 130. 531.
Chauny Calnegium ad Iſaram flu. 188.
Chaudes Aigues Aquæ Calidæ, 47.
Chaumont Calidu[illegible], 172.
Chauvigny Calvin[illegible] 140.
Chaume Calma vel Calmæ, 97.
Chaumont en Baſſigny, Calvus Mons in Baſſiniaco. 118.
Chaumont en Vexin Calvus Mons Velocaſſium, 118.
Chauny Contraginnum, vel Calniacum. 157.
Chef Boutonne Caput Vultonnæ, 146.
Chemillé Cam[illegible]iacum, 120.
Chemille Cam[illegible]iacum, 120.
Chemois Cam[illegible]ius, 120 ab eo Camaiſius pagus vel Cam[illegible]enſis, ib.
Cheppe Cippidum, 146.
le Cher riv. Car[illegible] aut Carus, 127.
Cherbourg Cæſar[illegible]burgus, 412.
Chermizy Ca[illegible]um, 165.
Cheſne en Coiſe Caſnus in Cotia, 161.
Chezy Ceſiacum vel Caziacum 140.
Ch[illegible] en Tonnerrois Ci[illegible]æ. 150.
le Chier riv. Cha[illegible] aut Charus 145.
Ch[illegible] Quercy Caſſiacum. 117. 118.
Chinon Caino, 145.
Chevremont, alias *Kevermont* Capræ Mons. 124.
Chimay Cimacum, 146.
Chinon Caino, 114.
Chiſſon C[illegible]magus, 146.
Chiteaul Cateau caſtrum, 180.
Choiſy ſur Eſne Cauciacum, 140.
Choiſille riv. Cuſſa vel Cocia, 524.
Chorges Cat[illegible] vel Catorigomagus. 119. 477.
Cimiez, aut *Cemele* Cemenelium, 142. 143.
la Ciotat [illegible]entem 546.
la Ciſe riv. Siccea, Sicca alias, & Siſata, 524.
Cîteaux Ciſtercium, 146.
Clain riv. C[illegible] vel Ciennus, 147.
Claire riv. Clara, 283.
Clamecy Clameciacum, 147.
Clary Caltri, 147.
Clayes près Montmay Clota, 266.
Clermont en Auvergne Augustonemetum Arvernorum vel Arverni, vel Clarus Mons, 45. 46. 47. 48.
Clervaux Clara Vallis, 146.
Clery Cariacum, 111.
Cleves Clivus aut Cleva, 147. *Clevois* Clivenſes, ib.
Cliſſon Clicio, 147.
S. Cloud Novigentum aut Novientum, villa pagi Pariſiaci, 383. 426.
Clugni Cluniacum, 147.
Clus Cl[illegible] caſtrum, 147.
Cluſe ſur Arve, aut *la Cluſe ſur le Rhône* Cluſa. 158.
Coblentz Confluentes Moſellæ & Rheni, 154. *Coblentz* aut *Conbelens* Araræ & Rheni Confluentes, 155.
Coeſnon riv. Cuet[illegible] 148.
Coiron Cor[illegible] Lugerum, 159.
Colioure, Hiſpanis *Colivre* aut *Colibre*, Illiberis oppidum. 251.
Colmar Columbarium, 150. olim Argentovaria, 41.
Cologne Germanice *Kola* aut *Colen* Colonia Agrippina Ubiorum. 148. 149.
Colommiers vel *Coulommiers* Columna vicus, 151.
Combraille aut *le pays de Combraille* Combralia, 152.
Combronde Cambiduchrenſe Monaſterium, 120.
Commercy Commerciacum, 152.
le Comminge pagus Convenicus, 157. 158. *Comingeois*, Convenæ, 157. 158.
Comminge aut *S. Bertran* Lugdunum Convenarum, vel Convenæ, 158. 159.
Compiegne Compendium, 152.
Conques en Rouergue, Conchæ, quæ & Conquæ. 153.
Conches, alias *Chaſtillon*, Conchæ, quæ & Caſtellio, 152.
Concreſſant Concurcallum, 152.
Condé vel *Candes* Cond[illegible] amniculus 8.
Condé ſur l'Eſcaut Condate vel Condatum. 154.
Condom Condomum, 313. *le Condomois* pagus Condomienſis, ib.

Condreux vicus Condruſus vel Condruſtum. 154.
Condrots ager Condruſorum vel Condruſtum. 154.
Conflans Confluentes. 154.
Conflans Iſaræ & Rhodani Confluentes. 154.
Congeac Conniacum. 155.
Conſerans aut *Conſerans* Conſoranni. 155. *le Conſerans* pagus Conſorannenſis. 155.
Corcy Corticetum. 80.
Corbens, alias *S. Marcou*, aut certè *Cherbourg* Corbonacum aut Carbonacum. 160.
Corbie Corbeia caſtrum 159. *le Corbiois* ager Corbeienſis, ib. *Corbie riv.* Corbeia, ib.
Corbiere Vallis Corbaria Palatium. 370. *les Montaignes de Corbiere* Montes Corbarii vel Corbarienſes. 371.
Corbigny, vel *S. Leonard* Corbiniacum. 159.
Corbion, aut *Moutiers au Perche* Curbio. 160.
le Corbonois Corbonenſis pagus aut Corbonia. 160.
Courbon Corbo vicus. ib.
Cormicy Curmiciacum. 165.
S. Corne in Munſter India locus & Monaſterium cum fluvio. 152.
Cernon vel *Crarnon* Crono. 163.
Cornouaille Cornolotium ager, aut Cornu Galliæ, nec non Cornubia. 166.
Coſne ſur Loire Condate. 151.
Coucy Catuſiacum, Codiciacum, Coccium & Cociacum. 140. 148. *la Foreſt de Coucy* ſilva Voſagus. 625.
Coucres Concæ. 34.
Conann Collumnum. 80.
Congnon Calxcongotanum. 523.
Coulomes Colonia villa. 157.
Coulmiers Columbarium in pago Duſmenſi. 550.
Coulomiers Columbaria. 150.
Coulons Columbæ. 150.
Courcelles Curticellæ vel Curcellæ 166.
Courcon vel *Corrons* Cyreſc urbs Malliacæ. 121.
Courtenay Curtiniacum vel Cortiniacum. 166.
Courtray, Germanis *Cortrick*, Cortoriacum. 161. *le Courtreſis* pagus Cortoriacenſis. ib.
Courville Curva Villa. 71.
le Couſon riv. Cuſa fl. 524.
Coutance, Conſtantia vel Crociatonum Venellorum. 156. *le Coutentin*, vel *la Hague du Coutantin* pagus Conſtantinus. ib.
Coutras Corterate. 160.
Cranenburg Burginatium vel Burcinatium. 104.
Craon Credo. 162. *le Craonnois* aut *le Craneis* ager Credonenſis. ib.
les Craux Campi Lapidei. 123.
Creci en Ponthieu Criſciacum vel Cricriacum. 162.
Creci ſur Serre Creciacum ad Saram fl. 162.
Creil Credilium caſtrum. 162.
Cremieu Stramiacum, poſt Crimiacum dictum. 534.
Creſpy en Valois Criſpeium. 163.
Creſpin Criſpinium. 162.
Creſt Creſta caſtrum. 162.
Crevan Crevennum. 162.
la Creuſe riv. Croſa vel Croſia. 164. 570.
Creutznach Crucinacum. 164.
Creil Criolium caſtrum in Caletis. 117.
le Crinchon riv. Crientio fl. vel Crientius. 162. 377.
Crotoy Caracotinum 15. 129.
Crouſien Crupſia Villa 15.
Crouy Crovacum vel Crouciacum. 164.
le Croux riv. Crodoldus fl. 163.
Culant vel *Culant* Culentum. 550.
Cunault Conolcum, Conaldum & Cunaltum. 555.
la Cure riv. Chora. 145. *Cure village* Chora. 145.

D.

Dain riv. Indis flu. recentioribus Idanus. 252.
Dam Danum potius. 168.
Damfront en Paſſais Damfrons. 168.
Dammartin Dommnium Martini, vel Domnus Martini caſtrum. 175.
Dancourt Dtiencuria caſtrum. 176.
Dangeul, vel *S. George de Dangeul* Dangeolum caſtrum. 315.
Dangu Dangutum. 168.
Daubeuf, Dalbeth, vel Dalbodium. 186.
Daumignon riv. Dumanium. 551.
le Dauphiné, Dalfinatus, vulgo Delphinatus. 167. 168.
Deſſt Dreſtum caſtellum vel Flenium. 77.
Denain Denonium. 176.
S. Denis en France Catolacum, vel vicus Catuliacus. 140. 411
Deols, aut *Bourg de Deols*, alias *Bourgdieux*, Dols vel Dolenſis vicus. 175.
Der Dervus ſaltus. 170.
Dezize Decetia. 169. & 170.
Diaxinenne Diavanum. 555.
Die Dea Vocontiorum. 169. *le Diois* pagus Deenſis. ib.
Dieppe, priſcis Juliobona Caletorum, recentioribus Deppa. 250.
Dieuze, Germanicè *Dieuſe in Lottringen*, Decem Pagi. 170.
S. Diey Juncturæ, ſive Monaſterium S. Deodati. 330.
Digne Dinia Bodiontiorum vel Sentiorum. 171.
Digoine vel *Digoine* Denegontium. 170.
Dijon Divio caſtrum. 172. 173. *le Dijonnois* pagus Divionenſis. ib.
Dinan Dinannum. 171. *le Dinannois* pagus Dinannenſis. ib.
Dinant Deonantum. 170.
Dieu Dex caſtrum. 125.
S. Didier S. Deſiderii oppidum. 170.
Dive riv. Diva. 171. *S. Sauveur de Dive* Diva. ib.
Dixmude Dicaſmuta. 170.
Doire Suſine riv. Duria Seguſinus. 511.
Dol en Bretagne Dolus. 175.
Dole Dola. 171.
le Pays de Dombes Dombenſis pagus. 175.
Dome Doma caſtrum. 175.
Dommery Domitiacum. 176.
Dommele riv. Duthmala. 558.
Donchery Doncherium. 113.
Doncourt aux Templiers Dodonis Curtis. 179.
Donzi Donzeium. 176. *le Donziois* Donzeienſis pagus. ib.
le Dorat Dauratum. 169.
la Dordogne riv. Duranius flu. Doronnonia, Dornonia; Dordonia. 179.
Dormans Domnamantum & Danamantum, poſt Dormanum dictum. 176. 323.
Dormeille Doromelium. 44.
le Dormois, aut *le pays de Dormois* Dulcumenſis pagus. 178.
le Doux riv. Dubis. 177. 178.
Douay Duagium & Duacum. 177.
Doue Theoduadum Palatium, vel Doadum caſtellum. 552.
Doulens Donincum. 175. 176.
Dourdan Dorlingum. 176.
Douſtre Duſtria vel Doſtra fl. 557.
Douzy les Prez Duodeciacum vel Duſiacum. 182. 181.
Die Draon riv. Drahonus fl. 176. Rhodanus Fortunato dictus. 474.
Dreux Durocaſſæ vel Drocæ. 180. *le Drougeſin* Durocaſſinus pagus. 180.
Droiſy vel *Drouiſy* Druccia. 564.
Drome riv. Druna. 177.
Drot riv. Drotus, vel Dragutus. 125.
Droume riv. Druna. 177.
Duclar Duclatum. 482.
le Dueſmois Duſmenſis pagus. 183. *le Chaſteau de Dueſme* Duſmum caſtrum. ib.
Dun Dunum caſtellum ad Moſam. 178.
Dun le Roy Dunum, vel Dunum Regis. 179.
Dun riv. de Caux Tala, aut Dunus fl. 115. 116.
Dunkerque, Germanicè *Duynkercke* Dunkerca. 178.
le Dunois Dunenſis pagus. 178.
la Durance riv. Druentia flu. 176. 177.
Duren Duria vel Dura, olim Marcodurum Ubiorum, vel Marcomagus. 180. 315. 316.
Durſmagen aut *Dournmagen* Durnomagus. 180.
Durtal Durotallum. 181.

E.

EAune vel *Taune riv.* Heldona, Elna vel Alna. 117.
Echternack Andethannale vel Epternacum. 20.
Ecoſans Confluentes Lideriti & Sartæ. 153.
Eiffel Eſlia. 185.
Exxſe Excilum 578.
Elbeuf Eborum. 185.
Elle Heſelius vicus 243.
Elne, alias *Eanne*, Hiſpanicè *Elna*, Elena Civitas. 185.
Elſaſſzabern, nec non *Zabern*. Noſtris quoque *Saverne*, Tabernæ, Ammiano M. Tres Tabernæ, quæ nunc Aleſaticæ cognominantur. 542.
Embrun Ebrodunum Caturigum 138. pagus Ebrodunenſis *l'Embrunois*. 139.
S. *Emilion* vel S. *Melion* S. Æmiliani caſtrum. 500.
Encre Incra. 252.
Engoleſme Iculiſma vel Ecoliſma. 210. *l'Engoumoiſin* vel *l'Angoumois* pagus Ecoliſmenſis. 210.
Entrain Interamnis. 251.
Eſte riv. Itta fluvius. 255.
Eragnac Eſnaginum. 189.
Ernanriv. Arauris fluvius. 15. idem & Cyrta. 5.
Ervelens Caſtra Herculis. 104.
l'Eſcaud riv. Germanicè *Scheld*, Scaldis flu. aut Tabuda. 507.
Eſcanpont Pons Scaldis. 454.
Eſchaufour Excalfurnum vel Eſcalfoum. 190.
Eſrouche Stroccium. 508.
Eſmans Agmantum. 7. 126.
Eſme vel *Ayme* Axima Gentronum 143. 144.
Eſpernay Sparnacum. 530.
Eſpernon Sparno vel Sparnonium. 530.
Eſpinal Spinal caſtrum in pago Calvomontenſi. 118.
Eſpinoy Spinetum Principatus titulo illuſtre. 530.
Eſpeiſſe Spiſſia vel Spinſia villa Regia. 102.
Eſpone Spedotenum vel Spedona. 530.
l'Eſſay Exaquium. 190.
Eſſone Exona. 190.
Eſtampes Stampæ caſtrum. 531. *l'Eſtampois* pagus Stampenſis. ib.
Eſtaples Icius Portus, vel Stapulæ. 249.
l'Eſtang de la Rubine Lacus Rubicius vel Rebrenſis. 49.
Eſtivay Stivagium Monaſterium & locus. 550.
Eſtoutevillo Stota Villa. 534.
Eſtrechi Stripiniacum in pago Stampenſi. 531.
Eſtrée Strada, vel Monaſterium Stradenſe, item Strata. 142.
Eſtrepigni aut *Eſtrepagni* Sterpiniacum in pago Velocaſſino. 531.
Eſtrun Strum in Atrebatib us. 534.
Eu Auga vel Aucum. 55. 56. *l'Euſois* Aucenſis pagus. ib.
Eure vel *Yeure riv.* Avara vel Avera major. 86. 512.
Eure riv. Autura vel Audura flu. 71. 72.
Evreule Ebotolacum vel Evrogilum. 184.
Evreux Mediolanum Aulercorum, vel Ebroicæ. 66.
S. *Evroul* Uticum, vel Monaſterium Uticenſe, aut S. Ebrulfi. 625.
Euſe, aliàs *Eauſe*, Eluſa vel civitas Eluſatium. 187. 188.
Euſſi Vultiacum aut Vuilciacus villa. 632.
Exilles Ocelum. 143. 389.
Eyck vel *Eiks* Echa vicus ad Moſam. 17.

F.

FAigne Fania ſilva & pagus. 192. 549. 550.
Falaiſe Faleſia. 191.
Falkenberg Cotiovallum vel Cortovallium. 160.
Famenne aut *Faminne* Falemannia. 191.
Fan vel *Fammars* Fanum Martis. 192. 582.
Fanjaux Fanum Jovis. 192
Faremouſtier Evoriacæ vel Eboriacum. 189. 190.
Faverney Faurinjacum. 193.
Feſin Faſiana Villa. 193.
Fems Fidemium. 193.
Fenolhedes Fenolhadenſis pagus aut ditio. 579 *Fenolhed* aut *Fenouilet* Fenoliadum aut Fenoletum, Pagi & Archidiaconatus caput. 571
Fere Champenoiſe Fara Campanenſis 192.
la Fere en Tardenois Fara Tardanenſis. 192.
La Fere en Picardie Fara. 192.
Ferrette Ferritum. 365. 518.
Ferrieres Ferrariæ vel Bethlehem. 193.
la Ferriere en Dauſine pres Baiard, Ferraria 191.
la Ferte Alais Firmitas Adelhardis, alias Firmitas Balduini 194.
la Ferté Navers Firmitas Naberti. 195.
la Ferte Aucoul Firmitas Aucu... 194.
la Ferte Auvrain Firmitas Aureni 195.
la Ferté au Vidame Firmitas Vicedomini. 194.
la Ferté Bernard Firmitas Bernardi. 194. *le Fertois* ager Firmitatenſis. 194.
la Ferte en Bray Firmitas in Braio. 194.
la Ferté Gaucher Firmitas Gaucherii 194.
la Ferté Hubert Firmitas Huberti. 195.
la Ferte S. Aubin Firmitas S. Albini. 195.
la Ferte ſous Iouerre Firmitas ſub Jotro. 194.
la Ferté ſur Aube Firmitas opidum proximum Claræ Valli. 194.
Feſcam en Caux Fiſcamnum. 195.
Fejenſac, aut *Vic Fezenſac* Fidentiacum. 67.
Feur en Forez Forum Segulianorum. 200. *le Forés* aut *Forez* pagus Forenſis. 200.
S. *Fiacre* Broilum. 333.
Fienes Fienæ. 195.
Figeac Figiacum 315.
Fimes Fines vel Finunæ. 194.
l'Iſle de Flacq Flaici inſula, vel Flaicus inſula. 195.
Flandres aut *la Flandre*, Germanicè *Vlaenderen*, Flandria vel Flandra 196. *Flamans* Flandrenſes, Nicetæ Flamiones, aliis Flammingi. 196.
Flavigné Flaviniacum. 196.
Flay, aut S. *Germer de Flay* Flaviacum 196.
la Fleche Flecchia, Fiſca, Fixa, Filia. 196. 197.
Flecten vel *Vrimeden* Fletio vicus. 265.
Fleſſingue Uliſſinga. 616.
Het Flie Flevum oſtium Rheni, & lacus. 197.
Fleury, aut S. *Benoiſt ſur Loire* Floriacum. 197.
S. *Flerent* Glomma vel Glomna & Glonna. 497.
le Grand & Petit Floyon Fleon vicus. 549.
S. *Florentin* S. Florentini opidum. 197.
Flore Floriacum ad Olearam flu. 197.
S. *Flour*, S. Flori caſtrum, vel Indiciacum. 578.
Faigny Feſinacum. 212.
Foix Fuxum caſtrum & pagus Comitatuſve. 212.
Follenbray Follanebratum in pago Laudunenſi. 95.
Fons-Aſorgue, alias *Font Eſlorgue* Fons Orge. 193.
Fontaines Fontanæ in Tungris opidum. 198.
Fontaine Bleau Fons Bliaudi. 197 198.
Fontaines ſur Aube Fontanæ. 198.
Fontenay en Poitou Fontanetum 199.
Fontenay en Auxerrois Fontanetum. 198 199.
Fontenelle, alias S. *Vandre le* Fontanella. 198.
Fontenelle en Haynau Fontanella. 198.
Font-Evraud Fons Ebraldi. 198.
Font Rouge Fons Rogi. 198.
Fonvenz vel *Fonvens* Fons Vennæ caſtrum. 290.
Forcalquier Forum Calcarium, vel Fons Calcarius. 459.
la Foreſt de Cuiſe, aut *la Foreſt de Compiegne* Cotia ſilva. 161.
la Foreſt d'Orleans Leodia vel Leodica ſilva. 270.
Foreſt-Mouſtier Foreſtis Cella. 144.
Foron Forons. 212.
Fos Foſſæ vicus 316 *Terroir de Fos* Foſſenſis ager. 316.
Foſſ vel *Foſſe* Foſſæ opidum, & Monaſterium Foſſenſe, olim Volluenie dictum. 623.
Fougeres Filiceriæ. 194.
S. *Fey* S. Fidis vicus. 501.
le Franc Flandria Gallicana. 168.
la France, vel *la Neuſtrie*, & *l'Auſtraſie*, Francia. 201. 202.
Fraſeneto Fraxinetum. 211.
Frejus, Hiſpanis & Italis *Frejo*, Forum Julii. 199.
Fretteval Fracta Valis. 202.
Fronſac Frontiacum caſtrum. 211. 212. *le Fronſadois* ager Frontiacenſis 212.
Frontignan Forum Domitii. 199.

INDEX

G.

GAbarret Gavarritum vel Gabarretum, 109. le Gabardan pagus Gavarritanus. ib.
Gaillac Galliacum caſtrum. 215.
Gaille Fontaine Goilleni Fons, vel Goſleni Fons, 236.
Gaillon Galito caſtrum, 220.
la Galeveſſe pagus Vadicaſſinus, 117.
Galiardon Gaiardo vel Gualardo caſtrum, 215.
Gamache Gamapium. 220.
la Ganache Gainapia. 223.
Gand Germanicè Ghent, Ganda vel Gandavum. 220. le Gantois pagus Gandenſis, 220.
Gauy l'Iſle Vadiniacum. 580.
Gap Vapincum. 584. le Gapençois pagus Vapincenſis, ib.
Garande vel Gerrande Grannona. 236.
Gardon, aut le Gard riv. Vardo. 585.
Gargileſſe Garguella caſtrum. 614.
Garon riv. Calato vel Calarona. 456. 457.
la Garonne riv. Garumna. 221. 222. 223.
la Gartempe riv. Vartimpa. 612.
la Gaſcogne Novempopulana, ſeu Vaſconia citerior vel Aquitanica. 380. 381. 382.
Gaſſay Guaceium vel Vaceium. 395.
le Gaſtinois Vvaſtinenſis pagus, 630. 631.
S. Gaudens Caſtrum S. Gaudentii, 500.
Gavre Gavera. 223.
Gaures Comte Gaures. 221.
Geerbergen, Noſtris Gerarmont aut Gramont, Gerardi Mons. 230.
Geib am Rhein, alias Geldub Gelduba. 224.
Gembiou vel Gemblours Geminiacum. 224. 225.
Gemiege vel Imiege Gemeticum. 224.
Geneve, Helvetiis Genff, Sapaudis Zéneva, Italis Ginevra, Geneva. 229. le Genevois pagus Genevenſis, 210.
Gerberoy Gerboreddum caſtellum. 230.
Gergeau aut Iargeau Gargogilum. 222.
Gergoye Gergovia Arvernorum. 46.
S. Gers S. Deſiderii vicus. 501.
Germersheim Vicus Julius. 254.
S. Germier vel S. Galmier S. Vvaldometis vel Valdometi oppidum. 617.
S. Germer vel Flay Flaviacum. 196.
Germigni en Bourbonnois Germanicum caſtrum. 231.
Germigni ſur Vele Germaniacum vel Germiniacum. 231.
Gers vel le Gers riv. Ægiretius vel Egirtius. 67.
Gerſey iſle Cæſarea, Gerſeium vel Gerſoium recentioribus. 219.
les Gevaudans Gabali vel Gabales Gens Aquitaniæ. 213. le Gevaudan terminus Gabalitanus, Gabalicus pagus. 214.
Gien Giemum caſtrum vel Giemacum. 234.
Gieſſenburg Caſpingium. 77.
S. Giles Villa S. Ægidii in Valle Flaviana. 500.
S. Girons oppidum S. Gerontii. 500.
Giſors Giſortium. 214.
Glandéve aut Glandevez Glannateva. 235.
Glanfeuil, aut S. Maur ſur Loire Glannafolium. 235.
Glare Longolarium vel Longlare. 283.
Goch Gogetni. 238.
Golfe de Grimaud vel de S. Tropez, Sinus Samblacitanus aut Sambracitanus. 217.
Golfe du Lion, vel Mer du Lion, Italicè Mar di Lione, Mare Leonis, aut Sinus Leonis. 217.
Gontel Caſtellum Gunzhcrii ad Oinam flu. 132. 239.
Gorze Gorzia. 235.
Gourdon Gurzo. 239.
S. Gouver Guerw oppidum Germanorum, aut S. Goaris. 231.
Grazay Crazracum. 161. 162.
la Cracepres Montlaur Craſſa. 162.
Grammont Grandis Mons. 236.
Granſay Granceium caſtrum. 236.
Grand Selve Grandis Silva. 236.
Granzelle aut Granſel Grandis Vallis. 236.
S. Grapaze ad S. Capraſium. 501.
Graſſe Graſſa. 236.
Grave vel Graaffen an der Maſſ Carvo. 313.
Gravelines Flandrenſibus Grevelinge, Gravenengæ. 237.
Graville Gerardi Villa. 250.
Greneſey, Anglicè Garnſey, Sarmia aut Sarnia inſula, 219. Grenelis Britonii, 626.
Grenoble Cularo Allobrogum vel Gratianopolis. 164. 165. le Greſivendan aut la Vallée de Greſivodan, pagus Gratianopolitanus. 165.
Grentemaiſnil aut Grantemeſnil Grentonis Manſio. 237.
Greſe Gredo vel Gredonenſe caſtrum. 214. 237.
Grey Gradicum caſtrum. 236.
Grimaut Athenopolis. 146.
Pui de Grion Mons Greo vel Podium Greo. 165.
la Grone riv. Graona vel Graona. 34.
Gué de Mauni Vadum Mali Nidi. 580.
Gueldres, Germanicè Gelder aut Gelre Gelra. 224.
la Guerpe Gueſpia caſtrum. 225.
Guer Guader oppidum. 237.
Gueret Vvaractum. 629. le Gueretois pagus Vvaractenſis. 10.
Guenepe, accolis Ghenneppe aut Gennep, Genapia. 229.
Guepens Genabenſes ſive Aurelianenſes. 228.
Gueux Gaugiacum. 551.
Guich Aleth Aletum civitas. 12.
la Guie riv. Guetta vel Gutta fl. 264.
Guierville Guiardi Villa. 190.
S. Guilhain Urſi lungus, vel Cella Apoſtolorum, aut Cella S. Ghiſleni. 234. 614.
S. Guillem le deſert, aut le Val de Gellone, Gello aut Vallis Gellonis. 224. 583.
Guines Giſnæ caſtrum. 235.
Guiſe en Tierache Guiſa caſtellum. 239.
Gy les Nonnains Gaicum Monaſterium. 630.

H.

HAms Ammanium 17.
Ham, Han, Hen, Hammus, id eſt vicus. 232. Hamel ſeu Hameau, Hamulus vel Hamelus. 241.
le Hainau, Germanicè Henegau aut Hainegouw, Hainoum vel Haginoum. 240.
les Hennuiers Hainoenſes vel Hainoarii. ib.
Hamay vel Hamage Hamaticum. 240.
Harcour, Anglis Harecourt, Harecortis. 241.
Harfleu Harefloium. 241.
Haſbain vel Haſbaigne, Germanicè Haſpengouw, Haſbania. 242.
Haſnon Hainonium. 242.
Haſpen aut Heſpen riv. Haſba flu. 242.
Haton Chaſtel Hadonis vel Hattonis caſtellum. 338.
le Havre de Grace Franciſcopolis, ſeu Portus Gratiæ, Anglicè New Haven, id eſt Novus Portus. 210. 211.
la Haute-Pierre, vel certè Mouſtier Haute-Pierre, Alta Petra. 258.
Hautmont Altus Mons. 14.
Hautpoul Altus Pullus caſtrum. 133.
Heis, vel l'Iſle de Nermouſtier Herius inſula. 146.
Hepenel, vel la Haye Paynel Haga Paganelli 577.
Herbauge Herbadicum. 241. le Comte d'Herbauge Herbadilicus vel Arbatilicenſis pagus. ib.
Herſon, vel Hierſon Iritio. 254.
Herſtal Hariſtalium. 242.
Heſdin Heldinium vel Heſdinium. 246. 146.
Hieres, olim Olbia, poſt Areæ. 391. les Iſles d'Hieres Stœchadum, Phœnice [illegible] 2. 514. 516.
Hieſmes vel Exmes Oximus aut Oximi caſtrum. 395. 495. l'Hieſmois vel le pays d'Hieſmois Oximenſis pagus. 395.
la Hogue S. Vaſt Ogæ. 190.
Hollande Hammolant vel Hamarlant Comitatus. 342. item Batavia. 77.
Hembleres Humolariæ. 247.
Honefleu Hunefletum. 241.
Honat Horata inſula. 472.
Houdan Hodencum. 246.
le pays du Houlme Holmetius pagus. 246.

Honnecour

Hunncourt Hunulſi Curtis, 247.
Hui Hoium. 246.
Huigne aut *Huine riv.* Jdonea flumen. 157. 251.
le Hurepois Mauripenſis vel Moriveneſis pagus. 326.
Keſſel Caſtellum Menapiorum. 155.
Kil aut *Kelh* Celbis fluvius. 141.
Kocherſperg Concordia. 152.
Kylburg Celbis Burgus. 141.

I.

LA Jaive Gaveda vel Gavea. 172.
la Jalle riv. Gaia vel Jala. 88.
Iamets, Jamelium, Gemmatium prædium Laurentio in Epiſcopis Verodunenſibus dictum. 338.
Iarna Jarniacum vel Aarniacum caſtrum. 24.
Iavarſay Gavarciacum. 223.
Iannay ſur Clain Geniacus villa. 251.
Iavouls, olim Anderitum Gabalorum, vel Gabali. 214.
Iavron Gabro vel Gabronium. 213.
Iau,s Jalgeium caſtellum. 248.
S. Iean d'Angeli Engeriacum ſeu Ingeriacum. 188.
S. Iengon Vatenna, vel S. Genguli municipium. 250.
Iere riv. de Caux Eara. 117. 547. 548.
Ierre riv. Edera 185.
Iſiſe Hypæa inſula. 552.
Ill. vel *l'Ille*, Vaſconice *la Ille riv.* Ella. 187.
Illiers Illeræ. 255.
Indre riv. Andria vel Anger. 22.
l'Indrois riv. Angeſtus flu. 22.
Ingelheim Engilinhemium. 188.
Ingen riv. Lingon aut Lingo fl. 375.
Ingrande Igorandis Pictonum. 251.
Ioac Jocundiacum Lemovicum. 253.
le Ioigne, Germanice *Geldenaken*, Geldonia. 224.
Ioigni Joviniacum. 254.
Ioinville Jovis Villa. 254.
Ionne riv. Icauna flu. 248.
Ioſcelin Caſtellum Goſcelini. 132.
S. Ioſſe ſur Mer S. Judoci Cella. 256.
Iouarre Jotrum. 254.
Iouay Jocundiacum Turonum. 253.
le Ioux, vel *le Mont Iura*, alias *le Mont S. Claude*, Jura Mons 257.
Iouy Gaudiacus villa in Carnutibus. 251.
Ioyne Juviniacum in pago Tardanenſi. 258.
Ipre, Germanicè *Iperen*, Ipra caſtrum. 254. *Ipere riv.* Ipra flu. 214.
S. Irié de la Perche Atanus. 49.
Iſere riv. Iſara flumen Allobrogum. 255.
Iſeure Iciodorum Turonum. 249.
Iſle d'Au Aia vel Agia inſ. 391.
l'Iſle Barbe Inſula Barbara. 253.
Iſle Dieu, vel potiùs *Iſle d'Ieu* Oia inſula vel Ogia. 290.
l'Iſle, Germanicè *Ryſſel*, Inſula. 253.
l'Iſle de Sainte Marguerite Lero Inſula. 273.
Iſſandon vel *Iſſandon* Exando. 190.
Iſſoire Iciodorum Arvernorum. 249.
Iſſoudun Exoldunum. 190.
Iton riv. Itto vel Ittona flu. 72. 255.
Itzich Epiacum villa. 13.
la Foreſt d'Iveline aquilina Silva, quæ & Evelina & Eulina. 488.
Iverdun Ebrodunum caſtrum. 184
la Iuine, aut *la riviere d'Eſſonne*, Junna qui & Exona. 257.
Iuliers, Germanis *Iulich*, Juliacum. 256
Ivoy, Germanice *Ipſch*, Epuſum vel Epoſium. 189.
Iupile aut *Iope* Jopila. 253.
Ivry Ibreium caſtrum. 248.
Iuvignien Juviniacum in Epiſcopatu Lugdunenſi. 258.

K.

KEiſerſ-ſtuel Forum Tiberii. 155.
Keiſerſ vvert vel *Keiſerſ wert* Vverda. 631.
Kellen Colonia Trajana, vel Caſtra Ulpia. 150.
Kempen aut *Kempenlandt* Toxandria, regióve Toxandrorum. 558.
Kerkum, fortè Satchinium, aut Sarcinium. 505.

L.

LAbrit vel *Albret* Leporetum. 272. *l'Albret* pagus vel Ducatus Leporetanus. 272.
Lac de Geneve Lemanus Lacus. 229. 265.
Lacois aut *Lecois* pagus Laticenſis. 280.
Laere riv. Vaſconibus *Leyre*, Leria, Ptolemæo Sigmas 129.
Lamballois ambiliates vel ambialites. 16.
Landevenec Vindana portus. 101.
Landrecy, incolis *Landrechies*, Landerciacum vel Landericiæ. 260.
Langey Alingavia, Lingia, Lengiacum. 13. 353.
les Langrois Lingones. 279. 280. *Langres* andomatunum Lingonum. 22. 23. 315.
le Languedoc Septimania vel Gothia. 515. 516. cur Linguadocium dicta. 516.
Lanſac Glanum. 189.
Lantarxe riv. Lantana. 310.
Laon Lugdunum Clavatum vel Laudunum. 289. 290. 291. *le Laonois* pagus Laudunenſis. 291.
Laône, aut *S. Iean de Laône* Latona. 164.
Lapord, aut *le pays de Lapourd*, Lapurdenſis pagus aut Baionenſis. 261.
le Chaſteau de Lates, aut *la tour de Late*, Latara caſtellum. 263.
Lavardin Lavarzinum caſtrum. 164.
Lavedan Levitania Vicecomitatus. 84.
Lauraguez Lauriacenſis pagus vel Lauracenſis. 265. 339.
Laurriol Laureolum, aliàs aureolum & aureoli. 177.
Laye foreſt Ledia ſilva. 266.
Leerdam Lauri. 265.
Leiden, alias *Leyen*, Lugdunum Batavorum. 289.
Leirac Lauracum caſtellum. 265.
Lembourg, Germanice *Limborg*, Lemburgus aut Limburgus. 267.
Lens Elena vicus ſeu Lenenſe caſtrum. 186.
S. Leonard de Noblac en Limoſin Nobiliacum. 377.
les Leonnois Leonenſes, Lemovices armoricani Cæſaris. 269. *le Leonnois* Leonia, vel pagus Leonenſis. 269. *S. Paul de Leon* Leo, Leunnum, vel opidum S. Pauli. 269 270.
Lerin, aut *l'Iſle de S. Honorat*, Lerinus vel Planaſia. 272. 273.
le Lers riv Lertius flu. 26.
Leſcar Beneharnum. 82. 83.
Leſch aut *Leſche* Lætia vel Letia flumen in Tungris. 260.
Leſer Leſura vicus. 274. *Die Leſer* Leſura flu. 274.
la Foreſt de Leigue Liga ſilva vel Lilica. 282.
Leſigny en Brie Liciniacum. 276.
Leſtines Liptinæ. 281.
Leucate vel *Locate*, Hiſpanis *la Leocata*, Leucata promuntorium cum vico & caſtello ejuſdem nominis. 274.
Leudrac riv. Voldraca. 64.
Leuilly Luliacum. 290.
Leurſon Lupercio. 309.
Leurey le Bourg Luperciacum. 308.
Leuroux Leproſum vel Leproſium caſtrum Biturigum. 272.
Lenſe, Lutoſa in Hainoo. 309.
Leuven vicus Levelanum 265.
Leytoure, *Letoure* aut *Leſtore* Lactora. 259.
Lezert riv. Lauterna. 266.
Lezignen vel *Luſignan* Liciniacum caſtrum. 276.
le Lez riv. Ledum flumen. 267.
Liege, Germanis *Luttich*, Belgis *Luydrick*, Leodicum. 270. 271. *le Liege* Leodicenſis pagus vel Liugæ. 271.
Lience vel *Liere* Liente. 276.
Lier Ledi olim, vulgò nunc Lira ad Netam flu. 266.
Lierna vel *Lerneux*, Lethernacum aut Ladernacum. 16.
Lieſſies aut *Lieſſy* Lætia opidum in Hainoo. 260.

Lihons en Santers Lebunum vel Leontium. 501.
Liliers Lilierium caſtrum. 278.
Lille Linlo. 281.
la Limagne Lemane. 48.
Limoges Ratiaſtum, aut Lemovicæ. 267. 268. les Limoſins Lemovices vel Lemovicini. 268. le Limoſin Lemovicinus pagus. 268.
Limeux Limoſum caſtrum, vel Limoſium. 278.
Lion le Saunier Leodo Salinarius 271.
Leons Leones caſtellum. 271. 272. la Foreſt de Lions ſilva Leonum. 272.
Lire ſur Riſle Lira caſtellum ad Riſelam flu. 281.
la Lis riv. Leye alias, Lætia, Legia, vel Lidus fluvius. 260.
Liviere Liguria locus. 278.
S. Livrade S. Liberatæ vicus. 500.
la Foreſt de Livry, vel la Foreſt de Bondis, Lauchonia vel Lauconia ſilva. 264.
Livry Libertiacum ad Vidulam. 605.
la Lizaine Liſtinus fluvius. 482.
Lizieux Noviomagus, aut Lexovii. 275. le Lieuvin pars pagi Lexovienſis vel Liſvini. 275.
S. Lo Briovera vel oppidum S. Laudi. 98.
Lobes, indigenis Lob, Laubiæ. 264.
Loches Luccæ. 288.
Lodeve Forum Neronis, vel Leuteva. 274.
la Locave Læticus pagus aut Leticus. 260.
la Foreſt aux Loges, Logium ſilva. 282.
Loignon riv. Ligno flu. 278.
Loin riv. Lupa flu Senonum. 308. 365.
Le Loir riv. Lidus, Leda, Ligerus, Lidericus, Legrus. 134. 276.
Loire Lauriacum Andicavorum. 265.
La Loire riv. Vellavis la Leire, Liger flu. 276. 277.
Loiret riv. Ligericinus fluvius vel Ligeritius. 278.
Lomaigne Vicomte Leomania. 259. 382.
Lombers Lumberium caſtrum. 27.
Longres Longoretum vel Longum Rete. 283.
Longueville ſur Sie Longa Villa Caletorum ad Sedam, Ducatus caput. 283.
Longwi Longus Vicus. 283.
Lonlay Longuelaium. 281.
Lonrey, alias S. Siran en Brenne, Longoretum, vel Monaſterium S. Sigirannı in Brionis Saltu, aut Briona. 283.
Lonvi Lovigenna. 288.
Lorraine Auſtria. 69. Lorraine aut Duché de Lorraine, Germanicè Lotringen, Lotharingia ſuperior vel Moſellana, ſeu Ducatus Nanceii. 286. 287. Duché de Lothier vel de Lotrich Lotharingia inferior ſeu Moſana, vel Ducatus Ripariorum. 288.
Lorri Lauriacum. 265. le pays de Lorris pagus Lauriacenſis. 265.
le Loroux Leproſus vicus Turonum. 272.
Comté de Los, Flandrenſibus Loen vel Loen, incolis Loen, Lomenſis vel Loſſenſis Comitatus & pagus. 282.
Loſanne, Germanicè Loſans, Lauſana. 265. le Lac de Loſanne vel de Geneve Lemanus lacus. 265.
Loſe riv. Lutoſa. 12.
Loſere Leſura vel Leſora mons in Gabalis. 214. Tarnis fonte nobilis. ib.
Loudun Lauſdunum caſtrum. 265. 266. 450. le Loudunois pagus Lauſdunenſis. 265.
le Loup riv. Lupus fluvius. 308.
la Loupe riv. Lupa qui Autura recipitur. 308.
Lonſes Lutoſæ in Tricaſſibus. 110.
la Louve Lupa flumen Sequanorum. 308.
Louvercy ſur Vele Luperciacum. 605.
Louvain, Germanis Loeven vel Lueven, Lovonium aut Lovanium. 288.
Luc Lucus Vocontiorum. 289. 352.
Luc près Brignole Lucus. 289.
Lucho, aut certè Luco, Luccium caſtellum. 323.
Luçon Lucio. 323. le Luſſonnois pagus Lucionenſis. ib.
le Lude Luſdum. 304.
Lunel Lunate, alias Lunellum. 351. 365.
Lure Lutera. 309.
Luſſillé aut Leſille Lucilliacus vicus Turonum. 289.
Luxembourg, Germanicè Lutzemburg, Lucilburgus caſtrum. 289.
Luxeu Luxovium. 310.
Luz Eluſio aut Eluio. 188.
Saint Iean de Luz, Vaſconicè Loizune Luſius vicus aut Luſia. 309.
Lyon Lugdunum Seguſianorum. 291. 292. 293. 294. 295. le Lyonnois pagus Lugdunenſis. 294. la Gaule Lyonnoiſe Lugdunenſis Gallia. 296. 297. & ſeqq.

M.

MAcey Maſciacum. 318.
Madrie Matricenſis vel Madriacenſis pagus. 325.
Marmouſtier Majoris Monaſterium. 318.
Maguelonne Magalona. 311.
S. Mahe de Fine-Terre, vel le Chef de S. Mahé, S. Matthæi Finis Terræ promuntorium ac municipium cum Monaſterio, olim Gobæum Promuntorium. 215. 321.
Maillé Malliacum Turonum. 314.
Maillezais Malliacum Pictonum. 313.
Mailly Malliacum ad Vidulam. 603.
Maimont vel Mémont Magnus Mons caſtrum. 282. 314.
Maintenon Meſteno. 337.
Mairé Mariacum. 48. 326.
Maiſieres, Germanicè Makeren, Maceriæ in Campania Remenſi. 311.
Maiſieres en Brenne Maceriæ Turonum in Briona. 312.
S. Maixent S. Maxentii Cella vel Monaſterium. 142. 327.
Malines, Germanis Machelen, Maalinæ, Maliſnæ, vel Maſlinæ. 311.
Malmdy vel Malmedier Malmundarium. 314.
S. Malo S. Maclovii urbs & pæninſula. 12.
Manceaux Aulerci Cenomani vel Cenomanni. 64. le Maine Cenomanicus pagus vel Cenomania. 64. le Mans Suindinum vel Subdinnum, & Cenomani. 64.
Mande en Gevaudan Memmate vel Mimmates. 214.
Mandeurre Epomanduodurum. 120.
S. Manchou Auxuenna, vel S. Manechildis oppidum. 72.
Manlieu Magnus Locus, vel Monaſterium Magnilocenſe. 313.
Mante Petromantalum vel Medunta. 446.
Mantelan Montalomagus. 356.
Mantenay vel S. Lie, Mentuniacum, aut vicus S. Leonis. 336.
la Marche Marchia vel Marka provincia. 316. 317.
Marchenoir Marcheſinetum. 315.
Marcheroux Marcaſium Radulfi. 344.
Marchiennes Marcianæ. 315.
Marcillac Martiniacum caſtrum. 318.
Marcilli ſur Aube Marcelliacum. 315.
la Margaride aut Margeride Margarida mons in Gabalis. 215. 563.
Marigny Marenneium. 507.
Marles Marniegium vel Marolegia. 316.
Marle Marna caſtrum vel Marla. 317.
Marmande riv. Milmandra flu. 318.
Marmande en Agennois Marmanda caſtrum. 317.
Marnay Madriniacum in pago Mauripenſi. 326.
Marne Maternenſe ſeu Elobrementſe caſtrum. 322.
Marne riv. Matrona flumen. 323.
Maroilles Marilæ vel Maricolæ. 316.
Marolle Marolalum in pago Aurelianenſi. 317.
Marquiſe, aut potius Merg, Marci. 315. 334.
S. Mars S. Medardi vicus. 127.
Marſal Marſalium caſtellum. 317. 318.
Marſeille Maſſilia Græcorum. 318. 319. 320. 321. Mer de Marſeille Mare Græcum vel Mare Maſſilienſe. 321.
Martigue aut Martigue Maritima Avaticorum. 316. l'Eſtang de Martegue vel Mer de Martegues Maſtromela aut Maſtramela ſtagnum. 316.
Martel Martelli caſtrum. 318.
Martigni vel Martinach Octodurum Veragrorum. 592. 593.
Marueil, aut Mareuil ſur Cher Marolalum Turonum. 317.
Marvill. Villa Martis. 609.
le Mas d'Agenois Mantum caſtrum in pago Aginnenſi. 314.

le Mas d'Aſil Aſilum, & Manſus Aſili. 48. 314.
le Mas Saintes Pucelles Manſus Sanctarum Puellarum. 514
Maſcon Matiſco Æduorum. 122. 123. *le Maſconnois* pagus Matiſconenſis vel Matiſcenſis. 123.
Macres Macetiæ in pago Euxenſi. 311.
Maſiers Macetiæ ad flu. Alteſiam. 311.
Maſtricht vel *Maeſtricht* Trajectum Tungrorum, ſeu Trajectum ad Moſam, vel Superius. 559. 560.
Matas Malſtitium caſtrum, aut Mallacium. 318.
Mataputain Mataputenam caſtrum. 322.
Maubeuge Melbodium aut Malbodium. 310.
Maudre riv. Maldra. 313. 530.
Mauge Meldacum oppidulum, pagi Meldacenſis caput. 330.
les Mauges, alias *le Comté de Mauge*, Meldacenſis Comitatus aut pagus. 310.
Maul. Manlia in Carnutibus. 313.
Mauleon de Sole Malleo in Sabola 311.
Mauleon en Poitou Malus Leo vel Malleo caſtrum. 314.
Mauriac en Auvergne Mauriacum. 324.
Maurenk vel *Maurick* Mannaricium. 314.
S. Maurice Acaunum 2. 503.
Maus Manlius in Carnutibus. 313.
Mauve riv. Malva. 313.
Mayence, Germanicè *Maintz* aut *Mentz*, 340. 341.
Mayat Maiatum caſtellum. 313.
la Mayenne riv. Meduana flumen. 328.
Mayne la Iuhel, vel *Mayenne*, Meduana caſtrum, aut Meduana Juchelli. 328.
Meaux Jatinum vel Meldi. 311. 312.
les Medoquins Medulia prov. Aquitaniæ. 320. *les Iſles de Medoc* inſulæ Meduliniæ. 329. *le Medoc* ager Medulorum. 329 *la Coſte de Medoc* ora Medulica. ib.
Meerbike Merreweechi. 314.
Mehun ſur Yevre Magdunum ad Averam fl. vel Mediolanenſe caſtrum. 312.
Mehun ſur Loire Magdunum, Maidunum, vel Maudunum caſtrum. 321.
Meignan Magedo. 450.
le Melantois Medenantenſis pagus 327.
Melguenl Melgorium. 335.
Melle Metulum. 410.
Melle ſur Sarte Metula ſuper Sartam. 337.
Mello aut *Merlou* Mellotum. 80.
Melun Melodunum Senonum. 334. *le Melunois* pagus Melodunenſis vel Meclodunenſis. 334.
Membrole aut *Monsbrole* Mons Budelli. 524.
Memers en Saonnois Mamercæ caſtellum. 314. 494.
Menat Manata vel Menata. 314.
Mente Mantala vel Mantulia. 315.
Mer de Levant, aut ex parte *Mer de Marſeille*, Gallicum Mare. 216.
Mer du Ponant: Oceanus Gallicus. 218.
Mercœur aut *Mercueur* Mercorium. 333.
Mercqs Mercoria villa in Lemovicibus. 334.
Merghem, Noſtris *Mernille*, Minariacum. 338. 339.
Merpin Melpinum caſtrum. 335.
Mery Mauriacum in Tricaſſibus. 324. *la Plaine de Mery* Mauriaci campi, vel Mauriacenſis campania. 324.
Meron Matina. 318.
Mervant Mareventum. 444.
Mes Metas caſtellum. 317.
Mesve Madava vel Matua. 317.
Meſſac Miciacum vel Meciacum ad flu. Vicinoniam. 339.
Metz Divodurum Mediomatricorum, vel Mettis. 173. 174 *le pays Meſſin*, Germanicè *Metzgow*, Metenſis pagus. 174. *les Meſſins* Mediomatrici, aut Metenſes. 328.
Meu'en Menoſedum. 337.
Meuillon Medullio, oppidum Medullorum vel Medulorum prov. Narbonenſis. 329.
Meulan Mellentum. 334.
Meurte riv. Morta flu. 360.
la Meuſe riv. Germanis *Maes*, Moſa 361. 362. *Maeſlandt* Moſanus pagus vel Maſau, Maſagouvi, Moſanorum. 361. 362. Moſæ ortus & curſus. 362.
Meuſe en Baſſigny Moſa vicus ad caput fl. Moſæ. 361.
Meyland Megimenſis pagus. 330. *Meyen* Meginnum pagi Meginenſis caput. 330.
S. Mihiel en ... monaſterium S. Michahelis in Eremo 578.
S. Michel du Mont: Vide *le Mont S. Michel*.
Miet vel *S. Meſmin de Miet* Miciacum. 339.
Middelbourg Middæ burgus. 627.
Miegemont mons Medianus. 350.
S. Mihel vel *S. Michiel* S. Michaëlis oppidum & monaſterium ad Moſam flumen. 338.
Milden vel *Moulden* Minnodunum. 339.
Milhan en Nemauſois Amelianum. 17.
le Terrutoire de Millhau en Rouergue Æmilianus vel Amilianus pagus. 339.
Milhau en Rouergue Æmilianum vel Amilianum. 339.
Milly en Gaſtinois Mauriliacum vel Miliacum. 325.
Minerve aut *Menerbe* Minerva caſtrum. 339. *le Minervez* aut *le Minervois* Minervenſis pagus aut ager. 339.
S. Miron S. Medulfi aquæ 329.
Mirgſan riv. Medioſtanus flu. 177.
Mirepoix Mirapicis caſtrum. 26.
Miſſac Muſciacum. 366.
Mor Maulia 324.
Monaſtier, vel *S. Chaffre*, S. Theotfridi Monaſterium. 551.
Monchaulon vel *Montchallon* mons Cabilonis. 146.
Moncontour mons Conturans vel mons Contorius. 346. 347.
Moncornet en Tierache, nec non *Moncornet en Ardenne* mons Cornutus. 147.
Mondidier mons Deſiderii. 347.
Monetois Moneſi vel Moneſi. 514.
Monfaucon, item *Fauquemont* aut *Valkenburg* mons Falconis. 348.
Monpeſat mons Penſatus. 350.
Monſtier en Der, corruptè *Montirandel*, monaſterium Dervenſe, vel in Dervo ſitum 139.
Mons en Haynau mons Caſtrilocus, vel Caſtriluctium. 133. 149.
Mons en Peule, vel *mons en Pabille*, mons in Paſcuis, aut mons in Pabula. 349. *Peule* aut *Pevele* pagus Pabulenſis, vel Pabula 349.
les Mons de S. Ingelvert montes S. Engilberti. 357.
Monſaleon mons Seleucus. 352.
Monſtereau ſaut Yonne monaſteriolum Senonum. 344.
Monſtier la Celle Cella Bobini, vel Inſula Germanica. 141. 142.
Monſtier en Tarantaiſe Forum Claudii, vel Darantaſia Centronum 143. 144.
Monſtreul Belai Monaſteriolum Berlaii. 343.
Monſtreuil ſur mer Monaſteriolum Ambianorum, olim Bragum. 342. 343.
Monſtreuil l'Argille monaſteriolum. 342.
Mont de marſan Martianum. 53.
Montargis mons Argiſus 344.
Mont-à-Tarre Mons Tarenſis, vel Mons ad Tharam. 353.
Montauban Mons Albanus. 26.
Montbar mons Barrus. 345.
Montbaſon mons Baſonis in Turonibus. 570.
Montbeliard mons Piligardæ. 351.
Montbriſon mons Briſonis. 146.
Montbrun mons Beruſi. 345.
Montcauvel en Boulenois, mons Capreoli 346.
le mont Cenis mons Ciniſius, vel Alpis Cottia. 349.
Mont Doubleau mons Dubleſii. 347.
Montebourg montis Burgus. 357.
Montegu en Laonnois, item *Montagu en Poitou*, & *Montagut*, mons Acutus. 344.
Montelimar montilium Ademari. 356.
Montenceſ mons Incenſus. 365.
Montfort l'Amauri mons Fortis Amalarici. 348.
Montfort mons Fortis. 148
Montgommery mons Gometici. 349. 557.
Monſtier Rames monaſterium Arremari. 44.
Mont Iou aut *mont-Ieu*, mons Jovis, ſeu ſummus Penninus. 349.
Montivilliers monaſterium Villare. 344.
Mont Intin Juſtina. 258.
Mont Lauis, vel *Mont Loys* Laudiacum. 264.
Mont Luſon mons Luzzonis. 350.
Mont Luel mons Lupelli. 349.
Montmedy mons medius, vel mons maledictus. 350.
Montmiralle aut *montmirail*, nec non item *mirmiral*, mons mirabilis. 350.
Montmorillon mons maurilionis. 350.
Moire mons Aureus. 345.

Montpellier mons Peſſulanus. 351.
Montpinſon mons Picionis aut Pincionis ab ſive Pincione. 351.
Montreal, *Monreal*, *Moreau*, mons Regalis. 351. *Realmont* & *Reaumont* Regalis mons. 352.
Montreſor mons Theſauri. 353.
Montrevean le Petit mons Rebelli vel Revelli. 352.
Montreuil en Auge monaſteriolum in ſaltu Algia ſitum. 13.
Montrichart mons Tricardi. 353.
Montrond vel *Mouron* mons Rotundus. 487.
Mont Sauſon mons Saltonis. 478.
le mont S. Michel vel *S. Michel du Mont*, S. Michaëlis monaſterium ad duas Tumbas. 338.
Montſoreau mons Sorelli. 353.
Morance, vel certè *Morhange* Morantiacum. 357.
Morat, Helvetiis *Murten*, Murtena caſtrum, alias Muratum. 366. 487.
Moret Maritum aut Muritum, pòſt Moretum dictum. 365.
Morges Morginnum. 138.
Morienne Maurienna. 325. *la Morienne*, aut *la Val de Morienne* Maurienna, aut Vallis Maurienna. ib.
le Morin riv. Mucra flu. 364. *le petit Morin* Mucra minor. ib.
Morgnes Mauriniacum. 325.
Moriaux mons Relaxus. 352.
Mortain en Normandie Moretonium caſtrum. 360.
Mortaigne au Perche Moritonium, Moritonia vel Moritania, 360.
Mortaigne ſur l'Eſcau Moritania. 359.
Mortemer, item *Mortemar*, Mortuum Mare. 360.
le Morvan Morvinnus pagus. 360.
la Moſelle aut *la Mozelle riv.* Germanis *Muſel*, Moſella, Moſula, Muſalla, Muſella. 362. 363. *Muſelgow* Moſellanus vel Moſellenſis pagus aut Comitatus. 363. *le Duche de Lorraine* Ducatus Moſellanorum. 363.
la Mote Gautier Mota Gaitherii, vel mons Gaitherii caſtellum. 313. 364.
la Mote en Baſſigni Mota. 364.
la Mote de la Nue Mons de Nube, vel Caſtellum de Nube. 313.
Moulins Engilbert Molinæ Angilbertorum. 342.
Moulins Molinæ. 342.
Mouſon Moſomagus vel Moſomus. 364.
Mozac Mauſiacum. 326. 327.
Moyen-monſtier Megeni Monaſterium, aut Medianum Monaſterium. 330.
Mucidan Muſcedonum caſtrum. 365.
le Multien Meltiani pagi pars. 335.
la Mure Murſa caſtellum Galliæ. 366.
Murel aut *Muret* Murellum caſtrum. 365.
les Mureaux Murelli. 365.
Murmunſter Mauri Monaſterium, vel Maurum Monaſterium. 324.
Murs Mura vicus & abbatia. 365.
Muſſy ſur Aure Muſcium ad Aruam flu. 45.

N.

NAhe aut *Nake riv.* Nava flu. 372. *Nachgowe* Navenſis pagus. ib.
Namur, Manucum, pòſt Namucum, demum Namurcum dictum. 368.
Nancy Nanceium. 368. 564. 565.
Grand Nanci Naſium Leucorum. 371. 564. 565.
Nanteuil Nant vicus in pago Meldenſi. 369.
Nanteuil Nantus in pago Conſtantino. 369.
Nanteuil le Haudouin Nantogilum. 368.
Nantois Namnetes. 367. *Nantes* Condivicnum vel Namnetæ. ib. *le Nantois* pagus Namneticus. 367. 368.
Nantua Nantuadis, vel Nantoidis. 368. 369.
Narbonne Narbo Martius. 369. 370. 371.
Naret Nugaretum, vel potiùs Nucaretum in pago Vadrenſi. 379.
Naſſau aut *Naſſogne*, vel certè *Scheneck*. 371.
S. Nazere vicus S. Nazarii ad Ligerim. 236.
Neauſle en Vexin, Nelfa. 372.
Neauſle le Chaſteau Nelfa caſtellum. 372. *Neauſle la Ville* Nelfa Villa. ib.
Neers riv. Nerſa vel Nerſus. 52.
Nelle Nigella caſtrum. 375.
Nemours Nemus. 372.
Nonteuil en Ravelois Nantogilum aut Nantoilum 368.
Neris Aquæ Neri. 29.
Nevers Noviodunum Æduorum, pòſt Nivernum, aut Nevernum dictum a flu. Nivere, *Nevers*. 383. 384. *le Nivernois* pagus Nivernenſis. 385.
Neuf Bourg Novus Burgus. 388.
Neuf-Chaſtelle Novum Caſtellum in Arduenna. 388.
Neuf Marché Novus Mercatus. 388.
la Neuſtrie vel *Neuſtraſie* Neuſtria. 372. 373.
Neuvy ſur Loire Noviodunum Senonum, Aimoino Novus Vicus. 385.
Neuvi ſur Baranjon Noviodunum Biturigum. 385.
Nice en Provence, Italis *Niza* vel *Nizza*, Nicæa Maſſilienſium. 374. 375.
la Nied Aleman Nita flu. 376. *la Nied François* Nita minor. ib. uterque *Nide* Germanis dicitur. ib.
Nimegue, Batavis *Nieumegen* & *Nimegen*, Noviomagus Batavorum. 385. 386.
Nimes Nemauſus Volcarum Arecomicorum. 617. 618.
Ninoven vel *Ninove* Ninive. 375.
Nion, Germanicè *Neus*, Colonia Equeſtris Noiodunus vel Nividunum. 149.
Niort Niortum caſtrum. 376. *le Niortois* ager Niortenſis. 376
Nivelle Nivialla, pòſt Nivigella ac Nivella dicta. 367.
Norre riv. Notta flu. 125.
Nogent l'Artaud Novigentum Artaldi. 383.
Nogent le Beſnard Novigentum Bernardi. 383.
Nogent le Roy Novigentum Regis. 383.
Nogent le Rotrou, Novigentum in Pertico, vel Novigentum Rotroci. 383.
Nogent les Vierges, Novigentum Bellovacorum ad Iſaram. 383.
Nogent ſous Couci Novigentum in pago Laudunenſi, 383.
Nogent ſur Eure Novigentum ad Auturam. 383.
Nogent ſur Marne Novigentum villa ad Matronam, 383. 425.
Nogent ſur Seine Novigentum vel Novientum in Tricaſſibus. 383.
Noiſi ſur Oiſe Nucetum vel Nocitum. 388.
la Normandie Nortmannia, vel Nortmannia Francorum, ante Neuſtria dicta. 373. 379. 380.
Nouaillé Novilliacum vel Nobiliacum. 377.
la Novaleze Novalicium. 380.
Noyon Noviomagus Veromanduorum. 387. *le Noyonnois* pagus Noviomagenſis vel Noviomenſis. 387.
Numagen Noviomagus Trevirorum. 387.
Nuſſe vel *Nuys* Novelium. 382.
Nüwenſtatt, Noſtris *Villeneufve* Penneloci. 442.
Nyms riv. Nemeſa. 540.

O.

OIſe Oſida. 172.
Oiſe riv. Iſara Belgarum flumen. 255.
Oiſi Oſiacum municipium ad caput Sabis. 388.
Oiſſel, aut *l'Iſle de Bedaſne*, Oiſcellus inſula Sequanæ, 394.
l'Old, *l'Ould*, vel *Lot* Oltis aut Oltis fl. 392.
Olde vel *Oude riv.* Ulda. 615.
Oleron iſle Viliarus inſula, quæ & Olario. 616.
Oleron ville, Iluro. 231. 232.
Olierque Meroliacum. 336.
l'Olmee Olma caſtrum. 391.
Olonne Olona. 392. *les Sables d'Olonne* Arenæ Olonenſes. 392.
S. Omer Sithiu vel Audomaropolis. 517.
Oppenheim Bonconica vel Bauconia. 92.
Orange Arauſio Cavarum, Secundanorum Colonia. 35.
Orb riv. Obris vel Orobis. 389.
Orbay Orbacum. 391.
Orbe riv. Urba fl. 624. *Orbe* Urba caſtrum. 623.
Orbec Orbeccum locus & fluvius. 393.

Orbigni Orbiniacum. 393.
Orge riv. Urbia. 624.
Orilac Aureliacum. 66.
Orleans Genabum vel Aureliani. 225. 226. 227. *l'Orleanois* pagus Aurelianenſis. 228.
Orne riv. Olina vel Olna, Cadomenſis fluvius. 391.
l'Orne riv. Odorna vel Orna. 389. *Orne* Orna villa. 390. *l'Ornois* Odornenſis vel Ornenſis pagus. 390.
Orron riv corruptè *Aurron*, Urrio. 86.
Ortienſe Orticola vel Urticoſa caſtellum. 313.
Oſtille Uſtiliacum vel Hoſtiliacum caſtellum. 313.
Oſtrevant Comté, Auſterbantum. 67. 349.
Otte foreſt Utta ſaltus. 625.
Ouaine riv. Aroanna flu. 44.
Ouche Uticum aut Uticus ſilva. 625.
Ouchi le Chaſtel Ulcerium caſtrum. 615.
Oudenborcu Aldenburgus. 37.
Oudon riv. Olda qui Meduanam auget. 392.
Oudon riv. Oudo, alias Uldo & Uldunus, qui Olinâ recipitur 392.
Oueſſant Uxantis inſula. 626.
Oumoy Holmus vicus, caput regionis Holmetiæ, *le pays de Houlme.* 259.
Ourt riv. Utta. 625. *Ourt* Veta vicus. ib.
Ouſche riv. Oſcara flu. 394
S. Oyen de Ioux, vel *le Monaſtere de ſaint Claude* Condatiſco, vel Condateſcenſe monaſterium, aut Cœnobium S. Augendi. 153.

P.

PAcy Paciacum vel Paceium. 397.
le Palais Palatium in Lemovicibus ad Taurionem fl. 397.
Palion vel *Paillon riv.* Paulon vel Paulo fl. 375.
Pamiez Apamiæ caſtrum. 25. 26.
S. Papon. S. Pappuli civitas. 26.
Pariſiens Pariſii & Pariſiaci. 398. Pariſiorum fluvii, *Seine* Sequana, *Marne* Matrona, *Oiſe* Iſara, *le Crou* Crodoldus, *Ierre* Edera, *Bievre* Bevera, *Orge* Urbia, *Iuine* Junna, *Sevre* Savara. Pariſiorum regiunculæ, *la France* Francia, *le Pariſis* pagi Pariſiaci veteris portio, *l'Aunoy* Alnetum, *le Ioſas* aut *l'Hurepois* pagus Joſacenſis vel Huripenſis, pagus Caſtrenſis, *Vau de Galie* Vallis Galiæ, & pars Briegii. Pariſiorum caſtella, *Braie Comte Robert* Braia; *Bruieres le Chaſtel* Brueriæ; *Chevreuſe* Capriolia, *Chaſtres* Caſtra, *Chaſtres en Brie* Caſtra, *Chaſteau Fort* Caſtellum Forte, *la Queue* Cauda, *Corbeil* Corboilum, *S. Maur de Foſſez* Foſſatum Bacaudarum, *Gomets le Chaſtel* Gomedum caſtellum, *Gournay* Gornacum, *Luſarches* Luſargiæ, *Marly le Chaſtel* Malliacum caſtellum, *Montlehery* Mons Letherici, *Montmorency* Mons Maurentiacus, *Tournan* Turnomium, *Villepreux* Villa Pe[illegible]ia, aliáque. Pariſiorum vici præter ceteros *A[illegible]* Alpecum, *Antony* Antoniacum, *Arcueuil* Arcoilum, *Argenteuil* Argentoilum vel Argentolium; *Athies* Atteiæ, *Etiolles* Atteiolæ, *Orli* Aureliacum, *Eſſone* Exona vel Axona, *Baigneux* Balneola, *Boneuil ſur Marne* Bonogilus vel Bonolium, *Bondis* Bungeiæ aut Bonzeiæ, *Bourg la Reyne* Burgus Reginæ, *Chelle* Cala, *Chaville* Caput Villæ, *Charenton* Carento, *Chaleuane* Caroli Venna, *S. Denis en France* Catolacum, *Cennois* aut *Senois* Centum Nuces, *Segnolles* Ciconiolæ, *Chevilli* Civiliacum, *Clichi la Garenne* Clippiacum, *Conflon* Collis Longus, *Coulombes* Columbæ, *Creteil* Criſtoilum aut Criſtolium, *Courbe-Voye* Curva Via, *Dueil* Diogilum, *Ierre* Edera, *Eſcoüen* Eſcuina, *Gonneſſe* Gauniſſa, *Gentilly* Gentiliacum, *S. Germain en Laye* villa S. Germani in Silva Ledia, *Iſſy* Iſciacum, villa olim Regia, *Laigny* Latiniacum, *Lemours* Limoſiæ, *Louvres en Pariſis* Luperæ, *Marcouſſis* Marcociæ, *Meudon* Modunum, *Lonjumeau* Mons Gemellus, *Montmartre* Mons Martyrum, olim Mons Mercurii & Mons Martis dictus, *Nanterre* Nemptodorum, *S. Cloud* Novigentum, *Noiſi le Grand* Nucetum, *Paleſeau* Palatiolum, *Rueil* Rotoialum, *Sercelle* Sarcellæ, *Eſpineuil ſur Seine* Spinogilus vel Spinolium, *Verſailles* Verſaliæ, *Vincennes* Vicenæ, *Ville-neufve S. George* Villa Nova S. Georgii, *Villiers le Bel* Villare Bellum, à paginâ 398. uſque ad 438.
Paris Lutecia Pariſiorum, quæ & Pariſii. 438. 439. 440.
Paroy le Moinal Paredum. 398.
Partenay Partinaculum vel Partiniacum. 444.
Pacay en Beauſſe Patavium vel Patarium. 441.
Pauilly Pauliacum. 441.
S. Paul de Tricaſtin Auguſta Tricaſtinorum. 60. 61.
Peiruſſe Petrucia. 445.
Penets Penetale monaſterium & locus. 442.
Penne d'Agenois, & *Penne d'Albigeois* Pinna caſtrum. 451.
Peray Peretum caſtellum. 313.
le Perche Perticus ſaltus & pagus. 443. 444.
Percy Patriciacum. 441.
Perigueux Veſunna Petrocoriorum, pòſt Petrocorii vel Petrocorii dicta. 446. *Perigourdins* Petrocorii 445. *le Perigord* pagus Petrocoricus. 446.
Peronne Perrona Veromanduorum. 442.
L'eſtang de Peroz vel *l'Eſtang du Tau*, Laterna ſtagnum, vel Taurus palus. 263.
Perouge Perogia caſtrum. 615.
Perpignan Perpeniacum. 187. 491.
Perſien Priſciniacus vicus. 96.
Perſeigne Perſenia. 494.
Perte Perta, *le Partois* Pertenſis pagus. 442. 445.
Perves Perviciacum 444
Peſenas Piſcenæ vel Peſenatium. 451.
Peſon Piloſtum. 451.
Pfin an der Thur Fines. 611.
la Picardie Picardia 447. *les Picards* Picardi, cur ita dicti. ib.
Pierre-Fons Petræ Fons. 445.
Pierrepont Petræ Pons. 445.
Piolenc Podiolenum. 452.
Piquigni Pinxeniacum vel Pinqueniacum. 450.
Piſtres Piſtæ. 452.
Pitiviers aut *Pluviers* Petiveris caſtrum. 444. 445. *le Pitiverais* pagus Pitiverenſis. 445.
Plaine Seve Plana Silva. 627.
Plaiſance Vernus Sol. 595.
Ploermel Ploatmel caſtrum. 132.
Polcour Pauli Curtis. 486.
Poinſi Pipimiſium. 451.
Poiſſi Pinciacum. 450. *le Pinſerais* vel *le Poiſſiois* pagus Pinciacenſis. ib.
les Poitevins Pictones, pòſt Pictavi, Pictavenſes & Pictavini appellati. 448. *Poitiers* Pictavi, olim Auguſtoritum Pictonum. 448. *le Poitou* pagus Pictavus. 449.
Poligni Polemniacum. 452. 585.
la Pomegue iſle, vel Pomponiana inſula. 532.
Pons en Saintonge Pontes 454.
Pons ſur Seine Pontes Sequanæ, vel Ad Duodecim Pontes. 454.
Pons ſur Yonne Pontes Icaunæ, olim Pons Syriacus. 454. 542.
S. *Pons de Tomieres* Tomeriæ S. Pontii. 186.
Pont-Alier Pons Eliaveris. 452.
Pont Autou Pons Aitus. 452.
Pons à Selane Pontes Ambianorum. 454.
Pons Audemer Pons Audomari. 453.
Pont à Mouſſon Montio 356. 357.
Pont à Vere Pons Varenſis. 453.
le Pont de Se Pons Sai. 454.
Pont de l'Arche Pons Arcus. 453.
Pont de Remy, aut *Pontdormy* Pons Remigii 453. 454.
Pons Favergé Pons Fabricatus. 539.
le Pontieu Pontivus pagus. 455.
Pontigni Pontiniacum 281.
Pontion Pontico vel Pontigo villa Regia. 455.
Pontoiſe Briva Iſaræ 101. 453.
Pontorſon Pons Urſonis. 452.
Pontpierre Pons Petreus. 445.
S. *Porcain* vel S. *Pourſain*, S. Porciani monaſterium 455. 456.
Porcean vel *Porcien* Portianus pagus. 135.
Portbail Portus Ballii. 456.
Port-Mion Portus Mines. 146.

le Port de Pile Portus Pilæ. 165.
Pouilly Paulliacum. 441. 442.
Pouzieres Puteatiæ. 454.
Pralon Pratum Longum. 281.
Preaux Pratellæ 616.
Premonſtré Pratum monſtratum, vel Præmonſtratum. 456.
Privas Privatium caſtrum. 457.
la Provence Provincia. 457. 458. 459.
Provins Pruvinum. 459.
Pue. le Vert Viride Podium caſtrum. 613.
Puis et en Beauſſe Puteolus caſtrum. 460. *Puiſſe* Puteoles in ſaltu Ligerico. 460. *Puiſeux aut Puiſieux en France* Puteoli. 460.
le Puy Anicium, aut Podium Vellavorum. 589. 590.
Puy Laurens Podium Laurentium vel Laurentii. 452. *Puy Saguier* Podium Sorcarium, *Py Nautier* Podium Nauterium, *Puy-Norman* Podium Normanni, *Puy d'Arvas* Podium Arvati, *Puy de Serre* Podium Ceratis, *Puy Viant* Podium Vuitaldi, *Puy Minfroy* Podium Magentridi, *Puy Guillaume* Podium Guilelmi, *Puy Sec* Podium Siccum, *Puy Chenin* Podium Caninum 452.
Py riv. Pidus aut Pitus fl. 539.

Q.

S. Quentin Auguſta Veromanduorum, vel Viromandi. 620.
le Querci pagus Cadurcinus. 111. *les Quercinois*, olim *Caorſins*, Cadurci. 110. 111.
le Queſnoy Quercetum vel Caſnetum. 462.
Quillebeuf Guilleboldium. 238.
Quimper Corentin civitas Curioſolitum, aut urbs Chorentini. 166.
Quinçay Quintiacum in pago Pictavo. 462.
Quincy Quintiacum. 462.

R.

Ramatuelle Clamatulicum, vel Clamatulicorum locus. 536.
S. Rambert de Bengey Bredo, aut Vallis Vebronna, poſt S. Ragneberti, dictum in Brexia. 464.
S. Rambert en Forez Occiacum, poſtea S. Ragneberti Martyrium vocatum a corpore ejus, huc Bredone tranſlato. 464
Rambouillet Rumbelittum vel Rambolettum. 487. 488.
Ramburet Ramberelli. 464
Rame Rama vel Reame 465.
Ramern Ramerudum caſtrum. 465.
Rance riv. Rinctus aut Rinchius fl. 12.
Rancon vel Rancogne Ranco caſtrum. 465.
Raiz, Redæ, *le pays de Raiez* pagus Redenſis. 467.
Ratepont Ratispons. 461.
Ravieres Rateveriam 463.
l'Iſle de Re Radis inſula. 463.
Rebais Reſbacis. 471.
Redon Roto. 481.
Regeane Regenna. 468.
Reims Durocortorum Remorum, vel Remi. 180. 181. 182. *le Remois* Remenſis pagus vel Remtianus. 470. *Remois* Remi. 468. 469. 470.
Remiremont, Germanice *Rumerſberg*, Romarici aut Rumerici mons. 480.
Renelle riv. Matrona flu. 482.
Rennes Condate Redonum. & Redonæ. 467. 468. *le Rennois* pagus Redonicus. 468.
Renty Rentica. 470.
la Reole Regula caſtrum, olim Squirs. 468.
Reome, vel *Mouſtier S. Jean* Reomaus. 470.
Rest vel *S. Pierre de Rez*, Reſtis. 471.
Retel Reitefte 468. *le Retelois* pagus Reiteſtinus. 468.
Retourne riv. Rotumna vel Rotonna flu. 486.
la Foreſt de Rets Retia ſilva vel Reſia. 471.
Retz, vel *le pays & Duché de Raiz*, Ratiatenſis aut Ratenſis pagus. 465.
Reux, Radonium vel Rodolium. 464.
Rheinzabern, Noſtris *Saverne*, Tabernæ ad Rhenum. 142.
Rhenen Grinnes. 77.
le Rhin, Germanice *Rheyn*, Rhenus flu. 472.
Ribemont Ribodi Mons caſtrum. 476.
Riberols aut Ribarolles Riparii vel Riparioli, poſtea Riparii Rodoſtique dicti. 478. 479.
Rie, aut cette *Regen*, Rigomagus, civitas Alpium Maritimarum. 477.
Rieux Rivi caſtrum. 26. 27.
Riez Albece Reiorum Apollinarium, vel Reii. 9. 10.
Rigol aut *Reoli* Rigodulum. 477.
Rille riv. Riscia, Riſla, vel Ridula. 479.
Rilly Rigu ... acum. 477. 478. 611.
Rimagen Rigomagus in inferiore Germania. 477.
Riom Ricomagus. 476. 477.
Rians Reontium. 470. 471.
Riotier Retottorium caſtrum. 471.
S. Riquier en Pontieu Centulum. 144.
Riviere Garumni, id eſt regio Ripenſis aut Riparia. 221.
la Rivour Ripatorium. 479.
Riz Rivus 142.
Robec riv. Rotobeccus fluvius vel Rodebecus. 481.
Rochechouart Rupes Cavardi, vel Rocca Cavardi. 459.
la Rochelle Rupella vel Rochella. 488.
Rochemore Rupes Maura in pago Vivarienſi. 487.
la Roche au Moyne Rupes Monachi. 489.
la Roche Foucaud Rupes Fulcaldi vel Fulcaudi. 488. 545.
la Roche Guion Rupes Vvidonis vel Guidonis. 489. 490.
Rochemeau Rocca Meltis. 130.
la Roche Poze Rupes Pozeii. 489.
Roche ſur Yon Rupes ad Ionem. 488.
Rodez, Segodunum, vel Ruteni. 491. 492.
Roer, Noſtris *Rure riv.* Rura flu. 490. *Roermond* aut *Ruremonde* Ruræmunda. ib.
Roman Mouſtier Romanum Monaſterium. 142.
Romans Romanum Monaſterium. 480.
Romberg Habendum caſtrum vel Habundum. 480.
le Romois pars pagi Rotomagenſis trans Sequanam. 481. 482.
Romment Rotundus Mons. 486. 487.
Romerantin Rivus Morentini. 479.
Ron aut Rom Rarauna vel Rauranum. 54.
Roncen, Noſtris *Ernay*, Rotnacum vel Rodenacum. 481.
Rony Rodonium vel Ronetum. 479. 480.
Roremburg Prætorium Agrippinæ. 10.
Roquemaure Rupes Maura in pago Nemauſenſi. 489.
Roquemadour Rupes Amatoris. 488.
le Roſne, accolis fontis ejus *le Roe*, Rhodanus. 473. 474.
Roſſulon Urſoli vel Roſſilio. 624.
Roſſon le Long, item *Roſſon ſur Aronde*, Roſſontum. 480. 481.
Rotsi vel Rottel Rutina. 492.
Rotunde Rotundæ. 486.
le Rotoneau Prote inſula. 531. 532.
Roucy Rauciacum caſtellum, vel Roceium. 466.
Rouſſec le Chaſteau, Ruſtiacum Biturigum. 87.
Rouen Rotomagus Vel ocaſſium. 482. 483.
Rouer aut Rober riv. Erubris. 141.
les Rouerguois Ruteni. 491. 492. *le Rouergue* pagus Rutenicus. 492.
Roueſſe Ruſſeium in Cenomanis. 118.
Rouſſilon vel *la Tour de Rouſſillon* Ruſcino. 490. *le Rouſſilon* Regio Sardonum, vel Comitatus Ruſcinonenſis. 490. 491.
la foreſt de Rouge Rigetius ſaltus. 614.
la foreſt de Rouvray, aut *le bois de Boulogne* Roveritum nemus. 487.
Rouvres Rubetum in Belſa. 546.
Roy in Noviomagum. 5 2. 5 ?.
Roye Rodium, poſt Rauga dictum. 466.
Rubempre Ramberti Pratum. 464.
Rue Durocoregum. 182.
Ruaux Rotomum in pago Rotomagenſi. 481.
Rufa *le* Rubana. 487.
Rufec Rufiacum. 487.

Ruffei Rufiacum caſtrum in Sequanis. 487.
Rugles Rugulæ ad Riſcam fl. 479.
Roys Renutius vicus & mons. 471.
Ryen, vel *Het lands Van Ryen* Renenſis pagus. 21.
Ryonne Rionava. 478.

S.

SAbardun Saverdunum. 506.
Sable Sablolium. 494.
Sablonieres Sabionariæ. 494.
Sacerge vel *Sacerges* Caput cervium. 129.
Sacle ſur Iuine Sarclitæ vel Sarclidæ. 531.
Saillans Salientes. 581.
Sain, aut *l'iſle de Sayn* Sena inſula. 616.
Saintes Mediolanum Santonum, & Santoni. 502. 503. *la Saintonge* pagus Santonicus. 502. *les Saintongeois* Santones, & Santoni. 502. 502.
Salenci Salentiacum. 495.
Salers Salernum. 495.
Salins Salinæ Sequanorum. 496. 497.
Salm riv. Salmona flu. 274.
Salmes Salinæ Lotharienſium. 497.
la Sambre riv. Sabis, alias Saba, *Savus*, & Sambra. 493.
Samer S. Vulmari Monaſterium. 632.
Samoucy Samuntiacum. 497.
Sancerre Sacrum Cæſaris caſtrum. 494.
Sancoin vel *Xancoins* Tincontium. 85.
Sandon Sedunum. 95.
Sangate Sangata. 501.
Santen, aut certè *Berck*, Vetera. 600.
le Santers Santerienſis pagus, Sana Terra & Sanguis Terſus recentioribus dictus. 501.
la Saone riv. Arar vel Sauconna. 34.
Sar riv. Germanicè *Sahr* aut *Tſar*, Saravus, Sara, Saroa, & Sarra. 504. 505.
Sarbruc, Germanis *Sarbruggen* aut *Saarbruk*, Pons Saravi. 504.
Sardene Serdinnus vicus. 629.
Sargines Sarcinæ. 505.
Sargow Saravenſis pagus aut Sarachouva. 505.
Sarlat Sarlatum vel Sarlatium. 513. *le Sarladois* pagus Sarlatenſis. 514.
la Sarte riv. Sarta vel Serta flu. 505. 506.
Sauſcuſe Salicoſa. 496.
Sancy Sanciacum. 500.
la Saudre riv. Salera. 509. *Petite Saudre* Salera minor. 22
Saverne Tabernæ. 542.
Savigny en Normandie Savenneium. 507.
Saulcourt Sathulcurtis. 506.
Saulieu Sedelaucum aut Sidoleucum. 509.
Saumur Salmurum caſtrum. 497. 498.
le Saunay Salinenſis ager vel Salonenſis. 496. 498.
Savonieres Saponariæ. 494.
la Savoye Sapaudia, Sabaudia, & Saboia. 503. 504.
Saur riv. Sura, recentioribus Soroa. 540.
Sanſilanges Celſinaniæ. 142.
Sauſſes alias *Salſes*, Salſulæ vel Salſulæ caſtellum & fons. 499.
Saut d'Ange Saltus Algiæ. 23.
le pays de Saut Saltuenſis pagus. 339.
Sauve Vignerie Salvia in pago Nemauſenſi. 578.
la Sauvetat, *la Salvetat*, *la Salbetat*. Salvitas. 497. 499.
Sauveterre, *Salveterre*, *Salvaterre*, Salva Terra. 499.
S. *Sauveur de Dive* Diva caſtrum. 172.
Scarpe riv. Scarpo, Scarpus, & Scarbes. 507. 507.
Scharpeigne aut *Sarpenne* Scarponna caſtrum. 508.
Schouwen Scaldia inſula, in ore Scaldis poſita. 508.
Scoraille vel *Eſcouraille* Scorailia caſtrum. 508.
Seane aut *Saane riv.* Secana. fl. 116.
Seclin Saclinium vel Sechinium. 327.
Sée riv. Segia vel Seva flu. 514.
Seez Sail vel Sagii. 494. 495.
Seiches Aquæ Siccæ. 595.
Seillans Solinienſium vel Salinenſium civitas, ſive Salinæ Suetriorum. 518.
Seille riv. Salia vel Sallia. 496. 603.
Seine Sedena. 171.
la Seine riv. Sequana fl. Segona, Sigona, Secana, Geon vel Geobonna. 516. *la Riviere de Seine* litus Sequanicum vel litus Sequanæ: ut litus Genuenſe aut ora Liguriæ vocatur *Riviera di Genoa*, *la riviere de Genes*. 518.
Seiſſac Saxiacum caſtrum. 507.
Selune riv. Senuna flumen. 514.
Selles en Berri, aut potiùs *Celle*, Cellula S. Euſicii. 142.
Selles ſur Nahon, vel potiùs *Celle*, Cellula S. Genulfi. 142.
Seltz Saletio caſtrum vel Saluſſa. 495. 496. *Seltz riv.* Saletio, & Saluſia. ib.
le Semoy riv. Selmarus vel Seſomiris. 523.
Semur en Brienois caſtrum Sinemurum Brienenſe. 526. 527.
Semur en l'Auſſois Sinemurum in pago Aleſienſi. 526.
Senecey Seniciacum. 507.
Seneſtere, vel *Sennetere* S. Nectarii caſtrum. 500.
Senerpont Sinardi Pons. 117.
Senlis, Auguſtomagus Silvanectum, vel Silvanectæ. 525. *le Senliſien* qui & *le Servois* olim dicebatur, Silvanectenſis pagus. 525.
Senne riv. Senna vel Sonna. 523.
Senone Senoniæ. 330. 514. *Val de Senone* Vallis Senonienſis. 514.
le Senonois Senonicus pagus. 524.
S. *Sene*, vel S. *Saens*, Caſtrum S. Sidonii. 116.
Sens Agedincum Senonum. 6. 7.
Senez Sanitium Veldiantiorum. 501.
Senne ſur Eſne Sindunum. 72.
Seren Sarcinium. 505.
Sere riv. Sara Belgicæ II fluvius. 504.
Serviere Severacum caſtrum. 523.
Seſane Sezannia vel Sezania. 523.
Seſtre, aliàs S. *Sene*, Segeſtrum vel Sicaſtrum; à Monaſterio S. Sequani cognominatum. 518.
Sete aut *Cap de Sete* Setius mons. 523.
Sevre Savara vicus. 586. *le Ru de Sevre* Savara vel Savra flu. 506.
Sevre, nunc *Bellegarde*, Surregium. 540.
la Sevre Nantoiſe riv. Separis Namneticus. 526. *la Sevre Niortoiſe* Separis Niortenſis. ib.
Severy Savinacum vel Sabiniacum. 507.
Siagne riv. Cyaneus fluvius. 273.
Sichem Sichne 524.
la Sie riv. Seda. 116.
S. *Sigiſmond*, vel S. *Simon* Puteus S. Sigiſmundi. 151. 460.
Sintzich Sentiacum. 514.
Siole riv. Seulus, Sivolis, quibuſdam, in primis Savaroni & Sicauia. 524.
Sion, Germanicè *Sitten*, Sedunum aut Sedunum. 510. *le Sionois* pagus Sedunenſis. ib.
S. *Siphorien le Chaſtel*, necnon S. *Saforin* Ad S. Symphorianum. 615.
Sirex Sirca caſtrum, & caſtellum Sericum. 491.
le Siron riv. Sirio vel Serio. 527.
Siſteron Seculteto. 509. *le Siſteronois* pagus Seculteronenſis vel Segeſtericus. 579.
Sivarelle Silva rubra ad Albam. 281.
Sivray Severiacum in Turonibus. 523.
Sleſtad Helvetus vel Elcebus. 243.
Socas Succaſſes. 524.
Bois de Soigne Soniaca ſilva. 529.
Soignies vel *Sougnies*, Germanicè *Sennicx*, *Senogia*. 529.
Soiſi ſur Seine Soſiacum ad Sequanam. 529.
Soiſi ſur Eſcole Soſiacum ad Scolam. 529.
Soiſſons Auguſta Sueſſionum, Sueſſionæ vel Sueſſonæ, Cæſaris Noviodunum. 56. 57. 58. *les Soiſſonnois* Sueſſiones & Sueſſones. 536. 537. *le Soiſſonnois* pagus Sueſſionicus. 537.
Sole vel *Seule* Subola Vallis. 535.
Soleurre, Helvetiis *Solothurn*, Salodurum vel Salodurum caſtrum. 498.
Solignac vel *Solognac* Sollemniacum. 528.
Solone Salona. 499.
Sommieres Sumerium. 538.
la Somme riv. Sumina flu. Somena aliàs, & Sumona,

Fradis olim & Samara dictus, recentioribus Somona. 529.
le Sone Solonium vel Solo Allobrogum. 529.
Soanez Solonacenſis vicus. 146.
Sonne Sagona vel Soona caſtrum. 494. le Sonnois pagus Sagonenſis vel Soonenſis. ib.
Soreze Soricinium vel Soregium. 540.
la Sorgue riv. Sulga, vel Vindalicus amnis. 518.
Sos vel Sox Sotium vel Sotia, opidum Sotiatium. 530.
Soubise Solbiſia. 528.
Souillac Solliacum Cadurcorum 528.
Souilly vel Seully Solliacum in Ducatu Barrenſi. 538.
la Soulogne Secalaunia vel Segalonia. 509.
Sourre Saurciacum. 537.
Souſtancion Sextatio vel Soltantio. 351.
Souvigny Silviniacum. 526.
Soye Lopoſagium. 120
Spire, Germanicè Speir, Noviomagus Nemetum vel Nemetæ urbs, poſt Spiracia ac Spira dicta a fluviolo Spira, die Speyr aut Spier. 386.
Stat Kil Celbis caſtellum. 141.
Stavelo aut Stanlo, Stabulaus, Stablaus, aut Stabolau. 531.
Stenay Aſtenidum vel Satanacum. 48. 506.
le Sterel Sueltecorum regio. 536.
Stablon vel Eſtablon Stapulo aut Stablo. 530.
Straſbourg Argentoratum, quod ante annos mille Strateburgus dici cœptum. 41. 42.
Sueure Solobrium. 528.
Suippe riv. Supia, Sopia, vel Suppia. 519.
la Suiſſe, Germanis Schweitſerland, Helvetia. 243.
les Suiſſes, Germanice Schweitſer, Helvetii. 243.
Sully Soliacum. 528.
Surgeres vel Sugeres Surgeriæ. 540
Suſe, Italis Suſa, Segutio, Segutium, Siuſium, Siuſum. 511. 512. le Val de Suſe Vallis Segutina. 512.
la Suſe Seuſa. 523.
Suſter aut Suſteren Sueſtra. 537.
Suntgauw Sugintenſis pagus, Suentenſis aut Suentiſius. 538.

T.

Taillebourg Tabellicum, Talleburgus vel Taleaburgus. 542.
Talande en Auvergne Talamita. 47. le Talandois Comitatus pagusve Talamitenſis. ib.
Talart Alabons vel Alabonte. 7.
Talemond Turris Talemundi. 578.
Talemoy Thalametum. 478.
le Tallen, alias le pays de Taley, Tellau pagus, nec non Talou & Talogienſis pagus. 547.
Talmon vel Talemont ſur Garonne Tamnum. 502. 503.
Tancarville Tancardi vel Tancredi Villa. 541.
la Tarantaiſe Centronum regio vel Darantaſia. 144.
Tarare Tatatrum locus & mons. 543. 544
Taraſcon vel Terraſcon Taraſco caſtrum in Comitatu Fuxenſi. 543.
Taraſcon Taraſco Salyorum ad Rhodanum. 543.
Tarbe Turba vel Tarnis Bigerronum, alias Bigerra. 84.
le Tardenois aut Tartenois Tardanenſis pagus. 544.
le Tarn riv. Tarnis. 544.
Tec riv. Illiberis Græcis, Romanis ſcriptoribus Ticis, & Tecum. 251.
Teren, olim Tarte riv. Tara. 543.
Termes Thermæ caſtrum. 552. 553. Termenez ager Thermenſis vel Terminenſis. 553.
le Ternois riv. Tocna fl. qui & Terna & Tarna. 556 le Ternois pays pagus Comitatuſve Ternenſis aut Tarnenſis. ib.
Terouanne, Germanis Terwaen, Tarvenna Morinorum. 544. 545. le Terouannois Tarvennenſis pagus. 545.
Terra de Liora Tranſlero inſula. 273.
Tertry aut Teſtre ſur Daumignon Textricium ad Dalmannionem. 551.
Teſſender oo Toxandria locus. 558.
Tet riv. Ruſcino vel Thelis fl. 490.
Teullet Tutela caſtrum Albienſium. 578.
Teyſterbant Teiſtebantum. 550. 551.
Theminez Theminæ vel Teminæ caſtrum. 551.
Thibouville Theobaldi Villa. 479.
S. Thierri Cœnobium Oriente, vel S. Theoderici Monaſterium. 551.
Thionville, Germanicè Diedenhoven, Theodonis Villa. 551. 552
Thorolt Turboltum prope Brugias, quibuſdam Turholdis villa. 567.
Tiberville Teberti Villa. 275.
la Tierache Teoracia ſilva & pagus. 549. 550.
Tiern Tigernum caſtrum. 551.
Tienre ſur Arier Tenucera ad Alteiam. 182.
Tiſange Taifalia vel Teifalia vicus. 545.
Til aut Teil Tilidunum vel Tilium. 45.
Tillay le Godin Tilietum Godini. 546.
Tillay le Paineux Tilietum Paganeum. 546.
Tille Chaſteau, corrupte Trichaſteau, Tilæ Caſtrum, & Tilenſe Caſtrum. 554.
Tille vel Til riv. Tila vel Thilus. 554.
Tillemont, Germanis Tienen, Thenæ. 551.
Tilliers Tegulariæ caſtrum. 547.
Tin Tegna. 546. 547.
Tinchebray Tenerchebraium. 95.
Tivernon Tibernio. 546.
Tonay-Boutonne Tauniacum ad Vultonam fl. 545.
Tonay Charente Tauniacum ad Carantonum fl. 545.
Tonnerre Ternodorum. 550. le Tonnerrois pagus Ternodorenſis. ib.
Tongres, Germanicè Tongeren vel Tungren, Advaca vel Aduaca Tungrorum, quæ & Tungri. 566
Torigni Taurinicum vel Torinneium caſtrum. 546.
Tormente riv. Tormentum fl. 557.
Tornes Tornacenſis urbs Cenomannici territorii. 568.
Torns Saturniacus vicus. 45.
Touars Toarcis caſtrum. 555. le Toüarcois pagus Toarcenſis. 556
Toué aut le Toué riv. Toedus flu. 552.
Touillon Tullio caſtrum vel Tullium. 564.
Toul en Leucha Tullum Leucorum, quod & Leucia. 564. 565.
Toulon Telo Martius. 548. 549.
Toulouſe Toloſa Volcarum Tectoſagum. 619. 620. le Toulouſain pagus Toloſanus. 620.
Touque Tolca vel Toicha portus. 557. Touque riv. Tolca fl. ib.
la Touraine Turonicus pagus vel Turonia. 569.
Tournay, Germanis Dornick, Turnacum. 567. le Tournaiſis pagus Tornacenſis. 567.
Tournay Tornates. 524.
Tourne Troarnus vicus. 616.
Tournon Turno & Torno caſtrum. 569.
Tournon Tornomagus vicus. 146.
Tournus Tinurtium caſtrum. 554. 555.
Tours Cæſarodunum Turonum aut Turoni. 112 113.
Tours ſur Marne Turris vel Turres, necnon Turnus. 577.
Toury en Sologne Tauriacum. 546.
Toury en Beauſſe Tauriacum caſtrum. 546.
Touſſ vel Tuſſ Tuſiacum. 578.
Touvre riv. Tolvera fl. 557.
Traiuel vel Treynel Triangulus caſtrum. 561.
Trancoſt aut Trancaut Tranquillus vicus. 560.
Trelon Teriurnum vel Telonix. 550.
Treſme Trama vel Tremæ. 560.
Tre port Ulterior Portus. 616.
Trevas Trevidum locus. 560. Trevezels Trevidum flumen. ib.
Trevoux Treviri Gens Galliæ Belgicæ. 561.
Treves, Germanicè Trier, Auguſta Trevirorum, vel Treviri. 58. 59. 60.
Trez Troezen aut Treca, urbs Maſſilienſium in Provincia. 321.
Trie Trica, Trea vel Tria. 559. Trie le Chaſteau Trea Caſtellum: Trie-le-Port Tria Portus: Trie le Bardou Tria Bardoii. 331. 554.
la Trimouille, vel la Trimoille Tremolia vel Tremollia. 578.
Tröli Troſſelum. 546.
S. Trond, Germanicè S. Truden, opidum S. Trudonis, pleriſque Sarcinium creditum. 505.
Trouci ſur le Dellette Truccia vicus. 564.
Troveyre riv. alias Trieure, Triobris flu. 565.
Troyes Auguſtobona vel Auguſtomana Tricaſſium,

poſt Tricaſſæ, ac demum Treeæ. 562. 563. *Trojens* Tricaſſes, Tricates, aut Tricaſini, 562.
S. Tubert Atauta, ſive Celero aut Ceſſero ad Atautum flu. 655. 149.
Tuin Tudinum caſtrum. 564.
Tulle en Limoſin Tutela caſtrum, 578.
Turenne Toranna caſtrum. 557. *le pays & Vicomté de Turenne* Vicecomitatus paguſve Torinnenſis. 557.
Turgovv Turenſis pagus, Turgovia vel Durgaugia. 566.
le Turſan Tarufates, 545.
Tutderen by Sutharts Theudurum ſive Teudurum vicus. 167.
Ty vel *Diele riv.* Germanicè *Dyle*, Thilia aut Thila. 288. 504. 507.

V.

VAbres en Roüergue Vabrenſe caſtrum. 578.
Vvaes Waſda vel Waſa. 221.
Vaiſon Vaſio Vocontiorum. 587.
le pays de Vaivre, Germanicè *der Vouvart*, Vabrenſis pagus. 579.
La Val Madualis, vel Vallis, aut Vallis Guidonis. 582. 584.
le Val-Dun Vallis Duni. 583.
le Val de Gellone Vallis Gelonis. 583. Vide Gelio. 224.
le Val Vaſcons Valconis Vadis. 546.
Valeo, Vallis Carnutenſis vel Valleia. 583.
Valleeen Anjou Valiagia vel Valeia. 582.
Valence Valentia Segalaunorum. 581. *le Valentinois* pagus Valentinus. 581.
Valenciennes Valentianæ. 581.
S. Valeri les Plains, vel *S. Valeri en Caux* S. Walaricus in Planis. 627.
S. Valeri, Picardis *S. Vauary*, Leuconaus vel Legonaus. 274. 627.
le Valois Vadenſis pagus. 580.
Valmaigne Villa Magna. 629.
Vaognes Waconiæ. 627.
S. Vandrille, vel *Fontenelle*, Fontanella. 198.
Vanne aut *Venne riv.* Venena. 591.
Vannes Dariorigum, aut Veneti. 591. 592.
Vaucadone Ventadorum. 592.
le Var riv. Varus. 586.
Varax Varaſci. 585.
Varde Vuarandra. 629.
Varilles Varillæ. 583.
Varenne Guarenna vel Varenna. 237.
Varennes, item *Garennes* Varennæ. 586.
Vaſſy Vaſſiacum. 588 an Vvaſſicum. 630.
Vatan Vaſtinum. 87. 631.
Vateville Guatevilla. 237.
Vaucluſe Clauſa Vallis. 147.
Vaucouleur Vallis Coloris. 583.
Vaudemont Vadani Mons. 579.
Vaudray Vodogoriacum, vel Vogodorgiacum. 73.
la Vaur Vaurum caſtrum. 526.
Vauſſerre aut *Vvauſers* Valciodorum 581.
Vechtland aut *Vuiſſispurgergou* Aventicenſis pagus. 55.
Vcelle Occelia. 45.
Ve Vadum, caput pagi Vadenſis. 580.
le grand Vé Magnum Vadum S. Clementis. 580.
Vegre, aut certè *Avenne* Evena. 189.
la Vegre riv. Vegetia. 72.
le Velay Vellavi, aut pagus Vellavus. 597.
la Vêle riv. Vidula fl. 601.
Venaiſque aut *Venaiſſe* Vindauſca, quæ & olim Aëria, 609 *Comtat de Venaiſſin* pagus & Comitatus Vindauſcenſis. 610.
Vence aut *Vanze* Vintium Neruſiorum. 612. 613.
Vendereſſe Vindenſila villa. 612.
Vendeuil Vindolium aut Vindolium. 610.
Vendevvre Vendopera. 591.
Venaſeres Venſleræ. 600.
Vendoſme Vindocinum caſtrum. 610. *le Vendoſmois* pagus Vindocinenſis. ib.
la Venelle riv. Vernela fl. 34.
Ver, aut certè *Verneüil* Vernum Palatium. 594. 595.
la Foreſt de Ver Edobola ſilva. 185.
Verberie Verimbrea. 594.
Vercors Vocontius pagus, aut certè Vertacomicori Vocontiorum pagus. 617.
Verdun en Lorraine Virdunum aut Verodunum, Verunorum caput. 597. 598.
Verdun ſur Saone Viridunum caſtrum. 613.
Verſeu Viride Fontum caſtrum. 613.
la Vergne, Ugernum caſtrum. 601.
Vergy Virgentum ſive Vergiacum caſtrum. 613.
les Vermandois Veromandui vel Veromandi. 595. *le Vermandois* pagus Veromandenſis. 595.
Verneuil Vernoilum. 594.
Verneuil, ſur Oiſe Litanobriga. 281.
Vernon Verno. 594.
Vernon Vernotum in Secalaunia. 594.
Verpgni Verciniacum. 594.
Verton Vertavum. 597.
Vertus Virtudum caſtellum. 614.
Vervich aut *Vervens* Viroviacum. 614.
Verun Verbinum. 594.
Verzy, aut *S. Baſle* Virziacum. 614.
la Veſere riv. Viſera flu. 614.
Veſcence Viſontia. 615.
Veſoul Veſulium caſtrum. 600.
le Veuxin pagus Vellocaſſinus. 588. 589. *les Veuxinois* Vellocaſſes aut Velocaſſi. 588.
Vezelay Vicelacum. 601.
Viane, Germanicè *Vianden*, Vienna. 608.
S. Vian en Retz Stobrium vel Ad S. Vincentium. 465.
Vic de Bigorre Vicus Bigerronum. 84.
Vic Fezenſac Fidentiacum. 101.
Vienne en Dauphiné Vienna Allobrogum. 604. 605. 606. 607. 608. *le Viennois* pagus Viennenſis. 605.
Vienne le Chaſteau Vienna Caſtellum ad Axonam. 608. *Vienne la Ville* Vienna Villa. ib.
Vierzon vel *Virzon* Virho caſtrum. 614.
Vieux Poitiers Veteres Pictavi, aut Vetus Pictavis. 601.
Vigenne aut *Vingene riv.* Vincenna vel Vingenna fl. 478.
Vigneri Guenonicum. 238.
Vvik te Duerſtede Vicus Doreſtate vel Batavodurum. 76.
Vilaine riv. Vicinonia 602.
Ville en Selve, alias *Ville Serve* Silvacus Villa Regia. 524. 525.
Ville Franche Villa ad Francos. 609.
Villemeus Villemodis, Villa Molis, Vilemeldis. 45.
Villers, aut ut alii placet, *Valors* Villariacum. 609.
Vvilsenburg Vvitaburgus 612.
le Vimeu Vinemacus pagus. 612.
Vinay Ventia Allobrogum. 529.
S. Vincent d'Agenois Pompeiacum caſtrum 462.
Vingnoris Vangionis Rivus. 584. *Vingnoris* vel *Vinnetterre*, Vangio flu. ib.
Vire riv. Vira flu. 613. *Vire* Vira vel Viria caſtrum. 613.
Viſoir aut *Vigeois* Voſia. 625.
le Viſtre Nemauſus rivus 618.
Vitteſlem aut *Viteſteur* Vitteſleda flu aut Gunteſleda. 17. 115.
Vitré Vitreium caſtrum. 615.
Vitri Victoriacum villa publica prope Atrebatis. 632.
Vitry Vitriacum caſtrum in ſilva Atrebatenſi 632.
Vitre en Partois, vel *Vitre le Bruſlé* Victoriacum caſtrum. 632.
Vitrau Guitium caſtrum. 238.
le Vivarez pagus Helvicus, aut pagus Albenſis vel Vivarienſis. 245.
les Vivarois Helvii, Albenſeſve, aut Vivarienſes. 245.
Viviers Alba Helviorum, aut Vivarium. 245.
Vivois Bibiſcum. 83.
Viz ſur Aiſne Vicus ad Axonam. 602.
Vlaerdingen Fladirtinga. 145.
Voerden Niger Pullus. 10. 265.
la Voire riv. Vigera flu. 588.
le bois de Vouvre Vabrenſis ſilva vel Vvavra. 579.
Volorre Lovolautrum Arvernorum. 288.
Volnic Voloviacum. 621.
Voorburg Forum Hadriani. 77.
Vormes, Germanicè *Vvorms*, Borbetomagus Vangionum vel Vvormatia. 92. 93. ejuſque pagus Vvormacienſis & Vvormazfeld. 91.
Vormeſeele Formiſela 140.
Vouglay Voclade aut Voglade. 617.
Vouge Vongus vicus. 621.
Vonzon Volonnus vicus. 623.

la Voute Volta. 621.
Vouzans Volventum. 444.
la foreſt de la Voyge aut *Voyſe*, item *Montagne de Bourgogne*, Voſagus ſilva & mons. 622. *la Voſge* Vosagus, aut Voſagia, vel pagus Voſagenſis. ib.
Urſe Uzcium vel Uzeiacum. 615.
Uſerche Uſerca. 625.
Uſſeau vel *Huiſſeau*, item *Uxelles* Uxellum. 626.
Uſſon Ucio. 585.
Utrecht aut *Utrecht* Trajectum inferius aut Ulterius. 559.
Vuageningen Vada, vel Ad Duodecimum. 77.
le Vuallais & le pays de Vaux, Vallis, vel Vallis Pennina. 593.
Vuallons Noſtris, Germanis *Vualen & Vualker*, Vvallentes Belgæ ſeu Romani 624.
Vualcheren Vvalacria inſula. 627.
Vuarangeville Vuarengiſi villa. 629.
Vuart Vuarcus caſtellum. 629.
Vuaſter Vuaſtare. 192.
Vueſel vel *Ober Vueſel* Voſavia, pòſt Vuaſaliacum, demum Veſalia dicta. 623.
Vueſet aut *Viſet* Veſatum. 598.
Vvetteravv Vvedereiba aut Vuedrevia. 341.
Vuindiſch Vindoniſſa civitas. 611. 612.
Vuinterthur Vitodurum. 615.
Vuiſan Vvitſantum. 632.
Vy vel *Vic* Vicus in Lotharingia. 603.
Vy ſur Aiſne, Vicus ad Axonam. 601.
Uzes Ucecia, olim Vindomagus Volcarum Arecomicorum. 611. *l'Uzegues* pagus Uceciensis aut Uceticus. 611.

Y.

YBen Huben caſtellum. 247.
Yenne Etanna. 474.

Z.

ZUg, Noſtris *Soug*, Tugium caput Toligenorum vel Tugenorum. 558.
die Zuger Tougeni vel Tugeni. 557.
Zulick vel *Zulex*, Noſtris *Sonche*, Tolbiacum caſtrum. 556. 557.
Zurich Tigurum Tigurinorum caput, quod & Turegum & Turicum. 553. 554.
Zurich ſée lacus Tigurinus vel Turicinus. 553. *Zurichgow* pagus Tigurinus. 554.
Zuveibrucken Ad Duos Pontes. 185.

INDEX

RERUM ET OBSERVATIONUM.

A.

Magiſter Adamus arguitur. 378.
Aduatici qui, pag. 3.
Ædui qui. 3. 4. 5. cur Seguſianis clientibus ſuis poſtpoſiti. 4. 5. in duas provincias diſtracti. 5. 385. Æduorum clientes. 4.
Æthicus in Itinerario emendatur. 504. 626.
Agaunum Gallicâ linguâ ſaxum aut petra. 5.
Agedincum Senonum caput vocandum, non Agendicum. 6. Amphitheatrum habuit. 7. 332
Aimoinus arguitur. 63. 179. 228. emendatur. 245. 355. 593. reprehenditur. 395. 464. 495. 620. 623.
Alamanni Galliçani qui. 7. 8. 244. 498.
Alani Galliçani qui fuerint. 8.
Alba Maria vel Alba Marla a colore ſoli ſic dicta, ut & Maria vel Marla. 9.
Albechouva unde dicta. 9.
Albici, Albiœci, Reii, Segoreii, Ligures iidem. 9. 10. eorum urbs Albece vel Alebece Reiorum Apollinarium. ib.
Alcuinus emendatur. 81. cum Annalibus Bertinianis corrigitur. 182.
Aletàna dicta Guillelmo Brittoni Alamannia. 11.
Allobroges unde dicti ſint. 607. Allobrogum fines & ſedes. 608.
Alpecum vel Alpicus, *Aupec*, aliàs Albus Portus dicitur. 408. 409.
Alpes Maritimæ vel Liguſticæ quæ provincia fuerit, & quas urbes habuerit. 139.
Amanſus vel Amanienſis pagus ubi fuerit. 481. pagus Ammaviorum vel Ammoniæ etiam dictus. 550.
Ambibareti vel Ambivareti qui. 4.
Amficat vel Amficot, & Guiteflеda fluvius ac locus, unde nomen acceperint. 16. 17.
Ammianus Marcellinus arguitur. 1. 296. 299. 300. 475. explicatur. 293.
Amphitheatra urbium plerumque extra muros erant, a parte ſui Arenæ, aut Cavea Gallis dicta 618. & alibi paſſim. Hæc pro arcibus aut caſtellis majores noſtri habuere. 618.
Anagnutes qui & ubi extiterint. 17.
Andegavum urbem & Turonum, item Andegavim, Turonim, pro Andecavos & Turonos qui appellant, errare, & cauſa erroris. 19. Andecavenſis Eccleſiæ Archidiaconi, Archipreſbyteri, & Decani quot. 498.
Andelacum vocatur à Beda Andilegum vel Andelegum Monaſterium. 17. 18.
Andomatunum Lingonum, Andematunum cur Magnoni dictum. 10. 323. initia magnitudinis Epiſcoporum Lingonicorum. 20.
Andreas Cheſnius arguitur 516.
Andreæ Scnotti error. 41.
Animodus, Animundus, Anemundus, & Chanemundus unum nomen eſt, *Chamond*. 615.
Annales Bertiniani emendantur. 481. 508. bis 543. 627.
Annales Mettenſes emendantur. 495. 564.
Antipolis cur ita dicta. 24. in Deceatibus condita. ib.
Antonii Altaſerræ error. 309.
Antros inſula Mellæ, annon Antrum inſula. 25.
Antuverſæ ſeu Andoverpi Marchia ante annos DC. 21.
Apollinaris Sidonius emendatur. 53. 544. explicatur. 546.
Apollodorus emendatur. 125.
Apta Julia cur ita dicta. 27.
Aquægrani Roma dictæ a Carolo Magno, & Palatium ejus loci Lateranæ. 28.
Aqua Sparſa a re cognominata. 27. qui nunc vocetur. ib.
Aquam Noſtri olim *aive*, & *eve* ac *ive* dixere, quam Vaſcones & Arverni *aygue* & *ague*. 372.
Aquitaniæ unde nomen. 32. Aquitania Juliana dicta ab Auguſto. 32. dicta & Vaſconia impropriè. 33. ex una in duas, deinde in tres provincias diviſa. 33. à Gallia ſæpe diſtincta. ib.
Arar veteribus dictus, non Araris. 34. quando Sauconna vocari cœperit. 34. error in eo Ammiani & Vibii. ib.
Arauris flu. an & cur Cyrta dictus ſit. 5. 35. Eravus recentioribus vocatus. 35.
Arciſiſi pagi tres, qui. 36.
Arda à paſcuis dicta. 36. 37.
Arduenna & Voſagus ſilvæ Regiæ olim fuere. 37. in his Carolus Magnus & Ludovicus Pius venari vere & autumno quotannis ſoliti. 37. an idem privatis licuerit. ib.
Arebuticum vel Arebrigium Æthici, quid ſit. 84.
Arelaunus ſaltus & vicus ubi. 40.
Arelatum celebre olim emporium. 38. à Conſtantino Maximo nova urbe, & ponte navali auctum. 38. 39. Conſtantina ab eo dictum. 39. ſedes Præfectorum Prætorii Galliarum. 39. ibi Amphitheatrum, Circus, Palatium, portus. ib. Regnum Arelatenſe planè imaginarium fuit. 106. 107. 108. 608.
Argenteus fluvius a colore aquarum cognominatus, ut Alba. 199.
Argentoilum, pòſt Argentolium dictum, *Argenteuil*. 409.
Argentoratum cur Strateburgus dictum ſit. 42. mendosè vocatur Argentina. 42. Vangionum, an Caracatum fuerit. ib.
Arialbinnum quid. 42.
Aritium quid. 42. 43.
Ariſtoteles arguitur. 499.
Armorica primùm inter Ligerim & Sequanam ſita erat. 43. 44. poſtea pro ſola Britannia Ciſmarina ſumi cœpta. 44. ejus incolæ Procopio mendosè Arborychi, Belgis Tranſiequani dicti. 43. 44.
Arola flu. Arar etiam dictus. 498. pagus Arolenſis Aragaouve & Ergouve priſcis dictus, nunc Aragovia ſeu *Aergeuw*. 498.
Arrianus emendatur. 512.
Atanacum extra urbem Lugdunum olim fuit, locus ara Auguſti, ludis Miſcellis, amphitheatro, & veteri Monaſterio clarus. 49.
Atrebatium civitas an Origiacum primò, deinde & Nemetacum dicta ſit. 51.
Atteiæ, *Attes*, ab Atteio dictæ, in Pariſiis & in Viromanduis. 409. Atteiolæ *Attioles*. 409.
Attiliacum *Attilli* 409.
Attuarii in Gallia qui, & ubi fuerint. 51. 52. Attuariæ dux in Gallia. 52.
Aturenſium civitas Vicus Juli, & Vicus Julienſis dicta. 53.
Avaticenſes ad dicendam cauſſam aliò evocari non poterant. 86.
Avaricum Biturigum dictum à fluvio Avara vel Avera,

Teute, 85. Amphitheatrum & Palatium habuit ac turrim, Romana opera, 86. fuit Metropolis Aquitaniæ primæ, & caput Regni Aquitanici, 86. ob id Epiſcopi ejus dicti Patriarchæ, & Aquitaniarum Primates, ib.
Audoenus non intellectis Cæſaris verbis deceptus eſt, 63. 269. arguitur. 381. explicatur, 567.
Augusta Auſcorum a Gallis Climberrum vel Climberris olim dicta. 67.
Augusta Sueſſionum, cum Augusta Veromanduorum, Augusta Tricaſtinorum, & Augusta Auſcorum, Colonia Romana videtur fuiſſe. 57. Palatium & amphitheatrum ſeu Caveam habuit, 58.
Augusta Trevirorum, diu domicilium Imperatorum Rom. fuit. 59. Curiam ſuam ſeu Senatum, cumque ſplendidiſſimum habuit. 59. 60. Palatium vetus, & Palatium Dagoberti, quod Horreum dicebatur, Circum item, & Capitolium, & Campum Martium, ac Amphitheatrum. 60.
Augustobona & Augustomana Tricaſſium, Vindobona & Vindomana una res eſt. 562. Manum bonum ſignificat, ib. Augustobona vel Augustomana eadem urbs quæ Tricaſſæ. 563.
Augustodunum cur dictum Flavia. 61. Mænianas ſcholas, templum Apollinis, Capitolium, Palatium, & Senatum ſuum habuit. 62. caput Æduorum, & ob id Ædua vocabatur, 63.
Augustonemetum dicitur à Plinio civitas Galliæ Arvernis. 46. differt à Gergobia Boiorum & a Gergovia Arvernorum, 46. quando & cur Clarus Mons dici cœperit, 47.
Aulerci Diablintes qui. 65. 66.
Aureliacum *Orly*. 409.
Aureolus avis icterus à colore dicitur, *Loriot* Noſtris pro *l'Oriol*. 316.
Auſonius emendatur. 74. explicatur, 179. cur Lugduno infeſtiſſimus ac iniquiſſimus. 292. 295. arguitur. 448. explicatur, 619.
Auſtria Ortiva Francia, 68. ejus Regibus, quid in Gallia, quid trans Rhenum pareret. 68
Auſtrasii dicti non Franci modò Orientales, ſed etiam Saxones ortivi ſeu Oſtfali. 68.
Auſtria poſtea vocata Regnum Lotharii vel Lotharingia. 69.
Autiſſiodurum cum Aurelianis cur Regno Burgundiæ Fredegarius attribuerit. 69. 70. unde nomen acceperit. 70. cur a quibuſdam credatur Autricum dictum. 71.
Autuenna Æthico dicitur caſtrum S. Manechildis. 72.
Axona vel Exona, *Eſſone*, villa olim Fiſcalis. 409. 410. ibi Junna nomine mutato Axona dici incipit vel Exona. 410.

B.

BAganſonisſus pagus quis. 71.
Baia portum & ſinum maris olim ſignificavit, *Baye* Noſtris, *Bes* Scotis dicta. 262.
Baiocaſſes vocantur a Plinio Vidiucaſſes, Viducesii à Ptolemæo, & urbs eorum Argenus vel Aregenus. 74.
Barrenſis Ducatus IV. Conventus juridici. 98.
Barrum priſcis Gallis portus. 75. unde nomen habeat, ib. Barra repagulum ante annos DC, 355.
Baſcones, Baſclones, Baſclenſes, & Baſcli ac Vaſcli, nec non Vaſculi ac Vaſci, una Gens, pars Vaſconum, quos *Baſques* vocamus. 262. eorum regionem Baſcloniam & Baſconiam Giraldus & Guibertus; Noſtri *le pays des Baſques* ac *la Biſcaye* appellitant. 262.
Batavia ſeu Batua Bedæ Friſia citerior, aliis Friſia abſolutè dicta. 77.
Baudemundus arguitur. 381.
Bautæ Æthici quid. 83.
Beccus vel *Bec* Francis rivus, Germanis *pach* vel *bach*, Flandrenſibus *beke*. 118. 264. 393. 471.
Beda arguitur. 558. 559. 631.
Beda vicus veterrimus Betaſiis vel Bethaſiis aut Vetaſiis nomen videtur dediſſe. 77.
Belenatenſis mons quis. 77. 78.
Belendi Plinii qui. 524.
Belgarum quæ Gentes ſub Julio Cæſare fuerint; quæ & quot ſub Auguſto. 78. Belgicæ quot Provinciæ. ib.
Belgica unde dicta ſit. 79.
Belgium apud Cæſarem quid. 79. 80. Belgæ propriè dicti qui. ib. Belgii erant Bellovaci & Atrebates. 80.
Belica Sequanorum. 78. ſedes Epiſcopatûs ante annos MC. ib.
Bellatoreſtius arguitur. 212. 496.
Bellovacenſis ager, *le Beauvaiſis* vulgò dictus, quas partes habeat. 79. 80. 447.
Bellovacorum civitas Bratuſpantium Cæſari, pòſt Cæſaromagus, demum Bellovaci dicta, 113. origo Comitatus & Pariatus Bellovacenſis. 114.
Belſæ omnis tres, Carnutina, Dunenſis, Piſiverenſis. 81. 82.
Belſinnaca inſula quæ. 81.
Benearnenſis pagus vel Bierna Aquitaniæ Ducibus paruit. 82. 83.
Bercorcates Cæſaris qui. 524.
Bergerius arguitur. 181. 469. 470.
Bergiſtrum Æthici quid. 83.
Bernardus Guido vel Guidonis arguitur. 522. 523.
Bibrax oppidum Remorum, quid fuerit. 469.
Bituriges Cubi, vel Biturici, *Bidaux* Froiſſarto dicti. 449.
Blaſco & Agatha una eademque inſula. 6.
Brecenſis pagus vel Brechtehouva unde nomen acceperit. 89.
Bocharti conjectura improbatur. 607.
Bodinus arguitur. 580. 629.
Boii Celticæ qui. ſeu quæ eorum ſedes. 104. Boii transgarumnici a Boatibus differunt. 329.
Bollandus arguitur. 517.
Bonogilum ſeu Bonolium villa fuit Regia ad Matronam in Briegio, *Bonneuil*. 410.
Bonnæ unde nomen. 91.
Bot & Bod Gallis altitudo. 185.
Bracbanti incolæ à Sigeberto non ſemel Bratuſpantes, ineptè & mendosè dicti. 93.
Braia caſtrum, *Braie Comte Robert*, non Comitiva, ſed dominium fuit. 402. à braio id eſt luto nomen accepit, ut & Braiacum *Bray ſur Marne*. 411.
Braia in Gallia nomen a luto accepere. 94. 95.
Brannovices & Brannovii qui. 4.
Brexia dicta a ſaltu Brexio. 96. duplex Brexia, Cabillonenſis & Sapaudica. ib.
Briegius vel Brigenſis pagus Bedæ Brige dicitur. 96. à ſaltu cognominatus, ib. quinque eſt ex parte populorum a. Dioceſeon, 97.
Brigantio Caturigum fuit. 97.
Briovera olim dicebatur caſtrum S. Lautonis aut Laudi. 98.
Britanniæ Ciſmarinæ nomina, & origines. 98. 99. Brittania olim dicta, & incolæ ejus Brittani, ac Brittones. 99. 100. Brittanorum limes vel Marca Brittaniæ quid. 100. Britannorum Capitanei vel Primores, munitiones, & incisa. 100. Dux Britanniæ Comes Redonenſis dictus a capite regionis. 468.
Brouveri errores. 49. 310.
Brucia unde dicta. 102. Brucia vel Brocia Gallis veteribus ſilva. 411.
Bruceſella à luto cognominata. 102.
Bruxellæ & Flandrenſe municipium vel Flandræ, unus locus. 103. eo in caſtro Harenæ olim ſeu Amphitheatrum. 103.]
Buchananus arguitur. 93. 628.
Bullio caſtrum dicitur à Gerberto Bublio. 103.
Burbo uterque unde nomen traxerit. 104. Burbonenſis pagus in IV. parœciis eſt poſitus. ib.
Burdigala unde nomen traxerit. 88. de ſitu Burdigalæ. ib. Burdigalæ filiæ olim quæ. 500. Amphitheatrum ejus, quod Palatium Gallieni dicitur. 502. Palatium Tutelæ. ib. ejus magnitudo. ib.
Burgaracum vel Bugaracum eſt Bacharacum. 105.
Burgundiæ prioris Regni provinciæ & civitates. 105. Burgundiæ poſterioris Regni regiunculæ & urbes. 106. quando & quo jure hoc poſterius Regnum Reges Germaniæ ſibi vindicaverint ſub Regni Arelatenſis nomine. 106. de Burgundia inferiore ſeu Regia 106. 107. pagi ejus Burgundiæ aliquot. 510. Burgundiæ hujuſce Epiſcopatus tres. 584. Burgundiæ

Comitatus cum Sapaudia, Dalfinatu & Provinciâ ac Marchiâ Provinciæ Imperio accenſeatur. 621.
Burgundiones trans Ararim cur ſaſli ſaltive cognominentur. 271. 497.

C.

CAbillonum portam Sequanicam habuit, & templum Divibavonis. 522.
Cadrellæ vel Kadrellæ, *Charolles*, dictæ quaſi Quadrellæ. 461.
Cadurcorum inventum culcita, ut tomentum Lingonum; ob id Cadurcum dicta. 110. Cadurci feneratoribus nomen ſuum dedere, qui Cauſini vocati *Caorſins*. 111. Eorum caput Divona cur dicta. 111. non Uxellodunum. 111.
Cæreſi & Pæmani Cæſaris, qui. 112.
Cæſar emendatur. 180. arguitur. 243. explicatur. 244. emendatur. 344. 494. explicatur. 502. explicatur & emendatur. 513. 566. emendatur. 586. 588. 589. 592. 593. 599. 617. 619.
Cæſarodunum Turonum ſitum in dextra Ligeris ripa adverſo fluvio navigantibus. 112. Auguſta Turonum vocari non debet. 113. Martinopolis vel Caſtrum Novum quid ibi olim fuerit. 113.
Cala, villa Calenſis, alias Kala, Bedæ Cale, recentioribus Chela & Chelæ. 411. ibi à 11. Regium Monaſterium Virginum extructum. 412. Villa fuit Regia. ib.
Caletos & Velocaſſes Julius Cæſar Belgis adnumerat, & Strabo: ambos Auguſtus Celtis adſcripſit, & poſt eum omnes Geographi. 115. Caletorum fluvii, & eorum curſus ac nomina. 116 117.
Calvus Mons & Calidus Mons idem. 118.
Camaracum opidum Nerviorum & caput videtur fuiſſe. 119. Camaracenſis Diœceſeos loca præcipua. 329.
Cambiovicenſes tabulæ Theodoſianæ, an Combrahenſes. 120.
Campania Gallica Ducatus olim fuit. 121. multo quàm nunc major. 121. 123. maxima ex parte Auſtriæ Regno contributa: cetera Burgundiæ erant. 121. unde nomen habeat Campania. 121. poſt Comitatus & Patriatus fuit, VII. ſub ſe Comites Pares habens. 122. urbes ejus. 121. 122.
Camponi Plinii qui. 524.
Capanna quid. 124.
Capella S. Audoeni, *S. Ouen lez Paris*, villa olim Regia. 412.
Capitolium, Campus Martius, Palatium, Amphitheatrum, Circus, & ſimilia opera cur in coloniis Romanis viderentur. 149.
Capraſia, *Chevreuſe*, caſtrum Pariſiorum unde nomen habeat. 401. ex dominio Ducatus. ib.
Carbonaria ſilva pars Arduennæ fuit. 126. Neuſtriam ab Auſtria diviſit. 126. ejus partes, ibidem. unde nomen acceperit. ib.
Carcaſſonenſis Epiſcopatûs prima mentio facta in Concilio Narbonenſi. 126.
Carceres ad portas urbium plerumque erant. 132.
Carenton vel Carento ad Matronam, *Charenton*, locus ante annos DCCC. notus. 412.
Cariliacum villam publicam ad Iſaram fl. quidam falsò pro Criſciaco ad Saram habent. 127. 128.
Carnutum civitas Autricum à fl. Autura dicta quaſi Auturicum. 128. Carnutum & Carnotum à quibuſdam malè appellatur. 129. Carnutina Diœceſis maxima. 129. plures in Carnutibus pagi. ib. in Eccleſia Carnutina VI. Archidiaconi, quot in Aurelianenſi, quæ & Carnutum eſt. ib.
Caroli Vennacus ita dicta ſit, *Chalevane*. 412.
Carpentoracte à Romanis Forum Neronis dicebatur. 129.
Carrucæ & Carrogium, antè Quadrigiæ, *Carrouges*. 461.
Caſaubonus arguitur. 97. 171. 172.
Caſnus pro quercu, & caſnetum ac caſnedum pro querceto. 461.
Caſtellio parvum caſtellum ſignificat, ut caſtellum parvum caſtrum. 131.
Caſtra, *Chaſtres ſous Montlehery*, unde nomen traxerint. 402. 402. ex caſtris Romanis aliqua caſtella & opida etiam facta. 401. 402. Caſtra Urbienſia Caſtrenſi pago nomen dedere. 402. Caſtra *Chaſtres en Brie*. 402.
Caſtrenſis pagus quis. 131.
Caſtrilucium primò dixere, poſt Caſtrilocum Montes in Hainoo. 133.
Calvaria Æthici quæ. 83.
Catalaunorum civitas Noviomagus Vadicaſſium olim dicta. 137. origo Comitivæ & Patriatûs Epiſcoporum ejus. 138.
Catellus arguitur. 188.
Catonis & Sempronii error. 123.
Catuaci apud Cæſarem in libro II. pro Aduatici vel Atuatici. 5.
Cauda *la Queuë*, caſtrum Pariſiorum cur ita dicta. 403.
Cavares quas urbes habuerint. 35. 36.
Cebenna ſcribi vocarique debet, non Gebenna. 140. 141. Græcis Cemmenus mons, & Cemmeni montes, Avieno Cimenus. 140. Cebennæ multos pagos dividunt in ſuperiores & inferiores. 215. à Rhodano ad Garumnam pertinent. 590. Cebennæ Lucano quis locus. ib.
Celtas à Belgis dividit Matrona; non dividit, ſaltem exactè, Sequana fluvius interior. 313.
Cenomania olim Ducatus fuit, ut & Campania Gallica, olim poſtea utraque Comitatus fuerunt. 64.
Centrones Cæſaris in Belgica, qui. 144.
Centum Nuces, Sugerio Centinodium, *Cennois* aut *Sanois* Pariſiorum vicus. 413.
Johannes Jacobus Chifletius arguitur. 190. 207.
Chora fluvius eſt *la Cure*, Chora vicus Abbatia inſignis, eradicitus, *Cure*. 145.
Chromolæ Pariſiorum vicus, *Segnolles*, cur ita vocetur. 413.
Circii venti nomina. 123.
Citheriſta promuntorium, quid ſit. 146.
Civitas Æduorum, civitas Biturigum, Lingonum &c. apud Cæſarem, Plinium, Tacitum, Frontinum, totum agrum vel fines Æduorum, Bit. Ling ſignificat. 270. 564.
Civitates in Notitiis Galliæ memoratæ, olim ſede Epiſcopales omnes non fuerunt. 65.
Claudianus emendatur. 200.
Clippiacum ſuper Sequanam, *Cliche la Garenne*, Clippiacum Superius vel in Alneto, *Cliche en l'Aunay*, vici Pariſiaci pagi. 414.
Cluniaci nomen Celticum. 148.
Cluverius arguitur. 72. 75. 117. 200. 234. 249. 263. 264. 361. laudatur 361. reprehenditur. 383. 455. 510. 545. 556. 566. 596. 607. 629.
Cocoſates Cæſaris & Plinii qui. 524.
Codex Theodoſianus emendatur. 146.
Colonia Equeſtris cur ita dicta ſit. 149. in Helvetiis, non in Sequanis fuit. ib. Gallis vocabatur Noiodunus vel Nividunum. 149. numquam ſedes Epiſcopatus extitit. 150.
Colonia Trajana dicta & Caſtra Ulpia, & Triceſima vel Ob-Triceſimam. 150.
Combelli, *Combeaux*, unde dicti ſint. 415.
Comitatus pro pago, pagus invicem pro Comitatu ſæpe accipitur. 52. ſingulis pagis ſuus fermè Comes præerat. 260. 547.
Comites ante annos DCCCC. Pares, item Pares Comitum dicti. 114. Comites iidem qui Conſules. 547.
Condate Martini morte clarum ad Vingennam ſemper fuit. 151. Condate nomen Celticum confluentes ſignificat. ib.
Convenæ unde orti atque deducti, & B. Hieronymi in eis error. 157. 158. Lugdunum Convenarum poſt ab Berthrammo Epiſcopo & reſtitutore ſuo novum nomen accepit. 158. 159.
Contionacum idem quod Cruciniacum. 164.
Corbolium vel Corbolium, *Corbeil*, caſtrum Pariſiorum. veteris ante annos DCC. Comitatûs caput. 403. bifariam à Sequana diviſum in Caſtrum Corbolium & Vetus Corbolium. 403.
Cormiliæ vel Cormeliæ, *Cormeilles en Pariſis*, unde nomen acceperint. 415. 416.
Corroiacenſis pagus à Flandra vel pago Flandrenſi olim diſtinguebatur. 161.

Confluentes caſtrum, *Coblentz*, villa Regia fuit Principum noſtrorum. 155.
Conſoranni apud Plinium in Aquitanica, & Conſuaranni in Provincia Narbonenſi iidem. 155.
Conſorannorum urbs cur Auſtria dicta ib.
Conſtantia ante dicta Crociatonum vel Crouciaconnum Uncllorum aut Venellorum. 156.
Conſtantius emendatur. 425.
Contraginnum, vel Contraginum, quod poſtea caſtrum Calnacum vel Calmacum. 157.
Coquillius laudatur. 91. 92. 104. arguitur. 170.
Corbeia fluvius Corbeiæ caſtro nomen dedit. 159.
Corbonia vel Corbonenſis pagus unde nomen traxerit, & ubi fuerit. 160.
Corliſus pagus quis. 160.
Cortis & Curtis, & nonnumquam etiam Curia improprie ſumta pro villa vel vico. 241. 247. 416. 419. 428. Curtem cur dixerint pro Regia. 247.
Coria ſilva, *Cuiſe*, vico ſeu villæ Coriæ, *Cuiſe*, nomen dedit. 161.
Criſciacum vel Creciacum in pago Pontivo, villa publica aut Regia olim fuit, ut & Creciacum ad Saram. 162.
Criſtolium vel Criſtoilum *Creteil*. 416.
Crodoldus fluvius eſt *le Crou*. 163. ejus curſus. ib.
Crota flumen unde nomen traxerit. 163.
Cularo vel Gratianopolis Allobrogum eſt, non Vocontiorum. 165. fons Gratianopolitanus. 165.
Cumbæ, vel Cumbæ Villa, *Combs la Ville*, vicus Pariſiorum unde nomen habeat. 415.
Curioſolites mendoſè Corioſopites & Coriſopites à recentioribus dicti. 166.
Curva Via vicus Pariſiorum, *Courbe Voye*, à re nomen habet. 416.

D.

DAlecampii error. 36.
Dalfinatus à Dalfinis Comitibus ſuis nomen accepit. 168. Delphinatus corruptè recentioribus dictus. 168 607. ejus pars Provinciæ, pars Sapaudiæ olim attribuebatur. 168.
Darantaſia Centronum ſedentibus Romæ Leone & Symmacho nondum Metropolis fuit. 144.
Dea Vocontiorum, Dia Stephano dicitur. 169. Liviæ conſecrata. 169.
Deceates qui. 22. 23.
Deonandi vel Deonanti unde dicti circumcelliones quidam, & dæmones quoque, vulgò *Deantres*. 170.
Deppa villa & portus. 257. Deppa fluvius. 116. 117. 257.
Dia Sontiontiorum vel Sentiorinium & Bodiontiorum caput. 171.
Diogilum, poſt Duolium, *Dueil*. 416.
Dion emendatur. 85.
Dioſcorides emendatur & arguitur. 502.
Diva fluvius & locus, Deva olim dictus. 172.
Divio ab Aureliano ornatus templis, & novis muris munitus. 172. 173. unde nomen acceperit. 173. Ab eo palatio ſuo Duces Burgundiæ dicti ſunt Duces Divionenſes. 173.
Divodurum Mediomatricorum unde dictum. 173. Amphitheatrum & Palatium habuit. 174. ſedes Regum Auſtraſiorum xi. per annos circiter CLXX. 174. Metropolis hæc urbs cur nonnunquam dicta, & ejus Antiſtites cur Archiepiſcopi vocati. 174.
Donincum vel Donengium eſt *Donlens*. 176.
Dordingum villa olim Regia. 176.
Drahonus tenuis Auſonio dicitur, qui parvus Rhodanus Fortunato. 176.
Dulcumenſis pagus vel Dolomenſis ac Dulmenſis, vulgò *le Dormois* dicitur. 178.
Dunenſis lacus Fredegario quis. 178. 184.
Dunxerca unde dicta. 178.
Duranius vel Dordonia à II. fontibus Doe & Dona nomen non accepit. 179.
Duria villa Regia Regum olim noſtrorum, *Duren*. 180.
Durocortorum Remorum Amphitheatrum olim & Palatium habuit. 181. veteres portæ ejus. ib. quando Remenſes Epiſcopi Comitatum urbis & Monetam habuerint. 181. 182.

E.

EBorolacum & Evrogilum idem. 184.
Ebroduuum Caturigum olim pro Metropoli habitum fuiſſe non videtur. 159.
Edera fluvius, *Jerre*, Ederæ loco & Monaſterio nomen dedit. 417.
Eginhardus arguitur. 448.
Elena vicus apud Sidonium eſt *Lens*. 186.
Elena quando ſedes Epiſcopatus facta ſit. 186.
Eliſchouva à qua re nomen habeat. 14.
Ela flumen *Ille* aut *l'Ille* nunc dicitur. 187.
Eluſa amiſſo Epiſcopatu, jus ſuum Metropolitanum Epiſcopatui Auſciorum urbi tranſmiſit. 188. ab Eluſione vel Eluſione differt. ib.
Engilinheimium villa olim Regia Regum noſtrorum fuit. 188.
Ennodius, vel potiùs Eubodius Ticinenſis Epiſcopus emendatur. 172.
Epao vel Ebao qui locus fuerit. 608 609.
Erneginum *Eragnes* vulgò dicitur. 189.
Ernodorum, id eſt Ernonis aquæ: durum enim vel dorum Gallis aqua. 189. vulgò dicitur *S. Ambrois ſur Arnon* à ſepulcro S. Ambroſii Caducenſis Epiſcopi. ib.
Errici Monachi errores. 11. 63. 70. 192. Erricus emendatur. 425.
Eſcuina vel Iſcuina, aliàs Sciona vicus, *Eſcoiben* potiùs quam *Eſſone* videtur eſſe. 417.
Eſtevenans & *Langones* ſunt Stephanenſes vel Divionenſes, & Lingonici nummi. 279.
Eumenius arguitur. 319.
Evoriacas vel Eboriacum, Beda à pago in quo ſitum eſt, Monaſterium Brigenſe & Brige appellavit, *Faremonſtier*. 190.
Euſtathius emendatur. 123.
Eutropius explicatur. 243.
Exona vicus aut Axona, *Eſſone* nunc Noſtris eſt. 190.

F.

FAlcetus arguitur. 178.
Faleſia unde nomen habeat. 191.
Faræ unde nomen, & à quibus acceperint. 192.
Ferrariæ cur Abbatia Regalis dictæ. 193.
Firmitas Balduini, eadem quæ Firmitas Adelbaidis. 194. 195.
Firmitas, Noſtris locus firmus & munitus, & muris clauſus. 194. 195.
Flandras & Flandrenſe municipium Audoënus Brugas vocavit: unde nomen Flandræ vel Flandriæ regioni. 103. 195. 196. Flandriæ incolæ olim Flandrenſes, poſt Flandri, Flamiones & Flamingi. 196. Flandria olim multo quam nunc minor. 196. 221.
Flecchia cur ita dicta. 197. eadem Fliſca, Fixa, Fiſſa, Fliſchia nuncupata. ib.
Flori error. 23. 29. 232. Florus emendatur. 232. 335. 357. 382. arguitur. 512. 538. 553.
Floriacum & Fontanella loca fiſcalia fuere. 197. 198.
Fors & for olim Noſtri dixere pro foris vel extra. 543.
Forenſis pagus *le Forés* aut *le Forets* ſcribi debet, non *le Forez*, ut plerique nuncupant. 200.
Fortunatus emendatur. 49. 54.
Forum Domitii à Cn. Domitio Ahenobarbo dictum. 199. vulgò *Frontignan* vocatur. ib.
Forum Julii Octavianorum Colonia, non Octavanorum, ut Pincianus, Scaliger, Lipſius, Sirmundus, aliique ſcribi jubent. 200. Amphitheatrum habuit, ut & Arelatum. 200.
Foſſatum, Foſſata, & Foſſati, vel Caſtrum Bacaudarum *S. Maur de Foſſez*. 404. 418. Foſſatum quid ſignificet. 404. S. Mauri Foſſatenſe Monaſterium Regalis ſemper fuit Abbatia. 404.
Franci unde dicti. 210.

Franci in duos modò ordines, Clericorum & Laicorum vel ſæcularium, maiorum & minorum diuiſſimè divisi. 485. 486. Seniores Franci qui. 484. 485. 486 quando in tres ordines Franci dividi cœperint. 486.
Franci promiſcuè appellati Chriſtiani Occidui, qui in Syria ſedem ceperant. 210.
Franci omnes militabant. 209. omnes immunes erant. 209. 210. Francorum exercitus quid. 209.
Franci pernices inprimis ac agiles erant. 210.
Francia altera trans Rhenum, Germania, Sicambria, & Barbaria nonnunquam dicta, altera cis Rhenum, in Auſtriam Neuſtriamque diviſa. 200. 201. Franciæ appellatio jam ante annos mille Neuſtriæ magis quam Auſtriæ adhærere cœpit. 201. Neuſtriâ imminutâ, regio inter Sequanam & Moſam Francia vocata. 202. Francia quando diviſa in Orientalem & Occidentalem. 202. 203. Franciæ Occidentalis ſeu noſtræ varia nomina. 203. Francia Occidentalis vel noſtra, Francia propriè & abſolute dicta. 203. 204. Franciæ Orientalis appellatio quamdiu Germaniæ & Lotharingiæ inhæſerit. 204. 205.
Franconia olim Francia Orientalis quoque, & ſæpe abſolute Francia, Auſtria, Oſtrofrancia, & Francia Teutonica dicta. 206. 207. in duos Ducatus diviſa, Ciſrhenanum & Tranſrhenanum. 206. 207. 208. cur ante annos mille Francia Orientalis, & Francia abſolute vocata ſit hæc Germaniæ regio, pars veteris Alamanniæ. 208.
P. Franciſcus Chifletius, Johannis Jac. Chifletii frater, arguitur. 245. 246. 280.
Francus & Francorum ante annos DCCCL. unum nomen erat. 208.
Francorum nobiliſſimi lege Salica utebantur, & ob id Salici vocabantur. 207. 208.
Francorum Regna, & Francorum Regum variæ ſedes. 227. 228.
Francorum Villa, *Francourville*, & Romana Villa, *Romainville*, unde nomen habeant. 418.
Fredegarii errores. 101. 184. 227. 181. Geſta Pippini Francorum Regis Fredegario a quibuſdam falſo attribuuntur. 563 Fredegarius emendatur. 615.
Fredegodi error. 464.
Friſia citerior uſque ad Scaldim fl. 221.
Frodoardus arguitur. 269. emendatur. 368.
Frontiacum cur ita dictum. 212. cur Caſtellum Franciscum ab Eginhardo appelletur. ib.
Furoni villa olim publica Regum Francorum. 212.

G.

GAbales & Gabali promiſcuè dicti, ut Turones & Turoni, Carnutes & Carnuti, &c. 213.
Galliæ IV. provinciæ primùm fuere, Belgica, Lugdunenſis, Aquitania, & Narbonenſis. 296. Galliæ Lugdunenſis, ſeu Celticæ propriè dictæ fines. 296. Celtica, vel Gallia Lugdunenſis diu unam provinciam habuit, poſt II. ac deinum quatuor. 297. quid in provinciis Galliæ tribus Auguſtus mutaverit. 297. 298. Aquitaniæ fines, & Belgicæ, ac Narbonenſis. 297. 298. quando Viennæ provinciæ ſui nominis caput facta. 299 quando Alpes Graiæ & Penninæ, & Alpes Maritimæ Gallicanis provinciis acceſſerint. 299. 300. Conſtantinus Maximus de V. aut circiter Galliarum provinciis XIV fecit. 300. poſtea XVII. provinciæ factæ. 300. 301. diviſio Galliarum in Gallias & Septem provincias. 301. in Gallias & V. provincias. 302. in Citeriorem & Ulteriorem. 301. in tres Gallias. 297. in Galliam Comatam & Braccatam. 297. XVII. Galliæ provinciis ſeptem adjunctæ. 302. 303. XXIV. Galliarum provinciæ, & earum civitates. 303. 304. XV. provinciæ ac Metropoles intra Regnum Francorum, IX. extra Franciam Metropoles ac provinciæ. 304. Galliarum civitates Archiepiſcopales & Epiſcopales CXX. intra Regnum Francorum, XXXII. extra. 305. variæ Galliæ diviſiones. 305. Gallia a Francia diſtincta. 305. 306. Galliæ Gentes & urbes quot olim fuerint. 306. Britannia inſula & Hiſpania Galliarum nomine continebantur. 307 Galliæ cum Hiſpania comparatæ præcedentia. 307. 308.
Galliæ civitates ſuum ſingulæ Senatum olim habuere. 59
Galli ut ſub Romanis, ſic ſub Francis tributarii permanſere. 2 9.
Galli omnes Celtæ primùm dicti. 296.
Gallorum Dii, & loca ab eis cognominata. 359.
Gallorum ac [illegible]rmanorum veterum lingua eadem fuit. 368. 5[illegible]
Gallici maris varia nomina, varii ſinus. 215. 216. 217. cur dictum ſit mare Græcum. 216. dictum eſt nunnunquam ex parte mare Leonis. 217.
Gallici Oceani nomina & ſinus. 218. 219.
Ganda Brachanto olim attributa. 221.
Garumna apud Gerundam vicum incipit dici Gerunda, *Gironde*. 222. mare cognominatus, ut & Duranius. 222. ejus curſus, & tres gradus. 223. in oſtio turris Cordubenſis. 223.
Garumni Garumnæ naſcentis accolæ, non effluentes. 221.
Gaſſendi errores. 146. 546. 549.
Gavachi qui Hiſpanis dicantur. 213.
Gauniſſa vetus in pago Pariſiaco vicus. 418.
Gelteaſes etiam Gelauni nuncupati. 224.
Geminiacum, Gemelacum & Gemblacum idem. 224. 225.
Genabum, Cenabum, Cenapum, Genapum Carnutum, poſt dictum eſt Aureliani, & quare. 225. 226. malè a quibuſdam Aurelia. 225. Genabum & Aureliani una urbs. 226. Genabum non eſt Giemum. ib. Aureliani an in Regno Burgundiæ & caput ejus fuerint. 228. Regni ſedes & caput per annos XIII. tantùm fuere. 228 Genabenſes ſive Aurelianenſes unde Guepini dicti. 228. unde Canini. ib. Aurelianenſis Diœceſeos Archidiaconatus VI. pagi & loca præcipua. 228. Carnutinæ Diœceſeos pagi. 228 229. Aurelianenſes quo die Hunnorum manus evaſerint. 229.
Geneva, Genabenſis urbs, & Genua, ac Gebenna quibuſdam dicta. 229. Aurelia & Colonia Allobrogum nunc malè vocatur. 113. 229. Sedes aliquot tetrarcharum. 229. ſedes Epiſcopatus Anneſium tranſlata. 229. 230.
Gentes & urbes fluminibus non exactè terminantur; ſed ſæpe eorum ripas tranſgrediuntur. 88. 113. 115. 165. 331. 482. 564. 589. Gentis unius in Gallia duo aut etiam tria capita nonnunquam fuerunt. 567. Gentes Galliæ liberæ unius generis fuere. 597.
Gentiles Homines apud Francos qui. 333.
Gentiliacum, *Gentilly*, an villa Regia principatu Pippini eſſe potuerit. 419.
Germania I. & Germania II. unde dictæ. 230 quos populos ambæ provinciæ continerint. 230. 231. Germania ſuperior & inferior Auguſti principatu facta 298.
Gervaſii Darovernenſis Monachi error. 134.
Gervaſius Tilberienſis arguitur. 119. 533.
Geſoriacum Morinorum quando dici cœperit Bononia. 232. quando Epiſcopalem ſedem habuerit. 231. adſitum Litori Saxonico. 233. ad Elnam fl. ſeu Lianam. ib.
Geſta Dagoberti recentiora, & magna ex parte corrupta, atque fabuloſa ſunt. 464.
Geſtorum Francorum auctor arguitur. 149. 217.
Geturnicenſis urbs quæ. 234.
Giſlenſium Comitum origo. 234.
Glaber Rodulfus arguitur. 225. 228. 618.
Glannativa, vel Glannateva aut Glamnateva, ſincerum urbis nomen ac vetus. 235.
Godeli Vintienſis Epiſcopi error. 143.
Gornacum caſtrum Pariſiorum, *Gournay ſur Marne*, feodum Pariſienſis Epiſcopi. 404. Pons Gornacenſis. 404. 405.
Graicum caſtrum eſt *Grey*. 236.
Gravenengarum origo. 237.
Gregorius Turonicus Epiſcopus emendatur. 122. 449 arguitur. 227. 291. corruptus. 340. 555. 559. 598.
Gruterus arguitur. 472.
Guallardus vel Gaillardus petulans Noſtris ante annos CCCLXXX. 215.
Guelleboth vel Quellebotum, Elbotum. Melbodium unde nomen traxerint. 218.
Guibertus Novigenti Abbas arguitur. 208.

Guillelmus Armoricus emendatur, 134. arguitur. 182.
Gunduſi Villa quæ. 258. 259.
Gaudiacæ villa *Genſaintville* unde nomen traxerit. 420.
Guisa, Guiſia, Goysia, Guigia caſtrum una res eſt. 259.

H.

HAbulum, vel *Aber*, Anglis *Hawen*, Noſtris *Havre*, quid olim ſignificaverit. 210. 211.
Hadrianus Junius arguitur. 249.
Hainoum, Hainau, Haginoum & Haginoia, Hagnavum & Hagnau, una res eſt. 240. nunc mendoſe Hannonia vocatur. 240.
Ham Germanis veteribus & Francis vicus. 240. omnes in Gallia Hammi, vici fuere à Francis conditi & appellati. 241.
Hammolant vel Hammelant, pòſt dicta Hollandia. 342.
Heriſtallium vel Heriſtallium colonia Francica fuit, *Herſtal* id eſt militaris manſio. 242.
Helmoldi error. 378.
Helvetii duas in partes diviſi, & pars Auſtriæ, pars Burgundiæ Regibus attributi. 244.
Helvii, Helvi Plinio, Ilvi aliàs, a Cæſare, Plinio & Ptolemæo adſcripti provinciæ Romanorum. 244. Alba Helviorum ante annos MC, Vivarium & Vivaria dici cœpta. 245.
Henrici Valeſii fratris mei ſententia probatur. 372.
Hieronymus Surita arguitur. 562.
Hirtius emendatur. 449. 528.
Holſtenius arguitur. 60. 130. 509. 581.
Hoſſeia, vicus in Briegio, *la Houſſoye*, ab hoſſo vel aquifolia nomen invenit. 420.
Hugo Floriacenſis Monachus arguitur. 395. 610.
Hunefleotum & Harefleotum priùs dicta a Fleot vel Fleatum eſt ſinu maris, quæ pòſt Huneflotum & Hareflotum. 241.

I.

JAc. Brolius arguitur. 266. 440.
Jcius portus Stapulæ. 249. ab Jcius nomen habet. 249. 250.
Iculiſma, quæ pòſt Ecoliſma. 250. cur devia dicta Auſonio. ib. an Ageſinatium caput fuerit ib.
Illiberis vel Iliberris fluvius, Latinis ſcriptoribus Thicis & Tecum, vulgò *Tec* dicitur. 251.
Imperatores Romani intra Gallias in locis & regionibus Rheno propioribus cur plerumque morarentur. 357.
Johannes Olivarius arguitur. 114. 222. 503.
Johannes Pariſienſis arguitur. 90.
Joh. Triſtani error. 187.
Joiacum, *Jouy*, pago *Joſas* nomen dedit. 420. *Joiaci* Joviacum, an Gaudiacum dici præſtet. 420.
Jonas in Vita B. Columbani emendatur. 602.
Jordanes arguitur. 121. 578.
Joſephus Scaliger arguitur. 5. 21. 48. 60. 61. 74. 82. 83. 90. 130. 137. 179. 188. 212. 222. 229. 244. 245. 271. 299. 314. 315. 337. 375. 381. 384. 387. 515. 519. 520. 566. 567. 588. 591. 597. 606. 613. 619.
Ipra caſtrum Flandriæ nomen ſuum fluvio acceptum refert. 254.
Iſara fluvius dictus & Eſia. 101.
Iſciacum vel Iſſiacum *Iſſy*, olim villa fiſcalis. 420.
Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus emendatur. 295. arguitur. 381. 448. 512. 538. 607.
Iſidorus Mercator vel Peccator arguitur. 606.
Julii Scaligeri error. 255.
Juliobona Caletorum, Deppa à flumine poſtea cognominata. 256. Juliobonam Sigebertus, Ortelius Vitalis, Turnebus & Maſſonius falſo pro Illebona habent. 254. nunquam Epiſcopatus ſedes fuit. 257. Betto Epiſcopus Juliobonæ, cui urbi præſederit. ib.
Junius Juvenalis arguitur. 512. explicatur. 607.
Junna & Exona vel Ilona idem fluvius. 257.

L.

LÆtia vel Letia locus Monaſterio clarus in Nerviis, a Lætis ſeu Letis eò tranſlatis cognominatur. 260.
Lacus & ſtagna maritima provinciæ Narbonenſis. 267.
Lambertus Schafnaburgenſis in Chronico emendatur bis. 621.
Lapurdum, pòſt civitas Boatium in Tarbellis, demum Baiona vel Baiona dictum. 261. 262.
Latara caſtrum vel Latæ, dictum eſt & caſtrum Paludis à ſitu. 263.
Laticenſis pagus in Lingonibus *Lacois* vel *Lecois*, 279. 280.
Latiniacum *Lagny* unde dictum. 420. Bedæ notum. ib. Latiniacum alterum dicitur *Lagny le Sec*. 421.
Latobrigi Cæſaris qui. 263.
Lecceniia vel Leccentia ſilva apud Aimoinum quæ. 266.
Ledia ſilva dominica ante annos DCLX. & vicus S. Germani in ſilva Ledia villa Regia jam erat. 266.
Lemanus lacus, lacus Lauſonius vel Loſannenſis, & mare Rhodani dictus. 265. longitudo ejus & latitudo. 229.
Lemburgenſis Ducatus origo. 267.
Lemovices Armoricani apud Cæſarem, pars ſunt Oſiſmiorum, qui nunc Leonenſes dicuntur. 269.
Lemovicis ſeu Ratiaſto ſuum olim Amphitheatrum, ſua olim moneta. 268.
Leodia vel Leodica ſilva ea eſt, quæ nunc Aurelianenſis dicitur. 270.
Leodicum fuit olim villa publica Regum noſtrorum, unde & nomen habuit. 271. Leudica, Ludivaca, Legia, & Leodium dicitur. ib.
Leria fluvius cur Sigmas dictus ſit à Ptolemæo. 129.
Lerinus inſula dicta Straboni Planaſia a planitie. 272.
Lero, Lerone, vel Lerus, inſula S. Margaritæ dicitur. 273.
Letolia vel Lexobia, quam urbem Epiſcopalem Britanniæ minoris in Oriſmiis fuiſſe aiunt, fabuloſa. 191.
Letia fluvius in Tungris eſt *Leſch*. 260.
Leti vel Læti in Gallia qui. 259. 260. Leticus pagus à Letia fluvio cognominatus. 260. Letia fluvius, & Legia, & Lidus, Liſa etiam ac Lilium dictus. 260.
Leucata à Maſſilienſibus nomen ſuum accepit. 274.
Leuteva Forum Neronis olim nuncupata, ſicut & Carpentoracte. 274.
Lexovienſis pagus, pagus Liſvinus, & Liſiacenſis, atque etiam Livinus olim dictus: unde pars ejus hodieque *le Lieuvin* nuncupatur. 275.
Liger in nominativo veteres dixere, non Ligeris. 277. ejus curſus. ib. Turciæ Ligeris *les Turcies de la Loire* 278. Ligeris latitudo. 500.
Ligures Tranſalpini vel Galloligures qui 22. 23. Ligurum Tranſalpinorum ſeu Galloligurum gentes & urbes. 22. 23.
Limonum vel Lemonum Pictonum quæ urbs fuerit. 449.
Lingones à Plinio & Ptolemæo cur ponantur in Belgica. 279. Archidiaconatus Eccleſiæ Lingonicæ. 279. 280. Epiſcoporum Lingonenſium potentia. 280. quando Comites. 281. quando ex Comitibus Duces facti ſint. 280. quando Pares dicti 280. Lingonibus attributi pagi. 281. oppida & caſtella Lingonum. 280. 281. Lingonenſium Epiſcop. magnitudinis initia. 21.
Liphus arguitur. 551.
Liutprandi error. 345. 346.
Livius emendatur. 518.
Locus Sanctus, *Lourſain*, villa olim Regia. 422.
Lomenſis & Loſſenſis Comitatus aut pagus, unus idemque eſt. 282.
Lotharii Regnum à quo Lothario nomen acceperit. 284. Regni Lotharii civitates claræ, Comitatus ac pagi. 284. 285. nomina ejus. 285. 286. in Regno Lotharii vel Lotharingia duo Ducatus maximi conſtituti, Ducatus Moſellanorum, & Ducatus Ribuariorum,

Ribuariorum; ambo Ducatus Lotharingorum ex æquo dicti. 286. 287. de utroque Lotharingiæ Ducatu. 286. 287. 288

Lucani verſus emendatur. 30. 536. ejuſdem verſus excuſſus. 580. explicatus. 590.

Lucoſaum quid. 289.

Lugdunum Seguſianorum Colonia Romana cur dicatur. 291. à quo deducta Colonia. ib. Lugduni nominis origo & interpretationes variæ rejiciuntur. 292. Lugdunum bis incenſum. 292. Lugduni Moneta & Amphitheatrum, & ara Auguſti. 292. ibi Seviri Auguſtales olim, & negotiatores vinarii. 292. Auſonius cur inter Claras urbes Lugdunum omiſerit. 292 Lugdunum caput & initium Galliarum Lugdunenſium 293. Lugdunum prima ſedes Galliarum, nimirum Lugdunenſium. 293 Epiſcopus Lugdunenſis cur dictus Patriarcha. 293. ibi oppidum vel caſtrum S. Juſti quid. 294. Lugduni ſcholæ publicæ. 294. Lugduni Amphitheatrum, & Theatrum vel ſcena. 295. ibidem Palatium. 295. Forum Vetus vel Forum Veneris. 295. Lugdunum patria Pontii Pilati. ib.

Lugdunum Clavatum vel Cloatum, poſtea Leudunum & Laudunum dictum. 290 quando Epiſcopatus evaſerit. ib. Bibrax oppidum Remorum apud Cæſarem, an ſit Laudunum. 291. caput olim Regni, & ſedes Regia. 291.

Lunna vel Ludna Æthici, Bellus Jocus, aut potiùs Bella Villa. 48.

Lupera, vel Luperæ, Luvræ, & Loveriæ, *Louvres en Pariſis*. 422. Lupara vel Lupera, *le Louvre*, unde nomen acceperit. 422.

Lupicinæ, *Louveciennes*, unde dictæ. 422.

Luzarca vel Luſargiæ, caſtrum Pariſiorum *Luſarche*, 405. inter feoda Pariſ. Epiſcopi. ib.

Lutecia Pariſiorum parva primum & in inſula poſita, 439. quando ſuburbanis aucta ſit, & Palatio, Thermis, ac Amphitheatro ornata. ib. ſuo Regibus noſtris crevit. 439. ab Hugonis poſteris ex ſimplice triplex facta ib. Lutecia vel Lutitia appellanda eſt, non Lutetia. 439. 440. unde dicta Lutecia. 440. cur & quando navem inſtructam pro inſigni habuerit. 440. Pariſii dicta. 440. de ſexto in tertium ac demum in ſecundum ordinem Senoniæ locum honoris causâ tranſlata. 440. ab ea Reges noſtri Reges Pariſiorum dicti. 441. Luteciam ad Sequanam & Matronam ceu nondum junctos muri potuere. 441

M.

MAceriæ unde dictæ. 311.

Madricenſis vel Madriacenſis Comitatus à fluvio Mandra vel Ma'dra nomen non accepit. 313. quibus fluviis irrigetur. 323. ejus pagi fines. ib.

Magalona, Alonis inſula & urbe Maſſiliæ dicta Stephane 312. inſula vocata & Sogerio pro peninſula. ib.

Magno arguitur. 268. 448. emendatur. 491. 589 ſuum cuique Genti caput exemplo Ptolemæi adjungere conſuevit. 491.

Manſiones cur horrea ſæpe dicerentur ſtante Imperio Romano. 555.

Manum veteribus Romanis idem fuit quod bonum. 562.

Marcheſneium & Lacus Niger locus idem eſt. 315.

Marciani Capellæ error. 6.

Marcodurum vicus Ubiorum, Marcomagus, & Dura vel Durta, locus unus eſt. 180. 315. 316. *Duren* nunc dicitur, villa olim publica Regum noſtrorum. 180.

Marka vel Marchia provincia unde nomen acceperit. 316. 317.

Marilegium, *Marley*, villa fuit Regia Regum Francorum 316.

Marlianus arguitur. 13. 44. 46. 56. 85. 115. 177. 187. 244. 249. 268. 334. 337. 340. 369. 376. 387 389. 554. 566. 591. 617.

S. Martialem Aquitani & Septimani S. *Marſau* & S. *Marcel* etiam vocitant; Latini ſcriptores quidam ſimiliter S. Marcellum. 500.

Maſſilia quorum in agro condita ſit. 318. 319. unde dicta. 319. Amphitheatrum ſuum habuit. 319 Maſſilienſium Coloniæ. 320. quid eis poſt captam Maſſiliam ademerit Julius Cæſar, quid reliquerit. 321. Maſſilia Græcorum cognominata, & regio Maſſilienſium Græcia, & mare quod Provinciam & Gothiam alluit, mare Græcum. 319. 321. Provincia Maſſilienſis ſub Merovei poſteris quæ. 319 Catapius Maſſilienſis quid ſignificet. 322. Maſſilienſium mercatorum navigationes 322.

Maſſonus arguitur. 13. 21. 31. 56. 65. 74. 147. 177. 178. 188 222. 225. 241. 254. 256. 261. 262. 270. 275. 276. 387. 395. 415. 494. 520. 525. 545. 551. 590. 596. 603. 606. 609. 610.

Mauriaci campi vel Mauriacenſes a campis Catalaunicis differunt. 324. nomen eis dedit Mauriacum *Mery*. ib.

Maurienna cur & quando ſedes Epiſcopatûs facta ſit. 324. 325.

Maurilio & Maurilius, Brictio & Brictius idem. 350.

Mauripenſis vel Morivenſis pagus eſt *le Hurepois*. 326. qui & ubi pagus hic fuerit. ib.

Medrolanum vel Mediolanenſe caſtrum, pòſt Magdunum ad Averam dictum. 332.

Mediomatrici Rhenum olim attigere. 328 ſocii Romanorum fuere. ib. dicti poſtea Metenſes. 328.

Meduli vel Medoli Alpina gens. 328. Meduli ad Garumnam & Oceanum. 329. oſtrea Medulica. 329.

Melſacenſis pagus vel Meſacenſis Comitatus, aut pagus Madalgicus, *les Mauges*, cujus ſit Diœceſeos. 330. 332. ex parte Pictavenſis, ex parte etiam aliqua Andegavenſis parœciæ fuit. 508.

Meldorum urbem Ptolemæus Jatinum, quidam Meledus, alii M[illegible]iacum & Meldum corrupte dixere. 331. majoris Eccleſiæ urbis vetus titulus. ib. quando Canonici ejus Eccleſiæ & Canonici Eccleſiæ Pariſiacæ res ſuas ab Epiſcopalibus ſecreverint. 331. hæc urbs Amphitheatrum olim habuit. 332. Portes IV. & eorum nomina. 332. 333. Viarum urbis veterum nomina. 332. 333 Diœceſeos Meldenſis loca. 333.

Melodunum, Michtanum caſtrum, & Mielitq, & Meciedo, & Meclerum, & Milido dictum eſt. 334.

Memmate vel Mimmates qui & quando, poſthabito Anderito Gabalorum, ſedes Epiſcopatûs evaſerit. 214 cur Memmate in Arvernia nuncupetur, ſicut & Podium. 213.

Menapiorum ſitus & ſedes. 335. 336.

Merula arguitur. 262. 606.

Metioſedum apud Cæſarem differt à Meloduno. 337. quid ſit. ib.

Metropoles in Galliis ſingulæ ſub Imperatoribus Romanis Profeſſores Græcos Latinoſque Grammaticæ & Rhetoricæ habuere, & aliæ quædam claræ urbes, quales Auguſtodunum, Toloſa, Maſſilia, Pictavi 205.

Mettis ſcribi debet, non Metis. 174.

S. Michaelis Monaſterium ad Duas Tumbas dictum, & quæ ſint Duæ Tumbæ. 338.

Middelburgus unde nomen habeat. 627.

Miates, iidem qui Gentiles Homines. 333.

Miræus arguitur. 150. 266. 271. 282. 509. 558.

Medunum vel Meldenum, *Meudon*, unde nomen acceperit 421. Metioſedum Julii Cæſaris. 337.

Mogontiacum a Mogo vel Mogono ſl. dictum non eſt. 340. caput Tribocorum. ib. nunquam fuit ſubjectum civitati Vangionum 341. Archiepiſcopi Mogontiacenſis ſumma ſemper in eligendo Rege Germaniæ auctoritas. 341.

Moilla Comitatus, pagi & caſtri nomen prope Haſbaniam, vulgò *Moha*, alias *Mohaut*. 341. 342.

Molanus reprehenditur. 342. 266. 267.

Monaſteriola loca in Galliis a re nomen habent. 342.

Monetus arguitur. 475. 476. 504 [illegible].

Monaſteriolum ad Icaunæ & Sequanæ confluentes; Condate olim dictum. 344.

Monaſteriolum ad Mare cur ita dictum ſit. 342 caſtrum Regium erat. ib. Bragum priùs vocabatur. 343.

Mons Argilus olim Vellaunodunum Senonum. 345.

Mons Berulfi, idem qui Mons Brunus. 345. differt à Monte Nigro in Lemovicibus. ib.

Mons Contorius, Mons Conſularis etiam dictus. 346. 347.

Mons Gemellus, item Mongimel, vulgò *Lonjumeau*, unde nomen habeat. 414.
Mons Lethetici, *Montlehery*, caſtrum Pariſiorum, & feudum Epiſcopi Pariſienſis 406. Mons Lethericus & Lehericus corrupte appellatur. 407.
Mons Mercurii, & Mons Martis olim vocabatur, qui pòſt Mons Martyrum ad Lutetiam, *Montmartre*, 424.
Mons Maurentiacus caſtrum Pariſiorum quam validum olim fuerit, *Montmorenci*. 407.
Mons Peſſulanus ante annos DXXX. ſtudiis medicinæ floruit. 351.
Mons Taxonis, *Mont Teſſon*, à taxonibus vel blarellis cognominatus. 424.
Mons Titelauri unde nomen habeat. 353.
Montes Noſtri vocavere caſtella & oppida in montibus poſita, additis variis cognominibus, quibus diſtinguerentur. 344. 353. 354
Montiacum, *Mouy en Pariſis*, unde dictum. 423.
Monticelli, *Moncеaux*, unde dicti. 423.
Montium varia variis a rebus cognomina apud Noſtros. 354. 355. 356.
Morinorum in litore montes vel aggeres arenacei, duni dicti. 357. 358. Morinorum pagi. 359. Morini, extremi hominum & orbis, impropriè aut potiùs falsò dicti. 359. anſeribus abundarunt 359.
Mortuum Mare non unum Noſtris dictum pro Mortua Mara vel Mortua palude. 360.
Morvinnus pagus a Morvinno vico locove cognominatus. 360.
Moſa vicus, *Meuſe en Baſſigni*, fonti Moſæ fl. adjacet. 361.
Moſani pagi varia, eaque priſca nomina. 361. 362. pagi Moſani appellatione quid olim deſignaretur. 361.
Moſella vel Moſula fluvius dictus quaſi parvus Moſa vel Moſa minor. 362. pagi vel Comitatus Moſellani varia nomina. 363. qualis hic pagus fuerit. ib. Ducatus Moſellanorum quid deſignaverit. 363.
Mota & monticulus una res eſt. 364. loca parvis montibus impoſita, Motæ dicta. 364.
Muſſa caſtellum Galliarum apud Socratem; quid ſit. 366
Muſmagenſes qui in Notitia Imperii Rom. 364

N.

NAmneticus Comitatus & pagus à Comitatu Britannico cur olim diſtinctus. 368.
Namucum, pòſt Namurcum dictum. 368. priùs Manucum vocabatur, ib.
Nantuates, Nantogilum, & Nantuadis a rivo aquæ decurrentis, qui nant dicebatur, nomen acceperunt. 368 369.
Nantuates qui fuerint. 369.
Narbo Martius dictus à Martia Decima legion. 369. Colonia Julia, ib. emporium habuit, Amphitheatrum, Capitolium, & Monetam, ac Baphium. 370. Bebryces circa Narbonem habitarunt. 370. Narbone Palatium Novum fuit. 371. Eccleſiæ Narbonenſis Archidiaconi. 370.
Narbonenſis Gallia in provincias quinque diviſa. 371. Mare Narbonenſe. 371.
Naſium Leucorum à Nanceio differt. 371. 564.
Nemaulus fons vel rivus Nemauso urbi nomen dedit. 618. Hic fluviolus *le Viſtre* nunc dicitur. 618. Nemauſus Colonia Amphitheatro & Baſilica Plotinæ illuſtris fuit. 618.
Nemetacum Æthici, an ſit caput Atrebatium. 51.
Nemetodorum vel Nemtodorum, *Nanterre*, an villa olim Regia. 415.
Nemus oppidum unde nomen traxerit. 372.
Nervii an Oceanum attigerint, & de eorum duobus capitibus. 367. 368. quæ eorum ſedes. 358.
Neuſtriæ & Auſtriæ nomina quando nata. 372. ambæ Francia dictæ, & ab Aquitania ac Burgundia diſtinctæ, ib. Neuſtria, quæ & Neuſter & Neptricum, Vveſtria vocari non debet. 373. Auſtriæ à Monarchis totius Franciæ prælata. 373. Neuſtria ſemel atque iterum imminuta, & pro provincia Lugdunenſi II. ſive Normannia demum ſumi cœpta. 373. Neuſtriæ Ducatus hic inter Sequanam & Ligerim, Ducatus Francorum ſæpe dictus. 373. de Neuſtriæ Auſtriæque finibus. 374
Nicæa ab aliis Italiæ, ab aliis Galliæ Narbonenſi attributa. 374. cur ita dicta. ib. urbs fuit Provinciæ à Vitige Francis conceſſæ. 374. quando Comiti Sapaudiæ ſe dediderit. 374. Nicæa ad oſtium Paulonis fl. 375. à Nicæa Latinum ethnicon Nicenſis, ut à Phocæa Phocenſis. 375.
Nicetas Choniates arguitur. 449.
Nicolaus Ægidius arguitur. 212. 402.
Nigella unde dicta. 375. domus Nigellenſis Lutetiæ. ib.
Nitachouva, vel Nithagouve, aut pagus Nitenſis à Nita fluvio. 376.
Nithardi error. 41. 42. Nithardus emendatur. 341. arguitur. 389. 542. 565.
Nitiobriges vel Nitiobroges, iidem qui Aginnenſes. 376.
Nortmannorum, & Danorum, ac Suethidorum origines & nomina. 377. 378. Nortmanni noſtri orti Sueonibus vel Suionibus, qui pòſt Nortmanni, ac demum Norvvagenſes dicti ſunt. 378. Nortmanni noſtri, Dani, Cynocephali, & Bigothi appellati, item Norvvegenſes & Norici. 379. a Carolo Franc. Rege anno DCCCXCVI. collocantur in Neuſtria, quam Nortmanniam vocavere. 380. eorum Principes, ſæpe Comites, ſæpius Duces Nortmannorum Noſtris dicti, ac etiam Marchiones. 380. Nortmanniæ longitudo ac latitudo. 484.
Notitia Imperii Rom. emendata. 89. 164. 181. 232. 503. 549.
Notitiæ Galliarum quales ſint. 520. unâ exceptâ Sirmundianâ, omnes corruptæ ac recentiores. ibid. Notitiæ Galliæ quatuor à Cheſnio editæ arguuntur. 545.
Novempopulanæ provinciæ novem populi qui. 380. ea provincia pòſt Vaſconia dicta à Vaſconibus qui ibi conſedere. 381. Vaſcones à Vaccæis differunt. 381.
Novigentum vel Novientum villa ad Sequanam; S. *Cloud*. 425. Novigentum villa Regia *Nogent ſur Marne*. 425.
Novigentum in veteribus codicibus ſæpe Novientum ſcribitur. 383.
Novilіacum vel Nobiliacum, *Neüilly* vel *Nully ſur Marne*, ſeu *Nulis aux Plaids*. 426.
Noviodunum Æduorum, quod & Nivernum vel Nevernum à fluvio Nivere cognominatum. 383. 384. 385. Nivernenſis pagus latiùs patet Diœceſi Nivernenſi. 385.
Noviomagus Tricaſtinorum urbs apud Ptolemæum, non eſt *Nyon*, ſed *S. Paul de Tricaſtin*, Auguſta Tricaſtinorum Plinio dicta, & caput Gentis. 60.
Noviomagus Veromanduorum Palatium ſuum habuit. 387. cur Noviomagenſium Epiſcoporum inſigne duo baculi Epiſcopales. 387.
Nocetum, villa olim Regalis, *Noiſi le Grand*: & Nucetellum *Noiſiel*, & Nocetum Superius, *Noiſi le Sec*, aliaque unde dicta ſint. 426.

O.

OBrinca fl. an differat à Moſella. 389.
Octavianus Ferrarius reprehenditur. 291.
Otornenſis pagus ab Odorna vel Orna fluvio cognominatus. 389.
Olitria vel Audriaca villa quæ. 390.
Oia inſula non eſt *Oye* vel *l'Iſle de l'Oye*, ſed *l'Iſle d'Ieu*. 390.
Olbenarii error. 53.
Olbia, quæ pòſt Arex. 101.
Olna fluvius, Olena & Olina recentioribus. 391.
Olivarius fluvius ubi. 392.
Opidanis communicatem habentibus Major, & Pares ſeu Scabini fuerunt. 446. item leges, reditus, & arcæ communes cum ſigillo. 453.
Opidorum in provinciis Imperii Rom. VI. genera ac velut ordines. 24.
Oratorium Ferrariæ, *Oſoir la Ferriere*, & Oratorium

in Bellovacis, *Orver*, & Oratorium in Arvernis, *Oradour*, à re nomen habent. 427.
Orontius Vitalis arguitur. 256. emendatur. 45. 547.
Orofius emendatur. 553.
Ortelius arguitur. 64. 138. 380. 581. 610.
Oſcarenſis pagi, à fluvio Oſcara ita dicti, fines. 394.
Oſiſmii vel Oſiſmi Gens provinciæ Turonicæ, & Oximi provinciæ Rotomagenſis locus, confunduntur à multis. 395. 495. Oſiſmiorum urbes Epiſcopales. ib.
Oſiſates ab Oſiſa vel Oſido flu. dicti, *l'Oiſe*. 31. 32.
Oximus vel Oximi an ſedes Epiſcopatûs fuerit. 395. 396.

P.

PAlatiolum *Palaiſeau*, villa olim Regia, unde nomen habeat. 427.
Palatium quæ urbs Galliæ, & Petrus Epiſcopus de Palatio, cujus urbis Antiſtes fuerit Meſſalla V. C. Conſule. 197.
Panvinius arguitur. 158. 261. 316. 490. 605.
Pares ſibi ſuos habuere Duces, Comites, Epiſcopi, ac parvorum etiam opidorum Domini. 182. Pares Franciæ 221. & eorum ordo. 180.
Pariſii, Tricaſſes & Meldi, ſinguli per ſe Galliæ populi fuere, non pars Senonum. 398. Pariſii unde nomen habeant. 399. Pariſiacæ Eccleſiæ tres Archidiaconatus, & ſex Decanatus rurales quos vocant. 405. Pariſienſis Epiſcopi ſeoda. 403. 406. clara caſtella pagi Pariſiac. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. de claris vicis pagi Pariſiaci à pag. 408. uſque ad paginam 418.
Patriciacum, *Precy* vel *Peret*, unde nomen acceperit. 441.
Perticus ſaltus pago Perticenſi nomen dedit. 443. quot ad Diœceſes hic pagus pertineat, & quot dividatur in partes. 444.
Peronna vel Perrona, villa olim Regia. 442. cur Perrona Scotorum dicta ſit, & ejus Cœnobium *Scotorum Monaſterium*. 442.
Petrverius caſtrum à fluvio ſuo nomen accepit, *Pitiviers*. 445. nomen dat pago Petiverenſi, *le Potiverais*. 10.
Petra Ficta, *Pierre Fite*, unde dicta. 427.
Petra Lata, *Pierre Lée*, unde nomen traxerit. 427.
Petrocorii unde dicti. 445
Petromantalum eſt Medunta, *Mante*, non autem Pitiæ. 446.
Petrus Pithœus arguitur. 74. 563. 588.
Philippum Auguſtum Guilielmus Armoricus Philippum Magnanimum cognominare ſolet. 194.
Phocæa Maſſilienſium patria, dicta eſt & Phocis. 318.
Picardiæ & Picardorum nomen quando & ubi natum. 447. cauſa nominis. 447.
Picardiæ pagi majores ac minores, & viii. Diœceſes. 447. 448.
Pictavi, olim Auguſtoritum, *Poitiers*. 448. malè Pictavium & Pictavia vocatur pro Pictavi. ib. ejus incolæ Pictavi, Pictavici, & Pictavenſes dicendi, non Pictavientes. 448. & 449. Ab ea urbe nomen habet Pictavina vel Picta, *une Pite*, & Semipicta, *une demie Pite*. 449. Pictones à Noſtris Hiſtoricis vocati nunc Pictavi, nunc Pictavenſes & Pictavini, à Froſſarto *Petaux*. 449. Raimundus cur Nicetæ Pectevinus dicatur. 449. varii Pictonum pagi 449. 450 Pictonicum promontorium non eſt Rupella. 450. Amphitheatrum Pictavorum & Aquæductus. 502.
Pinciacenſis pagus dictus *le Pinceraïs* à Pinciaco. 450. an ducatum olim diœceſeon fuerit. 450.
Pinna caſtrum pagi Aginnenſis, & Pinna Albienſium unde nomen traxerint. 451.
Pippinus Rex leoni inſidens olim depingebatur, quòd leonem apud Ferrarias occiderat. 193.
Piſcenæ à piſcinis videntur dictæ. 451.
Piſtæ, *Piſtres*, locus à mari 90. millibus diſtans, quouſque maritimi æſtus accedunt. 452.
Planci epiſtola emendata. 581.
Plinius arguitur. 6. emendatur bis. 35. colonias nonnumquam opida Latina appellat. 54. 109. corrigitur. 90. emendatur. 263. arguitur. 294. 298. 473. emendatur. 316. 329. 375. 490. Plinius ex Hiſpania in Galliam tendit. 490. emendatur. 545. explicatur. 561. emendatur. 581. 586. 588. 604.
Podienſis vel Anicienſis Epiſcopus olim exemtus, ac nulli alii quam D. Papæ ſubjectus. 2. 590.
Podium ſeu Anicium, dictum & civitas Vetula. 590. Anicium & Podium unde dictum. ib.
Podium montem ſignificat. 452.
Polybius emendatur. 490. arguitur. 499.
Pompeius Trogus Vocontius fuit. 617.
Pomponius Mella arguitur. 56. emendatur. 67. 123. 474. ex Gallia in Hiſpaniam tendit, contra quam Plinius. 490. arguitur. 532. 586.
Pons arcus, *Pont de l'Arche*, malè Pons arcæ Brittoni aliiſque appellatur. 453.
Pons navalis olim apud Ambaciam, & in pleriſque urbibus Galliarum. 24.
Pons Sai vel Saeii, *Pont de Sé* dicendus, non Pons Cæſaris aut Cæii, *Pont de Cé*. 45.
Pontes Sequanæ, olim Duodecim Pontes, vel ad Duodecim Pontes. 454.
Pontivi Comitum origo & titulus Comitum. 342. 343. caput pagi Pontivi Monaſteriolum. 345.
Pontones in Auſciis ad Egirtium fl. qui locus. 455.
Portus Abucini vel Bucini quis. 456.
Portus Balii quis. 456.
Præſentinus Grammaticus dictus, non Priſcianus. 457.
Prædiatorum intra Gallias nomina unde deducta. 161.
Pratella in Briegio, *Prelles*, unde dicta. 428.
Pronea fluvius, poſt Pronea & Prumia dictus, *Prum*, loco & Monaſterio illuſtri nomen dedit. 540.
Provincia à Noſtris in Arelatenſem ac Maſſilienſem diviſa. 458. ambarum rectores dicti Patricii. ib. partem Dalfinatus Provincia continebat. ib. eadem Aquitania impropriè dicta. ib. Gothia Provinciæ nomine deſignata. ib. Provincia ex 121. provinciis facta. 459. ejus civitates xii. ib. Comitum ejus vetuſtas ac tituli. ib. diviſa eſt in Comitatum & Marchiam. 459. ejus inſulæ. 512.
Ptolemæus arguitur. 1. 6. emendatur. 31. arguitur. 51. corrigitur. 64. reprehenditur. 66. 138. 149. explicatur. 177. emendatur. 180. 482. explicatur. 180. corrigitur. 244. 251. 268. arguitur. 273. emendatur. 319. fallitur 340. 467. 512. corrigitur. 511. 543. Genti cuique caput ſuum in deſcriptione Galliæ ſemper ſubjungit. 563. emendatur. 566. 587. 588. 589. 592. 595.
Puteoli, *Puiſeux* aut *Puiſeux en France*, à puteis dicti. 428.
Puteolus, *Puſet*, unde dictus ſit. 460.
Puteus S. Sigiſmundi ante annos mille appellatus, à Columna vico differt. 460. eſt hodieque vicus, Sancti Regis nomen ferens, *S. Simond*. ib.

R

RAdis inſula, *Ré*, unde nomen habeat. 463.
Radolium, Rodolium vel Rivolium, aut Rodobium à Radone nomen non accepit. 464. Ado Dadonis ſeu Audoëni frater fuit, Rado non fuit. 464.
Ratiatenſis pagus vel Ratenſis, *le pays de Retz*, quando Britanniæ pars eſſe cœperit. 465.
Ratiatenſis vicus, vel Ratiatum, caput ejus pagi, quis ſit. 466
Regino emendatur. 309.
Reitelte, primò *Reteſt*, poſt *Retel* dictum. 468. pagus Reitellinus pagos Portianum & Vongenſem continet. 468. 478.
Remorum agri & arva nomen dedere Campaniæ Remenſi vel Gallicæ. 469. Remi Fœderati, ut Ædui, Carnutes, Lingones, Vocontii, & Maſſilia 469. Fœderatorum melior conditio quàm Liberorum. ib. Remi optimi funditores. ib. Laudunum Remorum olim fuit. 469. Diœceſeos Remenſis fines, opida & loca. 470. parœciæ vicanæ, & abbatiæ. ib. pagi. ib. Catalauni & Sueſſiones Remorum non fuere. 470.

Reſbacis vel Reſpacis à rivo, qui *Bec & Bach* dicitur, nomen accepit. 471.
Rhenus ſcribi debet, non Renus. 472. Rheni curſus. 472. Rheni dicti accolæ utriuſque ripæ Rheni. 473. Rhenenſis pagus quis. ibid. Renus fluvius Æmiliæ, ib.
Rhodæ duæ fuere, altera in Hiſpania, altera in Gallia ad Rhodanum. 473.
Rhodanus unde nomen habeat. 473. unus eſt de tribus maximis Europæ fluviis. 474. quas Gentes attingat, & quæ alluat loca. 474. Sinus ad Gradus quis, & vi. in eo gradus. 475. de oſtiis ejus. 474. 475. 476. Regio Rhodano adjacens Rhodanuſia dicta. 476. Rhodanus nonnumquam Eridanus vocatur. 476.
Ricomagum divitem manſionem Galli dixere. 477.
Rigomagus civitas in Alpibus Maritimis quæ. 477.
Ripatii vel Ripariolii à Francis diſtinguebantur ac differebant. 478. Germani erant. ib. Ripuarii & Riboarii dicti. ib. an plures uno Ducatus Ripariorum fuerint. 479. Ripariorum ſitus. 478. 479. Riparia Tranſrhenana. 479.
Rivus Morentini eſt *Remorantin*. 479. cauſa nominis. ib.
Roberti Auteſſiodorenſis in Chronico errores. 60. 84. 261. 395.
Rocconis Curtis *Requancourt*, à Roccone dicta. 428.
Romani qui dicerentur, qui Barbari in provinciis Imperii Occidentis, poſtquam a Germanis ſunt armis occupatæ. 628. Romani dicti poſt Vvallenſes aut Vvallones a Germanis, id eſt exteri & alterius linguæ homines. 628.
Romarici Mons, villa olim publica ſeu fiſcalis fuit, 480.
Romiliacum villa olim Regia fuit, *Remilly lez Paris*, aut *la Granche de Ruilly*. 428.
Rorico Monachus in Chronico arguitur. 125.
Rotoialum, Rigoialum, Riolum, Riogilum, Ruoilum, Ruolium, & Rocolium, *Rueil*, villa olim Regia. 429.
Rotoialum utrumque, ut & Roto, ac Rotomagus, à rubore ſoli nomen invenit. 481.
Rotomagenſis pagus duplex, trans Sequanam unus, *le Romois* dictus, alter cis Sequanam iſque major. 481. 482.
Rotomagus urbs unde nomen habeat, & an à Julio Cæſare condita ſit. 482. nomina ejus. 482. 483. portæ. ib. Amphitheatrum. ib. Baſilica S. Martini. ib. Diœceſis Rotomagenſis quanta. 483. ejus Diœceſeos parœciæ, & opida, ac Archidiaconatus, & pagi. 483. abbatiæ. ib.
Rotomagenſes à Bernardo non ſemel mali vocati. 484. Seniores Rotomagi urbis Franci qui. 484. 485. 486.
Rotulus *le Rolle*, aut *le Roulle*. 430.
Rotumna fl. *Rotoumne*, unde nomen traxerit. 486.
Roveritum nemus *le Bois de Boulogne*. 487.
Rufus Feſtus V.C. Breviarium rerum geſtarum populi Rom. non Valentiniano A, ſed Valenti ejus fratri & collegæ dedicavit. 300.
Rufus Feſtus Avienus in Ora maritima arguitur. 523.
Rugitus *rue* Noſtris. 282.
Rupella vel Rochella cur ita dicta. 488. Pictaviæ attributa nonnumquam. ib. Communiam pridem habuit. ib. ſedes Epiſcopatûs Mailiacenſis nuper eò tranſlata. ib.
Rupes, & Roccas ac petras Galli vocavere caſtella rupibus impoſita. 488. de roccis & ſpeluncis Aquitanorum. ib.
Rupes Mauræ quæ dictæ. Rupes Fortes quæ. 489.
Ruricius corrigitur. 615.
Ruteni alii Provinciales, alii Celtici ætate Julii Cæſaris, ac poſtmodum Aquitanici. 491.

S.

SAbloſium unde nomen habeat. 493. item Sablonariæ. 494.
Sacrum Cæſaris unde dictum. 494.
Salerio à fluvio ſuo cognominatus. 496. an differat à Saliſone. 495. 496.
Salia fluvius a ſale nomen habet. 496. ager Salinenſis ad Saliam *le Saunoy*, qui & Salonenſis. 496. 498.
Salinæ, *Salins*. a duobus puteis ſalſis nomen habent. 497.
Saliocliſa Æthici eſt aut Sarcliſæ, *Saclé*, aut Stampæ. 531.
Salmurum caſtrum unde nomen habeat. 497.
Saliulæ vel potius Saltulæ, poſt Saltæ dictæ. 499. fontis & caſtelli fonti proximi nomen. ib.
Salva Terra, & Salvitas loca cur ita dicta ſint. 497. 499.
Salvianus emendatur. 76.
Salutaris Epiſcopus civitatis Aventicæ fuit, non Avenionicæ. 54.
Salyi quos fines, quas urbes habuerint. 29. 30. inter Ligures Tranſalpinos clari. 30.
Samarobrivæ templa Jovis & Mercurii, & Amphitheatrum ad portam Clypianam, ac Prætorium Cumlianum fuere. 519.
Sambrica claſſis unde dicta in Notitia Imperii Roman. 499.
Samnitæ vel Amnitæ qui. 499. 500.
Sanſon Geographus Regius arguitur. 7. 10. 12. 31. 46. 65. 83. 91. 111. 112. 138. 217. 234. 249. 263. 264. 268. 349. 449. 453. 462. 463. 470. 491. 494. 510. 511. 513. 517. 522. 524. 545. 546. 549. 567. 596. 597.
Sanciacum patria & patrimonium Audoeni fuit. 500. cur villa S. Audoeni, & cultura S. Audoëni vocetur. 500.
Sangata unde nomen habeat. 501.
Santium, Vintium, Giannateva, Dinia, Belica, exiguas Diœceſes habent. 502.
Santonis ſeu Mediolani Santonum Capitolium, Amphitheatrum, arcus antiquus in Carantono, & aquæductus fuere. 503.
Santonum portus Brosgium. 501.
Sapaudia unde dicta ſit. 504. ejus fines. ib.
Saravenſis pagus vel Sarachouva à Saravo fluvio vel Sara, *Sargeau*. 505.
Sarcella vel Cerſilla, *Sarcelle*, villa olim Regia ad fluviolum Rodonum, *Rone*. 430.
Sarchinium ab opido & Monaſterio S. Trudonis differt. 505.
Sardones qui. 490. forſitan portio Tectoſagum aut clientes. ibid. eorum urbes Illiberis, & Ruſcino. 490.
Savara, Separa & Sepera, *Seure*. 431.
Savaronis error. 60. 246.
Saxones Gallicani qui fuerint. 507.
Scaldis vel Tabudæ curſus. 507.
Scladiſtate aut Scladiſtadum *Sleſtad*, villa olim publica Regum Francorum. 241.
Scoti Hiberni multa in Gallia Monaſteria condidere. 442.
Scutingi qui, & ubi exſtiterint. 508.
Secalaunia nomen Gallicum eſt, non à ſecali. 508. 509.
Secuſtero an Acuſio colonia in Cavaribus apud Ptolemæum. 509.
Segni à Sunucis vel Sanicis, & à Supenis differunt. 510.
Seguſiani liberi alii, alii Seguſiani Alpini: ut Meduli alii ad Alpes, alii ad Oceanum, Boii alii in Celtica, alii in Aquitanica. 511. Seguſianorum fines & urbes. 510. 511.
Seguſio & Auguſta cum agris & vallibus ſuis qui & quando Franciæ acceſſerint. 511. Seguſienſes Ptolemæo Seguſiani, Arriano Seguſii dicti. 512.
Sena, Sina, aut Samnis quæ inſula. 626.
Seniores Franci ſeu Majores natu qui fuerint, & quam varia eorum nomina. 484. 485. 568.
Senones & ceteræ Galliæ civitates ſuum Senatum habuere. 512. Oceanum non attingunt. 512. 513. Senones & caput Senonum, cur eum propriè Burgundiæ non ſint, ei tamen attribuantur. 513. Senonicus pagus quid complectatur. 513.
Sentiacum, *Sintzich* villa olim Regum noſtrorum. 514.
Separis fluvii utriuſque nomen Celticum eſt, non à ſeparando ductum. 52.
Septimania unde dicta. 515. Gothia cur nuncupata. ib. varia ejus nomina apud ſcriptores Hiſpanos. 515. Septimania vocata etiam Provincia. 515. 516.

Comitatus Toloſæ & provincia S. Ægidii. 515. 516. Provincia Narbonenſis prima ſeu Gothia, cur *Languedoc* dicatur. 516. Lingua Occitana non ſolùm Narbonenſem I. ſed etiam partem Aquitaniæ continet. 516.
Sequana fluvius Geon dictus & Geobonna. 516. 517. Sequanæ curſus. 516. Cinga Lucano Sequana eſt, aut Liger. 517. Sequanicum litus, & oſtium ac litus Sequanæ, quid Paulo & Eginhardo. 518.
Sequani impropriè dicti accolæ fluvii Sequanæ, ſeu incolæ Lugdunenſis Senoniæ vel quartæ, & Lugdunenſis II. atque etiam tertiæ. 513. 517. Sequanica quid Paulo Longobardo. 517.
Sequanos cum Rauracis & Helvetiis Cæſar & Strabo Celtis adſcripſere. 518. 519. Auguſtus Belgicæ eos aſſignavit. 519. Plinius, Ptolemæus, aliique Auguſtum ſequuntur. 520. 521. 522. cur provincia Maxima Sequanorum vocetur. 522.
Seratius arguitur. 541.
Servius arguitur. 512.
Sibuzates Cæſaris, qui. 524.
Sigebertus arguitur. 256. 464. 559. 631.
Signa Eccleſiarum quando in uſu eſſe cœperint. 540. 541. cur ſigna & claſſica dicta ſint. 541.
Silvacum a ſilva proxima nomen invenit. 524. 525.
Silvæ & ſaltus multis in Gallia pagis nomen dedere. 549.
Silvanectes nomen Gallicum, non à ſilvis deductum. 525.
Simlerus arguitur. 291. 337. 371. 465. 564. 601. 606.
Sinemurum, vel Sinemurum caſtrum, aut Sinemuro, a ſe nomen Latinum habuit. 527.
Sirio vel Sirio eſt ad Sirionis, *le Siron* & Garumnæ confluentem. 527.
Sirmundus arguitur. 60. 257. 345. 396. 515. 516. 598.
Sithiu in Monaſterio Childericus ex Rege Monachus obiit & ſepultus eſt. 527. duo fuere Monaſteria apud Sithiu. 527.
Solniacum unde dictum. 528.
Sommentium civitas vel Salinenſium in veteribus Notitiis, eadem quæ apud Ptolemæum Saunæ Suetriorum in Alpibus Maritimis. 528.
Sonegiæ dictæ a Sonia fluvio vel Sonna. 529.
Sonacum, *Soiſi ſur Seine*, a Sono nomen habet. 431.
Sonates dicti a Sono vel Sona capite Genus. 529. 530.
Spedorenum Fortunati eſt Spedona. 530.
Spinetum eſt *Eſpinay*: Spinogilum autem, vel Spinoilum aut Spinolium, *Eſpineuil ſur Seine*, quæ villa olim Regalis fuit. 431.
Stampæ cur fluvio Loæ dicantur appoſitæ. 531. cur à Veteribus Stampis diſtinguantur. ib. Palatium ſuum habuere. 531.
Stephanus emendatur. 169. arguitur. 546. 604.
Stoechades inſulæ propriè dictæ tres contra Maſſiliam. 532. 533. cauſa nominis. 532. ſingularum nomina Græca & vulgaria. 532. Stoechade herba & corallio commendantur. 533. Monaſteriis olim inclitæ erant. ib.
Stoechades, ut & Lerinus ac Lero, ſua Monaſteria olim habuere. 274.
Strabo Cæſarem tranſcribere in deſcriptione Galliæ conſuevit. 78. 243. 335. 369. 518. 519. 584. explicatur 276. arguitur. 243. 244. 279. 394. 510. 518. 519. 591. Strabo arguitur. 11. 35. 49. 78. emendatur 115. 159. 164.
Sturium, Phœnice, Phila, inſulæ Arcenſium, ſeu inſulæ Areæ. 535. qui nunc vocentur ſinguiæ. ib.
Suecaſſes Plinii qui. 524.
Suelterorum regio circa Forum Julii, *le Sterel*. 536. Suelteri vel Selteri, an Celtorii Plutarcho dicantur. ib.
Sueſſionum opida, abbatiæ, parocciæ. 537. pagi. 537. 544.
Sugambri & Suevi Ciſrhenani qui. 537.
Sulpicius Severus arguitur. 448.
Summa Vidula, & Summa Turba, ac Summa Harna dicendum, non Summa Vidulæ, Turbæ, Harnæ. 603.
Surſinæ vel Soriſinæ, *Surênes*. 432.

T.

TAbernæ aliæ Rhenenſes, aliæ Aleſaticæ, aliæ Montanæ. 542. 543.
Tabernaculum, *Taverne*, unde nomen acceperit. 432.
Tabula Theodoſiana vel Peutingeriana emendatur. 132. 164. 169. 256. 479. explicatur. 293. reprehenditur. 335. 367. coarguitur. 544. 564. 592. 614.
Tacitus emendatur 292.
Tara flu. vel Thara, olim Noſtris *Taire* dicebatur. 353.
Tarbellorum ſedes. 30. Tarbelli & Tarbienſes non ſunt confundendi. 31.
Tarvennæ & Bononiæ unus olim Epiſcopus præfuit. 345.
Tellau pagus, & varia ejus nomina, ac ſitus. 547. unde nomen habeat. 548.
Telo unde nomen habeat. 548. differt à Taurento. 549.
Teoracia ſilva pago nomen dedit, ut multæ aliæ ſilvæ. 549. varia ejus loca. 549.
Ternuinum & Teloniæ idem locus. 550.
Theodaxium, *Tiais*, Teodaxium dici ſcribique debet: Teodaſium Aimoinus vocat. 332.
Theodemerenſis pagus a caſtro Theodemerenſi cognominatur. 551.
Theotuadum vel Doadum unde nomen traxerit. 552.
Tibulli verſus emendatur. 51.
Toloſa per annos LXXXIX. Regia Veſigothorum, & caput Regni Toloſani fuit. 610. Toloſæ Capitolium, Amphitheatrum, & Palatium. 620. in Archiepiſcopatum evecta eſt. ib. ejus incolæ Toloſates, Toloſani, Toloſenſes dicti. 620. pagus Toloſanus à Septimania, & ab Aquitania Vaſconiaque diſtinguebatur. 620.
Tornates apud Plinium qui. 524.
Torta Fagus, *Torfou*, unde nomen acceperit. 452.
Trajecti Tungrorum, & Trajecti Batavorum nomen Latinum eſt, non Gallicum. 559.
Trajectum Tungrorum vicum vocat Eginhardus, ut hodieque trans pontem regio ejus una dicitur *Vicus*. 560. Trajectum, Juppila, Heriſtalium, Marſna, Littia, Capræmons, Villæ olim Regiæ. 560.
Ex Trecis Noſtri ſæpe fecere Trecacenſes, ex Drocis Drocacenſes, ex Arcis Arcacenſes, ex Locis Locacenſes. 562. plerique è Noſtris pro Tricaſſis dixerunt Trecas, pro Baiocaſſis Baiocas, pro Durocaſſis Drocas. 563.
Tremia vel Trama a fluviolo ſuo nomen habet. 560.
Trevir, & Treviri ſincerum & vetus populi nomen, non Treveri, Triveri, aut Triberi. 561.
Trigoria vel Trigorius pagus quid contineat. 563.
Triun idem, *Tremblay*, unde dictum. 432. ita vocatum pro Tremulidum vel Tremuletum. 433.
Tungri in loca Eburonum, a J. Cæſare propter legionis ſuæ cædem penitus exciſorum ſucceſſere. 565. vetus Diœceſis Tungrorum. 565. 566.
Turenſis pagus eſt Turgovia. 566. unde nomen habeat. ib.
Turnacum & Ganda Brachanti olim erant: quæ urbes nunc non Brabantiæ ſunt, ſed Flandriæ. 93.
Turnebi error. 232. H. Turnebus arguitur 256.
Turnomium vel Tornomium caſtrum Pariſiorum, *Tournan*, inter beneficia Pariſienſis Epiſcopi. 407. 408.
Turones cur quidam attribuerint Aquitaniæ. 569. fines, opida & caſtella, ac fluvii Turonum. 570. Turonis porta Hagonis a quo dicta ſit. 570. in Turonibus quot Monaſteria, & parocciæ. 570. quot Archidiaconi. 571. Turonum caſtella vetera & vici. 571. 572. 573. Campania Turonica quæ. 571. Turoni parva olim urbs. 573. ea in urbe moneta olim percutiebatur. 574. Parvi Turonenſes, ſolidi Turonenſes, ſolidi Turonenſes nigri, & libræ Turonenſes. ib. Baſilica S. Litorii apud Turonos, à majore urbis Eccleſia differebat, nec ſedes Antiſtitum fuit 574. Baſilica S. Martini à majore urbis Turonicæ Eccleſia differebat, nec veterum Epiſcoporum ſedes fuit præterquam unius ad tempus Gregorii. 574. 575. 576. Comites Ande-

gavenſes per annos ccxix. à Comitibus Carnutum & Bleſenſium Turonos ſub hominio tenuere. 576. 577. Richardus & Johannes Anglorum Reges ac Andegavorum Comites cur Turonicum Comitatum præ ceteris a Rege Francorum tenuerint, 577.
Turris Talemundi eſt *Talemond en Poitou*. 578. unde dicta ſit, ib.

V.

VAdenſis pagus, *le Valois*, unde nomen habeat 580. idem Valeſius pridem vocatus, ib. Remis porta Veneris vel Sueſſionica, cur nuncupata porta Valeſia, 580.
Valentia Segalaunorum unde nomen habeat. 581.
Valentianæ unde dictæ, 582. olim villa fiſcalis vel publica Regum Francorum, ib.
Vallis Coloris unde nomen habeat. 583.
Vallis Duni a Duno vel Tala fluvio dicitur, *le Val-Dun*. 583. differt a Valle Duni, ib.
Vallis Pennina diviſa pridem in pagum Vallenſem vel Valliſium, *le Valais*, & in pagum Valdenſem vel Vvaldenſem, *le pays de Vaux*. 593.
Vangionis Rivus a fluviolo Vangione nomen habet. 584.
Vapincum Tricoriorum caput fuit, 584. 585.
Varus fluvius unde nomen habeat, 586.
Vaſcones provinciæ Novempopulanæ, quam occupaverant, nomen dedere. 380. 381. 382. a Vaccæis differunt, 381. Vaſcones improprie dicti omnes Aquitani, 382. Garumna Vaſconiæ terminus, 382. quot Vaſconiæ Metropoles, 382. Comitatus ejus & Vicecomitatus, ac pagi, ib.
Veliocaſſium fines 588. 589. Veliocaſſes & Caleti primò Belgicæ, deinde Celticæ attributi, 589.
Vellava urbs Roucho olim vel Reveſſio, 589. ejus Epiſcopatus tranſlatus Anicium ſeu Podium, 590.
Vendopera unde dicta ſit. 591.
Venetia Britannice dicta *Broguerec*, id eſt Vvaroci vel Guereci regio, 591. Dariorigum caput Venetorum. 592.
Veragrorum civitate Octoduro Sedunum tranſlata ſedes Epiſcopatûs, 592.
Verbigenus pagus quis. 593. 594.
Verno, Vernolium, & Vernum unde nomen traxerint, 594.
Veromanduorum caput Auguſta Veromanduorum, pòſt oppidum S. Quintini dictum eſt. 596.
Verunorum caput Vironum vel Verunum, Æthico Verodunum dictum, id eſt Verunorum mons, 597. 598. an dictum ſit Laticlavum aut Articlavum, & urbs Claborum vel Clavorum. 598.
Veſontio cur Chryſopolis ante annos dccc. dicatur. 599 Veſontio Palatium, & Amphitheatrum habuit, a quo vicus Arenarum, porta Arenarum, & tribus Arenarum ibi nomen accepere. 600. Veſontione porta de Vareſco quæ. ib.
Ugernum caſtrum quid ſit. 601.
Vibius Sequeſter arguitur. 41.
Vicaria & Vicecomitatus una res, 556.
Vicenæ, *Vincennes*, unde dictæ, 434. quando & à quo nemus ejus vici muro cinctum ac ſeptum, ib. quando in eo nemore vel ſepto domus Regia fuerit, ib. quando ibi caſtellum factum. 435. Vicenenſe caſtellum differt a caſtello Bellitate, *le Chaſtel de Beauté ſur Marne*. 435.
Viennæ agon gymnicus celebratus. 604. Viennæ porta Herculea ib. lintificum & claſſis flum. Rhodani Viennæ, 604 Vinum picatum, ib. Vienna Metropolis prov. Viennenſis, dein caput Regni Burgundiæ, nunc Dalfinatûs, 604. 605. Amphitheatrum, & Palatium intramuranum, aquæductum, ac turrim habuit, 605. Vienna Senatu ſuo, & magno illuſtrium ac Nobilium Senatorum numero diutiſſime floruit per annos amplius dcc. 605. Dalfini Viennenſes ab ea dicti, 607. Viennæ porta Lugdunenſis, 607. ibidem mons Quirinalis, alias mons Quiriacus, 607 Vienna ſedes maxima Galliarum, & ejus Antiſtes an Primas Primatum jure dici poſſit. 606. provincia Viennenſis in tres diſtracta, Viennenſem, Arelatenſem, & Avennicam, 606. provinciæ Viennenſes v. aut etiam viii. numquam fuere, ut recentiores putant, 606. 607.
Villa & vicus una res eſt, 582.
Villa Cereris, *Hurſaus*, unde nomen habeat. 415.
Villa Epiſcopi, *la Ville l'Eveſque*, cur ita dicta ſit. 435.
Villa Judæa an a Villa Juliæ diſtinguenda ſit, 436.
Villa S. Laurentii prope Pariſios quæ. 436.
Villa S. Lazari, *la Villette S. Lazare*, cur ita vocetur. 437.
Villa Nova Regis, *Villeneufve le Roy*, & Villa Regis, *Ville Roy*, nomine ſuo indicant, ſe ad Reges noſtros pertinuiſſe, 437.
Villa Nova S. Georgii, an Vicus Novus vocetur a Fortunato. 436.
Villa Petrola, nunc Villa Puerorum, nunc Villa Pirorum & Villa Piroſa dicta, *Villepreux*. 408. caſtrum Pariſiorum, ib. Diodurum forſitan apud Æthicum, 408.
Villare Adæ à quo cognominatum, 437.
Villare aut Villaris villulam aut viculum ſignificat. 437.
Villæ Regiæ Palatia dicebantur. 36. 50. 427. 442. 555. quæ in villis publicis Reges noſtri fecerint. 185. 480. in aliis villis quam in publicis aut Regiis nummi Regum Francorum percuti non ſolebant. 437.
Vimina fluvius quis. 609.
Vimnacus pagus aut Vimnau unde nomen traxerit, 612.
Vindauſcæ commorati Carpentoractenſes Epiſcopi, qui ob id Vindauſcenſes Epiſcopi nonnumquam dicuntur. 609. Vindauſca Aeria olim dicta. 610. Marchiam Provinciæ, & partem ejus Comitatum Vindauſcenſem, cur & quando Epiſcopi Romani ſibi vindicarint, 610.
Vindomagus Volcarum Arecomicorum unde nomen acceperit. 611. Uceçia pòſt dicta. ib. ineptè Utica nuncupata eſt a recentioribus. 611.
Vindonilla quando Epiſcopatum habere deſierit, 612.
Vinetus arguitur. 472.
Vingenna fluvius, Vencenna & Vincenna alias priſcis dictus, recentioribus Vigenna, 612.
Viſio unde nomen habeat, 614.
Ulda fluvius *Oude* eſt: quibuſdam Auguſtus, & *Auſte* vel *Aouſt* mendosè nuncupatus. 615.
Ulterior Portus unde nomen traxerit. 616.
Umbranici Plinii qui. 616.
Vormacia dici debet, non Vvormatia, aut Vvarmatia vel Vvarmacia. 93.
Voſagus, olim Vogeſus mons & ſaltus dictus. 622. ejus longitudo. ib. pars Auſtriæ, pars Burgundiæ Regum erat, ib. ibi urſi, bubalique ſeu boves feri multi naſcebantur, 622. capita iv. maximorum fluminum continet, ibid. altera ſilva Voſagus in pago Laudunenſi, 623. quæ ſilva Codiciacenſis aut Farenſis dicitur. 623.
Voſavia, pòſt Vaſaliacum, demum Veſalia. 625.
Voſuſenſe monaſterium, pòſt Foſſenſe dictum eſt. 623.
Urba caſtrum aut villa, alio nomine Tabernæ dicebatur. 623.
Urbes novæ cur pleræque à Nobis omiſſæ 616.
Urbia fluvius quis ſit, & Pons Urbienſis, 624.
Urcenſis pagi ſitus. 624.
Uſuardus emendatur, 61.
Utta ſilva pòſt Otta dicta eſt, *Otte*. 625. Nemus Ottonis etiam nuncupata, 626. ſilva Otta pro Otta dicta. 625. ſilva Uſta pro Utta. 626.
Vvalonia à Vvalone cognominata. 627. Vvalo bonum ſignificat. ib.
Vvaractum unde nomen habeat, 629.
Vvaſtinenſis pagus unde nomen traxerit. 630. 631. olim multo quam nunc anguſtior fuit. ib.
Vvendelinus Belga arguitur, 68. 93 94.
Vvilhelmus Malmeſburienſis Monachus arguitur, 628. 629.
Vviltaburgus à Trajecto differt. 631. 632.
Vvitla emporium juxta oſtium Moſæ, *Brile*. 632.
Vvitlantum ab alba arena ſua nomen accepit, 632.
Vultaconum quid 632.
Uxantis inſula vel Axantis *Oüeſſant*. 626.

Z.

ZOſimus arguitur. 233. 439.

ERRATA.

Paginâ 4. columnâ 1. verſu 48. Cabillonenſem Diœceſin ad Ararim attribuit, Ambarris verò agrum Burbonenſem ſcribe agrum Burbonenſem attribuit, Ambarris verò Cabilonenſem Diœceſin ad Ararim. Pag. 10. col. 1. verſu 25. ubrs ſcribe urbs. Pag. 14. col. 2. verſu 53 libri ſcribe libro. Pag. 18. col. 1. verſu 30. Andecium ſcribe Andelium. Pag. 20. col. 1. verſu 26. Mons Renelli Mont reneau, ſcribe Mons Revelli Mont reveau. Pag. 21. col. 1. verſu 64. Anduacrpentes ſcribe Andovetpentes. Pag. 29. col. 1. verſu 31. Nangiacenſio ſcribe Nangiacenſis. Pag. 31. col. 1. verſu 14. eſſe, ſcribe eſſe aut. Pag. 34. col. 1. verſu 10. curſue ſcribe curſus. Pag. 41. col. 1. verſu 17. dele mirum. Pag. 46. col. 1. verſu 8. amoſa lege famoſa. Pag. 53. col. 2. verſu 11. Epicopus ſcribe Epiſcopos. Pag. 54. col. 1. verſu 36. Santonum ſcribe Pictonum. Pag. 55. col. 2. verſu 17. Viuſionis ſcribe Viviſonis. Pag. 63. col. 1. verſu 7. opera ſcribe opera. Pag. 66. col. 2 verſu 10 nunc a ſilva dele hos 3. verſus uſque ad Joſephus. Pag. 68. col. 1. verſu 31. dele Hoiſingos vel Pag. 72. col. 1. verſu ultimo Aſſe ſcribe Aſle & ſic infra. Pag. 74. col. 1. verſu 29. ſacrata ſtirpe de lucis ſcribe ſacratum lucis è templo. Pag. 93. col. 1. verſu 52. au ſcribe aut Eadem pag. col. 2 verſu 66. qu ſcribe qui. Pag. 94. col. 1. verſu 16. Pettocorus ſcribe Petrucorius. Pag. 104. col. 1. verſu 23. Prioratus ſcribe Prioratum. Pag. 111. col. 1. verſu 66. fonte ſcribe fontem. Pag. 113. col. 2. verſu 54. Philippo ſcribe Ludovico. Pag. 142. col. 1. verſu 42. ſita ſcribe ſitum. Pag. 145. col. 1. verſu 22. Cenenicum ſcribe Cenericum. Pag. 153. col. 1. verſu 55. Renelli ſcribe Revelli. Pag. 159. col 2. verſu 48. memorasatus ſcribe memoratus. Pag. 171. col. 2. verſu 12. eſſlut ſcribe eſſluit. Pag. 180. col. 2. verſu 60. Docortori ſcribe Durocortori. Pag. 184. col. 1. verſu 10. ſi valide ſcribe ſic valdè Pag. 185. col. 2. verſu 37. Alamon ſcribe Alagnon. Pag. 192. col. 2. verſu 2. DCCCC. ſcribe DCCCCXC. Pag. 197. col. 1. verſu 7. directa ſcribe recta. Pag 199. col. 1. verſu 2. Genuli ſcribe Genulfi. Pag. 203. col. 1. verſu 21. Occidentaliem ſcribe Occidentalium. Pag. 217. col. 1. verſu 9. opotte ſcribe oportere. Pag. 223. col. 2. verſu 23. nuncupatua ſcribe nuncupatur. Pag. 230. col. 1. verſu 31. eadem a Johanne ſcribe non eadem eſt quæ a Johanne: & verſu 38. poſt deſtitutum eſſe, Grandis Villa hæc quippe eſt Granvelle, ſita ad mare inter Conſtantiam & Abrincatas. Pag. 230. col. 2. verſu 44. a Germanico principatu ſcribe ab Agrippa principatu. Pag. 231 col. 1. verſu 55. paribus ſcribe patribus. ib. col. 2. verſu 34. Gaoris ſcribe Goaris. Pag. 232. col. 1. verſu 1. intulam ſcribe inſulam, verſu 58. Scaldis, ſcribe Scaldis. Pag. 233. col. 1. verſu 65. Bonnoia ſcribe Bononia. Pag. 240. col. 2. verſu 41. Herlumum ſcribe Herlaum. Pag. 265. col. 2. verſu 34. Vallenſes ſcribe Vallenſis. Pag. 271. col. 2. verſu 58. cognominati ſcribe cognominari. Pag 285. col. 2. verſu 3. Galre ſcribe Glare. Pag. 288. col. 2. verſu 26. appellant ſcribe appellat. Pag. 299. col. 1. verſu 46. poſt ſuperiorem adde & interiorem. Pag. 307. col. 1. verſu 53. Cæſat ſcribe Cæſar. col. 2. verſu 23. Tingitavia ſcribe Tingitania. Pag. 309. col. 2. verſu 7. anno- ſcribe annos. ib. verſu 8. Regis- ſcribe Regi- Pag. 311. col. 1. verſu 18. Moquelinas ſcribe Maquelinas. Pag. 312. col. 1. verſu 1. Maceria ſcribe Maceriæ. Pag. 314. col. 1. verſu 14. finibus ſcribe finibus. Pag. 318 col. 2. verſu 49. patentibus ſcribe patientibus. Pag. 319. col. 1. verſu 64. Guicardinus in libro XV. muricos ſcribe Guicciardinus in l. XV. muros. Pag. 321. col 1. verſu 54. Maſſilienſes ſcribe Maſſilienſes. ib. col. 2. verſu ultimo tranſmarinæ ſcribe tranſmarinæ. Pag. 329 col. 1. verſu 50. Britannicis, ſcribe Britannicis. ib col. 2. verſu 13. Capitaleтum ſcribe Capitalatum. Pag. 331. col. 2. verſu 34. dele prope urbem Meillos. Pag. 333. col. 2. verſu 6. majorem ſcribe majorem unum citra Matronam. Pag. 337. col. 1. verſu 41. Meloæ ſcribe Meloa. Pag. 338 col. 2. verſu 51. Motmande, ſcribe Marmande. Pag. 340. col. 1. verſu 16. Moguncıacenſium ſcribe Moguntiacenſium. Pag. 344. col. 2. verſu 30. Monlagu ſcribe Montagu. ib. verſu 31. Montacutus ſcribe Monſacutus. Pag. 346. col. 2. verſu ultimo erpetrata ſcribe perpetrata. Pag. 356. ſcribe 359. Pag. 363. col. 2. verſu 42. Lotharingia ſcribe Lotharingiæ. Pag 368. col. 1. verſu 35. Mamucum ſcribe Manucum. Pag. 372. col. 1. verſu 43. pendete ſcribe pendere v. 57. caſtilum ſcribe caſtellum. Pag. 378. col. 2. verſu 54. Joadanes ſcribe Jordanes. Pag. 379. col. 2. verſu 59. Noſtratum ſcribe Noſtrorum. Pag. 380 col. 2. verſu 22. diuiſa ſcribe diviſa. ib. verſu 24. Aquitanica ſcribe Aquitanicâ. Pag 383. col. 2. verſu 30. Italelle ſcribe l'abeille. Pag. 385. col. 2. verſu 1. Nivernenſem, ſcribe Niverenſem. Pag. 386. col. 1. verſu 1. poſt Noviomagum adde etiam vocat. Pag. 389. col. 1. verſu 17. Reziers ſcribe Beziers. Pag. 402. col. 1. verſu 61 Stamputicum ſcribe Stampilum. Pag. 405. col 2. verſu 25. Lutarcias ſcribe Luſatgias. Pag. 408. col. 1. verſu 32. cete ſcribe Cettè. Pag. 409. col. 2. verſu 57. Auehiacum ſcribe Autchiacum. Pag. 416. col. 2. verſu 23. vel Courbevoye ſcribe Corbevoye. Pag. 423. col. 2. verſu 12. Muciaum ſcribe Muciacum. Pag. 429. col. 1. verſu 56. dele in his Audoenus. ib col. 2. verſu 51. poſt & adde Crioſium. Pag. 430. col. 1. verſu 17. poſt eſt adde non. Pag. 431. col. 2. verſu 3. Sena ſcribe Senat. Pag. 432. col. 1. verſu 21. memoratur ſcribe memorantur. Pag. 445. col. 2. verſu 63 Santounm ſcribe Santonum. Pag. 448. col. 2. verſu 63. Pictuorum, ſcribe Pictavorum. Pag. 449. col. 2. verſu 32. pedite ſcribe pedites. Pag. 453. col. 1. verſu 67. arca ſcribe arcu. Pag. 455. col. 2. verſu 40. XXIIII. ſcribe XXII. Pag. 460. col 2. verſu 30. miraculis ſcribe miraculis. Pag 464. col. 2. verſu 57. quod ſcribe qui. Pag. 468. col. 1. verſu 13. II ſcribe III. Pag. 470. col. 1. verſu 13. XV. ſcribe XI. Pag. 476. col. 1. verſu 29. Hiſpanienſe ſcribe Maſſilienſe. Pag. 481. col. 2. verſu 61. Capipitulis ſcribe Capitulis. Pag. 482. col. 2. verſu 65. au ſcribe aut. Pag. 485. col. 2. verſu 8 doce ſcribe docet. Pag. 488. col. 2. verſu 29. celeberrim ſcribe celeberrima. Pag. 494. col. 2. verſu 3. Algamnenſi ſcribe Sagamnenſi. Pag. 500. col 1. verſu 1. uxores rum uxores ſcribe Amnitarum uxores. Pag. 502. col. 1. verſu 35. Satonum ſcribe Santonum. Pag 502. col. 2. verſu 67. Santono ſcribe Santonos. Pag 506. col. 2. verſu 31. a ſcribe non longe a. Pag. 516. col. 2. verſu 31. Petraviam ſcribe Petrariam. Pag. 519. col. 1. verſu 41. Sequanos ſcribe Sequanos. Pag. 524 col. 2 verſu 9. aciditate ſcribe aciditate. Pag. 533. col. 2. verſu 65. Epiphanius ſcribe Euhodius. Pag. 534. col. 2. verſu 54. poſt ſublatâ adde primâ. ib. col. 2. verſu 4. vicus ſcribe vicum. ib. verſu 63. & ult. inſula Area ſcribe inſulis Arratum Pag 541. col. 1. verſu 18. tanteт ſcribe tangeret. Pag. 542. col. 2. verſu 36. quibem ſcribe quidem. Pag 553. col. 2. verſu 20. ætate ſcribe ætate. Pag. 559. col 1. verſu 10. DCCLXX ſcribe DCCCLXX. Pag 566. col. 2. verſu 50. Hammaquırgenſis ſcribe Hammaburgenſis. Pag 567. col. 2. verſu 48. Nervus ſcribe Morinis. ib. verſu 49. corum ſcribe Nerviorum Pag. 582. col. 1. verſu 15 Valentians ſcribe Valentianis. Pag. 583. col. 1. verſu 31. Vallıienſi ſcribe Valliſienſi. Pag. 588. col 2. verſu 21. libris ſcribe libro. Pag. 589. col. 1. verſu 55. Veromadui ſcribe Veromandui. Pag. 593. col. 2 verſu 21. Gctodurum ſcribe Octodurum. Pag. 594. col. 2. verſu 48. Vernotis ſcribe Vernoti. Pag. 598. col. 2. verſu 26. qudem ſcribe quidem. Pag. 600. col. 1. verſu 15 utbis ſcribe urbis. Pag. 602. col. 2. verſu 2. Arvernonorum ſcribe Arvernorum. Pag. 605. col. 2. verſu 57. Caeoldo ſcribe Cadoido. Pag. 607. col. 1. verſu 66. dittur ſcribe dicitur. Pag. 612. col. 1. verſu 64. Angeſtu ſcribe Auguſta. Pag. 613. col. 1. verſu 14. Vintienſes ſcribe Vintienſes. Pag. 615 col. 1. verſu 43. Vvinterur, eſtque th ſcribe Vvinterthur, eſtque. Pag 616. col. 2. verſu 61. & 62. Voconiorum ſcribe Vocontiorum. Pag. 617. col. 1. verſu 17. nuncupatur ſcribe nuncupantur. Pag. 624. col. 2 verſu ult. oſſilio ſcribe Roſſilio Pag 626. col. 1. verſu 66 majorem ſcribe minorem.

In Indice Gallico-Latino, Pag 10. col. 2. verſu ultimo Motte ſcribe Montoire.

In Indicis Rerum & Obſervationum paginâ 4. col. 1. verſu 48. Da Sontiontiorum vel Sentiorinium ſcribe Dinia Sont. vel Sentio.um. Pag. 5. col. 2. verſu 20. eſſluentes ſcribe eſſluentis. ib. pag. 9. col. 2. verſu 23. Cemitum ſcribe Comitum. Pag. 11. col. 2. verſu 65. Hagonis ſcribe Hugonis.

Digi[illegible]

Digitized by Google